
SCRIPTORUM RERUM AUSTRIACARUM,

PLURIMAM PARTEM

NUNC PRIMUM EDITORUM

EX COD. MSS.

TOMUS I.




C. Zinck Sculp. & delin.

SCRIPTORES RERUM AUSTRIACARUM VETERES AC GENUINI,

QUOTQUOT EX AUSTRIÆ VICINARUMQUE PROVINCIARUM BIBLIOTHECIS ET TABULARIIS, DECUMANO LABORE PERLUSTRATIS, AUT PRIMUM IN LUCEM VINDICARI, AUT EX MSS. CODICIBUS AUCTIORES ET EMENDATIORES EDI POTUERUNT.

TOMUS I.

QUO POTISSIMUM VETERES AC SINCERI SCRIPTORES CONTINENTUR,

QUI RES A PRIMA GENTIS AUSTRIACÆ ORIGINE USQUE AD SÆCULUM XIV. IN REPUBLICA ET ECCLESIA PRÆCLARE AC SANCTE GESTAS,

NARRATIONES ETIAM GENEALOGICAS

VETERUM AUSTRIÆ MARCHIONUM ET DUCUM *STIRPIS BABENBERGENSIS*

COMPLECTUNTUR.

ACCEDUNT ANTIQUA ET ORIGINARIA MONUMENTA, EX LIBRIS MSS. DEPROMPTA,

QUIBUS NON SOLUM AUSTRIACÆ, SED ETIAM ADSITARUM PROVINCIARUM HISTORIÆ ANTIQUÆ LUX AMPLIOR ACCENDITUR ET CONCILIATUR.

EDIDIT,

ET NECESSARIIS NOTIS, OBSERVATIONIBUS, ET ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRAVIT


R. D. P. HIERONYMUS PEZ,
AUSTRIACUS IPSENSIS, ANTIQUISSIMI ET EXEMPTI MONASTERII MELLICENSIS ORD. S. BENED. IN AUSTRIA INFERIORE PROFESSUS.

LIPSIÆ, Lipsiæ
SUMPTIBUS JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FILII,
ANNO M DCC XXI.

1721
148/ COS
UNIVERSITÄTS

53/3386
Institut für Geschichte
des Deutschen Volkes
Universität Leipzig

MONUMENTA GERMANIAE
HISTORICA
Bibliothek



CAROLO VI.

ROMANORUM IMPERATORI
AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO,
INVICTISSIMO,

REGI

GERMANIÆ, HISPANIARUM, HUNGARIÆ,
BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ,
SCLAVONIÆ, &c.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,
CARNIOLÆ &c.

MARCHIONI MORAVIÆ,

COMITI

HABSPURGI, TYROLIS, GORITIÆ &c.

DOMINO, DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.



AUGUSTISSIME CÆSAR!

PAtere, SACRATISSIME CAESAR, Veteres ac genuinos, quotquot equidem a me undique conquiri convehique potuere, *Rerum Austriacarum Scriptores*, ex umbris veluti & tumulis suis emergentes, in AVGVSTISSIMO TVO NOMI-

NOMINE apparere. Jacebant ii magnam partem pluribus etiam, proh bonas Muſas! ſæculis neglecti, cum tineis & blattis non ſine ſuo & communi Reipublicæ Litterariæ damno quotidie confligebant, in abſtruſis Bibliothecarum ergaſtulis, & triſtibus obſcurarum ædium penetralibus pedibus ſorte quam manibus frequentius terebantur, miſere undique habiti, diſcincti, laceri, capite nonnunquam aut calce mutilati, pulveribus, ſitu ævoque ſqualentes, ſexcentisque & locorum & temporum & hominum injuriis, quibus acerbo ſane fato Antiquitas omnis obnoxia eſt, paſſim expoſiti: utut Viris doctis, quibus eruditæ ejusmodi delitiæ dudum ſuboluerant, digniſſimi viſi fuerint, qui ceu integerrimi rerum a DIVINIS MAIORIBVS TVIS immortaliter domi forisque geſtarum teſtes & interpretes in maxima omnium & frequentiſſima luce verſarentur.

Neque vero de iis aliter ſtatuerunt Sapientiſſimi quique in gubernanda AVSTRIA ANTECESSORES TVI, quibus Reipublicæ maxime ſemper intereſſe viſum fuit, rerum ſuis quarumque temporibus fauſtiter ſecusve patratarum memoriam accurate incorrupteque poſteris conſignari, *pulchrumque eſſe*, ut politiſſimus Plinius Secundus cenſuit, *non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum ſua extendere.* Quod ut penitius, perennius, archiori-

que

que cum nexu fieret, in perquirendis DIVINARVM STIRPIVM & DOMORVM Suarum Originibus imaginibusque perpetui erant. Quo una contigit, ut, quod ſine ullius invidia dixerim, AVSTRIAE PRINCIPES prope omnium gentium Moderatores ſtudio cognitioneque Hiſtoriarum plerumque ſuperarent, eſſetque ea diſciplina huic SERENISSIMAE DOMVI quodammodo propria & veluti hæreditaria.

Nihil hic loci, CAESAR MAXIME, de Ottone, Auſtriæ Marchione, poſteaque Friſingenſis Eccleſiæ Sapientiſſimo Antiſtite, Leopoldi Pii ſeu Sancti filio, qui præter rerum ab origine Mundi ad ſua usque tempora geſtarum Libros VIII, & de Geſtis Friderici I. Auguſti Libros II, etiam Hiſtoriam Auſtriacam, quam manuſcriptam olim Viennæ apud Wolffgangum Lazium extitiſſe Simlerus auctor eſt, condidiſſe dicitur, commemorabo.

Nihil afferam de Leopoldo ejus nominis VI, Secundo Auſtriæ ſub finem Sæculi XII. Duce, cujus juſſu Conradus de Wizenberg, Abbas Mellicenſis, Brevem Auſtriacorum Principum Hiſtoriam conſcripſit, in qua, inquit Conradus, *Avitam Principum hujus terræ noſtræ, Parentum ſcilicet Veſtrorum Proſapiam commemorare Vobis, ut petitis, cupientes, ea primo, quæ relatione Majorum noſtrorum didicimus, ipſa fide, qua audivimus, explicamus: Conſequenter etiam illa, quæ ex Chro-*

nicis

nicis noſtris colligere potuimus, a Paſſione videlicet S. Cholomanni, ſubnectimus, uniuscujusque Principis res geſtas, prout ibi notatas invenimus; annectentes. Nec plura referam de ſtudio Hiſtoriarum Rudolphi I, Auguſtiſſimæ ac Potentiſſimæ Domus TVAE Conditoris, cujus res feliciſſime geſtæ ampliſſimi Germanici Poëmatis argumentum & incitamentum Ottocaro de Horneck, Equiti Styro præbuere. Silentio præteribo Albertum III. Academiæ Viennenſis Fundatorem, & Albertum V, poſtea Romanorum Imperatorem id nominis II, *Specialem*, ut Vitus Arnpeckhius ait, *Cleri & Studentium Fautorem*, ac Fridericum Alberti in Imperio Succeſſorem, cujus incredibilis virtus, ut locuples teſtis eſt Æneas Sylvius, tum Pius II. P.M. *vel cum ſui nominis jactura poſteritati conſulere quæſivit, operæ pretium eſſe affirmans, ea* (bella ab Auſtriacis in Fridericum geſta) *tradi memoriæ, quamvis nulla Ipſum laus exinde ſequeretur.* *Quam vocem* jure meritiſſimo Æneas *liberam, Romano Principe dignam, majusque verbum fuiſſe* pronuntiavit, *quam ſi victis hoſtibus opima ſpolia retuliſſet.* Hos, inquam, aliosque quamplurimos ex AVSTRIACIS PRINCIPIBVS ΦΙΛΟΙΣΤΟΡΑΣ hic non niſi alto ſilentio, vel paucisſimis verbis (quod DIVOS deceat) venerabor.

Verum id mihi nequaquam licet in MAXIMIS proximiorum temporum AVSTRIACIS IMPERATORIBVS, Maximiliano, inquam, I, & Leopoldo

MA-

MAGNO, qui tametsi gravissimis infinitisque qua belli qua pacis consiliis immersi essent, Historia tamen, præsertim Patria, unice præcipueque delectabantur. Benigne feres, CLEMENTISSIME CAESAR, si, quæ Gerardus de Rhoo de Maximiliani in hoc studiorum genus animo litteris tradidit, hoc loco totidem verbis recensuero. *Coluit enim*, ait Gerardus, *& summa liberalitate fovit Viros doctos, cum quibus variis de rebus, ubi a rebus suis otium habere potuit, commentatus, multa, quæ sibi usui fore putabat, didicit. Hinc exterorum Oratores Romana potissimum lingua utentes intellexit, & eadem respondens, de magnis sæpe rebus sapienter ac diserte peroravit. Habentur quoque ac proferri possunt, præter ea quæ Germanice lusit, opuscula quædam Latine ab ipso scripta dictione simplici ac tersa; ut Commentarius rerum ab ipso gestarum, cujus alicubi meminere Bilibaldus Pyrckeimerus, & ex ejus relatu Joannes Carion: alter item de quorundam animaliũm ingenio, ex quo satis constat, arcanas quasdam naturæ causas cognitas illi ac probe perspectas fuisse. Inter doctos sui temporis, quos maxime coluit, fuere: ex historiarum & antiquitatis investigatoribus, Johannes Cuspinianus, summa dignitate ab eo auctus, Joannes Nauclerus, Cunradus Peutingerus, Reipublicæ Augustanæ Archigrammateus, Jacobus Manlius, Friburgensis, & Ladislaus Sunthemius, Viennensis Collegii Canonicus . . . . Horum omnium ingenia ac studia monitis suis ac præmiis excitavit Maximilianus, uti pro se quisque admisi, optimas quasque artes,* INPRI-

MIS VERO HISTORIARVM COGNITIONEM *in Germania etiamnum rigida, & armis quam literis addicta, eruerent, veræque eruditionis fontes aperirent. Primus igitur ex Germaniæ Principibus illustriorum familiarum genealogias in lucem proferri curavit, qua in re studium ipsius cæteri dehinc æmulati effecere, uti patria eorum Germania armis olim ac Imperii gloria insignis, linguarum quoque ac artium studia amplecti, & fœlici ingeniorum proventu florere cœperit.* Hactenus de Maximiliani I. Imperatoris, Musarum Statoris Maximi, in rem omnem litterariam, maximeque in Historiam studio & amore.

De DIVO autem LEOPOLDO MAGNO, Augustissimo Patre TVO, quid prædicem? Ei nulla fatorum acerbitas, nullæ Fortunæ blanditiæ, nulla negotiorum moles, nulli maximorum licet pertinacissimorumque bellorum impetus vehementissimum Historiæ, universæque Antiquitatis amorem ex animo exsculpere potuerunt. Hinc Ejus jussu advecti undique in Augustissimam Suam Bibliothecam Vindobonensem MSS. Codices, collecta immensa ex diversis Germaniæ tabulariis & Gazophylaciis veterum monumentorum, præsertim Nummorum Vis, exscripti magna contentione ex antiquis membranis libri, lustrata etiam reconditissima in montibus & saltibus, quæ veteris cujuspiam memoriæ vestigia conservassent, loca, effossa marmora & erudita rudera, excusa maximis sumptibus Bibliotheca

Vin-

Vindobonenſis, æternum LEOPOLDINAE Eruditionis & Liberalitatis monumentum. In quibus omnibus ita verſabatur LEOPOLDVS, ut ſuis plerumque oculis, ſuis manibus, ſuoque, quo immenſum valebat, judicio ſingula Ipſe diſpiceret, tractaret, recenſeretque. Nihil me præter meritum augere vel unicum TANTI PRINCIPIS deſiderium eruendarum ex Monaſterio San-Crucenſi Epiſtolarum Rudolphinarum demonſtret. Rem omnem verbis Eruditiſſimi Viri Petri Lambecii ex Diario Itineris Cellenſis, a LEOPOLDO anno MDCLXV. ſuſcepti dabo. *Cæterum*, inquit Lambecius, *quanti hunc locum* (Monaſterium S. Crucis Ord. Ciſterc. a Leopoldo Sancto conſtructum) *Ipſa S. Cæſarea Majeſtas fecerit, hinc videre eſt, quod cum* MORE SOLITO *poſt cœnam accerſitus eſſem, inter alia* SERIO *monuerit, ut quidquid ibi ſpectatu dignum eſſet, diligenter obſervarem, &* IMPRIMIS *quidem* IN BIBLIOTHECA, *non ſolum impreſſis libris, ſed & MSS. Codicibus egregie inſtructa,* ACCVRATE, *quantum per anguſtias temporis liceret, perſcrutarer, an ibi adhuc extaret antiquus ille Codex Mſ. in quo Doctiſſimus Joannes Seifridus Vratislavienſis, Sacri Ciſtercienſis Ordinis in Monaſterio Claræ-Vallis Auſtriæ, vulgo Zwethal dictæ, Abbas olim optime meritus, ſupra centum & quinquaginta hactenus ineditas Imperatoris* RVDOLPHI I. *Epiſtolas reperiſſet.* Et paulo poſt: *Ad inveſtigandas igitur has Imp. Rudolphi I. Epiſtolas, ſponte, ut ajunt, currenti mihi* CALCARIA CAESAR TVNC ADDIDIT, *ideoque præ deſide-*

rio ipſa ſubſequens nox ſolito mihi viſa eſt longior &c. Quis non ſtupeat in LEOPOLDO, itineris etiam tumultu circumdato, tantam in re litteraria & Hiſtorica ſollicitudinem?

Porro ſub TANTI PATRIS oculis in amplisſimorum regnorum ſpem educatus MAJOR Patre futurus CAROLVS, quam aliam de ſuo in Hiſtoriam ſtudio expectationem relinquere poterat, niſi MAXIMAM? Sed viciſti, INVICTISSIME CAESAR, omnem expectationem noſtram. Namque ab ineunte jam ætate in hunc usque diem tanto Imperatoriæ hujus Diſciplinæ amore ac deſiderio Sacratisſimum TVVM pectus exarſit, ut quocunque demum fragore TVVM thronum arma circumtonent; ad Hiſtoriam tamen, maxime patriam, & Antiquitatum ſtudia non minori cum voluptate & contentione convolare conſueveris, uti ſi in hæc unice natus & Orbi conceſſus eſſes. Jam inter initia feliciſſimi Principatus TVI cum doctisſimis hominibus de condenda in Auſtria Sacrarum Antiquitatum & Inſcriptionum Societate ſerio egiſti. Tum eruditisſimos ex omni Europa Viros, quos tractandis Antiquitatibus & Hiſtoriis, atque adeo lateri TVO propius admoveres, adlegiſti. Nuperrime vero, cum ardentisſimo TVO, quo in Hiſtoriam omnem accenſus es, deſiderio nec ampliſſima totoque orbe longe celeberrima Bibliotheca TVA Vindobonenſis TIBI ſatis eſſet, ſplendidisſima, & præſtantis-

tisſimis in omni genere, præcipue Hiſtorico, Libris refertisſima Bibliotheca Hohendoffiana, incredibilibus impenſis comparata, Palatinas TVAS ædes inſtruxiſti. Sed hac immortali laude TVA, IMPERATOR GLORIOSISSIME, jam omnis perſonat Europa. Non æque omnibus hucusque compertus fuit privatus ille, quo impenſisſime caperis, Hiſtoriæ cultus. Paucisſimi noverunt, TE, in ſanctisſimo conclavi TVO Titi Livii Hiſtoriam evolvere ſolere, nec illam elegantibus typis editam, ſed longisſime ante mille annos manu exaratam. Non niſi ad paucos pervenit, TE, eruditorum hominum FAVTOR ac PROMOTOR MAXIME, præcipuum Bernardi Montefalconii, eruditi Ordinis noſtri in Gallia ſodalis, ut magnum illud Antiquitatum Romanarum Opus maturaret, Hortatorem extitiſſe, utpote quem nuntiata familiari ſalute, (quæ ſumma TVA in illum Dignatio fuit) quo loco res ejus eſſent, interrogare CAESAREA TVA MAJESTATE haud indignum exiſtimaſti. Vix quisquam hactenus ſatis intellexit, quot clam horulas Imperialibus curis ſubtrahas, quibus TE, IMPERATOR SAPIENTISSIME, in Bibliothecam TVAM Vindobonenſem abdis: quanto acumine de antiquisſimorum Voluminum ætate, characteribus, formulis, uſu, præſtantia, ἐκδόσει, vel ἀνεκδόσει aliisque rebus ad manuſcriptorum librorum criterium pertinentibus ſententiam feras: quantis præmiis eos cumules, qui controverſa quæpiam Hiſtoriæ capita, Nobili-

um Familiarum origines, avita AVGVSTISSIMAE DOMVS TVAE decora, Beatorumque ac Cœlitum Acta diſcutiunt & illuſtrant: quanta cum benignitate de rebus antiquis, aut inter Viros eruditos controverſis diſſerentes audias, quantaque cum eloquentia & judicio Ipſe de difficillimis & a communi notione remotiſſimis quæſtionibus diſputes. Hæc, inquam, aliaque infinita, quibus ſingularem TVAM erga Hiſtoriam omnemque Antiquitatem propenſionem quotidie amplius declaras, nequaquam vulgo comperta ſunt, ſed iis duntaxat, quos peculiarior quædam Indulgentia ac Benignitas Divini Ingenii TVI ac exquiſitiſſimæ Eruditionis teſtes admittit & admiratores. Mihi tamen, MAXIME PRINCEPS, nihil horum prætermittendum erat, propterea quod hæ ipſæ admirandæ Virtutes TVAE & adeo ſingulare, omnique exemplo majus TVVM in Hiſtoriam ſtudium maxima cauſa ſint, quæ conſilium meum, quo Veteres Rerum Auſtriacarum Scriptores Sacratiſſimo Nomini TVO inſcribere & conſecrare in animum induxi, temeritatis abſolvat: mihique fiduciam & ſpem faciat, fore ut iſti conatus mei non minus clementer a TE, MAECENAS AVGVSTISSIME, quam univerſa alia in hoc genere litteraria monumenta ſuſcipiantur.

Spem gratiæ auget ipſa rerum a Veteribus Auſtriæ Principibus, quæ in hoc Primo Volumine referuntur, geſtarum cum TVIS germanitas

tas quædam & maxima ſimilitudo, adeo ut quæcunque in iis immortalia fuerunt, TVARVM, CAESARVM MAXIME, Virtutum & Facinorum imagines, umbræ ac præludia, imo radii quidam Diviniores, qui olim per ſingulos ſparſi, in TE VNO ceu IMMENSO SOLE poſtmodum colligerentur, fuiſſe videantur. Namque Divina PRVDENTIA TVA, Gravitate ac Majeſtate TIBI congenita, qua univerſum terrarum orbem in TVI CAESAR OPTIME, admirationem abripis, repræſentas nobis LEOPOLDVM I. Auſtriæ Principem, ſine dubio ideo ILLVSTRIS cognomen adeptum, quod teſte Ditmaro Epiſcopo Merſeburgenſi, *ſibi prudentiorem, & in cunctis actis meliorem nullum reliquerit.* Incredibilibus ac maximis Victoriis TVIS, quibus Iberum & Iſtrum, Orientem Occidentemque perdomuiſti, ADALBERTVM, ob Hungaros internecione ſemel atque iterum deletos, cognomento VICTORIOSVM, exhibes. Magnitudine animi & Clementia in ſubditos, quorum miſericordia commotus oblatum a Fortuna Imperium Orientale velut e complexu, conceſſa Ottomannis pace, dimiſiſti, redivivum ſiſtis LEOPOLDVM IV, vulgo PIVM ac SANCTVM adpellatum, quod (verba ſunt Viti Arnpeckhii) *Pater eſſet miſerorum, Orphanorum & Clericorum, pietate præditus ſuper omnes homines.* Illata Temesvariæ & Tauruno JESV CHRISTI Cruce, in TE contuemur LEOPOLDVM VI, propterea VIRTVOSVM & PATREM PATRIAE cognominatum, quod & Cleri ſtudioſiſ-

simus esset, atque sub ejus victricibus signis Christianorum exercitus de Saracenis, juratis Christiani Nominis hostibus insignem triumphum reportasset. Hispanica Monarchia, liquidissimo jure TVA; Italiaque à Turcis servata, FRIDERICVM, qui ab expeditionibus in Palæstinam & Hispaniam contra eosdem Crucis Christi inimicos susceptis CATHOLICVS & ORTHODOXVS jure meritissimo audiit, in jucundissimam nobis memoriam reducis. Irrequieto Europæ Principes pacandi & conciliandi studio, ictoque fœdere Quadruplici, redivivum præstas ALBERTVM II, ab iisdem pacis & amicitiæ consiliis dictum SAPIENTEM. Imperterrito in omnem Fortunæ casum animo, summa rerum bellicarum peritia, incredibili maximos exercitus ductandi scientia in mediis castris & præliis hausta, LEOPOLDVM I. eo nomine Ducem Austriæ, Rudolphi I. Imp. Nepoten, ob easdem artes GLORIAM MILITVM vocitatum, iterum orbi spectandum proponis.

Sed infinitus sim, oportet, si omnes MAJORVM TVORVM Virtutes & Lumina, quæ dudum æternitas consecravit, TVIS componam, demonstremque quam arcana μετεμψυχώσει in Sacratissimum TVVM pectus, alterum immortalitatis suæ Templum immigrarint, orbique nostro conspicua se iterum exhibuerint. Id facile omnes sibi persuasissimum habebunt, luculentius huic Operi commentarium præfigi non posse, quam AVGVSTIS-

STISSIMVM NOMEN TVVM, quod vel conſpexiſſe, omnium Majorum TVORVM Geſta intellexiſſe ac tenuiſſe eſt. Quid ni igitur, PRINCIPVM INDVLGENTISSIME, hoc Lumen, hocque præſenti Operi adeo neceſſarium Scholion, AVGVSTISSIMVM, inquam, NOMEN TVVM, in fronte ſplendere ac comparere benigniſſime patieris?

Accipe igitur, AVGVSTISSIME OPERIS PATRONE, has qualeſcunque ſtudiorum meorum, quæ in illuſtranda Patriæ TVAE Hiſtoria collocare occepi, primitias, & non nullum in AVGVSTISSIMAM DOMVM TVAM grati Mellicenſium animi monumentum. Fuit omni ævo Monaſterium Mellicenſe PIISSIMIS MAJORIBVS TVIS in amore ac deliciis, nec aliud hactenus experti ſumus, quam quod ſibi LEOPOLDVS cognomento GLORIOSVS Dux Auſtriæ in publicis Tabulis, eidem Cœnobio benigniſſime conceſſis, propoſuit: *Fidelium*, inquit, *Progenitorum noſtrorum piam ac laudabilem devotionem proſequentes, Eccleſiam noſtram* MEDLICENSEM *ab Illis laudabiliter fundatam, & ſumptuoſe ſatis inſtructam, manutenere, promovere, amplificare, prout poſſumus, propoſuimus &c.* Idemque in aliis Princeps munificentiſſimus: *Licet*, ait, *Sacrarum Eccleſiarum Dei ſtatum teneamur, & velimus, in quantum poſſumus, utiliter cuſtodire; tamen ad promotionem* SACROSANCTAE MEDLICENSIS ECCLESIAE *tanto amplius & devotius tenemur & volumus intendere, quanto eam nobis inter cæteras devo-*

tius

tius & ſpecialius ex affectione Parentum noſtrorum novimus commendatam &c. Ad hæc Primatus Auſtriæ prærogativa Id extraordinaria indulgentia cohoneſtarunt, haud dubie, quod Montem Mellicenſem primi Auſtriæ PRINCIPES in Regiam delegerint, præcipuoque tunc Marchionatus ſui Palladio, ſacris, inquam, Divi COLOMANNI Scotiæ Regis ac Martyris lipſanis conſecrarint. Prætereo ſplendidiſſima Privilegia, cumulatiſſimos favores, innumerasque alias ſingulares gratias, quibus iidem SERENISSIMI AVSTRIAE PRINCIPES præ cæteris Patriæ Eccleſiis Mellicenſem benigniſſime clementiſſimeque extulerunt condecoraruntque. Vt adeo ipſa rupe, cui inſiſtunt, inſenſibiliores fuerint Mellicenſes, niſi omnes Vires omnesque opes ad augenda quotidie magis quovisve modo ſua in AVGVSTISSIMAM TVAM FAMILIAM merita contulerint. Quæ tamen ſi in hoc Opere meo TVA, MAXIME PRINCEPS, expectatione minora fuerint, id ut ne Tuo Mellicio, cujus pietas ac devotio erga SACRAM CAESAREAM & REGIAM CATHOLICAM MAJESTATEM TVAM infinita eſt; ſed virium mearum imbecillitati ac modulo pro ſumma TVA Clementia attribuas, demiſſiſſime oro atque obſecro. Aſt AVGVSTISSIMAM & demiſſam de Cœlo DOMVM TVAM, IMPERATORVM MAXIME, Deus Opt. Max. in ævum

ſer-

ſervet, faxitque calentisſimis Auſtriaci orbis precibus exoratus, ut MVNDI DELITIVM AVGVSTISSIMA CONJVNX TVA, Domina noſtra Clementisſima, eo brevi hærede TE, nosque beet atque fortunet, qui maximas Virtutes TVAS toto ore referens, TIBIQVE tardisſime ſuccedens, AVSTRIACORVM PRINCIPVM Gloriam in ſeram poſteritatem faciat perennare! Ita ex devotisſimo & demisſisſimo animo precatur

SACRAE TVAE IMPERIALIS ET REGIAE CATHOLICAE MAJESTATIS

INFIMVS

P. HIERONYMVS PEZ

BENEDICTINVS MELLICENSIS.

NOs *Bertholdus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas Exempti Monaſterii Mellicenſis, Ord. S. Benedicti, Patavienſis Diœceſis, dilecto Nobis in Chriſto Patri* Hieronymo Pez, *ejusdem noſtri Monaſterii Presbytero Profeſſo, Opus, cui titulus:* Veteres Rerum Auſtriacarum Scriptores. Tomus I. *a duobus Theologis reviſum, nec quidquam contra Fidem, aut bonos mores, continere repertum, libenter poteſtatem facimus, prælo & typis commendandi. In quorum fidem hæc noſtro Abbatiali Sigillo, & manu propria ſignavimus. Datum in Exempto noſtro Monaſterio Mellicenſi d. 12. Apr. Anno Domini MDCCXIX.*

BERTHOLDVS ABBAS
MELLICENSIS.

L. S.

INDEX

INDEX EORVM,
QVÆ IN TOMO I.
SCRIPTORVM RERVM AVSTRIACARVM CONTINENTVR.

I.

DISSERTATIONES SEX, in quibus de Variis, & ad penitius cognoscendam HISTORIAM AVSTRIACAM necessariis Capitibus disputatur.

II.

Auctoris incerti breve Chronicon LAVREACENSIVM ac PATAVIENSIVM Archiepiscoporum & Episcoporum. *A Columna 5. ad 8.*

III.

Anonymi Poëtæ Vetustissimi VERSVS de Ordine Comprovincialium Pontificum, ubi & de primis Episcopis PATAVIENSIBVS. *A Col. 9. ad 10.*

IV.

Indiculus pervetustus eorundem Antistitum PATAVIENSIVM, a WIVILONE usque ad CONRADVM S. LEOPOLDI Marchionis Austriæ filium. *Col. 11.*

V.

Alius Indiculus perantiquus eorundem Episcoporum, a WIVILONE usque ad BERNARDVM. *A Col. 12. ad 14.*

VI.

BERNARDI NORICI Cœnobitæ Cremisananensis seu Crembsmunstrensis Chronicon de LAVREACENSIBVS & PATAVIENSIBVS Pontificibus. *A Col. 1297. ad 1310.*

VII.

Catalogus recentior sæpedictorum LAVREACENSIVM & PATAVIENSIVM Antistitum, a WIVILONE usque ad ERNESTVM. *A Col. 15. ad 20.*

VIII.

Auctoris anonymi Vita S. MAXIMILIANI Archiepiscopi LAVREACENSIS & Martyris. *A Col. 22. ad 34.*

IX.

Anonymi vetustissimi Vita S. FLORIANI Martyris & Principis Officii. *A Col. 36. ad 37.*

X.

Alia eiusdem S. FLORIANI Vita, a quodam incerti nominis Canonico Regulari (ut videtur) Sanct-Florianensi conscripta. *A Col. 39. ad 50.*

Accesserunt Veteres duo Hymni cum totidem Collectis seu Orationibus de eodem Sancto. *A Col. 51. ad 53.*

XI.

Alia Vita eiusdem S. FLORIANI, metrice composita ab Auctore anonymo, sed perantiquo. *A Col. 53. ad 61.*

Accesit Rhytmus pervetustus de Eodem. *A Col. 61. ad 62.*

XII.

Vita S. SEVERINI Noricorum Apoſtoli, Auctore EVGIPIO eiusdem Sancti Diſcipulo. *A Col. 64. ad 93.*

XIII.

Vita S. COLOMANNI Martyris & Tutelaris Auſtriæ Patroni, ab ERCHENFRIDO (ut traditur) tertio Abbate MELLICENSI ſcripta. *A Col. 97. ad 104.*

Acceſſere Veteres Hymni, Sequentiæ & Collectæ de eodem S. COLOMANNO. *A Col. 104. 106.*

XIV.

Martyrium eiusdem S. COLOMANNI Sapphico Carmine a JOHANNE STABIO editum, & ab alio (ut videtur) innominato Auctore continuatum. *A Col. 106. ad 109.*

XV.

BERNARDI DAPIFERI Monachi MELLICENSIS Vita B. GOTHALMI Peregrini. *A Col. 110. ad 112.*

XVI.

Acta Beati ALTMANNI Epiſcopi PATAVIENSIS, Auctore anonymo Cœnobita GOTTWICENSI. *A Col. 115. ad 135.*

XVII.

Alia Acta eiusdem B. ALTMANNI, Auctore RVBERTO Abbate GOTTWICENSI. *A Col. 138. ad 163.*

XVIII.

Antiquum Chronicon Monaſterii MELLICENSIS, a Chriſto nato adusque annum eiusdem MDLXIV. *A Col. 166. ad 288.*

XIX.

CONRADI de WIZENBERG id nominis I. Abbatis MELLICENSIS Breve Chronicon Stemma resque geſtas Veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum, STIRPIS BABENBERGENSIS, a LEOPOLDO I. cognomento ILLVSTRI usque ad LEOPOLDVM VI. dictum VIRTVOSVM complectens. *A Col. 290. ad 294.*

XX.

Anonymi MELLICENSIS Hiſtoria Fundationis Cœnobii MELLICENSIS. *A Col. 297. ad 301.*

XXI.

Vetus Necrologium eiusdem Monaſterii MELLICENSIS. *A Col. 304. ad 312.*

XXII.

Inſcriptio veteris lapidis ſepulchralis, quo antiquorum Auſtriæ Marchionum & Marchioniſſarum oſſa, in Monaſterio MELLICENSI condita quondam tegebantur, additis utrorumque Epitaphiis. *A Col. 313. ad 314.*

XXIII.

Antiquum Chronicon SALISBVRGENSE (longe diverſum ab eo, quod V. Cl. HEINRICVS CANISIVS Tomo VI. Lect. Antiq. typis evulgavit) a primo anno æræ Chriſtianæ usque ad annum MCCCXCVIII. *A Col. 317. ad 434.*

XXIV.

XXIV.

Chronicon CLAVSTRO-NEOBVRGENSE, ab anno Christi CCXVIII. ad MCCCXLVIII. *A Col. 436. ad 492.*

XXV.

Excerpta ex perantiquo Necrologio CLAVSTRO-NEOBVRGENSI *A Col. 492. ad 494.*

XXVI.

Vita Beati HARTMANNI, ex I. Præposito CLAVSTRO-NEOBVRGENSI, Ord. Can. Reg. S. AVGVSTINI, Episcopi BRIXINENSIS, Auctore anonymo Canonico Regulari CLAVSTRO-NEOBVRGENSI. *A Col. 497. ad 518.*

XXVII.

Chronicon ZWETLENSE Vetustius; ab anno Christi MLXXV. ad MCXXIX. *A Col. 520. ad 523.*

Accessit Fragmentum Historicum Anonymi ZWETLENSIS de Fundatoribus Monasterii ZWETLENSIS, Ord. Cisterc. *A Col. 524. ad 525.*

XXVIII.

Chronicon ZWETLENSE Recentius, ab ortu Christi usque ad annum eiusdem MCCCXLIX. *A Col. 527. ad 542.*

Accesserunt Additamenta ad prædictum Chronicon ZWETLENSE Recentius, ab anno MCCCXLIX. ad MCCCCLVII. *A Col. 542. ad 546.*

XXIX.

Auctoris incerti Chronicon AVSTRIACVM, ab anno primo æræ Christianæ ad MCLXXXIX. *A Col. 548. ad 567.*

XXX.

Narratio Historica de Electione LOTHARII Ducis Saxoniæ in Imperatorem Romanorum, Moguntiæ anno Christi MCXXV. habita (ubi de S. LEOPOLDO Austriæ Marchione delatam sibi Imperii dignitatem recusante) Auctore anonymo æquali. *A Col. 570. ad 573.*

XXXI.

Narratio Genealogica Posterorum S. LEOPOLDI, Auctore anonymo Cœnobita (ut paret) Monasterii Sanctæ Crucis, Ord. Cisterc. in Austria Inferiore. *A Col. 574. ad 576.*

XXXII.

FRANCISCI PATAVI Oratio de S. LEOPOLDO Austriæ Marchione. *A Col. 577. ad 592.*

XXXIII.

Summarium Canonizationis S. LEOPOLDI, Auctore JOHANNE FRANCISCO de PAVINIS de Padua. *A Col. 593. ad 672.*

XXXIV.

Bulla Canonizationis S. LEOPOLDI. *A Col. 673. ad 678.*

Accesserunt antiquæ Collectæ seu Orationes, Sequentia & Hymnus de eodem Sancto.

XXXV.

Auctoris incerti Breve Chronicon AVSTRIACVM, res a Veteribus Austriæ Marchionibus & Ducibus, STIRPIS BABENBERGENSIS, gestas usque ad RVDOLFVM I. Imperatorem complectens. *A Col. 684. ad 687.*

BERNARDI NORICI Ascetæ CREMIFANENSIS Chronicon Austriacum, ab eiusdem gentis origine usque ad annum Christi MCCCVIII. perductum. *A Col. 690. ad 696.*

XXXVI.

Necrologium Monasterii B. MARIÆ Virginis, vulgo ad SCOTOS, Viennæ Austriæ. *A Col. 699. ad 704.*

XXXVII.

RVPALTRAMI seu VATZONIS Consulis VIENNENSIS Chronicon Austriacum a primo nati Servatoris anno usque ad MCCCI, inde a NICOLAO VISCHEL Cœnobita San-Crucensi usque ad MCCCX. continuatum; denique ab Anonymo quodam ad annum MCCCCLV. productum. *A Col. 707. ad 738.*

XXXVIII.

Historia Inventionis SS. RELIQVIARVM duorum anonymorum Sanctorum apud Sanctum Hippolytum, Austriæ Inferioris urbem, vulgo Sanct-Pölten. *A Col. 744. ad 750.*

XXXIX.

Anonymi LEOBIENSIS Chronicon libris sex comprehensum, a Christo nato usque ad annum MCCCXLIII. *A Col. 756. ad 966.*

Accesit brevis Continuatio ab anno MCCCXLV. ad MCCCXLVII. *A Col. 967. ad 972.*

XL.

Anonymi Cœnobitæ ZWETLENSIS Chronicon Austriæ, ab anno Christi DCCCCXXVIII. ad MCCCLXXXVI. *A Col. 974. ad 1001.*

XLI.

Anonymi Scriptoris Narratio de Prælio EMPHINGENSI inter FRIDERICVM PVLCHRVM, & LVDOVICVM BAVARVM Rom Impp. anno Christi MCCCXXII habito. *A Col. 1002. ad 1003.*

XLII.

Tabulæ CLAVSTRO-NEOBVRGENSES de primis Austriæ Marchionibus & Ducibus, STIRPIS BABENBERGENSIS, eorumque Coniugibus & liberis, Auctore LADISLAO SVNTHAIMIO, operam quoque conferente JACOBO Præposito CLAVSTRO-NEOBVRGENSI. *A Col. 1005. ad 1044.*

XLIII.

MATTHÆI cujusdam, vel GREGORII HAGENI Germanicum Austriæ Chronicon, a condito Mundo usque ad annum Christi MCCCXCVIII. *A Col. 1052. ad 1158.*

XLIV.

Appendix ad Chronicon proxime præcedens, ab anno Christi 1365. ad 1493. *A Col. 1160. ad 1166.*

XLV.

VITI ARENPECKII Presbyteri Sæcularis Chronicon Austriacum, a primordiis Gentis AVSTRIACÆ usque ad tempora FRIDERICI Imperatoris vulgo TERTII. *A Col. 1174. ad 1295.*

IN

IN TOMVM I.
SCRIPTORVM RERVM AVSTRIACARVM
DISSERTATIONES PROOEMIALES
SEX,

In quibus de variis, & ad penitius cognoſcendam Hiſtoriam Auſtriacam neceſſariis capitibus diſputatur.

I. Inſtitutum & rationem præſentis operis exponit.

II. De varia pro ratione temporum Auſtriæ nomenclatura diſſerit.

III. Antiquos Auſtriæ populos & incolas indagat.

IV. De iis agit, qui Religionem Chriſtianam primum in has oras importarunt aut propagarunt.

V. Inquirit, quo æræ Chriſtianæ anno Leopoldus I. cognomento *Illuſtris*, veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum ſtirpis Babenbergenſis Auctor, Auſtriæ principatum adierit, & a quo eum Imperatore conſecutus fuerit.

VI. Demonſtrat, flagitia a Leopoldo *Pulchro* & Alberto *Levi*, fratribus Auſtriæ Marchionibus, ut quidam temere tradiderunt, admiſſa, meriſſimam & ſtolidiſſimam ſequiorum temporum fabellam eſſe.

DISSERTATIO I.

IN QVA OCCASIO, CONSILIA, RATIO, INSTITVTVM, ADMINICVLA, ORDO &c. PRÆSENTIS OPERIS EXPONVNTVR.

§. I.

VEre iam pridem HISTORIÆ GERMANICÆ ſtudioſiſſimi quique, qui vetuſtis, incorruptis, & originariis diverſorum Germaniæ populorum Hiſtoricis & generalibus Chronicis ex intimis Bibliothecarum & tabulariorum receſſibus non ſine maximo labore ſumtuque erutis, ac in communes eruditorum hominum uſus publica lũce donatis, VETERES quoque RERVM AVSTRIACARVM SCRIPTORES, qui variis in locis deliteſcentes, inter pulveres cum tineis & blattis colluctarentur, in unum veluti corpus redigi, publicique iuris fieri flagrantiſſime cuperent. Nec ea vota & deſideria graviſſimis rationibus deſtituebantur. Cum enim ſatis conſtaret, RES AVSTRIACAS cum reliquæ univerſæ GERMANIÆ rationibus & fatis iam a pluribus ſeculis adeo arcte colligatas iisdemque implicitas eſſe, ut perfecta harum cognitio ſine ampliori illarum notitia ſperari nequiret: exiſtimabant viri illi eruditi, ſexcentis in HISTORIA GERMANICA difficultatibus & incommodis melius & commodius occurri non poſſe, quam ſi a quopiam rerum non ignaro fidoque ac integro homine peculiaris quædam VETERVM SCRIPTORVM RERVM AVSTRIACARVM COLLECTIO inſtitueretur. Ad hæc, cum plerique ſingulares & Germaniæ, & aliorum Regnorum populi antiquos & genuinos Rerum ſuarum Scriptores cũm maximo fructu ac voluptate iam dudum legerent, nemo non indigniſſime ferebat, hac luce ac ornamento adhuc deſtitui unam AVSTRIACORVM GENTEM, reliquis omnibus illuſtriorem, quippe qua non alia plures Auguſtos Imperatores, a multo iam ævo ſibi non interrupto ordine ſuccedentes, aliosque rerum geſtarum gloria & magnitudine famigeratiſſimos Principes protulit, quæque ſummum IMPERII apicem arcemque maximo cum totius Chriſtiani Orbis emolumento ac ſplendore etiamnum obtinet & contuetur.

§. II.

Circumferebatur quidem hactenus qualecunque vetus Hiſtoriæ Auſtriacæ monumentum, *Chronica* ſcilicet *Auſtralis*, quam vulgo vocant, ex diverſis noſtræ Gentis Annalibus a Matthæo Pappenheimio conſarcinata, quam a Marquardo Frehero Tom. I. Scriptorum Rerum Germanicarum primum in lucem editam, in nuperrime repetita eiusdem Operis editione V. Cl. Burchardus Gotthelfius Struvius ex Codice Neoſtadienſi auctiorem quidem, at non admodum emendatiorem reddidit. Vt ne quid dicam de aliis minoris momenti fugitivis opuſculis, quæ vel ob ſui raritatem ad pauciſſimorum hominum notitiam pervenerunt, vel ob editionem haud ſatis diligenter curatam a ple-

plerisque non magnopere expetebantur. Itaque cum viri docti vel ex Æneæ Sylvii, Iohannis Cuſpiniani, Wolfgangi Lazii, Gerardi de Roo, Iacobi Fuggeri aliorumque recentiorum de Rebus Auſtriacis Scriptorum Commentariis ſibi perſuaſiſſimum haberent, non pauca vetera Hiſtoriam Auſtriacam illuſtrantia monumenta, quibus nimirum recentiores ii Scriptores uſi eſſent, in Auſtriæ vicinarumque regionum bibliothecis & Archivis adhuc delitescere: tantum abfuit, ut *Chronica* illa *Auſtralis* eorum ſitim extingueret, ut eam etiam quam vehementiſſime accenderet. Non negabant illi quidem, mox laudatos novos de rebus Auſtriacis Commentarios, tanto labore undique comportatos, cum fructu evolvi & conſuli; ſed malebant tamen omnes vetera illa, primigenia & illibata monumenta habere, ex quibus ceu fontibus incorruptis rerum geſtarum veritas longe dulcius & ſecurius hauritur, quam ex rivulis illis, qui ſine cœno & limo raro fluere conſueverunt. Igitur ampla & Auſtriaci Nominis maieſtate digna VETERVM SCRIPTORVM RERVM AVSTRIACARVM COLLECTIO ab omnibus veritatis magis quam elegantiæ cupidis deſiderabatur efflagitabaturque.

§. III.

Quod tamen mirum maximum merito ſit, nemo unus in Auſtria, utut viros eruditos & patriæ hiſtoriæ gnaros ſemper aluerit, hactenus repertus eſt, qui adeo iuſtis tum domeſticorum tum exterorum deſideriis ac votis ſatisfaceret; ſive quod infinitos labores, ſine quibus huiusmodi Syntagmata non conflantur, plerique defugerent; ſive quod neceſſariam veterum Auſtriacorum monumentorum ſupellectilem, ſaltem tantam, quæ tertium volumen iuſtum expleret, ab eorum poſſeſſoribus extorquere conſequique ſe poſſe deſperarent; ſive denique, quod magnitudine ſumptuum ad Operis editionem neceſſariorum deterriti ſatius eſſe iudicarint, omnia melioribus temporibus, felicioribusque olim poſteris integra reſervare. Fecerat quidem ſeculo ſuperiore tam utilis tamque neceſſarii Operis ſpem ingentem V. Cl. Petrus Lambecius: neque dubium eſt, quin vir in omni Litterarum genere verſatiſſimus eam egregie ſuſtinuiſſet, Auguſtiſſima Vindobonenſi Bibliotheca, cui maxima cum laude, ſummaque cum doctorum hominum congratulatione complures annos præfuit, præclariſſima copioſaque in eam rem adminicula conferente. At quæ plures ipſius maximopere commendandos conatus & deſtinata intercepit, intempeſtiva mors etiam pulcherrima iſthæc conſilia diſturbavit, Reipublicæ Litterariæ detrimento ſane quam magno. Lambecii poſtea fidem liberare conatus eſt V. Cl. Daniel Neſſelius, qui & ipſe Inclytæ illius Bibliothecæ præfecturam præclare geſſit, beneque de univerſa re litteraria meruit pro virili adlaboravit. Iamque illuſtrium eruditorumque hominum crebris epiſtolis & cohortationibus impulſus rem in eum locum adduxerat, ut ſi Mæcenatum munificentia (quod ex eius Præfatione ad Sciagraphiam Magni Corporis Hiſtorici necdum editi diſcere licet) acceſſiſſet, iam non ea ſolum, quæ Lambecius de ſe promiſerat, ſed multo plura potioraque Antiquitatis monumenta in Hiſtoriæ ſtudioſorum hominum manibus verſarentur. Sed cum ea virum diligentiſſimum, neſcio, quo fato defeciſſet, Collectio Scriptorum veterum Rerum Auſtriacarum ultra promiſſa nunquam progreſſa fuit.

§. IV.

§. IV.

Hæc cum R. P. Bernardus Pezius, germanus meus, Vir qua de Sacro Ordine noſtro Benedictino, qua de patriis Antiquitatibus, qua de omni denique Republica Litteraria optime ſemper merendi cupientisſimus, non ſemel in animo ſecum reputaret, hortari me inſtitit, ut, quoniam ipſe in apparanda Bibliotheca Benedictina, adornandoque Anecdotorum Theſauro Noviſſimo totus eſſe cogeretur, ego tantæ molis Opus in me ſuſciperem, daremque operam, ut adeo æſtuantibus tot eruditorum virorum votis tandem aliquando, & modo, quocunque poſſem, gratificarer. Quoniam vero multis de cauſis, quas ipſi in familiari ſermone ſæpius expoſueram, a delatæ provinciæ onere vehementius abhorrere me ſentiebat, nihil relinquebat intentatum, quo me tandem, nequicquam reluctantem, in ſuam voluntatem ſententiamque penitus traduceret. Contendebat enim, AVSTRIÆ, quæ me genuiſſet, eam pietatem debere me, debere & AVGVSTIS NOSTRIS PRINCIPIBVS, quorum tam cumulata in Mellicenſes Cœnobitas beneficia, & de univerſo Benedictino Ordine merita extent, ut ſi ex iis quisquam in EORVNDEM gloria, dignitate ac ſplendore pro viribus amplificando nervos ſuos non omnes contendat, digniſſimus ſit, qui ad hominum gregem ab omni pietatis, obſervantiæ, gratique animi ſenſu remotisſimum deportetur. Non ſe quidem diffiteri, tantum mihi vacui temporis ac liberi otii haud tribui, quantum tanti Operis accurata tractatio poſtulet, veriſſimumque illud M. Tullii Lib. I. de Leg. effatum, quo me maxime tutabar, eſſe, *Hiſtoriam nec inſtitui poſſe niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolvi.* Neque mirum fore, ſi cum eodem *animi pendere ſolerem, cum ſemel quid orſus traducerer alio, neque tam facile interrupta contexerem, quam abſolverem inſtituta.* Sed incurrere tamen, aiebat, ſubſecivas & veluti furtivas horulas, quas nec ipſas ſine inſigni aliquo de Patria, Republica & Eccleſia merito dimittere decorum ſit. Quod ſi etiam de illis intervallis, quæ curatis gravibus ac multiplicibus ex uſu loci vitæque muniis, remittendo non nihil animo recte a moderatoribus indulgentur, non nihil detraherem; ſpondebat fore, ut tantum mihi otii ſuppeteret, quantum ad hoc ſtudium cum laude & commodo colendum ſatis eſſet. Monebat præterea, haud æquum eſſe, ut paucitate veterum Auſtriacorum monumentorum, quæ domi noſtræ ſervaremus, a conatu operis abſterreri me paterer. Futurum enim haud dubie, ut ex multis utriusque Auſtriæ ac Bavariæ Bibliothecis, quas me comite perluſtrare inſtituerat, ad ea longe maximæ acceſſiones fierent. Exemplum meum reliquis quoque pluribus in Germania Sodalibus profuturum, effecturumque, ut & ipſi ſua vetera genuina & originaria monumenta, quæ vetuſtis codicibus tabulisque concluſa hactenus recondidiſſent, diligenter fideliterque typis exſcripta in lucem vendicent, quo ad conciliandam Vniverſæ Germanicæ Hiſtoriæ lucem nihil opportunius fuerit. Poſtremo benigniſſimum Numen, cuius honori & gloriæ labor hic omnis præcipue conſecrandus eſſet, ampliorem animum, vires, cæteraque neceſſaria tam operoſo molimini ſubſidia provide ac amanter ſuppeditaturum.

§. V.

His aliisque rationum veluti machinis, quas ad expugnandam longiorem tergiverſationem meam crebro gnaviterque adhibuerat frater, victus tandem

dem cessi, volvendoque saxo humeros supposui, qui tenuium virium conscius forsitan id etiam pertinacius declinare, spartamque hanc omnem deprecari debuissem. Et certe vel morosius fidem dedisse fratri, atroci pœna non vacavit. Namque cum primum ad hoc litteraturæ genus, ad quod ingenium elegantioribus litteris innutritum non admodum factum erat, adgrederer, in tanta tœdia & difficultates incidi, ut veteres Codices flagitiosissime nonnunquam scripti durissimum pistrinum, & metalla quædam, ad quæ me damnatum lugebam, esse viderentur. Et abiecissem dudum omnia, nisi tum auctoritas tum exemplum fratris me in arena continuisset. Postquam vero usus amplior exercitatioque accessissent, deprehendissemque sterile hoc in speciem solum dulcissimos gratissimosque suis cultoribus fructus proferre; adeo suavia omnia iucundaque mihi reddebantur, ut vel labore ipso, utut arduo, impensissime delectarer, nihilque molestius ferrem quam ferias, quas communium rerum curæ frequenter indicebant. Tandem (quod singulare Dei, susceptis pro se Reque Publica laboribus nunquam non præsentis, beneficium fuit) decursis in hoc stadio ductu fratris aliquot annis, eas progressiones feci, ut Primum SCRIPTORVM RERVM AVSTRIACARVM volumen, ad calcem perductum, in lucem publicam efferre, tibique, erudite Lector, repræsentare iam liceat. In quo ut quid a me præstitum, quis ordo servatus, quæ monumentorum ratio, quæ denique universi Operis facies sit, omnibus perspicuum fiat, de iis singulis paulo diffusius in hoc veluti limine disserere visum fuit.

§. VI.

Primum omnium id operam dedi, ut veteres omnes & antehac inditos, quotquot nancisci possem, Auctores, qui de REBVS AVSTRIACIS adsitarumque proxime regionum ex instituto agunt, undecunque compararem. Quod si etiam aliquos, qui typis evulgati iam pridem fuerunt, in Collectionem cooptavi, id non factum, nisi posteaquam eos ad fidem scriptorum codicum, quando haberi quidem potuerunt, sedulo scrupuloseque exegissem. Atque hoc demum pacto sperare fas erat, AVSTRIACOS NOSTROS non minus ac cæteras plerasque Europæ gentes, HISTORIAM SVAM, sinceris, coævis, ac originariis contextam monumentis habituros. Quo etiam fine fere omnes utriusque Austriæ, uti & plurimas Bavariæ Bibliothecas improbo sane labore lustravimus, excussimus & perreptavimus, nullo penitus prætermisso loco aut libro, unde quidquam in rem nostram, licet non semper maximi momenti esset, obtinendi spes erat. Nec animus a perscrutandis Sueviæ Helvetiæque bibliothecis abhorruisset, nisi valetudinem qualemcunque ac vires corporis priorum recensio nimio opere exhausisset. Porro ex illis tantam veterum Austriacorum monumentorum vim, Deo labores nostros bene fortunante, congregavimus, ut confidenter edicere liceat, nullam totius Europæ singularem gentem extare, quæ tam ampla Veterum suorum Scriptorum Collectione illustrari iam possit quam AVSTRIACA, præsertim si, quod maxima AVGVSTISSIMI NOSTRI PRINCIPIS CLEMENTIA ET IN HÆC PRÆCLARA STVDIA ANIMUS LONGE PROPENSISSIMVS sperare iubent, liber Vindobonensium Cæsareorum Codicum usus nobis indulgeatur.

§. VII.

Cum vero RES veterum Laureacenſium & Patavienſium ſeu Paſſavienſium Archiepiſcoporum ac Epiſcoporum, quorum Diœceſi vetus quoque NORICVM RIPENSE, id eſt, hodierna Superior, magnamque partem Inferior Auſtria continebatur, atque etiam nunc continetur, cum noſtris haud parum permiſtæ atque connexæ ſint: viſum eſt eorundem Pontificum *Brevia Chronica* & *Catalogos*, ex variis bibliothecis depromptos, Scriptoribus noſtris Auſtriacis præmittere, primum, ut hinc vetuſtiſſimarum harum Eccleſiarum, unde Lux Evangelii Sacraque Chriſtiana primum in has oras importata fuere, principia magis nota perſpectaque deinceps haberemus. Deinde ut Hiſtoria omnis Laureacenſis ac Patavienſis, alias perobſcura, impedita, ſpiſſisque tenebris obvoluta, admotis hiſce quibuscunque faculis in ampliori luce fideque collocaretur. Poſtremo ut geſta veterum e Gente noſtra Marchionum, Ducum & Imperatorum, quibus cum iſtarum Sedium Antiſtitibus gravia nonnunquam negotia rationesque interceſſerunt, planiora nemini non redderentur. Pauca ſunt quidem (ingenue fateor) hæc monumenta, neque ad illuſtrandam pro merito ac dignitate tam nobilium Eccleſiarum hiſtoriam ſatis idonea: neque tamen propterea ſpernenda, cum ſinceriora & antiquiora vix aliunde ſperare liceat. Cæterum plura & ampliora de his dare res non adeo magni negotii erat, ſi Hundii Catalogum Epiſcoporum Patavienſium & Caſparis Bruſchii *Pataviam* ſub incudem revocare animus fuiſſet. Verum edita opera negleximus, partim ne voluminis molem quibusvis plagiis augere voluiſſe videremur, partim ne lucubrationes aliunde iam proſtantes, nec ad fontes ipſos & ad avtographa probe caſtigatas, ſine neceſſitate Lectoribus obtruderemus. Conſilium enim noſtrum fuit, non quam plurima, ſed quam optima, nec paſſim obvia, maximamque partem adhuc anecdota hic repræſentare.

§. VIII.

His porro variæ *Sanctorum Beatorumque Virorum Vitæ & Acta* ſuccedunt, qui ſeculis Chriſti III. IV. V. XI. ac XII. pietatis ac doctrinæ radiis regionem noſtram illuſtrarunt: quarum tametſi pleræque a diverſis Auctoribus publicatæ antehac iam fuerunt; a me tamen primum editæ eo nomine videri poſſunt, quod ad vetera manu deſcripta exemplaria ſtudioſe collatæ, multisque nunc partibus auctæ compareant. Cæterum iſtorum Cœlitum Acta, genuina quidem & ſincera, a reliquorum Auſtriacorum Scriptorum conſortio excludi non poterant, niſi Collectionem noſtram admodum imperfectam, multisque perneceſſariis monumentis multatam edere voluiſſemus. Hæc enim ſi ab ea ſuſtuleris, nulla fere, vel certe paucisſima ſupererunt, ex quibus tum Eccleſiaſticarum, tum Politicarum rerum, quæ a tertio Chriſti ſeculo usque ad undecimum ſcitu dignæ in his oris evenere, cognitionem aliquam hauriamus. Deinde proderunt hæc ipſa eruditiſſimis Bollandi Continuatoribus, qui res a Sanctis Dei hominibus præclare geſtas, ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus conquiſitas in lucem emittunt, & doctiſſimis Commentariis & Annotationibus illuſtrant: quorum etiam ſtudio ac eruditione difficiliores quasdam ambages, locosque ſalebroſos, qui in his Vitis perſæpe occurrunt, & a nobis nimiopere occupatis explanari

non

non potuere, olim explicatum & complanatum iri confidimus. Id unum hic eruditos viros moneo, me harum vitarum historias non in capita, sed in sectiones duntaxat, adscriptis numeris distribuisse; nisi forte, ubi id ab ipso veteri auctore factum deprehendi. Nimirum id perpetuo agere studui, ut veterum monumentorum editio ad fidem antiquorum codicum quam proxime accederet.

§. IX.

Tum sequuntur vetustissima quæque, neque hactenus elata in lucem Austriæ *Chronica, Narrationes tum Historicæ tum Genealogicæ, Necrologia, Fragmenta Historica*, aliaque id genus præclara nostrarum antiquitatum monumenta, quæ non solum ad illustrandam AVSTRIACAM, sed etiam Hungaricam, Bohemicam, Bavaricam, Stiriacam, Carinthiacam, Salisburgensem & Svevicam Historiam plurimum conducunt. Ex his tamen quædam veluti capite minuta consulto protulimus, iis scilicet resectis & detractis, quæ ex aliis prioribus Chronographis, quos hic integros extulimus, ad verbum nonnunquam exscripta, satis cuique nota & perspecta esse possunt. Neque enim eadem crambe & cantilena, quod apud veteres eiusmodi Scriptores fieri assolet, obtundendi Lectores videbantur. Id vero, in quibus monumentis factum sit, tituli, prævіæque Observationes, quas in singulorum opusculorum fronte collocavimus, indicabunt. Ad hæc Annalium aliarumque historicarum lucubrationum Auctores eo ordine, quo quisque alterum ætate præcessit consecutusve fuit, disposui, nisi cum rerum ad idem argumentum spectantium affinitas aliud fieri postulavit, vel vetustiorum Scriptorum libelli serius, quam optassem, ad manus pervenerunt. *Diplomata, Privilegiorum, donationum &c. chartæ*, quæ Marchionum, Ducum, Archiducum & Imperatorum, e familiis Austriacis oriundorum, exterorum quoque Principum virorum, Episcoporum & Optimatum interventu in nostrarum Ecclesiarum gratiam & commodum diversis temporibus condita fuerunt, in tribus prioribus nostris voluminibus perpauca occurrent, propterea quod omnia huius generis monumenta, quorum vim ingentem ex diversis tabulariis & bibliothecis collectam penes nos adservamus, singulari volumine sub AVSTRIÆ DIPLOMATICÆ titulo, si vita, otium & vires suppetent, cum erudito Orbe communicare decrevimus: non prætermissis quam plurimis Epistolis, quæ a nostris itidem Principibus, vel ad eosdem ab aliis, ab Episcopis quoque ac Cœnobiorum Præsulibus ad diversos exaratæ fuerunt.

§. X.

Et quia eruditorum virorum permagni semper interfuit, nosse, quis unumquodque vetus monumentum condiderit; hinc singulis in nostram Collectionem illatis Scriptoribus singulæ præfixæ sunt OBSERVATIONES PRÆVIÆ, in quibus, quod Scriptori nomen, quæ ætas fuerit, quidque præterea dignum memoria gesserit, disputatur. Quorum si nec ex eius scriptis nec aliunde quidquam certi extundi potuit, inscientiam nostram ingenue potius confiteri, quam argutiis & ineptis conjecturis largius indulgere placuit. Plura quin etiam & ab hic editis distincta si quempiam nostrorum Scriptorum posteris reliquisse certo rescire potuimus, ea diligentius recensere haud-

quaquam piguit, idque in eorum gratiam & usum, qui locupletandæ ac illustrandæ Historiæ Litterariæ operam impendunt. Sicubi vero eorum quispiam in enarrandis eventis temporum gravius hallucinatus fuit, aut etiam insulsis commentis, & anilibus fabellis, quæ veterum Scriptorum pervulgatæ maculæ sunt, rem contaminavit ac fædius perturbavit, nec id in loco dissimulamus; sed Lectorem in ipso ad eiusmodi narrationem aditu validis, ut equidem existimamus, rationibus munitum, quid vero similius sit, edocere conamur. Ætatem porro ac materiam formamque veterum codicum, ex quibus quæque deprompsimus, ubique accurate exponimus, perquam probabilibus coniecturis, ubi certa nobis argumenta non suppetebant, subnixi. Si quas alicuius momenti variantes lectiones plures manuscripti codices suggesserunt, eas omnino negligere nefas duximus, maxime in iis monumentis, quæ tamen pauca sunt, quæ dudum typis exscripta iam fuerant. Itaque ad horum omnium inferiores oras paginarum dictas varias lectiones adscripsimus, exceptis duobus duntaxat monumentis, *Necrologio* scilicet *Scotensi* & *Tabulis Claustroneoburgensibus*, quorum manu exarata exempla nulla consequi potuimus.

§. XI.

Cum vero Auctorum a nobis in lucem datorum fidem & auctoritatem in iis, quæ scripta nobis reliquerunt, commendamus; id cave sis ita accipias, quasi omnium, quæ narrant, veritatem præstare vellemus. Sunt enim in his præter aperta commenta etiam alia nonnulla (sat scimus) quæ unguem criticum ægre sustineant. Meminerint Lectores nostri, nullum non illorum hominem fuisse, atque adeo aliquando fallere potuisse ac falli. Sed si ob pauca quædam errata, quæ in veterum libris reperiuntur, etiam reliqua omnia fide carere dixerimus; adducemus in maximum discrimen omnia priscorum Historicorum Opera, cum demptis unis Divinorum Sacrorumque Annalium Scriptoribus, cæterorum sit nullus, in quo pluscula non sint, quæ corrigenda videantur. Igitur æquum prudentemque Lectorem veterum Scripta, quæ in nostro Syntagmate publici iuris facimus, deposcunt. Ne, ut in quem a vero aberrantem locum incidisti, mox omnia rejicias: nec si quid, quod cum tua opinione apte cohæreat, repereris, in eo sic animum obfirmes, ut alii cuicunque auctoritati, contrariam sententiam persuadenti, cedere nolis. Conferenda sunt monumenta monumentis, observanda temporum ratio, consulenda veteris ævi disciplina & gentium consuetudines, tandemque ferenda de controversa re sententia, quæ cum regulis sanæ ac sobriæ Critices recte conveniat. Id ni feceris, exiguo fructui & usui tibi nostri labores erunt, quibus utique non de desultoriis & tumultuariis Lectoribus, sed de viris eruditis, prudentibus, & in hoc studiorum genere probe versatis bene mereri studuimus.

§. XI.

Verum utcunque sit, nos in veterum Scriptorum verbis & sententiis quantumcunque vitiose scriptis nihil omnino mutavimus, rati, id unum nostrarum partium esse, ut omnia, prout in vetustis membranis chartisve habebantur, candide religioseque Lectoribus exhiberentur. Hinc si in ipso contextu quædam occurrerunt vel ipsorum Auctorum vel certe librariorum incuria vitiata,

vitiata, ea, ut erant, retinuimus, monito tamen in margine lectore, qua quæque depravata ratione nobis restituenda legendaque viderentur. Si quando vero ad locum aliquem perturbatiorem impeditioremque nobis ipsis aqua hæsit, eum penitus intactum reliquimus, Eruditorum potius solertia, vel aliorum, si extiterint, Codicum collatione, quam opinationibus & coniecturis nostris expediendum. Eodem animo germanam ac primigeniam scribendi rationem, utut barbaram, rudem & impolitam, qua in conficiendis lucubrationibus suis usi sunt veteres Scriptores nostri, omnino illibatam servavimus, quandoquidem non a comptiore oratione ac ab emendatiore stylo, sed ab Auctorum religione ac fide petenda est vera & solida rerum actarum cognitio. Nullas hic elegantiarum cupedias, nec primæ illius incorruptæque Latinæ linguæ Veneres delicatis hominibus paramus; sed rudem simplicemque rerum gestarum veritatem ceu solidum cibum viris in Antiquitatum studiis bene subactis exercitatisque apponimus. Itaque procul ab his nostris absint, qui flosculos & orationis nitorem cum adolescentulis aucupantur. Cæsares, Velleios, Nepotes, Livios, aliosque aurei illius ævi Scriptores adeant licebit, qui huiusmodi quærunt. Nostra enim omnia mediæ ætatis squaloribus & barbarie rigent, quæ nemini facile arridebunt, nisi qui veterum monumenta historica non styli elegantia, sed narrandi simplicitate, candore, rerum & causarum pondere, ac veritate metiri consuevit. Optandum quidem, ut Annalium cuiusque gentis monumenta, eo quo par erat, rerum ac verborum delectu, splendore ac maiestate litteris commendata fuissent. Verum quia aliud eveniſſe cernimus, quicquid tulerunt secula, æquo animo ferendum est nobis. Postquam AVSTRIACORVM nostrorum HISTORIA VETVS genuinis ac legitimis monumentis asserta & vindicata fuerit, erit ex Mellicensibus Sodalibus nostris quidam, qui rudes hosce ac incomptos Scriptores bonis cum Musis in gratiam redire cogat, efficiatque pro ea, qua valet, ingenii præstantia usuque scribendi, ut perenni quadam eleganterque decurrente oratione perscriptos nostræ Gentis ANNALES tandem videamus. Quem in finem eidem privata commentariola, schedas & collectanea, quæ commode hic inseri non potuere, reservavimus. Sed de his alibi plura.

§. XIII.

Postremo Reverendissimos ac Amplissimos illos Dominos Præsules, & qui secundo ab Ipsis loco Religiosis Domiciliis præsunt, qui ad scrutandos antiquos Bibliothecarum suarum chirographos Codices nos benigne ac humaniter admittere, ex iisque nostro instituto magis necessarios benevole ac amanter nobiscum communicare dignati sunt: quin etiam Amicos & fautores, qui studia nostra quoquo modo iuvare atque provehere voluerunt, hic nominatim recensere supersedemus. Id enim suis locis accurate ac studiose factum ipse Lector reperiet, præsertim in Observationibus nostris præviis, in quibus singulorum erga nos benevolentiam & favorem nequaquam ieiune celebravimus: existimantes, nihil liberali homine indignius, nihilque turpius esse, quam unde profeceris, dissimulare. Quod si unius & item alterius fautoris nostri nomen silentio premimus, id non ingrati animi vitio, sed studio eorundem voluntati morem gerendi factum est, ut qui pro singulari sua modestia, aliisque iustis ex causis collata in nos beneficia celari, quam publice deprædicari maluerint.

rint. Eos vero, quorum bibliothecas & Archiva excutere nobis necdum licuit, impensissime rogamus & obsecramus, ut quidquid veterum monumentorum, quæ ad locupletandam & illustrandam Collectionem nostram faciant, domi suæ servant, pro amplificanda AVSTRIACI NOMINIS gloria & splendore nobis invidere ne velint. Spondemus sancte, ac fidem publice damus, nos eorum omnia ita tractaturos, ut neminem impensi favoris collatique in nos beneficii sui pœniteat.

§. XIV.

Ex iis vero, quorum maxime ac ardentissime cupimus compotes fieri, primum locum obtinent CODICES TRADITIONVM, quos fere omnia Austriæ, vicinarumque Provinciarum Monasteria in Archivis suis adservant. Dicuntur hi Codices ideo TRADITIONVM LIBRI, non, ut vulgus imperitorum existimat, quod in eis doctrinæ maiorum, antiquæ disciplinæ Regularis præcepta, usus & consuetudines loci & id genus alia describantur; sed quod corpus *Donationum*, *fundationum*, *permutationum*, *emptionum* &c. quæ commodo Monasterii vel Ecclesiæ priscis temporibus facta sunt, complectantur. Nimirum cum Ecclesiarum Præfectis grave esset, quoties res poscebat, ipsas originales Chartas, Diplomata, & authentica donationum vel emptionum, commutationumve instrumenta consulere; horum omnium quoddam compendium, in quo prædictorum instrumentorum apographia fideliter exhiberentur, condiderunt; quam deinde Collectionem *Codicem Traditionum* appellaverunt, quod facile ostenderet, quid Ecclesiæ a fidelibus aliquando *traditum* seu donatum, aut alio quocunque titulo collatum fuisset. Exemplum eiusmodi *Traditionum* Librorum (quos in Bavaria die Salbücher dici advertimus) nobis exhibent *Traditiones Fuldenses* apud Pistorium Tom. III. Scriptorum Rerum Germanicarum, *Diplomataria* Monasteriorum *Doberlucensis, Eilvvardesdorffensis* &c. apud eruditum Ludewigium in Reliquiis Manuscriptorum omnis ævi diplomatum ac monumentorum, nuperrime tribus in 8. voluminibus publicatis: *Codices Diplomatici* Monasterii *Admontensis, & Emmerammensis Ratisbonæ* apud fratrem in Thesauro Anecdotorum Novissimo T. I. & III, ut alia plura prætereamus. Porro ex huiusmodi *Traditionum Libris* dici non potest, quantum lucis in rem omnem Historicam redundet. Cum enim *traditionibus* plerumque Marchiones, Duces, Comites, aliique illustriores homines, imo etiam Reges & Imperatores intervenerint aut tradentis, aut confirmantis, aut saltem testis nomine; nemo non videt, hinc vetustarum Familiarum Genealogias expleri, longiusque protendi, Principum annos restitui, aliasque sexcentas in re historica controversias explicari & componi posse. Atque hi sunt illi *Codices Traditionum*, quos benevole nobiscum communicari obnixe rogavimus, certi, ex iis infinitam Austriacæ Historiæ lucem accessuram esse. Porro ut preces nostræ tanto celerius exaudiantur, non verebimur hic exponere quoddam consilium, quo maxima, quæ desideriis nostris obstare solet, difficultas dissipetur. Nimirum cum Ecclesiarum Præsules a concedendis suarum *Traditionum Codicibus* unice metu absterreantur, ne publicatis *Traditionibus* aliquod Ecclesiis suis damnum & detrimentum creetur, aut saltem in lites & controversias incidant; huic incommodo nemo præsentiorem medelam fecerit, quam singularum Provinciarum Principes, qui pro suo in patriam

triam Historiam studio publica lege vel mandato caveant, ne in ullo unquam foro vel tribunali ex *editis Traditionum Codicibus* quidquam adducatur, quod illi Ecclesiæ, cujus Codex Traditionis est, fraudi vel præjudicio esse possit; tametsi hac sua lege maiorem *Traditionibus* auctoritatem & robur addere nolint, quam antea habuerint. Hoc si Clementissimi Principes facere non dedignabuntur, repente tanta luce singulares Provinciarum Historiæ circumfundentur, quanta major & cumulatior a nemine optari nedum exigi poterit. Verum sentio me limites modestiæ non parum excessisse, ut qui studio HISTORIÆ AVSTRIACÆ commodandi, quid SAPIENTISSIMI PRINCIPES agant; liberius & imperitius eloqui non sim veritus. Ergo re hac omni prudentioribus integra relicta, ad ea potius, quæ restant, nos convertamus.

§. XV.

Instituti nostri ratione in hunc modum explicata, res nunc postulat, ut de non nullis, quæ ad penitiorem Austriacæ Historiæ cognitionem permultum conferunt, in hoc Propylæo nostro disseramus. Cum autem ea capita paulo diligentiorem diffusioremque tractationem exigant, argumentum omne in plures Dissertationes partiri visum est. Igitur in earum I. videndum, quæ quamque varia NOMINA olim AVSTRIA sortita fuerit. In II. Qui eam populi tot seculorum lapsu coluerint. In III. Quorum opera & studio Christiana religio primum in eandem importata fuerit. In IV. Quo æræ Christianæ anno Leopoldus I. cognomento ILLUSTRIS, veterum Austriæ Marchionum & Ducum STIRPIS BABENBERGENSIS Pater & Auctor, Austriæ principatum adierit, & a quo Imperatore eundem consecutus fuerit. In V. & ultima, quid de Leopoldi PVLCHRI & Alberti LEVIS fratrum Austriæque Marchionum incesto flagitio, quo scilicet alter alterius Coniugem pervim polluerit, ut sequioris ævi Scriptores quidam temere falsoque tradiderint, sentiendum sit. Essent quidem & alia nequaquam pauca, quæ ampliore luce ac discussione egeant, quæ tamen in alium locum reiicere temporis angustiæ cogunt. Nunc de primo disputemus.

* * *

DISSERTATIO II.

DE VARIA PRO RATIONE TEMPORVM AVSTRIÆ NOMENCLATVRA.

§. I.

HAud ingratum, ut equidem sperare fas est, nostris Lectoribus accidet, si, priusquam ad tractandum præsens argumentum propius adgrediamur, iisdem hodiernum AVSTRIÆ situm paucis indicaverimus. Itaque AVSTRIA omnis, qualis nunc est, ad utramque Danubii ripam constituta, in duas partes dividitur, quarum alteram SVPERIOREM, alteram INFERIOREM adpellare mos est. INFERIOR Cis-

Danubiana,

Danubiana, quæ Meridiem ſpectat, ab Anaſo ſeu Onaſo flumine usque ad Leytham, limitaneum Auſtriæ & Hungariæ Inferioris amnem porrigitur: Trans-Danubiana vero, quæ ad Septentrionem declinat, ab Iſpera rivulo usque ad Moravum fluvium, qui eandem ab Hungaria Superiore ſeiungit, protenditur.

Auſtria SVPERIOR, ad Auſtrale Danubii littus adſita, a prædicto flumine Onaſo usque ad hodiernæ Bavariæ Cis-Oenanæ fines pertingit: in Septentrionali vero Danubii ora iacens, a memorato rivulo Iſpera usque ad Bohemiæ ditionisque Pataviensis limites late diffunditur.

Porro ſic hodiernæ Auſtriæ conſtituta diviſione, quæ mox dicendis magnam lucem afferet, nunc expediendum, quam multiplex & varium nomen interventu ſeculorum eadem regio induerit.

§. II.

AVSTRIÆ CITERIORIS NOMINA.

Auſtria utraque Citerior ſeu Meridionalis, qua quidem ab Oeni Danubiique confluente usque ad Cetium Montem, vulgo Kahlenberg, extenditur, a vetuſtiſſimis Geographis & Hiſtoricis VETERIS NORICI Septentrionalis portio, communique cæteris iis regionibus, quæ eodem continebantur, nomine NORICVM adpellata fuit: id quod ex Claudii Ptolomæi Coſmographiæ Lib. II. edition. Vlmenſ. an. 1482. conſtat. NORICVM, inquit, *terminos habet ab occaſu Enum fluvium: a Septemtrione Danubii partem, quæ eſt ab Eno usque ad Cetium Montem: ab ortu Solis ipſum montem Cetium: a meridie partem Pannoniæ, quæ ſub dicto monte eſt ... & hinc montem ſupra Iſtriam, qui Curvâncas appellatur.* Quibus quidem verbis, iis præſertim: *a Septemtrione Danubii partem, quæ eſt ab Eno usque ad Cetium Montem*, liquidiſſimum eſt, hodiernam Auſtriam tum Superiorem tum inferiorem Cis-Danubianam, quatenus hæc poſterior intra montem Cetium continetur, a Ptolomæo, qui altero Chriſti ſeculo floruit, veluti digito fuiſſe commonſtratam. Cæterum NORICVM dudum ante fuiſſe Regnum, propriisque paruiſſe Regibus, ex Cæſare Lib. I. de Bello Gall. ſub finem cognoſcimus, ubi *duas fuiſſe Arioviſti uxores* narrat, *unam Suevam natione, quam domo ſecum adduxerat: alteram Noricam*, REGIS *Vocionis ſororem.* Et Lib. I. de Bello Civ. *eo triduo*, inquit, *Legio VIII. ad eum* (Cæſarem) *venit, cohortesque ex Novis Galliæ delectibus XXII. Equitesque a REGE NORICO CCC, quorum adventu altera caſtra ad alteram oppidi partem ponit.* Conſentit Velleius Paterc. Hiſtor. Lib. II. Cap. 109. de Tiberio Cæſare iſta commemorans: *ipſe a Carnunto, qui locus NORICI REGNI proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt.* Regio itaque nomine NORICVM VETVS cenſebatur.

Noricum.

§. III.

Subinde cum Provinciæ Romanæ in plures dividi cœpiſſent, factum eſt, ut etiam NORICVM, quod una cum Rhetia, Vindelicia, Scordiſcis, Pannoniaque, teſte Velleio Paterc. Lib. II. c. 39, Tiberius ſub Auguſto Cæſare Romano Imperio ſubiecerat, in duas provincias diſpeſceretur. Illuſtris in eam rem locus extat apud Sextum Ruffum in Brevi Libello rerum a populo Romano geſtarum cap. 7. *Sub Julio*, ait, *& Octaviano Cæſaribus per Alpes Julias*

iter

iter factum est. Alpinis omnibus victis, Noricorum provinciæ accesserunt. Idemque cap. seq. *habet*, inquit, *Illyricus decem & septem provincias: Noricorum duas, Pannoniorum duas* &c.

Tributum autem NORICVM fuit in MEDITERRANEVM & RIPENSE. *Mediterraneum* veteres dixere, quod à Danubio longius recedens ad Alpes vergebat; quo tractu interior Austria, pars Bavariæ cis Oenum posita, ager Salisburgensis, portio quædam Tirolis, Styria, Carinthia & Carniolia continentur. *Ripense* vero, quidquid ab Oeni Danubiique confluentibus usque ad montem Cetium in citeriori Danubii ripa iacebat. Quæ regionis apud veteres descriptio cum nulli, præterquam utrique hodiernæ Austriæ Cis-Danubianæ, quatenus quidem ad Cetium usque montem porrigitur, convenire possit; clare conficitur, eam antiquissimis temporibus NORICI RIPENSIS nomine fuisse designatam. *Noricum Ripense.*

Porro nomenclationis istius exempla passim apud antiquos prostant. Notitia Imperii Occidentalis *Dispositionem Viri Spectabilis Ducis Pannoniæ Primæ & Norici Ripensis* habet: *quod argumento est* (verba sunt eruditissimi Christoph. Cellarii Geograph. Antiq. Lib. 2. cap. 7.) *rei militaris curam uni Duci in utraque provincia commissam fuisse.* Idem suppeditat Eugippius, seculi sexti auctor, in Vita S. Severini Monachi & Noricorum Apostoli, quam inferius a col. 64 ad 92. ad plurium MSS. exemplarium fidem recognitam exhibemus. Legitur & apud omnium vetustissimum & sincerissimum Scriptorem Vitæ S. Floriani, qui apud Laureacum præcipuam NORICI RIPENSIS urbem, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus cum aliis quadraginta illustre martyrium fecit. Id Opusculum cum aliis duobus S. Floriani biographis habes a col. 37. usque ad 61. Prætereo antiquiorem Vitæ B. Altmanni Episcopi Patavienſis, aliosque plures non nihil recentiores Auctores, quos in hoc Primo Austriacorum Scriptorum Tomo passim reperire liceat. Liquidum proinde ex hactenus dictis est, omnem illum terræ tractum, qui ab Oeni Danubiique confluentibus, in dextra Danubii ripa situs usque ad Cetii montis iuga protenditur, hodieque *Superior*, maximamque partem *Inferior* Austria nuncupatur, apud antiquos primum NORICVM communi, postea vero peculiari nomine NORICVM RIPENSE fuisse adpellatum.

Posterioribus seculis; quæ eruditissimi Marci Velseri in Vitam S. Severini observatio est, NORICO NOMINI adiecere barbari Scriptores, quicquid Boiorum ditione contineretur, eum scilicet inprimis Rhetiæ Secundæ tractum, qui inter Oenum & Lycum interiacet. Ex his unus audiendus est Paulus Diaconus Warnefridi filius, postea Monachus Casinensis, Lib. III. de Gest. Langobard. cap. 31. ubi Norici fines his verbis definit: *NORICORVM siquidem provincia, quam BAIOARIORVM POPVLVS inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Suaviam, a meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Similia reperias apud Ottonem Frisingensem, itemque apud alterum Ottonem Monachum San-Blasianum, aliosque permultos eiusdem ætatis auctores, qui Baioariam seu Bavariam DVCATVM NORICVM; & Baioarios seu Bavaros NORICOS frequentissime, licet perperam, nec ad veterum mentem adpellitant.

§. IV.

Pannoniæ superioris pars. Alia ratio priſcorum ævo Auſtriæ citerioris, qua nunc ultra Cetium montem usque ad Leytham amnem, Auſtriæ Hungariæque iam a duodecimo ſeculo limitem, teſte Ottone Friſ. Lib. I. de Geſt. Frid. Imp. c. 32, progreditur, fuit. Tum enim omnem illam oram *Pannoniæ Superioris* poſtea *Primæ* dictæ, partem confeciſſe non difficulter ex Ptolomæo intelligimus, qui Lib. II. Coſmographiæ *Pannoniæ Superioris* ſitum ac fines deſcribit in hunc modum: *Pannonia Superior limites habet ab occaſu Montem Cetium & pro parte Carvancam: a meridie parte Iſtriæ ac Illyridis iuxta lineam paralellam, quæ a præfato fine Occidentaliori per Albanum montem exit usque ad Rebios* (alii legunt *Bebios*) *montes & limites Inferioris Pannoniæ: a Septentrione terminatur monte præfato Norici & parte Danubii, quæ eſt a Cetio monte usque ad ſciſſionem Arabonis fluvii: ab ortu Solis Inferiori Pannonia per lineam, quæ præfatos limites habet.* Ex quibus Ptolomæi verbis manifeſte conficitur, tractum illum hodiernæ Auſtriæ, qui ultra Cetium Montem usque ad Leytham funditur, a veterrimis Scriptoribus *Pannoniæ Superiori* accenſitam, & pro inſigni eiusdem portione habitam fuiſſe. Non itaque accurate ſcribunt Otto Friſingenſis, Æneas Sylvius, Johannes Cuſpinianus aliique quam plures, qui Auſtriam inferiorem omnem, qualis hodie eſt, ſimpliciter a veteribus *Pannoniam Superiorem* dictam fuiſſe exiſtimant. Solus enim & unicus ille hodiernæ Auſtriæ ager, qui ultra Cetium Leytha & Danubio fluviis concluditur, VETERIS PRIMÆ ſeu SVPERIORIS PANNONIÆ PARS recte dicatur, cum contra partem illam Auſtriæ, quæ cis Cetium ad Occaſum inclinat, ſub nomine *Norici* veteribus veniſſe, ſupra oſtenderimus. Atque hæc de variis Auſtriæ Cis-Danubianæ nomenclaturis, antequam omnia Barbarorum incurſionibus perturbarentur, dicta ſunto. Nunc ad *Auſtriam trans-Danubianam*, quæ Septentrionem ſpectat, veluti traiiciamus.

§. V.

AVSTRIA VLTERIOR. *Auſtria ulterior* ſeu *Trans-Danubiana*, quæ Danubio ad meridiem, Bohemia & Moravia ad Boream, ad Occidentem ditione Patavienſi, ad Orientem denique Maro ſeu Morava fluvio, vulgo March nuncupato, nunc definitur, antiquitus ad MAGNAM GERMANIAM pertinuit, eiusque meridianum latus, & ut cum Tacito loquar, *veluti frons fuit.* Ita enim is ſcribit in Libro de Situ, Moribus & populis Germaniæ cap. 41. & 42: *propior, ut quo modo paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis ... Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt ... Nec Nariſci Quadive degenerant: eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur.* Ergo Marcomannorum Quadorumque gentes extremos Germaniæ Danubium ſpectantis terminos Taciti ætate, id eſt, ſub initium alterius Chriſti ſeculi, obtinebant. Ex quo nullo negotio evincitur, Marcomannorum Quadorumque populis easdem ex parte ſedes tum fuiſſe, quas hodierni Auſtriaci noſtri trans Danubium tenent. Et vero de Marcomannis certos nos reddit Velleius Paterc. Lib. II. cap. 109, ubi de Maroboduo, Marcomannorum Duce, eiusque gentis ſitu ſic commentatur: *Eratque etiam eo timendus* (Maroboduus) *quod, cum Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dexteram, a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos,*

Pars Boiohemi ſeu Marcomanniæ.

tanquam

tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Hunc virum & hanc regionem proximo anno diversis e partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos excisis continentibus Herciniæ silvis, legiones Bojohæmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) duceret: ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, ducere in Marcomannos orsus est. Ad quem Velleii locum Wolfgangus Lazius Lib. IX. de Migrat. Gent. pag. 504. exclamat creditque, *clariùs nihil dici potuisse ad delineandam Austriam ulteriorem, quæ non solum Boiohæmo veteri adiacet, verum etiam a tergo Noricum habet & Pannoniæ Superioris tractum, qui a Vienna Rabam usque excurrit.* Certe *Marcomanni*, & nescio, qui *Sudini*, e regione Norici, atque adeo in *Austria Trans-danubiana*, a Ptolomæo collocantur. Et Tacitus Annalium Lib. 9. de Maroboduo laudato Marcomannorum Principe, Gratiam Tiberii Cæs. ambiente agens: *Maroboduo*, inquit, *undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio.* Verum de avitis Boiorum & Marcomannorum sedibus in tertia Dissertatione nostra commodius & fusius disputabitur. Eorum tamen res hic omnino dissimulare non potuimus, ne cuiquam obscurum esset, AVSTRIAM TRANS-DANVBIANAM partem regni Boiohemici & Marcomannici extitisse, atque a Velleio nomine BOIOHÆMI, a Julio autem Capitulino in Marco Imp. nomine MARCOMANNIÆ fuisse comprehensam.

Jam vero antiqui *Quadi*, ut ex superiori Taciti loco recte post Cluverium conicit Cellarius Geogr. Antiq. Lib. II. c. 5, a tergo Boiohemicorum montium ad ripam Danubii fuere usque ad ostia Mari seu Moravæ fluvii, qui nunc, Moraviam præterlabens, Austriam Inferiorem Transdanubianam ab Hungaria Superiore seiungit. *Qui Quadi*, ut idem Auctor prodit, *tractum regionis coluere, qui cum Moravia fere congruit.* Sed Austriam trans Danubium, Moraviæ contiguam, ad fluminis usque Moravæ in Danubium illapsum a Quadis fuisse insessam, in sequenti Dissertatione amplius ostendemus. Mirari tamen subit, in Tabula Antiquæ Germaniæ apud Cellarium *Quados* infra Lunam sylvam constitui, qui a Ptolomæo supra eandem sylvam locati conspiciuntur. *Pars regni Quadorum.*

§. VI.

In iisdem Austriæ ulterioris seu Transdanubianæ partibus, quas Marcomannos & Quados coluisse paulo ante memoravimus, circa medium Seculum V. RVGOS RVGIOSVE, a quibus idem terræ tractus RVGILANDIÆ nomen acceperit, consedisse, ex Eugippii in Vita S. Severini & Pauli Diaconi Lib. I. de Gestis Langob. testimoniis discimus. Eorum prior num. 30 nostræ edit. dissertis hisce verbis testatam rem facit: *Feletheus Rugorum Rex, qui & Feva, audiens cunctorum reliquias oppidorum, quæ barbaricos evaserunt gladios, Lauriaco per famulum Dei se contulisse; assumpto veniebat exercitu, cogitans repente detentos abducere, & in oppidis sibi tributariis atque vicinis (ex quibus unum erat FAVIANIS, quod a Rugis tantummodo dirimebatur Danubio) collocare.* Porro cum oppidum FAVIANIS, quod eruditissimus Lambecius FLAVIVM a Plinio Lib. IV. Hist. Nat. c. 24. inter Norici loca numeratum: alii VINDOBONAM seu WIENNAM vel VIENNAM Austriæ nunc Metropolim fuisse contendunt, cis Danubium consensione omnium constitutum fuerit; necessario consequitur, *Rugilandia.* *Rugorum Patria.*

quitur, RVGOS, quos a FAVIANIS Danubio tantummodo diremptos fuisse ſcribit Eugippius, in ulteriori Danubii ripa, in qua ipſa hodierna Auſtria Transdanubiana ſita eſt, ſedes ſuas habuiſſe. Idem Paulus Diaconus multo amplius apertiusque tradit & confirmat, dum Lib. I. de Geſt. Langob. c. 19. *Inter Odoachar, qui in Italia per aliquot iam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feva dictus eſt, Rugorum Regem, magnarum inimicitiarum fomitem exarſiſſe* ſcribit. *Qui*, inquit, *Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam a NORICI finibus idem Danubius ſeparat.* Tum ſubdit: *adunatis igitur Odoachar gentibus, quæ eius ditioni parebant, id eſt, Turcilingis & Herulis, Rugorumque parte, quos iam dudum poſſederat, nec non etiam Italiæ partibus, venit in RVGILAND, pugnavitque cum RVGIS, ultimaque eos clade conficiens, Feletheum inſuper eorum regem extinxit, vaſtataque omni provincia Italiam repetens, copioſam ſecum captivorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de ſuis regionibus egreſſi venerunt in RVGILAND, quæ Latino eloquio RVGORVM PATRIA dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis.* Hucusque Paulus Diaconus. Ex quibus omnibus ſatis probatum eſt, transdanubianum hodiernæ Auſtriæ tractum ſeculo Chriſti V. RVGILANDIAM & terram RVGORVM cognominatum fuiſſe.

§. VII.

AVSTRIA INFERIOR A SECVLO VI. DICTA.

Poſtquam vero barbaræ ad Septentrionem nationes, relictis priſtinis ſedibus, novas vel armis vel precibus quærere inſtiterunt, & maioribus quotidie agminibus ſeſe effuderunt, regionibus quoque, quas occupaverant, varia de ſe nomina indiderunt. Id cum permultis aliis, tum vero maxime Auſtriæ non ſemel eveniſſe reperimus. Ac eam quidem, qua infra Onaſum fluvium cis Danubium cubabat, olim ab HVNNIS ſeu AVARIBVS fuiſſe HVNNIAM vel AVARIAM adpellatam, vetera monumenta planiſſimum faciunt. Quippe longe ante, quam Gothi beneficio Marciani Cæſaris Pannoniam incolendam accepere, eandem HVNNI & AVARES vi atque bellica fortitudine ſibi vendicarunt. Id accidiſſe ſub Valente, qui ab anno nati Servatoris 375. ad 378. Romano Imperio præfuit, ex Jornande ac Marcellino Comite haud operoſe coniicitur: non vero anno primo ſupra Quadringenteſimum, quod Johannes Thwroczius in veteri Chronico Hungarorum, & ex eo Antonius Bonfinius Rer. Vngar. Dec. I. Lib. 3. memoriæ prodiderunt. Hæ ferociſſimæ ſimul & bellicoſiſſimæ gentes Mæotidem paludem cum infinita multitudine transgreſſæ, Scythis, Alipzuris, Alcidzuris, Itamaris, Tuncaſſis, Boiſcis & Alanis mira celeritate devictis, ipſos quoque Gothos e Dacia migrare compulerunt; tandemque Macrino Pannoniæ Proconſule & Thetrico Germaniæ Præſide, ſi vetuſtis Hungarorum Annalibus fides, omnem late Pannoniam inundarunt, ſuasque in ea ſedes usque ad interitum Regis ſui Attilæ obtinuerunt.

Hunnia.

§. VIII.

Ex eo tempore Gepidæ, Gothi, Heruli & Alani, Hunnorum iugi, quo diu premebantur, impatientes, relictis Attilæ filiis gravia bella moverunt, idque ea felicitate ac ſucceſſu, ut Hunni pæne omni Pannonia exuti, pars ad littora maris Pontici, pars ad Illyricum, quidam ad extremos Scythiæ Minoris fines,

fines, non nulli in Daciam Ripenſem, multi denique in Romaniam palantes diffugerent. Quæ omnia ex Jornande de Reb. Get. cap. 50. diſcimus.

Sub annum deinde 568. Alboinus Langobardorum Rex ad occupandam Italiam Narſetis invitatu profecturus, Pannoniam, quam quadraginta circiter duobus annis Langobardos incoluiſſe refert Paulus Diaconus Lib. II. de Geſt. Langob. cap. 7. *amicis ſuis HVNNIS contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſiquo tempore Langobardis neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva repeterent.* Ita HVNNI, iidem & AVARES *a Regis ſui proprii nomine ſic appellati*, ut citatus Paulus Lib. I. c. ult. tradit, rurſum Pannoniæ domini, in eius conſtanti poſſeſſione usque ad tempora Caroli Magni permanſerunt.

Nec ampliſſima hac regione contenti, etiam ultra Cetium montem ſe latisſime diffuderunt, omni illo ex utraque Danubii ripa terræ tractu, qui a dicto monte usque ad Onaſum fluvium, & a Morava usque ad Iſperam rivulum porrigitur, occupato. Certe Onaſus Hunnos Avaresque a Baioariis Caroli M. tempeſtate dividebat, quemadmodum Eginhardus, ex laudati Imperatoris Notario Abbas Seligenſtadienſis in Annalibus de Geſtis Caroli M. ad annum DCCXCI. apud Cheſnium Tom. II. Script. Rer. Franc. diſſertis hiſce verbis teſtatur: *Ipſe* (Karolus) *cum parte, quam ſecum retinuit, auſtralem eiusdem fluminis* (Danubii) *ripam, Pannoniam petiturus occupavit; Baioariis cum commeatibus exercitus, qui navibus devehebantur, per Danubium ſecunda aqua deſcendere iuſſis. Ac ſic inchoato itinere prima caſtra ſuper ANESVM poſita ſunt. Nam is fluvius inter Boioariorum atque Hunnorum terminos medius currens, CERTVS DVORVM REGNORVM LIMES habebatur.* Hæc Eginhardus auctor æqualis.

Inſidebant igitur HVNNI ſeu AVARES omnem illam regionem, quæ infra Aneſum ſive Onaſum fluvium (vulgo die Ens) usque ad Pannoniam Superiorem expanſa, ſub AVSTRIÆ INFERIORIS appellatione hodie continetur. Atque hinc factum, ut eadem terra ab incolarum ſuorum nominibus HVNNIA & AVARIA, ſeu, quod idem eſt, TERRA HVNNORVM & AVARORVM ætate media vulgo audiret, ut iam nunc ex coævis & minime ſuſpectis veterum monumentis uberius oſtendemus.

§. IX.

Primum argumentum, quo AVSTRIAM INFERIOREM, veterum HVNNIAM fuiſſe oſtenditur, nobis ſuppeditant breves Francorum Annales ab anno Chriſti DCCVIII. ad DCCC. producti, qui apud V. C. Andream Cheſnium Tom. II. Script. Hiſtor. Francic. pag. 10. extant. In his ad annum Domini DCCXCI. memorabile bellum inter Carolum Regem Francorum & Hunnos ſeu Avares, quos Auſtriam Inferiorem usque ad Aneſum fluvium obtinuiſſe mox ex Eginhardo memoravimus, geſtum his omnino verbis deſcribitur: *Hoc anno Domnus Rex Karoliis commoto magno exercitu, perrexit in HVNIA, ibique habuit magnum conflictum cum HVNIS, & vaſtavit plaga magna usque flumen Rafa*, alias *Rabam*, ſeu *Arrabonem*. Idem Rex in Fragmento quodam *de Rebus Caroli Magni Regis cum Hunis & Slavis ſeu Boiariis* circa annum Domini DCCCLV. ſcripto, apud eundem Cheſnium pag. 220. *Pipinum filium ſuum in HVNNIAM cum exercitu multo miſiſſe* dicitur. Meminit & Johannes Aventinus Anal. Boicor. Lib. IV. pag. 381. vet. edit. codicis cuiusdam

antiquisſimi, in Munichsmunſterenſi cœnobio olim adſervati; ad cuius calcem hæc ad verbum legantur: *hic liber fuit inchoatus in HVNIA in exercitu anno Domini DCCCXVIIII.* (non 919, ut perperam apud Hundium in Metrop. Salisb. Tom. II. pag. 517. legitur) *IIII. N. Jun. & perfinitus apud S. Florianum pridie Idus Septembris, in hebdomada quinta decima.* Vbi vides erudite Lector, ea, quæ de HVNIA dicuntur, de alia regione quam de Auſtria Inferiore accipi non poſſe.

His adde Epiſtolam Eugenii Papæ II. ab anno DCCCXXIV. ad DCCCXXVII. univerſæ Eccleſiæ præſidentis, quam Ratfrido Faviannenſis, Methodio Speculi-Julienſis (alias Ouguturenſis) Alcwino Nitranenſis, Annoni Vetuarienſis ſanctarum Eccleſiarum Epiſcopis, uti & Tuttundo & Moymaro Ducibus & Optimatibus *exercitibusque plebis HVNIÆ, quæ & AVARIA*, inſcripſit: quos etiam ibidem exhortatur, ut VROLPHVM Laureacenſem Epiſcopum ceu Paſtorem & patrem ſuum ſpiritualem modis omnibus colant & obſervent; *Quem* (VROLPHVM), ait Eugenius, *nos doctiſsimum Divini oraculi miniſtrum ſaluti veſtræ cognoſcentes per omnia neceſſarium, fide & exemplo probatum, merito erga illum Apoſtolicam ſervantes ſententiam, qua dicitur: quomodo credent ſine prædicante, aut quomodo prædicabunt niſi mittantur? ab hac Sancta Romana Eccleſia vobis Rectorem transmiſimus, atque in præfatis regionibus HVNIÆ, quæ & AVARIA appellatur, ſed & Maraviæ, provinciarum quoque Pannoniæ ſive Mœſiæ Apoſtolicam vicem noſtram & Diœceſim atque ius Eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem anteceſſorum ſuorum, videlicet Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, ſibi ſucceſſoribuſque ſuis Canonica auctoritate committimus &c.* Integram Epiſtolam, ſi lubet, vide ſis apud Hundium Metrop. Salisb. Tom. I. pag. 346.

Affert etiam Wolfgangus Lazius Comment. Reipubl. Rom. Lib. XII. pag. 1090. Diploma, a Ludovico Pio Imperatore, ut ait, Eccleſiæ Patavienſi de quibusdam bonis in Auſtria, quæ a Ludovico TERRA HVNNORVM appelletur, ſitis conceſſum *anno Domini DCCCXXIV.* Eius initium & finem exhibet quoque Johannes Aventinus Annal. Boior. Lib. IV. pag. 332. hoc tamen diſcrimine, quod dictum Diploma non anno Domini DCCCXXIV. ſed *anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII.* datum affirmet. Verum cum vel ex hac formula id inſtrumentum dubiæ admodum fidei ſit, ipſeque Aventinus pag. 461. teſtetur, *annos Dominicæ Incarnationis* apud illorum temporum Imperatores usque ad Carolum Craſſum nunquam in eiusmodi inſtrumenta fuiſſe admiſſos; nihil inde in rem noſtram adducere viſum eſt, præſertim cum ex iis, quæ paulo ſupra narravimus, abunde demonſtratum ſit, AVSTRIÆ noſtræ ab HVNNIS amplius ducentos annos habitatæ nomenclaturam HVNNIÆ adhæſiſſe.

§. X.

Avaria. Provincia Avarorum. Terra Avarorum.

Jam vero eandem AVSTRIAM, etiam AVARIAM, & PROVINCIAM ac TERRAM AVARORVM nuncupatam fuiſſe, indubitatam fidem faciunt authentica complura diverſorum Imperatorum Diplomata. Agmen ducat Caroli Magni, quo is Orulfo Altahæ inferioris Abbati locum quendam ad Oſtia *Bielahæ* fluvii ſitum condonat. En illud ex Hundii Metrop. Salisb. Tom. II. pag. 10. vet. edit. Gewoldianæ.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Carolus Sereniſſimus Auguſtus, a Deo coronatus, magnus pacificus Imperator, Romanorum gubernans imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Quidquid enim ob amorem Omnipotentis Dei ad loca Sanctorum venerabilia pro mercedis animæ noſtræ augmento concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnium fidelium noſtrorum magnitudini, præſentium ſcilicet & futurorum, quoniam nos in eleemoſyna noſtra ad deprecationem GEROLDI Comitis, fidelis noſtri, concedimus atque confirmamus ad Monaſterium S. Mauritii, quod eſt ſitum in Ducatu BAIOARIORVM, in loco nuncupante ALTAHA, ubi ORVLFVS rector præeſſe videtur, locum quemdam in AVARIA, ubi BIELOHA fluvius Danubium ingreditur. Eſt autem æſtimatio illius loci quaſi XL. manſorum. Qui locus .... Datum VI. Kal. Decemb. Anno Chriſto propitio Imperii noſtri duodecimo, regni vero in Francia XLIV. atque XXXVII. in Italia, Indictione Quinta. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter.

Bieloba fluvius AVSTRIÆ Inferioris, quem noſtrates vulgo die Bielach appellant, paulo infra noſtrum Mellicenſe Monaſterium, fere e regione municipii Emmerſtorffenſis, Danubio miſcetur. Igitur certiſſimum, Caroli Magni ævo AVSTRIAM nomine AVARIÆ inſignitam fuiſſe.

Alterum eſt Ludovici Regis Germaniæ I, quod genuinum ac ſincerum in *Codice Diplomatico Ratisponenſi* nuperrime reddidit frater, anecdotorum Theſaur. Noviſ. Tom. I. Part. III. col. 16. In quo Ludovicus res quasdam proprietatis ſuæ, quæ ſunt in PROVINCIA AVARORVM, Baturico Epiſcopo Ratisponenſi in hunc modum contuliſſe memoratur:

In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Omnipotentis. HLVDVVICVS Divina favente gratia Rex Baioariorum. Si liberalitatis noſtræ munere de beneficiis, a Deo nobis collatis, locis Sanctorum quiddam conferimus: id nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda profuturum liquido credimus: Proinde comperiat omnium S. Dei Eccleſiæ noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quia nos pro mercedis noſtræ augmento ſanctæ REGINISBVRCH civitatis Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore S. Petri Principis Apoſtolorum, & S. Emmerammi, ubi etiam idem beatiſſimus Martyr corpore quieſcit humatus, cui præſenti tempore venerabilis Baturicus Epiſcopus auctore Deo præeſſe videtur, quasdam res proprietatis noſtræ, quæ ſunt in PROVINCIA AVARORVM, ubi locum, ubi antiquitus caſtrum fuit, qui dicitur HARLVNGEBVRCH,[1] cum reliquis adiacentiis in circuitu. Quarum terminia ſunt ab eo loco, ubi ERLAFFA in Danubium cadit, ſurſum per ripam eiusdem fluminis usque ad locum, qui dicitur ERDGASTEGI; & ab eodem flumine in Orientali parte usque ad medium montem, qui apud Vvinades COLOMEZZA[2] vocatur, ubi in duabus arboribus evidentia ſigna monſtrantur: & ab eo loco a parte Aquilonis usque in Danubium, & ad meridiem & Occidentem per verticem montis, ſicut evidentia arborum ſigna demonſtrant usque ad ſupradictum locum ERDGASTEGI. Has itaque res .... prædictæ Eccleſiæ perpetuo ad habendum conceſſimus &c. Data Non. Octob. Anno XVIIII. Imperii Domni Hludowici Sereniſſimi Auguſti, & Anno regni eius VII. Indict. XI. Actum Regimesburch civitate in Dei nomine feliciter amen.

Iſthæc omnia loca & bona, a Ludovico Rege Ratisbonenſi Eccleſiæ conceſſa, ſita eſſe in AVSTRIA *Inferiori* nemo Auſtriacorum ignorat. Nam ERLAFFA fluvius, vernacula lingua die Erlaph dictus, paulo ſupra Oppidum Pechlarienſe, uno a Mellicenſi Cœnobio milliari in Occidentem remotum, quod etiam nunc una cum cognomini oppido in ripa ulteriore Danubii Epiſcopatui Ratisbonenſi unitum eſt, in Danubii fluenta ingreditur.

[1] Hodie Harlanden, quæ villa ab oppido Pechlarienſi circiter dimidia hora in meridiem diſtat.

[2] Nunc vulgo Kalmingberg nominatur, Eccleſia S. Ottiliæ inſignis. Ab oppido Pechlarienſi circiter tribus & dimidio milliaribus in occaſum diſtat.

§. XI.

Idem Ludovicus in alio Diplomate relato ab Hundio Tom. I. Metrop. Salisburg. pag. 347. Reginaro Episcopo Patavienſi quasdam res proprietatis ſuæ, quæ in PROVINCIA AVARORVM ſint, elargitur. Id Diploma quatenus res Auſtriacas egregie illuſtrat, hic dare viſum eſt. Eſt autem huiusmodi.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Divina favente gratia Rex. Si liberalitatis noſtræ munere de beneficiis divinitus nobis collatis, locis Sanctorum quibusdam conferimus, id nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quia nos pro mercedis noſtræ augmento conceſſimus Eccleſiæ Patavienſi, quæ eſt conſtructa in honore S. Stephani Protomartyris, ubi etiam S. Valentinus confeſſor Chriſti corpore requieſcit, cui præſenti tempore venerabilis vir Reginarus Epiſcopus præeſſe videtur, quasdam res proprietatis noſtræ, quæ ſunt in PROVINCIA AVARORVM, in loco, qui dicitur KIRCHBACH, id eſt: Eccleſiam unam conſtructam cum territorio ad manſus centum faciendum & plus: quarum terminia ſunt: ab ipſo loco pergens per unam ſemitam usque ad locum, qui dicitur TVMVS, & inde per circuitum usque ad prædictum KIRCHBACH, & deinde usque ad Markam THEOTHERII, & deinde usque ad CYNNENBERG. Has itaque res ... prædictæ Eccleſiæ pœnitentialiter conceſſimus &c. Signum Ludovici Glorioſiſſimi Regis. Adalleonus Diaconus ad vicem Grimaldi recognovi. Data XIV. Kal. May, anno Chriſto propitio III. Regni Domini Ludovici Regis in Orientali Francia, Indict. XIV. Lectum OSTRENHOVA palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

Porro locum KIRCHBACH extra AVSTRIAM inferiorem quærendum non eſſe, documento eſt Henrici III. Imperatoris Diploma, quo is poſſeſſiones a prædicto Ludovico Rege aliisque principibus viris Epiſcopatui Patavienſi donatas confirmat, *datum XIII. Kal. Auguſti Anno Domini Hainrici Tertii Regis, ſecundi Imperatoris, ordinationis eius XXIV. regni vero XIII. Imperii VI.* Ibi enim regio, territorium KIRCHBACH continens, quæ in Diplomate Ludoviciano PROVINCIA AVARORVM dicitur, OSTERRICHI diſſertiſſime nominatur, quo nomine *inferiorem* AVSTRIAM notatam fuiſſe, infra declarabimus. Diploma Henrici III. uti & eius filii Henrici IV. mox a nobis delibatum, integrum recitat Hundius Metropol. Salisburg. Tom. I. pag. 366. & ſeq.

§. XII.

Quin etiam Otto II. qui ab anno DCCCCLXXIII. usque ad DCCCCLXXXIII. Romanum Imperium gubernavit, in Diplomate, quod Sancto Wolfgango Epiſcopo Ratisbonenſi dedit, nomine TERRÆ AVARORVM *inferiorem* AVSTRIAM deſignavit, ut ex totius Diplomatis contextu perſpicuum eſt, quod apud fratrem Tom. I. Theſauri Anecdot. Noviſſ. Part. III. col. 56 ad verbum ſic habet:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente clementia Imperator Auguſtus Si erga Divinis cultibus mancipata loca propter amorem Dei .... Proinde notum ſit omnibus ... quia vir venerabilis Wolfkangus Regenesburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honore S. Petri Principis Apoſtolorum, nec non & ſancti Emmerammi martyris Chriſti, adiens celſitudinem culminis noſtri innotuit auctoritati noſtræ, in TERRA quondam AVARORVM iuxta fluviolum, qui ERLAFFA dicitur, locum quendam eſſe, qui STEININACHIRICHA nominatur,

quem

quem per multa annorum curricula desertum, ipse de Baiuaria missis colonis incoli fecit. Qui ut tutiores ibi ab infestatione Vngarorum manere possent, petiit nostram Serenitatem locum quendam inter maiorem & minorem ERLAFFAM *situm, ubi ipsi conveniunt, Castellum construendum, qui vocatur* ZVISILA *Cuius deprecationi propter Divinum amorem & reverentiam Sanctorum libenter annuimus, & ipsum locum perpetuo possidendum eidem concessimus Ecclesiæ, ab eo loco videlicet, ubi prænominati fluvioli confluunt usque in* IBISAM, *ubi ipsum flumen huic confluvio* ERLAFFARVM *proximum est, & sursum versus per litus* IBISÆ *usque in rivum, qui dicitur* ZVICHA, *& per hunc usque ad montem, qui dicitur Sclavonice* RVZNIC. *Ab Orientali autem parte litus maioris* ERLAFFÆ *usque in montana propter munitionem locorum hunc donationi terminum, & quidquid nostri iuris est, ad donandum infra hos terminos, ad S. Petrum sanctumque Emmeramnum perpetuo iure contradimus. & si minus quam VI. regales mansi arabilis terræ nostri iuris infra terminos præscriptos inveniatur, ubi proximè iuxta prædictum castelli locum habeamus, ex utraque ripa* ERLAFFÆ *suppleatur. Has itaque res &c. Data II. Id. Octob. anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXXIX. *Indict. VI. anno vero regni Secundi Ottonis XV. Imperii autem IX. Actum Ratisponæ in Dei nomine feliciter amen.*

Supra iam diximus, ERLAFFAM *Austriæ inferioris* amnem non longe supra oppidum Pechlarense in Danubium profluere. Idem nunc dicendum de IBISA, vulgo die Ips, fluvio limpidissimo & præferoci, qui paulo infra patriam nobis Vrbem Ipsensem in Danubium effunditur. STEININACHIRICHA hodieque supereſt, nostris Steinakirchen, amplum municipium ad minorem ERLAFFAM constructum, cuius Ecclesiam Parœcialem Benedictini nostri Monseenses seu Lunælacenses magna cum laude ac fructu nunc administrant. Et ZVISILA castrum hodiernum esse WISELBVRGVM non temere quis dixerit, cum eo fere loco, ubi vetus ZVISLA stetisse in Ottoniano Diplomate asseritur, etiam nunc cernatur. Rivus vero ZVICHA & mons RVZNIC, abolitus haud dubie lapsu temporum veteribus nominibus, ubi nunc locorum quærendi sint, adhuc nos latet. Cæterum ex hactenus allatis luce meridiana clarius est, *inferiorem* nostram AVSTRIAM non modo HYNNIAM, sed etiam AVARIAM, & PROVINCIAM ac TERRAM AVARORVM medio ævo compellatam fuisse, id quod ostendendum ac idoneis testibus probandum initio suscepimus.

§. XIII.

Nec hæc una AVSTRIÆ *Inferioris* Nomina ætate media fuere. Eam ab OSTROGOTHIS OSTROGOTHIAM etiam fuisse dictam tradit Bernardus Noricus, Cœnobita Cremisanensis, in Chronico Austriaco, ante annos quadringentos conscripto, quod integrum infra a col. 691. ad 696. edidimus. *Dicebantur autem*, inquit Bernardus col. 691. *OSTROGOTHÆ sive a plaga Mundi quæ sita est versus Orientem, sive a nomine sui Regis: eorumque provincia cœpit a LAVREACO & flumine ANESI versus Orientem.* Et ad calcem eiusdem columnæ: *igitur hæc provincia ab incolis OSTROGOTHIA, id est: OSTERGAVV est vocata, vel ORIENTALIS, quia versus Orientem sita est. Nunc pulchro idiomate AVSTRIA appellatur, id est OESTERREICH.* Hæc Bernardus Noricus. *Ostrogothia.*

Etsi autem Bernardi, utpote Scriptoris non nihil recentioris auctoritas rem haudquaquam invicte probet, eius tamen sententia permagnam veri similitudinem præ se fert. Nam Ostrogothas Superiorem etiam PANNONIAM, cuius portionem AVSTRIAM Trans-Cetianam fuisse §. IV. docuimus, concessu Marciani, ab anno Christi CCCCL. ad CCCCLVII. Rom. Imperatoris

d

toris, coluiſſe locuples auctor eſt Jornandes de Rebus Geticis cap. 50. ubi hæc eius concepta verba ſunt: *GOTHI vero cernentes Gepidas Hunnorum ſedes ſibi defendere, Hunnorumque populum ſuas antiquas ſedes occupare, maluerunt a Romano Regno terras petere, quam cum diſcrimine ſuo invadere alienas, accipientes PANNONIAM, quæ in longa porrecta planitie habet ab Oriente Mœſiam Superiorem, a meridie Dalmatiam, ab Occaſu Noricum, a Septentrione Danubium. Ornata patria civitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Vindomina.* Et capite 52. *Plerique ergo, ut ad gentem, unde agitur, revertamur, id eſt: OSTROGOTHARVM, qui in PANNONIA ſub Rege VValemir, eiusque germanis Theodemir & VVidemir morabantur, quamvis diviſa loca, conſilia tamen habuere unita. Nam VValemir inter Scarniungam & Aquam nigram Fluvios, Theodemir iuxta lacum Pelſodis, VVidemir inter utrosque manebat.* Denique cap. 55. ab eodem Auctore *PANNONIÆ propriæ Gothorum ſedes* clariſſime dicuntur. Rebus autem ita conſtitutis quis dubitaverit, non paucos ex eadem OSTROGOTHORVM gente *Auſtriam inferiorem cis Cetium* Montem, ſeu Noricum Ripenſe etiam invaſiſſe tenuiſſeque, atque adeo parti ab ſe occupatæ nomen OSTROGOTHIÆ indere potuiſſe?

Sane NORICOS, utique & RIPENSES, Theodorico Gothorum Regi paruiſſe, accipimus ex Caſſiodori Senatoris Libro III. Variarum Epiſt. 50. editionis Benedictinæ Garetianæ, in qua laudatus Princeps decernit, ut Alemannorum boves itineris longinquitate ac labore fracti, Noricorum bobus commutentur. Illius Epiſtolæ tale initium eſt: *Provincialibus Noricis Theodoricus Rex. Grate ſuſcipienda eſt ordinatio, quæ dantem iuvat* &c.

Sed quidquid ſit de Theodorici Gothorum Regis in *Noricos Ripenſes* imperio, *Auſtriam inferiorem* a Gothis inhabitatam fuiſſe, perantiqua noſtrorum maiorum perſuaſio fuit. Pro teſtimonio dicat Anonymus Gottwicenſis, ſeculi duodecimi homo, qui num. 25. & 26. Vitæ B. Altmanni Epiſcopi Patavienſis, quam in hoc primo volumine col. 110 & ſeqq. protulimus, notionem *Montis Gottwicenſis*, in *Auſtria inferiore* ſiti, explanat hoc modo: *Unde autem tracta ſit etymologia vocabuli hujus montis, paucis pandam Lectori, ut a maioribus accepi. Terra, quæ nunc* ORIENTALIS (id eſt: AVSTRIA *inferior*, ut poſtea demonſtrabimus) *dicitur, quondam a GOTHIS inhabitata fertur.... In hoc Monte fertur quidam Dux eiusdem gentis, nomine Gotefrit, habitaſſe, & ibi* Wic, *id eſt: Martem Deum coluiſſe, quod adhuc foſſæ & valles teſtantur, & antiqua ædificia vel idola ibi reperta.* Hæc Anonymus Gottwicenſis: quæ licet non omnibus undequaque probabuntur, iis præſertim, qui nomen Montis Gottwicenſis ex originibus Linguæ Theodiſcæ derivari mallent, exiſtimantque *Gottwic* nihil aliud, quam *Deo ſacrum* locum, montem vel lucum ſignificare, quod alibi accuratius examinabimus; faciunt tamen perquam veroſimile, AVSTRIAM *inferiorem* ab incolis GOTHIS ſeu OSTROGOTHIS etiam OSTROGOTHIAM olim dictam & cognominatam fuiſſe. Sed iam certiora proferre pergamus.

§. XIV.

Pannonia. AVSTRIAM *inferiorem* a ſeculo Chriſti nono nomen PANNONIÆ quoque ſortitam fuiſſe, ſolide probat Diploma Cœnobitis S. Emmerammi a Ludovico I. Germaniæ Rege conceſſum, quod integrum, & propriis ſuis Nominibus conſpicuum in Codice Diplomatico Ratisbonenſi recentiſſime frater edidit in Tom. I. Theſaur. Anecdot. Noviſſ. Part. III. col. 24. eſtque huiusmodi.

In

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludwicus Divina favente gratia Rex. Oportet igitur nos, qui Divina sumus gratia quodammodo cæteris mortalibus sublimati ..... Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos cuidam ex primatibus nostris, nomine Radpoto, medietatem unius fisci, qui vocatur TVLLINA, situs in regione PANNONIA, cum omnibus appendiciis eius ..... in proprium contulimus, ea ratione, si fidem suam erga nos inviolatam servasset. Sed quia ipse a nobis totis viribus se alienavit, & fidem atque iusiurandum omni infidelitate fraudavit; placuit Serenitati nostræ eandem medietatem memorati fisci ad nostram dominationem recipere, atque pro absolutione Divinæ recordationis antecessorum nostrorum, Augustissimorum scilicet Imperatorum, & pro remedio animæ nostræ & corporis salvatione ad sanctum Emmerammum contradere & confirmare. Quod ita per hanc nostram auctoritatem nos fecisse, omnium fidelium nostrorum magnitudo cognoscat, ea ratione, ut ipsa medietas ipsius fisci AD MENSAM MONACHORVM ibi Domino famulantium, ibi iugiter deserviat, & ut nullus Episcopus aut quislibet Prælatus easdem res in beneficium alicui dare, sive ad opus suum recipere præsumat, sed solummodo ad opus ipsorum deserviant ..... Data Kal. Maji anno XXVII. regni Ludwici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indict. VII. Actum Franchenfurth palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

Quin sub TVLLINA, hodierna TVLNA, vulgo Tuln, civitas in Cis-Danubiana inferioris AVSTRIÆ ripa constructa lateat, nemo regionis nostræ gnarus, me quidem iudice, prudenter dubitaverit, quippe quæ antiquissimam sui memoriam nostra adhucdum ætate conservet. Eiusdem loci mentio fit in Capitulis Responsionum Nicolai Papæ ad Legationem Salomonis Episcopi, missi a rege Hludowico Germanico Lib. V. Miscellan. eruditissimi Stephani Baluzii pag. 484. his verbis: *quoniam nuntias, quod fidelis Rex dispositum habeat venire TVLLINAM, & deinde pacem cum Rege VVlgarorum confirmare, & RASTITIVM aut volendo aut nolendo sibi obedientiam facere; oramus Omnipotentem Deum, ut Angelus, qui fuit cum Jacob Patriarcha, sit cum ipso & cum omnibus suis, & bene disponat iter eius, & cum pace & gaudio revertatur ad propria.* Nec prætermittenda hoc loco est insignis charta, ab Anamodo Subdiacono Ratisbonensi Lib. I. Traditionum Emmerammensium relata apud fratrem Tom. I. Thesauri Anecdot. Noviss. Part. III. col. 245. & seq. in qua tam *Ratpodi* seu *Radpotonis* quam *Tullinæ* fit mentio. Ea sic habet:

Postquam ergo in Dei nomine Ratpodus Comis ad Sanctum tradidit Emmerammum, sicut in Karta traditionis scriptum invenitur; quicquid proprietatis ad Tullinam habere videbatur, in præsentiam Ludovici Regis Reganesburc venit, & omnia, quæ ad Tullinam visus est possidere, ad prædictum Sanctum Dei nihil extra dimittens tradidit, ita scilicet, ut, si hæres sibi non nasceretur, post obitum suum statim ista traditionis causa firmiter ad locum Sancti Dei constaret. Si autem hæres sibi nasceretur, ut cum ducentis solidis res eiusdem traditionis redimeretur, ut sicut supra dictum est, in præsentia Regis & optimatum eius, omniumque sibi astantium hæc traditio facta est, quorum ex parte nomina innotescimus. Ernost Comis, Vverinheri, Timo, Ermfrid, Ratperht, Vto, Vuaning, Vvillihelm, Ribheri, Vuolfdrigil, Poso, Eginolf, Perehttolt, Ribho Com. Adalo, Ratolt, Popili, Radolt, Fritilo, Reginpreht, Adalhoh, Mangolt, Papo, Albker. Facta est hæc traditio in loco supra dicto anno Domini DCCCXXXVII. Sed hæc occasione Ludoviciani Diplomatis de *Tullina* obiter commemorata sunto.

Eodem significatu PANNONIAM accepisse apparet Eginhardum, dum in Annalibus de Gestis Caroli Magni Imperatoris ad annum DCCXCI. eun-

dem Principem Hunnos in adversa Anesi fluvii ripa consistentes aggredi parantem ita describit: *Ipse cum parte, quam secum retinuit, Australem eius fluminis* (Danubii) *ripam PANNONIAM petiturus occupavit ..... Pulsis igitur Hunorum præsidiis ac destructis munitionibus, quarum una super CAMBVM fluvium, altera iuxta COMAGENOS civitatem in monte CVMEBERG vallo firmissimo erat extructa, ferro & igne cuncta vastantur.* Otiosum fuerit, hic denuo Lectorem admonere, CAMBVM, CAMBIVM, seu CAMPIVM fluvium, vulgo der Kamp infra Crembsium Austriæ ulterioris urbem, in Danubium exonerari: *Comagenas* vero seu *Comagena* civitatem, sive ea sit hodiernus vicus, ab incolis Langenleber appellatus, ut Lambecio visum, sive Holenburg, ut vult Lazius, aut denique Kaumberg, quod mavult Cuspinianus, intra Cetium montem in AVSTRIA Inferiore consistere. Erat igitur Eginhardo AVSTRIA nostra, ex qua Carolus Hunnos eiectum ibat, PANNONIA.

Pannonia Superior. Exempla eiusdem adpellationis plura passim in Scriptoribus Rerum Francicarum, quos eleganti collectione Andreas Chesnius evulgavit, occurrunt. Quibus addendi Otto Frisingensis Lib. 6. Chron. pag. 125. Æneas Sylvius in Epitoma Europæ fol. 18. veter. edition. aliique omnes, quotquot AVSTRIAM INFERIOREM etiam PANNONIAM SVPERIOREM nominaverunt. Tametsi eam nomenclationem verius ab errore quodam, quo hi Scriptores AVSTRIAM, veterem Græcorum & Latinorum Auctorum PANNONIAM SVPERIOREM esse sibi persuaserant, profectam esse minime dubitamus. At qui vetustissimi illi auctores non omnem eam regionem, quæ ab Anesо usque ad Leytham fluvium protenditur, sed illum duntaxat tractum hodiernæ Austriæ, qui infra Cetium montem versus Orientem excurrit, PANNONIÆ SVPERIORI attribuerunt. Sed his iam §. IV. actum est.

§. XV.

Quoniam vero AVSTRIÆ regio Boioariæ, cæterisque Occidentalibus Germaniæ Provinciis in ortum obiecta, simulque terminus & LIMES Imperii Romani ac regni Vngarici fuit; obtinuit apud seculi X. XI. & XII. homines, ut eapropter variis quoque ab iisdem nominibus adficeretur; iamque ORIENTALIS PLAGA, iam MARKA seu MARCHA simpliciter, modo OSTIRRICHI & OSTERRICHE, modo MARCHIA & PROVINCIA ORIENTALIS, nunc ORIENS, nunc WAWARIA ORIENTALIS &c. adpellaretur. In quam rem iuvat idonea, maxime ex genuinis Imperatorum Diplomatibus, nunc testimonia congerere.

§. XVI.

Otto III. Imperator in Diplomate Piligrino Episcopo Patavienſi concesso *Austriam inferiorem* ORIENTALEM PLAGAM & MARKAM vocat. En illud ex Metrop. Salisburg. Tom. I. pag. 361.

Orientalis Plaga. *Otto Divina favente clementia Rex. Notum sit cunctis ... Qualiter Piligrinus sanctæ Patavienſis Ecclesiæ venerabilis Præsul, Episcopatus sui pertinentiam in* ORIENTALI PLAGA *barbarorum limiti adiacentem creberrima eorum devastatione infestari nostræ conquestus est pietati...*

Marka. *Cuius pernicioſissimam iacturam munificentia nostræ liberalitatis huiusmodi solari inclamine, pro nostræ æterno precatus est animæ remedio ... His igitur moti querelis ... postulata eo tenore concessimus,*

mus, ut liberi, cuiuscunque possessionis sint, qui destinantur coloni in locis pertinentibus ad sanctæ Pataviensis Ecclesiæ Præsulatum... sitis in MARKA *hactenus* LVITWALDI[1] *Comitis, a nostrorum ministerialium deinceps sint districtione soluti: & quicquid noster publicus fiscus ab illis exigere vel percipere poterit, hoc totum in cunctis Advocato Ecclesiæ Pataviensis exigendum & percipiendum ad iam dictam Pontificis Piligrini successorumque suorum utilitatem perpetim condonamus. Nec pro ulla alia occasione aut vadium solvere, aut ad Comitatum ire a MARCHIONE vel aliqua iudiciariæ potestatis persona conentur, nisi ea lege vel iure, quo ecclesiastici servi ab extrancorum pulsati reclamationibus, pro satisfacienda iustitia ad placitum ire compellantur.... Signum Domini Ottonis gloriosissimi. Hildwaldus Episcopus ad vicem Willigisi Archicapellani recognovi. Dat. pridie Kal. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXV. Indict. XIV. Anno autem Tertii Ottonis regnantis II. Actum Babenbergæ in Dei nomine feliciter amen.*

§. XVII.

Aliter paulo nomen AVSTRIÆ idem Princeps effert in Diplomate in gratiam Gotescalci Episcopi Frisingensis condito & signato, quod paucis, quæ ad rem nostram nil faciunt, omissis, ex eiusdem Metropolis Salisb. a Gewoldo auctæ, Tom. I. pag. 138. recitabimus. *Marcha.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum noverit industria, qualiter GOTESCALCVS, Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, quoddam prædiolum suæ Ecclesiæ iacens in confinio nostræ proprietatis ORIENTALIS *urbis* CREMISA[2] *cum omnibus utensilibus ad idem pertinentibus, consilliante Duce HENRICO, in ius nostræ proprietatis manu sua suique Advocati ANZONIS perpetuo consistendum tradidit. Nos autem econtra in eadem* MARCHA, *& in comitatu* HENRICI[3] *Comitis nostræ proprietatis VI. Regales hubas in loco; qui dicitur* ZVDAMARESVELT[4] *iuxta fluvium* IPISA[5] *cum curtiferis..... sub præsentia fidelium nostrorum in manum præscripti Episcopi tradimus ea lege & eo tenore, ut præfata Ecclesia Sanctæ Mariæ sanctique Corbiniani Confessoris, &* GOTESCALCVS *Episcopus & successores eius sine omni contradictione omnium hominum ea in perpetuam potestatem possideant.... Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis. Hildebrandus Episcopus & Cancellarius vice Willegisi Archiepiscopi recognovi. Data XVII. Kal. Septemb. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. Indict. VIII. Anno Ottonis regnantis XII. actum Magdaburg feliciter amen.*

§. XVIII.

In alio Diplomate eidem Gotscalco Episcopo, quem Froumundus Monachus Tegernseensis coævus, Latine *Theodulum* in Epistolis suis vocat, ab eodem Ottone concesso AVSTRIA, quæ in superioribus duobus Diplomatibus ORIENTALIS PLAGA, MARKA, & MARCHA dicta fuit, *vulgari nomine* OSTIRRICHI adpellatur. OST enim Ortum seu Orientalem Mundi plagam, & RICHI regnum in Theodisco idiomate, quod Ottoniano ævo vulgare fuit, significare notissimum est. Vnum tantummodo locum ex incerti Monachi Weissenburgensis Catechesi Theodisca, seculo nono scripta, & ab eruditissimo Joh. Georgio Eccardo nuper evulgata proferemus. Is Monachus illa Dominicæ Orationis verba: *adveniat* seu *veniat regnum tuum*, sic Theodisce reddit: *Quaeme richi thin.* Tum hanc expositionem subdit: *Ostirrichi.*

[1] *alias* LIVPALDI, *seu* LIVPOLDI, *primi ex Comitibus Babenbergensibus Austriæ Marchionis.* [2] Crembs.
[3] secundi Austriæ Marchionis. [4] alias DVLMARESVELD, hodie Dimarveld. [5] die Ips.

Richi Gotes iſt ſimbles, endi eogibuuarther bittem uuir thob, thanne uuir thiz quedem, thaz Gotes richi ſi in uns, endi ther diuſles giuualt uuerdhe arfirrit fona uns. Latine: *regnum Dei eſt ſemper, & ſinguli precamur tamen, cum hoc dicimus, ut Dei regnum ſit in nobis, & diaboli poteſtas abigatur a nobis.* Hæc ibi. Sed quid rei certiſſimæ ac exploratiſſimæ inhæremus? Ipſum potius Ottonis Diploma ex Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 139, in quo Auſtria OSTIRRICHI nuncupatur, exhibeamus.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Divina favente clementia Rex Auguſtus. Noverint omnium induſtriæ fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum, qualiter nos dignis petitionibus dilectiſſimi Nepotis noſtri Baioariorum Ducis Heinrici annuentes, quasdam noſtri iuris res in regione, vulgari nomine OSTIRRICHI, *in* WACHA, *& in Comitatu* HAINRICI *Comitis filii* LVITPALDI MARCHIONIS, *in loco* NVIVANHOVA *dicto, idem cum eadem curte in proximo confinio adiacentes XXX regales hobas cum terris cultis & incultis ..... ſuper gremium Friſingenſis Eccleſiæ ad ſervitium Sanctæ MARIÆ, ſanctique Chriſti Confeſſoris Corbiniani Pontificis cui nunc fidelis noſter* GODESCALCVS *venerabilis præſidet Epiſcopus, in proprium atque perpetuum uſum conceſſimus .... Signum Domini Ottonis Regis Auguſti. Hildibaldus Epiſcopus & Cancellarius vice Willigiſi Archicancellarii notavi. Data Kal. Nov. anno Domini DCCCCXCVI. Indict. X. anno autem XIII. Ottonis regnantis, Imperii vero I. Actum in Eruchſelle feliciter amen.*

Oſterrichi. In publicis Litteris Heinrici III. Imp. datis *XIII. Kal. Aug. Anno Domini Hainrici Tertii Regis, Secundi Imperatoris, ordinationis eius XXIV. regni vero XIII. Imperii VI.* ſcribitur OSTERRICHI: & in charta cuiusdam donationis Heinrici IV. facta *VIII. Kal. Novemb. anno Dominicæ Incarnationis MLXIII. Indict. II.* *Oſterriche.* *anno autem ordinationis Domini Heinrici Quarti Regis IX. regni vero VII.* OSTERRICHE: tum in eiusdem Heinrici IV. alio Diplomate, quod ſummatim affert *Oſtricha.* Hundius Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 306. OSTRICHA in MARCA ERNESTI MARCHIONIS, ac denique in eodem Diplomate integre relato a Gewoldo in Additionibus ad Hundii Catalogum Epiſcoporum Patavienſium *Pagus Auſtriæ. Marchia.* pag. 368. PAGVS AVSTRIÆ in MARCHIA ARNESTI MARCHIONIS. Tria hæc Heinricianæ liberalitatis monumenta integra habes in ſæpius laudata Metrop. Salisburg. Tom. I. pagg. 366. 367. & 368.

§. XIX.

Provincia Orientalis. Præter hæc reperimus AVSTRIAM Noſtram etiam PROVINCIAM ORIENTALEM, itemque MARCHIAM & MARCHAM ORIENTALEM in Henrici II. cognomento Sancti præceptis nominari, ex quibus unum integrum huc referre juvat ex Metropolis Salisb. Tom. I. pag. 143. & ſeq. quod huiusmodi eſt:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hainricus Divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si venerabilibus Eccleſiarum Dei locis quidquid largimur beneficii, neceſſitatesque Eccleſiarum noſtro relevamus iuvamine, id profecto & animæ & regni noſtri ſaluti provenire non dubitamus. Proinde omnibus Chriſti noſtrisque fidelibus notum eſſe volumus, qualiter nos ob recordationem æternam Domini ſenioris noſtri Ottonis Imperatoris Auguſti, ob ſpem quoque Divinæ remunerationis tam nobis, quam etiam dilectæ conſectalis Kunigundæ impetrandam, atque fideliſſimum venerandi Præſulis Friſingenſis ENGILBERTI obſequium amoremque dedimus quandam partem cuiusdam inſulæ, SAHSONAGOVE *dictæ, ad Monaſterium S. Stephani protomartyris, in Epiſcopatu eiusdem egregii Antiſtitis, ab eodem Præſule conſtructum, fratribusque inibi Chriſto militantibus, in* PROVINCIA *ſcilicet* ORIENTALI *iuxta Danubium, & in* MARCHIA ADALBERTI [1] COMITIS

[1] Is eſt tertius Auſtriæ Marchio.

ſtam,

sitam, & his terminis inclusam. A loco enim SVNTMESPRVCKA *sursum per ripam Danubii usque in locum,* ORTA *dictum, & inde usque in Sylvam, quam* HART *vulgariter nuncupant, & a supradicto ponte per directum usque in eandem sylvam* HART, *ipsam videlicet insulam* SAHSONAGOVE, *quantum suprascripto continet termino, & quicquid reliquum terræ cultæ & incultæ inter prædictum invenitur terminum, cum areis, ædificiis, aquis, piscationibus, venationibus, Zidelweidis, pascuis & lignorum incisionibus, omnibus illic habitantibus, & quicquid utilitatis mihi poterit inveniri: ea ratione hanc nostram concessionem S. Stephano & iam dictis fratribus firmantes, ut nullus Episcopus seu alia quælibet persona potestatem habeat eam inde alienare vel auferre. Et ut hæc nostræ concessionis munificentia omni ævo stabili tenore firma & inconvulsa permaneat, hoc præsens præceptum inde conscriptum, manu propria roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Guntherus Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognovi. Data XVIII. Kal. Decemb. Indict. IV. anno Dominicæ Incarnationis MXXI. anno Domini Henrici regnantis XX. Imperii autem VII. Actum apud villam Moringen.*

Alia duo Diplomata ab eodem Heinrico Sancto Monasterio Altahæ Inferioris de bonis quibusdam, in Austria sitis, indulta, in quorum uno, anno Dominicæ Incarnationis MXI. condito ea in MARCHA & in COMITATV HEINRICI MARCHIONIS, in altero de anno MXIX. in MARCHA & COMITATV ADALBERTI MARCHIONIS esse dicuntur, vide, si lubet, apud Hundium Gewoldianum Tom. II. Metropolis Salisb. p. 24.

Bertholdus Constantiensis in Chronico pag. 375. edit. Vrstisianæ AVSTRIAM etiam ORIENTALE REGNVM, & Otto Frisingensis Episcopus de Gestis Friderici I. capp. 30. 31. & 44. ORIENTALEM MARCHIAM, ac ORIENTALEM TEVTONICORVM MARCHIAM cognominavere. *Orientale regnum. Orientalis Marchia.*

§. XX.

Pervulgatum etiam nomen AVSTRIÆ media ætate fuit ORIENS, id quod diversæ donationum Chartæ satis ostendunt. Ex his placet huic loco unam inserere, qua Heinricus I. Dux AVSTRIÆ montem quendam situm inter duo prædia *Tornbach, & Zemperuoprehtis* Monasterio S. Petri apud Salzburgum tradit, ex authentico, dum Salisburgi ageremus, a nobis exscriptam. En eam! *Orient.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Heinricus Dux ORIENTIS. *De Substantia temporalium rerum inopiam pauperum Christi sustentare Divina auctoritate nobis præcipitur, quatinus dum illorum supplemus inopiam, nos, qui curis secularibus intendimus, tandem eorundem precibus suffragantibus clementia Christi ab huius mundi procellosis turbinibus eruti ad portum optatæ requiei perducamur. Eapropter saluti nostræ in futurum providentiæ, animæque dulcissimæ Coniugis nostræ Dorotheæ,* [1] *& parentum nostrorum remedium conquirentes proprietatem quandam, quæ successione antecessorum nostrorum nos contigit, videlicet montem, quo quendam Ministerialem nostrum, Oudalricum nomine, aliquando inbeneficiavimus, situm inter duo prædia* TORNBACH & ZEMPERVOPREHTIS, *ad Monasterium B. Petri* SALZBVRCH *precibus dilecti nobis* HEINRICI *Abbatis, qui eidem Monasterio spiritali regimine prælatus est, inducti, potestativa manu tradimus. Huic vero traditioni interfuerunt quam plures fidelium nostrorum, & hi testes adhibiti sunt. Gebehardus Comes de Purchusen, Comes Liutoldus de Plain, Adelram de Champe, Hartwicus de Mosbach, Pertholdus de Wolmuthsa, Adelbero de Chunringen, Wernhardus de Riede, Adelbero de Purchartsdorf, Raporo & frater eius Otto de Gundramsdorf, Heinricus de Churberch, Adelbero de Gunpendorf, Pilgrimus de Zuetele, Diepoldus de Alsa, Eberhardus de Wine. Vt autem hac nostra traditione apud successores nostros præfato Monasterio omnem controversiam auctoritas nostra in perpetuum semoveat, paginam hanc inde conscribi, & sigilli nostri impressione præcepimus insigniri. Anno ab incarnatione Domini MCL.* Hactenus Diploma Heinrici Austriæ Principis. In quo Lector eruditus advertat, haud

[1] *alias:* Theodoræ. *Sed idem nomen est* Theodoræ & Dorotheæ, *quod Græce* Dei donum *&* donum Dei *significat.*

dubie

dubie Heinricum ſe ideo iam anno MCL. ORIENTIS DVCEM nominaſſe, quod Dux Bavariæ ſimul & Marchio Auſtriæ, anno demum MCLVI. in Ducatum erectæ, eſſet. Nec aliter intelligenda eſt ſequens eiusdem Heinrici Traditio facta Monaſterio Admontenſi, quam in Codice Diplomatico Admontenſi nuper frater Tom. III. Theſauri Anecdot. Noviſſ. Parte III. col. 768. publicavit, & ita habet:

Anſelmus Miniſterialis Heinrici DVCIS *de* ORIENTE *vendidit & delegavit ipſe & uxor eius & filii eius locum curtis apud* CHREMESE[1] *in* ORIENTE *pro XV. talentis, quod quia ſine licentia Domini ſui Ducis præſumpſerat, idem Dux locum curtis eundem Cœnobio auferre voluit. Sed cito converſus traditionem illius curtis, quam fecerat ſuus Miniſterialis, ſua traditione confirmavit. Hanc traditionem Dux Ratiſponæ fecit his teſtibus præſentibus & per aurem tractis: Heinrico urbis Præfecto, Liutoldo Comite de Plain, Vdalrico de Stivene, Poppone de VVinkelē Miniſterialibus Ducis & pluribus aliis.* Porro cum memoratus in hac traditione Anſelmus is ipſe eſſe videatur, qui iam ſub S. Leopoldo, Heinrici patre, Miniſterialem egit, ut ex vita S. Bertholdi Abbatis Garſtenſis conſtat; eius delegatio vix poſt annum MCLV. atque adeo poſt Auſtriæ Marchionatum in Ducatum a Friderico I. Imp. converſum facta fuerit. Vocatur nihilominus Heinricus in Traditione DVX ORIENTIS; propterea quod præter Marchionatum Auſtriæ etiam DVCATVM Bavariæ iam ab anno MCXLII. teſte Vito Arnpekhio Chron. Bavar. Lib. IV. c. 49. aut ex Chron. Mellic. ab anno MCXLI. gubernaret. Sed ut omnem Lectori ſcrupulum circa univerſam hanc rem auferamus, palamque fiat, Heinricum Ducem Bavariæ, ſimulque Auſtriæ Marchionem, etiam, antequam ex Auſtriæ Marchionatu Ducatus crearetur, titulo Ducis ORIENTIS & AVSTRIÆ uſum fuiſſe, libet in medium proferre inſignem chartam hactenus publico non viſam ex Codice Traditionum Monaſterii Seittenſtettenſis O. S. Ben. in Auſtria, qua Miniſterialis ſuæ Haylwigis donationem eidem Cœnobio factam confirmat in hunc modum.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hainricus gratia Dei DVX AVSTRIÆ omnibus Dominum timentibus ſalutem. Quia thronus Principum iuſtitia firmatur, & miſericordia adornatur: idcirco iuſtitiam in iudicio prætendimus, & miſericordiam in opportunitate offerimus, his tamen præcipuè, qui voluntarie ſeculo renunciantes Deo propenſiori ſtudio deſervium, quorum meritis & precibus ante tribunal Chriſti nos non minimum adiuvari confidimus. Hanc ergo immobiliter habentes fiduciam humili petitioni Fratrum de SYTANSTETEN *annuentes, Miniſterialem noſtram* HAYLWIGEM DE PIRBAVM *patrimonium ſuum cupientem offerre ad altare S. Dei Genitricis Mariæ in prædicto loco* SYTANSTETEN *pia devotione cum uxore & filiis proſecuti ſumus. Nec ei ſolum facultatem huius facti noſtra conceſſione tribuimus, verum etiam ad maiorem eiusdem donationis firmitatem manu propria cum uxore & filiis in manu Comitis Chunradi de Pilſtain idem prædium delegavimus tali pacto, ut ſimul & tuitionem in eisdem bonis haberet, & quandocunque Abbas prædicti Monaſterii expoſtularet, eandem donationem explere ulterius non differret. Quod & poſtea idem Comes Chunradus, ut iam prælibatum eſt, peregit. Itaque cum dignitas noſtræ ſublimitatis exigat, ut omnes ſub noſtro principatu ſecure vivant, & ſub noſtra defenſione feliciter gaudeant: hæc, quæ prælibata ſunt, ne ſucceſſorum noſtrorum violentia perturbentur, in præſenti carta deſcribi, & ſigilli noſtri auctoritate firmari iuſſimus, & ad maiorem fidem faciendam Nobilium ac Miniſterialium nomina, qui præſentes fuerunt, annotari fecimus. Comes Chunradus de Pilſtain, Comes Hainricus de Shalach, Comes Liutoldus de Plage, Albertus de Berge, Walchun de Chlamme, Otto de Rechperg, Ditricus de Algerſpach, Hadmarus de Chuffarn, Egeno & frater eius, Alraimus de Vrla,*

[1] Crembs.

Albero

Albero de Chunringe, Wernhard de Rabenſtain; Wernhard de Lauendorf, Chunrat de Hofſteten, Wichart de Scvelte, Hainricus de Miſtelbach, Arnhalmus de Volchensdorf, Hartwich Boum, Hildebrant de Farowe & alii quam plures. Geſta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Indictione III.

In hoc Diplomate vides integro anno ante, quam AVSTRIÆ MARCHIONATVS in DVCATVM commutaretur, Heinricum AVSTRIÆ DVCEM adpellari, ſine dubio propterea, quod Marchionatus Auſtriæ cum dignitate DVCATVS BAVARIÆ in uno eodemque principe coniunctus eſſet. Sed hæc veluti per tranſennam. Ad nomenclationem AVSTRIÆ redeamus, quam non ſolum in veteribus Donationum chartis, ſed etiam ab Hiſtoricis ORIENTEM dictam fuiſſe certiſſimum eſt. Annales Francorum Fuldenſes apud Cheſnium Tom. II. Script. Rerum Francic. pag. 576. *Imperator* (Ludovicus) *per VVatouariam ad ORIENTEM proficiſcitur, veniensque prope flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit &c.* De Tullina Auſtriæ oppido, quod Tullina Fluviolus præterlabitur, vide, quæ ſupra §. XIV. adnotavimus. Martyrologium Benedicto-Buranum in Bavaria ab annis ſexcentis in membrana deſcriptum paſſionem S. Colomanni Martyris & Auſtriæ Tutelaris ad III. Idus Octob. ſignat his omnino verbis: *Item ſancti KOLOMANNI Martyris, qui in* ORIENTE *paſſus eſt.* Locum martyrii Martyrologus fortean ignoravit, aſt eum veruſtum Martyrologium Mellicenſe, & cum eo cætera omnia antiquiora gentis noſtræ Chronica ita exprimunt: *Anno MXII. beatus Cholomannus martyrizatus eſt & ſuſpenſus apud* STOCHEROWE, id eſt: Stockerau, nobile nunc *Auſtriæ inferioris* trans Danubium municipium. Eadem de cauſa veteres Marchiones & Duces Auſtriæ, MARCHIONES & DVCES ORIENTALES in veruſtis monumentis paſſim nuncupantur. Sanctus Leopoldus in Litteris fundationis Clauſtro-Neoburgenſis, quas in *Summario Proceſſus eiusdem canonizationis* col. 617. apud nos reperies, ſe ipſe MARCHIONEM ORIENTALEM appellat, ut ne quid dicamus de Ottone Friſingenſi, Ottone Sanct-Blaſiano, aliisque veteribus Scriptoribus, apud quos eadem frequentiſſima Marchionum & Ducum AVSTRIÆ cognominatio & deſcriptio eſt.

§. XXI.

Quid, quod nec antiqui Scriptores deſint, qui AVSTRIAM noſtram etiam BAWARIAM ORIENTALEM vocitarunt, ſive quod AVSTRIA ſupra Anaſum fluvium conſtituta a veruſtis temporibus usque ad annum MCLVI. iuris Baioarici eſſet: ſive quod iam inde a Caroli M. ævo usque ad ætatem Heinrici I. aut certe unius ex tribus Ottonibus, de quo poſtea diſputabimus, utraque AVSTRIA ceu Germanici Imperii ac præcipue Baioarici regni LIMES a Baioraicorum Regum Præfectis & Comitibus contra Hungaros ab Ortu imminentes defenderetur, regeteturque? Non niſi enim a decimo circiter ſeculo per proprios, & a ſolo Romano Imperatore conſtitutos Comites & Marchiones, quorum primi e ſtirpe BABENBERGENSI reliquos rerum geſtarum magnitudine propemodum obliterarunt, AVSTRIA INFERIOR gubernari cœpit: nec SVPERIOR niſi anno MCLVI. auctoritate Friderici I. Imp. a nomine ſimul & iure Bavarico avulſa fuit, ut patet ex eiusdem ea de re Imperatoris Diplomate, cuius partem col. 1050, integrum vero in Viti Arnpekhii, non Prioris Eberſpergenſis, ut olim cum aliis putavimus, ſed Presbyteri Landshutani Chro-

Bauaria Orientalis.

nico tam Auſtriaco a col. 1195. ad 1197. quam etiam Baioarico in Tom. III. Theſauri Anecdot. Noviſſ. Parte III. col. 218. ambo fratres edidimus.

Porro autem, qui AVSTRIÆ ſub BABARIÆ ORIENTALIS nomine ex paulo antiquioribus meminerint, tres hactenus reperimus. Primus eſt Anonymus Tegernſeenſis, Vitæ S. Quirini Martyris & Tegernſeenſium Cœnobitarum Tutelaris Scriptor, quem ex vetuſtate Codicis, in quo eius opus inerat, ſaltem circa ſeculum XII. vixiſſe coniecimus. Hic hiſtoriam fundationis trium Monaſteriorum (inter quæ & unum eſt Sanct-Hippolytenſe Can. Reg. S. Aug. in Auſtria inferiore) ab Adalberto & Otkario, nobiliſſimis Baioariæ Dynaſtis conditorum, attingens, iſta ſingulis loca adſignat: *Norica*, inquit, *provincia tria fert horum . . . e quibus duo Canonicorum Cœnobia duobus Sanctis, Arſatio & Ypolito, Confeſſori & Martyri renovant . . . aliud in Friſingenſi Barrochia: aliud, id eſt: Sancti Ypoliti in* ORIENTALI BAWARIA, *quæ* NORICVM RIPENSE *vocatur.*

Alter eſt beati Altmanni Epiſcopi Patavienſis Biographus antiquior, anonymus Monachus Gottwicenſis, itidem ſexcentorum fere annorum auctor, qui num. 28. Vitæ col. 128. delibatis fabuloſis Boiorum originibus: *& quia*, inquit, NORICVM *nominavimus, etymologiam eius, ſi placet, exprimamus.* BAWARII *traduntur ab Armenia oriundi, qui cum magna multitudine de finibus ſuis egreſſi hanc terram* (AVSTRIAM) *ſunt ingreſſi, & expulſis Aboriginibus, pro eis habitaverunt, & terram de nomine Ducis* BAWARO BAWARIAM *nominaverunt. Hanc poſt multos dies* NORIX *filius Herculis expugnans,* NORICVM *ex ſuo nomine vocavit: in qua & civitatem* TYBVRTINAM, *quæ nunc* RATISPONA *dicitur, ædificavit.* RIPENSIS *autem, quæ nunc* ORIENTALIS *dicitur, ideo vocatur, quia ſubductis montibus ripa Danubii undique vineis & arvis fœcundatur.* Ita ille.

Vltimus eſt itidem anonymus, Canonicus Regularis, ut videtur, Sanct-Florianenſis, qui Sancti Floriani Martyris acta recentiora in ſcripta redegit. Is num. 3. col. 401. eodem, quod duo priores AVSTRIÆ nomen tribuere, vocabulo eandem fuiſſe comprehenſam in hæc verba confirmat: *unde cum ORIENTALIS BAVVARIA, quæ olim RIPENSIS NORICA, nunc autem AVSTRIA nuncupatur, cuius termini ab Oeno flumine usque ad confinia protenduntur Pannoniæ, Romano ſubiecta eſſet imperio, quemadmodum per Præſides, qui ad civitatem Lauriacenſem ab eisdem mittebantur, patenter oſtenditur. Habebant etiam in eadem Provincia militiam copioſam &c.* Fuere igitur, licet non admodum multos exiſtimemus, qui AVSTRIAM etiam BAWARIAM ORIENTALEM olim cognominaverint.

§. XXII.

Enarratis in hunc modum antiquioribus iamque pridem abolitis AVSTRIÆ nominibus, nunc ſupereſt, ut de eo quoque, quo hodie gaudet, Germanico quidem Oeſterreich, Latino autem AVSTRIÆ, non nihil diſſeramus, accuratiusque, quo tempore hæc Provincia AVSTRIA dici cœperit, indagemus.

Oeſterreich. *Auſtria.*

Omiſſis variis variorum de vera utriusque adpellationis notione coniecturis & opinationibus, quas operoſius refellere non vacat, utriusque vocabuli tam Germanici Oeſterreich, quam Latini AVSTRIA, unicam germa-

namque

namque originem, antiquam Theodiscæ linguæ vocem OSTIRRICHI esse statuimus. Porro iam supra §. XVIII. ad Ottonis III. Diploma, in quo AVSTRIA OSTIRRICHI vocatur, observavimus, hanc posteriorem vocem ex duobus Theodiscis vocabulis, OST, scilicet, quod ORTVM seu ORIENTEM notat, & RICHI, quod regnum significat, compositam & conflatam esse, iunctimque nil aliud, quam *regnum Orientale* innuere. Itaque cum OSTIRRICHI veterum Francorum & Germanorum lingua Regnum seu Regionem talem indicet, quæ Orientem spectet, AVSTRIA vero habita reliquæ Germaniæ ratione huiusmodi situm obtineat: nullo negotio comprehenditur, qua ratione hodiernum Latinum nomen AVSTRIÆ, & Germanicum Oſterreich, ut habent veteres nostrorum Principum tabulæ, seu Oeſterreich a memorata voce OSTIRRICHI promanarit. Nempe nihil aliud est AVSTRIA, OSTIRRICHI, OSTERREICH, & OESTERREICH, quam regio vel regnum Orientale. Quo modo veteres Franci eam Galliæ partem, quæ inter Mosam & Rhenum porrecta, NEVSTRIÆ seu occidentali eiusdem regni parti ab ortu obiecta erat, etiam AVSTRIAM vocitaverunt, de cuius etymo vide Hugonem de Sancta Maria Monachum Floriacensem Lib. III. Histor. Eccle. apud Chesnium Tom. II. Script. Historiæ Franc. pag. 16. Carolum Cangium in Gloss. aliosque plures tum veteres tum recentiores rerum Francicarum Scriptores. Quin etiam hodierna Franconia, quam iidem Franci Occidentales FRANCIAM ORIENTALEM propterea dixere, quod Occidentali Franciæ ad Solis ortum prætenderetur; partemque Orientalis Franciæ conficeret; quondam AVSTRIA adpellata fuit teste Rhabano Mauro, Archiepiscopo Moguntino, in cuius Martyrologio ad VIII. Id. Julii his verbis S. Chiliani primi Wirzburgensis Episcopi & Martyris Natale adnuntiatur: *in pago* AVSTRIÆ, *& castro, nomine VVirtziburg, iuxta Moin fluvium, Sanctorum Natale Kiliani & duorum Sociorum eius.* Valeant ergo omnes, quotquot concionibus & declamationibus adsueti, aliam vocis AVSTRIÆ, ac Oeſterreich originem, quam nos indicavimus, volunt obtrudere.

Cæterum AVSTRIÆ vocabulum, quo quidem hodierna nostra ad Danubium Provincia designata a veteribus sit, vix ante seculum XI. auditum arbitramur. Neque enim id nobis, tot gentis nostræ aliarumque nationum Chronicis & Annalibus, vetustisque Diplomatibus ac chartis evolutis, quæ ante id tempus condita sunt, hactenus, quod quidem meminerimus, occurrit. Duo tantum certa seculi XI. videre licuit instrumenta, in quibus expressa AVSTRIÆ mentio fit. Eorum primum ab Ernesto, ab anno MLV. ad MLXXV. Austriæ Marchione est, quod integrum ex R. P. Philiberti Hueberi, Sodalis nostri *Austriæ ex Archivis Mellicensibus illustratæ* Lib. I. c. I. hic repræsentamus.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus in Christo renatis tam præsentibus quam & futuris, qualiter ego ERNVSTO AVSTRIÆ MARCHIO cum dilectissima thori nostri socia, Domina SWAENEHILIDI MARCHIONISSA, & filio nostro LIVPOLDO, pro remedio nostrarum & omnium debitorum nostrorum, animarum, de redditibus nostris prædium quoddam, WIKKENDORFF *dictum, infra limitum suorum terminos diffinitum, titulo Sanctæ Crucis & Sancti Petri & Sancti Cholomanni Martyris in Medlicensi Cœnobio, quod ab antecessoribus nostris fundatum est, in usum ibi Deo militantium, tam in cultis quam in colendis, potestativa manu sine omni contradictione delegavimus, & subscriptorum testium allegatione, & sigilli nostri impressione*

confirmamus.

confirmamus. Terminant autem idem prædium de Hagingraube in Adelmanesbrunne, inde in Stotpharich, inde in Marechke, inde in Crithle, inde in Alherstorff. Cuius delegationis teſtes facti ſunt hi nominetenus adnotati: Oezo Marchio de Styre, Ekbertus Comes de Forinbache, Frideritus Comes de Tengelingen & filii eius Sigehardus & Fridericus, Vlrich de Gosheime, Rudolf & filius eius Wilchun de Perge, Albrecht de Chiuliube & filius eius Rapot, Aeribo de Treiſin, Otto Moſchengiſt, Pernhart de Rurnrippe, Marchard de Slaeuncz: & Miniſteriales Marchiæ Azzo de Gobatzpurch & filii eius Anshalm & Nizo, Poppo de Ror, Vlrich de Chadowe, Alber de Zebingen, Adelold Chrewzzaere, & alii. Miniſteriales autem Eccleſiæ Roëzil & filii eius Rudolff de Medliche, Rodbertus & Heimo & Gundacher de Hezingen cum aliis multis. Deſunt notæ Chronicæ.

Alterum vetus monumentum, in quo iam ſeculo XI. nomen AVSTRIÆ comparet, ſunt Litteræ fundationis Monaſterii S. Nicolai extra muros urbis Patavienſis, a B. Altmanno *datæ apud Pataviam anno MLXXIV. Indict. IX. duodecimo Kal. Junii.* In iis cum diverſas poſſeſſiones a ſe Canonicis Regularibus S. Nicolai donatas recenſuiſſet Altmannus, tum & has adiungit: *Item in AVSTRIA in riure circa RVSTE & EITZENDORFF unam decimam.* Cuius decimæ, uti & aliorum ſitorum in Auſtria bonorum *Advocatum LEVPOLDVM piuſſimum Marchionem TERRÆ AVSTRALIS* ibidem conſtituit Altmannus ſanctiſſimus Patavienſis Eccleſiæ Antiſtes. Integrum hoc inſtrumentum, qui videre cupit, conſulat Metropol. Salisb. Hundii Tom. II. a pag. 531. ad 535.

Si extra controverſiam eſſet collocatum, Froumundum Tegernſeenſem Cœnobitam, quem Gotſcalco Epiſcopo Friſingenſi & Ottoni III. Imp. æqualem fuiſſe conſtat, eſſe genuinum auctorem *Hiſtoriæ Fundationis Monaſterii Tegernſeenſis*, a fratre Tom. III. Theſauri Anecdot. Noviſſ. Part. III. a col. 473 in lucem elatæ: nomen AVSTRIÆ ſub finem ſeculi X. aut ſaltem initio ſeculi XI. non incognitum fuiſſet. Is enim auctor AVSTRIÆ diſſertiſſime meminit cap. III. col. 487. ubi dum Adalberti & Otkarii, Tegernſeenſium Fundatorum in ornandis ſacris locis ſolicitudinem celebrat, his ipſis verbis utitur: *Ipſi vero interim cœpto operi propenſiori cura inſiſtebant: & ut effectum honeſtum citius ſortiretur, æquanimiter certabant, erigentes quoque & ipſi, & prælibatus conſanguineus eorum (Vto) alios titulos & Eccleſias per plurima loca in proprio fundo, quas reliquiis, nec non ſuis prædiis ſufficiente dote ditaverunt. Vnde Reliquiis ſancti Hippolyti Eccleſia in partibus* AVSTRIÆ, *quæ adhuc eiusdem Martyris nomine titulatur, honorificata eſt &c.* Verum quia de Auctore illius Hiſtoriæ, eiusque ætate nihil nobis certum ſuppetit, nec frater quidquam niſi coniectando edixit, eius auctoritate necdum induci potuimus, ut ſtatueremus, nomen AVSTRIÆ, huic noſtræ Provinciæ nunc propinum, ante medium ſeculum XI. a quoquam uſurpatum fuiſſe. Porro a ſeculo XII. usque ad ætatem noſtram propemodum ubique conſtanterque hæc regio AVSTRIA adpellatur, ut ex Chronicis Mellicenſi, Salisburgenſi, Clauſtroneoburgenſi, Zwetlenſi vetuſtiori cæterisque, quæ primo noſtro volumine publicavimus, perſpicuum eſt.

§. XXIII.

Atque hæc fere ſunt, quæ de diverſis antiquisque utriusque AVSTRIÆ Nominibus ex probis veteribusque monumentis memoranda videbantur. Ex quibus Matthæus quidam vel Gregorius Hagenus, cuius Germanicum

AVSTRIÆ Chronicon a col. 1052. ad 1158. hic primum in lucem prodire iussimus, fabulositatis palam arguatur; AVSTRIÆ quondam hæc nomina fuisse stolide mentientis: IVDEISAPTA, ARRATYM, SAVRITZ, SANNAS, AVARATA, PANNANS, TANTANIO, MITTANANS, FANNAVE, EILAN, RARASINA, aliaque id genus plura, omnibus retro Geographis & Historicis incognita, & ad evocanda e Tartaro monstra quam ad conciliandam sani hominis fidem accommodatiora. Sed missis huiusmodi nugis & somniis, risu quam refutatione dignioribus, age iam, & ad vestigandos veteres AVSTRIÆ indigetes & inquilinos accedamus.

DISSERTATIO III.

DE VETERIBVS AVSTRIÆ INQVILINIS.

§. I.

ANtequam de veteribus AVSTRIÆ populis disserere occipiamus, impense rogamus Lectorem nostrum, ut divisionem hodiernæ AVSTRIÆ, quam §. I. præcedentis Dissertationis dedimus, ex animo ne dimittat; sed, si omnia ordine & sine perturbatione cupiat cognoscere, sibi perpetuo ob oculos statuat. Nos enim qui res obscurissimas illustrare, & perturbatissimas plane ac perspicue tradere constituimus, nihil agemus, nisi eam AVSTRIÆ distributionem Lector probe constanterque retinuerit. Enarrabimus enim veteres populos & inquilinos AVSTRIÆ, non ut quique nobis in veteribus Scriptoribus occurrerunt, sed ordine & habita ratione partium AVSTRIÆ, quas quique diversis priscis temporibus populi coluere. Initium libet capere ab AVSTRIA CIS-DANVBIANA, quam in tres partes tribuimus, nempe in hodiernam AVSTRIAM SVPERIOREM, quæ Aneso, Danubio, & Trans-Oenanæ Bavariæ agro circumscribitur. In AVSTRIAM INFERIOREM CIS-CETIANAM, quæ ab Aneso ad montem Cetium procurrit: & in AVSTRIAM INFERIOREM TRANS-CETIANAM, quæ a monte Cetio usque ad Leytham fluvium tenditur, olimque magnam Superioris Pannoniæ partem absumpsit. Alteram Dissertationis nostræ partem sibi vendicabunt populi AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ, quam itidem in SVPERIOREM & INFERIOREM, quarum illa fluviolo Ispra, iugis Bohemicis & agro Patavienſi: hæc Ispra, finibus Bohemiæ, Moraviæ, Morави Danubiique confluentibus inclusa est, divisam esse initio prioris Dissertationis docuimus. Populos AVSTRIÆ SVPERIORIS CIS-DANVBIANÆ primum lustremus.

§. II.

Omnibus vestigiis indagantibus nobis, ecqua gens illam hodiernæ AVSTRIÆ partem, quam SVPERIOREM, vulgo das Land ob der Ens nuncupamus, primum omnium incoluerit: nulla fere BOJIS vetustior occurrit. AVSTRIÆ SVPERIORIS CIS-DANVBIANÆ VETERES POPVLI

 Boii.

Hanc enim antiquiſſimam Galliæ gentem, quæ cum Volcis Tectoſagibus & Helvetiis Duce Sigoveſo, anno ante Chriſtum natum Sexcenteſimo, ex eruditiſſimi Marci Velſeri calculo, Rhenum transgreſſa in ſaltus Hercynios conceſſit, inde quoque in Pannoniam & NORICVM RIPENSE, ac eum præſertim tractum, qui ab Oeno in ortum & Septentrionem tendit, commigraſſe, ex vetuſtiſſimis Scriptoribus cognoſcimus. Certe de Volcis Tectoſagibus Auctorum ſummus Divus Julius Lib. VI. de Bello Gall. diſſerte id tradit: *fuit antea tempus*, inquit, *quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertiliſſima ſunt, Germaniæ loca circum Hercyniam Sylvam, quam Eratoſtheni & quibuſdam Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt.* Vbi Cæſarem *Volcarum Tectoſagum* nomine BOJIOS complecti voluiſſe, viri docti contendunt nixi auctoritate Cornelii Taciti in German. cap. 28. ubi quod Cæſar tecto nomine de BOJIS prodidit, id Tacitus aperte his verbis ſignificavit: *igitur inter Hercyniam Sylvam, Rhenumque & Mœnum amnes Helvetii, ulteriora BOJI, Gallica utraque gens tenuere.* Horum poſtremos horridam illam & montibus undique incinctam regionem, quæ a BOJORVM populo BOJOHEMI ſeu BOJEMI nomen ſortita hodieque BOHEMIA dicitur, inſediſſe ex citato Taciti capite manifeſtum eſt: *manet adhuc*, inquit, *BOJEMI nomen, ſignificatque veterem loci memoriam, quamvis mutatis cultoribus*, Marcomannis ſcilicet in BOJORVM locum ſuffectis.

§. III.

Porro antequam BOJI ex his ſedibus a Marcomannis eiecti fuiſſent, illos etiam in NORICVM traiecto Danubio abiiſſe, indeque ab Helvetiis veteribus ſociis in Galliam adverſus Romanos evocatos transiiſſe, auctorem habemus Cæſarem, qui Lib. I. de Bell. Gall. de iis ita ſcribit: *perſuadent* (Helvetii) *Rauracis & Tulingis & Latobrigis finitimis, uti eodem uſi conſilio, oppidis ſuis vicisque exuſtis una cum iis proficiſcantur: BOJOSque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum NORICVM tranſierant, NORICAMque* (alii legunt NOREJAM) *oppugnarant, receptos ad ſe ſocios ſibi adſciſcunt.* Quæ verba Cæſaris non de NORICO tantum Mediterraneo, ſed multo maxime de NORICO RIPENSI, qua Aneſo & Oeno fluviis Danubioque alluitur, utpote quod de BOJOHEMO in NORICVM tranſituris BOJIS primum objiciebatur, accipienda eſſe ipſa ratio docet. In Notitia Imperii ſub diſpoſitione Ducis Pannoniæ Primæ ac NORICI RIPENSIS *Tribunus cohortis BOJODORO* nominatur. Fuit igitur BOJODORVM ſeu BOJODVRVM *Norici Ripenſis* civitas, quam a BOJIS in NORICVM invadentibus extructam & cognominatam fuiſſe viris doctis merito perſuaſiſſimum eſt, qui præterea cenſent, BOJODVRVM abolito veteri nomine eum ipſum nunc eſſe locum, quem ab Oeno fluvio quo alluitur, die Innſtadt vulgus appellat, Vrbi Patavienſi ponte ſuper amne ſtrato coniunctum. Itaque antiquiſſimis temporibus BOJOS eam Auſtriæ regionem portionemque, quam nunc SVPERIOREM AVSTRIAM dicimus, occupaſſe, nullum dubium eſt.

§. IV.

Haud satis compertum habeo, num ii populi, quos Claudius Ptolomæus in *Norico* collocat, iam ante BOJORVM adventum id obtinuerint; an vero postea aliunde advecti eo immigraverint. Si prius verius est, eam NORICI RIPENSIS partem, quæ nunc AVSTRIA SVPERIOR dicitur, SEVACES & ALANÆ primi, quorum quidem nobis nomina constent; illius AVSTRIÆ tractus incolæ extiterunt. Ptolomæus enim Cosmograph. Lib. II. vet. edit. hos in NORICO populos, hisque finibus contentos recenset: *Tenent autem*, ait, *occidentaliora regionis a Septentrione incipientes SEVACES & ALANÆ, qui & AMBESONTII dicuntur: magis vero occidentalia NORICI & AMBIDRANI ac AMBLICI.* Quod si verum est, apparet SEVACES & ALANAS seu AMBESONTIOS in NORICO RIPENSI, & quidem in eo eiusdem agro, qui a Danubio inter Trunam & Anesum proxime diffunditur, sedes suas habuisse, ut qui teste Ptolomæo *Occidentaliora regionis a Septentrione incipientes tenuerint*: NORICOS vero & AMBIDRANOS AMBLICOSque inter Trunam & Oenum, utpote *magis Occidentalia* occupantes habitasse. Et tamen in Quinta eiusdem Ptolomæi Europæ Tabula ALANÆ sive AMBESONTII non ad Danubium, Trunam, Anesum & ad Septentrionem, sed potius ad Oenum fluvium occidentaliorem; NORICI contra & AMBIDRANI ac AMBLICI ad Danubium & Anesum Septentrioni obiectum accolunt, quod novo argumento est, plura in Ptolomæo, quem nunc in manibus habemus, imperitorum hominum oscitantia perturbata & depravata esse. Cæterum mirari subit, unde hæc populorum in NORICO quondam degentium nomina Ptolomæus, homo in Ægypto scribens, acceperit, cum apud antiquiores Auctores nulla penitus eorum (si unos NORICOS excipias) memoria extet.

Sevaces. *Alanæ seu Ambesontii.* *Norici.* *Ambidravi.* *Amblici.*

§. V.

Multo certiora & veterum auctoritate testatiora sunt, quæ supra de BOJIS, AVSTRIÆ SVPERIORIS primum hospitibus, dein incolis tradidimus. Qui BOJI interiectis aliquot a primo in NORICVM transitu seculis immensum aucti sunt, cum eorum fratres BOJOHEMI regno a Marcomannis pulsi Vindeliciam omnem, quæ hodierna Bavaria est, NORICVMque inundarunt: a quo tempore usque ad Annum Domini MCLVI. AVSTRIA SVPERIOR & iuris & nominis BOJOARIOI, BAJOARICI seu BAVARICI BAVARIOIVE fuit. Non vacat hic curiosius operosiusque investigare, quo terrarum BOJI qBOJOHEMO expulsi primum concesserint, nec quænam illa ora fuerit, ex qua proxime in Vindeliciam Noricumque traiecerint. Id enim omnino incertum maximeque controversum est, nec quidquam adstrui potest, quod meris coniecturis non innitatur, ut fieri assolet, ubi coævis idonesque veterum rerum Scriptoribus destituimur, de quo vide V. Cl. M. Velserum Rer. Boicar. Lib. II. a pag. 60. usque ad 76. De anno tantum, quo is BOJORVM in Vindeliciam & NORICVM adventus acciderit, hoc loco videndum, utpote qui notabilioris rerum in AVSTRIA SVPERIORE conversionis causa extiterit.

Boiarii seu Baioarii & Bavari.

§. VI.

Hunc BOJORVM in NORICVM adventum anno Chriſti DVIII. Scriptores omnes qua editos qua ineditos præter unum alterumve nec fidei nec momenti ullius, conſignare adfirmat laudatus & in rebus Boicis verſatiſſimus Velſerus init. Lib. III. Rer. Boicar. in margine. Qui calculus egregie confirmatur ex Chronico Salisburgenſi ab annis ſexcentis exarato, & a nobis infra primum typis evulgato, cujus ea de re hæc verba ſunt: *DVIII. Hoc tempore gens NORICORVM* (id eſt: Baioariorum, ut Diſſert. II. §. III. monuimus) *prius expulſa revertitur ad proprias ſedes Duce Theodone, ejectis Latinis*, ſeu Romanis. Et ad annum DXX. *Romanus exercitus apud Oetingin a Theodone proſternitur.* Idem legere eſt in præſtantiſſimo Chronico Admuntenſi ab annis quingentis ſcripto, quod necdum editum in altero Scriptorum noſtrorum Tomo publicabimus. Verba eius Chronographi ſunt hæc: *DXX. Romanorum exercitus apud Otingam a Bavvaris proſternitur per Theodonem Ducem.* Paulo copioſius eandem rem tradit Scriptor Vitæ S. Maximiliani Archiepiſcopi Laureacenſis & Martyris, homo ſeculi XIII, qui num. ult. col. 34. ſic ſcribit: *Anno ergo Domini D.* (rectius DVIII. ut habet Codex Formbacenſis) *Theodo primus Dux Bavvarorum, Romanos, qui terram iſtam NORICORVM & Bavvariæ multis annis tenuerant, apud Oetingam in bello proſtratos & devictos de finibus illis ejecit & expulit, gentemque NORICORVM & Bavarorum expulſam, & diu exulantem redire ad proprias ſedes fecit, quæ deinceps non eſt effecta tributaria Romanorum.* His non diſſimilia leguntur in Chronico Bavarico Bernardi Norici Cœnobitæ Cremifanenſis (quem Lazius Lib. II. de Migrat. Gent. pag. 224. *Bernoardum* & *Beronoardum* inepte vocat) a nobis in ſecundo itidem Tomo primum edendo. Vide & eiusdem Bernardi Chronicon Laureacenſium & Patavienſium Pontificum, quod in huius voluminis Appendice a col. 1297. ad 1309. exhibemus. Denique & *Additiones* ad Chronicon Mellicenſe col. 143. ubi pro: *a Norice innominato* legendum eſt: *a Norice in Nominativo.* Quorum omnium teſtimonia per ſe ſatis gravia perquam certum reddunt, tranſitum illum alterum BOJORVM in Vindeliciam & NORICVM RIPENSE, atque adeo in AVSTRIAM SVPERIOREM anno Chriſti DVIII. contigiſſe.

§. VII.

Et vero BOJOS ſeu BAJOARIOS ſeculo Chriſti VI in hodiernam Bavariam & AVSTRIA SVPERIORE iam conſediſſe, graviſſimus illorum temporum auctor Jornandes, Epiſcopus Ravennas teſtatur. Is enim in Lib. de Rebus Getic. cap. 55. Theodomiri Gothorum Regis ſuſceptam in Svevos expeditionem commemorans ita diſſerte ſcribit: *ſic ergo eum* (Danubium) *gelatum Theodemir Gothorum Rex cernens pedeſtrem ducit exercitum, emenſoque Danubio Suevis improviſus a tergo apparuit. Nam regio illa Suevorum ab Oriente BAJOBAROS habet, ab Occidente Francos, a meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos.* Nemo prudentum dubitaverit, hic ab Jornande BAJOBARORVM nomine BAJOARIOS ſeu Bavaros fuiſſe indigitatos. Igitur exploratum eſſe debet, iam Jornandis ævo, id eſt: anno DLII. quo is Librum de Rebus Geticis ſcripſit, BOJOS ſive BAJOARIOS in Bavaria conſtitiſſe.

Iidem populi ſeculis VII & VIII ampliſſimum illum terrarum tractum, qui inter Lycum & Aneſum amnes intercedit, occupaverunt. Paulus Diaconus,

nus, qui ſeculo VIII. ſub Carolo M. floruit, hos fines BOJIS ſeu BAJOARIIS attribuit Lib. III. de Geſt. Langob. cap. 31. *NORICORVM ſiquidem*, inquit, *provincia, quam BAJOARIORVM populus inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Suaviam, a meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Vbi Paulus *Pannoniam* vocat AVSTRIAM nunc INFERIOREM, quæ Caroli Magni ætate usque ad Aneſum fluvium ab Hunnis ſeu Avaribus occupata HVNNIA & AVARIA dicebatur. Idem oſtendit locus ex Eginhardi Annalibus Carolinis in Diſſertatione præcedenti §. VIII. delibatus, in quo fluvium Aneſum ſeu Onaſum CERTVM fuiſſe LIMITEM inter Hunnorum & Baioariorum regna clariſſimis verbis conteſtatur. Vni ergo, de quibus certo conſtet, fuere BOJI ſeu BAJOARII, vel BAVARI, qui eam regionem inter Danubium, Oenum & Onaſum ſeu Aneſum ſparſam, nunc AVSTRIAM SVPERIOREM dictam, ab antiquiſſimis temporibus usque ad ſeculum XII, quo Auſtriacis Ducibus ceſſit, inſederunt. Nunc ad AVSTRIÆ INFERIORIS CIS-CETIANÆ populos & incolas deſcendendum.

§. VIII.

AVSTRIÆ INFERIORIS CIS-CETIANÆ POPVLI.

Quinam populi eam NORICI RIPENSIS partem, quam hodie AVSTRIAM INFERIOREM CIS-CETIANAM, ſeu ab Aneſo fluvio usque ad Cetium montem protenſam dicimus, ultimis & antiquiſſimis temporibus nominatim incoluerint, penitus incompertum eſt. Si DESERTA BOJORVM intra hos fines cum Strabone ac Velſero collocanda & quærenda forent, iam anno ante Chriſtum natum circiter CLXXX. has oras BOJORVM populus, ex Cis-Padanis partibus adventans tenuiſſet. Verum quia inferius ex Plinio demonſtrabimus, DESERTA BOJORVM ultra Cetium montem removenda eſſe, BOJOS ex NORICO RIPENSI, quatenus id AVSTRIAM INFERIOREM complectitur, omnino excludimus.

Hunni.

Nec alii, qui poſt NORICVM omne a Romanis ſub Auguſto & Tiberio in provinciam redactum, prius HVNNIS has terras inſederint populi, apud veteres Scriptores memorati occurrunt. HVNNOS autem AVSTRIAM INFERIOREM CIS CETIANAM late occupaſſe nemo prudens dubitaverit. Cum enim iidem Wandalis ex Pannonia alio migrantibus, Valente ab anno Chriſti CCCLXXV. Romani Imperii habenas moderante, utramque Pannoniam inſidere cœpiſſent; indeque in Italiam, Germaniam & Galliam maximos exercitus, præſertim ſub Attila emiſiſſent, AVSTRIA INFERIORE CIS-CETIANA, ceu provincia eorum armis proxima & tantis expeditionibus opportuniſſima carere non poterant. Porro autem, quæ tum huius regionis facies fuerit, ex HVNNORVM moribus diſcimus, quos ita Jornandes Gothorum Epiſcopus in Libro de rebus Geticis c. 24. depingit: *Quos bello forſitan minime ſuperabant, vultus ſui terrore nimium pavorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis ſpecies pavenda nigredine, ſed velut quædam, ſi dici fas eſt, deformis offa, non facies, habensque magis puncta quam lumina. Quorum animi fiduciam torvus prodit aſpectus, qui etiam in pignora ſua primo die nata deſæviunt. Nam maribus ferro genas ſecant, ut, antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur ſubire tolerantiam. Hinc imberbes ſeneſcunt, & ſine venuſtate ephebi ſunt: quia facies ferro ſulcata tempeſtivam pilorum gratiam per cicatrices abſumit.*

Exigui quidem forma, ſed arguti, motibus expediti, & ad equitandum promptiſſimi: ſcapulis latis, & ad arcus ſagittasque parati: firmis cervicibus, & in ſuperbia ſemper erecti. Hi vero ſub hominum figura vivunt belluina ſævitia. Hæc Jornandes de moribus HVNNORVM, qui a medio ſeculo IV. hunc AVSTRIÆ CISCETIANÆ tractum percurſabant, inſidebantque.

§. IX.

Oſtrogothi. Ab exceſſu Attilæ HVNNORVM REGIS, qui anno Domini CCCCLII. in veteri Chronico Mellicenſi & Salisburgenſi evenisse dicitur, HVNNIS in diverſas Orientis regiones dilapſis OSTROGOTHI in utraque occupanda Pannonia ſucceſſere. Hos etiam AVSTRIÆ CIS-CETIANÆ partem, regioni ſcilicet TRANS-CETIANÆ viciniorem obtinuiſſe, in præcedentis Diſſertationis §. XIII. ex Anonymo B. Altmanni vitæ Scriptore, Bernardo Norico, aliisque non ineptis, ut equidem exiſtimamus, argumentis perquam vero ſimile reddidimus. Cæterum OSTROGOTHOS a cultu & ſapientia vehementer laudat eorum Epiſcopus Jornandes in mox laudato Libro de Rebus Geticis ſeu Gothicis, in cuius capite 5. univerſim de GOTHIS ſcribit in hunc modum: *pene omnibus barbaris GOTHI ſapientiores ſemper extiterunt, Græcisque pene conſimiles, ut refert Dio, qui Hiſtorias eorum Annalesque Græco ſtylo compoſuit. Qui dixit primum Zarabos Tereos, deinde vocitatos Pileatos hos, qui inter eos generoſi extabant, ex quibus eis & Reges & Sacerdotes ordinabantur. Adeo ergo fuere laudati GETÆ, ut dudum Martem, quem Poëtarum fallacia Deum belli pronuntiat, apud eos fuiſſe dicant exortum. Vnde & Virgilius:*

Gradivumque patrem, GETHICIS qui præſidet arvis.

Quem Martem GOTHI ſemper aſperrima placavere cultura. Nam victimæ eius mortes fuere captorum, opinantes bellorum præſulem aptius humani ſanguinis effuſione placandum. Huic prædæ primordia vovebantur, huic truncis ſuſpendebantur exuviæ, eratque illis religionis præter cæteros inſinuatus affectus, cum parentis devotio nominis videretur impendi. Tertia vero ſedes ſupra mare Ponticum, iam humaniores, & ut ſuperius diximus, prudentiores effecti, diviſi per familias populi, VESOGOTHÆ familiæ Balthorum, OSTROGOTHÆ præclaris Amalis ſerviebant. Quorum ſtudium fuit primum inter alias gentes vicinas, arcus intendere nervis, Lucano plus Hiſtorico quam Poëta teſtante:

Armeniosque arcus GETHICIS intendere nervis.

Ante quos etiam cantu maiorum facta modulationibus cytharisque canebant, Etheſpamaræ, Hanalæ, Fridigerni, Vuidiculæ, & aliorum, quorum in hac gente magna opinio eſt, quales vix Heroas fuiſſe miranda iactat antiquitas. Hucusque Jornandes, ex quo pervetus Gottwicenſium traditio, in præcedenti Diſſertatione cit. §. ab Anonymo expoſita, de cultu *Martis* in Monte Gottwicenſi egregie illuſtratur.

§. X.

§. X.

Viginti circiter annis post OSTROGOTHORVM in Pannonias & proximum RIPENSE NORICVM adventum, etiam HERVLI, THVRINGI seu TVRCILINGI & nonnulli RVGORVM vel RVGIORVM, quibus omnibus ODOVACAR, ODACHAR, ODOACHAR seu ODOACER imperitabat, AVSTRIAM cis Cetium positam invasere; id quod ex Vita S. Severini NORICORVM Apostoli, ab Eugippio eius discipulo accurate conscripta discimus. Nam num. 7, ubi de ODOACRO HERVLORVM Rege, qui postea, scilicet anno Christi CCCCLXXV. Augustulo in Lucullanam Campaniæ arcem compacto, Italiæ Regnum occupavit, agit, inter alia sic de eius in NORICVM transitu scribit: *quia devotione etiam ante hoc factum quidam barbari, cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis gratia ad eius* (S. Severini in NORICO degentis) *intuitum diverterunt, inter quos & ODOVACAR, qui postea regnavit Italiæ, vilissimo tunc habitu iuvenis, statura procerus advenerat.* Porro annum ODOACRI traiectus in NORICVM mirum est signanter exprimi his verbis in Chronico Salisburgensi a nobis edito: *CCCCLXXVII. Hoc tempore Odoacer cum Herulis NORICVM transiens, ad Severinum venit Favianas*, cum tamen iam ad annum CCCCLXXV. Odoacer Rugorum Rex Romam obtinuisse ab eodem Chronographo dictus fuisset. Sed pergit Eugippius de Odoacro Severinum salutante: *qui dum se, ne humile tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinasset; a Viro Dei se glorioſum fore cognovit. Cui etiam valedicenti: vade, inquit, ad Italiam, vade vilissimis nunc pellibus coopertus, sed multis cito plurima largiturus.* Qui ex Eugippio locus etsi non conficiat, Odoacrum cum suis HERVLIS in NORICO domicilium habuisse; cum altero tamen mox afferendo coniunctus satis clare demonstrat, eo tempore NORICVM RIPENSE magnam partem iuris Odoacri & Herulorum evasisse, atque adeo non paucis ex HERVLORVM, TVRCILINGORVM & RVGIORVM populis, Odoacro parentibus sedem præbuisse. Locus hic alter extat Vitæ S. Severini num. 39. & ita habet: *Post autem audiens idem ODACHAR* (Herulorum Rex) *Fridericum* (Rugorum Regem a se prælio superatum & fugatum) *ad propria revertisse, statim fratrem suum misit cum multis exercitibus Aonolfum. Ante quem denuo fugiens Fridericus ad Theodoricum Regem, qui tunc apud Novas* (alii legere malunt *Novam*) *civitatem provinciæ Mœsiæ morabatur, profectus est. Aonolfus vero præcepto fratris admonitus universos iussit ad Italiam migrare Romanos.* Subjungit dein Eugippius factam reapse Romanorum ex NORICO RIPENSI migrationem his verbis: *tunc omnes incolæ tanquam de domo servitutis Ægyptiæ, ita de cottidiana barbarie frequentissimæ depræ dationis educti, S. Severini oracula cognoverunt. Cuius præcepti non immemor venerabilis noster Presbyter tunc Lucillus, dum universi per Comitem Pierium compellerentur exire, præmissa cum Monachis vesperæ psalmodia, sepulturæ* (S. Severini iam defuncti) *locum imperat aperiri... Linteaminibus igitur immutatis, in loculo multo antea iam tempore præparato funus includitur, carpento impositum trahentibus equis mox evehitur, cunctis nobiscum comprovincialibus idem iter agentibus. Qui oppidis super ripam Danubii derelictis, per diversas Italiæ regiones varios suæ permigrationis sortiti sunt fundos &c.* Si igitur iussu Aonolfi, Odoacri Herulorum Regis fratris, Romanorum reliquiis, *cottidiana barbarie* penitus attritis, e NORICO RIPENSI migrandum fuit, quis dubio locus sit, suffectis HERVLORVM, RVGORVMque coloniis pleraque illius loca obsessa fuisse?

Heruli. Thurcilingi seu Thuringi. Rugii.

Imo Herulos etiam superstite S. Severino omne late NORICVM percursasse ac deprædatos fuisse, vel ex num. 25. Vitæ constat, ubi expilatam & miſere

miſere ab iisdem habitam Juvavienſem urbem Eugippius his verbis commemorat: *ad habitatores præterea oppidi, quod Juvavo vocabatur, ſeptuaginta & amplius a Battabis millibus ſeparatum, ſolita Vir Dei revelatione commonitus, Moderatum nomine, Cantorem Eccleſiæ deſtinavit, præcipiens, ut habitationem loci illius omnes ſine cunctatione relinquerent: mox enim perituros fore, ſi contemnerent imperata. Aliis ergo de tanto præſagio dubitantibus, aliis prorſus non credentibus, iterum miſit Quintaſium quendam, cui & inlacrimans ait: perge velocius denuncians eis, ſi hanc ſub nocte manſerint, ſine dilatione capientur. Sanctum quoque Maximianum Spiritalis vitæ Presbyterum inſtantius imperat admonere, aut ſaltim ipſe contemptoribus derelictis properaret cæleſti miſericordia liberari, de quo ſibi Dei famulus magnam dicebat ineſſe mœſtitiam, ne forte ſalutiferum differendo mandatum imminenti ſubiaceret exitio. Prædictus itaque pergens imperata ſupplevit, & reliquis in incredulitate nutantibus, nuntius Viri Dei Presbytero retinenti ſe atque hoſpitalitatem præbere cupienti, nullatenus adquievit. Qua nocte HERVLI inſperate protinus irruentes, oppidum vaſtantes, plurimos duxere captivos, Presbyterum memoratum patibulo ſuſpendentes &c.* Ex quibus colligimus HERVLIS ſub finem V. ſeculi NORICVM RIPENSE non ſolum CISCETIANVM, ſed & illud, quod inter Anaſum & Oenum interiacet, latibuli cuiusdam loco fuiſſe, in quod prædas ex vicinis agris actas comportarent, & unde terrorem circumiacentibus populis quotidie inferrent.

Cæterum quales HERVLI fuerint, his paucis docet nos Paulus Diaconus Lib. I. de Geſt. Langobardorum cap. 20: *erant ſiquidem tunc HERVLI bellorum uſibus exercitati, multorumque iam ſtrage notiſſimi. Qui ſive ut expeditius bella gererent, ſive ut inlatum ab hoſte vulnus contemnerent, nudi pugnabant, operientes ſolummodo corporis verebunda.* De iis ſermo recurret, cum de populis AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ agemus.

§. XI.

Iterum Hunni. Poſt medium ſeculum Chriſti VI. AVSTRIA INFERIOR omnis iterum ab HVNNIS occupata fuit. Nam urgentibus Italiam fatis ſuis, cum Theodoricus OSTROGOTHORVM Rex cum omni gente ſua ad Padum Romamque proficiſceretur, utramque Pannoniam Langobardi involarunt. Qui & ipſi poſt quadraginta circiter annorum in Pannoniis incolatum, easdem ſedes amicis ſuis HVNNIS ſeu AVARIBVS ceſſerunt, anno, ut aſſerit Paulus Diaconus DLXVIII: qui non ſolum utramque Pannoniam, ſed etiam univerſam AVSTRIAM INFERIOREM tam Cis-quam Trans-Danubianam usque ad annum Domini DCCXCI. inſederunt. Enimvero cum Carolus Magnus tot factas ab iis Baioariæ deprædationes & iniurias longius ferre nollet, hoc ipſo demum anno fœdiſſimam gentem ad Aneſum & Chambum AVSTRIÆ fluvios per ſe ac Duces ſuos aggreſſus, HVNNOS ultra Arabonem Pannoniæ flumen pepulit & reiecit. Non repetimus hic Eginhardi ea de Caroli expeditione verba, in priori Diſſert. §. XIV. relata. Sed ipſius potius Magni Caroli ad Faſtradam Reginam dabimus epiſtolam ex Cheſnii Tom. II. Script. Francic. pag. 187. ex qua multa ſingularia, quæ victorias Caroli comitabantur, intelligemus. Epiſtolæ Caroli mox carmen Poëtæ Saxonis de cæſis ad Aneſum Hunnis ſubiiciemus, ne quid prætermittere videamur, quod hunc AVSTRIÆ INFERIORIS tractum, ab HVNNIS quondam inſeſſum amplius illuſtret. Caroli Francorum Regis Epiſtola ſic habet:

Karolus

Karolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, dilectæ nobis & valde amabili coniugi noſtræ Faſtradæ Reginæ.

Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere ſtuduimus, & per te dulciſſimis filiabus noſtris tecum manentibus. Scientem te enim facimus, quia, gratias Deo, ſani & ſalvi ſumus. Miſſus quidem dilecti filii noſtri Pippini, nomine ill. nobis nuntiavit de eius ſanitate ac Domni Apoſtolici, vel de ſalvatione confiniium noſtrorum illis partibus poſitorum, unde valde lætificati extitimus. Et inſuper retulit nobis, qualiter illæ ſcaræ, quas prius de Italia iuſſimus pergere AVARIÆ in ill. confinia, reſidendum, perrexerunt infra fines ipſorum X. Kal. Septembris, & inierunt pugnam cum eis. Et dedit eis Deus Omnipotens pro ſua miſericordia victoriam, & multitudinem de ipſis AVARIS interfecerunt, in tantum, ut dicunt, quod in multis diebus maior ſtrages de ipſis AVARIS facta non fuit. Et exſpoliaverunt ipſum vallum, & ſederunt ibidem ipſa nocte vel in craſtina, usque hora diei tertia. Et acceptis ſpoliis reverſi ſunt in pace: & centum quinquaginta de ipſis AVARIS vivos comprehenderunt, quos reſervaverunt, ut noſtra ſiat iuſſio, qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac noſtri, qui hoc egerunt, fuerunt ille Epiſcopus, ille Dux, ille & ille Comites. Ille Dux de Hiſtria, ut dictum eſt nobis, ibidem bene fecit cum ſuis hominibus. Vaſſi vero noſtri fuerunt illi. Nos autem Domino adiuvante tribus diebus Litaniam fecimus, id eſt: Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, & Martis & Mercoris, Dei miſericordiam deprecantes, ut nobis pacem & ſanitatem atque victoriam, & proſperum iter tribuere dignetur, & ut in ſua miſericordia & pietate nobis adiutor & conſiliator, atque defenſor in omnibus anguſtiis noſtris exiſtat. Et a vino & carne ordinaverunt Sacerdotes noſtri, qui propter infirmitatem aut ſenectudinem aut iuventudinem abſtinere poterant, ut abſtinuiſſent, & qui redimere voluiſſet, quod vinum licentiam habuiſſet bibendi ipſis tribus diebus, ditiores & potentiores in unaquaque die ſolidum unum dediſſent: minus potentes iuxta poſſibilitatem ipſorum: & qui amplius dare non poterat, & vinum bibere volebat, ſaltem vel unum denarium donaſſet. Eleemoſynam vero unusquisque ſecundum propriam atque bonam voluntatem, vel iuxta poſſibilitatem feciſſet. Et ſacerdos unusquisque Miſſam ſpecialem feciſſet, niſi infirmitas impediſſet. Et Clerici, qui Pſalmos ſciebant, unusquisque quinquaginta cantaſſet. Et interim, quod ipſas Litanias faciebant, diſcalceati ambulaſſent. Sic conſideraverunt Sacerdotes noſtri, & nos omnes ita aptificavimus, & Domino adiuvante complevimus. Vnde volumus, ut tu cum ill. & ill. vel cæteris fidelibus noſtris conſiderare debeas, qualiter ipſæ Litaniæ ibidem factæ fiant. Tu autem, iuxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio. Et mirum nobis fuit, quia veſter Miſſus, nec Epiſtola, poſtquam de Reganisburgo, ad nos non venit. Vnde volumus, ut ſæpius nobis de tua ſanitate, vel de aliud, quod placuerit, ſignificare debeas. Iterumque ſalutamus te multum in Domino.

Hactenus epiſtola Caroli de victoria a copiis ſuis Italicis menſe Auguſto anni DCCXCI. ex HVNNIS ſeu AVARIBVS in finibus AVSTRIÆ, forte Auſtralioribus, reportata. Nunc ipſum Carolum HVNNOS ad Aneſum aggredientem ex Poëtæ Saxonis Lib. III. de Geſtis Caroli M. apud Chesnium & Leibnitium Tom. I. Script. Rerum Brunſvicenſium ſpectare iuvat. Sic autem is canit:

Avrea ſiderei tranſcendere cornua Tauri,
Fulgentesque Polo iam Sol intrare Laconas
Cœperat, & gelidis breviatæ noctibus umbræ,
Auraque productæ ſpatio iucunda dici.
*Florenti ſtudiis *, animoque vigenti,*
Dant gratum Carolo tempus, quo viribus uti

Posset, & ad bellum proprias educere turmas.
Qui post annorum centena volumina cursu
Septeno transacta decem quoque circiter annis
Emensis novies, postquam Deus est homo natus,
Hoc fuit aggressus HVNOS certamine primo,
Nec sibi cunctandum ratus est, quin redderet illis,
Quam meruere vicem: veteres hoc denique causæ
Poscebant odii. Nam gens dum floruit illa,
Innumeris dominans aliis, quas subdidit armis,
Tum Francis inferre malum perspe solebant.
Sic veteres memorare solent, quod funditus olim
Illorum terras immani cæde furentes
Vastarint, dederintque vorācibus omnia flammis
Oppida, rura, domos, urbes, cœnobia, villas.
Nam furor hostilis voluit nec parcere sacris
Ædibus, & regno vix una remansit in illo.
Mettenses intra muros constructa decenter
Ecclesia Stephani, Martyr qui primus habetur.
Denique continuis Francos compluribus annis
Sic impugnabant HVNI, Rex donec eorum
Attila, multorum toties victor populorum,
Fœminea periit dextra sub Tartara trusus.
Namque ferunt, quod eum vino somnoque gravatum,
Cum nox omnigenis animantibus alta quietem
Suggereret, cœptis crudelibus effera Coniux,
Ducens insomnes odiis stimulantibus umbras,
Horrendo Regem Regina peremerit ausu.
Vlta necem proprii tamen hoc est crimine patris.
Hoc res HVNORVM tristi velut omine lapsa
Post rediit retro, nec prosperitate priori
Sunt posthæc usi. Prius oppressere profani
Christicolas Francos antiqui temporis ævo,
Castigante Deo caros sibi more benigno.
Ergo patrum cladis nota mansit inusta nepotum
Pectoribus, servans iræ monimenta vetustæ.
Tum nova præterea de causis orta simultas
Jam dictis, animum Caroli commovit, ut illos
Francorum totis cum viribus aggrederetur.
Protinus edicto producitur imperiali
E cunctis ingens populis exercitus illi
Subiectis, & cunctarum validissima rerum
Copia, quas tanti belli instrumenta gerendi
Poscebant, vigili cura studioque paratur.
Sed numerosa nimis quoniam produxerat ex hoc
Agmina, per partes eadem seiunxerat, ac sic
Pannoniam, gens HVNORVM quam sæva tenebat,
Tramite distantem longo penetrare sategit.

Tunc unam populi partem Comiti Theodorico,
Atque Magenfrido, Ducibus hoc tempore primis
Committens, Aquilonares per fluminis *oras*
Danubii *præcepit eos iter accelerare.*
Ipse per Auſtralis *tendebat* littoris agros,
Millibus innumeris ſtipatus & agmine forti.
In medio fluvius cunctis alimenta vehebat
Agminibus, Regis ſpecioſa claſſe repletus,
Quam Baioariis *fuit ingens cura tueri.*
Ipſos in ratibus deſcendere quippe ſecunda
Juſſit aqua. Sic ad fluvium Rex venit ANESVM
QVI MEDIVS BAJOARIOS SEJVNXIT ET HVNOS.

Hunc iuxta poſitis per prata virentia caſtris,
Communi voto ternis ſtatuere diebus
Suppliciter celebrare preces, ac pectore toto
Auxilium Regis regum depoſcere Chriſti,
Vt cœptis pius annueret, quo cuncta darentur
Proſpera, tot populis in tam longinqua profectis,
Munitis ſigno fidei, contraque nefandos
Gentiles felix fieret certamen agendum.
Atque dehinc motis memoratæ prælia caſtris
Intulerat genti, cuius munimina *ſtatim*
Pulſis præſidiis deſtruxerat, ex quibus unum
Non operis parvi CAMBVS *præterfluit amnis,*
Atque ſuper montem CVMBERG *munitio dictum*
Altera prægrandi fuerat circumdata vallo.
Deſtructis utrisque tamen cum robore forti,
Æquatisque ſolo, ferro vaſtavit & igni
Hoſtiles late terras, ad oſtia *donec*
Perveniens Arrabonis, *qua fertur in undas*
Danubii, *laſſis ibidem ſtatione locata*
Militibus parvum dederat requieſcere tempus.

Sic ubi Pannoniæ fuerat pars maxima late
Divitiis ſpoliata ſuis, at tradita flammis,
Incolumem victor populum Rex inde reduxit,
Cui fuit hoſtilis hæc tota profectio plane,
Proſpera; res in ea nec contigit ulla moleſta,
Excepto, quod tanta lues eius legionis,
Quam Rex duxit, equos morbo conſumpſit atroci,
Vt decimam partem vix de tot millibus huius
Expertem cladis tradant potuiſſe reduci.
Rex autem veniens Reginum, *quam* Reganesburg
Nunc vocitant, ibidem natalis gaudia Chriſti,
Gordeque ſacratum celebravit Paſcha fideli.

Cæterum Carolus HVNNOS ultra Arrabonem ſubmoviſſe haud contentus, quinquennio poſt attributo Duci ſuo Ericho exercitu etiam Regiam eorum evertit, nec à devaſtatione Pannoniarum deſtitit, dum HVNNI in eius

cius & Christi fidem se dedere simularunt. Qua de re ad annum DCCXCVI. ita laudatus Poëta canit:

Nam spoliata fuit HVNORVM REGIA, HRINGVM
Quam vocitant. Hanc Dux Erichus hoc ceperat anno.
Multimodos etiam Regi devexerat inde
Thesauros, ævo quos collegere vetusto,
Innumeris crebro spoliatis gentibus HVNI:
Ex quibus est Romam tunc maxima copia vissa:
De reliquo summos proceres aulæque ministros
Multum larga manus ditavit Principis omnes.

At Dux Italiæ Pipinus, regia proles,
Adiunctis Baioaricis *legionibus illi*
HVNIS *intulerat bellum, sic patre iubente.*
Cum quibus eventu certamina prospera lato
Trans fluvium Tizan *gessit, cunctisque fugatis*
Hostibus, a Francis HVNORVM REGIA *tota*
Est æquata solo, quam HRINGVM *diximus ante.*
Cuius pene gazæ gentis tunc funditus omnes,
Magnus erat quarum numerus, cunctæque priorum
Diripiuntur opes Regum, quas depopulantes
Plures in variis sacras regionibus ædes
Temporibus multis male congessisse feruntur.
Tunc quibus ablatis, tam clari iure triumphi
Ad patrem victor memorata venit in aula
Pipinus, regni cui thesauros spoliati
Attulit, exuviasque Ducum, vexillaque capta.
Cum quo iam dictus Tudun quoque venerat illuc,
Promissisque fidem propriis adhibere sategit,
Cum toto Comitum numero baptisma suorum
Percipiens, etiam per sacramenta spopondit,
Se fore subiectum Francis, fidumque per ævum.
Sed postquam rediit, mutans promissa fidemque
Perfidiæ luerat parvo post tempore pœnas. &c.

Baioarii. Ita exactis ex AVSTRIA INFERIORI HVNNIS seu AVARIBVS mox omnis ille terrarum tractus, qui Aneso, Monteque Cetio, imo Danubio & Arrabone continetur, a Carolo M. novas leges, novumque populum accepit, BAJOARICVM scilicet, qui a Ducibus & Comitibus Regum Baioaricorum e stirpe Carolingica regebantur ordinabanturque.

§. XII.

Neque tamen uni *Baioarii* AVSTRIAM INFERIOREM CIS-CETIANAM, de qua nobis præcipue hic sermo est, ab anno DCCXCI. usque DCCCCXXVIII. quo circiter HVNGAROS hanc oram obtinuisse, paulo post dicemus, incoluerunt: imo iam sub Ludovico I. Germaniæ Rege, Ludovici Pii Imperatoris filio, etiam *VVinades* seu *Sclavos* præter quasdam forte Hunnorum reliquias hic consedisse discimus ex eiusdem Ludovici Germanici Diplomate,

Winades, Sclavorum populus.

Diplomate, quod Dissert. I. §. X. summatim retulimus. Nam termini possessionum, quas Ludovicus in PROVINCIA AVARORVM, id est: AVSTRIA INFERIORE CISDANVBIANA, Baturico Ratisponensium Episcopo confert, sic ibidem exprimuntur: *quarum terminia sunt ab eo loco, ubi* ERLAFFA *in Danubium cadit, sursum per ripam eiusdem fluminis usque ad locum, qui dicitur* ERDGASTEGI: *& ab eodem flumine in Orientali parte usque ad medium montem, qui apud* WINADES *Colomeza vocatur* &c. Et interiectis aliquot versibus in citato Diplomate loqui pergit Ludovicus: *has itaque res cum* SCLAVIS *ibidem commanentibus, cum domibus, ædificiis &c. totum & integrum prædictæ Ecclesiæ perpetuo ad habendum concessimus.* Porro WINADES isti sine dubio iidem sunt, qui WINIDÆ & SCLAVINI, quorum quidem nomina diversa, gens tamen eadem SCLAVORVM est, ut colligitur ex Jornande Lib. de Reb. Geticis cap. 5. ubi sic de primis SCLAVINORVM sedibus differit: *Introrsus illi Daciæ est, ad coronæ speciem arduis alpibus emunita, iuxta quorum sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venit,* WINADARVM *populosa natio consedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen* SCLAVINI *&* ANTES *nominantur:* SCLAVINI *a civitate nova &* SCLAVINORVMVNNENSE, *& lacu, qui appellatur* MVSIANVS, *usque ad Danastrum, & in Boream Viscla tenus commorantur. Hi paludes sylvasque pro civitatibus habent.* Ita Jornandes. Igitur WINADES, seu WINADÆ, qui sub Ludovico Rege Boioariæ sparsim AVSTRIAM INFERIOREM CIS-GETIANAM inter Baioarios excolebant, SCLAVINORVM seu SCLAVORVM genus fuere, sine dubio ex AVSTRIA TRANSDANVBIANA, a populosissima SCLAVORVM gente tum occupata huc delati. Sed de SCLAVIS plura dicemus infra, ubi de AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ populis diffusius tractabimus.

§. XIII.

VLtimi, qui post Hunnos seu Avares & Baioarios AVSTRIAM CIS-GETIANAM incoluerunt, fuere HVNGARI seu VNGARI, ex Scythia in utramque primum Pannoniam, dein etiam in AVSTRIAM tam cis quam trans Cetium positam effusi. Primos VNGARORVM motus sub Arnolpho Imperatore, qui ab anno Christi DCCCLXXXVII. ad DCCCXCIX. summam rerum in Germania obtinuit, factos esse discimus ex Ottone Frisingensi, qui, postquam in Chron. Libro VI. c. 10. diversa illorum temporum eventa narrasset, hæc de HVNGARORVM invasione subdit: *his diebus gens* VNGARORVM *ex Scythia egressa, ac a Pecenatis pulsa, Avaribus ejectis, Pannoniam inhabitare cœpit.* Addit deinde de huius gentis moribus: *hæc eo tempore tam immanis & tam belluina fuisse dicitur, ut crudis carnibus utens, humano quoque sanguine potaretur. Quod ne cui incredibile videatur, audiat, quod Pecenati, & hi, qui Falones dicuntur, crudis & immundis carnibus, utpote equinis & caninis, usque hodie vescuntur. Valent autem in sagittarum ictibus plurimum, quibus etiam dorsa vertentes nocere solent. Differunt vero a Brittonibus seu Fresonibus in hoc, quod illi missilibus, isti sagittis nocent.* Quæ omnia ex Reginonis Chron. lib. 2. compendio Otto Frisingensis transcripsit, ubi idem Regino annum adventus in Pannoniam, & antiquiores gentis istius mores paulo copiosius hisce verbis exsecutus est: *anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX gens HVNGARORVM ferocissima & omni belua*

HVNGARI.

crudelior, retro ante ſeculis ideo inaudita, quia nec nominata a Scythicis regnis & a paludibus, quas Tunais ſuæ refuſione in immenſum porrigit, egreſſa eſt. Sed priusquam ipſius gentis acta crudelia perſequamur ſtylo, non ſuperfluum videatur, ſi de Scythiæ ſitu Scytharumque moribus, Hiſtoriographorum dicta ſequentes, aliquid commemoremus. Scythiæ ſitu Scytharumque ingenio fuſe deſcriptis, Hungarorum mores, quales ævo ſuo fuerant, enarrare pergit idem Auctor in hunc modum: *Ex ſupra dictis igitur locis, gens memorata a finitimis ſibi populis, qui PEZINATI vocantur, a propriis ſedibus expulſa eſt, eo quod numero & virtute præſtarent, & genitale, ut præmiſimus, rus exuberante multitudine non ſufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati ad exquirendas quas poſſent, incolere terras ſedesque ſtatuere. Valedicentes patriæ iter arripiunt. Et primo quidem PANNONIORVM & AVARORVM ſolitudinem pererrantes, venatu ac piſcatione victum quotidianum quæritant. Deinde Carantanorum, Marahenſium ac Bulgarorum fines crebris incurſionum infeſtationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa millia ſagittis interimunt, quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, ut earum ictus vix præcaveri poſſit. Cominus enim in acie præliari, aut obſeſſas expugnare urbes neſciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus, ſæpe etiam fugam ſimulant, nec pugnare diu poſſunt. Cæterum intolerandi forent, ſi quantus eſt impetus, vis tanta & perſeverantia eſſet. Plerumque in ipſo ardore certaminis prælia deſerunt, ac paulo poſt pugnam ex fuga repetunt, ut cum maxime viciſſe te putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit. Quorum pugna quo cæteris gentibus inuſitatior, eo & periculoſior. Inter horum & BRITONVM conflictum hoc unum intereſt, quod illi miſſilibus, iſti ſagittis utuntur. Vivunt non hominum, ſed beluarum more, carnibus (ut fama eſt) crudis veſcuntur, ſanguinem bibunt, corda hominum quos capiunt particulatim dividentes, veluti pro remedio devorant, nulla miſericordia flectuntur, nullis pietatis viſceribus commoventur. Capillum usque ad cutem ferro cædunt, ſuper illos ire, meditari, conſiſtere ac colloqui ſolent, liberos ac ſervos ſuos equitare ac ſagittare magna induſtria docent. Ingenia illis tumida, ſeditioſa, fraudulenta, præcocia. Quippe eandem ferocitatem fœminis quam Viris adſignant, ſemper in externos aut in domeſticos motus inquieti natura taciti, ad faciendum quam ad dicendum proniores. Huius igitur nefandiſſimæ gentis crudelitate non ſolum memoratæ regiones, verum etiam Italiæ regnum ex permaxima parte devaſtatum eſt,* Hactenus Regino.

Sed & recentiores HVNGARORVM conſuetudines Otto Friſing. deſcribit Lib. I. de Geſt. Frid. I. Imp. c. 31. ubi ait, *crebras Barbarorum irruptiones paſſam Pannoniam haud eſſe mirum, ſi moribus aut lingua agreſtis maneret & inſulſa. Nam primo,* inquit, *Hunnorum, qui iuxta Jordanum ex incubiis & meretricibus orti fuerant, direptioni patuit: poſtmodum Avarorum crudis & immundis carnibus veſcentium conculcationi: ad ultimum VNGARORVM, a Scythia egreſſorum, qui & adhuc eam incolunt, relicta eſt poſſeſſioni. Sunt hujus prædicti VNGARI facie tetri, profundis oculis, ſtatura humiles, moribus & lingua barbari & feroces, ut iure Fortuna culpanda, vel potius Divina patientia ſit admiranda, quæ, ne dicam hominibus, ſed talibus hominum monſtris tam delectabilem expoſuit terram. In hoc tamen Græcorum imitantur ſolertiam, quod nullam rem magnam ſine crebra & longa conſultatione aggrediuntur. Denique cum viliſſima in vicis vel oppidis ibi, id eſt: ex cannis tantum, rara ex lignis, rariſſima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æſtatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam Regis ſui ſingulis ex primoribus ſellam ſecum portantibus conveniunt, ac de ſuæ Reip. ſtatu pertractare & diſcutere non negligunt: hiemis algore in domiciliis, qui habent, idipſum facientes. At omnes ſic Principi ſuo obſequuntur, ut unusquisque, ne dicam manifeſtis illum contradictionibus exaſperare, ſed & occultis ſuſurris lacerare nefas arbitretur. Hinc eſt, ut, cum prædictum regnum per LXX. vel amplius diviſum ſit Comitatus, de omni iuſtitia ad fiſcum Regium duæ lucri partes cedant, tertia tantum Comiti remaneat, nullusque in tam ſpatioſo ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audeat. Quod ſi aliquis ex Comitum ordine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non iuſte infamatus fuerit: quilibet infimæ conditionis lixa, a Curia miſſus, eum, licet ſatellitibus ſuis ſtipatum, ſolus comprehendit, in vinculis ponit, ad diverſa tormentorum genera trahit. Nulla ſententia a Principe, ſicut apud nos moris eſt, per pares ſuos expoſcitur: nulla accuſato excuſandi licentia datur: ſed ſola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando vero exercitum Rex ducere voluerit, cuncti ſine contradictione quaſi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam ſeptem octavum, vel*

infra

infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt; cæteris pro cultura terræ domi relictis. Qui vero de militum ordine sunt, nulla occasione nisi gravissima, domi remanere audebunt. At in ipsa regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes pene tetri, tetris in armis procedunt: nisi quod iam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, Principes tantum & hospites nostros in pugnandi peritia armorumque splendore imitantur. Hæc Otto tum de rudioribus adhuc & natalibus veluti HVNGARORVM moribus, tum de politioribus non nihil & ad cultiorum gentium leges correctis eorundem consuetudinibus, quales nimirum seculo XII. erant. Quæ omnia ideo prolixius hic referre visum est, ut AVSTRIACI nostri oculis veluti cernerent, cuius ingenii populus fuerit, qui magnam INFERIORIS AVSTRIÆ partem olim in sua potestate habuit tamque amplum Historiographis Austriacis scribendi argumentum suppeditavit.

§. XIV.

Annum, quo HVNGARI e Scythia in Pannonias moverint, non exprimit Otto Frisingensis. Verum eum nobis indicat post Reginonem pervetus Chronicon Salisburgense e nostra editione his verbis: *DCCCLXXXIX. VNGARI ex Scythia egressi Hunos eiciunt.* Chronicon Admontense MS. ad eundem annum idem refert: *VNGARI ex Scythia egressi, Pannoniam ingrediuntur, humano sanguine & crudis carnibus utentes.* Ex quibus tamen testimoniis non omnino certum est, num prædicto anno DCCCLXXXIX, an vero anno DCCCC. etiam AVSTRIAM TRANSCETIANAM, quæ ultima Superioris Pannoniæ pars erat, una cum CIS-CETIANA intraverint. Nam ad mox dictum annum DCCCC. HVNGARORVM in Baioariam irruptionem Annales Francorum Fuldenses referunt hoc modo: *interim vero AVARI, qui dicuntur VNGARI, tota devastata Italia, ita ut occisis Episcopis quam plurimis, Italici contra eos depellere molientes, in uno prælio uno die ceciderint XX. millia. Ipsi namque eadem via, qua intraverant Pannoniam, & maxima parte devastantes, regressi sunt, Missos illorum sub dolo ad Baioarios pacem optando, regionem videlicet ad explorandum transmiserunt. Quod proh dolor! primum malum & cunctis retro transactis diebus invisum damnum Baiowarici regni contulit. Igitur ex improviso cum manu valida, maximo exercitu, ultra ANESVM fluvium, regnum Baiowaricum hostiliter invaserunt, ita ut per quinquaginta milliaria in longum & in transversum igne & gladio cuncta cædendo & devastando iam una die prostraverint.* Ex quibus verbis quis colligat, HVNGAROS Austriam infra ANESVM fluvium, id est: INFERIOREM CIS- & TRANS-CETIVM hoc tempore iam insedisse.

§. XV.

Verum quo minus iam anno DCCCC. utramque eam AVSTRIÆ partem HVNGARI occupatam tenuerint, illud obstat, quod in iisdem Fuldensibus Francorum Annalibus post pauculos versus hæc statim subiungantur: *Quod vero comperientes ulteriores Baiovvarii, dolore compulsi e contra festinare disponunt. Sed hoc VNGARI præcognoscentes, cum his, quæ deprædaverunt, redierunt, unde venerunt, ad sua in Pannoniam.* Si HVNGARI anno DCCCC. e Baioaria cum prædis *in Pannoniam ad sua redierunt*, igitur eo anno necdum proprias sedes in AVSTRIA INFERIORE certe non in CIS CETIANA habuerunt.

Verius videtur esse, *Hungaros* AVSTRIAM INFERIOREM circa

1 edit. male: *Anisum*

DCCCCXXVIII. saltem magnam partem in potestatem redegisse. Nam cum Leopoldus I. cognomento *Illustris*, Comes Babenbergensis, Rudigero de Præclara, Limitaneo AVSTRIÆ, seu ut tum dicebatur, BAWARIÆ ORIENTALIS Præfecto, anno eodem vel DCCCCXXXV. rebus humanis erepto, in regendo AVSTRIÆ Marchionatu succederet, omnem fere Cis Cetium oram ab HVNGARIS occupatam accepit. Quos cum ferre nec vellet nec posset Leopoldus, iuvenis alacer & ingenti suorum comitatu stipatus collecto exercitu aggressus est, & teste Conrado I. Abbate Mellicensi, Gizonem hominem potentissimum, quem Scriptores Hungarici Geysam, HVNGARORVM Ducem, & S. Stephani I. HVNGARIÆ Regis patrem fuisse volunt, ex Mellicensi Monte, omnique post INFERIORI AVSTRIA ejecit.

§. XVI.

Sed eum AVSTRIÆ tractum rursus in HVNGARORVM potestatem ineunte circiter Seculo XI. devolutam fuisse, aperte colligitur ex Ottone Frisingensi, qui Chronici Lib. VI. c. 15. denarrata Alberti Comitis Babenbergensis nece, dolo ac perfidia Hattonis Archiepiscopi Maguntini procurata, hæc subdit: *ex huius Alberti sanguine ALBERTVS, qui postmodum MARCHIAM ORIENTALEM, id est: PANNONIAM SVPERIOREM, VNGARIS ereptam Romano Imperio adiecit, originem duxisse traditur.* Id quod factum videtur anno Christi MXLII. ad quem in Chronico Mellicensi ADALBERTVS MARCHIO AVSTRIÆ, *& filius eius LIVTOLDVS maximam partem exercitus Ovonis* (Regis VNGARORVM, quem alii Abam, alii Albuinum vocant) *deleviſſe* memoratur. Cum igitur Otto Frisingensis adfirmet, ab Alberto seu Adalberto Marchione MARCHIAM ORIENTALEM, quo nomine AVSTRIAM INFERIOREM intelligi plus simplici vice ostendimus, VNGARIS ereptam & Imperio Romano adiectam fuisse, eam paulo ante iterum ab HVNGARIS possessam obtentamque fuisse necesse est.

Porro ex eo tempore, id est, ab anno Christi MXLII. AVSTRIÆ INFERIORIS principatus penes Marchiones & Duces Stirpis Babenbergensis usque ad Fridericum, cognomine Bellicosum constanter mansit, tandemque post Hermannum Ducem Badensem vita functum, & Ottokarum Bohemiæ Regem victum, ad Rudolphum I. Imperatorem, eiusque glorioſissimos e Stirpe HABSPVRGENSI posteros usque ad AVGVSTISSIMVM & INVICTISSIMUM IMPERATOREM & HISPANIARVM REGEM CAROLVM VI. devenit, sub cuius benigniſſimo & clementiſſimo Imperio ut quam diutiſſime AVSTRIA omnis floreat, universus Orbis precatur. Sed de AVSTRIÆ INFERIORIS CIS-CETIANÆ veteribus populis & incolis satis. Nunc trans Cetium progrediendum, explorandumque, quos vetuſtiſſimis temporibus ille AVSTRIÆ tractus, qui Cetio monte, Danubio & Leytha fluvio arcetur, populos continuerit.

§. XVII.

AVSTRIÆ TRANS-CETIANÆ POPVLI.

Cum AVSTRIA INFERIOR CIS-DANVBIANA trans CETIVM montem in ortum fusa PANNONIÆ SVPERIORIS pars fuerit, ut in pluribus præcedentis Dissertationis locis perspicue ostensum est; illam omnes ii populi quondam incoluere, qui huius latus Occidentale, NORICO RIPENSI obiectum,

ctum, insederunt. Inter hos, præter antiquissimos incertorumque nominum Pannones vix antiquiores BOJIS reperias, ex Italia in has oras adventantes. Namque ætate, qua BOJOS e Galliis in Hercyniam transgressos supra diximus, alia eiusdem gentis manus in Italiam traiecit. Livius Dec. I. Lib. V. *deinde BOJI, Lingonesque transgressi, cum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Hetruscos modo, sed etiam Vmbros agro pellunt: intra Apenninum tamen sese tenuere.* Ex iis sedibus anno tandem, rationem ineunte M. Velsero, ante Christi nativitatem circiter CLXXX. seu sponte sua excedentes, seu vi a Romanis exacti versus Danubium commigrarunt, domiciliis *apud Tauriscos, vetustissimos NORICI populos acceptis.* Ibi amplius centum annis commorati a Bœrebista, Dacorum Rege, quocum diu bello contenderant, ad internecionem cæsi, eam regionem, quam ex deletæ gentis nomine postmodum DESERTA BOJORVM veteres dixere, sua clade & exitio memorabilem reddiderunt. Qua de re audire præstat Strabonem Augusto & Tiberio coævum, sic Libro V. BOICÆ gentis in his oris interitum narrantem: *circa Padum Galli habitant plurimi, quorum maximæ gentes BOJI & Insubres, & Senones cum Gæsatis. Hos quidem postea deleverunt Romani: BOJOS autem suis domiciliis eiecerunt. Qui cum deinde ad Istrum commigrassent, apud Tauriscos habitarunt, bellumque contra Dacos gesserunt, donec ipsorum gens funditus fuit excisa, & agrum desertum ac pecoribus pascuum vicinis reliquerunt.* Idemque Lib. VII. velut rem sua ætate gestam referens: *Bœrebistes*, inquit, *natione Geta, Celtas Thracibus & Illyriis permixtos devastavit: BOJOS, qui sub Critasiro erant, prorsus delevit, itemque Tauriscos.* Boji.

§. XVIII.

Quænam ista BOJORVM DESERTA sint, & utrum ad NORICVM RIPENSE, an ad Pannoniam Superiorem pertineant, inter eruditos magnopere controvertitur. Vir Cl. M. Velserus Rer. Boic. Lib. II. p. 38. *DESERTA BOJORUM, a Vindelicorum finibus ad Pannoniam NORICI longitudine fusa* scribit permotus illis Strabonis de Situ Orb. Lib. VII. verbis, quæ sic habent: *Cæterum Tiberius a lacu* (Brigantino seu Constantiensi) *unius diei progressus iter, Istri fontes aspexit. Ad eum lacum Rhæti paululum adsunt, amplius Helvetii & Vindelici, & DESERTA BOJORVM regio usque ad Pannonios.* Vnde consequi Velsero visum fuit, per totum NORICVM diffusa fuisse BOJORUM DESERTA.

Contra eruditissimus Christophorus Cellarius Geograph. antiq. Lib. II. c. 8. pag. 553. DESERTA BOJORVM, rectius, ut quidem mihi videtur, Pannoniæ Superiori, atque adeo hodiernæ AVSTRIÆ TRANS-CETIANÆ attribuit, auctoritate Plinii subnixus, secundum quem Lib. III. c. 24. *NORICIS iunguntur lacus Peiso*[1], *DESERTA BOJORVM: iam tamen colonia Divi Claudii Sabaria*[2], *& oppido Scarabantia*[3] *Julia habitantur. Junguntur*, inquit Plinius, *NORICIS*, utiq; *RIPENSIBVS, lacus Peiso, DESERTA BOJORVM*, hoc est Cellario interprete: vicina sunt: non in ipso NORICO, ut visum Velsero. Itaque veterrimi AVSTRIÆ TRANS-CETIANÆ populi ac incolæ BOJI fuere, de quorum ritibus iuvat nunc Polybium audire, sic de iis Lib. II. Historiarum cap. 17. differentem: *habitabant autem vicatim sine muris, neque supellectilis ullum usum norant. Quippe simplex illis vivendi modus, ut quibus somnus in herba aut stramenti thoro erat: alimonia carnes tantum:*

[1] vulgo der Repsidler See. [2] forte nunc castro Serwar. [3] nunc Scapring, aliis Oedenburg.

tantum: nec quicquam aliud curæ nisi res bellicæ & agrorum cultus, nulla alia neque scientia neque arte apud ipsos cognita. Opes singulorum erant in pecore vel auro, quod sola hæc ad omnes Fortunæ casus facilè sit circumducere, ac pro arbitrio transferre. Sodalitatibus colendis præcipue studebant. Is namque apud illos plurimum timetur, & potentissimus censetur, quem plurimi colunt, ex nutu illius ac voluntate pendentes. Hæc Polybius de Boiorum moribus.

§. XIX.

Azali. Præter BOJOS Claudius Ptolomæus Lib. II. Cosmographiæ in Pannonia Superiore, cujus partem AVSTRIAM TRANS-CETIANAM effeciſſe sæpius iam inculcavimus, etiam has gentes constitisse refert, nempe AZALOS, CITOS, LATOBICOS, VARCIANOS, BIOS, COLETIANOS, JASSIOS & ODERIACES, quibus omnibus has oras adsignat: *tenent,* inquit, *provinciam* (Pannoniam Superiorem) *a parte Septentrionis AZALI, qui magis Occidentales sunt: & qui magis Orientales sunt CITI seu CTTNI: a meridie vero LATOBICI sub NORICO: & versus ortum VARCIANI. Inter eos autem versus occasum BII, & sub his COLETIANI: JASSII vero versus ortum, & sub ipsis ODERIACES.* Ex quibus AZALI eum terræ tractum, ubi nunc AVSTRIA TRANS-CETIANA est, coluisse videntur. Ea enim Pannoniæ Superioris ora est, quæ maxime occidentem, id est: Cetium montem NORICI RIPENSIS & PANNONIÆ antiquum limitem spectat. JASSORVM, AZALORVM, LATOVICORVM & VARCIANORVM & Plinius meminit in Pannonia, quorum quia nulli præter AZALOS ad AVSTRIAM TRANS-CETIANAM pertinent, nec eorum hic amplior mentio nobis facienda fuit.

§. XX.

Marcomanni. Anno post Christum natum CCLXII. MARCOMANNI AVSTRIAM TRANS-CETIANAM occupare cœperunt. Nam ut apud eruditissimum Marcum Velserum auctor est Flavius Vopiscus, Valeriano a Persis capto, Gallienus imperio solus potitus cum Saloniam Piparam, Attali MARCOMANNORVM Regis filiam, uxorem accepisset, & perdite adamatam Augustam adpellasset, Socero *Superioris Pannoniæ* partem pactione concessit. Quæ pars sine dubio AVSTRIA nunc TRANS-CETIANA fuit, ut quæ Regno Marcomannico cæteris commodior & vicinior adiaceret. Præterea ambigendum non est, cum sub Valente & Marciano Imperatoribus teste Ammiano Lib. XXXI. innumerabilis barbararum gentium multitudo a MARCOMANNIS & QVADIS longissimo terrarum tractu ad Pontum usque cis Danubium recepta esset, MARCOMANNOS cum veteribus popularibus suis omnem late Pannoniam Superiorem sibi usurpasse, ex qua postea Romanos, quos defensum venerant, novi ipsi accolæ reliquis avitis agris exuere, urbibus & præsidiis, totis denique provinciis pellere institerunt. Sed de MARCOMANNIS plura dicemus in AVSTRIA TRANSDANVBIANA, quæ fere tota iuris Marcomannici fuit.

§. XXI.

Wandali. Vix dubitem, etiam WANDALOS post initium seculi tertii in AVSTRIA TRANS-CETIANA sedes suas defixisse. Certe eos sub Constantino M. qui ab anno CCCVI. ad CCCXXXVII. rerum potitus est, *Pannoniam*, cuius extre-

ma in occasum portio AVSTRIA trans Cetium erat, insedisse auctor est Jornandes de Reb. Geticis cap. 22: *Sed mox*, inquit, *ipse Rex VVANDALORVM VVisimar magna cum parte gentis suæ prosternitur. Geberich vero Ductor Gothorum eximius, superatis deprædatisque VVANDALIS ad propria loca, unde exiverat, remeavit. Tunc perpauci VVANDALI, qui evasissent, collecta imbellium* [1] *suorum manu, infortunatam patriam relinquentes, PANNONIAM sibi a Constantino Principe petiere, ibique per quadraginta annos plus minus sedibus locatis, Imperatorum decretis ut incolæ famularunt.* Narrat deinde Gothorum Antistes, quo WANDALI relicta Pannonia postea concesserint, aitque: *unde etiam post longum ab Stilicone Magistro militum & Exconsule ac Patricio invitati, Gallias impetravere: ubi finitimos deprædantes, non adeo fixas sedes habuere.* Hæc Jornandes. Quin & S. Hieronymus, coævus Wandalicis bellis, WANDALOS Quadis coniungit & *PANNONIOS hostes* vocat in Epistola ad Agerruchiam, in qua Romani imperii calamitatem sic deplorat: *præsentium miseriarum pauca percurram. Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, VVANDALVS, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & o lugenda Respublica! hostes Pannonii vastarunt* &c.

Cæterum *non una est auctorum de VANDALORVM origine sententia*, inquit eruditissimus Theodoricus Ruinartus Histor. Vandalicæ Part. II. c. 1. *Hi teste Procopio Libro I. de Bello Vandalico, Gothicæ nationis portio, Arrii placitis, sicut & cæteræ nationes barbaræ, addicti, ad Mœotidem olim sedes habuere, quibus ob rerum necessariarum penuriam dimissis, adscita secum Alanorum gente primum in eas regiones, quæ circa Rhenum sitæ sunt, tunc a Francis possessas, irrupere: tum paulo post simul cum aliis feris & barbaris nationibus in varias Imperii Romani provincias ingressi eas penitus devastarunt.* Ita Ruinartus noster, qui tamen subdit, Hadrianum Valesium initio Libri III. Rerum Francicarum, mirari, hanc de VANDALORVM origine opinionem cuiquam potuisse probari, quæ nimirum omnium antiquorum testimoniis opposita sit: cum, ut ipse dicat, VANDALOS, quos alii VINDILOS, alii VANDILOS, alii VANDALIOS appellant, Plinius Secundus inter genera Germanorum quinque: Tacitus inter antiquas Germaniæ gentes numeret: cumque Dio Cassius in Lib. LXXII. Julius Capitolinus, Eutropius, Tabula Theodosiana, ac Hieronymus eos Marcomannis & Quadis Germanorum populis confines circa Danubium & Albis caput ponant. Denique eundem Valesium postea innuere, Procopii sententiam Salviani, Sidonii, aliorumque Scriptorum auctoritate confirmari posse. *Vnde*, concludit Ruinartus, *cum isti iis temporibus floruerint, quibus VANDALI in variis Imperii Romani provinciis adhuc grassabantur, hanc opinionem de posteriorum saltem VANDALORVM origine tunc receptissimam fuisse nemo diffiteri potest.* Nec nos negamus, sed perinde veriorem fuisse inficiamur. Certe posteriores saltem WANDALOS non aliunde quam ex PANNONIA a Stilicone fuisse evocatos, indeque decursa Germania in Gallias, Hispaniam & tandem in Africam penetrasse tam nobis persuasum est, quam quod persuasissimum. Sed hæc disputatio huius loci non est.

§. XXII.

WANDALIS e PANNONIA provolantibus post medium seculum IV. HVNNI seu AVARES, tum seculo V. ab interitu Attilæ OSTROGOTHI, nec *Huni* seu *Avares. Ostrogothi.*

[1] *alias*: in bellum.

multo

Langobardi. multo poſt LANGOBARDI PANNONIAM SVPERIOREM atque adeo AVSTRIAM TRANS-CETIANAM tenuere. De HVNNIS ſupra §. VIII. & de OSTROGOTHIS §. IX. diffuſe iam egimus. Hic de LANGOBARDIS agendum. Hi *ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus VVINILI dicti fuerint, ita poſtmodum adpellati ſunt.* Nam teſte Paulo Diacono Lib. I. Hiſtor. Langobard. c. 9. *iuxta illorum linguam, Lang* longam, *Baert* barbam *ſignificat.* E Scandinavia primum Ducibus Ibor & Aione egreſſi, paulo poſt Wandalos, Mauringos, aliosque barbaros Germaniæ ac Sarmatiæ populos domuerunt. Dum Rugiis trans Danubium ab Odoacro Herulorum Rege devictis ac prope deletis, *venerunt in Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis,* ut ſcribit Paulus cit. Lib. c. 19. Tandem, eodem teſte c. 22. duce Audoin Langobardorum Rege anno Domini DXXVI. in PANNONIAM adducti ſunt, ibidem quadraginta duobus annis commoraturi. Verba Pauli hæc ſunt Lib. II. c. 6. & 7. *Alboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus ab amicis ſuis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatinus ſpatioſam Italiam cum pluribus poſſeſſurus intraret. Ad quem Saxones plusquam viginti millia virorum cum uxoribus ſimul & parvulis, ut cum eo ad Italiam pergerent, iuxta eius voluntatem venerunt. Hoc audientes Chlotarius & Sigisbertus Reges Francorum, Suavos aliasque gentes in locis, de quibus iidem Saxones exierant, poſuerunt. Tunc Alboin ſedes proprias, hoc eſt PANNONIAM, amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſi quo tempore LANGOBARDIS neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva repeterent. Igitur LANGOBARDI relicta Pannonia cum uxoribus & natis, omnique ſupellectili Italiam properant poſſeſſuri. Habitaverunt autem in PANNONIA annis quadraginta duobus: de qua egreſſi ſunt menſe Aprili, per Indictionem primam, alio die poſt ſanctum Paſcha, cuius feſtivitas eo anno iuxta calculi rationem, ipſis Kalendis Aprilibus fuit, cum iam a Dominii Incarnatione anni Quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti.*

Ex his Pauli verbis clare cognoſcimus, AVSTRIAM TRANS-CETIANAM, ad PANNONIAM SVPERIOREM pertinentem & certiſſime poſt ab Hunnis inſeſſam, *quadraginta duobus annis*, id eſt: ab anno Domini DXXVI. usque ad DLXVIII. LANGOBARDOS hoſpites & incolas toleraſſe. Porro eorum ritum & habitum ex pictura quadam, quam Theodelinda Langobardorum Regina in Palatio Modicienſi adornavit, his verbis ſæpe laudatus Paulus Lib. IV. c. 23. deſcribit: *ibi etiam præfata Regina ſuum Palatium condit, in quo aliquid & de LANGOBARDORVM geſtis depingi fecit. In qua pictura manifeſte oſtenditur, quomodo LANGOBARDI eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus qualisve habitus erat. Si quidem cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos a facie usque ad os dimiſſos habentes, quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant. Veſtimenta vero eis erant laxa, & maximè linea, qualia Angli-Saxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis. Calcei vero eis erant usque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubrugos birreos mittebant. Sed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt.* Hactenus de LANGOBARDIS, AVSTRIÆ TRANS CETIANÆ quondam incolis, ex Paulo potiſſimum, filio Warnefridi, Monacho poſtea Caſinenſi.

§. XXIII.

Iterum Hunni. Baioarii. Hungari. De HVNNIS ſeu AVARIBVS, qui ab anno DLXVIII. usque ad DCCXCI. de BAJOARIIS, qui ab anno DCCXCI. usque ad DCCCLXXXIX. circiter: poſtremo de HVNGARIS, qui a poſtremo anno usque ad MXLII. hunc AVSTRIÆ tractum occuparunt, hic ea repetere non iuvat, quæ §. XI. & XIII. iam expoſuimus. Itaque citatos Diſſertationis locos conſulat, qui de his

his ſingulis AVSTRIÆ TRANS-CETIANÆ incolis plura noſſe deſiderat. Nos ad AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ veteres detegendos populos feſtinamus.

§. XXIIII.

Ex iis, quæ ſupra §. II. de BOJORVM e Gallia in Boiohemum adventu, eorundemque in NORICVM tranſitu ex Cæſare ac Tacito tradidimus, vix dubitari poteſt, BOJOS omnem illam regionem, quam AVSTRIAM TRANS-DANVBIANAM SVPERIOREM vulgo nunc dicimus, antiquiſſimis temporibus incoluiſſe. Nec minus videtur certum, MARCOMANNOS, poſtquam teſte Velleio, Tacito, aliisque Auguſti principatu omne BOJOHEMVM, pulſis inde BOJIS, bellica ſibi virtute vendicaſſent, ſaltem maximam eiusdem regionis partem, quæ hodiernam Trans Danubium AVSTRIAM INFERIOREM proxime attingit, occupaſſe. Aſt res apud eruditos admodum controverſa eſt, quanto præciſe tempore MARCOMANNI has oras inſederint. Difficultas omnis ex eo oritur, quod inter eos nondum convenerit, nec ex veteribus Scriptoribus hactenus perſpicue oſtendi potuerit, quo certo tempore SCLAVI, gens Sarmatica, extincto MARCOMANNORVM regno Boiohemum, id eſt: hodiernam Bohemiam, cuius AVSTRIA TRANSDANVBIANA SVPERIOR INFERIORque pars fuit, occupaverint. Nos cum eruditiſſimo Velſero vero ſimilius eſſe cenſemus, demum ab Attilæ Hunnorum Regis exceſſu, qui in annum Domini CCCCLII. incidit, in Boiohemum SCLAVOS adveniſſe, ſedesque ſuas ac fines, ſuppreſſis MARCOMANNIS, ultra Bohemica iuga usque ad Danubium extendiſſe, quicquid ſecus opinentur recentiores Rerum Bohemicarum Scriptores, quorum diverſas ea de re ſententias videſis, ſi lubet, apud eruditum P. Bohuslaum Balbinum Lib. II. Miſcel. Hiſt. Regni Bohem. cap. 9. de ætate Czechi pag. 24. & ſequentibus.

AVSTRIÆ TRANS-DANVBIANÆ SVPERIORIS POPVLI. *Boii.* *Marcomanni.* *Sclavi.*

§. XXV.

Sed quidquid ſit de certiori SCLAVORVM in Boiohemum adventus epocha, SCLAVOS, quos Eginhardus in Annalibus de Geſtis Caroli Magni ad annum DCCCV. BEHEMANNOS, & in Vita eiusdem Imperatoris BOEMANOS; Annales vero Francorum Fuldenſes ad eundem aliosque annos BOEMANOS & BEHEMOS adpellant, ſaltem iam nono Seculo in AVSTRIA TRANSDANVBIANA SVPERIORI diffuſos & BAJOARIIS permixtos extitiſſe, certiſſimum reddit Ludovici Germanici Diploma, quo Erchanfrido Epiſcopo factam a quodam Wilhelmo Comite pro Monaſterio S. Emmerammi traditionem confirmat. In hac traditione bona ſeu poſſeſſiones a prædicto Comite Sanct-Emmerammenſibus cœnobitis collata diſſerte exprimuntur, dicunturque *infra duo flumina inter AGASTAM & NARDINAM, a loco videlicet, ubi ipſa in Danubium fluunt, ſita.* Adduntur inſuper ſub finem homines ad eadem pertinentes, nominatimque SCLAVI & BAJOARII nuncupantur. Porro duo illa flumina, quorum illud nunc vulgo die Aiſt, hoc vero die Narn adpellantur, in AVSTRIA SVPERIORI trans Danubium, e iugis Bohemicis profluere, Danubioque miſceri nemo noſtræ regionis peritus ignorat. Sed libet ipſum Diploma Ludovici, quatenus quidem ad illuſtrandum noſtrum argumentum facit, fidei cauſa ex fratris Theſauro Anecdotorum Noviſſ. Tom. I. Part. III. col. 20. & 21. ſubſcribere.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hludowicus Divina favente gratia Rex. Si petitiones servorum Dei iustas & rationabiles &c. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter vir venerabilis ERCHANFRIDVS Reginesburgensis Ecclesiæ Episcopus obtulit obtutibus nostris quandam traditionem, quod WILLEHELMVS Comes ob Dei amorem & animæ suæ remedium ad Monasterium S. Emmerammi tradiderat omnem proprietatem suam, quam ille habere videbatur infra duo flumina, inter AGASTAM & NARDINAM, a locis videlicet, ubi in Danubium fluunt, usque ad loca, ubi de venis in amnes derivantur, & ita usque in NORTWALT in hanc partem sylvæ sine termini conclusione, cum domibus . . . . . cultis vel incultis, quidquid habuit . . . . . Insuper & quidquid ad ROSDORF habere videbatur, omnia & ex omnibus rebus ex illa parte Danubii, quidquid sibi pertinebat in mancipiis & ædificiis ac vineis cultis & incultis, totum & integrum ad iam dictum sanctum locum tradidit atque pleniter delegavit. Sed pro integra firmitate ac securitatis studio memoratus Erchanfridus atque familiaris noster petiit celsitudinem nostram, ut eandem traditionem per nostræ mansuetudinis præceptum confirmare deberemus. Cuius petitioni denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum iuste petentium, ita nos illi concessisse, atque in omnibus confirmasse omnium fidelium nostrorum cognoscat magnitudo. Præterea hos apices Serenitatis nostræ circa ipsum Monasterium fieri decrevimus, per quos præcipimus atque iubemus, ut res omnes, quas prædictus Comes Willihelmus tradiderat atque consignaverat, per hanc nostram auctoritatem ad iam dictum sanctum locum in perpetuum consistant. Etiam statuentes iubemus, ut omnes homines, qui super easdem res commanere noscuntur, & ad præfatum Monasterium pertinere videntur, tam BAJOARII quam SCLAVI, liberi & servi, & in antea consistere, Domino donante, potuerint . . . . . Similiter quoque præcipimus atque omninodis iubemus, ut nullus Judex publicus neque ex iudiciaria potestate super rebus, quæ pertinent ad ERLAFFA, & in HARLVNGEVELT, nec non & ad SCIRNICHA & circa AGASTA seu BERSNICHA atque ROSDORF, vel infra prædicta termina & marckam, ubi res Sancti Petri & Sancti Emmerammi pertinere noscuntur, neque super homines liberos vel SCLAVOS ullam potestatem habeat in quoquam illos distringendi . . . . . Data XV. Kal. Febr. anno Christo propitio XX. regni Hludwici Serenissimi Regis in Orientali Francia, indictione I. Actum in civitate Reginisburch in Dei nomine feliciter amen.

§. XXVI.

Ex præmisso vero Ludovici Diplomate aperte intelligimus, non solos SCLAVOS, sed etiam, quod supra iam innuimus, BAJOARIOS seu BAVAROS AVSTRIAM TRANSDANVBIANAM Superiorem Ludovici Germanici ævo, id est: seculo Christi IX. incoluisse, licet id iam inde ab anno Christi Septingentesimo nonagesimo primo, quo Carolus Magnus Hunnos seu Avares ex utraque in AVSTRIA Danubii ripa exegit, factum minime dubitemus. Rem amplius confirmat Auctor Anonymus, Ludovico Germanico æqualis, in Fragmento *de Rebus Caroli M. Regis cum Hunis & SLAVIS* seu BOJARIIS, quod apud Andream Chesnium Tom. II. Script. Hist. Franc. pag. 221. extat. In eo enim hæc dissertis verbis traduntur: *postquam ergo Carolus Imperator Hunnis ejectis, Episcopatus dignitatem Juvavensis Ecclesiæ Rectori commendavit, ARNONI videlicet & suis successoribus, tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit, cœperunt populi sive SLAVI, seu BOJARII inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Hunni, & multiplicari.* Quod non solum de AVSTRIA CISDANVBIANA, sed etiam TRANSDANVBIANA tam SVPERIORI quam INFERIORI accipiendum esse tum hactenus dicta tum & deinceps dicenda demonstrabunt.

Eodem ſpectat, quod in Legibus Vectigalium & Portoriorum a Ludovico Germanico & Carolomanno conſtitutis, quas ex Aventino recenſet Johannes Adlzreitter Boic. Gent. Annal. Part. I. Lib. XIII. pag. 317. vet. edit. VENEDI *Boiariæ* incolæ nominentur his verbis: *VENEDI vero in BOJARIA incolentes, ementes, vendentes nihil tribuunt.* At enim VENEDI pro SCLAVIS ſeu SLAVIS paſſim a rerum Bohemicarum Scriptoribus accipiuntur, ut videre eſt apud Bohuslaum Balbinum Lib. II. Dec. I. Miſcell. Hiſt. Bohem. ubi & ait, SCLAVOS ſeu SLAVOS, VENEDOS, VENDOS, HENETOS, WENDOS, SLAVINOS, & SCLAVINOS unam eandemque SLAVORVM gentem Sarmaticam eſſe, cuius reliquias ſub nomine VENEDORVM, VENDORVM & WENDORVM, Germanice die Wenden, in Luſatia Superiore & in Marchia Vinidorum ſeu Windorum hodieque ſupereſſe videmus. Præterea non inſolens antiquioribus Scriptoribus nomen BOJARIÆ, BAJOARIÆ ſeu BAWARIÆ pro nomine AVSTRIÆ, præſertim SVPERIORIS ſine dubio tam Cis quam trans Danubium, fuiſſe, ſupra Diſſert. II. §. XXI. oſtendimus. Itaque SCLAVOS & quidem BEHEMANNOS cum BAJOARIIS AVSTRIAM TRANSDANVBIANAM SVPERIOREM usque ad ſeculum XII, quo illa pars AVSTRIÆ reliquarum fortunam ſecuta in AVSTRIACORVM DVCVM & Principum poteſtatem tranſiit, promiſcue inhabitaſſe extra controverſiam eſt. Res omnis maiorem lucem ex mox dicendis accipiet.

§. XXVII.

Antiquiſſimis & a noſtra memoria remotiſſimis temporibus vix alios AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ INFERIORIS incolas præter eos, qui AVSTRIAM TRANSDANVBIANAM SVPERIOREM inſedere, reperias. Igitur, quorum ſaltem nomina nobis nota ſunt, primi ex his fuere BOJI Boiohemum ingreſſi, & MARCOMANNI, qui, ut paulo ante diximus, BOJOS e ſuis ſedibus, Tiberio imperitante, expulerunt. Eos præcipuis laudibus Tacitus celebrat in Libello de Situ & Moribus Germanorum cap. XLII. *Juxta Hermunduros*, inquit, *Nariſci, ac deinde MARCOMANNI & Quadi agunt. Præcipua MARCOMANORVM gloria viresque: atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim BOJIS, virtute parta. Nec Nariſci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio pergitur. MARCOMANIS Quadisve usque ad noſtram memoriam Reges manſerunt ex gente ipſorum: nobile Marobodui & Tudri genus. Jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana: raro armis noſtris, ſæpius pecunia iuvantur.* Ad quem Taciti locum hæc notat Vetterus: *MARCOMANI, Suevorum gens, diverſas ſedes habuere, antiquas alias, alias deinceps acquiſitas occupatasque, pulſis Boiohæmo BOJIS Gallis. Priſcas veſtigare nec certum nec neceſſarium. A Marca aut Moravia aliqui Marcomanos dictos putant: alii ab equis,* Mähren. *V. Celtes 2. amor. Eleg. 4. Altham. in h. l. Cluver. G. A. 3. 30. Tenuerunt Moraviam, & dein, expulſis BOJIS, Bohemiam. Conf. Vellej. L. 2. Tac. Annal. 2. 45. & ſeq. Ptol. 2. 11. Strabo L. 7. Æneas Sylvius Europ. c. 23. Hiſtor. Bohem. c. 13. Sunt, qui ex vocabuli etymo colligunt,* Marcomanos *etiam illam Germaniæ provinciam, quæ hodie* Marchia Brandenburgica *eſt, occupaſſe. Plurima olim Marcomannorum contra Romanos fuere bella fortiter geſta. v. præter ſupra citatos Flor. 4. 12. Julium Capitolin. in Vit. M. Anton. Philoſ. Eutrop. L. 8. Andr. Alciat. Vopiſc.* Hactenus Vetteri obſervatio ex variis recentiorum hominum coniectatiunculis & opinationibus conſarcinata, in qua plura merito diſpliceant.

AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ INFERIORIS POPVLI. *Boii. Marcomanni.*

Primo enim Vetterus, Wolfgangum Lazium nimis confidenter ſecu-

tus, MARCOMANNOS ſine idoneo teſte facit *gentem Suevorum*, qui inter Albim & Viadrum latiſſime dominabantur. At vero nunquam inter hos fluvios, quod quidem ex veteribus conſtet, MARCOMANNI conſtitere, ſed ad Rhenum & Nicrum, ut ex Velleio Paterc. Lib. II. c. 8. colligit vir harum rerum peritiſſimus Chriſtophorus Cellarius. Nec quidquam Lazium iuvat locus Cæſaris Lib. I. de Bello Gallic. ubi *Germani* cum Cæſare congreſſuri *ſuas copias e caſtris eduxerunt, generatimque conſtituerunt, paribusque intervallis Harudes, MARCOMANOS, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, omnemque aciem ſuam rhedis & carris circumdederunt, ne qua ſpes in fuga relinqueretur* &c. Imo cum ipſe Cæſar Suevos ultimo loco differte numeraverit, MARCOMANORVM gentem a gente Suevorum non minus diſtinctam fuiſſe innuit, quam Triboccorum, Vangionum & Nemetum, qui Rhenum proximi accolebant. Non igitur gens Suevorum veterum MARCOMANNI fuere.

Secundo a *Marca* aut *Moravia Marcomannos* fuiſſe dictos plane ineptum eſt. Cum enim ex dictis & dicendis perſpicuum ſit, nomen MARCOMANNORVM dudum ante eorum in has oras adventum iam auditum fuiſſe, qui fieri potuit, ut inde nomen ſortirentur? Quod autem MARCOMANNOS *ab equis*, Märrhen adpellatos putent, riſu quam refutatione dignius eſt. Sed non poſſunt non ridiculi fieri, qui omnium etiam obſcuriſſimarum rerum rationes ex ſola vocum ſimilitudine & frigido ſoni argumento petunt.

Tertio perperam MARCOMANNI Moraviam, & dein, expulſis Bojis Bohemiam tenuiſſe dicuntur. Non enim e Moravia, ſed ex Rhenanis agris *excita, atque in inferiora refugiens incinctos Hercyniæ campos*, ut Velleius adſerit, gens Marcomannorum *incolebat*. Nec audiendi ſunt, qui cum Gerhardo Voſſio G. F., Gryphio, Stephano, aliisque, non *in inferiora*, ſed *interiora refugiens* legendum eſſe contendunt. Recte enim *in inferiora* refugiſſe ſcripſit Velleius, quos a ſuperiori Rheno in Boiohemum demigraſſe conſtabat. Sed quocunque modo legendum Velleii locum cenſueris, *proculne a Romanis gentem ſuam* Maroboduus Marcomannorum Dux *avocaſſe* ab eodem Velleio dici potuit, ſi e Moravia in conterminum proxime Boiohemum tantum concesſit? Nunquam itaque MARCOMANNI Moraviam tenuere ante ſuum in Bohemiam adventum.

Poſtremo illi omnium maxime ineptiunt, qui, ut Vetterus ait, ex vocabuli etymo colligunt, MARCOMANNOS etiam illam Germaniæ provinciam, quæ hodie Marchia Brandenburgica eſt, occupaſſe. Quaſi vero Marca vel Marchia, Marck Germanice, regni alicuius terminus, nulla eſſe poſſet, quam MARCOMANNI, non inſediſſent. Quæ novorum hominum ſomnia ſi valeant, MARCOMANNOS per plurima Galliæ, etiam extremæ, Italiæ, & Hiſpaniæ regna circumducemus. Cæterum ſi opinationis huius patroni id volunt, quod ex Marchia Brandenburgica MARCOMANNI progreſſi Boiohemum occupaverint, aperte erroris vel ex Velleio convincuntur, qui Maroboduum Marcomannorum Ducem vel Regem, *certum imperium vimque Regiam complexum animo ſtatuiſſe, avocata procul a Romanis gente ſua, eo progredi, ubi cum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima*, ſcribit. Quæ quam egregie cum Marchia Brandenburgica cohæreant, nemo ſcilicet non videt. Sed mittamus fabellas.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Relicto igitur ob potentisſima ſemperque vicinis ſuſpecta Romanorum arma Rheno & Nicro MARCOMANNI Boiohemum petiere, fugatisque Bojis novum regnum Duce Maroboduo condidere, finibus ad Danubii ripas prolatis; id quod his verbis Velleius Lib. II. c. 108. & 109. tradit: *Nihil erat iam* [Tiberio Cæſare] *in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem MARCOMANNORVM, quæ Maroboduo Duce, excita ſedibus ſuis atque in inferiora refugiens, incinctos Herciniæ ſilvæ campos incolebat. Nulla feſtinatio huius viri mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium neque fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum: ſed certum imperium vimque Regiam complexus animo, ſtatuit, avocata procul a Romanis gente ſua, eo progredi, ubi cum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentisſima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit. Corpus ſuum cuſtoditum, Imperium, perpetuis exercitus, pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens, & noſtro quoque Imperio timendum perduxit faſtigium, gerebatque ſe ita adverſus Romanos, ut neque bello nos laceſſeret, & ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim, ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæſares, interdum ut ſupplicem commendabant; interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male diſſimulato agebat æmulum, exercitumque, quem ſeptuaginta millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, maiori, quam quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, cum Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tunquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam; quippe cum a ſummis Alpium iugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finem haud multo plus ducentis millibus paſſuum abeſſet. Hunc virum & hanc regionem proximo anno diverſis e partibus Tiberius Cæſar aggredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſylvis, legiones Boiohæmum (id regioni, quam incolebat Marboduus, nomen eſt) ipſe a Carnunto, qui locus Norici Regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in MARCOMANNOS orſus eſt.* Tum ſubdit Velleius cap. 110: *rumpit, interdum moratur propoſita hominum Fortuna. Præparaverat iam hiberna Cæſar ad Danubium, admotoque exercitu non plus, quam V. dierum iter a primis hoſtium, Saturninum admoveri placuerat, bene æquali diviſæ intervallo ab hoſte, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæſare iunctura erant, cum univerſa Pannonia, inſolens longæ pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius gentibus in ſocietatem adductis, ex conſtituto arma corripuit. Tum neceſſaria glorioſis præpoſita, neque tutum viſum, abdito in interiora exercitu, tam vicino hoſti relinquere Italiam.* Hæc Velleius de Primo MARCOMANNORVM in Boiohemum adventu, Ducis, poſtea Regis eorum Marobodui moribus & fortuna, primoque a Romanis intentato diſcrimine. Porro quæ deinceps, ſcilicet ab anno Chriſti circiter VIII. usque ad CCCCLII. varia MARCOMANNORVM fortuna, quæque cum Romanorum Imperatoribus vicinisque populis bella interceſſerint, non eſt huius loci commemorare. Qui ſingula diligentius expenſa & enarrata noſſe cupit, videat eruditisſimi Velſeri Lib. II. Rerum Boicarum a pag. 60. usque ad 74. ubi veluti MARCOMANNORVM Annales ex Velleio, Tacito, Plinio, aliisque coævis Scriptoribus pro more ſuo accurate ac eleganter contexit.

§. XXIX.

Poſt medium ſeculum Chriſti IV. HVNNIS e Scythia effuſis MARCOMANNICVM in his oris nomen omne extinctum fuit, ut quæ una cum aliis Germaniæ ac Galliæ provinciis Attilæ iugum ſubire coactæ ſint. *Hunni.*

Sclavi Behemanni. Attila e vivis ſublato, & HVNNIS in varias Orientis plagas ſeculo V. diſperſis, SCLAVIS Boiohemi clauſtra & Danubii ripæ patuere. Velſerus Lib. II. Rerum Boic. pag. 74: *illud*, inquit, *dubitationem non habet, MARCOMANNOS ſociosque populos, pulſos eſſe interiore Hercynia a SLAVIS, Sarmatica gente, quæ Ducis Zechi, ut ipſi ſibi perſuadent, nomine privatim dicta, nunc appellationem retinet: ſed temporis ratio in controverſia. Nobis probabilis viſa Cromeri, accurati Scriptoris, multiplex ad Attilæ ævum derivata ratiocinatio, niſi credibilius, Attila demum mortuo, cum unius regni interitu multa paſſim nova orrientur, Sarmaticis primum in Germaniam irruptionibus viam patuiſſe: quod utro modo habuerit, cum alterutro accidiſſe oporteat, in tam obſcura vetuſtate neque aſſeveraverim, neque in magno poſuerim diſcrimine.* Vide, quæ de eadem re ſupra §. XXIV. obſervavimus.

Porro cum SCLAVORVM infinita gens in varias Germaniæ provincias illapſa eſſet, ſingula velut agmina ab occupatis regnis propria nomina ſortita ſunt. SCLAVI, qui Boiohemum ſubiugarunt, BEHEMANNI dicti ſunt, ut conſtat ex Eginhardi Annalibus Carolinis ad annum DCCCXXII, ubi Ludovicum Pium omnium *Orientalium SCLAVORVM, id eſt: Abotritorum, Soraborum, VVilſorum, BEHEMANNORVM, Marvanorum, Predenecentorum &c. legationes cum muneribus ad ſe miſſis excepiſſe* ſcribit. Itaque SCLAVI BEHEMANNI fuere, qui AVSTRIAM TRANSDANVBIANAM INFERIOREM SVPERIOREMque a ſeculo V. tenuerunt, de quorum moribus, Chriſtianis licet legibus iam correctis, hæc tradit Helmoldus Presbyter Boſovienſis in Chronica Sclavorum, quam in anno MCLXX. finit, edita a Leibnitio Tom. II. Script. Brunſvic. pag. 537. *Boëmia habet Regem & viros bellicoſos: plena eſt eccleſiis & religione Divina. In duos diſterminatur Epiſcopatus, Pragenſem & Olomucenſem.* Tum de Polonia quædam narrans hæc ſubjungit: *eſt autem Polonis atque Boëmis eadem armorum facies & bellandi conſuetudo. Quoties enim ad externa bella vocantur, fortes quidem ſunt in congreſſu, ſed in rapinis & mortibus crudeliſſimi. Non Monaſteriis, non Eccleſiis, aut cœmiteriis parcunt. Sed nec alia ratione extraneis bellis implicantur, niſi conditionibus admiſſis, ut ſubſtantiæ, quas ſacrorum locorum tuitio vallaverit, direptionibus publicentur. Vnde etiam contingit, ut propter aviditatem prædarum amiciſſimis ſæpe abutantur ut hoſtibus, ob quod rariſſime ad quaslibet bellorum neceſſitates adſciſcuntur. Hæc de Boëmis atque Polonis & cæteris Orientalibus SLAVIS dicta ſufficiant.* Hactenus Helmoldus de moribus SCLAVORVM BEHEMANNORVM, quos multo feriores fuiſſe, antequam LANGOBARDI & HVNNI ſeu AVARES SCLAVIS in AVSTRIA TRANSDANVBIANA permixti vel ultro diceſſiſſent, vel a Carolo Magno, anno Chriſti DCCXCI. cæſi in ulteriorem Pannoniam diffugiſſent, dubitari nequit. Amplior primum cultus SCLAVIS BEHEMANNIS acceſſit a BAJOARIIS, qui ſuas colonias in exactorum Hunnorum ſedes immiſerunt, deincepsque cum iis quotidiana conſuetudine ac legum æqualitate, poſtremoque a ſeculo X. continua AVSTRIACORVM e Stirpe Babenbergenſi Principum ſucceſſione in unam gentem coaluere.

Langobardi.

Baioarii.

§. XXX.

Non omnino eadem ratio eſt populorum, qui AVSTRIÆ INFERIORIS TRANSDANVBIANÆ tractum Moravo fluvio proximum olim incoluere, ac eorum qui reliquam trans Danubium AVSTRIAM occuparunt. Ni enim

enim valde fallimur, Moravum ſeu Marum fluvium in Danubium properantem QVADI prius quam MARCOMANNI accoluerunt. Certe Tacitus in Germ. Quadi.
man. cap. 42. QVADOS MARCOMANNIS conſtanter iungit. *Juxta Hermunduros*, inquit, *Nariſci, ac deinde Marcomani & QVADI agunt... Nec Nariſci QVADIVE degenerant, eaque Germaniæ veluti frons eſt, quatenus Danubio pergitur*, ſeu ut Lipſio arridet, *porrigitur, porgitur, aut prætexitur, id eſt*, inquit Vetterus, *obtenditur: qua parte Danubium attingit ac proſpicit.* Igitur QVADI poſt Marcomannos ad ortum poſiti non ſolam hodiernam Moraviam, ſed eum etiam AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ tractum, qui Maro fluvio alluitur, & Danubium *attingit*, inſederunt. Tametſi negare nolim, eundem poſtea MARCOMANNIS ceſſiſſe, quorum Dux Maroboduus occupato Boiohemo *finitimos omnes*, utique & QVADOS, *aut bello domuit aut conditionibus iuris ſui fecit*, ut teſtis locuples eſt Velleius Lib. II. Hiſtor. c. 109.

Inclinatis circa medium quintum Chriſti ſeculum gentis utriusque rebus, eadem AVSTRIÆ TRANSDANVBIANÆ orientalior portio aliis ex aliis nationibus ceſſit. Primi, qui poſt QVADOS & MARCOMANNOS eam obtinuerint, fuere RVGI ſeu RVGII, qui ab Oceano Septentrionali, incertum, Rugii.
quo anno, certe non ante ſeculum V, ad Danubium proximosque agros commigrarunt, indito etiam regioni de ſe novo nomine RVGILANDIÆ, id quod ex Eugippio in Vita S. Severini & Paulo Diacono Lib. I. de Geſt. Langob. c. 19. in priori Diſſertatione planiſſimum fecimus.

RVGIIS deinde ſub annum Chriſti CCCCLXXXVI. cum Rege ſuo Feletheo ſeu Feva ab Odoacro Herulorum & Italiæ Rege devictis, deſertas habitatoribus RVGIORVM ſedes LANGOBARDI ceperunt. Eam rem ſic narrat Paulus Diaconus Lib. I. Hiſt. Langob. c. 19. *His temporibus inter Odoachar, qui in Italia per aliquot iam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feva dictus eſt, RVGORVM Regem, magnarum inimicitiarum fomes exarſit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam a NORICI finibus idem Danubius ſeparat. In his Noricorum finibus beati tunc erat Severini cœnobium, qui omni abſtinentiæ ſanctitate præditus, multis iam erat virtutibus clarus. Qui cum iisdem in locis ad vitæ usque metas habitaſſet, nunc tamen eius corpus Neapolis retinet. Hic ſæpius hunc, de quo diximus, Feletheum, eiusque coniugem, cuius vocabulum Giſa fuit, ut ab iniquitate quieſcerent, verbis cœleſtibus monuit. Quibus pia verba ſpernentibus, hoc, quod eis poſtmodum contigit, longe antea futurum prædixit. Adunatis ergo Odoachar gentibus, quæ eius ditioni parebant, id eſt: Turcilingis & Herulis, RVGORVMque parte, quos iam dudum poſſederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in RVGILAND, pugnavitque cum RVGIS, ultimaque eos clade conficiens, Feletheum inſuper eorum Regem extinxit. Vaſtataque omni provincia, Italiam repetens, copioſam ſecum captivorum multitudinem abduxit. Tunc LANGOBARDI de ſuis regionibus egreſſi, venerunt in RVGILAND, quæ Latino eloquio RVGORVM patria dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis: nempe usque ad annum DLXVIII,* quo Italiam ſub Alboino Rege petituri omnem illam cis & trans Danubium regionem una cum Pannonia amicis Hunnis, eodem Paulo teſte, incolendam conceſſere. De HVNNIS, eorumque poſt annum DCCXCI. ſucceſſoribus BAJOARIIS & HVNGARIS tam multa hucusque attulimus, ut ea ſine iniuria & diſpendio Hungari.
Lectorum hic iterum occentari non poſſint. Sane in hoc toto diffuſius a nobis pertractato argumento nihil magis veremur, ne nobis vitio vertatur, quam ſæpicule iterata eiusdem rei commemoratio iis etiam moleſta, qui otio vel abundant & diffluunt, ne dum occupatis & ad graviora ſtudia & curas adten-

tis.

tis. Sed quo faciliorem & benigniorem nobis Lectorem ſperemus, ipſius argumenti, profecto perturbatiſſimi, ratio facit. Studuimus eſſe clari, plani atque perſpicui, eoque fine omnia diſtribute partiteque propoſuimus: id quod inſtitutum teneri non poterat, quin eadem res ſæpicule ſub acumen ſtili recurreret. Atqui veniabilius non peccatur a ſcriptore, quam ubi maioris claritatis & perſpicuitatis gratia peccatur. Æquorum ac prudentum itaque Lectorum fuerit, humaniter æquanimiterque perferre, quod non niſi ipſorum commodo in pluribus locis repetitum eſt.

Nos autem iſthæc perſcribentes ingens admiratio incedit, qui fieri tandem potuerit, ut AVSTRIA, quæ tot barbaris, efferis, diverſiſſimorum rudiſſimorumque morum & ingeniorum populis hoſpitium ac ſedem pluribus ſeculis præbuit, ad eum & cultum & ſplendorem, quem hodie mirantur omnes, conſurgeret. Non adeo multa a quarto ſeculo Barbarorum nomina in Hiſtoria occurrunt, quibus AVSTRIA non aliquamdiu ſuccubuerit. Vidit ſenſitque Boios, Wandalos, Hunnos ſeu Avares, Herulos, Rugios, Gothos, Langobardos, Baioarios, Sclavos, & Hungaros, ex quibus omnibus gens Auſtriaca, quæ tamen nunc nulli cultiori Germaniæ, imo totius terrarum Orbis populo aut ingenio aut viribus, aut artibus aut nobilitate ac elegantia ſecunda eſt, coaluit futura fœcunda mater & altrix eorum Principum, quorum maieſtate nihil ſanctius aut maius eſt in humana Republica. Ipſi porro Auſtriaci tam ad belli quam ad pacis artes egregie facti ſunt, aptiores tamen ad poſteriores ob mitius & lenius ingenium; quo a reliquis Germaniæ populis præcipue differunt. Hinc brevior eorum & minus pertinax ira, & amplior metus ab hoſte, etiam quem ſæpiſſime vicerunt, ac denique clementiores victoriæ. Divinam Religionem ſtudioſe curant, a ſuperſtitione tamen remotiores. In luxum faciles bonorum malorumve exempla celerius ſectantur, vix ſuo, nedum alieno damno ſat cauti. Principes ſuos patrum loco ſemper habuerunt, clementiori imperio adſueti. Splendidis conviviis, ac ædium magnificentia, copioſoque apparatu mirifice delectantur, eoque in genere totis patrimoniis de primo loco non nunquam decertant. Multi prodigalitati quam liberalitati propiores ſunt. Candor animi maximus, faciles amicitiæ, ac minor taciturnitas. Ingenium plerisque Auſtriacis maius eſt, quam in eo percolendo contentio, quæ ſi acceſſerit, cæteris Germanis litteras & celerius & penitius adſequuntur. Foris amplius valent quam domi, ubi indulgentius habentur. In conſiliis primo plerumque congreſſu res maximas definiunt, non perinde fortes & conſtantes in iis, quæ probarunt, exſequendis. Vino quod nobile ac generoſum patria profert, num plures ſibi morbos concilient, an curent Auſtriaci, dubium eſt. Hoſpites, ſed pauciorum dierum, curate habent & colunt. Vrbes Tuſculanis beatiores plerique putant. Gravioribus laboribus ferendis impares, civilibus artibus acrius inſtant, licet exterorum artificia ſuis omnes præferant ac demirentur. Nemo, quod ſibi ſemel propoſuit, ſe conſecuturum facile deſperat. Vix quisquam vehementiſſime amat, & pauci vel amplisſimam Fortunam probant, ſi ſerviendum ſit. Falluntur ſæpius quam fallant, nec a vitio apud eos procul abeſt, qui tectior apparet. Ad riſum proni triſtium & acerborum facile obliviſcuntur. Dum ſumma rerum ſalva ſit, minora non gravate negligunt. Hæc fere gentis noſtræ imago, in qua ut in omni hominum genere cum virtutibus vitia extant, ſic tamen, ut illæ

præva-

prævaleant. Reliqua addent, quibus, frequens usus & familiarior consuetudo populi sinum altius recluserint. Nobis his longius immorari non vacat. De doctrina potius & vitæ sanctimonia famigeratioribus Viris, qui Divinæ veritatis luce hanc a primis temporibus regionem perfuderunt, ferosque acindomitos incolarum mores ad Christi legem correxerunt, non nulla scitu digna discutiamus.

DISSERTATIO IV.

DE IIS, QVI CHRISTIANAM RELIGIONEM PRIMVM IN HAS ORAS IMPORTARVNT, AVT IMPORTATAM STVDIOSIVS PROPAGARVNT.

§ I.

FIdem Christianam in Vrbe Lauriacensi seu Laureacensi, quam veterem nobilemque Romanorum in Norico Ripensi coloniam fuisse ex Antonini Itinerario, Notitia utriusque Imperii, Tabula Theodosiana seu Peutingeriana certum habetur, apud Noricos exordium sumpsisse, indeque latius tum in utrumque Noricum tum in Pannonias disseminatam fuisse, omnium qua antiquorum qua recentium, quotquot de Ecclesiæ Laureacensis originibus scripsere, consensio est. Neque hactenus quisquam dubitavit, Lucem Evangelii iam inde ab Apostolorum temporibus, id est: primo Christi seculo Laureacensibus affulsisse. Nam in Epistola S. Symmachi, ab anno Christi CCCCXCVIII. ad DXIV. Romani Pontificis, quam ab eodem ad Theodorum Archiepiscopum Lauriacensem scriptam Wolfgangus Lazius Lib. XII. de Republ. Rom. c. 5. Hundius Metropol. Salisb. Tom. I. pag. 289. M. Velserus Rerum Boic. L. 3. & Petrus Lambecius Commentar. de Biblioth. Cæsarea Vindobon. Lib. II. c. 8. pag. 650. integram ediderunt, Ecclesia Laureacensis AB APOSTOLIS FVNDATA differte dicitur. Et Agapitus Papa, eo nomine II. qui ex Papeprochii calculo ab anno DCCCCXLVI. ad DCCCCLVI. Ecclesiam gubernavit, in Litteris, ad Gerardum Pontificem Lauriacensem datis, inter cætera de eiusdem Ecclesiæ antiquitate sic loquitur: *Hanc etiam in EXORDIO NASCENTIS ECCLESIÆ, & immanissima Christianorum persecutione a DOCTORIBVS ISTIVS SEDIS* (Romanæ) *CATHOLICÆ FIDEI NOVIMVS RVDIMENTA RECEPISSE, & exinde a succedentibus Prædicatoribus in Superioris atque Inferioris Pannoniæ provincias eiusdem Fidei emanasse gratiam.* Integras has Litteras vide, si lubet, apud mox citatos auctores.

Hæc, inquam, de Doctrinæ Christianæ in Laureacensi Vrbe prædicatæ antiquitate tam explorata sunt, quam quæ maxime. Sed illud maximè ambiguum & controversum est, quinam illi fuerint, qui prima Christianæ apud Noricos Ripenses Reipublicæ fundamenta iecerint. Quippe sunt,

qui dicant LAVRENTIVM quendam, distinctum ab illo celeberrimo Levita & Martyre, qui sub Decio Imperatore anno CCLVIII. Romæ passus est, primum Laureacensium & Noricorum Apostolum & Doctorem extitisse. Alii volunt, LAVRENTIVM illum, quisquis demum fuerit, una cum SYRO & EVENTIO sive IVVENTIO Episcopis Papiensibus ibidem primum Christi Evangelium adnuntiasse. Alii SYRVM cum uno EVENTIO id exsecutum esse scribunt. Alii rem omnem ad unum SYRVM deferunt. Alii eam gloriam discipulis S. Petri Apostoli attribuunt, quos tamen non nominant. Alii denique Sanctos HERMAGORAM & FORTVNATVM commemorant. Quorum omnium sententiæ earumque fundamenta, ut a Lectoribus penitius percipiantur, suvat nunc singillatim ea omnia recensere, quæ in editis hac de re doctorum hominum monumentis reperimus. Quod tamen ita exsequemur, ut, quid ex omnibus nobis vero similius videatur, minime obscurum cuiquam futurum sit.

§. II.

Primus Austriæ Apostolus quibusdam LAVRENTIVS.

Qui LAVRENTIVM primum in Norico Christianismi prædicatorem faciunt, recentiores potissimum Scriptores sunt, testimonio scilicet Wigulei Hundii subnixi, qui Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 285. ubi Laureacensium & Pataviensium Pontificum Historiam texit, de hac re ita commentatur: *Annales autem Patavienses civitatem* (Laureacum) *putant appellatam a beato LAVRENTIO, Christianismi illic primo Doctore prædicatoreque. Beatus siquidem LAVRENTIVS, vir litteris & pietate clarus, eo ipso fere tempore, quo Sanctus Marcus Evangelista a beato Petro, Apostolorum Principe, ad amplissimam Histriæ civitatem Aquilegiam in Christianismo informandam missus erat, cum aliis quibusdam piis fratribus in Noricum venit, & populo ad Danubium & Anasum degenti Christum pro peccatis passum suaque virtute resuscitatum primus annuntiavit. Is LAVRENTIVS, quicumque demum fuerit, Laureacensis huius urbis & Ecclesiæ primus habetur Apostolus, cuius honori ac nomini primaria eademque Parochialis eius loci ecclesia, quæ nostro seculo extra Anasianum oppidum est, dedicata, ad hæc nostra usque tempora primi sui Christiani Doctoris & Antistitis nomen retinuit. Quamdiu vero Episcopus iste ad Ecclesiæ huius clavum sederit, quove anno ex mortali vita hac emigraverit, aut quis illi successerit, ignotum plane & in fastos relatum non est, quemadmodum de aliquot aliis etiam eiusdem loci Præsulibus præter sola nomina nihil certi scriptum vel annotatum reperitur.* Hæc Hundius.

Eadem quo ad rem, licet aliis paullulum verbis post Hundium tradiderunt Marcus Velserus Rerum Boic. Lib. III. pag. 91. edit. Norimberg. Matthæus Raderus Bavariæ Sanctæ Vol. II. pag. 1. Johannes Adlzreiter Annal. Boic. Part. I. Lib. V. pag. 118. antiq. edit. Petrus Lambecius Commentar. de Bibliotheca Cæsar. Vindob. Lib. II. c. 8. pag. 638. Sigismundus Pusch S. J. in Chronologia Sacra Ducatus Styriæ pag. 47. aliique: inter quorum tamen potiores haud satis convenit, a quonam iste LAVRENTIVS prædicandi Evangelii causa Laureacum missus fuerit, a sanctone nimirum Petro, an a sancto Marco Evangelista, an a sancto Hermagora Marci, ut aiunt, discipulo & Aquileiensi Episcopo. Addit insuper laudatus Lambecius loco citato, in turri horologii urbis Anisiæ seu Ensensis hos versus legi, quos & ego per eundem locum lentiam profectus diligenter curioseque contemplatus sum:

Aliis MARCVS & LVCAS.

Aſpicis exiguam, nec magni nominis Vrbem,
quam tamen æternus curat amatque Deus.
Hæc de Laureaco reliqua eſt: his MARCVS in oris
cum LVCA Chriſti dogma profeſſus erat.

Verum falſum eſſe, Sanctos Marcum & Lucam in hac regione cœleſtem Chriſti legem interpretatos unquam fuiſſe, ex fere unanimi omnium tam veterum quam recentiorum, qui quidem fidem aliquam commereantur, auctorum ſilentio facillimum eſt demonſtrare. Mitto, quod dicti Verſus vix unius aut ſeſqui ſeculi ætatem ſuo ſtylo & characterum forma præferant, ut ipſe accurate coram præſens obſervavi. Nihil itaque ii ad confirmandam rem a noſtra memoria tantopere remotam valent, niſi quis eos ita velit accipere, quod per Sanctorum Marci & Lucæ diſcipulos, aut verius diſcipulorum diſcipulos fides Chriſtiana huc importata & propagata fuerit, quod equidem verum eſt. Aſt verba Verſuum amplius quid ſignificant.

§ III.

Sed ut ad LAVRENTIVM redeamus, divinatu perquam difficile eſt, quodnam vetus monumentum Hundius ſub nomine *Annalium Patavienſium*, unde ſuam de Laurentii in Noricum Apoſtolatu narrationem hauſit, intellexerit, id quod tamen præſentem controverſiam præprimis iuvaret. Porro *Annales* illos Patavienſes, ad annum Domini MCCLV. deductos, aut etiam *Catalogum* ſuccinctum Laureacenſium ac Patavienſium Pontificum cum exemplis Diplomatum tum Romanorum Pontificum tum Imperatorum, quæ in Codice membraneo vetuſto Pataviæ extantia ſibi ab Vrbano Epiſcopo Patavienſi communicata idem Hundius pag. 286. celebrat, hic minime innui certum eſt. Nam de his ipſis poſterioribus *Annalibus* & *Catalogo* citata pag. 286. loquens Hundius, hæc expreſſe habet: *in hoc opere, per me ſæpiſſime citato (illi enim propter antiquitatem, meo iudicio, non modica fides habenda) huius LAVRENTII, neque in ANNALIBVS, neque in CATALOGO fit mentio.* Erant igitur illi ANNALES PATAVIENSES, ex quibus Hundius Laurentium illum urbi Laureacenſi de ſe indidiſſe nomen, eidemque fidem Chriſti primum prædicaſſe memorat, longe diverſi, minorisque fidei, quam quorum idem pag. 286. meminit.

Ni tamen valde fallor, Annales illi Patavienſes, quorum fide Hundius tradit, LAVRENTIVM quendam primum Norici ſeu Laureacenſis Vrbis Apoſtolum fuiſſe, ſunt ille ipſe *vetus CATALOGVS Archiepiſcoporum Laureacenſium & Epiſcoporum Patavienſium*, collectus a N. Schreitweino circa Seculi decimi quinti annum quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum, in quo idem LAVRENTIVS una cum aliis Laureacum prædicandi Evangelii gratia veniſſe dicitur apud Petrum Lambecium Commentar. de Bibliotheca Cæſar. Vindobon. Lib. II. cap. 8. pag. 653. & 654. ubi vir eruditus ex dicto Schreitweini CATALOGO ſequentia delibat: *Claudii Auguſti anno ſecundo S. Petrus fertur Romam veniſſe, qui quarto ſui adventus anno, ab incarnatione Domini XLVII. per ſuos prædicatores Lauriacenſem urbem per fidem Catholicam viſitavit. Hæc ergo Lauriacenſis civitas inter alias harum partium civitates prima meruit fidei & Evangelii prædicatores ſuſcipere per Beatum Petrum,*

mediante B. Marco, qui poſtquam Romæ ſcripſerat Evangelium, quod B. Petrus probavit, & Eccleſiis legendum ſua auctoritate dedit; ut S. Hieronymus in Libro de Viris illuſtribus affirmat, ad Aquileiam, prægrandem civitatem Epiſcopus mittitur, ibique doctrinis & miraculis clareſcens, B. Hermagoram, quem inibi ordinavit Epiſcopum pro ſe, & Fortunatum Archidiaconum inſtituit, & per eosdem ad has noſtras oras Evangelii prædicatores deſtinavit: inter quos SYRVS, qui Papiam miſſus, & EVENTIVS Brixiam, & quidam LAVRENTIVS extitit, qui Lauriacum cum aliis venit prænominatis &c. Hæc Lambecius ex Catalogo Schreitweiniano, cuius vel autographum vel certe apographum ab Hundio viſum fuiſſe vix licet ambigere, cum eius quoque mentionem inijciat Johannes Aventinus, quem Hundius ſequi amat, Lib. I. Annal. Boicor. ubi Schreitweinum, quem ipſe Schritovinum nominat, domeſticis Scriptoribus, quibus in condendis Annalibus uſum ſe fuiſſe teſtatur, accenſet, quamvis Lib. II. pag. 136. vet. edit. adſerat, *in Actis Divorum & Pontificum Laureacenſium ſcriptum ſe legiſſe, Divum Marcum in Norico Laureaci Philoſophiæ noſtræ myſteria interpretatum fuiſſe.* Nec fortaſſis ſub nomine *Catalogi Epiſcoporum Laureacenſium* vel *Patavienſium manuſcripti*, a Velſero Lib. III. Rer. Boic. pag. 91. in margine, ac a Matthæo Radero Bavariæ Sanctæ Vol. II. pag. 1. citati aliud opus latet, quam de quo agimus, Schreitweini Catalogus.

Quod ſi Hundius ſua de controverſo LAVRENTII apud Noricos Apoſtolatu ex Schreitweini Catalogo non deſumpſit, certe eadem ex Viti Arnpeckhii Chronico Baioarico, Hundio, ut nobis conſtat, familiari hauſit. Hic enim auctor, neſcio, ex quibus monumentis, Lib. II. cap. 35. col. 98. in Theſauro Noviſſ. Anecdotor. Tom. III. Parte III. de illo LAVRENTIO ſequentia narrat *item circa annos DCCLXX. Pataviam civitatem Baioariæ inſtaurans & renovans* (Taſſilo Dux Baioariæ) *divitiis & gloria ſublimavit, ac Epiſcopatus ſedem, quæ apud Laureacum, priusquam ab Hunnis everteretur, fuit, inibi inſtituit & exaltavit, & S. VVivilonem de Laureaco in Pataviam tranſtulit unacum patre ſuo, & S. Valentinum de Tridento. Attamen advertendum eſt, quod tempore Apoſtolorum S. Marcus Evangeliſta de Aquilegia duos in Baioariam ſeu Noricum Ripenſe miſit in fines, qui modo a flumine Anaſo dicuntur: quorum diſcipulorum unus LAVRENTIVS vocabatur, a quo ipſa civitas LAVREACVM dicta eſt: unde uſque hodie Eccleſia Parochialis ibidem LORICH vulgariter appellatur.* Hactenus Vitus Arnpeckhius. Qui ſibi tamen non ſatis conſtat, quando in eiusdem Chronici Lib. I. cap. 14. col. 39. refert, Sirum & Eventium, diſcipulos S. Hermagoræ, urbibus Veronenſi, Brixinenſi & *Laureacenſi* (ſic enim legendum eſſe, non, ut MS. Codex habet, *Laudavenſi* infra demonſtrabimus) veræ fidei doctrinam primum Noricis explicaſſe, nulla prorſus LAVRENTII facta mentione. Eadem fere narrat Cuſpinianus in *Auſtria*, niſi quod pro LAVRENTIO, LAVREACENSEM nominet illum primum LAVREACI Apoſtolum, qui nomen ſuum a Divo Laurentio Martyre ſub Decio Imperatore Chriſtum inter tormenta confeſſo, a quo etiam urbs Laureacenſis LAVREACVM dicta fuerit, indeptus ſit. Quæ omnia cuiusmodi ſint, ſuo loco expromemus. Hic enim id unice operam dedimus, ut aperte doceremus, quibusnam momentis eorum ſententia innitatur, qui LAVRENTIVM primum Norici Apoſtolum fuiſſe contendunt. Nunc proponenda eſt eorum quoque opinio, qui nomen Norici Apoſtoli SYRO & EVENTIO vendicant.

§. IV.

§. IV.

Ex Schreitweino iam vidimus, LAVRENTIO in Apostolatu Norico etiam SYRVM & EVENTIVM socios attribui. Sed nec desunt, qui omnem Noricorum ad fidem Christi conversionem ad solos SYRVM & EVENTIVM referant, nulla penitus LAVRENTII facta mentione. *Alios SYRVS & EVENTIVS.*

Primus est auctor anonymus Brevis Chronici Laureacensium & Patavienſium Pontificum ex codice MS. Bibliothecæ Zwetlensis primum a nobis evulgatus, cui inter Scriptores nostros Austriacos primum locum a col. 5. ad 8. adsignavimus. Auctor istius Scripti vixisse videtur seculo decimo tertio, aut certe proxime sequenti, quod vel ipsa codicis scriptura & forma demonstrat. Is porro initio lucubrationis suæ hæc de incunabulis Ecclesiæ Laureacensis eiusque primis Christianæ fidei Magistris ad verbum tradit: *Exordium fidei Catholicæ in Lauriaco creditur Apostolorum tempore inchoatum. Nam beatus Petrus Romæ prædicans S. Marcum in Aquilegiam ad prædicandum misit, qui ibidem cum plurimis ERMACHORAM & FORTVNATVM convertit. Deinde etiam ERMACHORAM Aquilegiensem Episcopum ordinavit, qui aliis prædicans convertit SYRVM & EVENTIVM, quos Papiam direxit verbum Domini seminantes. Demum aliis civitatibus, videlicet Veronensi, Brixiensi & LAVREACENSI prædicabant. Pluribus itaque civitatibus ad viam veritatis successivis temporibus conversis, factus est Aquilegiæ Patriarchatus, LAVREACI vero Archiepiscopatus &c.* Vbi vides prædicationem fidei Christianæ in urbe Laureacensi atque adeo in Norico primum factam, SYRO & EVENTIO solis tribui, quin ulla de LAVRENTIO mentio inuciatur.

Alter, qui solis SYRO & EVENTIO eandem gloriam adiudicet, est Vitus Arnpeckhius, Presbyter Landshutanus in Chronico Baioarico Lib. I. c. 14. ubi & de Laureacensis Ecclesiæ initiis ita scribit: *civitas LAVREACENSIS, imo Ecclesia sacrosancta temporibus Apostolorum Christi ad fidem Catholicam est conversa. Nam Sanctus Petrus Apostolorum Princeps e Roma Beatum Marcum Evangelistam Aquilegiam destinavit, qui ibidem S. Hermagoram[1] sua prædicatione ad Christi fidem convertit, & in Episcopum ordinavit. Iste autem sanctus Hermagoras aliis Christi fidem prædicans, inter cæteros SYRVM & EVENTIVM convertit, quos in Papiam sive Ticinum direxit: qui ibidem verbum Domini seminantes, etiam vicinis civitatibus, Veronensi scilicet & Brixinensi ac LAVDAVENSI prædicabant &c.* Quæ verba ex Anonymi Chronico Pontificum Laureacensium & Patavienſium, paulo ante citato, sine dubio desumpsit Arnpeckhius, ut verba conferenti perspicuum fiet. Advertimus tamen in textum Arnpeckhiani Chronici LAVDAVENSI pro LAVREACENSI per errorem irrepsisse. LAVREACENSI enim, non LAVDAVENSI exigit ipsa narrationis & loci ratio, utpote in quo se de initiis Ecclesiæ LAVREACENSIS acturum spopondit Arnpeckhius. Si vero non LAVREACENSI, sed LAVDAVENSI legendum foret, inepta & inutilis esset Arnpeckhii narratio, cum ex ea intelligi non posset, a quonam LAVREACVM primum ad Christianam Religionem adductum sit, id quod tamen præcipue ac unice lectorem docere sibi proposuit Arnpeckhius. Deinde ignota penitus, & veteribus recentibusque Geographis incognita est urbs LAVDAVENSIS, cui Syrus & Eventius Evangelium prædicaverint. Denique cum nullus dubio locus sit, Arnpeckhium omnia hæc sua ex laudato Episcoporum Laureacensium & Patavienſium

[1] *alias*: Hermagoram.

Chronico mutuaſſe, clarum eſt, eum & nomen Eccleſiæ ac Vrbis LAVREACENSIS, quod in Chronico prædicto extat, retinere voluiſſe, licet aliud agens LAVDAVENSEM ſcripſerit, ut affirmat frater, qui aliud ſe in Codice autographo Monacenſi reperiſſe negat.

Atque hi duo ſoli auctores ſunt, qui SYRVM & EVENTIVM excluſo LAVRENTIO primos fidei Chriſtianæ apud Laureacenſes & Ripenſes Noricos Doctores fuiſſe affirment. Si qui præter eos adhuc alii ſunt, qui idem adſtruant, ii me latent.

§. V.

Sunt, qui ſolum Syrum Norici Apoſtolum faciant.

Qui ſolum SYRVM Noricos populos Chriſtianæ fidei rudimentis primum imbuiſſe contendunt, auctoritate Vitæ S. Ruperti primi Salzburgenſis Epiſcopi, quam ex perantiquo Monaſterii S. Petri Salzburgenſis Codice MS. V. Cl. Henricus Caniſius Lection. Antiq. Tom. VI. a pag. 1107. ad 1122. evulgavit, ſuam opinionem tuentur. In eius enim capite 10. poſtquam narraſſet auctor civitatem Laureacenſem, quæ dudum ante S. Ruperti ætatem a prima fide deſciverat, eiusdem *ſancti viri monitis characterem baptiſmi recepiſſe*, ſequentia ſubiungit: *legitur enim, quod poſt glorioſam Domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem, miſſis in Orbem terrarum Apoſtolis aliisque Chriſti diſcipulis, ad prædicandum Evangelium Dei, beatus Marcus Evangeliſta a ſanctiſſimo Apoſtolo Petro, Magiſtro ſuo Aquilegiam miſſus eſt, qui ſua prædicatione Aquileienſes ad fidem convertit, ubi Hermagoras civis Aquileienſis, vir doctiſſimus, Epiſcopus creatur. Hic SYRVM Papienſem Epiſcopum diſcipulum ſuum intimo loco fidem Chriſti denunciando deſtinavit, cuius doctrina LAVREACENSIVM civitas fidem orthodoxam recepit, & ſedem Metropolitanam meruit habere* &c.

Scio vitæ iſtius auctorem a ſociis Bollandianis Tom. III. Martii, ad eiusdem Menſis diem XXVII. pag. 700. multorum errorum argui, eaque propter velut hiſtoriam multis figmentis refertam reiici. Verum licet id demus in quibusdam rebus referendis, non tamen omnium, quæ affert, eadem ratio eſt, maxime eorum, quæ cum aliis gravibus & veteribus monumentis recte cohærent, cuiusmodi ſunt, quæ de primis Chriſtianæ fidei apud Laureacenſes initiis tradit. Sed quidquid ſit de auctoritate biographi S. Ruperti, ſolum SYRVM, primum Papienſem Epiſcopum Laureaci verbum Chriſti diſſeminaſſe commemorat etiam Ferdinandus Vghellus, eruditiſſimus SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias Abbas Florentinus Ord. Ciſterc. Tom. I. Italiæ Sacræ, col. 3. & ſeq. ubi ait, civitatis Papienſis ſe daturum ſeriem Epiſcoporum (inter quos & SYRVS eſt) quam magna ex parte e Diptychis Epiſcoporum S. Ticinenſis Eccleſiæ concinnaverit. Apud eum SYRI elogium huiusmodi eſt.

S. SYRVS, natione Galilæus, S. Petri Apoſtoli alumnus, ab eodem Apoſtolo primus Papienſis Epiſcopus ordinatus fuit circa annum noſtræ ſalutis XLVI. Quo cum perveniſſet cum Juventio, Pompeio, Griſantio, Fortunatoque prædicationis collegis, Chriſti Evangelium promulgare exorſus eſt, tanto pietatis ardore miraculorumque a ſe patratorum atteſtatione, ut brevi civitatem omnem ad Chriſtum traduxerit. Ad Mediolanenſem Præfectum concionari de rebus fidei SYRVM detulit fama, quem Mediolanum vocatum tanta admiratione audivit, ut ea conditione liberum illum dimiſerit, ne mulctatus exilio Papienſes fines attingeret. Sed Præfecti ſpreto præcepto, ſatius duxit vocanti imperantique Deo obtemperare. Igitur ut noviter converſos ad Chriſtum confirmaret, rediit ad Eccleſiam ſuam, maiorique ardore animi ſemel plantatam fidem excoluit. In honorem Deiparæ Virginis ac Principis Apoſtolorum templum erexit, alterumque SS. Gervaſio & Protaſio ſtatuit, quos paulo ante in ſuburbiis Mediolanenſibus ſæviſſima tormenta ſuſtulerant, quosque ipſe clanculum per Juventium collegam

fuerat

fuerat ad martyrium cohortatus. Nec solum Papiæ idololatriam extinxit, sed eandem prædicatione insectatus est in aliis Italiæ civitatibus: tum Aquileiæ Hermagoræ auxilio fuit; Brixiæ, Veronæ, Laudi, Pompeiæ, Tortonæ, Hastæ, Genuæ, pluribusque aliis locis doctrina æque ac miraculis clarus barbaram impietatem afflixit. Ex Italia traiecit in AVSTRIAM, LAVREACIQVE verbum Christi disseminavit. Primum sacrum Veronæ fecit, ibidemque demortuum hominem revocavit ad vitam. Tortonæ Martianum attribuit Præsulem, quem in disciplina quondam habuerat. Cumque Ticinensem Ecclesiam fundasset, administrassetque per quinquaginta annos, requievit in Domino die 9. mensis Decembris, anno ab instaurata salute 96. sepultusque est in Ecclesia Sanctorum Gervasii & Protasii, unde posita post septingentos annos fuit translatus in Cathedralem, conditusque ante maius altare inter columnas.

Subdit Vghellus, narrare doctissimum Bossium, *antiquissimam* traditionem esse, SYRVM puerum illum fuisse, qui quinque panes habebat & duos pisces, ex quibus Christus Dominus tot millia hominum satiavit: SYRI autem meminisse Petrum in Catalogo Lib. I. cap. 50. Mombritium Tom. II. Surium Tom. III. Luitprandium, Guallam, Ferrarium, Martyrologium Romanum & alios.

Ab hac Vghelli narratione non nihil discrepant Acta SS. Syri & Eventii seu Juventii, a Surio Tom. III. ad diem 12. mensis Septembris publicata, quæ SYRVM non a Sancto Petro, sed a S. Hermagora Sancti Marci discipulo Papiensibus seu Ticinensibus datum Episcopum, eique socium IVVENTIVM adiunctum fuisse commemorant, id quod & alii Scriptores veteres a nobis supra laudati & exscripti confirmant. Ad hæc non anno Christi 96. sed anno 90. ad superos abiisse in iisdem Actis sanctus SYRVS dicitur. Caterum quod SYRVS Brixiæ & Veronæ Christi fidem prædicaverit, eadem Acta Suriana consentiunt, licet de eius in AVSTRIAM & LAVREACENSEM urbem adventu ac prædicatione altum sileant. Enimvero cum Vghellus id ex aliis tam Ticinensis quam Papiensis Ecclesiarum veteribus monumentis discere potuerit, in eoque Auctor Brevis Chronici Laureacensium & Pataviensium Episcoporum, Biographus S. Rudberti Episcopi Salzburg. Schreitweinus & Vitus Arnpeckhius, quorum testimonia supra recensuimus, conveniant, dubitare nolim, SYRVM urbem LAVREACENSEM veræ fidei lumine collustrasse. Hactenus opinio eorum, qui solum & unicum SYRVM Norici Ripensis Apostolum nominarunt.

§. VI.

Eynwici opinio de discipulis S. Petri, fidem Christianam Norico inferentibus.

Eynwicus Præpositus Sanct-Florianensis in Vita Venerabilis Christi Virginis & Reclusæ Wilbirgis seu Wilburgis, seculo XIII. conscripta, & a fratre anno 1715. ex membraneo & coævo bibliothecæ Mellicensis codice primum in lucem producta, cap. I. pag. 47. Laureacum fide Christiana a Discipulis S. Petri primum initiatum fuisse scribit his verbis: *Quæ* (de urbe Laureacensi loquitur) *cum idolatriæ colla diutissime submisisset, tandem sub beato Petro Apostolo unacum aliis decem & novem famosissimis Ecclesiis, utpote Aquileiense, Mediolanense, Trevirense, Lugdunense, Moguntina cum reliquis, quorum nomina causa brevitatis prætermittimus, per EJVS DISCIPVLOS Catholicæ fidei lumine meruit illustrari.* Ad quæ Eynwici verba hæc observavit Reverendus editor: *Lauriacensis Ecclesia primos suæ fidei Doctores SS. Marcum, Lucam, illiusque discipulum quemdam Laurentium veneratur. Lambec. loc. cit. pag. 38. Sed hæc omnia partim fabulosa, partim incertissima sunt. Verosimillimum est, Christianæ fidei semina a Romanæ militiæ Tyronibus, supplendarum Legionum causa ex Italia in Noricum subinde missis circa annum Christi 80. vel 90. fuisse allata: qui cum in patria Apostolicos viros se audiisse gloriari potuerint, & forte*

ad

ad Perſecutorum tribunalia re ipſa gloriati fuerint, Laureacenſibus poſteris occaſionem præbuerint credendi, primos ſuæ fidei parentes Apoſtolos, eorumve diſcipulos extitiſſe. Hactenus coniectura fratris.

§. VII.

Bernardi Norici coniectura de Hermagoræ ac Fortunati Apoſtolatu Norico.

Bernardus Noricus, Cœnobita Cremifanenſis in Chronico Laureacenſium & Patavienſium Antiſtitum, quod in hoc volumine a col. 1297. ad 1310. ex Waldhuſianæ Canoniæ codice primum extulimus, coniicit, Sanctos Hermagoram & Fortunatum primos apud Laureacenſes munere Apoſtolico defunctos fuiſſe. Eius hæc verba ſunt col. 1297: *Item Sanctus Petrus beatum Marcum Evangeliſtam in Aquilegiam deſtinavit gratia prædicandi: qui ibidem ſanctos ERMACHORAM & FORTVNATVM cum aliis pleriſque convertit, ERMACHORA in Epiſcopum ordinato. Per HOS ergo PRIMOS verbi Dei ſeminatores poterat dicta Eccleſia Laureacenſis, ſi tunc fundata erat, recipere verbum Dei.* Hæc Bernardus, qui tamen quæſtionem non definit, ſed tantum rem ita fieri potuiſſe ait, forte quod aliorum de primis Norici Apoſtolis narrationes ſibi non ſatis firmæ ac veroſimiles viderentur.

Porro ex hactenus recenſitis Lector facile intelliget, quot quantisque ſpinis univerſa hæc controverſia obſita ſit. Quocirca tamen nemo veritatis amans nobis crimini vertet, ſi quid falſum, ſuſpectum, quid probabile improbabileve nobis videatur, hic aperte & candide expromſerimus. Id enim probi Hiſtorici munus eſſe, ac ipſam inſtituti noſtri rationem exigere, nemo prudens & æquus ignorat.

§. VIII.

Nec Laurentius, quo nomine nullus Epiſcopus Patav. fuit.

Primo falſum omnino eſſe iudicamus, LAVRENTIVM aliquem, cuius §. II. meminimus, primum Norici Apoſtolum & Chriſtianæ fidei apud Laureacenſes Doctorem extitiſſe, utpote cuius nec vetuſtiores Annales Patavienſes, nec antiquior Laureacenſium & Patavienſium Pontificum Catalogus ipſo Hundio teſte in Metrop. Salisburg. Tom. I. pag 286. nec Anonymus in Brevi Chronico eorundem Epiſcoporum, nec Bernardus Noricus in Chronico ſuo præcedente §. laudato, nec ullum aliud his antiquius monumentum ullam mentionem faciant. Vnde merito deducas, hunc Laurentium eſſe purum putum recentioris ætatis figmentum, cui quid occaſionem præbuiſſe videatur, operæ pretium eſt exponere.

Sat compertum eſt, Sanctum Laurentium Levitam & Martyrem iam ab antiquiſſimis temporibus pro ſingulari Vrbis Laureacenſis PATRONO & Tutelari habitum fuiſſe, idque paſſim tum vetera tum recentiora monumenta teſtatiſſimum faciunt, inter quæ unum tantum hic audire iuvat auctorem Brevis Chronici Patavienſis a nobis in lucem protracti: *Quæ quidem*, inquit col. 5, *Laureacenſis Metropolis poſt ſui ſublimationem per multa tempora ſubiectas habuit plurimas civitates intra Rabam ab Oriente, & Licum Occidentis, Drabam ab Auſtro, Oderam & Egram a parte Aquilonis fluvios ſituatas: cui etiam beatiſſimus LAVRENTIVS LEVITA & PATRONVS PRINCIPALIS deputatus, qui fuit martyrio coronatus brevi tempore poſt Auguſtos.* Eadem habet Bernardus Noricus in Chronico Laureacenſium & Patavienſium Pontificum col. 1298. Quæ

cum

cum Auctor Annalium Patavienſium recentior, ab Hundio Tom. I. pag. 285. Schreitweinus, Vitus Arnpeckhius, Catalogi Epiſcoporum Patavienſium a Velſero & Radero viſi concinnator, aliique minus attente legerent, expenderentq;, arripuerunt, quod obvium erat, & factis ex uno LAVRENTIO duobus, eorum alterum Eccleſiæ Laureacenſis primum Apoſtolum & Chriſtianæ fidei Doctorem, crearunt, cum tamen nonniſi unus unicus eſſet LAVRENTIVS LEVITA & MARTYR, eiusdem Eccleſiæ PATRONVS, non APOSTOLVS PRINCIPALIS. Porro rem hanc ita profecto eveniſſe facile ſibi viri docti perſuaderi patientur, ut qui noverint, quanta paſſim in tradendis veterrimis memoriis & rerum & nominum, confuſio, oſcitantia & incuria apud recentiorum temporum Scriptores, præſertim ſeculi XV. reperire ſit. Et certe LAVRENTIVS hic eruditiſſimo & in his rebus verſatiſſimo M. Velſero iam ſuſpectus fuiſſe videtur, dum Lib. III. Rer. Boic. pag. 91. ingenue fatetur, *LAVRENTII iſtius præter nomen, reliqua omnia obſcura haberi & incerta*: imo & nomen & omnia omnino ex incuria hominum conficta eſſe omnium antiquiorum monumentorum ſilentium demonſtrat. Itaque ex Catalogis Epiſcoporum Laureacenſium & Patavienſium & e numero Apoſtolorum hic LAVRENTIVS, qui nunquam inter homines fuit, expungendus & eiiciendus eſt.

Quod vero Annales Patavienſes recentiores ab Hundio citati, & Arnpeckhius ſcribunt, LAVREACVM a LAVRENTIO, ſubdititio illo Laureacenſium Apoſtolo, vel a S. Laurentio Levita & Martyre, ut Cuſpiniano viſum, nomen accepiſſe, vanum prorſus & ridiculum eſt. Quis enim, obſecro, ſibi perſuadeat, eo tempore, quo Laurentius ille Laureacum prædicandi Evangelii cauſa veniſſet, aut Laurentius Levita Romæ martyrium ſubiit, Romanos Præfectos paſſurus fuiſſe, ut urbi & coloniæ Romanæ hominis humilis & cætera obſcuri, & vel ſola religione ſibi exſecrabilis nomen imponeretur? Aut quis in animum inducat, ut credat, primos Laureacenſes Chriſtianos, a mundanis gloriis & pompis tantopere abhorrentes pro ſua in Apoſtolum ſuum pietate eiusmodi quid auſos fuiſſe? Vt nè dicam, Laureacenſem Vrbem, colonia Romana iuſſu Auguſti, atque adeo diu ante Laurentii acceſſum vel maryrium fuiſſe ornatam, ut ex antiqua inſcriptione, quam ex magno Inſcriptionum Opere, a Jano Grutero congeſto, exhibet Petrus Lambecius Comment. de Bibliotheca Cæſ. Vindobon. Lib. II. cap. 8. pag. 638. facile demonſtratur. Ea enim ſic habet:

T. VENNONIO. T. F. STELL
AEBVTIANO PATRONO ET
MVNICIPI. COL. AVG. LAVR
EQ. R. EQ. P. IVD. EX. V. DEC.
SELECTO. CVR. R. P. ALB.
POMPEIANORVM. L. L.
PONTIF. EIVSDE. SACERD.
MVNIA. Q. F. CELERINA. VXOR.
MARITO KARISSIMO.

Ad quam inſcriptionem recte obſervat eruditiſſimus Lambecius, pro AVG. id eſt AVGVSTA a Marco Velſero & Philippo Cluverio AVR. ſeu AVRELIANA perperam lectum & editum fuiſſe.

Cæterum Vrbem Laureacenſem, Norici caput, nec a *Litteris Laureatis* quas Imperator M. Aurelius Antoninus Philoſophus, ferente bello Marco-

mannico ibidem ipſum triennium agens, nuntias Victoriæ acceperit, ut Lazio in mentem venit, ſed a torrente *Laurone*, vulgo den Laurbach vel Lorbach, qui olim per medium Laureacum defluxit, nomen ſortitum fuiſſe, idem Lambecius Lib. cit. pag. 634. contendit, additque vocabulum Germanicum Lauritch vel Lorich in Lauriacum a Romanis eo fere modo formatum, detortumque fuiſſe, quo Juliacum, Vitteliacum, Abudiacum, aliaque eius generis complura Germaniæ antiquæ nomina topographica. Quod probet, cui libuerit. Ego nihil certi auſim ſtatuere.

§. IX.

Exploſa Laurentiani apud Lauriacenſes Apoſtolatus fabula, nunc age, videamus, qui tandem alii id munus in Norico veroſimilius obierint. Supra iam ex Bernardi Norici Chronico Epiſcoporum Laureacenſium & Patavienſium memoravimus, etiam SS. Hermagoram Epiſcopum Aquileienſem, & Fortunatum in cenſum Apoſtolorum Norici venire. Verum præterquam quod hæc Bernardus coniiciendo potius quam adfirmando dicat & narret; altum præterea de Norico eorum Apoſtolatu ſilentium eſt apud omnes, quotquot de fidei Chriſtianæ apud Laureacenſes initiis agunt, auctores tam antiquiores quam recentiores, quorum etſi plerique a Sancto Hermagora Syrum & Eventium in has oras propagaturos Chriſti doctrinam miſſos fuiſſe affirment, ipſum tamen Hermagoram eodem contuliſſe ſe nullibi memoriæ produnt. Itaque & Sanctos Hermagoram & Fortunatum, ni ſolis & meris coniecturis fidere velimus, valere iuſſos e numero primorum Norici Apoſtolorum excludemus.

Nec Hermagoras & Fortunatus.

§. X.

Reſtat igitur, ut vel ſolus ac unicus Syrus, Epiſcopus Ticinenſis ſeu Papienſis, vel certe idem una cum S. Eventio ſeu Juventio provinciam Evangelii Noricis prædicandi primum ſuſceperint, quorum prius ex Biographo S. Ruperti Ep. Salzburgenſis & Vghello, poſterius ex plerisque antiquioribus Auctoribus, nominatim ex Brevi Chronico Laureacenſium & Patavienſium Epiſcoporum colligitur. Cui poſtremæ ſententiæ eo minus inviti ſubſcribimus, quo facilius ea, quæ fide digniora vetera monumenta de primis Chriſtianæ fidei apud Laureacenſes initiis tradiderunt, hac ratione credi & inter ſe conciliari poſſunt. Sic enim probe intelligi poſſunt S. Symmachi & Agapiti II. Romanorum Pontificum Epiſtolæ, in quibus Eccleſia Laureacenſis AB APOSTOLIS FVNDATA, & in EXORDIO NASCENTIS ECCLESIÆ a Doctoribus Romanæ Sedis fidei rudimenta percepiſſe memoratur. Licet enim SS. SYRVS & EVENTIVS e primorum Apoſtolorum cœtu non fuerint, fuerunt tamen S. Hermagoræ Epiſcopi Aquileienſis, qui S. Marcum Evangeliſtam & Apoſtolum Magiſtrum habuit, diſcipuli & *Viri Apoſtolici*, quod ad hoc ſatis eſt, ut verum ſit, Eccleſiam Laureacenſem ab Apoſtolis & Doctoribus Romanæ Sedis fundatam, & primis veræ fidei elementis imbutam fuiſſe: quod aliarum Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolis primitus inſtitutæ feruntur, exemplis hic facile, ſi otium eſſet, demonſtrari poſſet. Nec quemquam admodum moveat, quod in Actis Surianis S. Syri, quæ etiam manu exarata extant in Cod. Mellicenſi M. 7. nulla fiat mentio prædicationis Laureacenſis. Nam nec vetuſtiſſima illa Acta ſunt, nec quidquam, quod cum noſtra ſententia pugnet, com-

Nec ſolus Syrus; ſed Syrus & Juventius primi fidem Chriſti Norici Ripenſis populis annuntiaverunt.

complectuntur. Imo, cuius demum cunque ætatis & auctoritatis sint, ea non obscure Syri in Noricum profectioni favent, ut quæ plures eiusdem sacras Veronam, Laudem Pompeiam, Brixiam &c. excursiones & expeditiones commemorent, quo tempore ac occasione etiam Laureacum in Noricum, urbem scilicet civium multitudine ac superstitione famigeratam potuit accedere, id quod revera factum fuisse Vghellus & Bosius ex veteribus & forte sinceriboribus Ecclesiæ Ticinensis monumentis tradiderunt. Maneat ergo omnium verosimillimum, nec Laurentium, nec Hermagoram, nec Fortunatum, nec alios S. Petri innominatos discipulos, sed solos Sanctos SYRVM & IVVENTIVM ambos Episcopos Ticinenses Laureaci, reliquique Ripensis Norici primos Apostolos & cœlestis doctrinæ Magistros extitisse.

§. XI.

Porro quam Sancti Syrus & Eventius primi sparserunt in his oris Christianæ fidei sementem, ea maiores amplioresque postea fructus attulit eorum Pontificum cura & diligentia, qui post illos lapsu temporum Laureacensem Sedem tenuere. Ex iis primæ merito debentur Sancto Maximiliano Archiepiscopo Laureacensi, qui sub Cæss. Caro, Numeriano & Carino, Eulasio Præside apud Celeiam, præsignem Norici Mediterranei urbem Martyrii laurea coronatus fuit. Is enim, ut vitæ auctor num. 8. col. 26. tradit; *nacta opportunitate, assumptis personis intentioni suæ competentibus Romam profectus fuit, visitare Principes Apostolorum: ubi a B. Sixto, qui tunc Ecclesiæ Romanæ præerat, benedictionem Apostolicam, & prædicandi verbum Dei auctoritatem accipiens, ad propria revertitur, Domino iter suum feliciter dirigente. Reversus igitur B. Maximilianus ad provinciam suam, officium assumptum tam strenue quam solerter exequens, aream Domini de Philistinorum ad terram Israël super plaustro novo suis cervicibus Divini amoris nexibus alligatam, armatis frontem geminis cornibus legis & Evangelii contra pernicios os morsus luporum, & multa prole fœcundus, quam Christo per Evangelium genuit, mugitus prædicantium grandes & frequentes emittens, non declinans ad dexteram elatus prosperitate, vel ad sinistram fractus adversitate, recto itinere toto nisu studuit reducere usque ad agrum veri Iosue Bethsamitæ. Sparsit præterea fulgorem sui luminis, non ut candela lucens aliis, sibi vero manens absque lumine tota consumitur, sed quasi supra candelabrum accensa lucerna. Totus igne Divini amoris succensus ardebat, non deficiens lucens aliis, qui in ipso tanquam in clarissimo speculo sobrie, iuste pieque vivendi cernebant imaginem & exemplar. Lucebat & aliis, quos ipse tanquam Sol oriens in altissimis Dei, emissis a se radiis rutilantis doctrinæ a tenebris ignorantiæ excussos, vivaciter illuminavit. Gentilium etiam incredulorum, quibus adhuc abundabat provincia, improbitates per evidentissimas rationes eorum erroribus vita veritatis ostensa Creatorem omnium agnoscere, & corpori sanctæ Ecclesiæ, extra quod nemo salvari potest, debuit coniungi.* Plura de S. Maximiliani laboribus Apostolicis, quibus Christianam in Norico fidem propagavit, lector in eius vita a nobis edita reperiet.

S. Maximiliani Archiep. Laureacensis de Christiana in Norico fide merita.

§. XII.

Debent & Austriaci nostri, imo Styri, Carinthi, Salisburgenses & Bavari plurimum Sancto Severino Monacho vel Abbati, vero NORICORVM APOSTOLO, quo merituissimo titulo eum Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Cæsar Baronius in Martyrologio Romano ad VI. Id. Ianuarii honorat. Fuit is singulari quodam Dei nutu sub annum Christi CCCCLIII. in has oras deductus, ut ad sanctissimos Viri Dei mores & cœlestem doctrinam vita Noricorum reformaretur; quod his verbis in Prologo vitæ S. Severini nar-

Vti & S. Severini.

narrat Eugippius, auctor graviſſimus & Sanctiſſimi Abbatis diſcipulus: *cum multi Sacerdotes & Spiritales viri, nec non & Laici nobiles atque religioſi, vel indigenæ, vel de longinquis ad eum regionibus confluentes ſæpius hæſitarent inter ſe quærentes, cuius nationis eſſet vir, quem tantis cernerent fulgere virtutibus, nec ullus penitus ab eo auderet inquirere: tandem Primentius quidam Presbyter Italiæ, nobilis & totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore, quo Patritius Horeſtes[1] inique peremptus eſt, interfectores eius metuens, eo quod interfecti velut pater fuiſſe diceretur, poſt multos familiaritatis adeptæ dies erupit quaſi pro omnibus, & ita ſciſcitatus eſt dicens: Domine ſancte, de qua provincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus eſt? Cui vir Dei faceta primum hilaritate reſpondit: ſi fugitivum putas, para tibi pretium, quod pro me poſſis, cum fuero requiſitus, offerre. His talia ſerio mox ſubiiciens: quid prodeſt, inquit, Servo Dei ſignificatio loci vel generis ſui, cum poſſit id tacendo facilius vitare iactantiam, utpote ſiniſtram, qua neſciente cupitis me opus bonum Chriſto donante perficere, quo merear dexteris ſocius fieri, & ſupernæ patriæ civis adſcribi? Quam ſi me indignum veraciter deſiderare cognoſcis, quid te neceſſe eſt terrenam cognoſcere, quam requiris? Veruntamen ſcito, quia DEVS, qui te Sacerdotem fieri præſtitit, ipſe me quoque PERICLITANTIBVS HIS HOMINIBVS INTERESSE PRÆCEPIT.* Et tali memoratus Presbyter reſponſione conticuit, nec quisquam ante vel poſtea beatum virum ſuper hac parte percunctari præſumpſit. *Loquela tamen ipſius Affricanum teſtabatur hominem omnino Latinum, quem conſtat ad quandam in Oriente ſolitudinem fervore perfectioris vitæ fuiſſe profectum, atque inde ad NORICI RIPENSIS oppida, Pannoniæ ſuperiori vicina, quæ barbarorum crebris premebantur incurſibus, DIVINA compulſum REVELATIONE veniſſe; ſicut ipſe cauſas perventionis ſuæ, tanquam de alio loqueretur, referre ſolitus erat, nonnullas Orientis urbes nominans, & itineris immenſa pericula ſe mirabiliter tranſiſſe ſignificans.* Hæc Eugippius de adventu Severini in Noricum, cuius cauſa unica fuit ſalus mortalium, quam eius miniſterio Divina providentia voluit procurare.

§. XIII.

Ruperti Epiſcopi Salzburgenſis,

Norici Ripenſis Apoſtolis iure accenſetur S. Rupertus, primus Eccleſiæ Salzburgenſis *Epiſcopus & Abbas* Monaſterii S. Petri Ord. S. Bened. ut diſſerte in veterrimo eiusdem Abbatiæ Necrologio nuncupatur. Is quanta contentione ac ſtudio labantem ob continuas barbarorum incurſiones, Laureacenſium, omniumque Noricorum fidem ſuſtinere ac erigere adlaboraverit, quot præterea eius generis quantaque beneficia Pannoniæ, Carinthiæ, Styriæ ac Bavariæ præſtiterit, ex duplici eius vita, quam Henricus Caniſius Antiq. Lect. Tom. VI. a pag. 1038 ad 1043. & a pag. 1107. ad 1122. uti & ſocii Bollandiani Tom. III. ad diem XXVII. Martii a pag. 702. ad 706. typis commiſerunt, vulgatiſſimum eſt. Namque *baptizato Duce* Bavarorum Theodone *& populo, qui Divina illuſtrante gratia, ſacramentum ſalutaris lavacri acceperat, obſecratus a Theodone, navi aſcenſa, per alveum Danubii deſcendendo, vicis, villis & caſtellis libera voce Evangelium Chriſti prædicavit, & per terminos NORICORVM usque in inferiorem Pannoniam ipſe clara lucerna ſuper candelabrum poſita, lumen Chriſti miniſtrando pervenit. Inde vero per terram reverſus LAVRIACENSEM intravit, in qua multos aqua Baptismatis regenerando ab idolorum cultura convertit, & plures variis languoribus oppreſſos ſanavit in nomine Domini. LAVRIACO namque digreſſus, in quocunque loco fervere gentilitatis errorem cognovit, illuc intrepidus acceſſit, deſtruens idola, diminuens ſimulachra, commendans ubique Domini Jeſu Chriſti Divinitatem pariter & ſacram eius Incarnationem* &c. apud Bollandianos pag. 702. Quæ omnia ſuo merito Vitum Arnpekhium permoverunt, ut Lib. II. Chron. Baioar. cap. 8. S. Rupertum *Apoſtolum* Baioariæ, AVSTRIÆ & Styriæ cognominaret. Obiit hic ſanctiſſimus & de univerſo Norico ac Vindelicia cumulatiſſime meritus Præſul anno Domini DCXXIII. aut certe DCXXVIII.

[1] Oreſtes.

§. XIV.

§. XIV.

Nec ſilentio hic prætereundus S. Piligrinus ſeu Pelegrinus, ex Epiſcopo Patavienſis Eccleſiæ, quam ab anno Chriſti DCCCCLXXI. ad DCCCCXCI. vel DCCCCXCII. maxima cum laude ac ſanctitatis opinione rexerat, Archiepiſcopus Laureacenſis. *Piligrini Archiep. Laureacenſis,* Hic præſtantiſſimus Pontifex quantopere in converſionem VNGARORVM, quos anno DCCCLXXXIX. Pannoniam AVSTRIAMque INFERIOREM occupaſſe, alibi memoravimus, incubuerit, teſtatur eius Epiſtola ad Benedictum VII. aliis VI. Papam data, quam unacum reſponſo eiusdem Romani Pontificis ex MS. Cod. Cæſareo emendatam Petrus Lambecius Commentariorum de Bibliotheca Vindobon. Lib. II. cap. 8. a pag. 641. ad 649. recudit, ex qua ea ſolummodo, quæ ad declaranda S. Piligrini in gentem noſtram & Hungaricam merita faciunt, excerpta hic exhibebimus.

Ordinis ac nominis carismate prærogato S. Romanæ Sedis Vniverſali Pontifici Benedicto, Piligrinus S. Lauriacenſis Eccleſiæ humilis Servitor, fidelitatem precum devotumque ſervitium.

Notum fieri dignetur vobis, Summe Sacerdotum Præſul, quod ſupra omne animi mei deſiderium nunc delectarer & Apoſtolorum viſitare limina, veſtraque optabili perfrui præſentia, & ea facie ad faciem; quæ literis & internuntiorum committo indiciis, Sanctiſſimæ Paternitati Veſtræ coram ratiocinari, niſi quod a NEOPHYTA VNGRORVM GENTE huc ire prohibeor, apud quam, fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere prædicationis. Cuius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ diœceſis hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus Omnipotens, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt ianuam cordis ſui diu clauſam, ut diſciſſo velamine duritiæ ſuæ, depoſitaque ferina crudelitate, leni iugo Domini colla ſubmittant. A qua ergo præfata VNGRORVM GENTE multis precibus ipſe invitabar venire, aut Miſſos meos in opus Evangelii illuc dirigere, ad hos dum transmitterem ſatis idoneos viros ex MONACHIS CANONICISque Presbyteros, atque de ſingulis Eccleſiaſticis gradibus Clericos, & vita & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in Geſtis Anglorum didici, tantum Divina gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex eiusdem nobilioribus VNGRIS utriusque ſexus Catholica fide imbutos, atque ſacro lavacro ablutos circiter quinque millia lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum maior pars populi eſt, qui ex omni parte Mundi illuc tracti ſunt captivi, quibus nunquam ſoboles ſuas licuit niſi furtive Domino conſecrare, modo certatim nullo obſtante timore offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quod Chriſtiano more Oratoria audent conſtruere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præſumunt ſolvere. Ipſi enim Barbari mira Omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus invident, quocunque libet proficiſci: ſed ita concordes ſunt pagani cum Chriſtianis, tantamque ad invicem habent familiaritatem, ut illic Iſaiæ videatur impleri Prophetia: lupus & agnus paſcentur ſimul: leo & bos comedent paleas. *Factum eſt ergo, ut pæne cuncta VNGRORVM NATIO ſit prona ad percipiendum fidem ſanctam. Sed & aliæ SCLAVORVM provinciæ ad credendum promptæ, & eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Vnde quoque viſum eſt iam neceſſarium eſſe, quatenus Sanctitas veſtra illic aliquos iubeat ordinari Epiſcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios ſeptem Antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit & Mœſia, meæ ſanctæ LAVRIACENSI, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiæ ſubiectos, quorum etiam quatuor, uſque dum VNGRI regnum Bawaricum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt &c.* Petit deinde Piligrinus, ut Benedictus Papa PALLIVM Pontificale, deceſſoribus ſuis olim a Romanis Pontificibus con-

cessum, sibi quoque conferat, & avita Ecclesiæ suæ privilegia confirmet. Tum formulam professionis fidei suæ subiungit. Denique, *qualiter*, inquit, *ex præ-libata fide idiotas erudire debeam, & ipse in suscepta Novitiorum Ecclesia conversari rescripto Paternitatis vestræ cautius flagito, ut merear edoceri.* Data Epistolæ desideratur.

Porro quid ad hæc responderit Benedictus Papa, qui nosse cupit, citatum Lambecium evolvat, qui, ut supra iam monuimus, integrum & ad optimæ notæ Cæsareo-Vindobonensem codicem exactum Benedicti *rescriptum*, ad Piligrinum exaratum publicavit. Nos id, quia ad res nostras non admodum attinet, hic omittimus, contenti egregia S. Piligrini Archiepiscopi de Christiana AVSTRIÆ ac HVNGARIÆ fide merita propriis ipsius Apostolici Præsulis verbis demonstrasse.

§. XV.

S. Wolffgangi Ep. Ratisbonensis,

Postremo a Piligrino seiungendus non est Sanctus Wolffgangus, ex Monacho Benedictino Einsidlensi seu Eremitano, Ecclesiæ Ratisbonensis ab anno DCCCCLXVIII. ad DCCCCXCIV. sanctissimus Episcopus, utpote quem eiusdem Piligrini opera & studio Otto II. Imperator ad eam sedem evexit, ut auctor est Othlonus Monachus Emmerammensis in Vita S. Wolffgangi cap. XIV. apud Mabillionium in Actis SS. Ordinis S. Bened. Sæc. V. a pag. 811. ubi etiam Piligrinus de eo dixisse refertur: *o quam felix Ecclesia, quæ, Deo volente, isto donabitur Sacerdote!* Fuit Wolffgangus noster sine dubio inter *illos satis idoneos viros ex MONACHIS CANONICISque Presbyteros*, quos ad VNGROS, tum inferiorem Austriam insidentes, transmisisse se Piligrinus in Epistola ad Benedictum Papam, ut vidimus, scripsit, tametsi viri sanctissimi studio & laboribus optatus ex omni parte fructus haud responderit, obstante scilicet quorundam HVNGARORVM ferocia & animi duritie, longo armorum usu & sæviendi libidine confirmata. Eam Wolffgangi expeditionem his verbis exponit Othlonus cap. XII. & XIII. *Cum pro sua aliorumque salute iugiter exoraret, & huiusmodi preces Sanctorum suffragiis intentissime commendaret, beatum Christi Confessorem Otmarum, cui se suaque frequentissime commendabat, sibi in somnis adstare videbat. Quem iussus intendere, ab eo huiusmodi accepit verba: quia rogatus a te, ut intercederem pro te, manifesta nunc tibi quadam futura, quæ tibi provenient intercessionis meæ cura. Pauper & inops de hac provincia egredieris: sed in aliam, in qua pro amore Domini exulaberis, Episcopatum caducis rebus satis locupletem prædestinatione Divina susceptarus eris. Cuius in administratione, si fidelem te exhibueris, expletis viginti duobus annis, vitam transitoriam eris exiturus, & æternam ingressurus. Et hoc procul dubio scito, quod animam conditori redditurus es in loco, ubi sub nomine Christi a Christianis memoria mea veneratur & colitur, quo me in hora exitus tui de Ægypto huius Mundi spero adventurum cum ceteris, quos de civibus supernis ad te venturos consolatores habere meruerit. Huiusmodi ergo visione perceptа, eo amplius, quo certius intendebat aciem mentis in speculum Divinæ contemplationis, reputans iugiter secum, qualiter in salutem aliorum sibi concessum duplicaret talentum. Huius rei gratia Abbatis sui licentia Monasterium, & non Monachum, deserens, imo secundum Apostolum maiora charismata æmulari cupiens, per Alemanniam devenit exul in NORICVM. Ad cuius Orientalem plagam cum humili comitatu PRÆDICANDI GRATIA PANNONIÆ petit CONFINIA. Ibi cum veterum frutices errorum exstirparet, & steriles squalentium cordium agros Evangelico ligone proscinderet, frugemque fidei inseminare frustra laboraret, a Piligrino, Patauiense Pontifice ab incepto revocatus est opere. Delebat enim idem Pontifex tantum colonum in sulcis sterilibus expendere*

laborem.

laborem. Cumque ab eo revocaretur, omnique humanitatis ſtudio ſuſciperetur, apud illum rogatus commorabatur aliquot diebus. Quo commorationis tempore idem Epiſcopus optime uſus, utpote qui erat omnimoda ſagacitate plenus, iuxta quod Apoſtolus docet: probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: *clandeſtina & manifeſta Divini ſervitii obſervatione, ac aſſidua ſacræ Scripturæ indagatione ſatis probavit, hunc, quem ſuſceperat, peregrinum non eſſe gyrovagum, ſed ſtabilem veræ fidei Domeſticum.* Hactenus Othlonus de S. Wolffgangi Apoſtolica in AVSTRIÆ & PANNONIÆ fines excurſione, quam infructuoſam fuiſſe eo mireris amplius, quo Divinior, ſuavior, efficaciorque erat ratio prædicandi, qua cœleſtem ſuis auditoribus doctrinam proponere conſueverat. Eam eiusdem Othloni verbis hic iuvat exponere, qui cap. XIX. vitæ de Wolffgango, iam Epiſcopo Ratisbonnenſi, ſic diſſerit: *Monaſticis ergo & interioribus rebus rationabiliter ordinatis, diſcretus Dei cultor nequaquam exteriora omiſit providere: ſed ſicut urbanis & cœnobitis dedit, ita etiam totam perluſtrans ſuam diœceſim, cunctos ſalutiferæ prædicationis odore adſperſit. Quapropter cum Miſſarum ſollemnia celebraſſet ex more, in tantum plebem aſſuefecit Eccleſias frequentare, ut per dies ſollemnes vix domi remanere viderentur cuſtodes. Ad prædulcem enim tanti Pontificis exhortationem certatim ſexus utriusque turba confluere ſolebat, quam illuc frágrantia cœleſtium aromatum adduxit; apium videlicet inſtar, quas poſt ſe trahere videtur mellis odor. Quibus Pater pius ſummopere deſiderans eſſe aptus & utilis in diſputatione regni cœleſtis, perplexis ac Sophiſticis minime utebatur ſententiis: ſed ſic melliti oris dulcedinem per quamdam ineffabilem temperabat auſteritatem, ut ſimplici & optimo genere locutionis, tangere videretur intima cuiusque cogitationis, talique arte ex nonnullorum oculis lacrymarum eliceret imbres. Hanc ſiquidem a Spiritu Sancto acceperat gratiam, ut hi, qui prædicanti aſſiſterent, eumque intente audirent, raro aut nunquam abſcederent ab eius prædicatione ſine lacrymarum effuſione. Quo pergrandi bono a largitore omnium bonorum conceſſo, per malitiam ſuam ſauciatus humanæ ſalutis inimicus invidiam, quam ſemper habebat, quibus poterat viribus, contra illum exercebat.* Hæc Othlonus de gratia ſingulari corda hominum commovendi, quam Deus huic NORICORVM & HVNGARORVM Apoſtolo elargitus fuit. Sed nondum venerat *tempus miſerendi*; ſervabaturque ea meſſis aliis, qui in Piligrini & Wolffgangi labores, ut diviniori phraſi in re ſacra utamur, eſſent introituri.

Forent etiam alii ſanctimonia vitæ atque ſacratiori doctrina celeberrimi Præſules Patavienſes, ac Divini cultus ſtudioſiſſimi Abbates, uti B. Altmannus, S. Bertholdus &c. qui nullam non operam dederunt, ut gens noſtra Chriſtianis moribus & cœleſtibus diſciplinis quotidie altius & penitius imbueretur. Verum quia ii & recentiorum iam temporum ſunt, frequentiorque de ſingulis ſermo in ſequentibus voluminibus recurret: de iis hoc loco, in quo de primis fidei Chriſtianæ apud Ripenſes Noricos ſeu Auſtriacos Doctoribus & propagatoribus agere propoſuimus, pluribus diſſerere merito ſuperſedemus. *Aliorumque pluriſum conſecutis temporibus.*

DISSER-

DISSERTATIO V.

QVO ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNO *LEOPOLDVS I.* COGNOMENTO *ILLVSTRIS*, VETERVM AVSTRIÆ MARCHIONVM ET DVCVM, *STIRPIS BABENBERGENSIS*, PATER ET AVCTOR, *AVSTRIÆ* PRINCIPATVM ADIERIT: TVM A QVO ROMANORVM IMPERATORE EVNDEM CONSECVTVS FVERIT? VBI ET DE *ADALBERTO* SEV *ALBERTO*, COMITE BABENBERGENSI, IVSSV LVDOVICI III. IMP. DECOLLATO.

§. I.

INfinitarum quæstionum, obscuritatum & difficultatum sylvam ingredimur, dum de anno æræ Christianæ, quo LEOPOLDVS I, veteribus LIVPALDVS, LVITPALDVS, LEOPALDVS, LIVPOLDVS, LVIPOLDVS, & LEVPOLDVS dictus, cognomento ILLVSTRIS, Austriacorum Marchionum & Ducum Stirpis BABENBERGENSIS auctor & parens AVSTRIÆ Marchionatum auspicatus sit, & a quo Imperatore Romanorum eundem Principatum indeptus fuerit, disputare instituimus. Rem adeo perplexam facit aut silentium veterum & coævorum, quos in manibus habemus, Scriptorum, aut ingens posteriorum auctorum in consignanda hac Epocha varietas, pugna & discrepantia. Verum utut disquisitio aspera futura sit, eam tamen tanto animosius aggredimur, quanto arctius totius AVSTRIACÆ HISTORIÆ perceptio cum solida propositæ Quæstionis pertractatione conjuncta est: Ni enim satis de primo suscepti a LEOPOLDO Marchionatus anno constiterit, incerta & confusa omnis nostrarum rerum Chronologia erit, ea saltem parte, qua maxime necessaria fuerit. Porro autem quia princeps Quæstio definiri non potest, quin alia quædam cum eadem coniuncta prius penitius discutiantur, universam hanc disquisitionem in quasdam veluti partes tribuemus, in quarum I. inquiremus, an revera LEOPOLDVS I. Austriæ Marchio e Nobilissimorum Comitum BABENBERGENSIVM stirpe descenderit? In II. indagabimus, num ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS, a Ludovico III. Imp. decollatus, pater LEOPOLDI I. Austriæ Marchionis extiterit. In III. ex probis & coævis Auctoribus variam ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, quem maioris claritatis causa *decollatum* semper cognominabimus, fortunam ac denique interitum enarrabimus. In IV. tandem verosimiliorem sententiam de primo aditi a LEOPOLDO I. Austriæ Marchionatus anno exponemus. In V. postremo docebitur, cui Romanorum Imperatorum collatio Marchionatus Austriæ, LEOPOLDO I. Marchioni facta, omnium probabilissime tribuatur. De primo iam nunc videamus.

§. II.

Equa Stirpe prognatus sit Leopoldus I. Austriæ Marchio?

LEOPOLDVM I. Austriæ Marchionem genus suum ex Ducibus Sueviæ ducere, tradunt Tabulæ Clausteroneoburgenses, & ex iis Vitus Arnpekhius in Chronico Austriaco nostræ editionis col. 1179. Johannes Cuspinianus in Austria, Hoffmannus Annalium Bambergensium Lib. I. col. 23. edit. Ludewigi-

wigianæ, aliique plures recentiores Scriptores. Verum quia nullus omnino vetuſtiorum Auctorum, quos ego quidem viderim, id unquam adſeruit, eam coniectatiunculam indignam cenſeo, cui diffuſius denarrandæ refutandæque hic immorer, præſertim cum eius falſitas ex mox dicendis ſat certa & manifeſta futura ſit. Neque enim ex ulla alia, quam ex BABENBERGENSIVM COMITVM STIRPE LEOPOLDVM I. cum poſteris Auſtriæ Marchionibus & Ducibus prognatum fuiſſe ex Ottone Epiſcopo Friſingenſi S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis filio facile demonſtratur. Porro locus, qui rem conficiat, extat in eius Chronico Lib. VI. cap. 15. ubi, cum tragœdiam illam narraſſet, quâ ALBERTVS ſeu ADALBERTVS Comes BABENBERGENSIS, anno DCCCCV. V. Id. Sept. aſtu & perfidia Hattonis Archiepiſcopi Moguntini, & iuſſu Ludovici III. Imperatoris decollatus fuit, hæc diſſerte ſubdit Otto: Ex HVJVS ALBERTI SANGVINE ALBERTVS, QVI POSTMODVM MARCHIAM ORIENTALEM, ID EST, PANNONIAM SVPERIOREM VNGARIS EREPTAM, ROMANO IMPERIO ADJECIT, ORIGINEM DVXISSE TRADITVR. Sermo hic Ottoni eſt de ALBERTO ſeu ADELBERTO Auſtriæ Marchione, qui MARCHIAM ORIENTALEM vel PANNONIAM SVPERIOREM, hoc eſt Ottoniana phraſi, AVSTRIAM ab anno Chriſti MXVIII. ad MLVI. gubernavit, ut in Chronico Mellicenſi a col. 222. uſque ad 225. memoratur: quique ALBERTVS MARCHIO ob relatas frequentius ab Hungaris victorias poſtea cognominatus eſt VICTORIOSVS. Hunc ALBERTVM AVSTRIÆ MARCHIONEM ſcribit hic Otto tradi ex ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS decollati *ſanguine originem duxiſſe:* Igitur LEOPOLDVS I. AVSTRIÆ MARCHIO ex eiusdem ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS ſanguine originem ſuam duxerit neceſſe eſt, ſi quidem Ottonem Friſingenſem, illuſtrem eiusdem Stirpis propaginem *traditio* non fefellerit. Namque LEOPOLDVS I. MARCHIO, ALBERTI ſeu ADALBERTI VICTORIOSI, Auſtriæ itidem Marchionis certiſſimus *avus* fuit, ut conſtat ex pluribus minime ſubleſtæ fidei documentis.

Primo enim in Ottonis III. Imperatoris Diplomate, quo *quasdam iuris ſui res in regione, vulgari nomine OSTIRRICHI ſitas* anno DCCCCXCVI. Eccleſiæ Friſingenſi apud Hundium Metrop. Salisb. Tom. I. pag. 139. confert, planiſſimis verbis HAINRICVS COMES FILIVS LVITPALDI MARCHIONIS dicitur. At enim is ipſe HAINRICVS AVSTRIÆ II. MARCHIO, mendaci cognomento REBELLIS eſt, qui ALBERTVM MARCHIONEM AVSTRIÆ, VICTORIOSVM dictum, progenuit. Itaque LIVTPALDVS ſeu LVITPALDVS, LEOPOLDVSve I. MARCHIO AVSTRIÆ ALBERTI VICTORIOSI non potuit non *avus* exiſtere. Cæterum HAINRICVM II. AVSTRIÆ MARCHIONEM filium fuiſſe LEOPOLDI I. fidem præterea faciunt Conradus de Wizenberg Abbas Mellicenſis, Chronicon Clauſtroneoburgenſe, Auctor Hiſtoriæ Fundationis Monaſterii Mellicenſis, Tabulæ Clauſtroneoburgenſes, Vitus Arnpekhius in Chronico Auſtriaco, aliique, quos nominare ſingulos longum eſſet.

Iam vero HAINRICVM II. AVSTRIÆ MARCHIONEM (filium LEOPOLDI I.) revera *Patrem* ALBERTI III. MARCHIONIS, cognomento VICTORIOSI fuiſſe, certum habemus ex Brevi Chronico veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum, quod a Conrado de Witzenbergo I. id nominis

Abbate Mellicenſi (non a Leopoldo VI. ſecundo Auſtriæ Duce, ut plane in hac re falſus eſt Lazius) conſcriptum infra a col. 290. ad 294. exhibemus Is enim col. 292. ſic aperte ſcribit: *H.* id eſt: HAINRICVS, *vero Marchio decedens ipſo anno, FILIVM RELIQVIT ADALBERVM atavum veſtrum.* Quod etiam confirmant Auctores omnes, quos paulo ante citavimus. Extra igitur omnem controverſiam eſt, HAINRICVM II. AVSTRIÆ MARCHIONEM (filium LEOPOLDI I.) patrem ALBERTI ſeu ADALBERTI III. AVSTRIÆ MARCHIONIS extitiſſe, atque adeo LEOPOLDVM I. *avum* fuiſſe ALBERTI III. AVSTRIÆ MARCHIONIS, cognomine VICTORIOSI, qui poſtmodum Marchiam Orientalem, id eſt: Pannoniam Superiorem Vngaris ereptam, Romano imperio adiecit, ut Otto Friſingenſis atteſtatur. Si itaque vera eſt *traditio* ab eodem Ottone memorata, hunc ALBERTVM AVSTRIÆ III. MARCHIONEM *ex ALBERTI* COMITIS BABENBERGENSIS *ſanguine originem duxiſſe*, cum avus & nepos diverſæ originis & ſanguinis eſſe nequeant, aliud de LEOPOLDO I. AVSTRIÆ MARCHIONE, cognomento ILLVSTRI ex vero tradi non poteſt, quam eum una cum poſtera gente ſua originem ac ſtirpem debere unis & ſolis COMITIBVS BABENBERGENSIBVS. Hæc de prima præſentis argumenti parte. Ad alteram digrediamur, perquiſituri, *num* ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS, a Ludovico III. capite plexus, etiam pater & genitor LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS extiterit.

§. III.

Quo patre? An Alberto Comite Babenberg. decollato?

Quo nominatim patre LEOPOLDVS I. AVSTRIÆ Marchio natus fuerit, nec domeſtici nec exteri veteres ac idonei Scriptores produnt. Recentiores Auctores, Lazium ſecuti, ADALBERTVM ſeu ALBERTVM COMITEM BABENBERGENSEM iuſſu Ludovici III. capite minutum, patrem LEOPOLDI faciunt. *Is Adalbertus*, inquit Lazius Lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 419. *ultimus ſuæ Stirpis Babenbergæ caſtri Comitatusque poſſeſſor .... ex Richardi, filiæ Heinrici I. ex cognomento Aucupis, qui poſtea Cæſar fuit, item Otthonis I. Imperatoris germana, tres filios procreavit, LVIPOLDVM videlicet, Orientalem in finibus Pannoniæ Comitem, Arnoldi Mali ex cognomento Boiariæ Ducis patrem: Berchtoldum Venuſiæ Præfectum, & Luipoldum primum ſuæ Stirpis Auſtriæ Marchionem.* Et pag. ſeq. *LVPOLDVS, Berchtoldi frater germanus, & Adalberti Babenbergenſis Comitis filius, primus Marchio Auſtriæ, ab Ottone Tertio conſtituitur.* Hæc Lazius, qui unde ſua acceperit, non indicat. Certe nec Regino Abbas Prumienſis, eorum temporum auctor æqualis, quo nemo alius plura certioraque de ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* rebus ſcripſit, nec Luitprandus, nec Marianus Scotus, nec Lambertus Schaffnaburgenſis, nec Chronica Mellicenſe, Conradive de Witzenberg, nec Hoffmanni Annales Bambergenſes, nec ulla alia vetuſta noſtrarum Bibliothecarum & tabulariorum monumenta de ALBERTI filiis, a Lazio memoratis, quidquam commemorant.

§. IV.

An vero Alberto, filio Alberti decollati?

Alii, inter quos eſt Johannes Jacobus Fuggerus in Speculo Gloriæ Domus Auſtriacæ Lib. II. cap. 2. pag. 160. & eius veſtigia premens R. P. Anſelmus Schramb noſter in Chronico Mellicenſi Parte I. pag. 14. aliter ſcenam ornant,

ornant; contenduntque, ALBERTVM COMITEM BABENBERGENSEM *decollatum* duos filios reliquisse, ALBERTVM & LEOPOLDVM, quos ambos ab Henrico I. Imperatore ob laudem fortitudinis Austriæ Marchiones creatos existimant. Addit Fuggerus LEOPOLDO improle defuncto, eius fratrem ALBERTVM LEOPOLDVM edidisse, qui LEOPOLDVS Austriæ Marchionatu ab Ottone I. Imper. in feudum accepto, Hungaros ad Mellicum vicerit, eiectoque ac victo Geysa, Hungarorum Duce omni post Austria potitus sit, ob res præclare gestas ILLUSTRIS cognominatus. Ita narrant hi auctores, nullum penitus, unde rem veterrimam deprompserint, Scriptorem laudantes. Interea ex horum opinione LEOPOLDVS I. AVSTRIÆ MARCHIO, cognomine ILLVSTRIS, non *filius* ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati*, sed *nepos* fuit, medio scilicet inter utrumque alio ALBERTO, fratre LEOPOLDI sine liberis vita functi.

§. V.

Verum præterquam quod hæc omnia sine aptis testibus & auctoribus pronuncientur, nullum puto adeo in nostræ gentis historia hospitem, quin illico advertat, a Fuggero eiusque sequacibus ALBERTVM & LEOPOLDVM ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* filios, qui ab omnibus veteribus ignorantur, ex ALBERTO III. AVSTRIÆ MARCHIONE, dicto VICTORIOSO, & ex LEOPOLDO eiusdem ALBERTI VICTORIOSI filio, insigni figmento fuisse fabricatos, quanto cum totius veteris Historiæ incommodo, vel ex eo patet, quod ALBERTVS VICTORIOSVS Austriæ Marchionatum auspicatus sit anno Christi MXVIII, e vivis sublatus anno MLVI, ut supra ex Chronico Mellicensi a nobis evulgato indicavimus. Et LEOPOLDVS eiusdem filius, cognominatus FORTIS MILES, qui affirmante Ottone Frisingensi Chron. Lib. VI. cap: 32. cum patre suo ALBERTO VICTORIOSO *Marchiam Orientalem Vngaris eripuit*, in ipsis nuptiis, quas Ingelheimii Henricus III. Imp. cum Agnete celebravit, obierit, anno, ut est in citato Mellicensi Chronico MXLIII. V. Id. Decemb. At vero LEOPOLDVS ILLVSTRIS, qui omnium fere sententia PRIMVS Austriæ Marchio dicitur, Marchionatum Austriæ iam anno Christi DCCCCXXVIII. aut DCCCCXXXV. obtinuit, ut infra docebimus. Fieri igitur nulla ratione potuit, ut ALBERTVS VICTORIOSVS, qui Marchiam Orientalem, adiutus a filio LEOPOLDO, FORTI MILITE, Vngaris ereptam Romano Imperio adiecit, esset pater LEOPOLDI ILLVSTRIS, id quod tamen ex Fuggeri eiusque assectarum sententia necessario sequitur.

§. VI.

Non adeo difficile divinatu est, quid huic Fuggeri, aliorumque errori occasionem præbuerit. Scripserat nempe Otto Frisingensis, cuius in hoc argumento auctoritas gravissima cuilibet esse debet, Chron. Lib. VI. cap. 15. *ex huius ALBERTI* (Comitis Babenbergensis *decollati*) *sanguine ALBERTVM, qui postmodum Marchiam Orientalem, id est: Pannoniam Superiorem Vngaris ereptam Romano Imperio adiecit, originem duxisse tradi.* Itaque loco Ottonis non satis expenso, putabant boni viri, ab Ottone his verbis ALBERTVM VICTORIOSVM Austriæ Marchionem, quem Vngaris Marchiam Orientalem eripuisse

puisse probe noverant, ex sanguine ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* originem ita duxisse innui, ut ALBERTVS *decollatus* fuerit pater ALBERTI VICTORIOSI, & ALBERTVS VICTORIOSVS extiterit genitor LEOPOLDI ILLVSTRIS, qui postea PRIMVS e Stirpe Babenbergensi Austriæ Marchionatui præfuerit.

Forte Fuggerus hoc figmentum hausit ex Auctore incerto Brevis Chronici Austriaci, homine seculi XIII, quem primum in hoc volumine a col. 684. ad 687. typis commendavimus, etsi rem omnino dissimulet Fuggerus. Porro autem hunc incertum Chronographum errandi occasionem revera ex citatis Ottonis verbis sumpsisse tam certum est, quam quod certissimum. Eius verba recitasse rem demonstrasse fuerit. Sic autem fingit col. 684. *ALBRECHTVS, nobilissimus Francorum Comes, Ottonis Saxonum Ducis, patris primi Heinrici ex filia nepos, dolo Hattonis, Archiepiscopi Moguntiensis, interfectus ex eo, quod Conradum ultimi Luduici de genere Karulorum fratrem occidit. Qui reliquit ALBRECHTVM, qui Marchiam Orientalem & Pannoniam Superiorem ab Vngaris eripuit, quam ex parte Imperii ipse & sui filii per longa rexit tempora usque ad tempus Heinrici Quinti, sub quo LIVPOLDVS primus, qui ab eodem ALBRECHTO descendit, verus Marchio constituitur. Nam illustrissimus Marchionus ALBRECHTI filius LEOPOLDVS adolescens immatura morte omnium planctu moritur, & a patruo suo Popone, Treverorum Archiepiscopo, in urbe Treverense sepelitur. Hic est LEOPOLDVS, qui cum patre suo ALBRECHTO Marchiam Orientalem Vngaris eripuit: qui LEOPOLDVS in nuptiis apud Inglheim ab Henrico II. celebratis obiit.* Hucusque Auctor incertus Chronici Austriaci, qui Ottonem tumultuarie arreptum exscripsit, novamque ac fœdam fabellam in Historiam Austriacam invexit. Nam si supra citatum Ottonis locum paulo diligentius & pensiculatius apud animum reputasset, eumque cum altero eiusdem Ottonis loco, qui Chron. Lib. VI. cap. 32. extat, accurate contulisset, deprehendisset illico, Ottoni utrobique nullum alium ALBERTVM, AVSTRIÆ ab Hungaris Vindicem, & ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS consanguineum, in mentem venisse, quam eum ipsum, quem nos VICTORIOSVM cognominamus, quique vel ipso Ottone teste, etiam sub Henrico III. Imp. vixit, suumque Marchionatum ab anno MXVIII. ad MLVI. tenuit. Quo autem modo hic ALBERTVS VICTORIOSVS filius esse potuit ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, anno, ut auctor est Regino, DCCCCV. *decollati?* Aut quo pacto ALBERTI VICTORIOSI filius fuisset LEOPOLDVS ILLVSTRIS, iam ab anno DCCCCXXVIII. vel DCCCCXXXV. AVSTRIÆ Marchio? Ita omnia susque deque vertuntur, dum auctorum loci nec satis expenduntur, nec inter sese conferuntur.

Cæterum locus ille alter Ottonis, qui incerto Austriaci Chronici auctori non satis studiose cum priori collatus labendi occasionem dedit, legitur citato Chronici Libro cap. 32. & sic habet: *anno ab incarnatione Domini MXL. Henricus Tertius supra dictæ Gisilæ filius, qui patre vivente regnare cœperat, ipse mortuo LXXXIX. ab Augusto, solus regnavit..... Vngaros quoque variis ac diversis præliis premens, Petrum regem eorum, ab Ovone regno fraudulenter pulsum, intercessione ALBERTI MARCHIONIS, cuius Levir erat, exulem suscepit, ac cum exercitu Pannonias ingressus, congressu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Vngarorum fudit, Petrumque regno instituit..... Accepit autem* (Henricus III. Imp.) *nobilissimi Galliarum Principis Pictaviæ ac Aquitaniæ Ducis sororem Guil-*

belmi

helmi Agnetem in uxorem. Cumque ex more regio nuptias Inglheim celebraret.... In ipsa vero nuptiarum solleminitate tristia lætis admixta sunt. Nam illustrissimus ALBERTI Marchionis filius LEOPALDVS adolescens, immatura morte omnium planctu rapitur, & a patruo suo POPIONE Treverorum Archiepiscopo in urbe Trevirensi sepelitur. Hic est LEOPALDVS, qui cum patre suo ALBERTO Marchiam Orientalem Vngaris eripuit, ac inter cætera virtutis suæ opera, exercitum Ovonis innumerabilem, fines suos ex improviso vastantem, subito correptis armis (quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum est) pæne funditus cum paucis delevit. Hactenus alter locus ex Chronico Ottonis, cui addendus & tertius ex Lib. VI. cap. 34. pag. 137. ubi ALBERTI VICTORIOSI filium alterum ERNVSTVM seu ERNESTVM nominat. Nam Henrici IV. Imperatoris prælium cum Saxonibus anno MLXXV. ad fluvium Vnstruth, eorumque, qui in eo ceciderunt, nomina recensens hæc scribit: *ceciderunt in hoc conflictu Gebehardus, pater Lotharii, qui postmodum Rex fuit, ERNESTVS MARCHIO, ALBERTI (cuius supra mentio habita est) FILIVS, & alii innumerabiles.* Quocirca Ottoni antiquissima quæque ac præstantissima Chronica AVSTRIÆ adstipulantur.

Porro quis hæc Ottoniani Chronici loca cum attentione legat, quin e vestigio deprehendat, ALBERTVM AVSTRIÆ MARCHIONEM, Imperatori Henrico III. coætaneum, patrem LEOPOLDI ILLVSTRIS, sub Ottone III. Imp. ut videbimus, iam extincti, nulla ratione esse potuisse? Sit ergo perpetuo explosa fabula, qua ex Ottone Frisingensi perperam intellecto, fingitur ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS decollatus duos filios progenuisse, ALBERTVM scilicet, qui pater fuerit nostri LEOPOLDI ILLVSTRIS, PRIMI AVSTRIÆ MARCHIONIS, & LEOPOLDVM sine prole defunctum.

§. XVII.

Opinio cuiusdam Anonymi de progenie Leopoldi I. Austriæ Marchionis.

In inclyto Cœnobio Sanctæ Crucis in Austria Inferiore a S. Leopoldo Austriæ Marchione pro Cistercienſi Ordine fundato extat Libellus quidam recenti admodum manu exaratus, nulloque Auctoris nomine insignis, in quo brevis & succincta veterum Austriæ Marchionum & Ducum Stirpis Babenbergensis Historia cum aliis nonnullis conspicitur. In hac Historia LEOPOLDVS I. AVSTRIÆ MARCHIO, seu ILLVSTRIS filius ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati*, cuius uxor nomen BABÆ habuerit, fuisse dicitur. Additur ibidem, Henricum I. Imperatorem Marchionatum Austriæ LEOPOLDO ILLVSTRI contulisse, data eidem in uxorem propria sorore, cuius hic tamen nomen reticetur. Sed præstat integram huius Anonymi Auctoris relationem, qualis in dicto Libello, mecum ab Adm. R. D. P. Johanne Baptista Pair, humanissimo Bibliothecario Sanct-Crucensi communicato extat, Lectori Historiæ Austriacæ studioso exhibere. Sic autem habet.

MARCHIONES AVSTRIÆ E PROSAPIA COMITVM BABENBERGENSIVM.

Antequam Austriæ Historiam prosequamur, præfari prius libet, quomodo hæc Stirps in Austriam traducta sit. ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS, vir strenuus, & bellicarum rerum gloria clarus, fratrem habebat in Imperatoris palatio, ubi militaris disciplinæ rudimenta imbi-

imbibebat, & rerum gerendarum peritia instruebatur. Accidit, ut hunc Francorum Comes Conradus, invidens generosi Juvenis virtuti, licet affinitate sibi iuncti, levi causa consoderet. Quod quidem impune patrasse existimabat, fretus authoritate, qua pollebat, & consanguinitate, qua proxime Cæsarem attingebat. Occultare tamen parricidium conatus est, sed ipsi eius ministri innocentem generosissimi Comitis mortem dolentes, proprio cursore apud ALBERTVM fratrem innocentis occisi eum produnt. Qui sceleris vindex in regia Imperatoris adest, quam fama de fratris cæde ad eum pervolare posse putaretur. Cumque Conradum solum in gynæceo quodam prandii refectionem leni deambulatione digerentem invenisset, facultatem eum accedendi ab excubiarum actoribus (cubiculariis tunc mensæ accumbentibus) petiit, & mox impetravit. Neque enim hi quidquam sinistri suspicari potuerunt, cum ALBERTVM antehac in eadem aula degentem, magna Conradi familiaritate usum esse sciverint.

ALBERTVS itaque famulo, quem unum secum duxerat, in palatii vestibulo cum equis relicto, ad Comitem intrat nullo comite. Quem cum primum humaniter salutasset, mox verba frementia, quæ pectus accensum, & ad ingens audaciæ facinus animatum spirabat, subnectit: tune parricida affinis tui, fratris mei sanguine dextram tuam polluisse impune existimes? Hic ultricem manum meam experire. Et hæc dicens, arrepto pugione, sub vestibus latente Conradum transfigit. Patrato facinore egressus, sereno vultu excubias transit, negotiumque feliciter se peregisse nuntiat, properansque ad portam equum repetit, eumque calcaribus ad cursum concitat, & velut per aërem volitans incredibili celeritate domum cum famulo revertitur, citius pæne, quam Conradum suo sanguine manantem regia Imperialis cognosceret.

Cæsar LVDOVICVS hoc facto consternatus ALBERTVM frustra ad se citat, severiorem sententiam metuentem. Qui cum nec in Comitiis vocatus compareret, publica sententia condemnatur. Ille interim munitissimam arcem suam commeatu omnique annonæ genere instruit, & præsidia necessaria imponit, imperterrito animo obsidionem, quam non falso præmeditabatur, exspectans. Imperator igitur, postquam integro anno cum forti exercitu eum clausisset, & de arcis expugnatione desperaret, solvere obsidionem non sine ignominia cogebatur.

At HATTO Archiepiscopus Moguntinensis, ut perseveraret, eum persuasit, promisitque se sine milite, sine sanguinis effusione Comitem ultro ex arce deducturum, ut debitum delicti præmium sumat. Hatto igitur plenus fraude doloque arcem conscendit, Commissarium a Cæsare se mitti pronuntiat, concordiam facturus cum Comite. Admissus nil nisi nectarea & mellea verba spargebat, quæ virus occultabant. Scis, inquit, illustris Comes, quantis tuis angustiis & Imperii incommodis concluſus tenearis. Cæsar fœdus inire, teque in gratiam recipere semper paratus fuit. Tu modo parere non recusa, eumque mecum in castris accedere non gravare. Do enim tibi Episcopalis dextræ meæ fidem, quod te salvum & incolumem in arcem tuam reducam. Comes omnem procul ab Episcopo astum fraudemque abesse ratus, cum eo Cæsarem aditurus arce sua egreditur. Et cum paululum processissent: revertamur, inquit, HATTO in arcem, & adhuc moræ quidpiam faciamus: quia non recordabar horam iam prandii esse, qua mensæ accumbere Cæsar solet. Regressi igitur in arcem, rata commoditate viam repetunt, & in castra descendunt.

Cum ad Cæsarem pervenissent: hic, ait Hatto, Maiestati tuæ eum, quem promisi, præsentem sisto, tribunali tuo iudicandum relinquo. Cæsar Comitem alloquens: tune, inquit, ad ultionem læsæ Maiestatis ipse properas, & sceleris tui pœnam daturus ipse advenis? Hic collum feriendum gladio ocyus suppone, qui longa mora illud tibi adsciviſti. Comes ab Hattone se deceptum esse, & deprecandi veniam, omnemque vitæ spem ademptam videns, ad Hattonem conversus: hæccine, inquit, Episcopalis dextræ tuæ fides est, qua me incolumem in arcem reducendum iuraſti? Hatto vero: an fidem meam non servavi, respondet, cum salvum te una vice reduxerim? Neque enim id bis tibi aut ultra facere stipulatus sum. Desperata itaque salute, Comes ultima hæc verba ad Cæsarem fatur: quoniam nunc, Auguste Cæsar, spiritum meum, quo multiplici bellorum turbine tibi involuto felici opera adsui, astus Episcopalis, quem DEVS vindicabit, corpori meo valido & firmo extorquet, unum indulge morituro: uxor mea in gratia tua sit, qui gratiam mihi subtrahis. Eam ditione sua non expellito, qui in adempta vita mea de læsione tua supplicium sumis. Atque his dictis, flexis genibus os atque oculos in cœlum flectit, moxque nudatum collum satelles percutit, pulvisque Principis sui sanguine tingitur.

Cæsar protinus, quasi aperto Marte vicisset, arcem dedi iubet, quam BABÆ viduæ cum filio LEOPOLDO, interfecto marito, facile extorquet. BABA deinde ad Cæsaris genua provoluta, gratiam

tiam flagitat & impetrat: arce tamen exire cogitur, cui præsidium Cæsar imponit. Et, ut mœrorem ex mariti morte hausum leniret, civitatem condit, totius Germaniæ situ facile amœnissimam, a nomine suo BABEBERGAM *eam vocans, quæ nunc strictiore nomine* BAMBERGA *dicitur, in cuius structura multam operam conferebat. Et ne mariti memoria apud posteros interiret, in loco, ubi occidit (subdiu non procul ab arce versus civitatem) lapidem posuit, etiamnunc extantem, rei gestæ seriem declarantem, super quo nunc eius loci Episcopus redeunte anni tempore, erecto papilione, quotannis ritu Episcopali solenne Sacrum in memoriam decantare solet.*

Filius vero ne occasionem parentis mortem ulciscendi nancisceretur, ad alias terras relegatur, & sic illustris familia dissipatur: quæ tamen non depressa penitus, sed tempore suo aucta & amplificata est, & ad regiæ dignitatis culmen pervenit. Cum enim Gallorum Imperium LVDOVICVS Cæsar morte sua clauderet, illudque in Germanos perveniret, HENRICVS I. Romanorum Imperator LEOPOLDVM, cuius ductu Germanici exercitus victoria adversus Hungaros in prælio ad MELICVM habito steterat, AVSTRIÆ Marchionem præficit, propria sorore in coniugem data, unde fortissimi universæ Christianitatis DVCES, æterna gloria illustres processerunt. Hunc igitur LEOPOLDVM PRIMVM AVSTRIÆ MARCHIONEM in hac familia ponamus, & cæteros ordine subnectamus.

Hactenus Anonymi illius Relatio Historica de primo Austriæ Marchione LEOPOLDO, eiusque patre ALBERTO COMITE BABENBERGENSI, elegantius profecto quam accuratius solidiusque composita, quippe in qua multa falsa veris, & incertis certa permisceantur, ut nunc demonstrabimus.

§. VIII.

Eius examen & errata.

Inprimis falsum est, fratrem ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, vel HEINRICVM scilicet vel ADALHARDVM (hos enim duos ALBERTO fratres tribuit Regino in Chron. Lib. II. pag. 72. edit. Pistorianæ) a Conrado Francorum Orientalium Comite *levi ex causa* confossum fuisse. HEINRICVS enim in eo militari conflictu, quem iunctis sibi fratribus ALBERTO & ADALHARDO, anno DCCCII. cum Eberhardo, Gebelhardo & Rudolpho habuit, interfectus: & ADALHARDVS captus, ac postea iussu Gebelhardi capite truncatus fuit, quod laudatus Regino loco citato narrat.

Deinde Conradus Francorum Comes non *in Gynæceo*, ut vult Anonymus, sed in aperto congressu & hostili pugna, quam cum ALBERTO COMITE BABENBERGENSI circa annum Christi DCCCCV. conseruit, *multis vulneribus confossus, extinctus est*; quæ iterum differta verba Reginonis sunt citat. Lib. pag. 73. tametsi ex eiusdem narratione non satis liqueat, an Conradus ipsius ALBERTI, an vero militum suorum manibus interemptus sit, quorum prius a Mariano Scoto in Chronico ad annum DCCCCV. apud Pistorium Tom. I. Scriptorum Rerum Germanicarum pag. 446. traditur: *eodem*, inquit, *anno Conradus Comes, pater Conradi Imperatoris, III. Cal. Martii bello occiditur in Hassia, in loco, qui dicitur Friteslar, ab ADELBERTO* (id est: ALBERTO) *Comite.*

Ad hæc insigniter fallitur Anonymus, cum putat ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* uxorem BABAM fuisse adpellatam. BABÆ enim nomen non uxori ALBERTI, sed eiusdem matri, HEINRICO FRANCIÆ Orientalis DVCI, ALBERTI patri matrimonio coniunctæ fuit, ut ex Hoffmanni Annal. Bamberg. Lib. I. col. 6. cognoscimus. Porro ex eodem Hoffmanno & id condiscimus, Vrbem BABENBERGENSEM nomen

men ſuum non a relicta ALBERTI *decollati* coniuge, ſed a BABA eiusdem, ut diximus, matre fuiſſe indeptam. *In urbis nomine*, inquit Hoffmannus loc. cit., *variant Scriptores. Ptolomæus GRAVIONARIVM, Godefridus Viterbienſis MONTEM PAVONIS, alii a Cleri frequentia PAPENBERGAM nominant. Diploma ſuper conceſſione totius Comitatus & urbis, per Ottonem II. Imperatorem Henrico Bavariæ Duci, nepoti ſuo facta, locum illum, in quo nunc Eccleſia Cathedralis eſt, cum adiacentibus collibus & ædificiis VOLEFELDVM nominat. Certum tamen eſt, & ex probatiſſimis Authoribus conſtat, quod BABA, Othonis, magni Saxoniæ Ducis filia, Henrici Aucupis Imperatoris Soror, quæ Henrico Franciæ Duci nupta fuit, urbi nomen indiderit, & quod a BABA urbs, ab urbe autem Principes, & tota regio appellationem acceperit: unde rectius BABEBERGA, vel BABENBERGA ſcribitur. Et hanc etiam etymologiam maioribus placuiſſe, pleroſque literarum opinione claros homines eam ſecutos reperio.* Hæc Hoffmannus. Ex quibus patet Anonymum noſtrum tum in deſignanda ALBERTI BABENBERGENSIS uxore, tum in tradendo Vrbis Babenbergenſis etymo fœdius hallucinatum fuiſſe. Cæterum quod proprium nomen ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* uxori fuerit, ex nullo idoneo ac veteri Scriptore hactenus diſcere licuit. Auctor Anonymus Hiſtoriæ fundationis Monaſterii Mellicenſis ei filiam Ottonis Ducis Saxonum deſponſatam fuiſſe prodit, ſed quo ea nomine compellata fuerit, non exprimit. Lazius Lib. VIII. de Migrationibus Gentium pag. 419. eam RICHARDIM, filiam Henrici I. Imp. nominatam fuiſſe tradit, ſed ſine ullo idonei Auctoris teſtimonio. Imo non abeſt iuſta cauſa ſuſpicandi, RICHARDIM illam cum illa RIHKARTA ſeu RICHARDA, quam Tabulæ Clauſtroneoburgenſes, & Vitus Arnpekhiius in Chronico Auſtriaco LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS, cognomento ILLVSTRIS uxorem, & ſororem Henrici I. Imp. vulgo Aucupis faciunt, a Lazio fuiſſe confuſam. Sed hoc infra, ubi quædam de dicti LEOPOLDI Vxore commemorabimus.

Nec id in noſtro Anonymo Crucenſi tolerandum, quod ſcribat, Vrbem Babenbergenſem ab uxore ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, ut mœrorem ſuum ex mariti decollatione conceptum leniret, conditam, indeque a ſuo nomine cognominatam fuiſſe. Nam dictam urbem longe ante Caroli Magni ætatem iam extructam ac habitatam, novumque poſtea nomen ab Henrici Ducis, patris ALBERTI *decollati* uxore BABA ſortitam fuiſſe, ex Hoffmanni Annalibus Bambergenſibus, ſupra iam laudatis, certum eſt. In quorum cumulum adde, quod vivente adhuc & pulcherrime ſtante ALBERTO caſtri BABENBERGENSIS nomen ubique iam & paſſim notum auditumque fuerit, ut ex Reginonis Chronico Lib. II. pag. 72 & 73 liquidiſſimum eſt. Qui ergo non niſi eo interfecto & capite plexo, ab eius uxore, quo ea demumcunque nomine adpellata fuerit, Vrbs Babenbergenſis ſuam cum incunabulis appellationem acceperit?

Quod vero ſcribit Anonymus, ab ALBERTI *decollati* vidua, in occiſi mariti memoriam lapidem fuiſſe poſitum, etiam nunc extantem, & rei geſtæ ſeriem declarantem, ſuper quo Epiſcopus Babenbergenſis quot annis redeunte anni tempore, ſolemne Sacrum in memoriam eius decantare ſoleat, id mihi prorſus incompertum eſt: neque facile quis divinaverit, unde hæc Anonymus hauſerit. Certe nec Martinus Hoffmannus, rerum Bambergenſium ſcientiſſimus, in Annalibus, nec etiam alii auctores Hoffmanno antiquiores, qui res

& fata ALBERTI *decollati* attigerunt, de eiusmodi lapide aut sacro quidquam memoriæ prodiderunt.

Vnum unicum non solum vero proximum, sed omnino certissimum affert hic Anonymus, dum affirmat LEOPOLDVM I. AVSTRIÆ Marchionem, cognomento ILLVSTREM filium fuisse ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati*, eumque post indignissimam patris sui necem in alienas terras, ne scilicet occasionem ulciscendi patris domi arriperet, relegatum, demumque ab Henrico I. Imperatore, qui Auceps dictus est, AVSTRIÆ Marchionem impositum fuisse, in qua postmodum nobilissimam prosapiam suam per quatuor fere secula propagavit. Atque hæc ipsa de LEOPOLDI, vulgo ILLVSTRIS, PRIMI AVSTRIÆ MARCHIONIS PATRE sententia est, quam nos tanto confidentius amplectimur, quanto graviori ratione ad id impellimur, etsi nec Lazius nec Anonymus Crucensis simile quid unquam tradidissent. Certe dictorum neuter commemorat, unde sua mutuati sint, videnturque forte fortuna potius quam certa ratione ac auctoritate inducti in hanc sententiam, quam verissimam statuimus, incidisse. At nos in sequenti §. speramus eam rationem in medium allaturos, quæ hanc de ALBERTO COMITE BABENGENSI, Patre LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS, ILLVSTRIS dicti sententiam saltem historice demonstratam reddat. En autem illam!

Vera est sententiam quæ Albertum decollatum Leopoldi I. Austriæ Marchionis patrem facit.

§. IX.

Secundum Ottonem Frisingensem, cuius integra verba §. II. recitavimus, ALBERTVS, QVI POSTMODVM MARCHIAM ORIENTALEM VNGARIS EREPTAM ROMANO IMPERIO ADJECIT, *originem suam traditur ex sanguine ALBERTI* COMITIS BABENBERGENSIS decollati duxisse. Demonstravimus vero §. eodem, V. & VI. ALBERTVM, QVI MARCHIAM ORIENTALEM VNGARIS ERIPVIT, alium ab Ottone innui non potuisse, quam ALBERTVM III. AVSTRIÆ MARCHIONEM, cognomento VICTORIOSVM, qui Marchionatum Austriæ ab anno Christi MXVIII. ad MLVI. gessit. Igitur planissimum est, apud Ottonem tradi ALBERTVM VICTORIOSVM, III. AVSTRIÆ MARCHIONEM *ex ALBERTI* COMITIS BABENBERGENSIS decollati *sanguine originem suam duxisse.*

Sententiæ huius probatio ex Ottone Frising.

Atqui ALBERTVS VICTORIOSVS, III. AVSTRIÆ MARCHIO ex sanguine ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* originem ducere non potuit, nisi ALBERTVS hic *decollatus* LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS, vulgo ILLVSTRIS Pater fuerit & *Proavus* ALBERTI VICTORIOSI, id quod hac ratiocinatione ostenditur.

ALBERTVS VICTORIOSVS, III. AVSTRIÆ MARCHIO non potuit originem ex sanguine ALBERTI *decollati*, ut *Patris* ducere. Nam ALBERTI VICTORIOSI *Pater* extitit HAINRICVS II. AVSTRIÆ MARCHIO, ut palpandum Lectoris manibus §. II. dedimus.

Sed nec potuit idem ALBERTVS VICTORIOSVS originem ex sanguine ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati*, ut *Avi* ducere. Avum enim ALBERTI VICTORIOSI non ALBERTVM *decollatum*, sed LEOPOLDVM I. AVSTRIÆ MARCHIONEM, cognomento ILLVSTREM fuisse ibidem aperte ostendimus.

Cum itaque de pluribus ALBERTI *decollati* filiis aut filiabus ex veteri-

bus & idoneis auctoribus nobis nihil constet, unicum dicendum hoc restat, nempe ALBERTVM VICTORIOSVM sic ex ALBERTI decollati sanguine originem duxisse, ut hic illius *Proavus* atque adeo LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS cognomine ILLVSTRIS *Pater* extiterit. Quod nisi adfirmetur, nulla nobis ratio suppetit, qua Ottonis Frisingensis, ex eodem Stemmate oriundi, verba & sui temporis *traditio* vera esse possit.

§. X.

Varia fortuna & interitus Alberti decollati, patris Leopoldi I. Austriæ Marchionis.

Quoniam vero ALBERTI seu ADALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, AVSTRIACÆ e Stirpe Babenbergensi GENTIS, ut vidimus, CONDITORIS toties hucusque meminimus, res ipsa locusque admonent, ut de varia illius fortuna, & miserando demum exitu ea huc omnia congregemus, quæ veteres gravesque Auctores posteris tradiderunt. Agmen ducat Regino, Abbas Prumiensis Ord. S. Ben. ALBERTO æqualis, qui agens de origine causisque belli, quod ALBERTO eiusque fratribus HENRICO & ADALHARDO cum Rudolpho Episcopo Wirtzburgensi, eiusdemque germanis Eberhardo & Gebelhardo intercessit, Lib. II. Chron. pag. 70. edit. Pistorianæ ita scribit ad annum Domini DCCCXCVII. *Stephanus Odocar, Gerhardus, & Matfridus Comites, honores & dignitates, quas a rege acceperant, perdunt ..... Ea tempestate inter Rudolphum Episcopum VVirtzeburgensem, & filios HENRICI DVCIS ADALHARDVM & HENRICVM magna discordiarum lis, & implacabilis odiorum controversia ex paucis minimisque rebus oritur, & velut ex permodica scintilla ingens incendium excitatur, ita de die in diem succrescens in immensum dilatatur. Et dum de nobilitate carnis, de parentum numerosa multitudine, de magnitudine terrenæ potestatis, ultra quam decet, se extollunt, in mutuis cædibus prorumpunt, innumerabiles ex utraque parte gladio pereunt, truncationes manuum ac pedum fiunt, regiones illis subiectæ rapinis & incendiis solotenus devastantur.* Hæc Regino de primis discordantium animorum armorumque tumultibus & velitationibus, quæ in atrox & STIRPI BABENBERGENSI omnino infaustum postremo prælium desiere. Subdit enim Regino ad annum Domini DCCCCII. *ADALBERTVS cum fratribus ADALHARDO & HEINRICO, collecta valida manu, adversus Eberhardum & Gebelhardum & Rudolphum fratres, de quibus paulo superius mentionem fecimus, ex castro, quod BABENBERGK dicitur, prosiliens ad pugnam processit. Cuius impetum viriliter excipientes, ferro aciem irrumpunt, obvios quosque terræ prosternunt, nec ante desistunt, quam adversariorum agmen fugam inire compellant. In quo certamine HEINRICVS interfectus, & ADALHARDVS captus, & postmodum iussu Gebelhardi decollatus est. Eberhardus etiam multis vulneribus confossus in prælio cecidit: ubi finito conflictu, inter cadavera occisorum a suis inventus domum reportatur, & paucis interpositis diebus & ipse moritur.*

Eius fratres, & infaustum prælium cum Rudolpho Episc. Wirtzburgensi.

§. XI.

Eius vindicta sumpta de Rudolpho.

ALBERTVS, solus e strage superstes, mortem fratrum ulturus, insequenti anno DCCCCIII. in Rudolphum Wirtzburgensem Antistitem movet, eoque ex Episcopatu electo, omnia late devastat, Rudolphique ex Eberhardo fratre nepotes unacum eorum matre bonis omnibus exuit. Quæ citatus Regino his verbis ad prædictum annum enarrat: *ADALBERTVS Rudolphum Episco-*

pum

pum de VVirtzburgenſi Eccleſia fugat, res & poſſeſſiones præfatæ Eccleſiæ crudeliſſime depopulatur: filios etiam Eberhardi ſimul cum matre a propriis hæreditatibus & honoribus regio munere conceſſis, exire compellens, ultra Spechesbart ſecedere cogit.

Eo ſucceſſu rerum erectior iam factus ALBERTVS in Haſſiam quoque irruptionem moliebatur: quam dum CVNRADVS & GERHARDVS fratres, & Haſſiæ Comites, obiectis armis eludere parant, colliſis exercitibus ad cruentam pugnam, quæ CVNRADO fatalis fuit, deventum eſt. Id contigit anno Domini DCCCCV. teſte Reginone, cuius de eo prælio hæc verba ſunt: *Dum hæc in regno Lotharii aguntur, CVNRADVS ſenior in Heſſia, in loco, qui dicitur Frideslar, cum multa turba peditum & equitum reſidebat, crebras incurſiones ADELBERTI ſuſpectas habens. Frater vero eius* (CVNRADI) *GERHARDVS in VVederavia, cum omnibus, quos ſibi adſociare poterat, eiusdem ADELBERTI præſtolabatur repentinam irruptionem. Nec eos feſellit per omnia rerum eventus. Siquidem ADELBERTVS vires adverſariorum extenuatas eſſe ſentiens, eo quod in tribus partibus eſſent diviſi, opportunum & diu exoptatum tempus adveniſſe gaudens, congregatis ſociis mox arma corripit. Et primo quidem ſimulat ſe contra GERHARDVM copias transferre velle, ut & illum bello perterreret, & fratrem ſecuriorem redderet. Deinde quanta potuit, celeritate aciem adverſus CVNRADVM dirigit. Quod cum CVNRADVS ſero cognoviſſet, diviſis ſociis in tribus turmis ei incunctanter occurrit, & commiſſa pugna duæ turmæ, una peditum, & altera Saxonum, ſtatim terga vertunt. Quos cum CVNRADVS clamore ingenti fruſtra hortaretur, ut nullatenus hoſtibus cederent, & pro coniugum ac liberorum ſalute & defenſione patriæ totis viribus decertarent: ipſe cum tertia turma, animatis ſociis, ſuper adverſarios irruit, ſed mox in ipſo primo impetu multis vulneribus confoſſus, extinctus eſt. ADELBERTVS victoria potitus, cum ſociis fugientes inſecutus eſt, & innumeram multitudinem maxime peditum gladio proſtravit. Tribus itaque continuis diebus totam illam regionem perluſtrans, cædibus ac rapinis cuncta demolitus eſt. His patratis, ſociis, ſpoliis, ac ingenti præda ad BABENBERCH caſtrum reverſus eſt. Peracta eſt autem hæc cædes III. Calendas Martii. Venientes filii cum matre, levaverunt corpus CVNRADI, & ſepelierunt in caſtro quod VVileneburch vocatur.*

Et victoria ex Cunradi exercitu, eo duce reportata.

§. XII.

Indigniſſime tulit eas cum vicinis digladiationes ALBERTI Ludovicus III. Imp. quem teſte Ottone Friſingenſi, occiſi in Fridislarienſi prælio CVNRADI fratrem fuiſſe quidam credebant. Itaque ne ALBERTI facinora reliquis regni Ducibus Comitibusve exemplo ac imitationi eſſent, eum eodem anno ad Conventum generalem Triburiam evocat, redditurum rerum & conſiliorum ſuorum rationem. Quod cum facere detrectaret ALBERTVS, in eas demum ſe calamitates induit, quas ſine gemitu nemo poſterorum facile legerit. Regino: *eodem anno* (id eſt: DCCCCV.) *circa Julium menſem Ludovicus Rex Conventum generalem celebravit apud Triburias villa regia, ubi adeſſe mandavit ſæpe dictum ADALBERTVM, ut in præſentia optimatum regni pro ſe rationem redderet, & pacis conditionem, quam hactenus exoſum habuerat, tandem aliquando depoſita crudelitatis tyrannide ſuſciperet; & rapinis, cædibus & incendiis ſaltem vel ſero quieſceret. Sed his ſalutaribus monitis nequaquam aſſenſum præbuit. Cernens itaque Rex obduratum eius animum, & in cœpta rebellionis malitia obſtinatum, collecto undique exercitu, eum in caſtro, quod TETRASSA dicitur, obſidione cinxit. Interea EGINO, qui eius individuus comes in omni pravitate extiterat, ab eius ſocietate defecit, & cum omnibus ſuis ad Regis caſtra tranſiit. Protracta igitur paulo prolixius obſidione, fractus animo ADALBERTVS ad callida argumenta convertitur, & omni ingenio excogitare cœpit, qua arte obſidio ſolveretur, ut exercitu ad propria remeante, optata libertate, potius ipſe cum ſibi faventibus dolos quos in pectore volvebat, longe lateque effundere poſſet. Portis itaque apertis, a munitione exiens cum perpaucis, ultro ſe regi obtulit, ſupplex veniam de commiſſis expoſcit, emendationem promittit. Sed cum fraus, quæ ſtruebatur, ſuis prodentibus fuiſſet detecta, cuſtodiæ mancipatur, & in præſentia totius exercitus mani-*

Evocatus ad Ludovici Germ. Regis curiam dum parere mandatis recuſat,

Obſidetur in caſtro ſuo,

Et decollatur.

bus vinctis adductus, omnibus adiudicantibus, capitalem sententiam suscepit V. Id. Septembris. Facultates & possessiones eius in fiscum redactæ sunt, & dona regis inter nobiliores quosque distributa. Ita Regino de supremis ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS rebus, qui quoad mortis annum sibi consentientes habet Marianum Scotum, & Ottonem Frisingensem. At Lambertus Schafnaburgensis & Hermannus Contractus ad annum DCCCCVII. & lapis sepulchralis ad annum DCCCCVIII. eandem referunt. Diem quoque, quo interfectus sit ALBERTVS, non V. Id. Septembris, sed V. Id Decembris, fuisse tradunt Marianus Scotus & Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus. Sepulchrum nactus est in celebri nunc Monasterio Benedictino Theresensi, in quod ALBERTI arcem TETRASSAM nostri Theresenses conversam fuisse volunt, adscripto hoc Epitaphio:

Eius sepulchrum & epitaphium.

ANNO DOMINI DCCCCVIII. OBIIT NOBILIS ALBERTVS
COMES DE BABENBERG, QVI HIC JACET INCINERATVS,
MONASTERII HVIVS FVNDATOR, OPVM QVONDAM
DATOR. CVIVS ANIMA IN PACE REQVIESCAT CVM SANCTIS.
AMEN.

Addit A. R. P. Gregorius Fuchs, Theresensis Prior in MS. Historia huius Monasterii, anno 1711. cum fratre communicata, *in medio lapidis sepulchralis exhiberi Militem loricatum, stantem super Leonem prone iacentem coloris lutei, dextera labarum prehendere, sinistra, vexillo nonnihil involuta, Aquilam coloris itidem lutei in campo cæruleo attingere, denique dexterum fœmur gladio, sinistrum pugione præcinctum esse.* Quæ omnia vivam, ut putant, ALBERTI effigiem repræsentent. *In quatuor angulis*, inquit idem eruditus vir, *videre est parentum & proavorum insignia gentilitia hoc modo: ad dexteram in parte superiori conspicitur Aquila lutea in campo cæruleo: ad sinistram insigne Ducum Saxoniæ, scilicet Ruta serrata cum fibris quatuor albis in campo nigro. Ad dexteram inferius comparet Leo dimidiatus flavus, apprehendens coronam albam in campo cæruleo: ad lævam vero Ala cærulea complectens tres annulos luteos in campo eiusdem coloris.* Postremo affirmat laudatus Pater, in Monasterio suo quotannis Quarto Decembris, nimirum recurrente die *decollati* Fundatoris, pro eiusdem anima Anniversarium solemnem celebrari, & Theresenses Cœnobitas ALBERTVM pro primario ac originario Monasterii sui Fundatore, Clementem vero Papam II. & Henricum itidem eo nomine II. pro secundariis, promotoribus & confirmatoribus agnoscere. Ita ille.

§. XIII.

Fraus & dolus Hattonis Archiep. Mogunt. in Albertum decollatum admissus probatur.

Cæterum neminem non in admirationem ac stuporem traducat, quod Regino, scriptor alias accuratus & gravis, in tragica rerum ALBERTI historia ne verbo quidem HATTONIS, Archiepiscopi Moguntini, cuius tamen astu & perfidia caput Nobilissimus Comes amisit, meminisse voluerit, cum tamen adhuc ætate Ottonis Frisingensis, Hattonis facinus *in curiis & compitis auditum* fuerit. An id a Reginone dissimulatum fuit, ne parum religiosi & præpotentis Archiepiscopi, ac ipsius Ludovici, quibus æquævus erat, in se iram & indignationem provocaret? Certe memoriam facti detestabantur plerique, Archiepiscopis Moguntinis obnoxii maxime, quibus accensendus Lambertus noster Schafnaburgensis, qui & ipse, ne Hattonis in sede Moguntina successoribus veterem labem oggerere videretur, fœdam illam machinam, quæ ALBERTI interitum promovit, alto silentio involvit.

Sed

Sed Reginonis & Lamberti dissimulatione nihil effectum est. Tot enim tamque graves subæqualium temporum Scriptores mortem ALBERTI, Hattonis fraudibus & dolis procuratam, tradiderunt, ut omnibus iis fidem derogare vix sani hominis fuerit.

Luitprandus, qui circa annum DCCCCL. floruit, Lib. II. de Rebus Imperatorum & Regum cap. 3. casum ALBERTI his verbis refert: *Huius (Ludovici Regis Germaniæ seu Imperatoris) tempore ADELBERTVS quidam non fortunæ mediocris, sed ex Primatibus magnus ille Heros, simultatem non modicam in castello BAVERBVRG contra Rempublicam exercebat. Sæpe Rex Ludovicus congregatis omnibus super eum irruerat. Cui nominatus Heros non iuxta castellum, ut a plerisque assolet, sed procul a munitione præparat bellum. Regis itaque milites, priusquam reipsa huius audaciam mirarentur, Regem præeuntes, pugnæ præludio hunc extra castrum illicere atque interficere cogitabant. ADELBERTVS præludii huiusmodi non solum gnarus, verum etiam debriatus, his obviam tam longe a castro processerat, ut non hunc milites eousque ex adversariis esse cognoscerent, quoad in eorum cervices istius mucro cædis impatiens desæviret. Sed cum septennio ferme ADELBERTVS Heros rebellionem huiusmodi exerceret, sciens Ludovicus istius audaciæ fortitudinem haudquaquam se nisi tergiversatione quadam posse devincere, HATTONEM Maguntinæ Sedis Archiepiscopum, quid sibi super hac re faciendum esset, consuluit. Qui, ut erat versutiæ plenus, desine, ait, ego te securum meis solicitudinibus reddam: ego, ut ad te veniat, providebo: tu, ne redeat, curato.* Ex Luitprando.

Hatto itaque animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat, animatus BAVERBVRG, quasi ADELBERTO compassurus adiit. Cui & ait: si non & aliam vitam præter instantem putares, tamen iniuste faceres, quod Domino tuo rebellis existeres, præsertim cum & quod agis, facias gratis: eo enim, quo ferocitatem animi vinceres, quantum ab omnibus, & præcipue a Rege diligaris, non intelligis. Consulenti itaque mihi fidem admitte: iusiurandum accipe, quo sine animi vacillatione de castello exire valeas & redire. Si Sacerdotii mei promissionibus minime credis, iuramento saltem ne diffidas: quoniam ut te salvum & incolumem de castello eduxero, ita & reducere procurabo.

ADELBERTVS igitur huius melle dulcioribus elogiis delibutus, imo deceptus, iusiurandum ab Hattone accepit, eumque, ut secum pranderet, protinus invitavit. Hatto vero tergiversationis, quam exercere post paululum cupierat, non immemor, eodem se haudquaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora, Hatto de Castello egreditur, cuius ADELBERTVS dexteram tenens, mox eum insequitur. Quem, ut extra castellum conspiceret: pœnitet, inquit, me Heros egregie, quia secundum tuum consulium, præsertim cum longum iter immineat, corpus edulio aliquo non refecerim. Ignorans denique ADELBERTVS, quantum inconmodi, quantumve infortunii hæc scientia habebat: revertamur, ait, Domine mi, & ne ieiunii maceratione tabescas, cibo saltem paululum te recreato. Connivens itaque eius petitionibus Hatto, per quam eum eduxerat, viam repedavit & reduxit dexteram tenens.

Haud mora: cibus sumitur, atque ab eisdem, die eadem, usque ad Regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus, quoniam quidem ADELBERTVS Regi adveniisse nuntiatur. Rex præterea huius ob adventum non parum exhilaratus, Proceres ad se venire, atque in iudicio residere præcepit. Quibus & ait: iam fere septennio ADELBERTVS quantas strages dederit, quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum & incendiorum infortunia nobis intulerit, reipsa potius, quam fama deferente percepimus. Vnde & sententiam vestram, pro hoc tanto scelere quid recompensationis inpræsentiarum accipiat, exspectamus. Qui omnium decreto, secundum priscorum instituta Regum, Maiestatis reus adiudicatus, capite truncatur. Verum dum vinctus traheretur ad mortem, Hattonem intuitus: periurii, inquit, reus eris, si me necem incurrere finis. Cui Hatto: sanum te, inquit, e castro educturum, ita & reducturum promisi, quod me tunc implesse intellexi, cum te e castello eductum, salvum & incolumem mox in castellum reduxi. Tunc se istuc advenisse dolens, & Hattonis dolum tarde intellexisse suspirans, tam invitus spiculatorem sequitur, quam libenter viveret, si liceret.

Hæc Luitprandus ex Ticinenſi Diacono tandem Cremonenſis Epiſcopus, qui Francofordiæ ſcribens rem omnem ab iis accipere potuit, qui lugubri huic ſpectaculo præſentes adfuerunt.

§. XIV.

Mariano Scoto. Altero a Luitprando ſeculo Chronicon ſuum ſcripſit Marianus Scotus noſter, Fuldenſis Recluſus, qui idem Hattonis in ALBERTVM facinus, Lib. III. ætate VI. pag. 446. edit. Piſtor. his verbis depingit: *ADELBERTVS COMES perfidia HATTONIS Moguntini Epiſcopi, & cuiusdam Lupoldi deceptus, Ludovico Imperatore iubente, decollatur hoc modo. Quum bellum eſſet inter Conradum, Conradi Regis patrem, & ADELBERTVM, Heinrici Regis patrem* (imo nepotem, ſcilicet ex Baba, Henrici Regis ſorore) *primum interfectus eſt frater ADELBERTI. Poſtea in ultionem fratris Conradus quoque occiſus eſt ab ADELBERTO: nec ullus Regum tam ingens bellum inter eminentes viros ſedare potuit. Poſtremo Epiſcopus HATTO mittitur a Rege ad ſedandam tam ingentem diſcordiam. Qui ingreſſus civitatem ADELBERTI ſub iureiurando ſpopondit, aut ei pacem cum Rege facturum, aut incolumem eum loco ſuo reſtituturum. His pactis conſentiens ADELBERTVS, fidei gratia & amicitiæ, rogavit Pontificem, ut dignaretur aliquid guſtare. Quo negante, illico egreſſus eſt urbem. Quumque pertranſiſſent oppidum cum omni comitatu, fertur Epiſcopus dixiſſe: ſæpius petit, qui oblata ſpernit: tædet me longioris viæ tardiorisque horæ: iam ieiuni tota die non poſſumus ambulare. Lætus ADELBERTVS inclinatur ad genua Epiſcopi, ut guſtandi gratia reverterentur in urbem, deposcit. Pontifex in urbem reverſus cum ADELBERTO, liberatur a lege iuramenti, ut ſibi videbatur, eo quod incolumem eum loco ſuo reſtituiſſet. Deinde Regi Ludovico a Pontifice præſentatus accepit capitalem ſententiam.* Hactenus Marianus Scotus.

Hermanno Contracto, Sigeberto Idem in Chronico tradit Hermannus Contractus ad annum DCCCCVII. ex editione Vrſtiſii paucis his verbis: *ADALBERTVS perfidia Hattonis Archiepiſcopi & Luidbaldi deceptus, Ludovico iubente decollatur.* Quæ fere eadem Sigebertus noſter Gemblacenſis in Chronographia ad annum DCCCCX. commemorat.

§. XV.

Et Ottone Friſingenſi. Sed committere non poſſumus, quin teſtimonium quoque Ottonis Friſingenſis ex Lib. VI. cap. XV. Chronici afferamus, tum quod eius narratio non nihil a Reginonis differat, tum quod ab auctore proficiſcatur, qui utique rerum in Germaniæ curiis publice geſtarum, & hiſtoriam Domus ſuæ attingentium præprimis gnarus fuit. Sic autem is loco citato ſcribit: *Anno ab Incarnatione Domini DCCCCV. Ludovicus Boſonis filius imperium adeptus, Berengarium expulit..... Circa idem tempus ALBERTVS Nobiliſſimus FRANCORVM COMES, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos, Conradum, qui a quibusdam Ludovici Regis frater fuiſſe creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum Heroam in caſtro BABENBERG, ubi nunc nobilis Epiſcopatus fundatus cernitur, bello petiit. Cumque viribus ſe proficere poſſe non videret, HATTONIS Moguntini Archiepiſcopi conſilio ad dolum ſe contulit. Itaque ut non ſolum in Regum geſtis invenitur, ſed etiam in vulgari traditione, in compitis & curiis hactenus auditur, præfatus Hatto ALBERTVM in caſtro ſuo BABENBERG adiit, eumque Dei pietatis obtentu de gratia Regis adipiſcenda convenit. Ille devote monitis eius obtemperans, humiliter conductum, de perſona propria incolumitate petiit. Ac ne multis morer, interpoſita Sacerdotis præfati fide, iter carpunt. Vix caſtro exierant, iam proximi vico, qui Teurſtat dicitur, appropinquabant, & Epiſcopus: grave, inquit, erit nobis ieiunium ſuſtinere: ſi placet,*

cet, antequam Regi præsentemur, ad prandium divertamus. Tum ille simplices aures more antiquorum primorum habens, dolumque minime persentiens, gratanter cum ad prandendum in castro, unde digressi fuerant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam veniunt. In causa Princeps ponitur, ac tanquam reus Maiestatis, capite plectendus adiudicatur. Monet ille Episcopum de fide data, quam e contra ille se bene in hoc, quod sanum & incolumem eum in castrum reduxerat, servasse respondit. Sic præfatus ALBERTVS capite plectitur, possessionesque eius, e quibus postmodum BABENBERGENSIS Ecclesia locupletata dicitur, in fiscum redactæ sunt. Ex huius ALBERTI sanguine ALBERTVS, qui postmodum Marchiam Orientalem, id est: Pannoniam Superiorem, Vngaris ereptam, Romano Imperio adiecit, originem duxisse traditur. Hactenus Otto, Frisingensis Episcopus, qua vitæ sanctimonia, qua prudentiæ laude, qua denique doctrinæ fama longe celeberrimus, qui de Hattonis facinore hoc iudicium tulit: *iudicent*, inquit loc. cit. *de hoc Sacerdotis facto alii, quod velint, & tanquam pro regni utilitate commissum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non solum quemlibet Christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde & corde in causa capitali loqui non debuisse arbitror Episcopum.*

Recte sane ac sancte. Nam *si sedeat* vel *Cicero iudex*, inquit doctissimus Nicolaus Serarius S. J. Rerum Moguntiacarum Lib. IV. pag. 672. *illaudate fecit Hatto.* Cum enim *Attilium Regulum ipsiusque tempora, quod iuratus ad hostes voluntarium exceptaturus cruciatum redierit, laudasset:* subiungit Lib. 3. de Offic. *sed ut laudandus Regulus in conservando iureiurando: sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius bonus auctor inprimis scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse a Senatu re non impetrata: unum ex decem, qui paulo post quam egressus erat e castris, rediisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in castra, liberatum se esse iureiurando interpretabatur. Non recte. Fraus enim destringit, non dissolvit periurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator & callidus, vinctus ad Hannibalem duceretur.*

§. XVI.

Notat vero laudatus Serarius *MS. Minorem*, quo in perscribendis Rebus Moguntiacis usus est, adiungere, quomodo idem Archiepiscopus torque aurea epuloque delinitum voluerit anno DCCCCXIV. Conrado Regi Henricum, Saxoniæ Ducem, Ottonis filium tradere: sed coram aurifabro ingemuisse, ipsumque, quem amaret, Henricum enunciasse sic a se capiendum. *Quæ videntur tamen*, ait Serarius, *puerilora, quam ut tam veteratorio excoctoque ingenio congruant.* Verum idem refert de Hattonis in Henricum machina & artificio Witichindus, Benedictinus Corbeiæ in Saxonia Monachus, auctor subæqualis, Lib. I. de Reb. Gest. Saxonum pag. 10. & 11. edit. Basileensis anni 1532. cuius verba, utpote cum rebus ALBERTI *decollati* coniuncta, hic dare visum fuit.

Eiusdem Hattonis insidiæ, Henrico Saxoniæ Duci structæ.

Igitur patre patriæ, inquit Witichindus, *& magno Duce OTTONE defuncto, illustri & magnifico filio HEINRICO, totius Saxoniæ ipse reliquit Ducatum. Quum autem essent ei & alii filii THANCMARVS & LVITOLFVS, ante patrem suum obierunt. Rex autem CVNRADVS, quum sæpe expertus esset virtutem novi Ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris. Quo factum est, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici: ficte tamen pro laude & gloria optimi Ducis plura locutus, promisit se maiora sibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones vero huiuscemodi simulationibus non attendebant, sed suadebant Duci suo, ut, si ho-*

nore paterno eum nollet ſponte honorare, Rege invito, quæ vellet, obtinere poſſet. Rex autem videns vultum Saxonum erga ſe ſolito auſteriorem, nec poſſe publico bello eorum Ducem conterere, ſuppetente illi fortium militum manu, exercitus quoque immumera multitudine, egit, ut quoquo modo interficeretur dolo. Ad hoc negotium habens, ut fertur, maxime idoneum Mogonciacæ Sedis Epiſcopum, nomine Hattonem. Hic obſcuro genere natus, ingenioque acutus, & qui difficile diſcerneretur, melior conſilio foret an peior: quod ex uno eius actu colligi poteſt.

Cumque Witichindus lugubrem ALBERTI BABENBERGENSIS COMITIS *decollati* exitum, dolo Hattonis conciliatum, ex Reginone, Luitprando & Mariano Scoto paulo ante a nobis enarratum, tragico ſtylo expoſuiſſet; tum pergit in hunc modum: *hac igitur perfidia Hattonis quid nequius? Attamen uno capite cæſo multorum capita populorum ſalvantur. Et quid melius eo conſilio, quo diſcordia diſſolveretur & pax redderetur? Ea itaque varietate virum nobis proprie a ſumma Clementia conceſſum aggreſſus eſt, fecitque ei torquem auream fabricari, & invitavit ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea Pontifex opus conſiderandi gratia ingreditur ad aurificem, & viſa torque ingemuiſſe fertur. Gemitus cauſam aurifex interrogat. Cui reſpondit, quia optimi viri & ſibi charisſimi, ſcilicet HENRICI ſanguine illa torques deberet intingi. Aurifex audita ſilentio texit, & opere perfecto traditoque miſſionem petit & accipit. Et obvians Duci eunti ad ea negotia indicavit ei, quæ audivit. Ipſe autem vehementer iratus, vocat legatum Pontificis, qui iam pridem aderat invitandi eum gratia: vade, inquit, dic Hattoni, quia durius collum non gerit HENRICVS quam ADELBERTVS: & quia melius rati ſumus domi ſedere, & de eius ſervitio tractare, quam comitatus noſtri multitudine modo eum gravare. Et ſtatim omnia, quæ iuris ipſius erant in omni Saxonia vel Thuringorum terra, occupavit. Hatto autem videns ſuis calliditatibus finem impoſitum, nimia triſtitia ac morbo pariter non poſt multos dies confectus interiit. Fuere etiam, qui dicerent, quia fulmine cœli tactus, eoque ictu diſſolutus poſt tertium diem defeciſſet.* Hæc Witichindus de Hattonis in Henricum Saxonem, poſtea eo nomine I. Imperatorem, cognomento *Aucupem*, attentato facinore, quæ a Ditmaro Merſeburgenſi Epiſcopo Chron. Lib. I. pag. 325. edit. Leibnitianæ, & Sigeberto Gemblac. apud Piſtorium T. I. Script. Rer. German. pag 576. confirmantur. Vtadeo de perfidia & fraude, qua hic Hatto ALBERTVM COMITEM BABENBERGENSEM & HEINRICVM Saxoniæ Ducem appetiit, licet impari eventu, dubitari non poſſit. Cæterum de interitu ipſius Hattonis vide citatum Serarium p. 673. qui affirmat, *deinceps non potuiſſe contractam ab eo nimiæ calliditatis labem aqua ulla eluere, ſed adhæſiſſe ei adeo illam pertinaciter, ut, quemadmodum dicat in Monaſt. Chron. Bruſchius, Hattonem Malum vocarint non pauci, & ut in MS. minore ſit, alii divinitus fulmine ictum, alii mœrore ac triſtitia confectum, nonnulli in Merceburgenſi ſeu, ut vocet Otto Friſingenſis Lib. VI. cap. 18. Martinopolitano, Conradi Regis contra Henricum Saxonem, prælio cæſum, alii denique in flammivomum Ætnam, conjectum ſcripſerint, auditamque in aëre vehementi cum tonitru, exprobrationem iſtiusmodi:*

Exitus Hattonis lugubris.

Sic peccata lues: ſicque ruendo rues.

Quæ tamen omnia, Hattonis exitum ſpectantia, verane, an vero a recentioribus Scriptoribus ad conflandam maiorem Hattoni apud poſteros invidiam & odium ex vano conficta ſint, in medio reliquerim. Certe Continuator Reginonis Hattonis obitum his duntaxat verbis conſignat: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXII. Hungari iterum, nullo reſiſtente, Franciam & Thuringiam vaſtaverunt. Hatto Archiepiſcopus obiit, vir adeo ſtrenuus & prudens. Cui Heringerus ſucceſſit.* Et Hermannus Contractus ad inſequentem annum 913.

edit.

edit. Vrſtiſianæ: *Hatto Archiepiſcopus moritur: Herigerus ſucceſſit.* Nec plura de eiusdem morte Lambertus Schafnaburgenſis.

Nec multo lætior fuit exitus Ludovici III. Imperatoris, cuius iuſſu ALBERTVS capite truncatus fuit. Nam, ut auctor eſt Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergenſibus Lib. I. col. 20. triſte illud ALBERTI ſpectaculum, quod eo inclementiſsime publice decollari iuſſo ediderat Ludovicus, multorum iam dudum animos ab illo avertebat. Quæ res ſimul & ingens ab Hungaris nuper accepta clades eam animi ægritudinem Imperatori cauſavit, ut ſexto poſt cædem ADALBERTI anno, id eſt: Chriſti DCCCCXI. ſecundum alios DCCCCXII. in gravem morbum incidens, immatura morte, annum ſcilicet ætatis ſeptimum decimum necdum ſupergreſſus, extinctus ſit: quocum ſimul STIRPS CAROLINGICA in Germania imperare deſiit, imperio & ſumma rerum ad Conradum Franconiæ Ducem devoluta. Sed de his alii agant. Nobis enim hic ea ſolum commemoranda erant, quæ AVSTRIÆ MARCHIONVM STIRPIS BABENBERGENSIS Patrem, ALBERTVM COMITEM, ejusque res geſtas, ac miſerandum, & apud antiquos adeo decantatum finem propius ſpectare videbantur. Porro his expoſitis nunc demum videndum, quo veriſimilius anno LEOPOLDVS I. AVSTRIÆ MARCHIO, dictus ILLVSTRIS, ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* filius MARCHIÆ ORIENTALI præeſſe cœperit, & a quo Imperatore AVSTRIÆ MARCHIONATVM conſecutus fuerit, quod utrumque præcipuum præſentis diſputationis argumentum eſt. *Et Ludovici III. Imp.*

§. XVII.

Annum aditi a LEOPOLDO I. ſeu ILLVSTRI Auſtriæ Marchionatus definire perplanum foret, ſi nobis de poſtremo Rudigeri de Præclara in Auſtria præfecturæ anno certo conſtaret. Verum quia in hoc conſignando vehementer variant domeſtica monumenta, quæ & ipſa recentiuſcula eſſe dolemus, illum quoque nutare ac maximis difficultatibus obnoxium eſſe neceſſe eſt. *Quo anno Marchionatum Auſtriæ adierit LEOPOLDVS I.?*

Anonymus Leobienſis, qui Chronicon ſuum, a nobis hic editum, anno MCCCXLIII. finiit, col. 756. anno DCCCCXXXV. primam LEOPOLDI I. Auſtriæ Marchionis mentionem facit his verbis: LIPOLDVS PRIMVS MARCHIO in AVSTRIA poſt Rugerum de Præclara. *Variæ de eo ſententiæ.*

Anonymus Zwetlenſis in Chronico Auſtriaco, quod in hoc primo volumine a col. 974. ad 1001. habes, col. 974. ſic ſcribit: *LEOPOLDVS, Primus Marchio in Auſtria poſt Rugerum de Peklam* (lege: *de Præclara, Pechlaren, vel Bechleren*) *anno Domini DCCCCXXVIII.* Floruit hic auctor eodem, quo Anonymus Leobienſis, ſeculo, eo tamen non nihil recentior annis eſt.

Auctor incertus Additionum ad Chronicon Mellicenſe, quem circa ſeculum XV. vixiſſe ex ſcripturæ litterarumque forma conjicimus, col. 216. ad ann. DCCCCII. hæc habet: *LEOPOLDVS Auſtriæ Marchio, primus hujus nominis, & fundator Monaſterii Mellicenſis, venit in Auſtriam.* In quo loco Codicis veſtigia cujusdam interpolationis ſeu raſuræ comparent, incertum, a quo factæ: notaque alia manus, quæ ſæculum proxime elapſum redoleat, *raſuram locum facere ſuſpectum: bene autem natum perhiberi LEOPOLDVM hoc anno.*

Ladislaus Sunthaimius, Tabularum Clauſtroneoburgenſium, una cum Jacobo Præpoſito ejusdem Canoniæ ſub annum Chriſti MCCCCXCI. col-

lector col. 1007. de adventus LEOPOLDINI anno ita commentatur: Lewpold genant der Durchleuchtig, von Geslecht ain Hertzog von Stvaben, auch des Geschlechtes des Edlen und Mechtigen Graff Albrechten, Graffen zu Babenberg. Dem obbenanten Lewpolden warde nach Abgang Herren Rudigers von Pechlaren Marggrafen in Oesterreich, der an Leib-Erben verschaiden ist, verlichen von Herren Hainrichen von Praunsweig Römischen Kunig das benant Land Oesterreich, nach Christi Gepurd DCCCC. vnd etliche Jar.

Vitus Arnpekhius, Presbyter Landshutanus in Chronico Austriaco LEOPOLDVM ad annum DCCCCXXV. in Austriam primum inducit: *LEOPOLDVS ILLVSTRIS*, inquit col. 1179. *genere Dux Sueviæ, ex Alberti nobilissimi Comitis Babenbergensis sanguine ortus, defuncto Rudigero de Pechlarn, Comite Orientali sine hærede, a Rege Romanorum Heinrico, Duce Brunsvicensi, suo sororio, Marchiam Orientalem in feodum accepit, anno Christi DCCCCXXV, quam strenue multis annis rexit.*

Johannes Cuspinianus in Austria sua, in designando primo LEOPOLDI I. Marchionis anno Anonymum Zwetlensem sequitur, eumque facit annum nongentesimum vigesimum octavum.

Sunt denique apud P. Anselmum Schrambium nostrum Chron. Mellic. Parte I. pag. 16, qui LEOPOLDO Marchionatum Austriæ anno Christi DCCCCXXXIII. collatum esse asseverent.

§. XVIII.

Vti & de Imperatore, qui Marchionatum Austriæ LEOPOLDO I. concessit.

Difficultas in proximo §. exposita nimium quantum augetur ex eo, quod in nominando Romanorum Imperatore, cui LEOPOLDVS Marchionatum Austriæ acceptum retulit, non minor sit apud nostros exterosque Scriptores dissensio, quam in consignando primo LEOPOLDI anno cœptæ gubernationis. Conradus de Witzenberg, Abbas Mellicensis sæculo XII. in Brevi Chronico Marchionum & Ducum Austriæ Stirpis Babenbergensis, satis habuit dicere, LEOPOLDVM Marchiam obtinuisse ab Imperatore, qui tunc temporis Rempublicam Romanorum administrabat, nullius Imperatoris certo expresso nomine. Conradi integram ea de re relationem §. sequenti afferemus.

Wolffgangus Lazius sibi omnino non constat. Nam Lib. VIII. de Migrat. Gentium pag. 420. ait, LEOPOLDVM I. ab Ottone III. Imperatore Marchionem Austriæ fuisse constitutum: in Libro autem XII. Commentariorum Reipublicæ Romanæ in exteris provinciis constitutæ, pag. 1093. id ab Ottone II. factum contendit.

Fuggerus in Speculo Gloriæ Austriacæ mavult Ottonem I. Imperatorem fuisse, qui LEOPOLDVM ILLVSTREM Austriæ præfecerit: tametsi nec Lazius nec Fuggerus ullum veterem Scriptorem, aut aliud antiquum monumentum, cui eorum opinio inniti posset, pro testimonio adducant.

Alii ab Henrico I. Imperatore, qui *Auceps* cognominatus est, LEOPOLDO ILLVSTRI Austriæ Marchionatum commissum memorant, inter quos primus (quod quidem sciam) est Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus, quos usque ad annum 1440 pertexuit. In horum Lib. I. col. 23. ad annum Christi DCCCCXXXI. de prædicto Henrico Aucupe ita scribit: *proximo inde biennio adversus Danos & Polonos itum, & Regibus illis ad obedientiam reductis, Marchiam Slesvicensem in Cimbriæ Chersoneso condidit, & gentes eas ad Christi agnitionem & fidem adduxit, collocato in Holsatia Episcopo, qui viam eis ad*

Christianæ

Christianæ pietatis studia præmonstraret. His addidit MARCHIAM ORIENTALEM, iisdem temporibus exortam, & a regno Francorum, velut membrum a corpore, divulsam: quam LEOPOLDO, sororis suæ marito, attribuit, & AVSTRIACVM MARCHIONEM adpellavit. Fuit autem LEOPOLDVS, Sueviæ Princeps, natus e stirpe ADELBERTI COMITIS BABENBERGENSIS, cuius provinciæ cum post capitis supplicium a Ludovico Cæsare irrogatum distractæ essent, familia quoque dissipata, & in hoc LEOPOLDO in AVSTRIAM translata, MARCHIÆ ORIENTALI initium dedit. Huius in matrimonio fuit RICHARDIS, Regis Henrici soror, e qua nati POPPO Archiepiscopus Trevirensis, & HENRICVS MARCHIO, paternæ dignitatis hæres: unde Divi LEOPOLDI progenies propagata dicitur. Hæc Hoffmannus: cui adde Ladislaum Sunthaimium in Tabulis Clauſtroneoburg. & Vitum Arnpekhium in Chronico Austriaco, quorum verba præcedente §. dedimus.

Antonius Bonfinius, qui sub Matthia Corvino, Rege Hungariæ, seculo XV. floruit, rerum Vngar. Dec. I. Lib. X pag. 163. vet. edit. de Geysa Hungarorum duce a LEOPOLDO I. ad Mellicum devicto agens, indepti Marchionatus beneficium eidem Heinrico I. attribuit. *Bella*, inquit de Geysa, *in Austriam tantum aliquanto obstinatius gesit, quam mortuo Rudigerio tyranno occupavit. Sed Henricus I. Cæsar in Germania declaratus, LEOPOLDO, Illustri Sueviæ Duci, qui sororem eius uxorem duxerat, Austriam Romano Imperio recidentem, ea conditione delegavit, ut si Vngaros hinc eiiceret, ea, quæ quondam ORIENTALIS MARCHIA dicebatur, DVCIS primus nomine potiretur. LEOPOLDVS expeditionis conditionem accepit, in Geysam comparato exercitu proficiscitur. Ad MELLICVM oppidum, quod Danubio prominet, cum hoste progreditur. Cedentibus Vngaris, Geysa, ne rem alienam vi occupatam pervicacius tenere videretur, Austria excidit, & cum Alemanis pacem fecit* &c. Vbi monitum Lectorem velim, Bonfinium, uti & paulo ante citatum Hoffmannum, aliosque in eo insigniter falli, quod LEOPOLDVM I. Austriæ Marchionem *Sueviæ Principem* & *Sueviæ Ducem* adpellent. Eum enim ab ADALBERTO seu ALBERTO COMITE BABENBERGENSI, a Ludovico Cæsare *decollato* prognatum fuisse, abunde hactenus demonstratum est. Quid igitur vel sanguis vel Ducatus Suevicus, quem omnes veteres hic ignorant, ad LEOPOLDVM nostrum ILLVSTREM? Errat præterea Bonfinius graviter, dum LEOPOLDVM ab Henrico I. Austriam non Marchionis sed *Ducis* nomine abstuliſſe tradit. Austriæ quippe Principes dignitatem & nomen DVCIS non ante annum MCLVI. adeptos fuisse, alias iam ostensum est. An autem LEOPOLDVS ea conditione creatus sit ab Henrico Cæsare Marchio Austriæ, ut Hungaros inde pelleret, quod affirmat Bonfinius, paulo post discutiemus, ubi de occasione, qua LEOPOLDVS ad Austriæ præfecturam pervenit, acturi sumus.

Ab Henrico I. Austriam Leopoldo I. fuisse concessam, adsentitur etiam Johannes Cuspinianus in suo opere, quod AVSTRIAM inscripsit. Nam pag. 594. ita disserit: *puto hunc LEOPOLDVM I. ILLVSTREM dictum, Gumpoldi, Berchtoldi, Gundoldi fuisse quartum fratrem, qui extruxit castellum patria lingua* Leopolsdorff. *Et ideo Cæsarem Heinricum I. invenio anno a nato Jesu DCCCCXXVIII. substituisse hunc LEOPOLDVM I. eius nominis,*

quem nos Primum Marchionem in Auſtria nuncupamus: a quo deinceps omnem eius familiam ſubſcribemus, quoad deficiet. Sic Johannes Cuſpinianus, qui Gumpoldum, Berchtoldum & Gundoldum LEOPOLDI I. fratres ſuo e cerebro primus peperiſſe videtur. Certe nemo veterum de iis vel ſomniavit.

Denique Marchionatum Auſtriæ ab Henrico I. fuiſſe LEOPOLDO commendatum, Anonymus Sanct-Crucenſis, cuius verba ſupra dedimus, & V. Cl. Petrus Lambecius Comment. de Bibliotheca Cæſar. Vindobon. Lib. II. cap. 8. pag. 627. in Notis marginalibus ad Hiſtoriam Fundationis Monaſterii Mellicenſis atteſtantur.

Porro in tanta Auctorum varietate, tantaque antiquiſſimarum rerum incertitudine, ſi & nobis, ex coævorum Scriptorum teſtimoniis pronuntiare ſolitis, aquam hærere ingenue confeſſi fuerimus, id utique nobis a prudente lectore nulli vitio vertetur. Ne tamen in re præcipua nihil omnino, quod ſaltem vero ſit ſimilius, dixiſſe videamur, paucis, quæ nobis opinio probabilior appareat, accipe.

Veroſimilior eſt eorum opinio, qui primum annum Marchionatus Auſtriæ a LEOPOLDO aditi ſtatuunt annum Chriſti DCCCCXXXV.

Primo cenſemus, plurimum veri ſimilitudinis eam ſententiam continere, quæ LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionem regimen ſuum anno DCCCCXXXV. auſpicatum fuiſſe ſtatuit: proximo autem ab ea loco illam eſſe collocandam, quæ id anno DCCCCXXVIII. eveniſſe adſerit. Priorem tradit Chronographus Leobienſis, homo in indagandis rebus Auſtriacis induſtrius, quique multis veteribus monumentis, quæ iam interierunt, in condenda Hiſtoria ſua uſus fuiſſe videatur. Certe qui eo antiquior de primo regnantis in Auſtria LEOPOLDI anno fecerit mentionem, nullum reperimus. Nec abludit ratio. Cum enim poſt initium Seculi decimi Auſtria Hungarorum armis & perpetuis incurſionibus infeſta eſſet, imo magnam partem ab iisdem occupata teneretur, ea utique a Romanorum Imperatore, quicunque demum fuerit, non niſi Juveni forti & confirmatæ ætatis, qui non ſolum bellicis laboribus perferendis, ſed etiam regendis exercitibus par eſſet, concredi potuit. Atqui ſi Chronographi Leobienſis dicta ſequamur, talis anno DCCCCXXXV. LEOPOLDVS fuit, ut qui ſaltem trigeſimum tunc annum exegerit, quæ ætas & robur corporis, & maximum animi vigorem, præclariſſimaque quæque audendi promptitudinem afferre conſuevit. Itaque niſi antiquiores, maiorisque fidei auctores nobis oſtenſi fuerint, omnium vero ſimillimum ſemper cenſebimus, LEOPOLDVM I. cognomento ILLVSTREM hoc ipſo anno Auſtriam ingreſſum, ampliſſimæ ſuæ Domus fundamenta ieciſſe.

Quod ſi cui libuerit alteram, quæ LEOPOLDI in Auſtriam ingreſſum ad annum DCCCCXXVIII. reiicit, opinionem amplecti, is Anonymum Zwetlenſem, cuius verba præcedente §. retulimus, auctorem habebit. Saltem ea probabilior eſt iis omnibus, quas Chronographo Zwetlenſi recentiores auctores procuderunt. Nam primo Auctor Additionum ad vetus Chronicon Mellicenſe, primum LEOPOLDI annum cum anno Chriſti DCCCCII. componens, vel ex eo falſus eſt, quod eo anno necdum lucem adſpexerit LEOPOLDVS, niſi eius ætatem in immenſum producere velimus, ut ex dicendis amplius conſtabit. Ex eadem ratione reiicienda eſt Sunthaimii in Tabulis Clauſtroneoburgenſibus narratio, quæ poſt annum DCCCC. & *aliquot* annos LEOPOLDVM in Auſtriam introducit. Eo enim tempore LEOPOLDVS vix ex ephœbis egreſſus aptus eſſe non poterat, qui

Marchi-

Marchiam Orientalem ab Hungaris miſere habitam vindicaret, efficaciusve tueretur. Arnpeckhius, qui LEOPOLDVM regimen Auſtriæ ab anno DCCCCXXV. incepiſſe ſcribit, eidem fere difficultati obnoxius eſt, præterquam quod auctor recentior ſit, & in rebus Auſtriacis vix ultra Tabulas Clauſtroneoburgenſes ſapiat. Poſtremi vero, qui primum LEOPOLDO in Auſtriæ Marchionatu annum DCCCCXXXIII. adſignant, nec ullo paulo antiquioris auctoris teſtimonio nituntur, nec id adſeruiſſe videntur, niſi ut a ſententiarum certamine remoti intra medium quoddam conſiſterent, ex quo ad probabiliora facilis ſemper tranſitus eſſet. Itaque hæ duæ ſolæ in hac quæſtione ſententiæ ſimilitudinem veri habent, quæ LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionem vel anno Chriſti DCCCCXXXV. vel DCCCCXXVIII. in has oras delatum eſſe contuentur.

Secundo arbitramur, ſolum Henricum I. Imperatorem fuiſſe, qui LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionatu remuneratus ſit, id quod non tantum ex dictis neceſſario conſequitur, ſed etiam ex eo confirmatur, quod fere omnes tum recentiores tum paulo antiquiores affirment, LEOPOLDVM I. intra annos DCCCCXXV. & DCCCCXXXV. Auſtriæ Marchionatum iniiſſe. At vero toto illo intervallo nullus Romano Imperio præfuit, niſi Henricus I. cognomento Auceps, penes quem ſumma Germanici Imperii ab anno Chriſti DCCCCXX. usque ad DCCCCXXXVI. ſtetit. Itaque nec Lazius, qui modo Ottonem II, modo III, quod certo falſum eſt, LEOPOLDVM ad Auſtriæ Marchionatum evexiſſe ſcribit: nec Fuggerus, qui eam rem ad Ottonem I. revocat ſine ullo teſte, audiendi ſunt, ſed ſi quidem in re obſcura id, quod vero affinius eſt, ſequi deceat, ſolus Henricus I. erit, cui primos ſuos Marchiones Marchia Orientalis, ſeu Auſtria debeat.

LEOPOLDVS I. Auſtriæ Marchionatum ab Henrico I. Imp. cognomento Aucupe accepit.

§. XVIII.

Juvat nunc non nihil in occaſionem, qua LEOPOLDO I. Auſtriæ Marchionatus obtigit, indagare. Eius enim rei perquiſitio hactenus dictis non modicam lucem conciliabit. Conradus de Witzenberg, ab anno Chriſti MCLXXVII. ad MCCIII. Abbas Mellicenſis, in Brevi Chronico de primis Auſtriæ Marchionibus & Ducibus Stirpis Babenbergenſis, quod ad Leopoldum Ducem Auſtriæ II. vulgo VIRTVOSVM ſcripſit, de hoc argumento col. 290. & ſeq. ſic loquitur:

Qua occaſione Auſtria LEOPOLDO obtigerit.

Narratio dicta Conradi de VVitzenberg.

Avitam Principum huius terræ noſtræ; parentum ſcilicet veſtrorum proſapiam commemorare vobis, ut petitis, cupientes, ea primo, quæ relatione maiorum didicimus, ipſa fide, qua audivimus, explicamus. Conſequenter etiam illa, quæ ex Cronicis noſtris colligere potuimus, a paſſione videlicet Sancti CHOLOMANNI ſubnectimus, uniuscuiusque Principis res geſtas, prout ibi notatas invenimus, annectentes. Primus itaque terræ huius noſtræ, quæ AVSTRIA, Marchio fuit L. I.[1] *quorum quidem notitia claruit, a quo tota ſeries Progenitorum veſtrorum usque ad hæc tempora veſtra L. VI.*[2] *variis atque præclaris decorata virtutibus deducitur. Qui quomodo terram hanc obtinuerit, ſic accepimus. Dum adhuc adoleſcens die quadam in venatione per avia ſecutus fuiſſet Imperatorem, qui tunc temporis Rempublicam Romanorum adminiſtrabat, ſolum ſcilicet ſolus, & ille feram percuſſurus arcum fortius attrahens comminuiſſet: Juvenis arcum ſuum, ut erat contentus, manui cunctantis promptiſſime inſeruit: ſicque Princeps percuſſa fera, ſuper alacritate adoleſcentis delectatus, ſub auctoritate regia promiſit ei terram, quam ſibi proxime vacare contingeret, ipſique competeret: atque pro memoria & confirmatione promiſſi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo poſt tempore mortuo Marchione Auſtriæ, cum multi procerum quisque pro ſe inſtarent Imperatori, prorumpens in*

[1] Liupoldus I. [2] Liupoldi VI.

medium Juvenis cum adteſtatione fracti arcus, regalis promiſſionis petiit executionem. Cui Princeps nihil moratus, induſtriam ſuam commemorans, auctoritate regia MARCHIAM traditam confirmavit. Ipſe autem terram hanc cum multo comitatu adiens, caſtrum munitiſſimum in monte noſtro ſitum, quod homo potentiſſimus, nomine Gizo tenebat; magna vi cepit atque deſtruxit, ibique Canonicos XII, ne videlicet aliqua in eo munitio reſtaurari poſſet, inſtituit. Hucusque de occaſione, qua LEOPOLDVS ILLVSTRIS Auſtriæ Marchionatu potitus fuerit, Conradus de Witzenberg, Abbas Mellicenſis, cui conſentit auctor Anonymus Hiſtoriæ fundationis eiusdem Monaſterii, a nobis editus a col. 296. ad 301.

Num fabuloſa?

Non deerunt, qui hanc Conradi narrationem glorioſioribus medii ævi fabellis accenſeant. Verum ſi eam ad rationes temporum & hominum, de quibus inſtituta eſt, accommodaverimus, nihil admodum reperiemus, quod ingenii duntaxat exercendi & ſeris poſteris adulandi cauſa excogitatum videri poterit.

In ſuperiori §. oſtendimus Henricum I. cognomento *Aucupem* fuiſſe illum Romanorum Imperatorem, qui Auſtriæ Marchionatum in LEOPOLDVM I. contulerit. Igitur hic ipſe eſt, quem Conradus de Witzenberg innuit. Porro Henricum *in venatione tam acerrimum fuiſſe, ut una vice quadraginta aut eo amplius feras caperet*, & *apud Bathfelthum ſæpiſſime exercuiſſe venatum*, tam ex Witichindo Lib. I. de Geſt. Saxonum, quam ex Biographo S. Mathildis Henrici Coniugis apud Leibnitium Tom. I. Script. Brunſwic. pag. 196. conſtat. Deinde dubitari non poteſt, LEOPOLDVM I. in aula Henrici Aucupis educatum fuiſſe. Quorſum enim eius mater cum puero in cunis vagiente, decollato ALBERTO patre, eiusque bonis omnibus in fiſcum regalem a Ludovico Cæſare redactis confugeret, niſi ad Henricum, LEOPOLDI magnum avunculum? Nam teſte Witichindo Lib. I. de Geſtis Saxonum pag. 10. edit. Baſileenſ. ADALBERTVS ſeu ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS *decollatus* Henrici I. Imperatoris, dicti Aucupis nepos ex ſorore, quam poſt Hoffmannum in Annalibus Bambergenſibus alias exſcriptum, Vitus Arnpekhius in Chron. Auſtr. col. 1179. BABAM adpellat, fuit: id quod & Otto Friſingenſis Chron. Lib. VI. cap. 15. confirmat, *ALBERTVM nobiliſſimum Francorum Comitem, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepotem* vocitans. Jam vero in ea aula, in qua venationum ſtudia fervebant, enutritus LEOPOLDVS cur non potuiſſet in eum locum incidere, ubi eius obſequia Henrico, cupiditate inſequendarum ferarum longius, ut fit, abrepto, vel neceſſaria vel perquam opportuna eſſent? Certe quantum ſibi maximorum etiam Principum animos in huiusmodi caſibus plebeii etiam homines nonnunquam devinxerint, notius eſt, quam ut id nobis allatis in medium exemplis demonſtrare neceſſum ſit. Itaque & in LEOPOLDVM, propinquitatis nexu etiam Henrico coniunctiorem Fortuna id munus conferre potuit, ut fractum venantis contentione arcum, ſuo opportune ſupplens, dignus Cæſari videretur præmio, nec dante nec accipiente indigno, cuiusmodi eſſet vacaturæ proxime provinciæ præfectura. Verum hæc eo duntaxat tendunt, ut appareat, nihil Conradi de Witzenberg narratione contineri, quod cum veri ſimilitudine pugnet.

Veroſimilior ratio redditur collatæ LEOPOLDO Auſtriæ.

Sed nulla neceſſitas eſt, in indaganda collatæ LEOPOLDO Auſtriæ cauſa ad ſpecioſiores narratiunculas confugiendi. Ipſum tempus & locus, in quo tum LEOPOLDVS verſabatur, facillime Henricum Imperatorem commoverint, ut in neminem alium quam in illum Marchiam Orientalem conferret.

ferret. Vacabat ab obitu Rudigeri de Præclara Provincia: perferendæ non erant longius quotidianæ Hungarorum in Auſtriam excurſiones: periclitabatur nutante limite Baioaria: quærebatur Juvenis fortis & acer, qui barbaros invadere ac propellere non expaveſceret: cupiebat Cæſar, idque Domus ſuæ fortuna exigebat, ut provincia non niſi expertæ ac prope neceſſariæ fidei homini committeretur. Creverat ſub ipſius Imperatoris oculis LEOPOLDVS, paternos Spiritus toto ore referens: florebat ætate optima, totusque ex magni avunculi nutibus pendebat pronepos ex ſorore. Juvanda quoquo modo & in lucem origine ſua dignam proferenda erat nobiliſſimi totius Germaniæ Comitis Soboles. Solanda vidua decollati tanti mariti, ut alia plura nomina ſilentio prætereamus. Porro rebus ita conſtitutis quem propius & benignius reſpiceret Henricus quam LEOPOLDVM? Cui proclivius eſſet Marchiam, Præfecto deſtitutam deferre, quam LEOPOLDO? Atque hanc principem cauſam & occaſionem indeptæ a LEOPOLDO Auſtriæ fuiſſe arbitramur, licet a veteribus & coævis tradita haudquaquam fuerit, ut qui ſilentio preſſis & neglectis obviis ac planis rerum cauſis plerumque ad portenta quædam & inexpectatos eventus convertantur, dum ſingularium & memoria digniorum quorundam factorum origines explicant, rati ſcilicet, nihil admodum magnum ac illuſtre eſſe, cuius cauſæ ac initia nullis involucris, myſteriis, aut occultioribus machinis adornata ſint. Sed nobis etiam ad alia, quæ Auſtriacum LEOPOLDI regimen conſecuta ſunt, digrediendum eſt.

§. XIX.

Ex hactenus dictis facile quisque intelliget, quot annorum regimen in adminiſtrando Auſtriæ Marchionatu LEOPOLDI I. cognomento ILLVSTRIS fuerit. Nam ſi cum Anonymo Chronographo Leobienſi LEOPOLDVM ſtatuas anno Chriſti DCCCCXXXV. Marchionatum fuiſſe exorſum, id quinquaginta novem annorum fuerit neceſſe eſt. Quod ſi vero Anonymum Zwetlenſem ſequi malis, regimen LEOPOLDI ſexaginta ſex annorum fuit. Siquidem teſte Ditmaro Epiſcopo Merſeburgenſi ſupremus LEOPOLDI annus Chriſti nongenteſimus nonageſimus quartus extitit. Locus Ditmari extat Chronic. Lib. IV. pag. 351. & ſequenti edit. Leibnitianæ, ac ſic habet: *Anni Marchionatus LEOPOLDI.* *Obiit anno Chriſti DCCCC. XCIV.*

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCI. Hillibardus, ſanctæ Halberſtadenſis Eccleſiæ venerabilis antiſtes, qui me baptizavit atque confirmavit, templum Domini, quod ipſe a fundamento ædificans, tandem ad unguem usque perduxit, XII. Cal. Novemb. dedicavit..... In ſequenti anno in Galli cantu primo lux, ut dies ex Aquilone effulſit..... In tertio prædictæ dedicationis anno avunculi mei a piratis capti ſunt.... In quarto peſtilentia cum fame & bello Orientalibus ingruit.

Eodem anno Thiedricus Comes Palatinus & Sibertus frater eius de hoc ſeculo tranſierunt. Ea tempeſtate nepos meus Marchio Henricus, Everkerum, Bernardi Wirziburgenſis Epiſcopi militem egregium, ſed nimis ſuperbum cepit, & ob illatas ſibi iniurias in loco, qui Lindinlog dicitur, excæcavit. Rex autem de interruntiis ab Epiſcopo, id multum quærentibus, comperiens, hocque graviter ferens, prædictum Comitem exilio relegavit, & poſthæc gratiam ſuimet huic dedit, & apud antiſtitem digna emendatione reconciliavit.

Prædictus Præſul poſthæc LIVPOLDVM MARCHIONEM ORIENTALIVM, & nepotem eius HENRICVM ad Miſſam ſancti Chiliani, quæ eſt IIX. Id. Julii, ad ſe vocans, cum magna

magna charitate eosdem habuit, & Comes (id est: MARCHIO LEOPOLDVS) *in sacra nocte post matutinam cum suis militibus ludens, ex uno foramine ab excæcati amico sagitta vallante*[1] *vulneratus est, & facta confessione VI. Id. Julii expiravit, innocens in facto prædictæ actionis, & in consilio. Hic in postera die ibi sepultus merito defletur, quia sibi prudentiorem & in cunctis actibus meliorem nullum reliquit.*

Et Chronographus Saxo apud Leibnitium in Accessionibus Historicis T. I. pag. 203. ad annum DCCCXCIV. *LVIPOLT, Bavvarici limitis Marchio clarus, in civitate VVirziburg in hospitio suo per fenestram cum sagitta improvise vulneratus obiit.*

Hæc paulo prolixius ex Ditmaro & Chronographo Saxone transcribere visum est, ut non solum de anno obitus, sed etiam de mortis genere, ac denique egregiis LEOPOLDI I. Austriæ Marchionis, vulgo ILLVSTRIS virtutibus, quas quidem paucis sed gravissimis & universas boni Principis dotes complectentibus verbis Ditmarus expressit, lectoribus deinceps penitius constaret. Et profecto dudum vehementer mirati sumus, nec a vetustioribus, nec a recentioribus rerum Austriacarum Scriptoribus, si unum Lazium Lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 420. & R. P. Sigismundum Puschium S. J. Presbyterum in Chronolog. Sacr. Ducatus Styriæ pag. 200. demas, ad prædictum Christi annum vel obitum LEOPOLDI vel mortis eius genus consignatum, sed in alia omnia a plerisque fuisse discessum. Sed corrigendi sunt omnes nostri Scriptores, quotquot LEOPOLDVM I. Austriæ Marchionem vel anno DCCCCXCII. vel DCCCCXCIX. vel DCCCCLXXXVIII. vel DCCCCLXXXIII. vel denique M. vivere desiisse memoriæ prodiderunt.

Laudatus P. Sigismundus Puschius loco citato auctor est, LEOPOLDVM nostrum iam ante, quam extinctus esset, Marchionatum Austriæ HENRICO filio cessisse: id quod unde Puschius edoctus sit, me latet. Saltem ego inter tot qua veteres qua novos Scriptores Austriacos, qui id assereret, nullum deprehendi. Sed ad locum Ditmari, paulo ante datum, reverti lubet, utpote qui quædam contineat digna, quæ accuratius observentur illustrenturque.

LEOPOLDI I. Nepos non fuit HENRICVS MARCHIO AVSTRIÆ.

Tradit is primo, LEOPOLDVM, *Marchionem Orientalium*, id est: Austriæ, eiusque NEPOTEM HENRICVM a Berwardo Episcopo Wirtzburgensi ad concelebrandum diem S. Chiliano sacrum evocatum fuisse. An LEOPOLDVS noster NEPOTEM, cui HENRICO nomen fuerit, unquam habuerit, ex nullo alio veteri Scriptore nobis compertum est. Scribit quidem Lazius Lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 419. LEOPOLDO nostro fuisse fratrem, BERCHTOLDVM nomine, qui ex *Gerbirge*, Lotharingiæ Ducis filia, ALBERTVM II. eiusque fratrem HENRICVM, Marchiones Austriæ, ERNESTVM Ducem Sueviæ, & POPPONEM Archiepiscopum Trevirensem procrearit: qua ratione facile captu foret, quid sibi Ditmarus voluerit, aut unde LEOPOLDO I. HENRICVS quidam *Nepos* esse potuerit.

Lazii fabulæ de pluribus LEOPOLDI I. fratribus.

Verum enimvero tota hæc Genealogia Laziana tot pæne figmentis, quot verbis constat, uti & illa denarratio, qua ibidem fabulatur, ADALBERTO seu ALBERTO COMITI BABENBERGENSI *decollato*, RICHARDIM, Heinrici I. Imperatoris, *Aucupis* dicti filiam fuisse uxorem, ex qua supra dictum BERCHTOLDVM, LVIPOLDVM Orientalem in finibus Pannoniæ Comitem, & denique LEOPOLDVM nostrum, primum scilicet Austriæ Marchionem, cognomine ILLVSTREM genuerit. Nam etsi LEOPOLDVM I. ILLVSTREM, filium fuisse ALBERTI *decollati* ipsi supra demonstra.

[1] *f.* volante, vel fallente.

ſtravimus: incertiſſimum tamen manet, quo nomine dicta fuerit eiusdem *decollati* ALBERTI Vxor, utpote quod nemo nobis veterum expreſſit. Sed quocunque tandem nomine ea prædita fuerit, illud certe falſo falſius eſt, ALBERTVM *decollatum* quandam Henrici I. Imp. filiam duxiſſe. Earum enim non niſi duas commemorat Witichindus Lib. I. de Reb. Geſt. Saxonum pag. 14. qui unam *Gerbergam* vocat, Giſelberto Lotharingiæ Duci nupram: alteram, Witichindo quidem non nominatam, ſed Alberico Monacho Trium Fontium in Chron. *Havvidem* dictam, cuidam Hugoni Duci deſponſatam fuiſſe conſtat. Nulla ergo ex filiabus Heinrici I. reliqua erat pro ALBERTO Comite Babenbergenſi *decollato*, quam in uxorem cooptaret, niſi quis dixerit, alterutram ex illis, marito ſuo defuncto, in matrimonium ALBERTO fuiſſe ſecundo collocatam, quod tamen nec veterum Scriptorum quisquam, nec ipſe Lazius tradidere. Adhæc Witichindus citato Libro ALBERTVM Comitem Babenbergenſem *decollatum* diſſerte *Henrici I.* Imp. *ex ſorore nepotem* vocat: &, quod eodem recidit, Otto Friſingenſis Chron. Lib. VI. cap. 15. eundem ALBERTVM, *Ottonis Saxonum Ducis*, patris ſcilicet Henrici I. *ex filia nepotem* adpellat. Qua ergo ratione Lazius ſcribere auſus eſt, Henrici I. Imp. filiam, quam ipſe *Richardim* vocat, uxorem fuiſſe ADALBERTI ſeu ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati?* Num idem ALBERTVS gener ſimul, & ex eadem filia nepos Henrici I. Imperatoris eſſe potuit? Apage nugas. Non *gener* Henrici I. Imperatoris, filii Ottonis Ducis Saxoniæ, ſed *nepos* tantum ex ſorore Baba, eiusdem Ottonis filia, Heinrici, Franciæ Orientalis Ducis, & ALBERTI patris uxore fuit ſæpe laudatus ALBERTVS COMES BABENBERGENSIS *decollatus*. Sed hæc incidenter tantum de Vxore ALBERTI, de qua ſupra iam diſputare occeperamus. Ditmari locus, ubi HENRICVM LEOPOLDI I. AVSTRIÆ MARCHIONIS *nepotem* vocat, explicandus adhuc reſtat.

Quocirca non veremur aperte pronunciare, Ditmarum in nominando HENRICO humanum quid paſſum, per errorem pro HENRICO LEOPOLDI FILIO, ſcripſiſſe HENRICVM LEOPOLDI NEPOTEM: vel ſaltem vitio librarii pro *filio* in Ditmari textum *nepotem* irrepſiſſe. Quod erratum ſive ipſius Ditmari, ſive librarii ſit, eo pronius & facilius erat, quo recentior in utriusque memoria eſſe poterat *Henricus nepos Ditmari*, quem paucis ante verſibus Regis gratia excidiſſe, eandemque mox recuperaſſe ſcripſerat. Certe de alio HENRICO *nepote* LEOPOLDI omnia vetera noſtra monumenta ſilent, & HENRICVS cum LEOPOLDO I. coniunctus, in Diplomate Ottonis III. Imperatoris, quod ſemel atque iterum ſupra ex Hundii Metropoli Salisburg. Tom. I. pag. 139. exſcripſimus, LEOPOLDI non *nepos* ſed FILIVS diſſertiſſime appellatur.

§. XX.

Alterum, quod in verbis Ditmari obſervatione dignum occurrit, eſt, quod LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionem, cognomento *Illuſtrem*, poſtquam Wirtzburgi Ludo militum præſens, fortuito ſagittæ iactu graviter vulneratus eſſet, ex eo vulnere mortuum, ibidemque, id eſt: *VVirtzburgi* ſepultum fuiſſe ſcribat. Quod ſi verum eſt, oportet ſane, corpus LEOPOLDI indidem poſtea effoſſum, & in Auſtriam ad Monaſterium noſtrum Mellicenſe, cuius ipſe Primarius fundator fuit, translatum fuiſſe. Inter primos enim Auſtriæ

LEOPOLDVS I. Auſtriæ Marchio in Monaſterio Mellicenſi ſepultus.

ſtriæ Marchiones Stirpis Babenbergenſis, qui in eodem Cœnobio tumulati ſunt, principe loco recenſetur LEOPOLDVS, is nempe, qui hoc nomine Primus Auſtriam gubernavit: ut perſpicuum eſt ex lapidis ſepulchralis ſeu Mauſolæi, quo Fundatorum noſtrorum oſſa quondam continebantur, inſcriptione, quam cum aliis quibusdam huc pertinentibus monumentis infra pag. 313. publici iuris fecimus. Sic autem dicti Epitaphii verſus priores habent:

MARCHIONES AVSTRIÆ.

LEVPOLDVS PRIMVS FVNDATOR.

Quinque ſub hac tumba mortis Proceres tenet umbra,
Quos redimens gratis Deus omnibus adde beatis.
MARCHIO LIVPALDVS a verme ſit igneque ſalvus,
Huius honor ſedis, fons Cœnobii, pater ædis.

Adde, quod & Tabulæ Clauſtroneoburgenſes col. 1007. & Vitus Arnpekhius in Chronico Auſtriaco col. 1180 diſſertis verbis idem teſtentur, dicantque LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionem, dictum ILLVSTREM, una cum uxore ſua RICHARDA in eodem Monaſterio tumulatum eſſe, qua de re nemo Mellicenſium unquam dubitavit.

Error eorum, qui Luitpoldum patrem Arnulphi Mali, Bavariæ Ducem, cum LEOPOLDO I. Auſtriæ Marchione confundunt.

Interim diſſimulari hic non poteſt craſſus error eorum, qui apud Aventinum Annal. Boior. Lib. IV. pag. 181. vet. edit. LVITPOLDVM ORIENTALIS BOIARIÆ Ducem, Arnulphi ſeu Arnoldi cognomento *Mali* vel *Impii* Bavariæ Ducis patrem, cum hoc noſtro LEOPOLDO imperitiſſime confundunt, & in Mellicenſi noſtro Monaſterio conditum ferunt. Qui error vel inde palpabilis evadit, quod LVITPOLDVS, Arnulphi *Mali* pater ab Hungaris occiſus ſit anno, ut eſt apud Reginonis Continuatorem, DCCCCVII: noſter autem LEOPOLDVS, ut ex Ditmaro dictum eſt, anno DCCCCXCIV. Wirtzburgi mortalem vitam deſeruerit.

§. XXI.

Vxor LEOPOLDI I. cuius nominis & generis?

Recenſita origine ac morte LEOPOLDI I. Auſtriæ Marchionis, locus poſtulat, ut de eius uxore quoque ac liberis non nihil diſſeramus. Et habuit LEOPOLDVS noſter uxorem quidem, ſed cuius non minus nomen quam genus admodum ambiguum ſit. Golſcherus S. Matthiæ apud Treviros circa annum MCXXVI. Benedictinus Monachus in Geſtis Trevirorum apud Leibnitium in Acceſſionibus Hiſtor. Tom. I. pag. 71. RICHINZAM, ſeu RICHESAM adpellat. Inſcriptio lapidis ſepulchralis Marchionum Auſtriæ in Monaſterio Mellicenſi conditorum RIHKART vocat. Denique Tabulæ Clauſtroneoburgenſes & Vitus Arnpekhius in Chronico Auſtriaco, locis ſupra citatis, REICHKARTAM, RICHKARTAM & RICHARDAM nominant.

Eam laudatus Golſchierus *cuiusdam Ducis Germaniæ Franciæ* (ita loquitur) *filiam facit.* Inſcriptio lapidis ſepulchralis Marchionum Auſtriæ præter eius nomen nihil de genere innuit. At vero Antonius Bonfinius in Annalibus Hungaricis, alias iam citatis, Tabulæ Clauſtroneoburgenſes, Vitus Arnpekhius & Johannes Cuſpinianus in Auſtria audacter aſſerunt, eam Ottonis, Ducis Brunſwicenſis filiam, atque adeo Henrici I. Imperatoris, cognomento Aucupis ſororem extitiſſe. In qua varietate Scriptorum non habeo, quod iudi-

iudicato pronuntiem. Quod si Golscherus nomen *Ducis Germaniæ Franciæ*, id est: Franconiæ, expressisset, negotium fortassis confectum esset. Infinitis autem dubiis intricata res est, num LEOPOLDI I. Austriæ Marchionis uxor, filia Ottonis, Saxoniæ seu Brunsvicensis Ducis, indeque Henrici I. Imp. soror esse potuerit. Habuit quidem Henricus I. duas sorores, quarum una, Witichindo & Ottoni Frisingensi non nominata, Martino Hoffmanno tamen in Annalibus Bambergensibus BABA. dicta, Henrico Franconiæ Duci & ALBERTI Comitis Babenbergensis *decollati* patri in matrimonio fuit. Alteram vero, cuius æque nomen Witichindus Lib. I. de Gest. Saxon. pag. 18. reticet, quidam *Vvido Thuringus* coniugem habuit: quæ posterior, si RICHARDÆ seu RICHESÆ nomen habuit, defuncto priori marito Widone Thuringo, fortassis ad thorum LEOPOLDI I. Austriæ Marchionis transiit.

Num soror Henrici I. imperatoris.

Id vix credibile.

Sed & hoc ipsum admodum incredibile vel ex eo cuique videri queat, quod hoc modo LEOPOLDVS, utpote ALBERTI COMITIS BABENBERGENSIS *decollati* filius in uxorem duxisset aviæ suæ sororem, quam etiam ex concubina Ottoni susceptam fuisse, loco citato scribit Witichindus. Itaque rem hanc omnem tot syrtibus & ambagibus perplexam præstat in medio relinquere. De anno & die obitus Vxoris LEOPOLDI I, cuius eacunque nominis & generis fuerit, nihil prorsus in fastos relatum est.

Immo absurdum videtur.

§ XXII.

Ad LEOPOLDI ILLVSTRIS filios, quod attinet, duos is genuit, HEINRICVM & POPPONEM, postea Archiepiscopum Trevirensem, quidquid scribat Golscherus in Gestis Trevirensibus, LIVPALDO seu LEOPOLDO I. præter hos duos tertium etiam, LEOPOLDO *æquivocum*, seu homonymum tribuens, qui defuncto patre Marchionatum Austriæ strenue gubernarit. Equidem omnino falsum est, LEOPOLDO ILLVSTRI in Austriæ Marchionatu ullum alium eiusdem filium præterquam HENRICVM successisse, ut ex toties citato Diplomate Ottonis III. Imperatoris, in quo HENRICVM LVITPALDI in Marchionatu successorem, non LVITPALDI *fratrem*, sed *filium* signate vocat, manifestarium est, consentientibus auctore Historiæ Fundationis Monasterii Mellicensis, Sunthaimio in Tabulis Claustroneoburgensibus, Bonfinio, Vito Arnpekhio, &, qui primo loco nominandus fuerat, Conrado de Witzenberg in Brevi Chronico Marchionum & Ducum Austriæ Stirpis Babenbergensis. Pro comperto igitur habendum, HENRICVM Austriæ Marchionem & filium fuisse LEOPOLDI I. cognomento ILLVSTRIS, & eidem, utpote patri suo, nullo alio medio fratre, in paterno Marchionatu successisse.

LEOPOLDI I. Marchionis Filii. Inter eos nullus LEOPOLDVS.

De Poppone, altero LEOPOLDI ILLVSTRIS filio, quem tamen Otto Frisingensis HENRICI filium fuisse mavult, nihil hoc loco porro quærimus. Illud solum postremo videndum, quo merito suo & iure HENRICVS, POPPONIS frater & LEOPOLDI ILLVSTRIS filius, cognomento REBELLIS dicatur, quod scomma passim apud recentiores Scriptores reperias.

§. XXIII.

HENRICUS II. Austriæ Marchio filius LEOPOLDI ILLVSTRIS iniuriosè cognominatur REBELLIS.

Inolita quidem, sed palmaris iniuria est, ut post Andream Brunerum recte observavit R. P. Sigismundus Puschius Chronol. Sac. Ducatus Styriæ pag. 206. qua HENRICVM II. Austriæ Marchionem, eo nomine tamen I, LEOPOLDI ILLVSTRIS filium, sequiorum temporum auctores affecere, qui Eum prorsus immerito REBELLIS cognomento compellarunt. Eo devenerunt, quod crederent, HENRICVM Marchionem nostrum ab Henrico II. seu Sancto, Imperatore defeciisse, eaque propter eiusdem Cæsaris armis anno MIII. appetitum, ac in ordinem redactum fuisse; quæ omnia falsissima esse nunc demonstrabimus. Prius tamen videndum, a quo primum hæc fabella promanarit.

Eius iniuriæ auctores.

Primus ex Scriptoribus Austriacis (quod quidem ego compertum habeam) qui HENRICO Marchioni Austriæ, nescio cuius in Henricum II. Imperatorem rebellionis labem adsperserit, est Bernardus Noricus, seculo XIV. Cœnobita Cremisanensis, in Chronico suo Austriaco col. 692. nostr. edit. ubi de Henrico II. Imp. & HENRICO Austriæ Marchione sic scribit: *Iste namque Heinricus primo Dux VVavvariæ, postmodum Imperator: quia licet esset puis, humilis & mansuetus ... resistentem tamen Imperio Heinricum Marchionem II. Ostrogothiæ vel Orientalis* (id est: *Austriæ*) *subiugavit ... circa annum Domini MIII.*

Alter est Anonymus Mellicensis, itidem seculi XIV. homo, qui ad hæc verba vetusti Chronici Mellicensis, prima manu exarata: *anno MIII. Heinricus Rex Heinricum Marchionem & alios sibi resistentes cum exercitu petiit*, adlevit nomen *Austriæ*, ubi *Marchionis Heinrici* fit mentio, ut nimirum sciremus Heinricum illum Marchionem, quem sibi resistentem cum exercitu petiit Heinricus Rex, non alium quam Heinricum *Austriæ* Marchionem fuisse.

Idem de rebellione HEINRICI Marchionis nostri adversus Heinricum II. Imperatorem Antonius Bonfinius, Tabulæ Claustroneoburgenses, Vitus Arnpekhius in Baioarico & Austriaco Chronico, Cuspinianus, Lazius aliique tradiderunt.

§. XXIV.

Ostenditur calumniæ occasio.

Verum quam fœde turpiterque hallucinati sint omnes hactenus recensiti Scriptores, ex iis, quæ mox dicturi sumus, luce, quod aiunt, meridiana clarius apparebit. Paucis omnia expediemus. Nempe ineptissime duo inter se distincti *Heinrici Marchiones* in unum, eumque Austriacum ab illis conflati sunt, quo factum, ut, quod non nisi uni eorum ex vero ac iure tribui poterat, id alteri, a rebellionis crimine quam maxime abhorrenti, immeritissime attribueretur.

Alius est HENRICVS MARCHIO Franconiæ, alius MARCHIO Austriæ:

Namque duo eodem tempore in Germania floruere HEINRICI, ambo MARCHIONES, sed diversissimarum Marchiarum seu limitanearum provinciarum. Vnus eorum fuit HENRICVS, COMES, seu MARCHIO (nam utroque nomine a Ditmaro Episcopo Merseburgensi, auctore gravi & coævo, adpellatur Chron. Lib. V.) Franciæ Orientalis, hoc est: Franconiæ, Bertholdi cuiusdam & Eilæ filius, Ditmari Chronographi laudati nepos, quem Arnpekhius aliique rerum Boicarum Scriptores *Henricum Hezelonem Francum* nuncupant.

Alter fuit HEINRICVS Austriæ Marchio, filius LEOPOLDI I. cognomento ILLVSTRIS, ut satis superque hactenus ostensum fuit.

Prior

V. Prior Henricus, Bertholdi ſcilicet & Eilæ filius, Franciæ Orientalis Marchio vel Comes, *Hezelo* dictus iure cognomen REBELLIS auferre potuit, ut qui propterea, quod Bavariæ Ducatum ab Henrico II. Imp. petiiſſet, nec impetraſſet, in eundem rebellionem & arma paraverit, adiuncto ſibi mox rebellionis ſocio Bolizlavo ſeu Bolislao Boliemiæ Duce, ut conſtat ex eiusdem Ditmari Chron. Lib. V. Ex quo præterea diſcimus, Henricum II. Imp. mox contra Henricum Franconiæ Marchionem, & eidem fœderatum Bohemiæ Ducem arma & expeditionem ſuſcepiſſe, quo rebelles ad obſequium & officium reduceret. *Finita namque*, inquit Ditmarus loc. cit., *quadrageſimali abſtinentia, ſicut exorſus fuit, feſtum Paſchale Quedlingaburg, anteceſſorum ſuorum more, honorabiliter Rex* (Henricus II.) *celebravit. Ibi tum iniquam præſumptionem Bolislai & aſpirationem Henrici diſſimulans, familiaribus ſuis, ut tantam feſtivitatem decebat, arriſit. .... Poſthæc Rogationum dies a Chriſti fidelibus iugiter colendos Merſeburg celebrans, de aperta Bolizlavi Ducis & Henrici Marchionis rebellione intimatum eſt .... Poſthac ad Bavariam tendens, Henricum auxilio Bolizlavi reſiſtentem primo devincere, poſteaque poſitas a longe inſidias amovere conatur* &c. *Ille REBELLIS dici potuit,*

Narrat deinde diffuſe idem Ditmarus pag. 372. & ſeq. quomodo Henricus II. Imperator omnia prædicti Henrici Comitis vel Marchionis caſtra, & oppida, in deditionem acceptis præſidiis occupaverit, *& cum beneficio late diviſerit.* Inter hæc nominantur *Amardela, Cruſni* ſeu *Cruſin, Crana*, & *Swinfurdi*, quæ loca omnia in Franconia ſita eſſe norunt eruditi.

Denique idem Ditmarus initio Lib. VI. Chron. pag. 376. edit. Leibnit. refert, Henricum rebellem Franciæ Orientalis Marchionem, facti demum pœnitentem, ad ſe reverſum, ac ab Imperatore in caſtrum Witgenſteinenſe retruſum fuiſſe. Verba Ditmari ſunt: *Henricum autem incepti multum pœnituiſſe a fidis interceſſoribus ab eo miſſis comperit* Henricus Imperator. *Quorum & maxime perchari ſuimet Tagmonis & Bernhardi Ducis ſupplicationes, etſi invitus ſuſcipiens, præfato Comiti ſuimet gratiam ea ratione indulſit, ut prædium ſibi ſuisque fautoribus & incolatum redderet: ipſum autem, quamdiu voluiſſet, in cuſtodia detineret. Henricus vero ſe nimis in omnibus culpabiliter profeſſus, more & habitu pœnitentis Regi ſe tradidit, eiusque iuſſione ab Archipræſule prædicto in caſtellum VVitganſtein detruditur, diligenterque a ſuis militibus diu noctuque ſervatur.* Ita Ditmarus. Atque hic fuit exitus Henrici Comitis ſeu Marchionis Franconiæ, Bertholdi & Eilæ filii, qui ob arma in Cæſarem mota merito vel ab ipſo Ditmaro, cuius Henricus hic nepos erat, *rebellis*, immo & *proditor* dictus fuit.

§. XXV.

Jam vero, quis non videat ab huius Henrici Marchionis rebus, res HENRICI II. AVSTRIÆ MARCHIONIS ſeparatiſſimas, longiſſimeque diſſitas eſſe? Quid, obſecro, Bertholdus & Eila Henrici Marchionis in Francia Orientali parentes ad noſtrum HENRICVM, qui patrem LEOPOLDVM I. Auſtriæ Marchionem agnoſcit? Quid Amardela, Cruſni, Crana, Swinfurdi, Franconiæ oppida, ad HENRICVM Auſtriæ dominantem? Nonne auferenda potius, ſi commeritus rebellione fuiſſet, oppida & prædia Auſtriæ? Ad hæc inter HENRICVM Auſtriæ Marchionem & Bolislaum Bohemiæ Ducem nullum unquam fœdus adverſus Henricum II. Imperatorem interceſſit. Quin contra Bolislaum rebus male cedentibus in Auſtriam confugien- *Non HENRICVS Auſtriæ Marchio.*

tem acerbe fuisse habitum, disserte sæpius laudatus Ditmarus Chron. Lib. V. pag. 270. testatur. *Bolislaus*, inquit, *quæ sola via fugæ patuit, ad HENRICVM MARCHIONEM* (Austriæ), *qui proximus ei tunc fuerat, confugiens, propter illatas sibi iniurias ab eo captus est: postmodum quia hospes eo advenerat, dimissus, ad æquivocum suum, amitæque filium, in sceleribus comparem, licet facultatibus disparem vitæ duntaxat amore perrexit.* Tantum igitur abest, ut ullum unquam HENRICO Austriæ Marchioni cum Bolislao Bohemiæ Duce fœdus aut coniunctior aliqua amicitia vel consiliorum armorumve societas fuerit, ut etiam ille de vindicandis iniuriis sibi ab altero illatis nunquam non cogitaverit, idque oblata occasione reapse exsecutus sit. HENRICI Austriæ Marchionis idem Ditmarus meminit sub finem Libri VII, ubi Sanctum Cholomannum Martyrem in eius Marchionatu, anno scilicet MXII. passum, & miraculis a Deo illustratum fuisse scribit. Neque tamen quidquam commemorat, quod fœderis cuiusdam cum Bolislao initi, vel cultæ amicitiæ suspicionem posset iniicere.

Postremo nullus unquam veterum recentiorumve Scriptorum in litteras retulit, HENRICVM II. Austriæ Marchionem ab aliquo Rege vel Imperatore ob rebellionis alicuius crimen in arcem Witgensteinensem coniectum fuisse: & qui HENRICO nostro rixas cum Henrico II. Imperatore fuisse mentiti sunt, seculum XIV. ætate non præcedunt. Igitur tenetur fabula, fitque omnino ridiculus Vitus Arnpekhius, qui Lib. IV. Chronici Baioarici cap. 15. scribere ausus est, Henricum II. Imperatorem, *Henricum rebellem Austriæ Marchionem in Mellico ad obedientiam suam & Sacri Imperii coegisse*; id quod factum omnibus retro Scriptoribus, præsertim domesticis, rem minime sivera esset, dissimulaturis, ignotum est. Atrociter itaque in HENRICVM II. Austriæ Marchionem iniurii sunt, quotquot eum cum altero Henrico Franconiæ Marchione, dicto Hezelone, inscite confundentes, cognomento REBELLEM adpellant, de cuius perenni & constanti in Cæsarem ac Imperium fide ex genuinis, veteribus ac probis monumentis constat.

Sed iam ad debellandam aliam nostrisque Principibus multo indigniorem fabulam, a recentioribus itidem Scriptoribus lepide fabricatam nos accingamus.

* * *

DISSERTATIO VI.

LEOPOLDI V. AVSTRIÆ MARCHIONIS, VVLGO *PVLCHRI*, EJVSQVE FRATRIS *ALBERTI*, COGNOMENTO *LEVIS*, FLAGITIVM INCESTVM, QVO SCILICET ALTER ALTERIVS CONJVGEM PER VIM POLLVERIT, MERAM PVTAM ESSE FABVLAM, AB IMPERITISSIMO SECVLI XIV. HOMINE CONFICTAM, PERSPICVE DEMONSTRATVR.

§ I.

QVanquam vix operæ pretium videtur, in refutanda eiusmodi absurdissima historiola, cuius falsitas & impostura vel mediocriter doctis se ipsa aperte prodit, longius immorari: cum tamen eam iam ab

Ænea

Ænea Sylvio, quod merito mireris, in Hiſtoria Friderici III. Imperatoris, a Tabularum Clauſtroneoburgenſium collectoribus, Vito Arnpekhio in Chronico Auſtriaco, Johanne Cuſpiniano in Auſtria, aliisque relatam quidem, ſed haudquaquam falſi ſatis convictam videam: haud mihi vitio vertent Lectores mei, ſi hoc argumentum funditus & diffuſius tractare, totiusque iſtius abſurdiſſimæ fabellæ vanitatem omnibus palam facere inſtituero. Poſtulant enim LEOPOLDI, ab anno Chriſti MLXXV. ad MXCVI. Auſtriæ Marchionis, cognomenti PVLCHRI cum in Eccleſiam Romanam, omnemque Patriam, tum multo maxime in noſtros Sodales, ab eo primum anno MLXXXIX. Mellicium introductos, merita ingentia, ut adeo fœdam labem, qua optimi & laudatiſſimi Principis nomen quidam Auſtriacus ſeculi XIV. Hiſtoricus, & qui eum poſt temere ſecuti ſunt, defœdarunt, ab eodem, utpote prorſus immerito quam longiſſime removeamus; atque a manifeſtis imperitiſſimi hominis calumniis integerrimum Marchionem pro virili noſtra vindicemus. Quod ut accurate exſequamur, antequam turpis illius facinoris, quod ſcilicet LEOPOLDVS PVLCHER & ALBERTVS LEVIS fratres, Marchiones Auſtriæ, alter in alterius coniugem admiſerit, integram relationem demus: neceſſarium duximus prius edocere Lectorem, quis, quantæque fidei & auctoritatis Auctor ille fuerit, qui primus ſtolidiſſimum hoc commentum ſcriptum reliquit.

LEOPOLDVS PVLCHER Auſtriæ Marchio optime de Eccleſia meritus & Republica.

§. II.

Is alius nullus fuit, quam Matthæus quidam, ſive, ut Codex Gothanus habet, Gregorius Hagenus, qui Chronicon quoddam Auſtriacum lingua vernacula ſcriptum, ſeculo Chriſti decimo quarto inclinante compoſuit, a nobis in hoc primo Scriptorum Rerum Auſtriacarum volumine, reſectis tamen inutilibus, a col. 1051. ad 1158. primum typis evulgatum. Neque enim ullum alium vel domeſticum vel exterum Scriptorem, Hageno antiquiorem ullibi reperimus, qui huius figmenti vel verbulo meminiſſet. Quod argumento eſt, poſteriores omnes, quotquot eandem fabellam referunt, eam ex illo, ceu primo informis partus parente, in ſuos libellos cooptaſſe.

A Matthæo vel Gregorio Hageno turpis flagitii primum incuſatur.

Quantum vero in referendis iis, quæ ſeculis aliquot retroactis ante ipſius ætatem in Auſtria evenerint, fidei mereatur hic Auctor, vel ex eo colligas, quod *Abrahamum*, neſcio quem, anno poſt diluvium octingenteſimo undeſexageſimo in has noſtras oras delatum, primum Auſtriæ Marchionem, incredibili fingendi licentia commentus ſit, ſerioque affirmarit, Auſtriæ hæc quondam nomina fuiſſe: *Judeisapta, Aratym, Sauniz* &c. Quæ omnia ſi auſus fuit Matthæus ſeu Gregorius Hagenus, quid mirum, ſi quid eiusmodi etiam de LEOPOLDO PVLCHRO & ALBERTO LEVI fratribus Marchionibus confinxit, præſertim cum eo rudi ſeculo ſcripſerit, quo homines inſulſis & Veneris haras redolentibus narratiunculis magnopere capiebantur, nec erat facile reperiendus, qui re ad veterum & genuinorum monumentorum fidem exacta natam ex otioſi hominis cerebro fabellam aut ſciret aut vellet convellere. Denique ſterilis & ieiuna videbatur fabulatori noſtro Hiſtoria Auſtriaca, niſi, ut fere omnium gentium, pertinacioribus amorum iris & certaminum pulveribus aliquot ſaltem paginæ perſtreperent, ſorderentque.

Sed plura de auctoris iſtius fide ac ingenio hic diſſerere neceſſum non eſt.

est. Vel solam observationem nostram præviam in eiusdem Chronicon Austriacum vide, illico hominis dotes tenebis. Fabulam potius ipsam, in qua bellulum suum ingenium vir facetus exercere voluit, in scenam producamus, novo tamen in spectatoris commodum, habitu ornatam, id est: e Germanico in Latinum conversam. En eam!

§. III.

Eius rei fabula.

Marchio LEOPOLDVS, & ALBERTVS fratres, rerum in Austria potiti sunt anno post Christi Nativitatem Millesimo & quinquagesimo secundo. Divisa inter se provincia, alter in castro Bernecensi Bernech; alter in arce Garsensi, Gars, habitabat. Erat LEOPOLDVS vir egregia forma miraque morum elegantia præditus. Qui cum die quadam forte inter prandendum cytharœdum quendam, ad se venientem, cum voluptate audisset, sublata mensa hominem large remuneratum a se dimisit. Is, ut id hominum genus assolet, cum diversas Principum aulas percursasset, Romam demum venit: ingressusque Palatium Cæsaris, ad mensem nunc voce, nunc cythara Principem demulcens, multa coram eo de LEOPOLDO Marchione prædicabat, eum inter alia cœlibem adhuc esse referens. Cæsarem his auditis, magna visendi LEOPOLDI cupido incessit: eamque ob rem Comitia Romæ indicit, mandatque, ut ædes pro adventantium Principum dignitate, LEOPOLDO autem singulare quodpiam & exquisitius conclave apparentur.

Quo cum advenisset LEOPOLDVS, Cæsar visa egregia Marchionis forma, cognitisque animi dotibus, magnam ex eius præsentia delectationem cepit. Erat forte Cæsari filia, formæ admirandæ, quam cum tenerrime amaret pater, monuit certamque fecit, ei nullum, nisi quem ipsa vellet, se maritum daturum. Cumque LEOPOLDVM & morum venustate, & corporis elegantia præstantem cerneret, ratus id, quod res suadebat, eum filiæ præprimis placiturum, eam ad se accersivit, rogans, num LEOPOLDVM ductura sit, si despondeatur? Cui cum virgo annueret, absque mora LEOPOLDVS gener Imperatoris effectus, ingenti apparatu nuptias Romæ celebrat, pauloque post, nobilissimo matrimonio auctus, & ampliſſima dote ditatus domum in Austriam revertitur.

Ibi ALBERTVM fratrem ad se amanter invitat, rogatque, ut lætum diem una secum sumere ne abnuat. Porro LEOPOLDVS, quo fratrem honorificentius excipiat, venatum cum omni familia proficiscitur, paucis tantummodo domi relictis, qui Coniugi solatio & obsequio essent. Adest interea evocatus Garsium ALBERTVS. Qui ubi LEOPOLDVM domum abesse comperit, deductus ad eius Coniugem, primum præstantem fœminæ formam demirari, tum acriori flamma incendi, postremo consilium cum suis potiundæ fraternæ coniugis inire cœpit. Cui e senibus quidam: quid est, inquit, quod ais, Domine? Satisne facinus, quod moliris, animo pensas? Vt momentaneæ voluptati vaces, perpetuo crimine, infinitaque molestia te tuamque domum involves? Contra in scelus animabant, qui aderant, adolescentuli, gratulabantur tempus & locum, diminuebant discrimen rei, ac ut animo iam nunc obsequeretur, hortabantur. Ita cupidine victus ALBERTVS vim infert mulieri, eamque mox mœrore confectam deserens cum suis Berneckium se recipit.

LEO-

LEOPOLDVS e venatione, capto cervo, reversus, cum ex iis, qui domi remanserant, fratrem advenisse, eumdemque post horulam recessisse cognovisset; Coniugem adiens, mœstam ac lecto cubantem reperit. Tum causam doloris sciscitanti marito indigna, respondet illa, deinceps sum thoro tuo, quando per vim a fratre tuo ALBERTO defforata fui. Territus nimiopere eo responso LEOPOLDVS porro instat: num facti notitia ad domesticorum & familiarium quempiam emanasset. Illa nihil aliud reponere, nisi quatuor duntaxat puellas pedisequas totidemque cubicularios in arce esse. Qui protinus a LEOPOLDO accersiti, interrogatique, quid se absente Hera sua factum esset; id unum scire se responderunt, ALBERTVM Marchionem solum solam adisse: quid porro mœroris ansam attulerit, nescire se. LEOPOLDVS omnes rem, quam illi fors postea rescierunt, clam habere iussit, intentata insuper pœna capitis ei, cuius garrulitate foras exitura esset. Ipse quoque Coniugem solatus, fratris facinus omni arte ac modo dissimulabat.

Elapsis quatuor hebdomadis ALBERTVS Garsensis itineris comites, perpetrati facinoris conscios, ad se advocans ita alloquitur: nostis, quæ mihi res cum fratris Coniuge fuerit. Equidem in spem veneram, fore, ut exinde me amplius amaret. At enim mutati eius erga me animi non desunt indicia. Litteras, mutui amoris nuntias nullas accipio. Quid si rem fratri detexisset? Tum iuvenum quispiam, ut bono animo esset, Herum iussit. Nihil a fratre mali timendum. Pudore coniugem retractum ac impeditum iri, ne scelus marito manifestet. Sed non eadem senum sententia erat, quorum non nemo, cæteris prudentia præstans Dominum commonuit, ut sibi suisque consuleret, caveretque, ne quid gravioris detrimenti suæ domui conscisceret.

Itaque ALBERTVS certum e suis hominem Garsium mittit, exploraturum, cuiusmodi erga se fratris animus esset. Re ad LEOPOLDVM delata, is hominem comiter accipit, ex eoque causam, ob quam ALBERTVS ad se nollet invisere, percontatur. Nuntius ad ALBERTVM regressus ea, quæ sibi LEOPOLDVS in mandatis dedisset, Hero renuntiat. Ibi iuvenis quidam & rerum inexpertus ALBERTI consiliarius, cum nuntium audiisset, in ceptis consiliis Dominum confirmavit, nequicquam reluctante veterano quodam Milite, qui LEOPOLDVM animi sensa ob rei magnitudinem caute tegere contendebat, mallebatque, ut ALBERTVS rebus suis opportune consuleret, & se ad propulsanda, si quæ a fratre fortassis impenderent, incommoda gnaviter pararet.

Annus interea totus, quo isthæc fiebant, evolvebatur, cum ALBERTVS filiam Ducis Poloniæ uxorem ducere decrevit, a duobus nobilibus e Bohemia & Bavaria Viris Maurbergam ingenti cum lætitia & splendore adductam. Eodem tempore LEOPOLDVS ad nuptias fratris invitatus adventum condixit, misso clam ad socerum Imperatorem nuntio, qui validam militum manum ad se adduceret. Nec LEOPOLDI precibus Cæsar defuit, qui etsi belli causam nesciret, ex Provinciis tamen Rhenana & Lombardica quot desideraverat, milites misit. His instructus Maurbergam contendit, ibique suos castrametari iubet. Die sequente, cum ALBERTVS animi causa in agrum excurrisset, LEOPOLDVS eius Coniuge vi oppressa, vicem incesto fratri rependit.

Quibus ab ALBERTO compertis, illico ad arma ventum est, cæsaque

ingenti ex utraque parte hominum multitudine commissum prælium, ex quo victor LEOPOLDVS excessit. Factum id anno MCIV.

Postea ALBERTVS, cum armis nihil proficeret, Ducis Poloniæ, soceri sui suasu & hortatu, rem omnem ad Imperatorem refert, fratre suo apud eundem in ius vocato. Nec mora: LEOPOLDVS Cæsaris mandato evocatus, suam adversus fratrem causam contuetur. Cæsar arbitros, qui litem inter fratres componerent, nominat, vocato interim ad se seorsum LEOPOLDO socero, a quo totius rei originem & seriem sibi quamprimum aperiri rogat. Quod cum ingenue feciſſet LEOPOLDVS, Cæsar eum objurgans: haud æquum erat, ait, ut facinus ab ALBERTO clam patratum, palam ulciscereris. Postremo a constitutis arbitris ea sententia lata est, ut cum delictum LEOPOLDI publicum fuerit, ALBERTI autem occultum: LEOPOLDVS ab ALBERTO flexis genibus feudum cum duodecim vexillis acciperet. Hic finis fraterni certaminis fuit. Obiit LEOPOLDVS anno post Christum natum MCX.

Hactenus narratio Matthæi vel Gregorii Hageni, quæ nunc sub criticum unguem devocata, tot pene figmenta imo deliramenta, quot verba, continere apertissime demonstrabitur.

§. IV.

Nugatur primo Historicus noster, & in ipso narrationis suæ limine gravissime offendit, dum & in designando anno Marchionatus LEOPOLDI PVLCHRI, & in nominando eiusdem fratre ALBERTO duos crassos errores errat. Neque enim LEOPOLDVS PVLCHER anno MLII. rerum in Austria potiri potuit, nec ullum unquam fratrem, cum quo Marchionatum partiretur, habuit.

Falsum est, LEOPOLDVM PVLCHRVM anno 1052. rerum in Austria potitum fuisse.

Ad annos initi a LEOPOLDO PVLCHRO Marchionatus Austriaci, quod attinet, error Matthæi vel ex eo patet, quod anno Christi MLII. unicus & solus ADALBERTVS seu ALBERTVS, cognomento VICTORIOSVS, universam Austriam gubernarit. Hic ADALBERTVS secundum Chronicon Mellicense, & Annales Hildesemenses apud Leibnitium T. I. Script. Brunswic. pag. 724. HEINRICO Marchioni Austriaco, patri suo, anno MXVIII. *subitanea morte extincto*, in Marchionatu successit, eundemque usque ad annum Christi MLVI. tenuit, ut in melioribus vetustioribusque gentis nostræ Annalibus omnibus, Mellicensibus puta, Claustroneoburgensibus & Anonymi cuiusdam e duodecimo seculo, indubie traditur. Chronici Mellicensis & Claustroneoburgensis verba subiungo: Illud col. 225. sic habet: Anno MLVI. *ADALBERTVS Marchio obiit: filius eius ERNVST successit.* Hoc vero ad eundem annum col. 438: *ALBERTVS Marchio Austriæ obiit: ERNSTO successit.* Itaque certissimum & exploratissimum est, ADALBERTVM seu ALBERTVM VICTORIOSVM, III. Austriæ Marchionem, adhuc anno MLVI. inchoato Marchionatum gessisse. Qua ergo inscitia Matthæus vel Gregorius Hagenus asserit, anno MLII. LEOPOLDVM PVLCHRVM rerum iam in Austria potitum fuisse, qui laudatis omnibus Chronicis fidem facientibus, primo post ERNESTVM, anno MLXXV. defunctum, Austriæ usque ad annum MXCVI. præfuit?

§. V.

§. V.

Porro LEOPOLDO PVLCHRO nullum fuisse fratrem, qui ALBERTVS dictus sit, æque certum est ex supra citatis iisdem vetustis Rerum Austriacarum Scriptoribus, apud quos ne littera aut apex quidem de aliquo ALBERTO Austriæ Marchione, qui frater LEOPOLDI PVLCHRI fuerit, reperitur. Nec ipse ERNESTVS Marchio, cognomento STRENVVS, pater LEOPOLDI PVLCHRI, in Diplomate Monasterio Mellicensi concesso, & in Dissertatione II. integre a nobis relato, ullum alium, præter dictum LEOPOLDVM filium agnoscit. Denique nec Auctor Anonymus Historiæ Fundationis Mellicensis, qui post Matthæum vel Gregorium Hagenum vixit, & Genealogiam Principum Babenbergico-Austriacorum post Conradum de Witzenberg Abbatem Mellicensem cæteris veracius & luculentius contexuit, vel verbo meminit ALBERTI, qui LEOPOLDI PVLCHRI frater extiterit. Quid autem sit, quod in his solus & unicus Matthæus Hagenus seculo XIV. fere exeunte noverit, omnes autem veteres, ipsumque LEOPOLDI PVLCHRI patrem latuerit? Atque vel hæc pauca satis esse possent ad omnem evertendam scenam, quam adeo imperite nobis Matthæus vel Gregorius Hagenus de mutuis LEOPOLDI PVLCHRI & ALBERTI LEVIS in coniuges flagitiis adornavit. Verum quia res LEOPOLDI hic uberius non nihil illustrandas suscepimus, in cœpto Hagenianæ fabulæ examine porro pergemus.

Ei nullus frater fuit, cui nomen ALBERTI.

§. VI.

Nugatur secundo Matthæus, Cæsarem Romæ filiam suam forma præstantem, LEOPOLDO Austriæ Marchioni desponsasse. Quis autem Cæsar iste fuerit: quod nomen filiæ, quæ LEOPOLDO in uxorem cesserit: quo denique anno isthæc omnia evenerint, alto silentio involvit, prudenter scilicet, ne proprio indicio forex olim periret. Itaque iam nos in illum Imperatorem, & nomen eius filiæ, quem LEOPOLDVS PVLCHER in uxorem acceperit, inquiremus.

Quæ uxor LEOPOLDI PVLCHRI?

Johannes Franciscus de Pavinis de Padua in Summario Canonizationis Sancti LEOPOLDI, Austriæ Marchionis, sub annum MCCCCLXXXIII. condito, & infra a col. 593. ad 672. publicato, auctor est, Cæsarem illum, cuius filiam LEOPOLDVS PVLCHER in matrimonio habuerit, Henricum II. (Germanicis nostris Scriptoribus passim III. vulgo *Nigrum* dictum) fuisse, contenditque eiusdem Cæsaris filiam & LEOPOLDI PVLCHRI coniugem ITHAM fuisse adpellatam. Nam de Sancti LEOPOLDI parentibus col. 612. agens: *illi*, inquit, *pater extitit LEOPOLDVS II, in quo singulari atque excellentissima corporis maiestate dignitas animi nulla ex parte inferior visa est. Mater vero ITHA nomine, Heinrici Secundi Imperatoris filia, mulier utique & religione ac devotione plena &c.* Francisco de Pavinis, qui, ut iam innuimus, post medium seculum XV. floruit, antiquiorem legi neminem, qui idem adsereret. Nec dubito, quin is ipse sit, quem Ladislaus Sunthaimius in Tabulis Clauströneoburgensibus, Vitus Arnpekhius in Chronico Austriaco, Johannes Cuspinianus in Austria, Wolfgangus Lazius Lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 421. sibi sequendum proposuerint. Quo deinde torrente abrepti cæteri iuniores Scriptores, eam opinionem velut omnium calculis comprobatam in vulgus propagarunt.

Num filia Henrici III. Imp.?

Refutatur ea vulgata opinio.

Verum enim vero, re accurate perpensa, omnem istam narrationem a vero quam longissime aberrare, nihilque falsius esse, quam aliquam Henrici III. Imperatoris, vulgo *Nigri*, filiam LEOPOLDO PVLCHRO Austriæ Marchioni in uxorem datam fuisse, deprehendi. Quod ut & Lectori planum faciam, ante omnia, quasnam Henricus III. uxores habuerit, quasque ac quot ex iis filias procreaverit, dispiciendum est.

§. VII.

Prima uxor, quam Henricus III. Imperator, Conradi II. filius, duxit, *Chunihildis*, Cunegundis, seu Chunigundis, alias etiam Elisdrudis vel Eliphtruda fuit, ut discimus ex Chronico Hermanni Contracti, Scriptoris æqualis, cuius apud Vrstisium ad annum MXXXVI. hæc verba sunt: *Nuptiæ HENRICI Regis.* Quæ verba sic ex codice S. Georgii in Sylva Hercynia, in alia eiusdem Hermanniani Chronici editione apud citatum Vrstisium diducuntur: *Henricus Rex, filius Imperatoris Chunihildem, Cnutonis Danorum & Anglorum Regis filiam, sibi apud Noviomagum regalibus nuptiis copulavit uxorem.* Ea in matrimonio non nisi biennium exegit testante eodem Hermanno, qui anno MXXXVIII. sic eius obitum consignat: *Eliphtruda, quæ & Cunegundis, Regina, uxor Henrici Regis, XV. Kal. Augusti, & Herimannus Dux V. Kal. Aug. in Italia cum multis aliis obierunt.* Ex hac prima sua coniuge filiam unicam habuit Henricus III. Imperator, ut auctor est Wippo de Vita Chunradi Salici Imperatoris pag. 442. ex editione Pistorii his verbis: *Regina Chunelindis, Coniux Henrici Regis XV. Cal. Augusti quasi in limine vitæ, ingressu mortis, occubuit, relinquens tantummodo solam filiolam de Rege, quam postea pater Christo desponsans in Abbatissam consecrari fecit.* Hanc Beatricem dictam, & Antistitam Quedlinburgensem factam fuisse, discere licet ex Diplomate Henrici III. Imperatoris anno 1045. dato, quod integrum exhibet Kettnerus Antiquit. Quedlinburg. pag. 165. *Tale prædium*, inquit in laudato Instrumento Henricus Imp. III, *quale habere visi sumus in locis Sinslebo & Anegrimeslebo causa dilectissimæ filiæ nostræ BEATRICIS Ecclesiæ in honore Domini nostri JESV Christi & S. Servatii atque S. Dionysii constructæ, cui prædicta filia nostra Divina munificentia nostraque benevolentia præest, regali nostra potestate & auctoritate ex nostro dominio in propriium condonavimus &c.* Ex his liquet, LEOPOLDVM PVLCHRVM Austriæ Marchionem, filiam Henrici III. Imperatoris ex primo coniugio editam haudquaquam duxisse uxorem.

§. VIII.

Altera eiusdem Henrici Imperatoris Vxor celebratur *Agnes*, Wilhelmi Pictavensis Comitis filia, in thori sociam adsumpta anno MXLIII. Ita enim scribit ad hunc annum Hermannus Contractus: *Henricus Rex iterum Pannonias cum exercitu petens ... Deinde Agnetem, VVilhelmi Pictavensis Principis filiam, Reginam apud Moguntiam urbem ungi faciens, regalibus sibi nuptiis apud Ingelnheim, villam regalem copulavit &c.* Idem ad eundem annum confirmat Lambertus Schafnaburgensis apud Pistorium T. I. Scriptorum Rer. Germ. pag. 160.

Ex hac Agnete tres filias sustulit Henricus III. Imperator, quarum prima nata est anno 1045, ut auctor est Hermannus Contractus sub finem anni

anni mox memorati ſcribens hunc in modum: *Per idem tempus regale colloquium apud Tribura conditum; gravis Regis infirmitas præpedivit: quo etiam tempore Agnes Regina filiam Regi peperit.* Eius nomen, quod Hermannus reticuit, ex eiusdem Continuatore probabiliter cognoſcimus, qui eam, utpote natu maximam Rudolpho Sueviæ Duci nuptam anno 1059. refert his verbis: *Hoc anno magna mortalitas hominum, & peſtis pecorum facta eſt ..... Rodolphus Alemannorum Dux MATHILDAM, Henrici Regis* (IV. ſcilicet eo nomine, & Henrici III. filii) *Sororem duxit in uxorem.* Liquet proinde, & nomen primæ Henrici III. Imp. filiæ veroſimiliter MATHILDÆ, & eam Rudolpho Suevorum Duci anno 1059. in matrimonium fuiſſe collocatam. Idem Continuator, anno mox ſequente, præter omnium expectationem, eandem Henrici III. filiam, & Henrici IV. ſororem præmatura morte extinctam ita teſtatur: *MATHILDAS, ſoror Regis* (Henrici IV.) *obiit.* Hinc manifeſtum evadit, LEOPOLDVM PVLCHRVM Auſtriæ Marchionem, primam Henrici III. Imp. filiam in matrimonio haudquaquam habere potuiſſe.

§. IX.

Altera filia Henrico III. Imperatori ex Agnete Auguſta nata eſt anno Chriſti MXLVII, quod ex Hermanno Contracto conſtat, qui res huius anni & varia per Orbem eventa referens, pag. 328. editionis Vrſtiſianæ ſic de Agnete loquitur: *Interea Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digreſſa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit.* Puellæ nomen nec Hermannus, nec eius Continuator, nec Lambertus Schaffnaburgenſis, nec denique Sefridus in Vita S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis apud Continuatores Bollandi Tom. I. Julii pag. 380. ſignavere. At Ebbo in eiusdem ſancti Præſulis hiſtoria a laudatis Bollandi Sociis ibidem evulgata, pag. 426. JVDITHAM adpellatam fuiſſe tradit. *Accidit forte*, inquit Ebbo, *illis diebus, ut germana ſoror Henrici Quarti Imperatoris*, JVDITHA *nomine, in matrimonio iungeretur Bolizlao Polonorum Duci.* Idem ei nomen tribui in quadam Gregorii VII. epiſtola ad eam ſcripta refert Baronius ad annum MLXXIV. apud Joh. Baptiſtam Sollerium Comment. prævii §. VI. pag. 360. ad res geſtas Sancti Ottonis Epiſcopi Bambergenſis & Pomeranorum Apoſtoli. Verum Dlugoſſus Hiſtor. Polon. Lib. IV. col. 311. eandem Henrici III. gnatam & Henrici IV. ſororem ZOPHIAM ſeu ZOPHONIAM compellat. Denique Johannes Thwroczius in Gentis Hungaricæ Chronico pag. 42. vet. edit. atque ex eo Antonius Bonfinius Rerum Vngar. Dec. II. Lib. 2. pag. 200. & Melchior Inchofferus in Annalibus Eccle. Regni Hung. pag. 412. SOPHIAM vocant. Itaque *binomiam*, ait eruditiſſimus Sollerius, *dici oportet, niſi vel Brevis Pontificii titulum, vel Dlugoſſum* (vel Scriptores Hungaricos) *erroris cogamur arguere.*

Altera Henrici III. filia Sophia vel Judita

§. X.

Sed quodecumcunque nomine hanc ſecundam ex Agnete Henrici III. filiam compellatam fuiſſe ſtatuas, illud omnino certiſſimum eſt, eam nunquam cum LEOPOLDO PVLCHRO, Auſtriæ Marchione, qui eam provinciam ab anno Chriſti MLXXV. ad MXCVI. gubernavit, matrimonio fuiſſe coniunctam.

non potuit eſſe uxor LEOPOLDI PVLCHRI.

cum fuerit primum Salomoni Andreæ Regis Hung. filio maritata,

Primo enim hæc ſecunda Henrici III. ex Agnete filia, adhuc impubes ab Henrico patre Salomoni, Andreæ Hungariæ Regis filio itidem impuberi deſponſata, poſteaque ab Henrico IV. fratre, eidem Salomoni in coniugem data traditaque fuit. De utroque hoc loco audire iuverit Lambertum Schaffnaburgenſem, accuratum & temporum illorum æqualem Scriptorem, qui ad annum MLXI. hæc de Deſponſatione Salomonis & Sophiæ, quæ & Judita, habet: *Andreas Rex Vngariorum, videns Belem quendam propinquum ſuum regnum affectare, & Vngarios a ſe paulatim ad eum deficere; uxorem ſuam & filium Salomonem, cui Imperator* (Henricus III.) *filiam ſuam parvulo parvulam deſponderat, cum multis opibus ad Regem Heinricum* (IV.) *transmiſit, petens, ut & ſibi miſſo exercitu ſubveniret, & ſuos, donec rebus tranquillitas redderetur, ſervaret.* De ipſis vero nuptiis & coniugio Salomonis & Sophiæ, non ab Henrico III. ſed IV. procuratis, idem Lambertus ad annum MLXIII. loquitur in hunc modum: *Rex Heinricus* (IV. accipe) *Vngariam cum ſuo exercitu ingreſſus, Salomonem in ſolium patris reſtituit, iuncta ei in coniugium ſorore ſua: ablatisque omnibus, quæ Regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.* Hæc Lambertus Schaffnaburgenſis, quæ cum iis conferenda ſunt, quæ ad annum MLXXIV. & MLXXVI. refert.

Etſi vero ex adductis Lamberti locis confici nequit, quo præciſe anno Henricus III. filiam ſuam Sophiam Salomoni, Andreæ Regis Hungariæ filio, futuram coniugem addixerit & deſponderit; annum tamen initi inter utrumque matrimonii, nempe MLXIII. tam certum reddunt, quam eas nuptias non ab Henrico Sophiæ patre, ſed ab Henrico IV. ſponſæ fratre fuiſſe conciliatas demonſtrant. Minus igitur accurati hic ſunt, qui Inchofferum loc. cit. ſecuti, Deſponſationi quidem Sophiæ ac Salomonis annum Chriſti MLI. nuptiis, quas Thwroczius & Bonfinius ad Moram ſeu Moravam fluvium celebratas fuiſſe ſcribunt, annum inſequentem, videlicet MLII. adſignant, quo anno Chriſti Salomonem quartum infantiæ annum egiſſe: Sophiam Henrici III. filiam intra pueritiam adhucdum conſtitutam Inchofferus affirmat.

§. XI.

Jam vero Sophiam, ſeu Juditam adhuc anno MLXXXIV. Salomoni matrimonio, quanquam haud ita, ut par erat, culto iunctam fuiſſe, pleniſſimam fidem faciunt Bertholdi Presbyteri Conſtantienſis, auctoris fidi & Synchroni Annales, a Chriſtiano Vrſtiſio primum publicati. In his enim ad dictum annum pag. 353. hæc diſſerte traduntur: *Rex Vngarorum Latislaus, patri Catholicorum aſſentaneus, æmulum ſuum Salomonem de carcere relaxatum, Ratisponam ad uxorem ſuam ire permiſit, licet ingratam. Nam nec illa nec ille coniugale fœdus ad invicem eatenus ſervaverant: imo contra Apoſtolum ſe ipſos fraudare non timuerunt. Erat autem ipſa ſoror Henrici ſæpe nominati* (Imperatoris eo nomine Quarti) *quæ & ab ipſo iam diu Ratiſponæ ſuſtentabatur, etiam antequam maritus eius captivaretur.* Ita Bertholdus Conſtantienſis.

§. XII.

Ac deinde Wladislao Poloniæ Duci.

Defuncto poſtmodum Salomone, Sophia vidua ab Henrico IV. matrimonio copulata fuit Wladislao Poloniæ Duci circa annum Chriſti MLXXXVIII,

MLXXXVIII, nuptias conciliante Sancto Ottone Episcopo Bambergensi. Constat id ex Sefrido in eius Vita Tom. I. Julii Bollandiani pag. 380. ubi de Wladislao de secundis nuptiis cogitante ita scribit: *Primo autem cœpit apud se ille tractare, deinde consilium habere cum aliis, postmodum ipsum Ottonem ad consilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque Otto de maiestate ac potentia Romani Imperii, & de antiqua & clarissima Regis* (Henrici IV.) *prosapia pauca præmittens, de viduitate sororis eius, dominæ viduæ* (Juditæ seu Sophiæ) *quodque eam Imperator dignis thalamis sociare volens, totius curiæ ac Principum super hoc consilium expectaret, plurima subiunxit, felicem fore affirmans, cui tantæ pulchritudinis thorus contingeret.* Tum narrat, a Wladislao Duce missum Ottonem Episcopum ad Henricum Imperatorem, eius sororem in sponsam petiturum. A quo cum benigne auditus fuisset, *fit*, pergit Sefridus, *contractui locus & tempus, remittuntur nuntii magnis cumulati muneribus, ingens utrimque apparatus, pro personarum dignitate, nuptialibus rebus componitur. Duce igitur optatis thalamis potito, maior iterum gratia Ottoni accessit &c.* Vide de his plura apud Dlugossum Hist. Polon. Lib. IV. col. 311.

Ea Sophia distinata est a Sophia Belæ Regis Hung. filia.

Obiter hic advertimus, insigniter falli Thwroczium & Antonium Bonfinium, qui Sophiam Salomonis Regis coniugem, & Henrici IV. Imp. sororem, una cum socru sua in Agmondensi seu Admontensi Styriæ Cœnobio vita decessisse, ibidemque reconditas esse commenti sunt. Nimirum hi Scriptores Belæ Regis Hungariæ filiam, etiam *Sophiam* dictam confuderunt cum *Sophia* Salomonis Regis uxore, quarum illa, non hæc, in dicto Monasterio Benedictino, spretis Henrici, filii Conradi III. Imperatoris connubiis, exacta sanctissime vita decessit. Qua de re insigne Chronicon Admontense MS, quod Deo dante in secundo Tomo proferemus, sic habet: *Anno MCL. Per idem tempus Sophia Vngarorum Regis Belæ filia, a filio Chunradi Regis desponsata, & regaliter ipsi cum inæstimabili pecunia transmissa, Mundo quod suum est diligente, scilicet bona temporalia, & fidem & veritatem negligente, prædicta Regina regnum cœleste pro terrestri commutavit. Consilio namque & auxilio Comitissæ Ratisponensis Liukardis, Admuntense Monasterium expetiit, & cum sacris Virginibus humillima conversatione cœlibem vitam deinceps duxit.* Pluribus hæc quoque refert Sefridus in sæpe citata Vita Ottonis Ep. Bambergensis apud Bollandianos Tom. I. Julii a pag. 421. & seq.

Porro autem, quis adeo mente captus est, ut ea, quæ hactenus de Sophiæ seu Juditæ, secundæ Imperatoris Henrici III. filiæ fortuna scripsimus, vel obiter legens animum inducere queat, ut credat, eam ad LEOPOLDI PVLCHRI, Austriæ Marchionis coniugium unquam adspirasse?

§. XIII.

Nec tertia Henrici III. filia Adelheidis LEOPOLDI coniux esse potuit.

Sed non minus liquidum est, nec tertiam Henrici III. Imp. ex Agnete filiam LEOPOLDI PVLCHRI uxorem esse potuisse. Eius nativitatem Hermannus Contractus anno MXLVIII. his verbis consignat: *ipsis etiam diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit.* Eius nomen, quod Hermannus & Bertholdus Constantiensis dissimulant, ADELHAIDIS fuisse ferunt. Ad hæc Parthenoni Quedlinburgensi præfuisse docent nos idem Bertholdus & Auctor Chronici Halberstadensis. Prioris ad annum MXC. hæc verba sunt: *Eggebertus quoque Marchio de Saxonia, in causa S. Petri strenuus, dolo cuiusdam Abbatissæ a Quintileninburc, sororis, inquam, Heinrici regis, ut aiunt, per*

insidias occiditur. Posterior apud Leibnitium Tom. II. Scriptor. Rer. Brunswic. pag. 125: *affuit quoque dedicandæ Dei aulæ* (Ecclesiam Halberstadensem anno MLX. incendio deformatam, sed a Burchardo Episcopo anno demum MLXXI. restauratam intellige) *Serenissima Domina Bertha Regina cum præclara matertera sua Irmengarde Ducissa, & sorore Regis* (Henrici IV.) ADELHEIDE, *Quedlinburgensis Ecclesiæ Abbatissa &c.* Quod si vero Adelheidis anno MLXXI, ut vidimus, Deo consecratarum Virginum Antistes fuit, cui in mentem veniat, eam LEOPOLDO PVLCHRO, qui anno MLXXV. Austriæ Marchionatum auspicatus fuit, tandem in uxorem cessisse?

§. XIV.

Nec Beatrix, quæ fictitia videtur,

Scio tribus hisce Henrici ex Agnete filiabus etiam quandam Beatricem a quibusdam recentioribus accenseri, contendique, eam Parthenonis Gandersheimensis Abbatissam extitisse. Verum præterquam quod hi Scriptores eam Beatricem cum alia cognomini filia Henrici III. Imperatoris, quam ex prima coniuge Chunigunde, seu Chunichilde, vel Chunelinde suscepit, ut supra diximus, vel saltem cum Beatrice eiusdem Imperatoris sorore manifeste confundant: hæc opinio Matthæum vel Gregorium Hagenum, Franciscumque de Pavinis adeo non iuvat, ut eosdem etiam omnino pessumdet. Nam cum omnes Beatricem illam Abbatissam fuisse affirment, sive ea Abbatissa Gandersheimensis sive Quedlinburgensis, sive Gandersheimensis simul & Quedlinburgensis extiterit, eam thoro LEOPOLDI PVLCHRI fuisse incommodam nemo non videt. Igitur cum præter a nobis memoratas Henrici III. Imp. filias de nulla alia veteres recentioresque Scriptores somniaverint, interque illas nulla ITHA, quo nomine LEOPOLDI coniugem fuisse dictam nostri auctores omnes contendunt, occurrat: palam est, meram fabulam esse, quæ de LEOPOLDI PVLCHRI uxore, ex Henrici III. Imp. domo adoptata, a Matthæo vel Gregorio Hageno, & Francisco de Pavinis narrantur.

Nec ulla omnino ex Henrici III. filiabus.

§. XV.

Nec denique filia Henrici IV. Imp.

Quod si quis pro Matthæo vel Gregorio Hageno contendat, eum, ubi cuiusdam innominati Cæsaris filiam LEOPOLDO PVLCHRO, Austriæ Marchioni datam in uxorem scribit, nequaquam Henricum III, sed IV. innuere; næ is, dum charybdim vitare vult, in Scyllam incidit. Nulla enim Henrico IV. Imperatori filia fuit, quæ LEOPOLDO PVLCHRO matrimonio iungi potuit, eaque ipsa, AGNES nomine, quam unicam habuit, primum Friderico ex Comite de Hohenstauffen Sveviæ Duci ab ipso patre in coniugium tradita, postea Friderico mortuo in manus LEOPOLDI PII seu Sancti, Austriæ Marchionis, LEOPOLDI PVLCHRI filii convenit. Rem omnem totidem fere verbis testatam facit ipse Henricus IV. Imperator, quem ad Fridericum conversum, sic loquentem inducit Otto Frisingensis Lib. I. de Gestis Friderici I. Imperatoris cap. 8 edit. Vrstisianæ: *neque enim priorum meritorum tuorum immemor existo, nec futurorum ingratus ero. Filiam quippe, quam habeo unicam, tibi in matrimonio sortiendam tradam, Ducatumque Suevie, quem Bertolfus invasit, concedam. Sic itaque prædictus Fridericus Dux simul Suevorum & gener Regis factus ad propria rediit &c.* Idem Otto capite 10. eiusdem Libri pag. 413. ubi de secundis AGNETIS cum LEOPOLDO PIO seu Sancto nuptiis agit, ita scribit: *Mortuo Alemannorum Duce Friderico, AGNE-*

TEM

TEM, ab ipso viduatam frater suus Henricus (eo nomine V.) *Imperatoris Henrici* (IV.) *filius in sua suscepit, eamque* LEOPOLDO *Orientali Marchioni* (*quod alias a nobis plenius dictum est*) *in uxorem dedit.* Hæc Otto Frisingensis Episcopus; quo nemo accuratius matris suæ genus & familiam noverit. Cæterum AGNETIS cum LEOPOLDO PIO nuptias anno MCVI. fuisse celebratas, tam ex Mellicensi quam ex Claustroneoburgensi Chronicis constat, quorum verba vide sis infra col. 227. & 440.

Frustra igitur in tuendo Matthæo vel Gregorio Hageno sunt, qui eius narrationem non de quadam Henrici III. sed Henrici IV. filia, LEOPOLDO PVLCHRO in coniugium tradita intelligendam volunt, nisi etiam concedant, LEOPOLDVM PIVM seu Sanctum, LEOPOLDI PVLCHRI filium propriam matrem uxorem duxisse, quo nihil absurdius aut scelestius de tantæ sanctitatis Principe potest excogitari.

Itaque sive Matthæo vel Gregorio Hageno, dum scripsit Cæsaris cuiusdam filiam LEOPOLDO PVLCHRO nuptam fuisse, de Henrico III, sive de Henrico IV. Imperatoribus (alterutrum enim intelligere debuit, cum Marchionatus LEOPOLDI PVLCHRI ab anno MLXXV. ad MXCVI. Austriam gubernantis, in utriusque Imperatoris tempora inciderit) sermo fuit: utrobique reus tenetur, fitque luce meridiana clarius, omnem illam Imperatoriarum nuptiarum a LEOPOLDO PVLCHRO Romæ concelebratarum pompam nihil esse aliud, quam inanissimam fabellam, quæ ex otiantis ingenii machina prodierit.

§. XVI.

Sed omnium tamen Austriacorum Scriptorum calculo certum est, dicat non nemo, uxorem LEOPOLDI PVLCHRI fuisse ITHAM adpellatam. Quod si vero ea nec Henrici III, nec Henrici IV. Imperatorum soboles fuit, ex quibus tandem parentibus aut quo genere orta est? Imo idem ipsum & ego aio, confirmoque nihil exploratius esse, quam LEOPOLDI PVLCHRI uxorem ITHAM dictam fuisse. Sed quam certum est eius nomen, tam incertum genus parentesque, Historicis qua domesticis qua extraneis, qui seculo XV. superiores extitere, ea omnia penitus reticentibus. Ego sane, quidquid ea gratia contenderim, necdum in eorundem cognitionem venire potui. Itaque genus & familiam ITHÆ, certissimæ LEOPOLDI PVLCHRI uxoris, & Matris LEOPOLDI PII seu Sancti me omnino nescire ingenue profiteor. *Sed ITHA*

§. XVII.

Quod si tamen hariolari liceat, videtur nostra ITHA non aliunde quam ex GVELFORVM, GWELFONVM, seu WELPHONVM stirpe oriunda, fuisseque filia GVELFI, id nominis Quarti, primi ex ea familia Bavariæ Ducis. Suspicioni & coniecturæ nostræ occasionem præbet *Historia de GVELFIS*, scripta a Ladislao Sundheimio, Canonico Viennensi in Austria anno MDXV, quam Leibnitius Tom. I. Scriptorum Brunswic. a pag. 800. ad p. 806. edidit. In hac Historia pag. 803. de WELPHONE IV. sequentia ad verbum referuntur: *VVELPHO Quartus eius nominis, filius Dominæ Cunitzæ Comitissæ de Altdorff, & Azonis Marchionis Estensis eius mariti: ex quibus hic VVELPHO habuit Comitatum Altdorfensem. Hic per Hainricum Quartum eius nominis Romanorum Imperatorem fuit Dux Bavariæ factus anno Christi 1071. IVDI-* *Forte filia GVELFI seu GVELPHONIS IV. Bavariæ Ducis.*

THA eius uxor, filia Balduini Comitis Flandriæ & relicta regis Angliæ..... Et ipse VVELPHO obiit in Cypro ibidem sepultus..... Ossa eius de Cypro ad Monasterium Weingarden *translata per aulicos suos, quorum plures in Terra Sancta capti atque obtruncati sunt; ex Comitibus sui itineris videlicet Thiemo Salzburgensis Præsul captus obiit.* Tum proxime hæc subiunguntur: *ITHA eius uxor, Divi LEOPOLDI Marchionis Austriæ mater a Saracenorum quodam Principe rapta, Alexium, sceleratissimum Græcorum Cæsarem genuit, qui Christianis plura mala intulit.* Hactenus verba Sundheimii, in quæ tamen atrocius quoddam erratum vel typographorum incuria, vel Leibnitiani Amanuensis lapsu, vel ipsius Sundheimii oblivione irrepsisse vix dubitem, persuasumque habeam pro: *ITHA uxor eius*, reponendum & legendum: *ITHA filia eius*: scilicet WELPHONIS IV, *Divi LEOPOLDI Marchionis Austriæ Mater.* Id enim ni fiat, nemo facile assequetur, quid sibi ea verba: *uxor eius* velit. Neque enim ad ipsum WELPHONEM sic referri possunt, ut ITHA eiusdem uxor fuerit, cum paulo ante Sundheimius JVDITHAM, filiam Balduini Comitis Flandriæ & relictam Regis Angliæ uxorem laudati Welphonis fuisse affirmaverit. Porro ex dictis consequitur, ITHAM, LEOPOLDI PVLCHRI Marchionis Austriæ indubitatam apud omnes coniugem, WELPHONIS IV. Ducis Bavariæ filiam extitisse, proindeque non e stirpe Imperatoria Henrici III, vel IV, sed ex amplissima potentissimaque veterum WELPHONVM Domo deducendam esse. Nec quidquam me, quo minus immote huic opinioni adhæream, remoratur, nisi quod paulo antiquioribus in re tam veteri testimoniis destituar. Certe de GWELPHICA ITHÆ origine nec pervetus Anonymi Weingartensis de Guelfis Principibus Chronicon, itidem a Leibnitio evulgatum, nec ipse Sundheimius in Tabulis Claustroneoburgensibus, ubi genus & familiam ITHÆ iterum recenset, nec ullus alius, quem quidem viderim, veterum recentiorumve Scriptorum quidquam commemorat. Vt adeo in hac controversia, quæ scripsi, ampliorem vim, quam meræ coniecturæ, apud quemquam nolim obtinere. Sed de secundo Hagenianæ fabellæ capite satis. Reliqua nunc absolvamus.

§. XVIII.

Reliqua fabulæ Hagenianæ expenduntur.

Nugatur tertio Matthæus vel Gregorius Hagenus, cum narrat, LEOPOLDVM PVLCHRVM cum Cæsaris filia nuper ducta Roma Garsium in Austriam reversum, ALBERTVM LEVEM, fratrem ad se invitasse, ut una lætum diem sumerent. ALBERTVM interea, cum LEOPOLDVS venationi indulgeret, fraternæ coniugis amore exarsisse, eidemque vitium per vim obtulisse. Nec multo post LEOPOLDVM cognito fratris flagitio, ultionem meditatum, par scelus in uxore fratris ALBERTI executum. Ortum inde gravissimum inter utrumque bellum, & fraternis aciebus ad Maurpergam collisis, plurimum utrimque humani sanguinis effusum, idque acerrimum prælium anno MCIV. accidisse. Re denique ad Imperatorem delata, ab arbitris pronuntiatum, ut LEOPOLDVS feudum Austriæ a manu fratris ALBERTI de genu acciperet. Ita demum litem omnem inter utrosque compositam confectamque fuisse. LEOPOLDVM ad extremum anno MCX. obiisse. Hic Epilogus est fabulæ ineptissime cœptæ, qui non minus fœdis erroribus & parachronismis riget, quam eiusdem Prologus, ut patebit.

§. XIX.

§. XIX.

Occasio fabellæ de prælio LEOPOLDI PVLCHRI ad Maurpergam.

Nempe dudum celebris fuerat Maurperga, veteribus *Muoriberch*, *Moriberch*, & *Mauriberch*, hodie Meilperg, arx Austriæ transdanubianæ, clade LEOPOLDI PVLCHRI hinc occasio fabellæ. Ast ibi nulla cum fratre ALBERTO pugna, longe alia belli ac prælii causa, annus cruenti eventus vehementer ab eo, quem consignat Hagenus, discrepans, denique res tota diversissima. En veram LEOPOLDINÆ illius cladis historiam & rationem. An. MLXXXI. LEOPOLDVS PVLCHER Austriæ Marchio, Altmannus Episcopus Patavienſis aliique Principes ab Henrico IV. Imperatore ob motum Ecclesiæ bellum discessionem fecerant, cum potentiores quique per Imperium Proceres iam ab anno MLXXIII. ab eiusdem Henrici fide deficere cœpissent. Ita Chronicon Clausteroneoburgense col. 439: *MLXXXI. Altmannus Patavienſis Episcopus, Marchioque LIVPOLDVS, aliique plures Principes iurabant in unum contra Regem Haimricum.* Idem legas in Salisburgensi, Zwetlensi, vetustiori, aliisque hoc volumine contentis Chronicis.

Clades LEOPOLDI a Bohemis & Bavaris ob fidem Ecclesiæ servatam.

Re comperta Henricus Imperator Wratislao II. Bohemiæ Duci in mandatis dat, ut in Austriam cum exercitu irruens LEOPOLDVM Marchionem in ordinem redigat. Quod cum LEOPOLDVS resciisset, collecto & ipse exercitu Conrado, Wratislai fratri, qui Bavaros quoque auxiliares adducebat, obviam processit, commissoque acri ad Maurpergam prælio, maxima clade a Bohemis affectus fugatusque est; id quod accidit anno Christi MLXXXII. IV. Id. Maji feria V, ut est in Annalibus Mellicensibus, vel ut habet Chronicon Clausteroneoburgense VI. Idem Chronicon memoratum prælium col. 440. refert his verbis: *MLXXXII. Hoc anno IV. Id. Maji, feria VI, Chunradus Dux Boëmorum auxilio Bawarorum, cum Marchione Austriæ LIVPOLDO ad Mauriberch bellum iniit, & cum maxima Orientalium hominum* (id est: Austriacorum) *cæde terminavit, & Marchionem ad fugam compulit.* Et Anonymus B. Altmanni Biographus num. 25. col. 126: *Interea Marchio LIVPALDVS coadunatis primoribus sui regiminis in villa, quæ TVLNA dicitur, dominium Heinrici tyranni iureiurando abnegat, Altmannum Præsulem magnis laudibus prædicat, omnes fautores Heinrici de sua potestate expellit, omnes Apostolicæ Sedi, & eius legato obedientes totis armis defendit. Vnde Heinricus ira succensus, Marchiam LIVPALDI tradidit Duci Boëmiorum, instigans eum ad odium Christi bellatorum. Dux vero animo crudelis, collectis Sclavis & Bawaris, fines Altmanni & LIVPALDI hostiliter intrat, cuncta igne & ferro vastat. Cui LIVPALDVS cum omni populo suo in loco, qui Muoriberch dicitur, occurrit, eum ultra progredi non sinit. Ibi instructa acie, utrimque tubis clangentibus, primitus cum telis & pilis concurrunt, deinde gladios cominus stringunt. Ingens ibi certamen magnis viribus geritur, multus utrimque populus saucius sternitur. Tandem occulto Dei iudicio hostis victoria potitur. Nostrates victi fugam ineunt, quos adversarii insequentes, passim per campos cædentes sternunt, alios captivos cum præda abducunt, totam terram illam in solitudinem redigunt* &c.

Eadem pressius & concisius ab aliis nostræ gentis Scriptoribus, hic evulgatis, enarrantur. Vetus tamen Chronographus Wirtzburgensis, quem Stephanus Baluzius Miscellan. Lib. I. a pag. 501. ad 519. in lucem emisit, istud bellum anno MLXXXI. his verbis consignat: *belli inter LVIPOLDVM Marchionem & Cuonradum fratrem Ducis Boëmiæ IV. Id. Maji.* Sed sive id LEOPOLDI PVLCHRI prælium & accepta clades anno MLXXXI. sive MLXXXII. evenerint, quis non oculis suis videt, alia omnia tristem illum eventum antecessisse ac secuta fuisse, quam quæ fabulator noster somniavit? Quis non advertit, belli, in quo succubuit LEOPOLDVS, facem nequaquam iniuriam fraternæ coniugi illatam, sed solam servatam Ecclesiæ fidem extitisse? Verum tœdet confutandæ insciti ssimæ fabellæ longius immorari, cuius impostura omnibus prope vestigiis se ipsa prodit. Nec ego tantum debellando adeo informi monstro unquam tribuissem, nisi eandem rem non sine maxima tanti Principis ignominia a pluribus recentioribus serio narrari animadvertissem.

§. XX.

Leopoldi Pulchri pietas & de Ecclesia merita.

Et profecto mirum maximum est, nostris temporibus potuisse homines etiam doctos reperiri, qui non solum inficetissimæ Matthæi vel Gregorii Hageni narrationi fidem haberent, sed eam suis quoque commentariis ceu rem posterorum memoria dignam inferrent: id quod aliunde profectum non est, quam ex veterum æqualium subæqualiumque Scriptorum, qui LEOPOLDVM PVLCHRVM longe aliis nobis coloribus depinxere, neglectu. Sane B. Altmannus ex Henrici III. eiusque Augustæ Coniugis Agnetis Capellano Episcopus Patavienſis, vir

ut,

ut Lambertus Schaffnaburgenſis ad annum MLXXVI. teſtatur, *Apoſtolicæ converſationis & magnarum in Chriſto virtutum*, in Litteris Fundationis Monaſterii S. Nicolai prope Pataviam anno MLXXIV. datis, apud Hundium Tom. II. Metrop. Salisburg. pag. 530. de LEOPOLDO noſtro ita loquitur: *Dominum vero LEVPOLDVM, PIISSIMVM MARCHIONEM Terræ Auſtralis, ſuper curiam in Mautern, & ſuper omnia prædia & decimas eorum, videlicet in Ruſt, in Eitzendorf . . . item circa prædia circa Yhſam & in Machlaut ſita, & ſuper curiam in Intheim, & generaliter ſuper omnia prædia eorum, quocunque loco, ſuperius vel inferius, in ſui Marchionatus diſtrictu poſita, de bono & maturo conſilio perpetuum ſtatuimus Advocatum.* Et poſt paulo: *Ipſe vero illuſtriſſimus Marchio tanquam PIVS & DEVOTVS oblatam ſibi Advocatiam oculo gratuito in ſuæ poteſtatis dominium ſuſcipiens ad incrementum noſtræ novæ plantationis, ita ut dici poſſet, etiam eſſet noſter* COMPLANTATOR, *abſolvit & exemit de maturo conſilio ſuorum nobilium Baronum eandem Eccleſiam per omnem diſtrictum ſui Marchionatus, in terris & in aquis* &c. Ita Altmannus, maximum Eccleſiæ ſui temporis lumen de LEOPOLDO PVLCHRO ſentiebat.

Altmanno iuvat adiungere Bertholdum Presbyterum Conſtantienſem, Auctorem gravem & LEOPOLDO PVLCHRO, quem ipſe LVTOLFVM adpellat, coætaneum. Is Marchionis noſtri obitum anno Domini MXCV.; quem Auſtriaci Scriptores in ſequentem reiiciunt, conſignans his verbis utitur: *LVTOLFVS ditiſſimus Marchio de Orientali regno*, id eſt, Auſtria) *IN OAVSA SANCTI PETRI FIDELISSIMVS CONTRA SCHISMATICOS, diem clauſit extremum. De cuius obitu quantum Catholici doluerunt, tantum adverſarii ſanctæ Eccleſiæ gaviſi ſunt.* Bertholdum nihil honorificentius de LEOPOLDO PVLCHRO ſcribere potuiſſe, facile agnoſcent, qui perturbatiſſimum illius temporis ſtatum, & ſæviſſimas Eccleſiæ procellas in animum revocabunt. Denique inſtar infinitorum LEOPOLDI PVLCHRI laudatorum unus eſt eius filius LEOPOLDVS PIVS, quo nihil unquam integrius, nihilque ſanctius Auſtria vidit. Atque hic tantus Eccleſiæ Catholicæ Defenſor, tantus virtutis & diſciplinæ ſeverioris æmulator, tantus Schiſmaticorum terror, tanti denique filii Pater, auctor fuerit & perpetrator flagitii, cuius exemplum nec apud Scythas nec apud Troglodytas facile reperias? Id nemo ſibi unquam perſuaderi patietur, niſi apud quem amplius Romanarum fabularum ludibria, quam recta ratio, veterumque ac proborum Scriptorum auctoritas obtinebunt.

§. XXI.

Retractatio.

Porro hæc magnam partem Lipſiam typis excudenda iam miſeram, cum ecce adeſt Reverendus frater, Vindobona redux, afferens mihi a Perilluſtri & Ampliſſimo Domino Franciſco Ignatio Albrecht ab Albrechtsburg, S. R. I. Equite, ac in Excelſo Regimine Auſtriæ Inferioris Conſiliario, Viro Auſtriacæ Hiſtoriæ uno omnium ſcientiſſimo, noſtrorumque ſtudiorum fautore Maximo, Libellum ita inſcriptum: Herren Janſen Ennechelß Fürſtenbuch von Steyrland vnd von Oſterland, id eſt: Domini Johannis Ennenchelii Liber Principum Styriæ ac Auſtriæ. Hunc Auctorem de nomine mihi hactenus ex Itinere Cellenſi Petri Lambecii ſolummodo cognitum, cum hortante fratre avide attenteque evolverem, non ſine ſtupore deprehendi, fabellam de LEOPOLDO PVLCHRO & ALBERTO LEVI, hucusque convulſam & debellatam eodem plane modo ab Ennenchelio verſibus ſeu rhythmis Germanicis decantari, quo proſa oratione a Matthæo vel Gregorio Hageno denarratur. Itaque cum Ennenchelius temporibus FRIDERICI BELLICOSI, ab anno MCCXXX. ad MCCXLVI. Auſtriæ Ducis, vixiſſe ſe ipſe innuat, atque adeo amplius integro ſeculo Matthæum vel Gregorium Hagenum anteceſſerit: eruditum Lectorem monemus, rogamusque, ut ea, quæ in Matthæum necdum viſo Ennenchelio diximus, in hunc ipſum Ennenchelium ceu propudioſæ huius fabulæ, niſi & in hoc ipſo fallimur, auctorem & primum fabrum dicta accipiat. Eandem æquitatem, ut Matthæo, quem alius inſulſæ de rhenone bubulo HENRICI I. Auſtriæ Ducis hiſtoriolæ auctorem putavimus & infra a col. 1049. ad 1052. confutavimus, præſtes, optamus. Idem enim figmentum totidem verbis apud Ennenchelium extat, quem in ſequente volumine poſt Hieronymum Megiſerum, qui eundem anno 1618. Linzii apud Johannem Blancken in minori forma evulgavit, ſecundis typis donabimus. Nunc his fruere, ac, ſi & alibi nos ceſpitaſſe deprehenderis, homines, & quidem neceſſario his ſtudiis otio deſtitutos nos eſſe memineris.

Auctor refutatæ fabulæ non fuit Matthæus vel Gregorius Hagenus, ſed Johannes Ennenchelius, centum annis Matthæo antiquior.

AVCTOR

AUCTORIS INCERTI BREVE CHRONICON LAUREACENSIUM ET PATAVIENSIUM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

NUNC

PRIMUM EX COD. MS. INSIGNIS MONASTERII ZWETHALENSIS, ORD. CISTERCIENSIS, IN LUCEM PRODUCTUM.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I.

EX geſtis Laureacenſium & Patavienſium ſeu Paſſavienſium Antiſtitum, intra quorum diœceſim & Noricum Ripenſe, id eſt hodierna Superior & magnam partem Inferior Auſtria, conſiſtebat, Hiſtoriæ Auſtriacæ multum lucis accedere, neminem eſſe puto qui dubitet. Quæ cauſſa fuit, ut pauca hæc Monumenta, hactenus inedita (neque enim omnia, quæ huc ſpectare probe noveramus, conſequi potuimus) quæ eorundem Præſulum actis amplius vel illuſtrandis vel emendandis conducere videbantur, Rerum Auſtriacarum Scriptoribus præmitteremus. Ante vero quam id facere aggrediamur, haud ab re fuerit, de Laureacenſis urbis antiquitate, &, qua quondam nobilitata fuerat, Sedis Archiepiſcopalis dignitate, quaque demum ratione eadem Pataviam ſeu Paſſavium translata fuerit, quædam breviter adnotaſſe.

II. Laureacum ſive Lauriacum, Norici Ripenſis olim caput nobilemque Romanorum Coloniam, quam ſub Præfecto ſuo Legio ſecunda cognomento Italica obtinuerat, extitiſſe, ex Notitia Utriusque Imperii, Antonini Itinerario & Dione Caſſio perſpicuum eſt. Quin etiam ex eadem Notitia ſatis conſtat, Romanos eo loci Claſſem fluvialem a proprio itidem Præfecto curatam habuiſſe, quæ Barbaros, ex adverſa Danubii ripa hoſtile quid forſan tentaturos, tranſitu fluminis prohiberet. Perſtitit Laureacum ad annum usque fere CCCCLXXXII, quo Sanctus Severinus Monachus, poſteaquam Noricorum Vindelicorumque populos ſaluberrimis monitis ad meliorem frugem fuiſſet cohortatus, eorumque provincias mira vitæ ſanctimonia ac prodigiis illuſtraſſet, e vivis exceſſerat. A cujus obitu, ut longe ante Vir Sanctus eventurum prædixerat, primum a Rugis, tum ab Herulis (quorum Rex Odoacer per fratrem ſuum Aonulphum, teſte Eugippio in Vita S.

Severini, Romanos omnes ex Norico migrare juſſerat) aliisque ferocibus populis crebris incurſionibus atteri vaſtarique cœpit, dum demum circa annum DCCXXXV, ut Wig. Hundius in Metropoli Salisburgenſi tradit, ab Hunnis & Avaribus funditus exciſum deletumque fuit: Cujus veſtigium etiam nunc ſupereſſe in exiguo vico *Lorch* ſive *Lorich*, qui ante muros urbis Aniſiæ Anaſive, vulgo nunc *Ens* appellatæ, ſitus hodieque viſitur, Wolff. Lazius, V. C. Petrus Lambecius, Chriſt. Cellarius aliique obſervarunt.

III. In hanc præſignem quondam urbem jam inde ab Apoſtolorum temporibus Chriſtianam Religionem invectam fuiſſe, in eaque Sedem Archiepiſcopalem ſeu Metropolitanam (ſaltem quinto Chriſti ſæculo) viguiſſe, colligere licet ex epiſtola S. Symmachi ab anno 498. ad 514. Romani Pontificis, quam is dederat ad Theodorum id nominis I. Laureacenſem Archiepiſcopum, in hæc omnino verba. *Symmachus S. Apoſtolicæ Sedis Dei gratia Epiſcopus, Reverendiſſimo & Sanctiſſimo fratri Theodoro S. Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Diebus vitæ tuæ Pallii uſum, quem ad Sacerdotalis officii decorem, & ad oſtendendam unanimitatem, quam cum B. Petro Apoſtolo univerſus grex Dominicarum ovium, quæ ei commiſſæ ſunt, habere non dubium eſt, & ab Apoſtolica Sede, ſicut decuit, popoſciſti. Quod, utpote ab eisdem Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ, majorum more libenter indulſimus, ad oſtendendum te magiſtrum & Archiepiſcopum, tuamque Sanctam Laureacenſem Eccleſiam provinciæ Pannoniarum fore metropolitanam. Idcirco Pallium, quod ex Apoſtolica caritate tibi deſtinavimus, quo uti debeas ſecundum morem Eccleſiæ tuæ, ſolerter admonemus &c.* Integram hanc epiſtolam cum aliis videſis apud Wolff. Lazium lib. XII. de Rep. Rom. cap. 5. p. 1075. & Wig. Hundium in Catalogo Laureacenſ. & Patav. Epiſcoporum edit. Chriſt. Gewold. pag. 289. Dignitas iſtæc metropolitana Laureaci tenuit usque ad annum circiter DCCXXXV, quo Laureacenſi urbe ab Hunnis Avaribusque penitus eversa, Vivilo ſeu Wivilo Laureacenſis Archiepiſcopus Cathedram ſuam transferre coactus, primus omnium deceſſorum ſuorum fuit, qui apud Patavienſem urbem ſedem ſuam Pontificalem, munificentia & liberalitate Otilonis Bavariæ Ducis, conſtituit. Id quod manifeſtum fit ex diplomate Arnolfi Imperatoris, Wichingo Patavienſi Præſuli anno 898. conceſſo, quo idem Imperator varia privilegia & immunitates Eccleſiæ Patavienſi a Majoribus ſuis factas, ratas habet. Diploma, quod a Gewoldo in Notis ad Hundium pag 349. integrum refertur, quatenus huc facit, heic adſcribo. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Arnolfus Divina favente Clementia Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ ..... Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, induſtria, quod Vichingus Patavienſis Eccleſiæ Præſul venerandus obtulit nobis authoritates immunitatum, piæ recordationis Caroli atque Ludovici, Sereniſſimorum videlicet Imperatorum, in quibus continebatur inſertum, qualiter ipſi prædictam Sedem, quam Vivilo quondam Sanctæ Eccleſiæ Laureacenſis Archiepiſcopus, poſt excidium & miſerabilem Barbarorum devaſtationem ejusdem Laureacenſis Eccleſiæ, nuſpiam alibi inventa ſuæ tuitionis ſecuritate, primus epiſcopavit, Otilone ſtrenuo Duce Bavarorum concedente &c.* Quibus concinit anonymus ille Poeta, qui ſub initium ſæculi IX vixit, in Carmine *de Ordine Conprovincialium Pontificum*, a me inferius exhibendus. En Poetæ verſus:

Pattavienſi ergo Sedi eſt hæc aula dicata,
Quam tenuit primo Vivolus jam ipſe ſacerdos.

IV. Ex

IV. Ex his revincas Annales Patavienſes, Succinctum item Catalogum, nec non Breve Chronicon Laureac. & Patavienſ. Epiſcoporum, (quod poſtremum in hac noſtra Collectione primo loco proferemus.) in quibus quatuor omnino Antiſtites Vivilone ſuperiores Pataviæ ſediſſe perhibentur. Cæterum quam fortunam Vivilonis ſucceſſores deinceps ſubierint, Arnone in primum Archiepiſcopum Salisburgenſem creato ſub annum 796. aut biennio poſt a Leone Papa III, quæque ejus rei cauſſa Patavienſes inter & Salisburgenſes Præſules exortæ ſint contentiones & pugnæ, pluribus commemorat Hundius, & qui eum multis partibus auctiorem edidit Gewoldus, quos conſulat qui volet. Porro inſtituti ratio a nobis nunc poſtulat, ut de quibusdam Rerum Laureacenſium ac Patavienſium Scriptoribus, quos fortuna nobis invidit, eaque de cauſa a primo Operis hujusce Tomo abeſſe debent; Lectores benevolos admoneamus, eorumque humanitatem, apud quos hi Scriptores ſervantur, impenſe obſecremus, ut eos pro communi in Hiſtoriam Auſtriacam ſtudio in publicos uſus aut evulgent ipſi, aut nobiſcum benevole communicent, ſecundo ſaltem, ubi Primo non potuere, Collectionis iſtius Tomo inſerendos.

V. Inter hos vero Auctores primo loco commemorandus venit Annalium Patavienſium ad annum usque 1255. deductorum ſcriptor anonymus, per tot Auſtriæ Bavariæque Bibliothecas a nobis fruſtra perquiſitus. Tum ſuccincti Laureac. & Patavienſ. Epiſcoporum Catalogi, itidemque Diplomatum a variis Imperatoribus & Romanis Pontificibus eisdem conceſſorum Collector: quibus in condendo ſæpe dictorum Laureac. & Patav. Epiſcoporum ſyllabo uſum ſe fuiſſe Hundius profitetur. Qui utique, aut certe Gewoldus (qui id quidem de ſe pollicitus eſt, minime tamen haud ſcio qua ex cauſa præſtitit) rem longe gratiorem eruditis hominibus feciſſent, ſi utraque hæc vetuſta monumenta, integra & genuina ad nos transmiſiſſent. Etſi enim prædicti Annales Patavienſes a Caſp. Bruſchio gravi cenſura (non hîc quæro quam æqua) vapularint, cum eos, Hundio teſte, *mendoſiſſimos* appellavit; neminem tamen paulo eruditiorum futurum exiſtimem, qui qualescunque hos Annales, ſtylo germano primarioque ſcriptos, quam ejusdem Bruſchii *Laureacum vetus & Pataviam*, immo & Hundii Catalogum non malit. Secundo loco merito cenſendus Bernardus Noricus Cœnobita Cremifanenſis, ſæculi XIV Auctor, qui præter alia plura Opuſcula hiſtorica nondum edita, Catalogum quoque Laureac. & Patavienſ. Antiſtitum, aliaque nonnulla ad eorundem hiſtoriam pertinentia, litteris conſignavit. Vidimus ſuperioribus annis in percelebri Bibliotheca Chremiphanenſi ſcriptoris iſtius autographum, ex eoque unum & item alterum opuſculum tranſcripſimus, de memorato illo Catalogo una quoque exſcribendo non admodum tum ſolliciti: quod ſperabamus eundem opportuniori tempore nos inde certo conſecuturos. At fefellit ſpes: quippe litteris ejus cauſſa ſemel atque iterum illuc directis, hanc trium quatuorve pagellarum ſcriptionem haud dum nanciſci potuimus. Tertio denique loco numerandus Nicolaus Schreitweinus eſt, homo ſæculi XV, qui & ipſe Catalogum Laureac. & Patavienſ. Pontificum contexuit, perduxitque ad annum 1452, ad tempora ſcilicet Udalrici ejus nominis III. cognomento de Nusdorf Epiſcopi Patavienſis: quem ſubinde alius quiſpiam Anonymus ab anno 1477. ad 1514. continuaſſe dicitur apud Lambecium. Alium præterea, qui de ſæpe memoratis Laureac. ac Patavienſ. Præſulibus

perſcripſiſſet, neque lucem in hunc usque diem vidiſſet, ſcio neminem. Extat hæc Schreitweiniana lucubratio manu ſcripta in Auguſtiſſima Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca, uti ex Petri Lambecii Comment. de Biblioth. Cæſ. lib. II. cap. VIII, & Danielis Neſſelii Sciagraphia intelligimus. Cujus vero commatis illa ſit, quantumque ei fidei tribuendum, Novus Catalogus omnium Codicum manuſcriptorum in laudatiſſima Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca adſervatorum, quem ſummo ſtudio typis in præſenti parat Perilluſtris ac eruditiſſimus D. Benedictus Gentillotus ab Englsbrun, ejusdem Bibliothecæ Præfectus longe meritiſſimus, propediem, ut ſpero, nos edocebit.

VI. Interea trium horum ſcriptorum deſiderium ea utcunque fortaſſis lenient explebuntque, quæ ad locupletandam Laureac. Patavienſemque hiſtoriam principio Collectionis noſtræ ſumma fide curaque repræſentabo: quæ etſi pauca ſunt, de ætate tamen, fortean & autoritate, ſuperioribus illis Auctoribus nihil prorſus concedunt; ætate certe quædam eorum illos exſuperant. Ut ne quid dicam de variis Chronicis Auſtriacis Vitisque Sanctorum primo hoc Volumine contentis, ex quibus Laureacenſia Patavienſiaque haud parum lucis & emendationis acceptura confido. Sed de his hactenus; res noſtras propius tandem attingamus, inprimisque quæ de Brevi Chronico Laureacenſium & Patavienſium Antiſtitum, quod primo loco damus, obſervanda videbantur, paucis exponamus.

VII. Breve iſtud Chronicon tribus abhinc annis reperimus in Bibliotheca Monaſterii Zwethalenſis ſæpius deinceps a nobis jure laudanda, cujus perluſtrandæ largam nobis copiam facere dignatus eſt Reverendiſſimus Dominus Melchior Zaunagg ejusdem Cœnobii Præſul optimus, & ſingularis ſtudiorum noſtrorum fautor. Erat id in membraneo codice manu ſæculi XIV exaratum, nullumque Auctoris nomen præferebat: quem tamen ſæculo XIII ſaltem ſuperiorem haud fuiſſe illud argumento eſt, quod Ordinem Prædicatorum anno demum 1216. cœpiſſe ſcribat. Duo præprimis in hoc Brevi Chronico obſervatione digna. Primum eſt, Conſtantium Laureacenſem Epiſcopum, cujus quoque Eugippius in Vita Sancti Severini Monachi mentionem facit, pſalterium ex inſtituto (ut hîc dicitur) Cœleſtini Papæ I, ante peroraſſe, quam ſacris operaretur. quod hactenus neque apud Hundium, nec apud alium quemquam Scriptorum de hoc Conſtantio legere memini. Alterum eſt, quod incertus Chronici hujusce Auctor affirmet, Syrum & Eventium Sancti Hermagoræ diſcipulos, & poſt Papienſes Epiſcopos, primos omnino fuiſſe, qui lucem Evangelii Laureaco intulerint: contra quam Hundius aliique plures apud Sigismundum Puſch eruditum S. J. Presbyterum in Chronologia Sacra Ducatus Styriæ p. 47. recenſiti opinantur, qui omnes neſcio quem Laurentium, primum Laureacenſium Apoſtolum & Doctorem faciunt. quod a veri ſimilitudine longius recedit. Illud propius fidem eſt, Laurentium quidem aliquem, ſed ab illo Celeberrimo Martyre & Levita Romano minime diverſum, a Laureacenſibus coli; at non ut primum Apoſtolum Doctoremve ſuum, ſed ut peculiarem Eccleſiæ ſuæ Patronum. Certe hoc ſolo nomine mox laudatus Martyr appellatur diſertis hiſce Chronici iſtius verbis: *Cui* (Laureacenſi Metropoli) *etiam beatiſſimus Laurentius Levita & Patronus principalis deputatus, qui fuit martyrio coronatus brevi tempore poſt Auguſtos.* Verum cum hæc alias copioſius a nobis expenſa jam fuerint, Lectorem diutius non morabimur; quin potius ejus oculis jam ipſum Breve hoc Chronicon ſubjiciemus.

AUCTO-

AUCTORIS INCERTI BREVE CHRONICON LAUREACENSIUM ET PATAVIENSIUM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

EXordium fidei Catholicæ in Laureaco creditur Apoſtolorum tempore inchoatum. Nam Beatus Petrus Romæ prædicans, Sanctum Marcum in Aquilegiam ad prædicandum miſit, qui ibidem cum pluribus aliis Ermachoram [1] & Fortunatum convertit. Deinde etiam Ermachoram Aquilegienſem Epiſcopum ordinavit, qui aliis prædicans, convertit Syrum & Eventium [2]: quos Papiam direxit Verbum Domini ſeminantes. Demum aliis civitatibus, videlicet Veronenſi, Brixienſi & Laureacenſi prædicabant. Pluribus itaque civitatibus ad viam veritatis ſucceſſivis temporibus converſis, factus eſt Aquilegiæ Patriarchatus, Laureaci vero Archiepiſcopatus. Sed propter tyrannidem Infidelium, & Romanorum oppoſitionem Metropolis Laureacenſis ducentis annis vel quaſi Sacerdotalis benedictionis caruit dignitate; immo Chriſtiani ibidem habitantes pro tempore pauci erant, & occulte per latebras divinum cultum exercebant. Nam ſiqui deprehendebantur, vel acribus verberibus torquebantur, aut exilio deportabantur, aut gladio necabantur. Unde factum eſt, quod Sanctus Maximilianus, & Beatus Florianus cum aliis Martyribus quadraginta necarentur: & Sanctus Severinus exilio pelleretur, qui etiam alios Chriſtianos hortabatur, ne ad extraneas nationes, & procul poſitas regiones [3].

Philippus autem Imperator, qui primus ex Imperatoribus fidem Catholicam publice ſuſcepit, cum filio ſuo Philippo Juniori Laureacenſem Eccleſiam, ante ſua tempora humilem, opibus & honoribus magnifice exaltaverunt, ſuum illi patrimonium, videlicet Superiorem & Inferiorem Pannoniam delegando. Quæ quidem Laureacenſis Metropolis poſt ſui ſublimationem per multa tempora ſubjectas habuit plurimas civitates, intra Rabam ab Oriente, & Licum Occidentis, Drabam [4] ab Auſtro, Oderam & Egram a parte Aquilonis fluvios ſituatas: Cui etiam Beatiſſimus Laurentius Levita & Patronus principalis deputatus, qui fuit martyrio coronatus brevi tempore poſt Auguſtos.

Verum ante ejus martyrium poſt Archiepiſcopos aliquantos ſedit idem, ſcilicet Lauriacenſis, Eutherius Archiepiſcopus ſub Stephano Papa, anno Incarnationis Domini 268.

Poſt hæc anno Domini 284. ſedit Maximilianus Archiepiſcopus, qui apud Celeiam, unde fuit oriundus, eſt occiſus ſub Numeriano Imperatore. Poſt hæc anno tertio Sanctus Florianus, Tribunus militum, per Aquilinum Præfectum cum multis aliis martyrio coronatur, tempore Diocletiani.

His temporibus, ſcilicet ab anno Domini 308. usque ad annum 400. non invenitur certus Princeps Bavariæ, & Archiepiſcopus Laureacenſis.

Anno Domini 400. ſedit apud Lauriacum Sanctus Conſtantius Archiepiſcopus. De hoc legitur, quod ante Miſſam pſalterium peroraverit, ut Celeſtinus Papa inſtituit. His temporibus S. Martinus, S. Ambroſius, S. Alexius obierunt.

Item anno 470. Theodorus in Laureacenſem Archiepiſcopum confirmatur.

Item anno 508. gens noſtra, ſcilicet Noricorum & Bavarorum, quæ jam fere 250. annis exulaverat, reſumptis viribus (quia Romani a diverſis nationibus impugnabantur,) ſtatuentesque ſibi Ducem, nomine Theodonem, ad ſedes proprias redierunt: & poſtea nobiles quidam reformant ſcilicet Laureacum & Pataviam, & in duas Diœceſes provinciam diviſerunt, ſed tamen Patavia ſubfuit Laureaco.

Anno 516. Erchinfridus Epiſcopus ſedit Pataviæ. His temporibus Sanctus Rupertus a Theodone in Bavariam accerſitur.

Item anno 615. Vilo Romanus Laureaci ſedit in Archiepiſcopatu. His temporibus S. Rudpertus conſtruxit Eccleſiam Salzburgenſem.

Item anno 624. Othakerus Epiſcopus Pataviensis ſedit.

Item anno 660. Bruno Laureacenſi Archiepiſcopatui præficitur, qui poſt obitum Othakeri, Patavienſis Epiſcopi, Patavienſem Eccleſiam ſimul rexit.

Item anno 699. Theodorus Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit 23. annis. Hoc tempore Beatus Kilianus cum ſuis ſociis occiditur.

Item anno 722. Wivilo Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis 13.

Item anno 755. Antelmus Archiepiſcopus ſedit Laureaci & Pataviæ annis 10.

Item anno 765. Viſcarius Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis 9.

Item anno 775. Waldaricus Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis 31.

Item anno 805. Urolfus Laureacenſis & Patavienſis Epiſcopus ſedit anno, huic Eugenius Papa pallium confirmavit. Cum iſto, & ſuis ſucceſſoribus cœperunt Epiſcopi Salzburgenſes pro pallio contendere. Item Epiſcopalis ſedes, quæ antea apud Laureacum potior fuerat, cœpit in Pataviam tranſire, poſtquam eam Taſſilo opibus & honoribus exaltavit.

Item anno 807. Hatto Epiſcopus ſedit Pataviæ annis 11.

[1] Hermagoram. [2] *al.* Juventium, [3] *deeſt in MSC.* migrarent. [4] *al.* Dravum.

Item anno 818. Rincharius Episcopus sedit Pataviæ annis 20.

Item anno 840. Hertwicus Archiepiscopus sedit Laureaci & Pataviæ annis 16.

Item anno 866. Ermricus Episcopus sedit Pataviæ annis 9.

Item anno 876. Wichingus Archiepiscopus sedit Pataviæ anno uno, abhinc cœpit sedes Laureacensis humiliari. Item post hunc sederunt Pataviæ, Engelmarus, Racharius, Purchardus, Gimipoldus.

Item anno 931. Gerhardus Archiepiscopus sedit Laureaci & Pataviæ annis 14. Post hunc sederunt Pataviæ, Adalbertus, Pilchrimus, Christanus, Rugerus, Engelbertus.

Item anno 1065. Altmannus Episcopus sedit in Laureacensi Cathedra, & infra: quia Pataviensem sedem occupavit Thyemo Canonicus Herbipolensis.

Item anno 1092. Udalricus Episcopus sedit Pataviæ & Laureaci annis 32. Abhinc cessavit contentio pro pallio cum Salzburgensibus.

Item anno 1216. cœpit Ordo Prædicatorum.

Item anno 940. Corpus Beati Martini a Turonis in Salzburgam est translatum per Episcopum, Salzburgensem, cui Otto Primus hoc commendavit.

* * *

ANONYMI POETÆ VETUSTISSIMI VERSUS DE ORDINE COMPROVINCIALIUM PONTIFICUM, UBI ET DE PRIMIS EPISCOPIS PATAVIENSIBUS.

EX COD. MS. IMPERIALIS COENOBII S. EMMERAMMI APUD RATISPONAM, ORD. S. BENEDICTI, ET EDITIONE V. CL. JOHANNIS MABILLONII.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IN celeberrima San-Emmerammensi Bibliotheca MSS. cujus forulos omnes singulari benignitate Reverendissimi Domini Johannis Baptistæ, Imperialis istius Monasterii Abbatis dignissimi, ante biennium revolvere nobis licuit, occurrit nobis inter alios quamplurimos veteres Codices manuscriptos quidam optimæ notæ ante annos octingentos exaratus, in quo bene multis Alcuini epistolis continenter subjungitur anonymi cujusdam Poetæ Opusculum metricum *de Ordine Conprovincialium Pontificum* inscriptum, scilicet Saltzburgensium, Ratisponensium, Frisingensium, Patavensium, & Sabionensium, nunc Brixinensium. Auctorem lucubrationis istius sæculo IX vixisse, ultimi de Patavensibus Episcopis versus aperte declarant. Nam de Urolfo (is enim, non vero Hatto aut alius quispiam sub his litteris *Ill.* sine dubio latet, cum in consequentibus Patavensium Antistitum Indicibus, uti & Patavensibus Annalibus, proximum a Walderico locum obtineat Urolfus) de Urolfo, inquam, qui ex laudatis Annalibus Patavensibus anno 805, aut secundum Catalogum Tegernseensem 806. Sedem Patavensem adiit, nec ultra spatium unius anni tenuit, ita vetustissimus ille Poëta canit:

Nuper VValdricus felix vir in ordine sextus.
Nunc sedet Antistes magnus ill. Sedis honorem.

Inciderat in hunc ipsum Cod. MS. Joh. Mabillonius noster, vir reconditæ antiquitatis studiosissimus, cum anno 1683. præclaram hanc S. Emmerammi Bibliothecam cum doctissimo sodale suo Michaele Germano lustrasset, ex quo postmodum veterrimum hunc Poetam integrum in lucem primum vindicavit Tom. IV Vet. Anal. pag. 525. & seqq. Nobis insigne hocce Ecclesiasticæ Antiquitatis Monumentum hic denuo recudere visum fuit, versibus, qui Patavienses Præsules spectant, typis majoribus donatis, & quorundam Archiepiscoporum Saltzburgensium Epitaphiis, utpote ad res nostras non admodum pertinentibus, prætermissis. Ex his recte eruditissimus Mabillonius observa-

ſervavit, Vivilo ſeu Viviloni primo Epiſcopo Patavienſi proxime ſubſtitui *Beatum*, qui cum in vulgatis hactenus Patavienſium Præſulum Catalogis, tum etiam a nobis in hoc Opere vulgandis ubique deſideratur.

ANONYMI POETÆ VETUSTISSIMI VERSUS DE ORDINE COMPROVINCIALIUM PONTIFICUM.

I.

EPISCOPI SALTZBURGENSES.

Dicta Juvavo fuit quondam metropolis iſta,
Quam primo fundans HRODBERTUS rexerat almus.
Poſt hunc VITALIS Antiſtes rexit eandem.
Ipſius inde FLOBARGISUS, qui eſt fultus honoris.
Quartus JOHANNES fuerat, ſedemque regendo.
Advena VIRGILIUS ſtatuens quam plurima quintus.
Multo plura gerens ARNO ſuper omnia ſextus.
Septimus hinc ſucceſſit ADALRAM paſtor opimus,
Tempore namque ſuo ſtatuens quam plurima pulchre.
Octavus veniens LIUPHRAMMUS Præſul ovilis,
Officium Domini renovans formoſius æque.

ARCHIEPISCOPI SALTZBURGENSES.

Hic locus, ut fertur, dudum JUVAVO vocatus,
Magnus honore fuit, ut modo ſigna probant,
Tempore quo gentem HRODBERTUS Epiſcopus iſtam
Rexerat, & ſtruxit ſedis ovile ſacrum hîc:
In qua Pontifices multos poſt rite ſedentes
ARN ſucceſſit ovans, rector ovile regens.
Quem CAROLUS Princeps regni ſuperauxit honore
Archiſacerdotis, digniòr ut fieret.
Quem LEO Papa ſui veſte veſtivit honoris,
Et privilegia dans mox ſolidavit eum.
Ut regionis apex, ac ſummus Epiſcopus eſſet,
Urbsque hæc metropolis tempus in omne foret.
Huic ſucceſſit ADALRAMMUS Anteſtis amatus,
Quem Papa EUGENIUS compſit honore pio.
Poſt hunc ſucceſſit LIUPHRAMMUS rite Sacerdos,
Functus Apoſtolici munere GREGORII.
Nam velut Archiſacerdotes in ſede manentes,
Legitime functi numine Apoſtolico.
Plurima diverſis ſtruxerunt ſtemmata rebus,
Ut vice quisque ſua optime prævaluit.
Sic reliquos ſucceſſores in ſede futuros
Talia vota ſimul ſemper habere decet.
Cunctis præteritis patribus ſimul atque futuris
Donet in arce poli gaudia magna Deus:
Et veniam ſcelerum ſubjectis præſtet eorum,
Et gaudere ſimul in requie jugiter.

II.

EPISCOPI RATISPONENSES.

Hic Reginenſis ſedis vocitatur ab urbe
Quam rexit primo WICTERPUS Epiſcopus ille.

Poſt

Post alius CAUVIPALDUS qui nomine dictus.
Tertius SIGIRICUS erat sacratus ad aulam.
Post hunc jam fuerat SINDBERTUS in ordine quartus.
Quintus ADALWINUS fuerat, sedemque regendo.
Post hunc BATURICUS tenuit pius optime sedem.
ERCHANFREDUS ovans sequitur hinc pastor opimus.

III.
EPISCOPI FRISINGENSES.

FRigisiensis enim sedis hæc aula vocata est,
CORBINIANUS ovans quam primus rexerat almus.
Inde Dei famulus ERMPERHTUS nomine sedit.
Tertius hinc JOSEPH, præclarus nempe magister.
ARPEO quartus erat, facundo famine fretus.
Quintus Apostolicam tenuit pius ATTO cathedram.
Post hunc HITTO pater sedem jam rexerat almus.
Exhinc successit ERCHANPERHT pastor amatus.
Ecce pius sedem præsens nunc ANNO gubernat.

IV.
EPISCOPI PATAVIENSES.

PAttaviensi ergo Sedi est hæc aula dicata,
Quam tenuit primo VIVOLUS jam ipse Sacerdos.
Nomine post illum Antistes mox rite BEATUS.
Tertius est etenim SIDONIUS auctus honore.
ANTHELMUS quartus meritis & dogmate magnus:
Hinc VVISURICUS ovans sedis conscendit honorem.
Nuper VVALDRICUS felix vir in ordine sextus.
*Nuns sedet Antistes magnus ill. * Sedis honorem.*

* Urolfus.

V.
EPISCOPI SABIONENSES.

HÆc sedis vallis Noricanæ dicta Sebana,
INGENUINUS habens primo quam rexerat almus.
MASTULO secundus seditque regendo cathedram.
Post illum pastor servavit ovile JOHANNES.
Præsul ALIMUS erat meritis qui & dogmate quartus.
*Quintus honore sedet ill. * sultus eodem.*

* Heinricus.

* * * * *

INDICULUS PERVETUSTUS
EORUNDEM PATAVIENSIUM ANTISTITUM, A WIVILONE USQUE AD CONRADUM, S. LEOPOLDI FILIUM.

EX COD. MS. INSIGNIS MONASTERII S. CRUCIS IN AUSTRIA INF. ORD. CISTERCIENSIS.

OBSERVATIO PRÆVIA.

MOnasterium Sanctæ-Crucis, Ordinis Cistercienſis, inter reliqua per Austriam ejusdem Instituti facile primarium, quanquam sub annos 1529. & 1683. immanes Turcæ misere vastaverint; tamen (quæ Cœnobitis servandæ

dæ librariæ ſupellectilis ſingularis cura fuit) permultos libros manuſcriptos etiamnum hic ſupereſſe deprehendimus. Ex his inſignis eſt Expoſitio Rudberti Abbatis Tuitienſis noſtri in Matthæum, ſæculo XII, ut characteres Codicis iſtius probant, ſcripta: ad cujus calcem brevis Patavienſium Epiſcoporum index extabat, eadem prorſus ætate exaratus. Is tametſi præter nuda Antiſtitum nomina annorumque numeros, quibus ſinguli præfuerunt, nihil contineret, quia tamen integro fere ſæculo Patavienſibus Annalibus antiquior eſt, dignus nobis viſus fuit, qui inter Monumenta Patavienſia locum haberet. Mirari ſubit, nullum neque in hoc San-Crucenſi, neque in ſequenti Gottwicenſi Indiculis locum tribui *Sidonio*, qui tamen in editis Vivolum ſeu Wivilonem excipit. Deinde vero Wichingum Epiſcopum, qui in vulgatis Engilmaro poſtponitur, hîc contra præponi Engilmaro. An oſcitantia ſcriptoris id factum? Multum denique hic Indiculus in quibusdam Epiſcopis Patavienſibus diſcrepat ab annorum ratione, quam ex Catalogo & Annalibus Patavienſibus Hundius ſtatuit; maxime vero in Engilmaro Epiſcopo, qui apud Hundium annis viginti duobus, hîc vero tredecim tantum, in Gottwicenſi duodecim, Epiſcopatum rexiſſe dicitur. Richario quoque Epiſcopo idem Hundius ex Catalogo Patavienſi quindecim omnino annos regiminis, at Indiculus iſte San-Crucenſis tres ſolum aſſignat. Mitto cætera, quæ ex utriusque comparatione diligens quisque lector nullo negotio perſpiciet. En ipſum San-Crucenſem Indiculum.

INDICULUS PERVETUSTUS EORUNDEM PATAVIENSIUM ANTISTITUM A WIVILONE USQUE AD CONRADUM, S. LEOPOLDI FILIUM.

WIVILO Archiepiſcopus annis XXII.
ANTHELMUS Epiſcopus annis IX.
WISGARICUS Epiſcopus annis IX.
WALDARICUS Epiſcopus annis XXXI.
UROLFUS Epiſcopus anno uno.
HATTO Epiſcopus annis XL
REGINHARIUS Epiſcopus annis XX.
HARTWICUS Epiſcopus annis XXVI.
ERMANRICUS Epiſcopus annis IX.
WICHING Epiſcopus anno uno.
ENGILMAR Epiſcopus annis XIII.
RICHARIUS Epiſcopus annis III.
PURCHARIUS Epiſcopus annis XV.
GINNPOLDUS Epiſcopus annis XVII.
GERHARDUS Epiſcopus annis XIV.
ADELBERTUS Epiſcopus annis XXV.
PILGRIMUS Epiſcopus annis XIX.
CHRISTIANUS Epiſcopus annis XXII.
PERINGERUS Epiſcopus annis XXXIII.
ENGILBERTUS Epiſcopus annis XIX.
ALTMANNUS Epiſcopus annis XXVII.
UODALRICUS Epiſcopus annis XXXII.
REGINMARUS Epiſcopus annis XVII.
REINBERTUS Epiſcopus annis IX.
CHUONRADUS Epiſcopus annis XVII. menſes VI.

ALIUS INDICULUS ITIDEM ANTIQUUS EORUNDEM EPISCOPORUM PATAVIENSIUM, A WIVILONE USQUE AD BERNARDUM PERDUCTUS.

EX COD. MS. CELEBERR. ET EXEMPTI MONASTERII GOTTWICENSIS, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ADmodum Reverendus ac Religioſus D. P. Victorinus Gogitſcher Benedictinus Gottwicenſis, Vir cum ab exquiſita humanitate, tum a mira morum elegantia magnopere commendandus, cum huc loci luſtrandæ Bibliothecæ

thecæ cauſa veniſſemus; exhibuit nobis præſtantiſſimum quendam Codicem ab amplius quingentis annis in membrana pereleganter deſcriptum; hoc titulo: *Liber prædiorum ac mancipiorum, quæ a fidelibus hoc in loco ſunt delegata.* Paucos, fateor, in itineribus noſtris litterariis viſos a nobis veteres libros, qui ad ejus præſtantiam accedant. Sub finem mox laudati Codicis annectitur brevis Patavienſium Epiſcoporum Catalogus, quem hîc damus, ab incerto ſæculi XIII. auctore primum inchoatus, tum ab inſequentis ſæculi manu productus; quod ex diverſæ ſcripturæ forma non obſcure collegimus. Haud levis ex hoc Indiculo Gottwicenſi tum a præcedenti San-Crucenſi, tum etiam Hundiano Catalogo diverſitas advertitur, non in propriis aliquot Epiſcoporum nominibus exprimendis modo, ſed in annis etiam, quibus eorum quidam Epiſcopatum geſſiſſe referuntur, deſignandis. Nominum quidem propriorum diſcrepantia facile cernitur in *Anshelmo, Purchardo, Cumpoldo, Perngario, Eiglberto, Regemaro & Regemberto* Epiſcopis, qui in San-Crucenſi *Anthelmus, Purcharius, Ginnpoldus, Peringerus, Engilbertus, Reginmarus,* & *Reinbertus* ſcribuntur. Annorum vero diverſam rationem penes Engilmarum, Purchardum, Udalricum, Regembertum ejusque ſucceſſorem Chunradum lector ſtatim animadvertet, ſi utrumque Indiculum diligenter inter ſe conferre voluerit. Verum a Rudberto Epiſcopo, Chunradi (in quo deſinit San-Crucenſis) Succeſſore, ad Bernhardum usque, tanta varietas annorum, quibus anni regiminis horum Epiſcoporum utrobique illigantur, inter Gottwicenſem iſtum & Hundianum Catalogum intercedit, ut (tribus duntaxat exceptis, videlicet Manegoldo, Petro & Gottfrido) in cæteris omnibus alter ab altero ubique diſſideat. Conſtare, reor, hinc lectoribus poteſt, quam intricata ſit Patavienſium Epiſcoporum hiſtoria. Sed hæc obſervaſſe ſatis fuerit. Uter alteri præferendus, alii, quibus plus otii ſuppetit, dijudicent.

ALIUS INDICULUS ITIDEM ANTIQUUS EORUNDEM PATAVIENSIUM PRÆSULUM A WIVILONE USQUE AD BERNHARDUM.

WIVILO Archiepiſcopus annis XXII.
ANSHELMUS Epiſcopus annis IX.
WISKARICUS Epiſcopus annis IX.
WALDERICUS Epiſcopus annis XXXI.
UROLFUS Epiſcopus anno uno.
HATTO Epiſcopus annis XI.
REGINHARIUS Epiſcopus annis XX.
HARTWICUS Epiſcopus annis XXVI.
ERMMANRICUS Epiſcopus annis IX.
WICHINC Epiſcopus anno uno.
ENGILMARUS Epiſcopus annis XII.
RICHARIUS Epiſcopus annis III.
PURCHARDUS Epiſcopus annis XII.
CUMPOLDUS Epiſcopus annis XVII.
GERHARDUS Epiſcopus annis XIV.
ADELBERTUS Epiſcopus annis XXV.
PILGRIMUS Epiſcopus annis XIX.
CHRISTIANUS Epiſcopus annis XXII.
PERNGARIUS Epiſcopus annis XXXIII.
EIGELBERTUS Epiſcopus annis XIX.
ALTMANNUS Epiſcopus annis XXVII.
UDALRICUS Epiſcopus annis XXX.
REGEMARUS Epiſcopus annis XVII.
REGEMBERTUS Epiſcopus annis VII.
CHUNRADUS Epiſcopus annis XVIII. poſtea factus Archipræſul Salzburgenſis.
RUDBERTUS Epiſc. annum unum, menſes IV. dies III.
DIEPOLDUS Epiſcopus annis XIX.
ALBO Epiſcopus annis V.
HEINRICUS Epiſcopus annis III.
WOLFKERUS Epiſc. annis XIII. poſtea ſuccedens in Patriarchatum Aquilegienſem.
POPPO Epiſcopus annis II.
MANEGOLDUS Epiſcopus annis IX.
ULRICUS Epiſcopus annis VII.
GEBEHARDUS Epiſcopus annis XII. & depoſitus eſt.
RUDERGERUS Epiſcopus annis XVIII. & depoſitus eſt.
PERHTOLDUS Epiſcopus annis IV.
OTTO Epiſcopus annis XII.
Huic ſuccedit PETRUS, qui ſedit annis XIV.

Hactenus

Hactenus una eademque sæculi XIII. manus: quæ consequuntur, alia insequentis sæculi XIV. adscripsit.

WICHARDUS Episcopus annos II.

GOTFRIDUS Episc. annos II. menses II. dies XII.

WERNHARDUS Episc. annos XXXII. menses II. dies III.

* * * * *

ALIUS RECENTIOR CATALOGUS SÆPE DICTORUM LAUREACENSIUM ET PATAVIENSIUM PONTIFICUM, A WIVILONE USQUE AD ERNESTUM.

EX COD. MS. CELEBERRIMI MONASTERII TEGERNSEENSIS, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ANtiquioribus Patavienſium Antiſtitum Indiculis recentiorem & copioſiorem aliquantum eorundem Epiſcoporum Catalogum nunc ſubjungimus, quem ex Codice manuſcripto Bibliothecæ Tegernſeenſis a ſe tranſcriptum mecum perbenigne communicavit admodum Reverendus D. P. Alphonſus Hueber, Religioſiſſimus Monaſterii Tegernſeenſis Cœnobita, ibidemque rei œconomicæ Præfectus integerrimus. Hujus officioſiſſimi Viri ſingularem qua nos indefeſſe proſecutus eſt, humanitatem, cum abhinc duos annos hujus loci Bibliothecam a manuſcriptis Codicibus inſtructiſſimam, conceſſu & beneficio Reverendiſſimi Domini Petri Guetratter, ſane piiſſimi juxta ac doctiſſimi Abbatis, plurium dierum intervallo evolveremus, merito commendamus. Extat hic Patavienſium Præſulum Catalogus in quodam chartaceo magnæ molis volumine, variis in locis (ut videtur) a recentiori manu interpolatus, quem incognitus ſæculi decimi ſexti auctor magno ſtudio collegit: adjectis aliorum Antiſtitum copioſis indicibus, ut puta Aquilegienſium, Alexandrinorum, Colonienſium, Moguntinenſium, Saltzpurgenſium, Lugdunenſium, Ratisponenſium, Auguſtenſium, Churienſium, Conſtantienſium, Kyemenſium, Bambergenſium, Spirenſium, Wirtzburgenſium & Tridentinorum. Mirum eſt, quantum & hic Tegernſeenſis Catalogus, ſpectatis quorundam Epiſcoporum annis & diebus, quibus ad clavum Eccleſiæ Patavienſis ſederunt obieruntque, variet ab eo, quem texuit Hundius in ſua Metropoli. Quin etiam inter eundem, Tegernſeenſem inquam, & Sanctucenſem ac Gottwicenſem Indiculos haud parum nonnunquam intereſſe quisque deprehendet; quod hic ſingillatim perſequi non vacat. Reſtitui porro ex iſto ſæpe memorato Tegernſeenſi Catalogo poſſunt dies obitus non pauci, qui variis in locis apud Hundium, ubique vero in præcedentibus duobus Indiculis deſiderantur, quamvis eorum aliqui hic quoque non raro deficiant. Supra laudatus a nobis admodum Reverendus D. P. Alphonſus Hueber cum hunc Catalogum ad nos miſiſſet, adjunxit alium de iisdem Epiſcopis ab anno Chriſti 250. ad 1500. pertextum, cui perſimilem jam antea ex Mellicenſi noſtra Bibliotheca habebamus. Sed uterque, noſter præſertim Mellicenſis, atrocibus adeo mendis paſſim ſcatebat, ut ſi exſcripſiſſem ac evulgaſſem, & operam & chartam ludos feciſſe non injuria videri potuiſſem. Hæc ſunt, quæ Laureacenſis & Patavienſis hiſtoriæ bono variis e Bibliothecis nanciſci potuimus. Quæ ſi quid ad eam penitius cognoſcendam conferunt, erit enimvero quamobrem gaudeamus: Sin minus, ferendum eſt tantiſper, dum æquior fortuna, & amicorum benevolentia plura certioraque offerant aliquando.

ALIUS RECENTIOR CATALOGUS SÆPE DICTORUM, LAUREAC. ET PATAV. PONTIFICUM A WIVILONE AD ERNESTUM USQUE.

ANno Domini Septingentesimo Vicesimo Secundo Wivilo eligitur in Archiepiscopum Laureacensem, & a Gregorio Papa II. pallio honoratur, ibi annos XVIII. explevit. Postea anno Domini DCCXL. propter insultus Barbarorum transtulit sedem in Pataviam, Odilone Duce Bavariæ favorem concedente: ibi sedit annis V, & obiit X. Cal. Martii.

Sidonius secundus anno Domini DCCXLV. Archiepiscopus Laureacensis eligitur Pataviæ, & sedit annis XII.

Antelinus tertius anno Domini DCCLVII Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ annos VIII. obiit V. Idus Martii.

Wiscarius anno Domini DCCLXV. Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ annos X, obiit V. Cal. Maji.

Baldericus anno Domini DCCLXXV Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ annos XXXI. obiit XI. Cal. Septembris.

Urolffus anno Domini DCCCVI Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ anno uno & mensibus tribus. Obiit XVI. Cal. Septembris.

Hatto anno Domini DCCCVII Episcopus Pataviensis eligitur, & sedit annis XI, non curans de pallio sibi per fraudem surrepto ab Arnone Salzburgensi Archiepiscopo. Obiit III. Id. Decembris.

Reginharius anno Domini DCCCXVIII Episcopus Pataviensis eligitur, contendens pro pallio annis quinque, tandem anno Pontificatus sui sexto ordinatur Archiepiscopus Laureacensis, & sedit ut Archiepiscopus annos XVI.

Hartwicus anno Domini DCCCXL. Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ annis XXVI. Obiit III. Id. Maji.

Hermenricus anno Domini DCCCLXVI Episcopus Pataviensis eligitur, sedit sine pallio annis IX. Obiit IV. Non. Januarii.

Engelmarus anno Domini DCCCLXXV Archiepiscopus Laureacensis, sedit Pataviæ annis XI. Obiit II. Cal. Januarii.

Wichingus anno Domini DCCCLXXXVI Episcopus Pataviensis, antea Præpositus Ecclesiæ, sedit anno uno & mensibus tribus. Obiit VI. Non. Martii.

Richarius anno Domini DCCCLXXXVII Episcopus Pataviensis eligitur, sedit sine pallio annis XII, tandem pallium judicio obtinuit, & sub eodem sedit tribus annis.

Burchardus anno Domini DCCCCIII Episcopus Pataviensis, sedit annis XII.

Gumpoldus anno Domini DCCCCXV eligitur Episcopus Patavienſis, & sedit annis XVI. Obiit XVII. Cal. Novembris.

Gerhardus Archiepiscopus Laureacensis successit anno Domini DCCCCXXXI, sedit Pataviæ annis XIV. Obiit IV. Non. Januarii.

Albertus anno Domini DCCCCXLV Archiepiscopus Laureacensis eligitur, & sedit Pataviæ annis XXVI. Obiit XVII. Cal. Julii.

Pilgrinus, alias Peregrinus Sanctus, clarus miraculis, anno Domini DCCCCLXXI Archiepiscopus Laureacensis eligitur, sedit Pataviæ annos XX. Obiit XI. Cal. Junii.

Christiannus, alias Christannus, anno Domini DCCCXCI Episcopus Patavienſis eligitur, sedit annos XXI. Obiit XI. Cal. Octobris.

Perengerus Episcopus Patavienſis eligitur anno Domini MXII, sedit annos XXXIII. Obiit II. Id. Julii.

Engilbertus, alias Egilbertus, anno Domini MXLV eligitur Episcopus Patavienſis, & sedit annis XX. Obiit XVI. Cal. Junii sub an. salutis MLXV.

Altmannus Episcopus Patavienſis eligitur anno MLXV, & sedit annis XXVI. Obiit vero gloriosus & beatus Pontifex Altmannus plenus omnibus bonis operibus in Domino, sub anno salutis MXCII. VI. Id. Augusti, sepultusque est in Monasterio Gottwicensi. Notatu digne de hoc Episcopo ex Chronico Scaphusensi vel, ut aliis placet, Curiensi, &c. Altmannus Sanctæ recordationis Patavienſis, Episcopus in Cathedra S. Petri, & in Ecclesiastica religione studiosissimus, Agnetis Imperatricis Capellanus, post multa pericula, tribulationes & exilia, quæ pro Christo patienter sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum. Hic devotissimus Pontifex in Episcopatu suo tria Cœnobia Clericorum, juxta regulam S. Augustini communiter viventium, instituit, & tertium in Episcopatu Frisingensi, in allodio Welfonis Ducis, per Clericos suos ædificavit, & regularibus disciplinis subdidit. Hic fuit tantæ sanctitatis, continentiæ & religionis, ut Reverendissimo Papæ Gregorio, sanctoque Lucensi Episcopo; imo omnibus Religiosis reverendus esset & amabilis; Schismaticis vero & sceleratis odiosus & formidabilis. Unde in obitu suo bonis magnum mœrorem, malis vero & perversis magnam reliquit exultationem. Sepultus in Gotwico.

Udalricus anno Domini MXCII Episcopus Patavienſis eligitur; & sedit annis XXXII. Obiit VII. Id. Augusti anno Christi MCXXIV. Hic prius extitit Præpositus Augustensis Ecclesiæ.

Regimarus anno Domini MCXXIV. Patavienſis Episcopus eligitur. Sedit annis XVII. Obiit II. Cal. Octobris. Anno Domini MCXXXVI dedicatur Monasterium Neuburgense in Austria a Conrado primo hujus nominis Archiepiscopo, & Regimaro Patavienſi.

Regimpertus, alias Reymarus, Comes de Peirlenſtain, anno Domini MCXLI. Patavienſis Episcopus, sedit annis VIII, & obiit IV. Id. Novembris.

Conradus filius Leopoldi Pii Ducis Austriæ anno Domini MCXLIX Episcopus Patavienſis præficitur, sedit annis XVI; deinde anno Domini MCLXV. Archiepiscopus Salzburgensis efficitur: sedit ibidem annis V.

Rupertus Episcopus Patavienſis sedit anno uno, & obiit. Scismaticus extitit.

Albo Episcopus Patavienſis successit anno

a) Pilenstain vel Peyhelstein. b) Marchionis.

Domini

Domini MCLXV, ſedit annis IV, & poſtea ab Eccleſia abigitur.

Heinricus Epiſcopus Patavienſis præficitur anno Domini MCLXIX, & ſedit tribus annis. Hic anno Domini MCLXXII ſponte ceſſit, ne ſciſmati contra Eccleſiam obediat Friderico Imperatori.

Theobaldus, alias Diepoldus, anno Domini MCLXXII Epiſcopus Patavienſis efficitur, ſedit annis XVIII.

Wolfkerus de Leubrechtskirchen ſucceſſit anno MCXC. Sedit Pataviæ annis XIV, deinde anno Domini MCCIV transfertur ad Aquilegienſem Patriarchatum, ubi ſedit annis XIV. obiit ibidem VI Cal. Februarii anno MCCXVIII.

Poppo Præpoſitus Aquilegienſis anno Domini MCCIV Patavienſis Epiſcopus efficitur, ſedit anno uno & menſibus ſex. Obiit VI. Cal. Januarii anno MCCVI.

Manegoldus de Krembsmunſter, prius Abbas in Tegernſee, ſucceſſit anno Domini MCCVI, & Epiſcopus Patavienſis præficitur. Sedit annis IX, menſibus tribus, obiit V. Id. Junii anno MCCXV. An. MCCXII hic Manegoldus Patavienſis Epiſcopus, & Rapoto Palatinus Rheni ſimul diſcordantes erant, ob quam cauſam Monaſteria & Eccleſiæ una cum omni provincia incendio devaſtantur.

Udalricus Canonicus prius Patavienſis, Epiſcopus efficitur anno Domini MCCXV. Sedit annis VII, & obiit II. Cal. Novembris, in via a transmarinis rediens anno MCCXXII.

Gebehardus Comes de Playn anno Domini MCCXXII Epiſcopus Patavienſis eligitur. Sedit annis X, & obiit V. Id. Octobris anno MCCXXXII. Anno Domini MCCXXX propter infamiam occiſionis Eberhardi Canonici ejusdem Eccleſiæ, & alia crimina a Comite Conrado de Waſſerburga captus fuit. Anno Domini MCCXXXII Fridericus Dux Auſtriæ accinctus eſt gladio Viennæ a Gebhardo hoc, & prius eodem anno Epiſcopatum reſignavit.

Rudegerus primus Epiſcopus Chiemenſis anno Domini MCCXXXII in locum Gebehardi depoſiti ſurrogatur Epiſcopatui Patavienſi, ſedit ibidem annis XVIII. Hic fuit natus de Radeck, & poſtea deponitur injuſte propter Papam Innocentium quartum, ſupervixit poſtea IV annis, & obiit anno MCCLIV.

Conradus II, filius Ducis N. Poloniæ, anno Domini MCCL in Epiſcopum Patavienſem eligitur. Sedit annum unum, deinde ad matrimonium convolavit, & ſic non fuit conſecratus.

Pertholdus Comes de Sigmaringen anno Domini MCCLI, frater Epiſcopi Ratiſponenſis Alberti, in Epiſcopum Patavienſem eligitur. Sedit annos tres, & obiit VIII. Cal. Februarii anno MCCLIV.

Otto de Londorff ingenuus, Canonicus & Archidiaconus ejusdem Eccleſiæ, anno Domini MCCLIV in Epiſcopum Patavienſem eligitur. Hic fuit vir piiſſimus, & Pater Cleri, qui non bella, ſed pacem diligens, Eccleſiam ſibi commiſſam hominibus & divitiis plurimum ampliavit. Sedit annis XI, & obiit IV. Id. Aprilis anno MCCLXV. Anno MCCLIX Seyfridus electus in Abbatem S. Crucis Viennæ conſecratur ab Ottone Epiſcopo.

Petrus Magiſter, vir doctus, anno Domini MCCLXV, Epiſcopus Patavienſis præficitur. Sedit annos XIV, menſes III. Obiit anno Domini MCCLXXIX, X. Cal. Martii, qui primus pontem trans Danubium Pataviæ fecit. Hic conſecravit Clauſtrum Viennæ, quod dicitur Porta Cœli. Idem anno Domini MCCLXXII dedicavit Clauſtrum Monialium S. Nicolai in Wienna. Ex Chronica Schaflaſenſis Monaſterii de electione Petri hujus ſequentia habentur: In locum videlicet Ottonis Epiſcopi primum poſtulatus eſt Dominus Werlodislaus, poſtea Salzburgenſis electus, ſed Dominus Petrus a Domino Papa Patavienſis præficitur, & Werlodislaus Salzburgenſis: & quam bene & mirabili modo utrique Eccleſiæ, videlicet Salzburgenſi & Patavienſi, ſit proviſum, a ſede Apoſtolica patet in literis a ſede Apoſtolica miſſis &c.

Wickardus ante Canonicus & Præpoſitus Patavienſis anno Domini MCCLXXX Epiſcopus eligitur, & ſedit annos IV. Obiit XVI. Cal. Januarii MCCLXXXIV.

Gotfridus de Weſtphalia, quondam Cancellarius Rudolfi Regis, anno Domini MCCLXXXIV Epiſcopus Patavienſis præficitur, ſedit annis duobus, & obiit XVI. Cal. Maji anno MCCLXXXVI.

Bernhardus, alias Bernherus, de Pranpach Canonicus ejusdem Eccleſiæ, ſedit annis XXX. Vir in manſuetudine etiam Moyſi coæqualis, qui multa pietate Patavienſem rexit Eccleſiam, & Beatorum Valentini Epiſcopi & Maximiliani corpora in loco humili repoſita, in tumba honorabili erecta de novo in medio Eccleſia Patavienſis deceptiſſime collocavit. Anno Domini MCCXCIX civitas Patavienſis ſe Domino ſuo Bernhardo oppoſuit. Deinde poſt hujus Epiſcopi obitum Eccleſia Patavienſis vacavit per ſeptennium.

Albertus II, Dux Saxoniæ, anno Domini MCCCXXIII Epiſcopus Patavienſis eligitur, & ſedit annis XX. Non bene rexit.

Gotfridus II de Weiſſeneck anno Domini MCCCXLIII Epiſcopus præficitur. Sedit annis XX, menſes IV, & fuit frater Ortolfi Archiepiſcopi Salzburgenſis.

Albertus III de Winckel anno Domini MCCCLXIII Epiſcopus eligitur. Sedit annis XVII, anno Domini MCCCLXXX obiit, vacavit deinde ſedes annum unum.

Johannes de Scherffenberg anno Domini MCCCLXXXI. Sedit annos VII.

Georgius Comes de Hochenloch anno Domini MCCCLXXXVIII Epiſcopus Patavienſis eligitur. Sedit annos XXXVI, & obiit anno MCCCCXXIV, VI. Id. Auguſti.

Leonardus nobilis de Laymyng anno Domini MCCCCXXIV Epiſcopus Patavienſis eligitur, ſedit annis XXVIII. Obiit VIII. Cal. Julii MCCCCLII.

Udalricus III de Nusdorff nobilis anno MCCCCLII Epiſcopus Patavienſis præficitur, ſedit annis XXVIII, obiit IV. Non. Septembris anno MCCCCLXXX. Hujus tempore Judæi emerant & particulas Corporis Chriſti a quodam Chriſtiano, nomine Chriſtophorus Eißgreißhamer, quas transmiſerunt, duas Pragam,

duas Salzburgam, duas ad Novam Civitatem, duas retinuerunt, quas combusserunt.

Fridericus, dictus Maurkircher, de genere militari, Canonicus ipsius Ecclesiæ anno Domini MCCCCLXXX, per electionem veram Capitularem in Episcopum Pataviensem assumitur. Sedit annis VI, non tamen consecratus, quia Georgius Hasler Cardinalis se ingessit, & intrusit per se & suos; attamen non pervenit ad dignitatem Episcopalem, nec unquam ut Episcopus Civitatem Pataviensem intravit. Ultimate compositione facta, receptis a Civitate Pataviæ decem millibus florenorum, hac ratione, quod ulterius nollet molestare eos, sic Episcopatu recedens a Patavia, & in aquis tendens versus Wiennam, subitanea morte obiit non longe a Patavia.

Georgius Hasler, Cardinalis, anno Domini MCCCCLXXX succedere attentavit. Obiit 21. die mensis Septembris, & fuit causa multorum malorum: nam Dux Georgius juvit partes Friderici, & venit ante civitatem Pataviensem, & incendit suburbana civitatis, & damna combustionis ferebantur ultra 60000. florenorum.

Fridericus Comes de Oetting, Canonicus Augustensis, anno Domini MCCCCLXXXVI in Episcopum Pataviensem postulatur, & confirmatur. Sedit annis IV, mensibus III. Obiit V. Non. Martii anno MCCCCXC.

Christoforus, dictus Schachner, anno Domini MCCCCXC Episcopus eligitur. Sedit annis X, & obiit II. Non. Januarii MD.

Wigileus Froschl, de genere militari, successit anno Domini MD. Sedit annis XV.

Ernestus Dux Bavariæ electus 1515.

VITA S. MAXIMILIANI LAUREACENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS,

AUCTORE ANONYMO.

EX CODD. MSS. CELLÆ S. MARIÆ IN AUSTRIA, S. PETRI SALTZBURG. LAMBACENSI, ET FORMBACENSI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. MArtyrologium Romanum duos nobis exhibet Maximilianos; unum ad diem 12. Octobris, Episcopum Laureacensem & Martyrem; alterum ad 29. mensis ejusdem, Martyrem itidem & incertæ sedis Episcopum. Tertium quendam cognominem Sanctum & Martyrem affert V. C. Joh. Mabillonius noster Tom. IV Vet. Anal. pag. 567, quo loco ejus acta post eruditissimum Baluzium recudi voluit. Nos prætermissis posterioribus duobus de Primo solum, cujus Vitam Stylo genuino scriptam, integram primum hic edimus, quædam more nostro observabimus.

II. Sanctum Maximilianum Laureacensem Archiepiscopum & Martyrem, jam VII Christi sæculo magno in honore cultuque apud Noricos fuisse, fidem facit Liber de donationibus Ecclesiæ Salisburgensi factis, qui manuscriptus extat in instructissima Bibliotheca Sancti Petri Salisburgensis, Ord. S. Benedicti, vulgatusque fuit ab Henrico Canisio Tom. VI Antiq. Lect. pag. 1147. In hujus libri cap. 2. S. Rudbertus primus Salisburgensium Episcopus in loco, cui nomen *Pongau* (in MS. Cod. San-Petrensi *Pangavv* scribitur) Ecclesiam construxisse dicitur, eamque S. Maximiliano consecrasse. *Facta autem ibi Ecclesia* (libri verba sunt) *S. Rudbertus convocavit ibi Theodobertum Ducem, & nunciavit ei ipsam causam per ordinem, & ita ab eo accepta potestate, consecravit ipsam in honore S. Maximiliani, & ipsum locum nominavit Pongau..... Et Dominus Rudbertus, Episcopus jussit ibidem Monachos suos & alios Clericos, fecitque ibi officium Dei fieri jugiter die noctuque, ad laudem & gloriam Dei.* Mirum, neque in hoc 2. neque in sequentibus 6. & 8. prædicti libri Capp. aut etiam in cap. 16. Vitæ S. Rudberti apud Canisium Tom. 6. pag. 1118, ubi de S. Maximiliano fit mentio, eundem vel *Martyrem* vel *Episcopum* appellari.

Kalen-

Kalendarium Tegernſeenſe ſcriptum ut minimum ab annis ſeptingentis, S. Maximiliani memoriam celebrat his verbis: *IV. Id. Octobris Maximiliani Confeſſoris.* Eadem omnino verba præfert quoddam Kalendarium Mellicenſe manu ſæculi XII exaratum. At aliud ejusdem loci & ætatis Kalendarium hæc habet: *IV. Id. Octobris, Maximiliani Epiſcopi & Confeſſoris.* Huic poſteriori Kalendario continenter ſubjungitur Ordo Miſſarum pro Dominicis variisque Sanctorum feſtivitatibus agendarum, eodem prorſus ævo deſcriptus. Inter has Miſſas præſcribitur & una die S. Maximiliano ſacro celebranda, qualis alias de Communi (ut ajunt) plurimorum Martyrum fieri conſuevit, in hunc modum: *S. Maximiliani. Salus autem.* Grad. *Vindica.* Offert. *Mirabilis.* Com. *Ego Vos.* In duobus Patavienſis Eccleſiæ Miſſalibus, quorum alterum Auguſtæ anno 1505, alterum Norimbergæ anno 1514. typis excuſum fuit, Miſſa de S. Maximiliano, ut uno Martyre & Epiſcopo, præfigitur, & per omnes Collectas ſeu orationes *Martyr & Pontifex* conſtanter dicitur. In Breviario vero ejusdem Eccleſiæ Venetiis anno 1517. vulgato, in cujus Kalendario die natali S. Maximiliani *ſummum feſtum* agendum præcipitur, duæ orationes habentur, in quarum una *Confeſſor* atque *Pontifex*, in altera *Martyr* atque *Pontifex* nominatur. In hodiernis denique Patavienſibus tabulis nomen *Epiſcopi* & *Martyris* ei perpetuo tribuitur. Neminem moveat, ut titulum *Martyris*, quo S. Maximilianus a Recentioribus paſſim honoratur, vocandum in dubium putet, propterea quod in vetuſtioribus monumentis nomine vel *Confeſſoris* tantum, vel *Epiſcopi & Confeſſoris* efferatur. Nam antiquis Eccleſiaſticis Scriptoribus iidem, qui revera Martyres extitere, perſæpe *Confeſſores* dicebantur, ut ex Johanne Antiocheno & Synodo Orientali in epiſtola ad Cyrillum, apud Facundum Hermianenſem lib. 8, S. Ambroſio lib. 2. ad Imp. Gratianum aliisque luculenter demonſtrat eruditiſſimus Carolus Cangius in Gloſſario Med. & Infim. Latinitatis voce *Confeſſores* pag. 1277, quem ſi lubet conſule.

III. Jam vero ad antiquiores Vitæ S. Maximiliani ſcriptores quod attinet, neceſſe eſt eam a Vetuſtiſſimo quodam auctore relatam in litteras fuiſſe, ſi quidem hac in re verus eſt ille, cujus ſcriptionem hîc repræſentamus. Is enim ſubjectæ vitæ num. 22. cum narraſſet, ſub Odoacro & Theodorico Regibus, Laureacenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis ſuffraganeis, Clericis, libris, Sanctorum Reliquiis & Corporibus eorundem in Italiam migraſſe, ſubdit: *Cum quibus etiam major pars corporis beati Maximiliani, & libellus vitam ſuam & miracula continens, eſt pariter aſportatus.* Quod an verum ſit, vehementer dubito: cum Eugippius, qui dictæ migrationi præſens interfuit, nihil hujusmodi in Vita Sancti Severini commemoret.

IV. Quis porro Vitæ S. Maximiliani, quam hîc ſubjicimus, auctor fuerit, haud ſatis conſtat. Verum ſi conjecturæ locus eſt, videtur fuiſſe Canonicus Patavienſis, quod in hujus vitæ ſerie SS. Maximilianum & Valentinum, *ſuos Patronos* paſſim appellitet, quo nomine Divos iſtos apud ſe aſſervatos præcipue venerantur Patavienſes. De ejus ætate rata ſatis exploratăque res eſt, eum poſt medium ſæculum Decimum tertium vixiſſe. Id quod ex his verbis Vitæ num. 15. & 16. aperte conficitur: *Sed nec hodie gratia largiſſima Salvatoris deſinit exauditum porrigere ob merita Sancti Viri ..... Anno namque 1265. IV. Cal. Novembris circa tertiam vigiliam noctis porta civitatis Patavienſis ſuper ripam Oeni verſus Monaſterium Sancti Nicolai per adulterinas traditorum*

rum claves aperta, hostibus patefecit introitum &c. Varia nobis hujus Vitæ exempla manuscripta in Mariæ-Cellensi Austriæ, Lambacensi, Lunælacensi, San-Petrensi & Vormpacensi Ordinis nostri Bibliothecis occurrerunt; sed nullum eorum sæculo decimo quinto antiquius. Ex his potissimum usi sumus Codice manuscripto Mariæ-Cellensi, nobis a Plurimum Reverendo D. P. Romano Frantz loci Priore, qui nos elapso triennio illuc visendæ Bibliothecæ causa profectos omni amore & humanitate complexus est, huic Mellicium cum aliis quibusdam MSS. Codd. benigne submisso conjectis a nobis ad oram variis lectionibus, quas reliqua suppeditarunt apographa.

V. Cæterum mira sunt, quæ Vitæ istius scriptor de amplitudine atque opulentia Diœcesis quondam Laureacensis num. 1. & 24. memoriæ prodidit. Quæ quidem neque adfirmare neque elevare est animus: cum idoneis Veterum testimoniis, quibus ea vel firmari possent vel refelli, destituamur. Interim inficiari nemo poterit, ex his, quæ de Veteri Archiepiscopatu Laureacensi noster Anonymus sub vitæ num. 21. 22. & 24. refert, ejusdem nobilissimæ olim Ecclesiæ tenebris lucem haud exiguam accendi. Neque dubitandum est, Auctorem illum (nempe Bernardum Noricum Cœnobitam Cremifanensem) Catalogi Archiepiscoporum Laureacensium & Episcoporum Pataviensium, cujus meminit Cl. Lambecius Comment. de Biblioth. Cæs. Vindobon. lib. 2. cap. 8. pag. 639. & 640, Appendicem secundam & tertiam memorato Catalogo subjunctas, rerumque Laureacensium narratione constantes, Auctoris nostri verbis, vitæ num. 21. 22. & 24. relatis, texuisse: siquidem dictarum duarum Appendicum initia a Lambecio recitata, cum numeris hujus Vitæ mox indicatis pene ad verbum conveniant, ut utrumque conferenti perspicuum fiet.

VI. Ad hæc nævos non paucos erratasque, quibus sæpe dicta hæc Vita variis in locis respersa fuerat, ope codicum manuscriptorum supra recensitorum, quoad ejus fieri potuit, emendare studuimus. Quod si non omnes valuimus, erit fortassis aliquando eruditorum nonnemo, qui emendatius exemplar aliunde nactus, eosdem persanabit. Quod superest, scriptis etiam suis sequioris ævi Scriptores S. Maximilianum Episcopum Laureacensem & Martyrem celebrarunt: in quorum numero sunt Vitus Arnpekius Chronici Bavariæ nec dum editi cap. XVII, Cuspinianus de Sanctis Austriæ Patronis pag. 663. Wolffgangus Lazius libro duodecimo Commentariorum de Republica Romana in exteris provinciis constituta, cap. 5. pag. 1073. Wiguleus Hundius in Metropoli Salisburgensi de Episcopis Laureacensibus & Pataviensibus pag. 287. Matthæus Raderus, eruditus S. J. Presbyter, Vol. I. Bavariæ Sanctæ pag. 16. Mirari tamen subit, apud omnes hos, quos mox memoravi scriptores, miracula, quæ deprecatore Divo Maximiliano patrata noster hic Anonymus a num. 16. usque 21. recenset, desiderari.

VITA INCIPIT.

1. SI Christiana Religio devota celebritate veneratur quoslibet Sanctos, quos vel scripto vel relatu præconante credit, & sperat per diversas mundi partes Deo placuisse suis meritis, & regni cœlestis gloriam possedisse; merita tamen Sanctissimi Patris & Patroni nostri Maximiliani eximiis laudum præconiis attollere nos debemus, cujus luculenta doctrina primitus aquitionem nominis Christi atque fidem Catholicam nacti sumus, cujusque pretioso cruore terra nostra rubricata est, cujus denique corporali præsentia fruimur, & patrocinio gubernamur. Tradunt namque scripta Sanctorum Hermagoræ & Fortunati discipulorum S. Marci Evangelistæ, quod post gloriosam Ascensionem Domini nostri Jesu Christi beati Apostoli, quos ipse Rex Regum & Dominus dominantium constituit Principes super omnem terram,

terram, cum jam in fines orbis terræ verba eorum exiſſent, & nimis confortatus eſſet principatus eorum; ipſi per ſe & per ſuos diſcipulos, ubi jam ſemen verbi Dei ſparſerunt, Eccleſias Cathedrales, tam Epiſcopatuum, quam Archiepiſcopatuum, propter vitandum confuſionis malum certis diſtinxerunt limitibus per univerſum orbem, & ipſas propriis ſacerdotibus commiſerunt regendas. Inter quas Sancta Laureacenſis Eccleſia nec tempore nec dignitate poſterior, nomen Metropolis & Archiepiſcopatus titulum primitus eſt ſortita. Cujus provinciæ termini fuiſſe dicuntur; ab oriente foſſatum Villanum [1]; ab occidente flumen Likaos, quod Germani Lech nominant, & per Mœſias Occidentales Napa, Ekara, Odrita; a meridie Liburnia, quam Drava flumen percurrit; ab aquilone autem Wandalus, Pelſa lacus [2], Tizla flumen. Infra quos terminos viginti duæ civitates famoſæ, nec minus opulentæ continebantur, quas omnes ipſe Laureacenſis Epiſcopus per ſe & ſuos ſuffraganeos gubernabat.

2. Celeia vero, una de numero civitatum præmiſſarum quondam opinatiſſima, divitiis referta, habitatore ſtipata, armis potens, generoſitate nobilium & illuſtrium civium inclyta, turrium atque marmoreorum palatiorum ædificiis inſignis, in rebus bellicis ex frequenti exercitio inſtructiſſima, atque ita celebris & famoſa extitit, ut quaſi altera Troja merito dici poſſet. Quæ, quia nulla poteſtas eſſe moroſa poteſt, ex permiſſione divina poſtmodum a Barbaris funditus everſa, in ingenti quantitate marmorum aliorumque pretioſorum lapidum, qui ex dirutis palatiis usque in hodiernum diem a quærentibus reperiuntur, ſuæ opulentiæ præteritæ adhuc indicia demonſtrat. In hac itaque civitate fuit quidam Vir generis nobilitate ſpectabilis, opibus locuples, morum honeſtate præfulgens, fide Catholicus, religioſitate cunctos præcellens, mœrentium conſolator, oppreſſorum injuſte pius relevator, viduis & orphanis multa beneficia impendens, quaſi patrem pauperum ſe reputans, univerſa miſericordiæ opera hilariter patrans. Qui omnibus horis uberrimas lachrymas & ſuſpiria profundens, Domino ſupplicabat, ut eum nunquam ſineret a ſua gratia ſeparari. Habuit etiam conſortem thori fœminam pudicam, nobilem, ſenſatam, ſobriam, taciturnam, virtutibus ornatam, modeſtia præminentem, & in nullo prorſus a ſuis moribus diſcrepantem: ex qua unicum tantummodo genuit filium; quem Maximilianum ſpiritu prophetico nuncupavit.

DE NOMINE EJUS.

3. Maximilianus namque quaſi *Maxima libans* dicitur, & quia *libare* duo ſignificata complectitur, guſtare ſcilicet & ſacrificare; non ſine magno quodam futuri myſterii præſagio tale ſortitus eſt nomen. Primo namque maxima libavit, dum guſtavit & vidit, quia bona eſt negotiatio thelauri cœleſtis, cujus etiam comparatione ſe & ſua omnia vilipendit. Secundo certe maxima libavit, dum ad exhortationem Prophetæ guſtavit & vidit, quoniam ſuavis eſt Dominus, cui in corde ſuo jugiter decantavit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine. Guſtavit, immo ardenti aviditate potatus eſt aqua ſapientiæ ſalutaris, quæ veriſſime facta eſt in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Tertio maxima libavit, dum per omne tempus vitæ ſuæ ſuper aram cordis ſacrificavit ſacrificium laudis, & reddidit Altiſſimo vota ſua. Quarto maxima libavit, dum a primævo infantiæ flore usque ad finem carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis juxta ſententiam Apoſtoli crucifixit. Quinto revera maxima libavit, dum vivens in carne, non deſiit immolare Deo gratiſſimum ſacrificium, ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum. Ad ultimum animam meritis plenam felicibus Chriſto, & cervicem innocentem pro Chriſto ſponte offerens percuſſori. Infantulus igitur iſte decorus forma, venuſtus aſpectu, hominibus gratus, Deo gratior, licet a parentibus, quibus erat junctus, educaretur delicate; nullis tamen deliciis illectus eſt, nec ſe ſtultitiis puerilibus immiſcuit, ſed omni manſuetudine & modeſtia ſatagebat, ut in eo nihil reprehenſibile notaretur.

4. Cum autem factus eſſet annorum ſeptem, commendabatur a parentibus cuidam Presbytero, nomine Oranio, miræ innocentiæ & approbatæ ſanctitatis viro; occulte tamen propter metum perſecutorum, ut eum ſacros apices & legem Domini, in qua ipſe Presbyter ſatis perfectus erat, inſtrueret. Quem ipſe puer aure benivola & intenta libentiſſime audiens, & tanquam patrem ſpiritualem ſemper concomitans, cuncta quæ ab eo vel ab aliis religioſis & ſapientibus didicit, in ventre memoriæ recondens, diligenter ruminare nunquam deſiit; ut tanquam animal mundum menſæ Dominicæ aptaretur. Cum vero terdecimum ætatis ſuæ annum attigiſſet; pater ipſius, ut ſemper optaverat, in confeſſione nominis Chriſti, plenus bonis operibus, felici fine migravit ad Dominum, matre adhuc ſuperſtite, & in ſanctitate converſationis & viduitatis propoſito perdurante; quæ etiam poſt ſex annos maritum ſecuta, feliciter diem clauſit extremum. Poſt obitum vero amborum beatus Maximilianus omnem familiam ſuam liberaliter manumiſit, de prædiis ſuis diſtribuens cuique ſecundum ſuam conditionem; reſiduum vero non in commercium vilium & infamium perſonarum velut ille prodigus filius diſſipavit, ſed in ſinum pauperum & Deo ſervientium abſcondit, certus ex promiſſione Dominica ſe poſt hanc vitam centuplum recepturum, & perennem gloriam poſſeſſurum.

5. Decurſis itaque innocenter infantiæ puerilisque annis, cum jam illam ætatem, cujus vias penitus ignorare ſe Sapiens aſſerit, permearet, adoleſcentiam ſcilicet, in qua calor naturalis intenſus juvenes effrænes in varias libidines & concupiſcentias accendit; juvenis iſte non dans petulantiæ operam, ſed cunctas hujus mundi

[1] *MS. S. Petri apud Salisburgam* Silvanum. *MS. Formbacenſe* Fillanum *&* Sillanum.

[2] *MS. Formbac. addit* vulgariter Pilſen-See.

mundi vanitates & oblectamenta respuens, immo dissolutorum & lascivorum juvenum contubernia cautus devitans (quia corrumpunt bonos mores colloquia prava) tanquam novus tyro Christi accinxit fortitudine lumbos suos, corroboravit brachium suum, accepit armaturam Dei calciatus pedes in præparationem Evangelii; inducit pro thorace justitiam, armavit se lorica fidei; assumpsit galeam salutis; apprehendit scutum inexpugnabile æquitatem; accinctus est gladio Spiritus, quod est verbum Dei; ut sic per arma justitiæ virtutis Dei munitus à dextris, contra cunctas spirituales nequitias propensius dimicaret.

6. Igitur cum Eutherius Laureacensis Archiepiscopus vocante Deo præsens sæculum reliquisset moriens; successit ei S. Quirinus, progenie quidem Serenissimus, sed morum honestate ac vitæ sanctitate longe nobilior; filius Illustris Philippi Senioris, qui Dominus Pannoniæ Superioris & Inferioris in Romanum Imperatorem est electus. Qui primus ex Romanis Imperatoribus fidem Catholicam in baptismi sacramentum accepit, ad prædicationem Origenis Doctoris egregii, filiumque suum quinque annos tantum habentem, sed industriæ naturalis & sapientiæ inæstimabilis maturitate pollentem, Catholicæ fidei simul & Imperii consortem assumpsit. Refertur etiam de illo puero, quod fuerit adeo severi animi, ut jam a quinquennii ætate nullo cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit, patremque ad spectaculorum solatia quandoque cachinnantem, quasi increpans notaverit verso vultu. Accepta igitur baptismi gratia, ambo Imperatores fidem exornantes moribus, & professionem justitiæ operibus approbantes, totum suum patrimonium de consensu & bona voluntate S. Quirini, qui erat ipsorum cohæres, Laureacensi Ecclesiæ liberaliter contulerunt: ac deinde Romam venientes, omnes thesauros proprios, & thesauros Reipublicæ quosdam Ecclesiæ Romanæ, cui tunc S. Fabianus Papa præfuit, donaverunt; ut templis idolorum dirutis, Ecclesias Deo construeret, & possessiones sibi & suis clericis compararet.

7. Porro Decius Tribunus, prædictorum Imperatorum servus, de Inferiori Pannonia de humili conditione natus, exaltatus fuerat, adeo ut jam primus in Imperatoris palatio haberetur. Sed idem jam partis opibus, & honoris culmine adepto surgens in Dominos suos, factus truculentior aspide surda, proditionis & fraudis virus, quod in cauda toxicatæ mentis jam diu collectum celaverat, ore pestifero evomens, utrumque uno die Imperatorem, patrem Veronæ, filium Romæ perimi procurabat; & sic imperium surripuit homo pestilens, inventor doli, magister mali, artifex facinoris, persecutor innocentiæ, filius Satanæ. Qui ut se sui patris imitatorem ostenderet, persecutionem immanissimam, quæ septima post Neronem fuit, in Christi membra exercuit. In qua sicut a Principibus sæcularibus jam dictis inchoaverat; ita Principes Ecclesiæ Fabianum, Cornelium, Sixtum cum suis Clericis, deinde Yppolitum & alios Christianos innumerabiles occidit: instigante ipsum diabolo, præcipue tamen avaritia sua propter thesauros prædictos, quos sitiebat, licet frustra: quia jam per manus pauperum, sicut beatus Laurentius testabatur, fuerant in Cœleste gazophylacium deportati. S. igitur Quirinus, cum per aliquot annos Laureacensem Ecclesiam rexisset, feliciter est assumptus ad Aquilegiensem Ecclesiam pro Primate: ubi post multa certamina, quæ pro Christo viriliter dimicaverat, demum persecutione in Christianos exorta sub Diocletiano Tyranno, odio Imperatorum, patris scilicet & fratris, glorioso martyrio coronatur. Post cujus assumptionem votis totius Cleri concorditer poscentibus, & vocibus totius populi conclamantibus, eligitur in Episcopum Laureacensem beatus Maximilianus: de quo generalis fama & rumor veridicus, quod non haberent parem in irreprehensibilis vitæ meritis, in sanctæ conversationis tenore, in sanæ quoque doctrinæ prærogativa, per universam provinciam testabatur. Ille vero, licet satis renitens, Pontificii culmen adeptus, ex hoc se non provectum, sed quasi projectum reputans, non elatus fascibus honoris, sed fasces oneris humeris suis adaptans, karitatis, humilitatis, continentiæ, modestiæ, pudicitiæ, sobrietatis, largitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum seriem quemadmodum antea & postmodum conservando, custodire quasi pupillam oculi sui satagebat.

8. Nacta itaque opportunitate, assumptis personis intentioni suæ competentibus, Romam proficiscitur visitare Principes Apostolorum: ubi a B. Sixto, qui tunc Ecclesiæ Romanæ præerat, benedictionem Apostolicam, & prædicandi verbum Dei auctoritatem accipiens, ad propria revertitur, Domino iter suum feliciter dirigente. Reversus igitur B. Maximilianus ad provinciam suam, officium assumptum tam strenue quam solerter exequens, arcam Domini de regione Philistinorum ad terram Israel super plaustro novo suis cervicibus divini amoris nexibus alligatam, armatus frontem geminis cornibus legis & Evangelii contra pernicios morsus luporum, & multa prole fœcundus, quam Christo per Evangelium genuit, mugitus prædicantium[1] grandes & frequentes emittens, non declinans ad dexteram elatus prosperitate, vel ad sinistram fractus adversitate, recto itinere toto nisu studuit reducere usque ad agrum veri Josue Bethsamitæ. Sparsit præterea fulgorem sui luminis non ut candela lucens aliis, sibi vero manens absque lumine tota consumitur; sed quasi supra candelabrum accensa lucerna. Totus igne divini amoris succensus ardebat, non deficiens lucens aliis, qui in ipso tanquam in clarissimo speculo sobrie, juste pieque vivendi cernebant imaginem & exemplar. Lucebat & aliis, quos ipse tanquam sol oriens in altissimis Dei, emissis a se radiis rutilantis doctrinæ a tenebris ignorantiæ excussos, vivaciter illuminavit. Quosdam enim in luto fœcis & ignaviæ mersos, absque germine bonorum operum ad maturitatem messis in

[1] *f.* prædicationum.

horrea

horrea Dominica colligendæ decoxit; quosdam vero vitiorum frigore congelatos, ut arderè discerent in amore Dei & proximi, calefecit. De promptuario etiam Dominico tritici mensuram acceptam, tanquam servus fidelis & prudens familiæ Domini sui, supra quam constitutus fuerat, dispensare sic studuit, ut non ipse jejunis faucibus tabescens alios pasceret; sed vigiliis, jejuniis & laboribus castigando corpus suum, & in servitutem redigendo, animam vero nunc sanctæ lectionis epulis, nunc sacræ contemplationis deliciis impinguans; tali moderamine cunctis pastum tribuit, ut in fide incipientes educans lactaret uberibus consolationis dulcissimæ; in spe proficientibus dapes apponeret confectas de fragmentis, quæ superfuerunt satiatis de quinque panibus & duobus piscibus, conditas etiam virtutum & exemplorum sanctorum Patrum aromatibus; in karitate perfectis robustiores cibos ministrans, colocynthidas tribulationum & passionum pro Christo sustinendarum ut dulcoraret, Helisæi farina respergens, & ad perseverantiæ consummationem promissione coronæ immarcessibilis invitaret; errantes autem & saucios, peccatorum vulneribus infundens oleum & vinum, arguendo, obsecrando, increpando ad pœnitentiam vocare conabatur in omni patientia & doctrina. Gentilium etiam incredulorum, quibus adhuc abundabat provincia, improbitates per evidentissimas rationes eorum erroribus via veritatis ostensa creatorem omnium agnoscere, & corpori sanctæ Ecclesiæ, extra quod nemo salvari potest, docuit couniri.

9. Gestiebat revera magis in altum erigere mores, quam muros; plus fovebat inopes quam caducas opes; jucundabatur magis in pauperum beneficiis, quam in transitoriis ædificiis; hospitalitatis decus super omnia complectens, patrimonium Crucifixi, cujus se procuratorem, non dominum esse sciebat, quantum ultra indigentiam supererat, fideliter distribuit membris Christi. Cum vero B. Maximilianus in vinea Domini evellens, destruens, dispergens, dissipans, ædificans & plantans, sic strenue laborasset usque ad vesperum; vocatur a Domino diurnum denarium accepturus. Appropinquante igitur vocationis suæ termino, cum jam fidei Catholicæ plantulam studiose per totam provinciam seviset, & eam salutaris doctrinæ fœcundis imbribus irrigasset; Domino jubente accessit ad locum suæ nativitatis, ut eadem tellus, quæ ipsum genuerat mundo, transmitteret Paradiso. Sciebat enim adhuc ibi quosdam errorum frutices in perniciem novæ segetis pullulare, quos evellere summa diligentia conatus, dum terram illam sarculo verbi Dei studiose foderet; invidente sibi hoste salutis humani generis, cœptum negotium simul & vitam interrupit una dies flebilis & infausta.

10. Anno Incarnationis Dominicæ 288, Urbis autem conditæ 1039, quidam Narbone in Gallia natus, nomine Carus, tricesimus ab Augusto Imperator est creatus Romanorum, habens duos filios Carinum & Numerianum: quos statim Cæsares faciens, cum eis regnavit tantumodo duobus annis; & sic corruptæ intentionis Principes summam Imperii tantum per biennium tenuerunt. Carus namque cum bellum gereret contra Persas, castra ponens supra Tigridem fluvium, ictu fulminis interiit. Numerianus vero cum esset apud Antiochiam, existens gentilis, voluit intrare Ecclesiam Dei, & mysteria Christianorum explorare. Quem cum S. Cyrillus ejusdem urbis Episcopus prohiberet, dicens, sibi non licere divina mysteria videre, qui pollutus esset sacrificiis idolorum; indignatus ille, occidit eum: mox & ipse cum dolore oculorum captus, in lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Carinus vero seipsum sceleribus iniquitatis inquinans, multos falsis criminibus occidens, & matronas nobilium vi corrumpens, omnibus invisus, trucidatur manibus cujusdam tribuni, cujus uxorem dicitur polluisse. Horum temporibus & ab eisdem mittitur ad urbem Celeiam quidam tyrannus, abusive dictus Judex secundum consuetudinem terræ, nomine Eulasius, ut insultus Hunnorum aut Tartarorum aut aliarum ferocium nationum ab Oriente cum fortissimis agminibus frequenter venientium, & terram illam, quæ tunc temporis Romanæ tributum solvens ditioni & tuitioni Romanæ suberat, acriter vastantium cohibere deberet viribus & præsidio Romanorum. Qui multas civitates pertransiens, valida manu Christianos quos invenit ad sacrificia idolorum traxit, nolentes vero sibi consentire, diversis cruciatibus interemit.

11. Ingressus igitur Eulasius urbem Celeiam in hora tertia noctis, in crastino jussit clamari voce præconis, ut universi utriusque sexus cujuscunque conditionis convenirent absque dilatione ad templum Martis, eumque placarent suis victimis & oblationibus; ut de hostibus, cum quibus in proximo congressuri erant, concederet triumphare. Nec mora, concurrunt omnes pagani, & cum eis plurimi, qui fidem Catholicam professi jam fuerant, alii metu tormentorum, alii levitate animi, ad præceptum tyranni simulacro thura cremantes, & varias victimas immolantes. Quo audito, B. Maximilianus prostravit se in pulvere, orans cum lacrymis & dicens: Domine Jesu Christe, qui propter inobedientiam primi parentis totum genus humanum de Paradisi deliciis ejectum in sententiam pœnalitatum & miseriæ; miseratus de sinu Patris descendens, tuo sanguine redimere dignatus es; respice de sublimi solio gloriæ tuæ. Ecce enim missus est lupus ingluviosus & insatiabilis, qui gregem tuum discerpere, & agnos tuos absque miseratione nititur absorbere. Da ergo Domine gloriam nomini tuo, & libera nos, ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? Dum autem sic orans & gemens procumberet, facta est vox ad eum dicens: Ne timueris Maximiliane, sed surge pergens confidenter, & confundas audaciam tyranni. Surrexit igitur, & signans se signaculo S. Crucis, intrepidus obtulit se in faciem nequissimi Judicis, dicens: Nonne tu missus eras ad istam terram, ut eam defensare deberes ab hostibus? Tu vero omni hoste pernicioſior, quos salvare debueras, perdis;

dis; quos tueri, proscribis, in discrimina pellis; quos a morte defendere, mortem inferre corporis & animæ non formidas. Sperabamus enim, quod tecum & per te salus multa nobis occurreret; & ecce! tu persequeris eum in suis famulis, qui est vera salus populi, qui dat salutem Regibus, per quem Reges regnant, sine quo nihil est validum, nihil sanctum.

12. Eulasius hæc audiens faciem immutavit, & super audacia Præsulis nimis indignans, & stridens dentibus in eum, torvo vultu dixit: Tune es ille garrulus, quem Christiani suum Pontificem appellant? Maximilianus constanter dixit: Ego Domini Jesu Christi servus sum, & utinam dignus. Impius Judex dixit: Quæ ergo temeraria & vesana præsumptio tibi persuasit, populum terræ istius tuis fallacibus sermocinationibus dementatum sic seducere, ut relictis & contemptis Diis immortalibus, cuidam homini ignoto, in Judæa crucifixo, divinos exhibeant honores? Maximilianus respondit: Ego non vesana, sed vere sana mente laboro, non seducere, sed reducere populos idola surda & muta ignoranter colentes, ad agnitionem unius Dei omnipotentis, qui solus vivit & regnat in æternum. Bene ergo idola tua dicuntur immortalia: quia nunquam morientur, eo quod nunquam vixisse probentur. Eulasius dixit: Nunc patet; quia insanis, quia dicis, Deos nostros esse surdos & mutos, & non vivere: cum dent responsa quærentibus, & sanent languentes, multaque beneficia petentibus præstent. Maximilianus respondit: Re vera non vivunt. Nam licet artifex ea formaverit, & sculpserit ad suum libitum; materia tamen eorum primitiva fuit inanimata substantia & insensibilis marmoris aut metalli, nec ipse artifex dare eis potuit spiritum vegetantem. Quem etsi dare potuisset, profecto talis factor dignior esset sua factura, & deberet potius adorari. Consueverunt autem Spiritus apostatici se in hujusmodi simulacris recipere, & stultos homines Deum verum non habentes; hac arte deludere; ut mala, quæ procurare machinantur, prænuntient eis tanquam futura; bona vero nulla prædicunt, quia semper bonis omnibus invident & resistunt: videntur etiam sanare languentes, cum desinunt inferre languores.

13. Eulasius dixit: Nunquid non nosti edictum ab invictissimis Imperatoribus & a Senatu Romano jam dudum emanasse, ut variis tormentis multentur omnes confitentes Deum esse crucifixum istum, quem tu prædicas, qui absque sacri Senatus auctoritate seipsum deificavit? Denique jam plurimi tuæ sectæ complices obstinata mente illam formidabilem ejusdem edicti sententiam tam in urbe Romana, quam in orbe alibi in suis corporibus experti, exemplum resipiscendi satis evidens visi sunt posteris reliquisse. Maximilianus respondit: Christus Jesus, ut testatur Apostolus, immo ipsa veritas per Apostolum, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo Patri Omnipotenti; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, Deitatem non perdens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Non ergo seipsum deificavit, neque ex homine factus est Deus, sicut tu errans asseris: quemadmodum Jupiter, & discipulus ejus Mercurius, aliique magi & malefici, qui suis veneficiis & incantationibus simplicibus hominibus illudentes, jusserunt se adorari, & Deos appellari. Præterea dicit Salomon de quibusdam idolis, quod acerbo luctu dolens pater cito rapti sibi filii fecit imaginem, & eum qui erat mortuus, colere pro Deo cœpit, constituitque inter servos suos sibi fieri sacra & sacrificia; & sic interveniente tempore, invalescente iniqua consuetudine error ille custodiebatur pro lege, unde tyrannorum imperio colebantur figmenta. Eodem quoque modo Ninus Rex Assyriorum patri suo Belo simulacrum constituit, quod fuit initium omnium idolorum. Mars etiam, quem tu colis, & adorare jubes; nihil aliud est, quam mors, unde & nomen accepit: & qui in mortibus hominum lætatur, hunc creditur adorare.

14. His auditis, nequissimus Judex nimio furore correptus, nec ultra se continere valens, furibunda mente invectus in eum, dixit: Fabulosa deliramenta, quæ tu continuare studes, audire vel animadvertere mihi fas non est: Sed nec occupationes meæ concedunt, muliebre tantum vulgus otiosum auditis fabulis delectatur. Tu vero quia invictissimo Deo Marti, a quo tota spes nostræ dependet salutis, blasphemans detraxisti: Nihil aliud restat, nisi ut sacrificando ipsum tibi reconcilies, aut placabis eum certe proprio sanguine, tuo capite amputato. Dixitque militibus: Festinanter ducite ipsum ad templum Martis: qui si sacrificare, & ab errore suo desistere decreverit, vitam & Pontificatum templi obtineat; sin autem, abscisso capite, libate Deo Marti invictissimo. Illico milites scelerati Sanctum Virum rapientes, duxerunt ad fanum Martis: & quia omnino recusavit sacrificare, sed in confessione nominis Christi constanter perstitit, occiderunt eum, sicut eis erat præceptum. Venientes autem Christiani nocte, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud juxta civitatem, humili quidem sepultura propter metum paganorum: ubi Dominus plurima signa & miracula per merita ipsius, sicut in vita sic & post mortem, ostendere dignatus est. Passus est autem B. Maximilianus, Laureacensis Archiepiscopus pro fide Christi apud urbem Celeiam extra muros anno Dominicæ Incarnationis [1] 281. quarto idus Octobris: Beato Gajo Papa, & postmodum sub Diocletiano passo, Romanæ Ecclesiæ præsidente, Caro, Carino & Numeriano simul Romanum Imperium tenentibus, sub Eulasio Judice seu tyranno.

15. Nunc ergo ne quis calumniator præsentem historiam dente mordaci lacerans, audeat excellentissima, immo evidentissima merita Patris & Patroni nostri Sanctissimi Maximiliani parvipendens abjicere, ecce testis adest gloriosus, & omni exceptione major B. Rupertus Juvavensium Archiepiscopus & Patronus. Qui a ripa Rheni de civitate Wormatia veniens ad istam provinciam, consummatis 220 [2] annis

[1] *MS. Formbac.* 289. *& MS. Lambacense* 288. III. Id. Oct.
[2] *MS. Lamb.* 350.

post

post passionem S. Maximiliani, vidensque illam A clarissimam & singularem hujus terræ lucernam lucentem in caliginoso loco, gemmamque pretiosissimam, corpus scil. B. Viri Maximiliani, virtutum & miraculorum scintillas innumerabiles spargentem, intelligens magnam & magnificam apud Deum esse meritorum suorum prærogativam; plures Ecclesias, (ut hodie liquido apparet) sub ipsius patrocinio dedicavit. Sed nec hodie gratia largissima Salvatoris desinit exauditum porrigere ob merita S. Viri; nisi cum diffidentia male credentium hæsitaverit ipsius præsidium implorare. Quis denique nisi mentis inops & perversus dubitare vel inficiari præsumat, per suffragia Sanctorum Patronorum contigisse nostrorum id, quod sum dicturus non tam præsentium, qui experientia teste noverunt; sed ut posteri nostri sciant esse perutile, immo B æquum & salutare, jugi & sincera devotione Sanctissimis Patronis nostris exhibere semper debitam reverentiam & honorem.

16. Anno namque Domini 1265. quarto Calendas Novembris circa tertiam vigiliam noctis porta [2] civitatis Pataviensis super ripam Oeni versus monasterium S. Nicolai per adulterinas traditorum claves aperta, liberum hostibus patefecit introitum. Qui clanculo intrantes, occupaverunt majorem Ecclesiam & superiorem curiam, & sacrarium irruperunt potenter, & patenter tenuerunt divina usque ad ortum solis, civibus non ad arma defensionis, sed ex desperatione ad fugæ solius remedium præparatis. Quid multa? contigit miraculum evidens & insigne. Hostes cum possent, nullo resistente, civitatem C & omnia quæ in ea erant quietissime possidere, ultro terga verterunt, &, unde venerant reversi sunt: nullo hominum persequente, sed solo beatorum Patronorum nostrorum, suffragio hoc apud divinam clementiam impetrante.

17. Erat quoque moderno tempore mulier quædam forensis, quæ ex diutino languore capitis tremorem vehementissime passa est. Hæc spe recuperandæ salutis vovit, se cum oblatione ituram Pataviam ad tumbam B. Maximiliani. Voto igitur persoluto, sentiens se illa plenissime quod petierat impetrasse, cum jam iter domum revertendi arriperet; quasi una de stultis mulieribus ingrata beneficii accepti, suæque salutis impatiens, blasphemans dixit: Experta sum, quod etiam Sancti sua subsidia pro muneribus largiuntur. Hoc dicto, mox mulier infelix agitare caput, languore reverso, cœpit, & ulterius non est curata languore.

18. Quidam civis, cujus nos novimus nomen & personam, passus acriter dolorem oculorum, quadam feria sexta summo diluculo jussit se duci ad tumbam S. Maximiliani, & ibi oratione fusa, cum devotione juxta tumbam residens obdormivit. Evigilante autem eo, ita recesserat ab eo dolor, ut statim surgens absque difficultate, iret ad negotiationem suam (nam dies fori erat) nec tentatore baculo indigens, nec ductore. Similiter & ille ingratus, quales pro tanto munere Christo reddiderit grates, magis arbitror esse silendum.

19. Quidam civis Ratisponensis se liberatum fuisse a languore, qui eum diu molestaverat, ad tumbam Sanctorum Maximiliani & Valentini oblato cereo, cum gratiarum actione verissime testabatur.

20. Quidam de Oedenburch cæcutiens, præcedente puero ductore, venit Pataviam ad altare prædictorum Sanctorum, sanitatis beneficium cum lachrymis devote flagitans. In crastino vidimus eum, abjecto tentatore baculo, pro recepto visu Deo & Sanctis suis gratiarum actiones uberrimas referentem.

21. Vidimus etiam quendam adolescentem in hospitali civitatis Patavensis ex longa infirmitate utroque poplite contracto, calces usque ad nates reflexos gerentem, manibus & genibus repere: moxque sanatis & solidatis compagibus & nervis erectum gradientem, Dei omnipotentis in Sanctis suis magnalia prædicantem. Hæc & alia inæstimabilia, sicut & innumerabilia miraculorum insignia, tam nostris, quam retroactis temporibus, Dominus & Salvator noster ob præclarissima nostrorum Patronorum Maximiliani & Valentini merita certissime patrare dignatus est; licet ea prædecessorum nostrorum iners negligentia, seu negligens inertia non curaverit per scripturæ notitiam in posteros propagare. Tunc igitur Sancta Laureacensis Ecclesia, sicut supra dictum est, tempore B. Petri per Apostolos & eorundem discipulos Catholica fide accensis [1], cum aliis Ecclesiis, utpote Aquilegiense, Ravennate, Beneventana, Æmilense, Mediolanense: & in Galliis Treverense, Agrippina, Mogontina, Bisontina, Lugdunense, Remense, Senonense, Rothomagense, Turonense, Bituricense, Burgdegalense, Arelatense, Brennense & Bracarense simul & semel ab eisdem Apostolis & eorundem discipulis illuminatæ fide Catholica, certis limitibus distinctæ sunt & constitutæ; sicut in historiis B. Hermagoræ & S. Fortunati, discipulorum B. Marci Evangelistæ, plenius continetur.

22. Posset nunc opponi ab aliquo. Primo: Quare sic pauci sint Archiepiscopi in Catalogo Ecclesiæ Laureacensis? Secundo: ubi sit Catalogus Suffraganeorum ipsius? Tertio: ubi sit Catalogus Ducum Austriæ, Stiriæ, Karinthiæ? Quarto: quare tam brevis sit Catalogus Regum Wabariæ sive Ducum? Ad primum & secundum taliter respondetur: quod Catalogus Archiepiscoporum Laureacensium, & Ecclesiarum Suffraganearum ipsius, tempore Odoacri Regis Rugorum, & Theodrici Regis Ostro-Gothorum, immo tota Ecclesia Laureacensis cum omnibus suis Suffraganeis, & populo utriusque sexus, parvis & magnis vitam retinere cupientibus, eorundem Regum formidine (cum unus esset barbarus, & alter pessimus Arianus) cum omnibus suis substantiis & Clericis, libris ac privilegiis Sanctorumque reliquiis, & Corporibus eorundem in Neapolim & universam Samnitarum [2] Italiam transmigrarunt, nil Pannoniis & Mœsiis memoriæ relinquentes: cum quibus er-

[1] *Deest in MS. Causa, ut est in MS. Formbac.* [2] *MS. Formbac. addit:* adhuc vulgariter Verlorn Tar.

[1] *L.* accensa. [2] *Ita MS.*

iam major pars corporis beati Maximiliani, & libellus vitam ſuam & miracula continens, eſt pariter aſportatus. De hac transmigratione B. Severinus Monachus Noricenſis in ſua vita, ubi poſtulabat a ſuis compatriotis, ut oſſa ſua in Italiam ſecum deferrent; facit plenariam mentionem. Et hæc ſit reſponſio pro duabus primis quæſtionibus. Ad tertiam & quartam quæſtionem dicitur, quod Auſtria, Stiria, Karinthia, ſed neque Wawaria, ſeu Mœſiæ Duces vel Reges habuerunt per multa tempora: quia ſub tributo Romanorum fuerunt, ſicut tota Germania & omnes Galliæ proprios Principes non habentes, niſi Romanos ſolumodo & provinciales Conſules, tributum ſolventes eisdem, pro Regibus eos habuerunt.

23. Poſſet etiam objici iterum, quod patrimonium Sanctorum Principum duorum Philipporum Auguſtorum, & S. Quirini, quod Sanctæ Laureacenſi Eccleſiæ donaverunt, ſimiliter fuit ſub tributo: Reſpondetur, quod non: quia ſtatim illi patrimonio ſive patriæ B. Quirinus, conſors eorundem Auguſtorum, fuit in defenſorem ſeu Patricium deputatus, donec Diocletiano Auguſto ſuſpectus ex eo, quod fuit frater & filius Auguſtorum prædeceſſorum ſuorum, occaſione Catholicæ fidei, & quod fuerat Archiepiſcopus Laureacenſis, ab eodem Diocletiano tyranno martyrio coronatur. Poſt paſſionem vero Beatorum Quirini & Maximiliani quis ſucceſſerit eis per plurima tempora in Archiepiſcopatus vel Patriarchatus officio, ignoratur; præſertim cum perſecutiones Chriſtianorum, & ſubverſiones Eccleſiarum & civitatum vaſtiſſimæ fuerint per diverſa prælia barbarorum, ita quod in plurimis locis, quæ quondam fuerunt magnæ & famoſæ civitates, deletæ ſint, & funditus extirpatæ, adeo quod nec veſtigium remanſit civitatis. Primum enim prælium fuit Gothorum & Gepidarum, deinde Hunnorum & Alanorum, poſtmodum Waldalorum [1] & Herulorum, ac poſt illos Marcomannorum, Quadorum, Sarmatum, & poſt illos Avarorum, Rugorum, ac etiam Winulorum, in fine peſſimorum Ungarorum, quibus noſtra patria, immo tota Europa diverſis temporibus miſerabiliter eſt concuſſa, ſicut hæc omnia in hiſtoriis ipſarum gentium declarantur. Et ſcire debet omnis homo, quod Catalogus Eccleſiæ Laureacenſis, & Regum ſive Ducum Bavariæ correctius & melius non poſſit ab aliquo annotari. Multis enim annis per diverſos hiſtoricos & infinita privilegia Eccleſiarum eſt laboratum, ut melius poſſit haberi, minui, vel augeri; ſed ſuadente veritate non potuit immutari. Sed ſi aliquo tempore aliud in contrarium apparuerit, poſſumus dicere, quod ſit apocryphum vel mendax ſcriptura.

24. Nunc reſtat videre, quantum fuerit de patrimonio Beatorum Principum Philipporum Imperatorum Romanorum, qui primi fidem Catholicam receperunt, & ipſum patrimonium ipſorum Laureacenſi Eccleſiæ donaverunt integraliter & liberaliter (ſicut ſupra dictum eſt) una cum Beato Quirino, qui eorum fuit conſors & cohæres. Patrimonium ſiquidem ipſorum habet [1] valvas ſive foſſatum Villanum, quod a mari Mediterraneo per Liburniam & Pannoniam dividens ipſas Pannonias & Mœſias, usque ad mare Oceanum per lacum Pelſchidis currit. Ab occidente vero flumen Licos (quod Germani Lech appellant;) & per Mœſias occidentales Napam, Ekram, & Odritam flumina, quæ vulgares aſſidentes eisdem Nab, Egr, Odram, Odor nominant. A meridie vero Liburnia, quam Drava, id eſt Draven flumen percurrit, a fonte Licaos usque ad valvas. Ab aquilone autem Wandalus, Pelſa lacus, & Teizla [2] flumen. Infra hanc patriam Liburniam, & Chrain excolentes per has civitates Flamines, & poſtmodum Epiſcopi ſucceſſerunt: qui omnes Prothoflamini Laureacenſi, ac deinde Archiepiſcopo ſubfuerunt. Ab inferius ſurſum Betonia, Celeja, Gradus-Solium, id eſt Sol, Liburnia, Sabona; per Pannonias Raba, Putuina, Auſtria, Faviana, id eſt Wienna, Laureacenſis, Valencia, id eſt Wels, Patavia, Frixinia, Ymbripolis ſive Ratiſpona; per Mœſias autem Tyrana, id eſt Tirna, Nitraba, Seclavia, id eſt Ygla, Veſtrana, id eſt Weitra, Curina [3], Wiſſegrada, id eſt Prag, & Herbipolis, id eſt Wirzcpurch, fuere. Has viginti duas civitates cum ſeipſa urbs Laureacenſis ut Suffraganeas ſibi ſubjectas in ſpiritualibus & temporalibus per ſuos Patricios Romanorum tempore antiquitus poſſidebat, quod dominium poſtmodum diverſorum Barbarorum ſævitia, Bawarorum & Noricorum malitia vacuavit.

25. Unde ſiquis admiretur, interrogans, ubinam ſit ſedes Laureacenſis Archiepiſcopatus; ubi Eccleſiæ ſuæ Suffraganeæ? Dicat ille mihi: Ubi eſt Rex Longobardorum? ubi regnum Gothorum, & alia plurima regna? de quibus tantumodo mentio & memoria in ſcriptis habetur, & non in rerum natura. Ecce! quot, & quantæ mutationes factæ ſunt noſtris temporibus in regnis & principatibus & terris? quæ ſi ſtylo explicante ad poſteros deductæ fuerint, invenient in eis & ipſi, quod poſſint neceſſario admirari, & vix fidem credulam adhibere. Anno ergo Domini 500. Theodo, primus Dux Bawarorum Romanos, qui terram iſtam Noricorum & Wawariæ multis annis tenuerant, apud Oetingam in bello proſtratos & devictos, de finibus illis ejecit & expulit, gentemque Noricorum & Bavarorum expulſam, & diu exulantem, redire ad proprias ſedes fecit: quæ deinceps non eſt effecta tributaria Romanorum. Explicit Vita Sancti Maximiliani Laureacenſis Archiepiſcopi & Martyris.

[1] *L.* Wandalorum.

[1] *Deeſt* ab Oriente. [2] *MS. Formb.* Teysla. *MS. S Petri Salzburg.* Teyſſa. [3] *MS. Formbac.* Cinerina. *MS. Lambac.* Burtinia. [4] *MS.* Formbac. 508. *MS. Lambac.* 608.

VITA SANCTI FLORIANI, PRINCIPIS OFFICII ET MARTYRIS.

AUCTORE ANONYMO PERANTIQUO.

EX COD. MS. BIBLIOTHECÆ SAN-EMMERAMMENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. SAnctus Florianus, qui Laureacum primariam Norici Ripenſis urbem, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, illuſtri martyrio nobilitavit, quatuor Vitæ ſuæ Scriptores ſortitus eſt anonymos. Primum, cujus lucubrationem nunquam antehac viſam primo loco damus, omnium antiquiſſimum maximæque fidei æſtimamus: quod & compendioſior ſit ac ſimplicior, ejusque verba & ſententias cæteri auctores adhibeant & amplificent. Alter prioris ſcriptionem in multis interpolavit auxitque, ut videre eſt apud V. C. God. Henſchenium in Actis SS. ad 4. diem menſis Maji Tom. I. p. 461, ubi eundem vulgavit notis eruditis illuſtratum. Extat & hic Vitæ Florianæ Interpolator in vaſto illo membranaceo Volumine, quo Chriſtophorus Liebius, diligentiſſimus ſæculi XV. Cœnobita Mellicenſis, Sanctorum acta complexus eſt: quem denuo typis ſubjicere non eſt viſum operæ pretium, propterea quod nihil fere diverſum ab editione Henſcheniana contineat. Tertius, isque (ita ſuſpicamur) Canonicus Regularis Florianenſis res a D. Floriano præclare geſtas verſibus heroicis perſecutus eſt, quem ſæculo XII. poſteriorem non extitiſſe, literarum ductus, quibus mox memorati verſus exarati ſunt in membraneo Codice Bibliothecæ San-Florianenſis, perſuadent. Hujus Auctoris fetum hactenus ineditum infra proferemus. Quartus S. Floriani encomiaſtes; quem primarius & ſinceris ejusdem Martyris actis ſubjungimus, omnia ſua, præter recentiora quædam miracula, ex tribus ſuperioribus mutuatus eſt, eoque cæteris inferiorem ætate, ſe fuiſſe demonſtrat, quo de ſuo loco plura videbimus. Nunc de primario Vitæ Scriptore quædam obſervare juvat.

II. Quis fuerit Auctor hic anonymus, aut quando floruerit, incertum; nullo penitus veſtigio ex ejus verbis relicto, ex quo ejusdem ætatem conditionemque intelligas. Superiorem tamen Beato Rhabano, ex Abbate Fuldenſi, Ord. S. Benedicti, anno DCCCXLVII. creato Archiepiſcopo Moguntino, vixiſſe hinc credam, quod is in ſuis Sanctorum faſtis ad IV. Non. Maji iisdem pene verbis, quibus Anonymus noſter, martyrium S. Floriani commemoret. *Quarto Nonas Maji*, inquit Rhabanus, *Paſſio S. Floriani Martyris, tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum, ſæviente iniquiſſimo Præſide Aquilino apud Noricum Ripenſem: qui cum ſe videret ſuperatum a Floriano, juſſit eum capitalem ſubire ſententiam, & duci ad fluvium Aneſum, & ibi præcipitari de ponte.* Quæ verba deſumpta videntur ex Anonymo noſtro, qui Vitæ num. 3. ſic habet: *Tunc iniquiſſimus Præſes, cum ſe ſuperatum vidit, juſſit eum duci ad fluvium Aneſum, & præcipitare de ponte.* Eadem fere leguntur apud Adonem & Uſuardum, Clariſſimos ex Ordine noſtro ſacrorum faſtorum conditores, aliosque apud Henſchenium relatos, loco ſuperius indicato.

III. Hanc porro vitam præter alia nonnulla ex Codice MS. annorum octingentorum, nobis dictantibus, tranſcripſit Admodum RR. D. P. Nonnoſus Hæckl, ſæpe jam laudati San-Emmerammenſis Cœnobii humaniſſimus

Aſceta,

Aſceta, qui cum lectiſſimis ſodalibus ſuis, Anſelmo Goudin, viro ſane ſuaviſſimo plurimumque de nobis merito; & Joſepho, cujus cognomen nunc non occurrit, labores noſtros opera ſua permultum relevarunt. Illud poſtremo Lectorem monendum duximus, perſtare hodieque in Auſtria ſuperiori ampliſſimum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium, nomine Sancti Floriani inſignitum, cujus Bibliothecam codicibus manu-ſcriptis locupletem anno MDCCXV. diligenter excuſſimus, favente Reverendiſſimo Domino Franciſco Claudio Kröll, inclytæ iſtius Canoniæ ſpectatiſſimo quondam Præpoſito. Cujus inſignem in nos munificentiam & favores minime vulgares experti ſumus, cum ibidem rei litterariæ gratia diebus aliquot moraremur. quod hoc loco in grati animi teſtimonium merito memorandum cenſuimus.

DE PASSIONE S. FLORIANI, IV. NON. MAJ.

1. IN diebus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, facta eſt perſecutio Chriſtianorum. Cæterum diverſis agonibus concertantes Chriſtiani, devota mente pro Domino ſupplicia ſuſtinebant, ut promiſſionibus Chriſti participes efficerentur. Cum veniſſet ergo ſacrilegorum Principum præceptio, apud Noricum Ripenſem [1] adminiſtrante Aquilino Præſide (qui veniens in caſtrum Lavoriacenſem [2] cœpit vehementer inquirere Chriſtianos); comprehenſi ſunt ab eo Sanctorum non minus quadraginta. Qui diutiſſime concertantes; & multis ſuppliciis cruciati, miſſi ſunt in carcerem: ad quorum confeſſionem beatus Florianus gaudens ſucceſſit. Audiens etenim tanta fieri in Lavoriaco, dixit ad ſuos: Oportet me Lavoriaco ire, & ibidem pro nomine Chriſti diverſa ſupplicia ſuſtinere. Cum autem veniſſet illuc, & ad commilitones ſuos perveniſſet, cum quibus antea militaverat: & ut audivit ab eis, quod Chriſtiani ad ſacrificia idolorum quærebantur; dixit eis: Quid aliud quæritis? nam & ego Chriſtianus ſum. Ite, & nuntiate Præſidi, quia hic ſum.

2. Præſes autem Aquilinus audiens de eo, vocavit eum ad ſe, & juſſit thus ſacrificare. Quod cum ut faceret non poſſet compellere eum, juſſit eum fuſtibus cædi, iterumque cæſus permanſit fidelis. Tunc quoque Præſes juſſit ſcapulas ejus acutis ferreis confringi quod beatus Florianus totum cum gaudio ſuſcepit, & glorificabat Deum. Tunc iniquiſſimus Præſes, cum ſe ſuperatum vidit, juſſit eum duci ad fluvium [1] Aneſum, & ibi præcipitare de ponte. Beatus Florianus, data ſuper ſe ſententia mortis, gaudens & exultans ibat ad mortem: quia ad vitam ſe credidit deſtinatum æternam.

3. Ligato autem lapide magno ad collum ejus, juvenis quidam ſævus nimis præcipitabat eum de ponte in fluvium; & ſtatim oculi ejus crepuerunt. Fluvius autem ſuſcipiens Martyrem Chriſti expavit, & elevatis undis in quendam eminentiorem ſaxum corpus ejus depoſuit. Tunc juſſu Dei adveniens aquila expanſis alis protegebat eum.

4. Sed beatus Florianus in viſione apparuit cuidam matronæ Deo devotæ, indicavitque ei, quo loco eum conderet humo. Mulier autem hac viſione commonita ſtatim junxit animaliola, & ad fluvium perrexit, & præ timore gentilium in virgultis eum involvit, deducens ad locum ubi ſepeliret eum. Laſſatis autem animaliolis, & mulier tremens oravit Dominum, ut ſubveniret ei. Et ſtatim in eodem loco fons largus effluxit, & reficiens animaliola perduxit ad locum, & ſepelivit: in quo loco fiunt ſanitates multæ, & omnes, qui ex fide petierint, impetrabunt miſericordiam Dei. Vitæ etenim ſanctitas, & conſtantia fidei athletas Chriſti coronat, & cum palma martyrii ad vitam æternam perducit: auxiliante Rege æterno Domino Jeſu Chriſto, qui una cum Patre & Spiritu Sancto vivit & permanet Deus verus in ſæcula ſæculorum Amen.

[1] *Ita MS.* [2] *al.* Lauriacenſe.

[1] *al.* Aniſum, Onaſum, Anaſum &c. vulgo die Enß.

ALIA

ALIA VITA S. FLORIANI M.

AB

ANONYMO QUODAM, UT VIDETUR, CANONICO SANCTI FLORIANENSI COMPOSITA

EX COD. MS. BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ALteram S. Floriani Martyris Vitam, quam ex codice chartaceo Bibliothecæ noſtræ Mellicenſis eruimus, in præſens exhibemus. Codex, unde tranſcripſimus, ſæculum decimum quintum non excedebat, continebatque præter Vitam non *Prologum* modo, ſed & *Commendationem* ſeu elogium S. Floriani ex locis communibus contextum: quod utrumque deeſt apud Godefridum Henſchenium, qui eadem hæc acta ex codice manu ſcripto Carthuſiæ Gamnicenſis deſcripta, & a Johanne Gamanſio ſibi ſubmiſſa, primum publicavit in Actis SS. Tom. I. menſis May pag. 464. Miracula, quæ ſuo ævo eveniſſe ſcribit hic Auctor vitæ num. 15, ab alio quopiam adjecta fuiſſe, non eſt quod cum Gamanſio, ex quo in Commentario prævio ad hæc Acta id notat Henſchenius, ſuſpicemur: neque enim ex Vitæ vel miraculorum hiſtoria veſtigium ullum apparet, alium vitæ, alium miraculorum fuiſſe ſcriptorem. Certe utraque in MS. noſtro Mellicenſi ab una eademque manu exarata manifeſte cernuntur. Contulimus ſtudioſe mox memoratum Monaſterii noſtri codicem cum editione Henſcheniana, & ſi quas alicujus momenti lectiones quæ a noſtro MS. variant, in ea deprehendimus, eas ad oram apponere non prætermiſimus.

II. At vero quis hujus ſcripti auctor, aut cujus is ætatis? An ex Canonicorum Regularium Sancti Floriani cætu quidam hic fuit? Id ſane videri queat tum ex num. 3, ubi haud obſcure Sancti Floriani *famulis*, quorum nomine Florianenſes Canonicos Regulares non male quis accipiat, ſe ſcriptor accenſet. Tum quod miracula nonnulla, quæ ſpeciatim in *Monaſterio* S. Floriano *dedicato* geſta ſunt, diſtinctius exponat, quam exterorum quisquam facile reſcire, ne dum ſcribere potuiſſet. Sed ſit hæc, quod eſt, conjectura mera. Ætatem porro, qua vixerit anonymus iſte S. Floriani laudator, certo definire non auſim, quandoquidem nullum ejus ſtatuendæ ſatis certum ſuppetit argumentum. Quod ſi Ciſtercienſis Abbatis illius, quem Vitæ num. 17. ab adverſantibus ſibi Monachis præfectura dejectum, ope vero S. Floriani denuo reſtitutum narrat, nomen locumve expreſſiſſet, eam haud difficulter vel ex Caſp. Bruſchio vel ex Jongelino fortaſſis intelligeremus. Godefridus Henſchenius in Annotatis ad hanc Vitam, Abbatem illum Cœnobio Hilarienſi, vulgo Wilhering, præfuiſſe cenſet. At Bruſchius, qui in Chronico ſuo, ſive Centuria ſecunda pag. 113. edita a V. C. Daniele Neſſelio, Præſulum hujus loci geſta ſingillatim accurateque deſcripſit, neminem eorum unum affert, in quem Hilarienſes Cœnobitæ hujusmodi facinus, quale num. 17. refertur, admiſiſſent. Utcunque ſe res habeat, Anonymum hunc non admodum antiquum eſſe poſſimum id ſuadet, quod, cum ſcriptioni ſuæ operam daret, incerti Poetæ, illius (cujus ætatem veriſimiliter ad ſæculum duodecimum revocandam eſſe, in obſervationibus prævis ad primarium Vitæ Florianæ Scriptorem num. I. ſupra docuimus) heroicum de præclaris S. Floriani geſtis Carmen præ oculis habuerit, indeque, præter *Commendationem* & *Miracula*, ſua hauſerit. Siquidem

dem quas in eo comparationes & allegorias vetus ille Poeta, quem huic ſecundæ S. Floriani Vitæ poſt antiquos de eodem ſancto hymnos & Orationes adjungemus, frequenter adhibet, easdem prorſus in Anonymi noſtri lucubratione deprehendas. Ut appareat, a præſenti Vitæ proſaicæ conditore prioris Poema converſum in proſam fuiſſe, quemadmodum utrumque curioſe conferenti liquidum evadet. Accedit, quod ſæpe dictus anonymus Poeta Florianenſis *Commendationem & Miracula*, quæ copioſe proſequitur Auctor noſter, penitus prætermiſerit. quod utique longe recentiorem ejus ætatem haud parum declarat. Sed ſatis de hoc Auctore, nunc ipſum loquentem audiamus.

PROLOGUS IN PASSIONEM S. FLORIANI MILITIS ET MARTYRIS.

EXliminatis primis parentibus, telo ſerpentinæ ſuggeſtionis vulnere lethifero (proh dolor!) ſauciatis; tota ſucceſſiva propago paternæ corruptionis particeps, voluptuoſi paradiſi fuit ſolatio deſtituta, dicente propheta: *Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Coepit igitur humanum genus in terra non ſua, in terra videlicet tenebroſa & operta mortis caligine, peregrina calamitate miſerabiliter fatigatis. Ubidum per multum temporis ſub importabili jugo laterum, ſæviente in eum tenebrarum principe, deſudaſſet, nec quisquam eſſet, qui adjuvaret; clamaverunt univerſi ad Dominum, ut mitteret eis Salvatorem. Motus igitur miſericordia cæleſtis ille paterfamilias afflictionem populi ſui reſpexit, mittensque Filium ſuum unigenitum, dixit: *Verebuntur Filium meum.* Adveniente igitur hærede deſiderabiliter expectato, cognoverunt hi, qui in tenebris erant, mirabilia Dei, & juſtitiam ejus in terra oblivionis, quia viderunt jugum Pharaonis vi computruiſſe olei. Rex autem Ægypti videns fortiorem ſe dividere ſpolia, graviter indoluit, & volens illud genus Patriarcharum homagii titulo poſſidere, univerſa compita præcludi fecit, prohibens, ne quisquam domum vetuſtam obſitus magno duce Jheſu terræ promiſſæ dulcedinem degustaret. Continuo nova lux habitantibus in regione umbræ mortis oriri viſa eſt: quia Oriens ex alto deſcendens non pertulit mundum teneri amplius ſub potestate principis tenebrarum, ſed verbi divini præcones direxit, qui radiis ſacræ fidei ſparſis mundum cæleſti lumine, veteris erroris tetra caligine, illustrarent. Sicque factum eſt, ut cæli enarrarent magnalia Dei, & ſonus eorum in omnem terram exiret. Vinea quoque non paſſa deinceps ſegnitiem agricolarum, extendit palmites ſuos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus. Ab hac etiam vinea cælitus plantata prodiit palmes fæcundiſſimus, Beatus videlicet Florianus.

DE NOMINE EJUS.

2. Dicitur autem Florianus a flore & anno: eo quod florido tempore animam ſuam pro Domino fundens ſanguinem, florigerum cœli viridarium ingredi meruiſſet. Vel Florianus dicitur quaſi floreis ramus: quia ſicut ramus flores producit, ut fructus pariat; ſic ille plenus virtutum floribus in domo Domini fructificavit. Vel Florianus dicitur quaſi flos anas, id eſt flos excelſus: & hoc, vel propter eminentiam meriti apud Deum, vel propter ſæcularis dignitatis apicem, qua floruit in terris. Vel Florianus dicitur per ethymologiam quaſi flos rigans animum: eo quod dulcedine ſanæ prædicationis, & exemplo diræ paſſionis multorum corda ad lamenta pœnitentiæ provocaſſet. Vel Florianus dicitur quaſi floridus animo: eo quod conſcientiæ ſuæ ſecretarium nullis unquam vitiorum ſordibus inquinaſſet. Vel Florianus dicitur quaſi flos anus, id eſt flos antiquus: eo quod in primitiva Eccleſia, ferente, imaniſſima perſecutionis ſævitia, Domino ſe dederit holocauſtum.

INCIPIT PASSIO EJUSDEM S. FLORIANI.

3. Hic nimirum Florianus, genere Tewtunicus, Imperialis militiæ per Orientalem Bawariam Princeps fuit. Invenitur enim in Cronicis, quod cum totus mundus Romanis eſſet ſubjectus; habebant in qualibet regione militiam, ſuo obſequio pro annuo ſtipendio deputatam; ut ſi quando regio vel provincia aliqua Romanæ potentiæ rebellare præſumeret, militia regionum vicinarum, repugnantium audaciam continuo refrænaret. Unde, cum Orientalis Waharia (quæ olim Ripenſis Norica, nunc autem Auſtria nuncupatur, cujus termini ab Oeno flumine usque ad confinia protendun-tur Pannoniæ) Romano ſubjecta eſſet Imperio; quemadmodum per Præſides, qui ad civitatem Lauriacenſem ab eisdem mittebantur, patenter oſtenditur; habebant etiam in eadem provincia militiam copioſam. Et quia S. Florianus dignitate rerum & familia cæteris præpollebat, principatum eiusdem militiæ meruit adipiſci. Fuit enim reſidens in caſtro, quod tunc Cecia, nunc vero Zaizzelmauer appellatur, quod cum omnibus ſuis attinentiis ordinatione divina poſtmodum ceſſit Eccleſiæ in poſſeſſionem, ut ſicut Reliquiarum ſuarum ornaretur theſauro; ſic etiam prædiorum ſuorum habitudine ditaretur: & quo vivens in perſona propria uſus fuerat, eodem etiam mortuus per ſuos famulos frueretur. In illis temporibus gentilis feritas duos apros emiſit ſæviſſimos, Dioclefianum videlicet & Maximianum, qui dentibus nefandis vineam Domini exterminio devaſtarent.

[1] *Henſchenio perperam nova.*

rent. Nam cum cederet eisdem cura Monarchiæ gubernanda; mox Imperialibus fascibus intumentes, ardenter desiderant illud genus electum de medio tollere, quod inclyta mater Ecclesia cœlesti Sponso juncta progenerat. Quapropter gentes fremunt, & populi meditantur inania, Reges quoque cum principibus in unum conveniunt contra Christum. Tunc Imperatores miserunt edictum universis provinciis atque regnis, ut quicunque Christo divinitatem adscriberet; mortis dispendium sub diversis suppliciis pateretur. Hujus itaque mandati executor erat vir effrænis, sæva bestia, humani sanguinis cupidus; nomine Aquilinus. Qui cum fines Noricorum Præsidis functus officio subintraret, cœpit scrutari ubique habitacula fidelium, tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. Ingrediens tandem plenus crudelitate nobile castrum Lauriacense (quod divitiarum copia, armorum virtute, populi numerositate, murorum amplitudine, famæ celebritate adeo cæteris præminebat, ut vix Romanam arcem præferri sibi pateretur) cœpit persequi & alligare cunctos, qui se Christianos profitebantur. Comprehensa est igitur magna fidelium multitudo: quibus ante tribunal judicis constitutis, parati sunt pro fide Christi omnibus exigentibus reddere rationem; non eos metuentes, qui potestatem habent corruptibilem massam corporis dissolvendi, sed potius eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Et quia nulla tormentorum species eorum adamantina pectora potuit inmutare, ideo subsannaverunt cassa molimina Præsidis, minas ipsius ac promissa levi vento simillima reputantes. Quapropter jubet quosdam occidi, quosdam retrudi in carcerem, quoad usque excogitaret, quibus tormentorum studiis præsentis vitæ solatio privarentur, si jussis suis obtemperare contemnerent. Divulgatur igitur rumor per universum regionis circuitum de Martyrum glorioso certamine.

4. Interea Florianus, inclytus miles Christi, florens ut palma, & quasi cedrus in Libano germinans, terrenis rebus tenui radice inhæsit, paratus opportunitate nacta pretiosam margaritam cœlestis regni, venditis omnibus, comparare, & Christi vestigia nudus sequi. Tegebat [1] enim vota Christianæ religionis ornamento sæcularis militiæ, juxta similitudinem grani sub palea latitantis. Qui cum apud urbem Ceciam, ut dictum est, honorabilis haberetur; audivit qualiter Aquilinus Præses ausu temerario Confessores Christiani nominis diris e terra cruciatibus extirparet: & condolens medullitus eorum innocentiæ, desiderio mox accenditur passionis; ut sicut præiret dignitate transitoria, sic & præcelleret sempiterna. Compassibilis enim charitas in corde suo id effecerat, ut potius vita præsenti vellet destitui, quam sævæ necis fidelium auditum lamentabilem tolerare. Talibus ergo desideriis succensus, socios reliquos fideliter adhortatur, ut ardor similis eorum pectora inflammaret: & valedicens suis, pariterque manumittens, iter cum quadraginta militibus festinus arripuit, terram propriam velut Abraham derelinquens. Appropians autem mœnibus Lauriaci, quæ sancti torcular calcantes martyrii, vestes suas rubicundo sanguine conspersérunt; videt nuntios præfati tyranni de longe adventare, paratos more vulpecularum Vineam Domini morsibus nefariis demoliri. Quibus dum super pontem Anesi intrepidus occurrisset, causam eorum velocis itineris scisitatur. Cui vultu placido, utpote jure [1] reverendo, protinus responderunt: Nunquid non nosti, quod Romani principes, missis decretis, universum mundum talibus legibus astrinxerunt, ut ubique locorum majestas Deorum per quos Romana viget potentia, & Respublica incrementum recipit, sacrificiis debeat honorari? Insuper comprehendi jubent quosdam vesanos, qui Christum ignominiose crucifixum colunt & prædicant, & Deos nostros invictissimos contemnentes, eorum templa astruunt subvertenda: & nisi a sacrilega superstitione cessaverint, deosque nostros adoraverint, diversis suppliciis interibunt. Præses igitur nos direxit, ut hujus sectæ sacrilegos perscrutemur; & vinctos suis conspectibus præsentemus. Continuo Martyr intrepidus, quia cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, dixit legatis: Fratres & Commilitones, si quæritis servos Domini Jhesu Christi, qui de cœlis ad terram veniens, & morte sua mortis imperium superans, humanum genus tanquam fidus opilio Angelorum cœtui aggregavit; revertentes nuntiate præsidi, quia ego Christianus sum, & hic præsto sum. Præterea sciat præses, quod illi soli Deo milito, & omnia dura pati pro ejus amore desidero. His auditis milites, qui missi fuerant felle commoti, continuerunt aures suas velut aspis surda, quæ aures suas obturat, ne possit audire vocem venefici incantantis, & comprehensum eum præsentaverunt præfato judici, sic dicentes: Quid aliud quærimus? Ecce Florianus Princeps officii nostri, maligna suggestione deceptus, fatetur se fore discipulum ejus, qui dicitur Christus. Mox præses, velut sterilis ficulnea, quæ fructum non parit, sed terram inutiliter occupat, invidens etiam alienæ fertilitati, contra ipsum furore nimio inflammatur. Condescendens tamen suæ nobilitati, blandis prius ipsum sermonibus aggreditur, si forte sic posset eum a suo proposito revocare. Eo vero in suo voto inmutabiliter persistente, asperrimis minarum terroribus flectere satagit cor ipsius sacrificiis idolorum.

5. Quibus etiam parvipensis, præcepit Aquilinus, ut juxta præcepta Imperialia magnum Jovem velocius adoraret, alioquin velut rebellis Imperio ipsius [2] puniretur. At ille, quia vivum & placens sese Domino dederat holocaustum, Jovis simulacrum respuit, dicens ad præsidem: Non ego colam saxa tua Deitatis honore vacua; sed tu, qui saxeus es, & ratione velut saxa cares, saxeis Diis honorem debes impendere. Tunc præses ira repletus, jubet ipsum invitum trahi ad sacrificium, si forte sic superari posset. Beatus autem Florianus elevatis

[1] *Henschen.* tegebant.

[1] *Henschen.* viro. [2] *Henschen.* gravius.

oculis in cœlum oravit; dicens: Domine Jhesu Christe, spes & summa salus omnium te invocantium, in te speravi, te negare non possum; sed tibi milito, & laudis sacrificium offero. Protege me dextera tua, & da mihi tolerandi virtutem. Suscipe me ad sanctos athletas tuos, qui ante me conversi, confessi sunt sanctum nomen tuum. Indue me, Domine, stola candida virtutis tuæ, confirmans Spiritum Sanctum tuum in me; & ne permittas me conculcari a diabolo: quoniam concilium malignantium obsedit me, & tauri pingues dilacerare me cupiunt. Sed tu, pie pastor, scutum protectionis tuæ accipe, & tuo veni in adjutorium tyronni, quia tu es benedictus in sæcula; Amen. Mox fervida flamma succendit pectus judicis plenum irarum fomite, eo quod nullam præceptis suis videret reverentiam exhiberi. Jussit igitur, ut latera ejus cum tergo fustium ictibus fortiter tunderentur. Cum autem diutius cæderetur, adeo vultum hilarem prætendebat, ac si lavacri refrigerio frueretur. Et volens exemplum constantiæ fidelibus se præstare, dixit ad præsidem: corporis mei potestatem habes, sed non animæ: ideo noce, quantum potes, quia nullo modo tuis præceptionibus acquiescam. Ut autem cognoscas, quod tormenta tua non paveam, ignem vehementem accendi præcipias, & super eum in nomine Dei mei securus incedam. Tunc præses, inter diros verberum cruciatus, eidem denuo persuadebat, ut Diis offerret libamina. Dixit [1] enim: Floriane amicissime, annue præceptis meis, & immensis te muneribus honorabo. Beatus Florianus respondit: Jussioni tuæ pareo, quantum decet militem: absit autem a me, ut dæmonibus sacrificem, aut eorum fantasmata adorem. Præterea verba tua tanquam plena ludibrio respuo; sed Christum verum Deum adoro, quem etiam colui, cum adhuc humanam militiam exercebam. Post hæc jubet ipsum tyrannus multo gravius fustigari, ut lapis ille pretiosus magis politus, in structuram supernæ Jerusalem aptior fieret. Sed nec sic vinci poterat: quoniam interior homo tantæ contemplationis dulcedinem gustaverat; sic quod exterior plagas illatas minime sentiebat. Tunc sceleratissimus Aquilinus acrius furens præcepit scapulas sancti viri ferreis uncis radicitus evelli. Ipse vero Deus eidem scapulis suis taliter obumbravit, ut omnia pœnarum genera pro nihilo duceret; imo pro Christi nomine mucrone fidei strenue dimicans, profanos tortores penitus confutaret. Videns autem præses, quod eum superare non posset, exacuens linguam suam ut gladium, infremuit, & ait: Ecce magus iste fortior nobis existit, & nisi dira sententia mortis puniatur, studiis magicis omnem subvertet populum: & (quod deterius est) superstitiosa Christianorum præsumptio adeo roborabitur, quod templa Deorum nostrorum destruant, & fiat novissimus error pejor priore. Magis ergo convenit unum hominem interimi, quam cunctum populum in errorem deduci. Continuo dedit in eum sententiam dicens: suspendatur lapidum A moles in collum ejus, & præcipitetur de ponte in flumen Anesi; ut sui sequentes hac pœna territi, a sua stultitia resipiscant. Sic saxeus Aquilinus, ob amorem saxeorum Deorum, saxo punit athletam Christi fortissimum, dum saxis offerre libamina respuit.

6. Beatus igitur Florianus, data super se mortis sententia, gaudens & exultans ibat ad locum supplicii; quoniam ad vitam se credidit pervenire æternam. Cum autem pontis medium, ubi præcipitari jussus fuerat, attigisset; appenderunt collo ejus saxum gravissimum: ministri tamen nefandi sceleris, victi prece Martyris, orandi spatium concesserunt. Et stans contra partes orientis, expansis ad Deum manibus, offerebat in ara cordis mundarum precum holocaustomata: quia fervor divini amoris pectus ejus viva flamma jam accenderat. Dedit autem Dominus tantam virtutem precibus intra se fusis, quod sævi tortores manus sibi verebantur inmittere. Et cum orando spatium unius horæ fere jam complesset; accurrens juvenis maligno spiritu agitatus, astantes redarguit dicens: Quid hic tota die otio vacatis? Cur invicti præsidis jussa negligitis? Num & vos sacrilego dogmate corrupti estis? Et irruens in eum furibundus, fortissimum Christi agonistam in oratione stantem, & saxi molem collo gerentem; dejecit in fluvium. Confestim justo Dei judicio pœnam emeritam pro tanti ausu facinoris excepit: oculi namque ejus crepuerunt, ut interior cordis cæcitas exteriore caligine manifesta fieret. Martyre vero ad ima cadente, suscipit unda stupefacta venerabile corpus cadentis, & in altum se erigens, in cacumine cujusdam magni [1] lapidis collocavit. Sicque Dei providentia factum est, ut Martyri Sancto passo, pro petra Christo, per appensionem gravis petræ daretur locus requietionis in eminenti petra. Mox durities petræ divino nutu in seipsam juxta longitudinem Martyris reflexa, locum sancto corpori quiescendi tribuit, quemadmodum in præsentiarum cernitur. Quo facto Christus, firmissima suorum custodia dilectorum, custodem sibi cælitus aquilam destinavit; ut per avem ratione carentem, irrationales actus vesani præsidis confutaret. Quæ tanquam custos fidissima non devorans, sed conservans corpus exanime, salutiferæ crucis signum expansis alis super ipsum expressit; ut facturam rationalem detestaretur, quæ fidem crucifixi evacuare nitebatur, & crucis mysterium abhorrebat.

7. Tunc quædam religiosa vidua, nomine Valeria, omni virtutum munere ditissima, à beato Floriano per visum monita, sacratissimum corpus occulte sepeliendum rapuit. Et quia rabiem gentilium formidabat, eo quod adhuc esset lucerna latens sub modio, circumvolvit reverendum thesaurum virgultis & frondibus, & vehiculo imposuit, quasi hortum suum sepis auxilio munire disponeret. Et quamvis illa stella clarissima ramusculis abscondita ecclypsim corporis pateretur; miraculorum tamen radiis coruscabat. Nam cum fidelis illa matrona iter suum metu gentilium accelerare contenderet;

[1] *Hensch.* dixitque ei.

[1] *hæc vox* magni *deest apud Hensch.*

tenderet; animalia, quæ sacrum corpus ducebant, siti ac æstu lassata, dum pene pervenissent ad locum, ubi Martyr se humandum monstraverat, adeo defecerunt, ut ultra progredi non valerent. Sed prudens fœmina, mittens manum suam ad fortia, opem divinæ misericordiæ suppliciter postulabat, dicens in hæc verba: Domine Jesu Christe, cujus munera præsto sunt omnibus, qui puro corde tua poscunt suffragia, adesto mihi famulæ tuæ, & fac me inceptum iter perficere. Mox Christi benignitas, quæ Sanctos suos mirificat, volens etiam venerandas Reliquias prædicti Martyris gloria decorare, jussit erumpere de terra fontem affluentissimum, qui manans aquis indeficientibus, memorabile factum usque hodie protestatur. Hoc autem ideo factum est, ut per omnia elementa sanctitas glorioſi Martyris probaretur. Aqua enim in altum se erigens, corpus sacrum reverenter in petræ cacumine imposuit; petræ durities ex ignis elemento proveniens, in se ipsam reflexa, locum requiescendi tribuit; aër aquilam custodem dirigit; terra de abysso fontem producit: ex quo fonte dum refecta fuissent sufficienter animalia onus pretiosum vehentia, incepti cursum itineris sine lassitudinis obstaculo peregerunt. Veniente autem memorata vidua ad locum sibi divinitus designatum, cum debita devotione tradidit ipsum Ecclesiasticæ sepulturæ; cum magna tamen festinatione, propter imminentem amarissimæ persecutionis formidinem. Et ut ampliori reverentia corpus humatum veneraretur in terris, ostendit Dominus prope tumulum ejusdem permulta miracula, quam celebris in aula cœlestis patriæ haberetur. Quotquot enim ægrotantes illuc confluxerunt, sanitatis beneficium acceperunt. Acta sunt autem hæc circa annum Domini CCC. tempore Diocletiani & Maximi [1] Imperatorum.

COMMENDATIO EJUSDEM.

8. Sciendum, quod pretiosissimus Christi Martyr Florianus sortitus est nomen suum propter varios virtutum flores, quibus fuit fulcitus pariter & ornatus. Habuit enim in se primo florem vitis per sacræ fidei propagationem. Duobus namque modis speciosissimam Ecclesiæ vineam dilatavit; uno modo, quia immensam multitudinem numero fidelium aggregavit; alio, quia diversarum provinciarum incolas lumen fecit agnoscere veritatis. Cum enim Sanctus Florianus in inferioribus partibus Austriæ Imperialis militiæ gubernator resideret, ad partes superiores gentis Wabaricæ passurus pro Domino proficiscens, quadraginta socios secum ad palmam martyrii invitabat: & mittens illos in vineam Domini ad extirpandos frutices idolatricæ pravitatis, secutus est illum Ewangelicum patrem familias, qui stantes in foro otiosos ad excolendam vineam destinavit. Unde non incongrue de eo dici potest: *Qui prævaluit amplificare civitatem; qui adeptus gloriam in conversatione gentis, & domum ingressus, atrium amplificatus est.* Et illud: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Fideliter enim dispensavit, dum lucrandis animabus ferventi desiderio invigilavit. Fideliter dispensavit, dum alios secum ad æternæ vitæ bravium perducere festinavit. Fideliter dispensavit, dum se & suos divino dominio felici commercio mancipavit. Quanti autem meriti sit ampliare fidem Christi, ostendit Augustinus sic dicens: *Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam fidem Catholicam insciis cordibus demonstrare.* Et quia Sanctus Florianus, idipsum solerter fecisse agnoscitur, ideo fuit verissime sicut vitis abundans in lateribus domus suæ.

9. Secundo habuit in se florem violæ per sui ipsius humiliationem. Viola enim propter sui parvitatem humilitatem signat. Et quia sola humilitas, ut dicit Gregorius, bona hominis Deo redolere facit; ideo Sanctus iste triplicem humilitatem ostenditur habuisse, videlicet sufficientem, abundantem, & superabundantem. Sufficientem habuit, cum transitoriæ respuit gloriam dignitatis; abundantem habuit, cum sese voluntarie suis longe minoribus subjugavit; superabundantem habuit, cum seipsum penitus abnegans Christi vestigia est secutus. Hæc tria in hoc verissime demonstrantur: quia cum de nobilissima prosapia duxisset originem, rebusque vallatus & familia, cunctis adversariis suis semetipsum sævis tortoribus vinculandum tradidit. Perexit igitur sanctissimus ille miles viam artam, quæ ducit ad cœlestem patriam, humilitatis pede, secundum quod dicit Augustinus: *Humiliter ad humilem venite, si amatis, & ne discedatis ab illo, ne cadatis.*

10. Tertio habuit in se florem lilii per munditiam castitatis. Castitas enim propter sui puritatem lilio comparatur. Unde in Canticis: *Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias.* Et licet ille devotus Christi tyro foris militari Zemate [1] frueretur, thorum tamen nescivit in delicto; imo spiritu facta carnis mortificavit, considerans secundum Ecclesiasticum, quod *omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* In commendationem hujus virtutis dicit Johannes Chrysostomus: *Gaude innocens pudicitia, & exulta: quia ubique illæsa es. Si pugnas, vincis: Si occideris, coronaris.* Quod autem vitam castam beatus Florianus duxerit, patet ex eo: quia in principio suæ conversionis nec uxorem, nec liberos legitur habuisse. Merito igitur germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.

11. Quarto habuit in se florem mali per justitiæ rectitudinem, rotunditas enim mali rectitudinem justitiæ signat. Unde Augustinus de Doctrina Christiana: *Sicut ratio rotunditatis eadem est in magno disco, & in nummo exiguo, ut a puncto medio lineæ pares extrema ducant: ita cum quispiam aliqua parva juste gerit, non minuitur ex eo justitiæ magnitudo.* Et quia justitia secundum Macrobium est, servare unicuique quod suum est; beatus Florianus justissimus fuit:

[1] *al.* Maximiani [2] *integra hæc* Commendatio *deest apud Henschen.*

[1] *f.* Schemate.

quia ſervavit unicuique, quod ſuum fuit, videlicet ſuperiori, inferiori, & æquali. Ante ſe habuit priores, ſubtus ſe minores, a dextris amicos, a ſiniſtris inimicos. Reddidit ergo ſingulis, quod ſuum fuit. Prioribus ſervavit obedientiam: quia ſuadente ſibi præſide, quod ſuis juſſionibus obediret, dixit ſe velle parere illis, quantum deceret militem. Minoribus exhibuit doctrinam: quia cum in corde ſuo pati pro Domino firmiter propoſuiſſet, ad idem deſiderium collegas ſuos fideliter hortabatur. Amicis fidelibus præbuit lætitiam: quia cum cæderetur, adeo vultum hilarem prætendebat, ac ſi refrigerio lavacri frueretur. Inimicis dedit patientiam: quia perſequentium injurias ſine tumultuatione pertulit, & opprobria exprobantibus non objecit, ſicut patuit in juvene, qui præmiſſis verbis pompoſis, vehementi impetu præcipitavit ipſum in fluvium. Sicut igitur malus inter ligna ſylvarum; ſic dilectus iſte Deo fuit inter filias.

12. Quinto habuit in ſe florem olivæ per miſericordiæ pietatem. Ad hujus virtutis exercitium moverunt eum tria, ſcilicet amoris magnitudo, vitæ innocentia, & innata nobilitas. Adeo enim ſanctus ille miſerator extitit, ut dolores aliorum æquanimiter tolerare non poſſet, imo ſuos veraciter æſtimaret. Unde legitur de eo, quod cum audiret Lauriacii [1] athletas Chriſti fortiſſimi certaminis pondere fatigari, dixit ad ſuos vernaculos: oportet me Lauriacum ire, & ibidem pro nomine Chriſti diverſa ſupplicia ſuſtinere. quaſi diceret: Tantum compatior Chriſtianorum doloribus, quod cum eis pati deſidero. Et quia alienam miſeriam in præſenti per compaſſionem ſibi aſſumpſit, ideo in regno cœlorum a propria miſeria meruit liberari. Propter hoc fuit ſanctus ille ſicut oliva fructificans in domo Domini, & ſicut novella olivæ in circuitu menſæ Domini.

Sexto habuit in ſe florem ficus per dulcedinem charitatis: habuit enim Florianus triplicem charitatem, videlicet incipientem, proficientem, & perfectam. Incipientem habuit quoad ferventiſſimum deſiderium ſeſe ad Dominum convertendi. Unde dixit, ſicut præmiſſum eſt: oportet me Lauriacum ire. Hoc enim verbum *oportet* incitamentum ardentiſſimæ dilectionis ſignat. Proficientem habuit quo ad promptiſſimum animum mortem pro Domino ſufferendi. Unde ſcriptum eſt, quod, data ſuper ſe ſententia mortis, gaudens & exultans ibat ad mortem: quia ad vitam ſe credidit pervenire æternam. Perfectam habuit quoad ſedulam confortationem corda ſociorum ſecum tolerantium. Præterea de eo legitur, quod fidelibus exemplum ſe conſtantiam [2] præſtabat, dum ad martyrii coronam feſtinabat. De hac triplici charitate dicit Auguſtinus: *Charitas ex deſiderio naſcitur, tribulationibus roboratur, conſiliis perficitur.* Fuit igitur ſanctus ille ficus benedicta per fructuum abundantiam, diſtans ab ea, cui maledixit Dominus dicens: *Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum.*

13. Septimo in ſe habuit florem roſæ per patientiæ fortitudinem. Conſiſtit autem fortitudo in tribus, ſicut dicit Tullius, ſcilicet in magnanimitate, in fidentia, in perſeverantia. Beatus Florianus magnanimitatem habuit, cum dixit ad præſidem: Tantum noce, quantum potes, quia præceptis tuis nullatenus aquieſcam. Confidentiam habuit, cum dixit: Ut ſcias, quod tormenta tua non paveam, ignem vehementem accendi præcipias, & ſuper eum in nomine Dei mei ſecurus incedam. Perſeverantiam habuit, cum dixit: Age quod vis, quia nec verborum blanditiis, nec minarum terroribus a rectitudine fidei me poteris ſeparare. Fuit igitur ſicut vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, & ſicut roſa fulgens in Jericho.

14. Octavo habuit in ſe florem palmæ per ſuſceptionem aureolæ triumphalis: de tribus etenim prædictus Martyr triumphavit, videlicet de carne, de mundo, de diabolo. Carnem vicit: cum ad nullius pœnalitatis inflictionem, perturbationis moleſtiam incurrit. Mundum vicit: cum omnia delectabilia mundi luto ſimillima reputavit. Diabolum vicit: cum omnium ſuggeſtionum ſuarum machinationibus viriliter reſtitit. Et quia perfectio victoriæ conſideratur ex duobus, videlicet ex magnitudine paſſionis, & ex cauſa pugnæ; patet, quod beatus Florianus perfectiſſimam victoriam ſit adeptus. Fuit enim paſſio ejus maxima, quemadmodum per binam fuſtigationem, per ſcapularum evulſionem, per aquæ ſubmerſionem cognoſci poteſt. Cauſa vero pugnæ ipſius Chriſtus fuit: quia martyrem non facit pugna, ſed cauſa pugnæ, id eſt mors ſuſcepta pro Chriſto. Propter hoc ſicut palma in Cades meruit ſollemniter exaltari.

15. Nono habuit in ſe florem nardi per odoramentum miraculoſæ operationis. Sicut enim nardus contuſa totam domum, in qua teritur, odoris ſui fragrantia replet; ſic beatus Florianus perſecutorum manibus confractus, odorifera virtute ſuorum miraculorum totam Eccleſiam perluſtravit. Unde recte de eo dicitur: *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Redemptor etenim Dominus noſter Jheſus Chriſtus, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, in accubitu ſuo fuit: cum poſt reſurrectionem ſuam cœlos aſcendit, & in ſinu Patris ſtolam immortalitatis indutus requievit. Nardus ſua dedit odorem: cum credentes in eum humanitatis ejus gloriam auribus infidelium per odorem ſuaviſſimæ prædicationis inſtillaverunt, & divinitatis ejus potentiam miraculorum operibus probaverunt. Unde dicit Gregorius: *Sicut aromata odorem ſuum, cum incenduntur, expandunt; ita viri ſancti omne, quod de virtutibus redolet, in tribulationibus innoteſcunt.* Beatus igitur Florianus clariſſimis miraculis redolebat, quemadmodum tempore paſſionis ejus patuit, per præcipitatoris excæcationem, in via per fontis ſcaturiginem, in ſepultura per infirmorum curationem, nunc autem per innumera declaratur miracula, quæ per eum cottidie operatur clementia Salvatoris: ex quibus etiam pauca ſubſcripta ſunt, quæ

[1] Laureaci. [2] *f.* Conſtantiæ.

quæ noſtris temporibus ſcimus, & credimus eſſe facta.

MIRACULA EJUSDEM MARTYRIS CHRISTI.

16. In quodam monaſterio ſibi dedicato dies natalis prædicti Martyris agebatur. Ad quam ſollemnitatem dum maxima multitudo hominum ex diverſis regionibus confluxiſſet; quidam etiam miles devotionis cauſa, mortales habens inimicitias, adventavit. Qui cum a ſuis hoſtibus in cimiterio graviſſimis fuiſſet vulneribus ſauciatus; vi compulſus ad monaſterium auffugit, corruens ante altare ſemivivus. Ubi dum per modicum quieviſſet, cunctis admirantibus ſurrexit incolumis, omnibus vulneribus reſanatis.

17. Item cum quidam cliens quandam capellam, in honore prædicti Martyris conſecratam, violento brachio cauſa ſpolii confregiſſet, & malo malum ſuperaddens, poſt deprædationem incendio ſunditus devaſtaſſet; in obſequio domini ſui denuo ſe recepit. Cumque ſtaret coram eo quaſi ſecurus; ciphum [1] manu tenens, divino judicio ſubito corruit, & ſpiritum exhalavit. Ipſa vero capella ſine reformationis beneficio longo tempore exiſtente, accidit ut quidam Abbas Ordinis Ciſtercienſis, cujus monaſterium eidem capellæ fuit contiguum, adeo gravem perſecutionem a fratribus pateretur, ut etiam abbatiam dimittere cogeretur. Eodem tempore quidam Monachus ejusdem ordinis, qui beatum Florianum ſpecialiter diligebat, caſu quodam ſuperveniens, audivit de capellæ deſolatione, & de Abbatis depoſitione. Et advocans eum, qui depoſitus fuerat, conſilium ſibi dedit, ut Deo & beato Floriano promiteret, quod capellam dirutam reformaret, & ſine dubio gradum reciperet priſtinæ dignitatis. Qui cum votum hujusmodi emiſiſſet, & etiam poſtmodum compleviſſet; ad priſtinum honorem in brevi ſpatio meruit ſublimari.

18. Item cum tres latrones quandam capellam S. Floriani intenderent ſpoliare, nec ingreſſum poſſent habere per oſtium; unus eorum tecto confracto inſiliit. Et quærens inſtrumentum, quo ſeram confringeret, ut reliquis ſociis pararet introitum; ad quamcunque partem latro declinavit, illuc etiam imago prædicti Martyris reſpiciens [2] ſe convertit. Quod dum latro conſideraret, & ſtaret ſtupefactus; redarguitura ſociis foris ſtantibus, cur moram faceret in aperiendo: & narrans eis viſionem, juſſerunt ut faciem imaginis altaris mappa velaret: ne poſſet intueri quid faceret. Uſus igitur eorum conſilio, ſocios intromiſit, qui aſportaverunt inde quidquid volebant. Et cum non longe ab eccleſia diſceſſiſſent, unus eorum, qui faciem imaginis velare juſſerat, in furiam converſus miſerabiliter expiravit. Alter vero in equo reſidens, in Danubium ſeipſum præcipitavit, & ſic vitam finivit. Tertius vero, qui introrſus fuerat, videns ultionem divinam, compunctus corde ad Sacerdotem properat, & ei omnia quæ geſta ſunt ſecundum ordinem confitetur.

19. Item quædam, fœmina religioſa tanto tempore ægrotaverat, quod viribus corporis omnimodis deſtituta, uſum etiam pedum habere non potuit. Cumque vitæ [1] dubia ſic decumberet, vidit per ſomnium, quaſi multitudo languentium juxta fontem S. Floriani quieſceret, & ſanitatem cœlitus expectaret. Ipſis vero moram ibidem aliquantulam facientibus, unus ægrotantium clamavit, dicens: Curationis beneficium non accipiemus, niſi prius veniat talis fœmina, illa nominatim expreſſa. Evigilans autem mulier, Sacerdoti viſionem recitat, & ut eam ad fontem duci faciat, Miſſamque pro ea de prædicto Martyre peragat, obnixius ſupplicat. Sacerdos igitur ejus petitioni ſatisfaciens, ipſam transduci, & ad fontem deponi fecit; ipſe vero Miſſæ officium inchoavit. Mirabile dictu! circa medium Miſſæ mulier ad genua ſe erexit, & poſt puſillum ad veniam ſe proſtravit. Sicque factum eſt, ut quæ manibus portantium ſubnixa intraverat, completo officio, per merita prædicti Martyris, ad plauſtrum [2] ſine adjutorio remearet.

20. Item cum quidam operarius, ibidem ubi [3] ſepultus eſt, de muro monaſterii corruiſſet, & confractis genitalibus, dolore vehementiſſimo gravaretur [4]; accidit ut quodam die feriato præ nimio dolore in monaſterio reſideret, & aliis exeuntibus, ipſe foras egredi non valebat. Quapropter ad altare in medio monaſterii poſitum ſeſe reclinavit; ubi dum per modicum temporis quieviſſet, ſurrexit ſanus, nullum deinceps ex eadem fractura gravamen perſentiens. Hæc & alia beneficia, quæ enumerare longum eſſet, Dominus per merita beati Floriani cottidie operatur. Igitur o beatiſſime Floriane, purpuree flos Eden [5]; ad veſperam vitæ mortalis, quæ luceſcit in requiem ſanctis, ad finem curſus ſtadii præſentis, dum bravium accipitur Dei miſerentis, nobis tarde currentibus, tamen [6] fide, ſpe tendentibus, ut ad regnum perveniamus ſupernum, ſuccurre nunc & in æternum. Quod nobis præſtare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

[1] *al.* Scyphum. [2] *vox* reſpiciens *abeſt ab editione Henſch.*

[1] Vitæ dubia *non habet Henſch.* [2] *Henſch.* ad claſtium. [3] *Henſch. addit* ſanctus. [4] *Henſch.* gravatus. *Quæ vero a voce* accidit *usque ad* in monaſterio *hic interjiciuntur, deſunt apud Henſch.* [5] *Henſch.* Innocentiæ. [6] *Henſch. omiſſa voce* tamen, tua fide, ſpe & caritate, ut &c.

Integrum porro de S. Floriano M. officium, eadem ſæculi XV. manu exaratum, quod ejusdem vitæ, a nobis mox exhibitæ, in Codice noſtro Mellicenſi ſubjungitur, edere hoc loco prætermiſimus: retentis ſolum duobus de eodem ſancto hymnis, totidemque collectis ſeu orationibus, quas hic damus.

HYMNUS

HYMNUS IN VESPERIS.

GRatuletur Ecclesia,
Nova meli præconia
Deo canens cum gratia,
Pro FLORIANI gloria,
Hic apud urbem Ceciam
Linquens domum, familiam,
Lauriacum accelerat,
Qua Sanctos pati noverat.
Mox à commilitonibus
Tentus, verbis, verberibus
Jam multatur, jam frangitur,
Nec a fide reflectitur.
Hinc uncis fractis scapulis,
Vir insons sine maculis,
Dum jactatur in flumine,
Tortor privatur lumine.
In petra corpus nobile
Cura servatur aquilæ.
Ut se terræ mandet, piam
Martyr monet Valeriam.
Cum ad humandum ducitur,
Jumentum siti premitur:
Mire tamen reficitur,
Fons novus quia funditur.
Exultat cœli curia
De spiritus præsentia:
Sancta carnis materia
Gaudet Ripensis Norica.
Sit Trinitati gloria
Pro Martyris victoria:
Cujus nobis oratio
Sit scelerum remissio. Amen.

HYMNUS IN LAUDIBUS.

SÆpe Martyr verberatus,
Uncis carnes laceratus,
Deum, dicens, colo Trinum,
Confutavit Aquilinum.
Idem facis Aquiline,
Quod prementes florem spinæ.
Punis, premis sanctum florem,
Reddit pressus flos odorem.
Nunc o Martyr Deo chare,
Fac nos hostes debellare.
Impugnantes fidem Christi,
Quam tenendo non cessisti.
Præstet hoc cum Patre Natus,
Simul utriusque Flatus:
Quorum compar est Majestas,
Honor perpes & potestas. Amen.

COLLECTA PROPRIA DE S. FLORIANO.

Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per beati Floriani Martyris, sociorumque ejus merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus protegamur adversis.

ITEM ALIA.

Deus, qui nos annua beati Floriani Martyris tui gloriosæ passionis sollemnitate lætificas, sollita pietatis tuæ largitate benignus concede; ut cujus hodie famosum victoriæ triumphum pio amore veneramur in terris, societatis ejus lætitiam adipisci te largiente mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

VITA EJUSDEM S. FLORIANI MARTYRIS.

AB

INCERTO AUCTORE METRICE SCRIPTA.

EX COD. MS. INCLYTÆ CANONIÆ SAN-FLORIANENSIS, ORD. CAN. REG. S. AUGUSTINI,

NUNC PRIMUM ERUTA.

PROLOGUS.

ADgrediar metricis FLORIANI Martyris almi
Laude pia dignam modulis perstringere palmam,
Te monstrante viam, qui præstas Christe Sophiam:
Martyr ades, calamumque juves insufficientem.
Annue conanti tua sacra referre trophæa.
Nam devota tibi mens æstuat inclyte Palmes.

Versibus consequentibus præfigitur hic in Codice titulus: Incipit Passio Beati Floriani Martyris.

VInea plantata justis in Patribus olim,
A vino Patrum quia degeneravit, acetum
Pernicioſa ſuo cultori reddidit. Ergo
Agricola mundata novo mox palmite multo
Vitem fœcundans generoſas edidit uvas.
Quas tamen ad prælum traxit manus impia ſævi
Tortoris, fluxitque decens & nobile muſtum:
Unde calix Domini præclarus inebriat omnes,
Quos portare juvat onus æſtus, atque diei.
Degeneres etenim poſtquam, veteresque colonos
Traxit in invidiam magni Patris inclytus hæres,
Dampnavitque reos necis auctores, ſcelus auſos;
Vinea paſſa ſitim turpem, reparanda locatur
Agricolis, apto referant qui tempore fructum.
Ad quam conducto denarius unicus omni
Expectandus erit, mercesque promiſſa laboris.
Prodit ab hac vite palmes purgatus ad unguem,
Purpureus rutilo, roſeoque flore coruſcus,
Præclarum de flore trahens nomen FLORIANUS:
Cujus ſuavis odor mundi per climata fragrat.
Quem tanquam lignum ſacer irroravit aquarum
Decurſus, cujus folium non decidit, & qui
Martyrii fructus in tempore reddidit apto:
Namque ſupra petram ſundata domus fuit ejus.
Non ergo poterat ventis concuſſa moveri.
Cum fera tempeſtas, ſævis aquilonibus acta,
Per mare mundanum furiali turbine currens
Naviculam Petri, Domino capiente ſoporem,
Mergere tentabat, & ovile lupi lacerabant.

Mane quidem primo postquam pater exiit almus,
Et fecundus ager gravidatur semine verbi,
Surgit ubique seges populi numerosa fidelis,
*Duraque vis lapidum naturam seminis * Habræ* * i. Abrahæ.
Concipit imperio solem fabricantis & auram,
Extenditque suas usque ad mare vinea vites
Palmite multiplici, densa propagine flumen
Attigerat sacrum lavacrum, cum Rex Babylonis
Fortis ad arma sua conservans atria tuta,
Acriter indoluit victus: quia fortior illo
Diviſit spolia victor domui speciei,
Cum Pharaone parat retinere pios in Ægypto,
Insidiasque locat exire volentibus atque
Cogit in arma suos, sua vasa furentibus armat
Errorum stimulis, mandatque vias Babylonis
Obsidione tegi, ne quis magno Duce Jesu
Oblitus populumque suum, patrisque vetustam
In Babylone domum pergat; felicior exul
De medio fugere magnæ meretricis, in alto
Abscondi cupiens, sacroque foramine petræ.
Tunc aquilonaris plaga ventum turbine mixtum
Misit, & involvens ignis furialibus austis
Ignivit rabidos tortores, inque furentum
Languida lux animis fumi caligine marcet.
Ergo lupina fremit rabies, ovibusque cruentis
Morsibus incursant, rapiuntur ubique fideles
Sanguinis ad pœnas: quia non sunt sicut harundo
Exagitata notho; sed inexpugnabile pectus
Igne calens fidei, constans, formidine pulsa,
Non horret fieri moriens sacra victima Christi.
Inde duos acres gentilis sylva procaci
Dente refudit apros, per quos depasta pateret
Mox exterminio specialis vinea Christi.
Hi feritate truces in Christicolas sua vertunt
Cornua, quos toto rabies sua ventilat orbe.
Nam cum cessisset monarchia MAXIMIANO,
Collegæque suo moderanda DIOCLETIANO,
Fascibus elati mox imperialibus ardent
Tollere de medio genus electum, genus illud,
Quod Patriarcharum patri parit inclyta mater.
Jam contra Christum meditantur inania gentes,
Et Reges terræ cum Principibus malesuada
Seditione fremunt. Tunc imperialia jussa,
Ac decreta volant, ne quis pius audeat agni
Sanguine Paschali postes signare, Thauque
Frontibus impressum portare, Deumque fateri,
Humanam testam divina luce replesse,
Aut in carne Deum solvisse piacula mundi.
Ergo vir effrænis Aquilinus, bestia sæva
Sanguinis humani sitiens discrimine pasci,
Præsidis officio functus fines Noricorum
Scrutaturus adit, habitacula cuncta piorum
Ut leo crudelis quærens, quem devoret, omnes
Lustrat ubique domos, terram capit, adtrahit
Athletas Christi, tandem quoque nobile castrum

Lauriacenſe ſubit, quod copia divitiarum,
Virtus armorum, numeroſa phalanxque virorum,
Vaſtaque murorum moles, & gloria rerum
Dotabant, & fama loci celeberrima ſolam
Vix ſibi præferri Romanam pertulit arcem.
Illuc ingreſſus Præſes feritate lupina
Circuit, atque rapit, trahit, alligat, exprobrat, artat,
Quos reperire poteſt, quos gloria nominis almi
Fecèrat inſignes Chriſti de nomine dictos.
Jam quadraginta vincti ſtant ante tribunal,
Omni poſcenti rationem reddere prompti,
De ſpe, ſive fide, pro qua certando ſuperbos
Non metuunt hoſtes: quamvis occidere corpus
Solum permiſſi, quorum fornace probati
Grande refrigerium reputant tranſire per ignem.
Hos adamantino firmatos pectore nulla
Tormenti ſpecies potuit convellere. Quare
Præſidis irrident conamina caſſa, minasque,
*Ac promiſſa levi duxiſſe * ſimillima vento.* * *f.* duxère.
Ergo pios confeſſores in carcere claudit,
Quos mox eductos gravior diſcuſſio ſtringat,
Si non thure Deos placent, aras que profanas
Luſtrati cumulare velint libamine largo.
Fama volans igitur vulgat per regna, per urbes,
Quod fera triticeas ibi ventilet area meſſes,
Granaque purgata transmittat ad horrea patris.
Inclytus interea miles Chriſti FLORIANUS
Florens ut palma libani, quaſi cedrus in alto
Germina multiplicans, cœleſtia ſola ſecutus,
Terrenis rebus tenui radice cohæſit.
Scilicet inventa margarita pretioſa,
Protinus emit eam, ſua vendere cuncta paratus,
Atque ſuam tollendo crucem veſtigia Chriſti
Conſequitur nudus. Non illum proſpera mulcent,
Non adverſa gravant: meruit vincendo columna
In templo Domini gravis, inconcuſſaque ſiſti.
Qui ſub militiæ cultu ſua vota tegebat,
Et quaſi ſub palea latitabat nobile granum.
Hujus apud Ceciam nomen florebat, ibique
Militiæ Princeps habitacula fixerat. Ergo
Auribus accipiens Aquilini Præſidis auſum,
Qualiter invicti ſub eo ſua ſemina flentes
Mittere non dubitent, tandem gaudendo manipios
Largos meſſuri regni cœleſtis in aula;
Concipit ardorem ſacri certaminis, in quo
Exilii finis datur ad patriam redituris,
Teſta cadit fragilis, animas ſed vita perennis
Excipit, & bravium pia mors currentibus offert.
Talibus accenſus ſocios hortatur, ut idem
*Stringeret ardor eos. Iter arripit, & velut * Habram* * 1. Abraham.
Exit de terra, populoque ſuo fruiturus
Alma Jeruſalem, vadens ſecurus in ejus
Nomine, qui ventos compeſcit, & æquora placat.
Adpropians igitur præfatæ mœnibus urbis
In qua torcular tunc calcavere beati

Christicolæ, rubram conspersi sanguine vestem,
Pontem contigerat, Aneſi per fluminis undas
Porrectum, sacro de cujus ventre fluebat
Flumen aquæ vivæ, saliens ex fonte perenni.
Præsidis ecce feri videt adventare ministros,
Qui demoliri quasi vulpus dente nefando
Vineplas Domini pergunt, a Præside missi.
His Martyr Christi non territus obvius ibat,
Scrutatusque viæ causas prior occupat illos
Alloquio: quæ causa viri, vos cogit ab urbe
Tam celeres proferre gradus? Cui talibus illi
Subjunxere sonis: Nunquid non cognita Regum
Sunt decreta tibi, quæ Præses nuper ab arce
Romana missa stricta sub lege recepit?
Imperialis enim Majestas legibus orbem
Talibus astrinxit, latis ut ubique locorum
Thura ferant homines Dis immortalibus omnes,
Invictosque Deos largo libaminis usu
Concelebrent, per quos Romana potentia dudum
Aucta vigore suo, simul & Respublica pollet:
Comprendique jubent regalia scita profanos,
Qui dementantes populos errore procaci
Nescio quem Christum crucis in ligno male passum
Ridiculum vulgi tradunt Deitatis honore
Conspicuum, solumque Deum; sed templa Deorum
Evertenda docent: nec Numina magna colendo
Qui non sacrificent: sed & a se ludificatos
Ad cultum revocent. Injuria tanta Deorum
Tormentis gravibus, exquisitisque pianda,
Præcipiat. Præses igitur nos misit, ut hujus
Sectæ sacrilegos scrutemur, eosque revinctos
Præcipit adduci crudeliter excruciandos.
Martyr at intrepidus, quia dissolvi cupiebat,
Esseque cum Christo, parens electa sagitta
In pharetra Domini, legatis alacer inquit:
Quæritis egregios testes Jhesu Crucifixi,
Qui velut imbriferæ nubes pia corda rigantes
Sursum mente volant, calcantes omne caducum,
Cuncta voluptatum fomenta sibi resecantes,
Angelicam vitam ducunt, & (credite) mundus
Non his dignus erat, per quos lux vera resulsit
Mentibus humanis, densa caligine pressis:
Quorum sunt linguæ claves cœli, quia verbis
Et reserare valent meritis, & claudere cœlum.
Et cum nulla salus sine Christo possit haberi,
Me quoque censeri sub eorum gaudeo sorte.
Unde sciat Præses, quia ne neque mors, neque vita
Separat a Christo, cujus dulcedine captus
Omnia dura pati pro nominis ejus amore
Non timeo. Faciat ergo, quæcunque minatur,
Tunc ira moti, velut aspis surda, suasque
Obturans aures, incantantisque repellens
Hortamenta; suas sic aures continuerunt,
Et rapto sævo præsentavere tyranno

Dicentes:

Dicentes: Quid enim plus quærimus? En FLORIANUS
Princeps officii noſtri male ludificatus
Ejus, quem dicunt Chriſtum, ſe ſponte fatetur
Diſcipulum; ſed in hoc nimis irrevocabilis hæret.
At judex veluti ſterilis ſiculnea, quæ non
Ferre poteſt fructum, ſed inutilis occupat agrum,
Tellurisque bonæ felicia rura fatigat:
Sic fructus, niſi forte malos, non fert Aquilinus,
Inſertosque dolet oleæ ramos oleaſter,
Incaſſumque fuit, quod eos præcidere temptat,
Quos vitis vera ſolidatos roborat in ſe.
Nam prius adgreditur promiſſis: inde minarum
Aſperitate ferox athletam frangere Chriſti.
Ille ſed in ſolido fixus quaſi firmia columna,
Et promittentem ſpernit, videtque minantem.
Et quia ſe vivum, Dominoque placens holocauſtum
Obtulerat, cordis thymiama cremabat in ara.
Unde Deos falſos venerari reſpuit, atque
Sacrificare Jovi juſſus contempſit, & inquit:
Non ego ſaxa colam Deitatis honore: metallum
Eſſe ſcio vacuum, ſimulachra manu fabricata,
Sunt quibus ora, manus, oculus, pes, naris & auris;
Sed vitalis ea nequaquam ſpiritus implet.
His ſimiles omnes ſint idola muta colentes.
Tunc jubet invitum judex ad ſacrificandum
Impellendo trahi, ſi ſic queat exuperari.
Ille levans oculos in montem, cujus ab alto
Omnibus auxilium pietatis fonte redundat,
Taliter orabat: O Jheſu Chriſte tuorum
Spes, & ſumma ſalus! dignare meos miſerator
Conſolidare pedes, meaque veſtigia nunquam
A mandatorum moveantur calle tuorum.
Ecce malignantum me concilium ſine cauſa
Obſidet, & tauri pingues me dente canino
Dilacerare parant, pedibusque meis metuendos
Intentant laqueos. Sed tu pie Paſtor aſylum
Pande laboranti: ſcutum defenſor & arma
Tolle, tuoque veni protectio firma tyroni.
Mox aquilone fero ſuccenſa recanduit olla,
Qua Moab electos in torcularibus irens
Torret, & ignitos ærugine mundat ab omni.
Judicis inſani quia fervida flamma furoris
Pectora concuſſit, irarum fomite plena,
Quod tam nulla ſuis ſuberat reverentia juſſis.
Fuſtibus ergo jubet contundi terga, latusque
Martyris. Ille pati pro Chriſto talia gaudet:
Nec putat indignum, quod & arida ligna crementur;
Cum prius in viridi potuiſſet teſta cremari.
Et cum dura nimis pateretur verbera Martyr,
Rurſus ei Præſes ſuadebat, ut alta Deorum
Numina ſacrificis manibus reverenter honorans
Libamenta ferat, quo grandis & amplior illum
Gloria ſublimem cunctis præferret in urbe
Militibus, regumque decens haberetur amicus.
Ille nihil contra; ſed deſpicit omnia, tanquam

Ludibrio pleva; ſed Chriſtum prædicat, atque
Glorificat, cujus flagrat ſuccenſus amore.
Tum vero cædi multo gravioribus illum
Verberibus juſſit: quibus & lapis ille politus
Clarior effulſit, quales optare ſuperum
Hieruſalem vivos in muris condecet ejus.
Cum neque ſic flecti miles Chriſti potuiſſet,
Contemplativæ quem jam dulcedine paſtum
Rex introduxit pius ad regale cubile:
Unde ſoporatum curavit gratia fautrix
Ebrietate bona, quod plagas exteriori
Illatas homini, parvo diſcrimine ſenſit.
Acrius inde furens ſceleratı præſidis ira
Imperat evelli ſcapulis radicitus ejus,
Cui Deus ipſe ſuis ſcapulis umbravit: ut ejus
Sub pennis ſperans, certansque viriliter, atque
Deponens hominem veterem cum geſtibus ejus,
Cujus erat ſicut aquilæ renovata juventus,
Omnia pœnarum nullatenus arma timeret.
Palmitis iſtius quaſi purpura flos decoratus
Sanguine, quo Martyr velut in Jerico roſa fulgens:
Quem paradiſiacis redolere decebat in hortis
In montem Domini fuit hic aſcendere dignus,
Cujus ab injuſtis corpus laceratur. At ipſe
Strenuus athleta gaudens pro nomine Chriſti
Dimicat, & ſtricto fidei mucrone profanos
Tortores victor ferit, & confutat inertes.
Ergo videns præſes, quia non ſuperabilis eſſet,
Infremuit, linguamque ſuam, labiumque doloſum
Exacuit tanquam gladium: ſed & acre venenum
Aſpidis in labiis ſua germina fixerat ejus,
Osque ſuum poſuit in cœlum, vana locutus:
En, ait, iſte magus victor gaudebit, ovansque
Nobilis heu victis, præclara trophæa reportat.
Quem niſi terrificæ perdat ſententia mortis,
Subvertet populum magicis conatibus omnem:
Hujus & exemplo præſumptio ſacrilegorum
Creſcet, & audaci molimine templa Deorum
Deſtruet, & cultus, fietque noviſſimus error
Pejor quam primus. Hoc lamentabile dampnum
Utiliter nobis erit ejus morte piandum.
Ergo ligetur ei per collum ſaxea moles,
Præcipitemque trahat de ponte fluenta ſub ima:
Quatinus inde ſui ſimiles, hoſtesque Deorum
Sacrilegi ſimilem metuant pro crimine pœnam.
Sic Aquiline ferox merito te judice ſaxum
Punit eos, qui ſaxa Deos non eſſe fatentur.
Saxeus in ſaxo dampnas, aſiniaria cujus
In collo ſuſpenſa fuit mola: qua vegetante
Merſus es in ſcelerum quaſi plumbea maſſa profundum.
Ecce premis vites ut inutilis, & ſine fructu
Palmes iners. Igitur ferro ſucciſus acutæ
Falcis perpetuo dampnaberis aridus igne.

Uva quidem tibi fellis adeſt, & botrus amara
Degenerando parit vinum de felle draconum:
Unde veneniferis meditaris morſibus uvas
Viniſluas ſacro de palmite carpere tunſas.
Prælo nequitiæ; ſed vinum vinitor almus
Congregat in cellas, ac inter aromata purum,
Et defæcatum vinaria cella recondit.
Gaude verna Dei: quia jam zizania victor
Effugis, & lolium, paleasque per omnia purus
Excutis arſuras; cum noxia corpora tardant.
Exue tardantis lætus cinctoria carnis,
Reſtituetque tibi brevis hora palatia cœli.
Verus enim natalis adeſt, cum carne ſolutus
Naſcitur ad vitam felix ſine fine beatam.
Poſtquam lata fuit ſententia mortis amaræ
In famulum Domini, qui tunc cupiens holocauſtum
Pro Chriſto fieri, gaudebat, & alacer ibat
Ad loca ſupplicii, pontis mediumque tenebat:
Unde fuit tumidas jactari juſſus in undas.
Cujus mox collum ſaxo ſtrinxere miniſtri,
Ut fuerant juſſi: tamen ipſius prece victi
Orandi tribuere locum, ſpatiumque petenti.
Et ſtans ſuppliciter contra partes Orientis
Libamenta precum mundarum cordis in ara
Fortiter incendit: quia flammifer ignis amoris
Jam ſua ſtringebat vivaci pectora flamma.
Tanta fuit vero precibus reverentia mundis,
Quod reverebantur illum contingere ſævi
Tortores etiam: quia contemplator in illa
Æterna patria vigili ſe mente recepit,
Et præguſtabat æteriæ fercula cœnæ.
Sic orando fere ſpatium compleverat horæ;
Cum juvenis quidam reliquis truculentior iſtis
Vocibus adcurrens aſtantes arguit: O quid
Ceſſatis tepidi! quare præcepta potentum
Regum negligitis? Cur juſſa moram patiuntur
Præſidis invicti? Cur o ſic ſtatis inertes?
His dictis, ruit ipſe ferox furialiter actus,
Sicut poſſeſſor ſuus illum Dæmon agebat,
Athletamque Dei jam verba precantia puro
Corde refundentem, vinctum, ſaxoque gravatum
Perpulit in præceps, mox juſto vindice pœnam
Excipiens meritam tanti pro criminis auſu.
Namque fatiſcentis oculi crepuere revulſi,
Inſanumque caput premitur caligine cæca
Cujus erant cordis oculi prius obtenebrati.
Martyr ad ima cadit; ſed ſuſcipit unda cadentis
Corpus, & in petra quadam, quæ præminet undis,
Evehit ejectum, petræ pro nomine paſſum.
Petra quidem Chriſti cuſtodia firma ſuorum,
Hic quoque dignatus monſtrare ſuæ pietatis
Munera: mox aquilam cuſtodem deſtinat illi,
Quatinus argueret avis illa carens ratione

Irrationales vesani præsidis actus.
Ecce creatoris avis imperio famulatur,
Ut præsumptoris hominis ratio doceatur:
Quam sit pestiferum, quod imago Dei specialis
Esse Deum verum negat hunc, cui paruit ales.
Quos homo crudelis avibus tradit laniandos,
Fida tuetur avis sine clade sui tumulandos:
En rationalis factura fidem Crucifixi
Evacuare parat, & mysterium crucis horret.
Sed volucris crucis expressit venerabile signum:
Cum super incumbens expansis protegit alis,
Martyris exanime corpus fidissima custos.
Tunc quædam vidua, Valeria nomine, dicta
In rerum censu paupercula; sed pietate
Præstans, & largo virtutum munere dives
Per visum monita rapuit clam corpus humandum,
Et quia gentilis rabies exterruit illam,
Cum quasi sub modio contecta lucerna lateret,
Et rosa spinarum stimulos bene cauta caveret;
Viminibus sectis, quasi claudere pergeret hortum,
Involvit sacrum thesaurum, sicque catervas
Delusura truces in karro transtulit illum.
Sic mittendo manus ad fortia fœmina prudens
Digna fuit typicum digitis adpendere fusum:
Per quem de læva præsentis lana doloris
In fructum dextræ transit, vitæque futuræ.
Ecce sub arbuteis virgis clarissima stella
Ecclypsim patitur, mox emissura coruscos
Signorum radios. Nam cum matrona fidelis
Adjunctos carro bijuges festina perurgens
Accelerando viam jam pene petita teneret,
Et monstrata loca, queis Martyr erat tumulandus;
Æstu deficiunt animalia lassa sitique:
Nec poterant ultra lentum protendere gressum.
Ergo Dei miserentis opem pia fœmina supplex
Implorat, cujus non desunt munera cunctis,
Qui pio corde sua sancta juvamina poscunt.
Istis namque super justos oculi Domini; sed & aures
Ejus Justorum precibus sunt semper apertæ:
Multum quippe valet oratio sedula Justi.
Et, qui mirificat Sanctos, ibi Martyris almi
Glorificare volens corpus, nova flumina largi
Fontis ab internis jussit prorumpere venis,
Quique perenne fluens indeficientibus undis
Adtestatur adhuc hodie memorabile factum.
Inde refecta viam peragunt animalia cœptam,
Atque trahunt carrum pretioso pondere pressum.
Ut tenuere locum, quo Martyr habere sepulchrum,
Et loculum tumbæ voluit, viduæque pudicæ
Nocte revelarat per visum; protinus illa
Prompta sepulchrales parat exequias sine pompa
Divitis ornatus, Domino contenta juvante,
Sola sacerdotis opus expedit, atque ministri.

En infirma Deus elegit fortia mundi
Sic confusurus! En pauper, clamque sepultus
Tam celebris mundo radiat, tam festus ubique
Ejus natalis colitur. Quasi nunc Aquilinum
Curat fortassis sollemnibus exequiarum
Pompis atque rogis festivis concelebratum:
Tam puto disparibus studiisque modisque sepulti
Lazarus & Dives sibi dispare sede recepti:
Ut cinis in cineres, in terram terra reversa
Legem primævæ persolvit conditionis.
Sed parvi funes in præclaris cecidérunt:
Sortem namque tulit præclaram cœlicus hæres,
Vestitumque stola se jam feliciter una
Gaudii, & expectat certa mercede secundam;
Et qui perdiderat animam pro nomine Jhesu,
In superis invenit eam bene glorificatam:
Omnem quippe Deus lacrimam deterserat ejus
Ex oculis, nec eum dolor amplius afficit ullus.
Hoc de concive congaudet curia cœli:
Cui Deus in solio secum residere superno
Concessit mundum vincenti, perfruituro
Perpetuis sine fine bonis, cui gloria summa
Conregnare suo Factori semper in ævum.
Sed ne nullus honor, reverentia nulla sepultum
Corpus adornaret, tanquam corruptio sola
Corpoream testam corroderet incineratam,
Ejus mirifica voluit virtute sepulchrum
Insignire Deus: dum per miracula multa
Cernere dat, quam sit cœlesti clarus in aula.
O Martyr Christi, qui cœlica regna petisti,
Qui dum vicisti mortem, vitam meruisti,
Sic tua nos præsta celebrare pia prece festa,
Purget ut incœsta molimina vita modesta
Nosque juvare velis, ut clerus, plebsque fidelis
Gaudeat in cœlis per opem sancti Michaëlis.

Quem hic antiquum de S. Floriano Martyre RHYTHMUM primi repræsentamus, ex eodem, quo prædictum Carmen, Sancti-Florianensi Codice extulimus. Is sæpe dictum Carmen proxime ibidem consequitur, manu sæculi XII. verisimiliter scriptus, istamque inscriptionem præfert:

RITMUS DE EODEM.

IN hoc festa Martyris fratres jocundemur,
Ne fermenti veteris fæce prægravemur.
Sinceres in azymis simul epulemur,
Et præclari Palmitis, Christi militis palmam veneremur.
Iste sicut lilium Palmes germinavit,
Et in aquis Syloë vestem candidavit.
Ut vernans in Jericho rosa rutilavit,
Nam in agris sanguine stolam suam lavavit.
Tractus ante Judicem litem contestatur,
Se Trinum Deum colere non inficiatur,
Et mortis sententiam pati gloriatur,
Ut perenni gaudio liber perfruatur.

Ex Ægypti tenebris postquam est translatus,
Mox accinctus renibus pede calciatus,
Spiritali baculo fortiter armatus,
Phase verum peragens transit immolatus.

Exiens de Jericho Hierusalem tetendit,
Unde quondam saucius huc homo descendit,
Et palmæ dulcissimos fructus adprehendit,
Cautus & ad lapidem pedem non offendit.

Jam victor stelliferam colit regionem,
Et compensat præmio duram passionem:
Nam de messe percipit benedictionem,
Christum sibi reputans summam portionem.

Nostram non ambiginus catervam dicere,
Ut hoc festum studeat colere sincere;
Sed hoc non sufficimus decenter implere.
Tu autem o Domine nostri miserere.

VITA SANCTI SEVERINI MONACHI, ET NORICORUM APOSTOLI

AUCTORE EUGIPIO EJUS DISCIPULO.

EX COD. MS. BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. VItam S. Severini Monachi de gente nostra optime meriti, ex qua non Austriaca solum, sed & Bavarica sæculi V. historia magnopere illustratur, tanti visa est viris antiquitatis Ecclesiasticæ studiosis, ut eam non semel typis evulgare operæ pretium existimaverint. Eam omnium primus vulgavit Laurentius Surius Historiæ SS. Tom. I; sed pluribus, quod mancum Codicem nactus fuisset, omissis. Ejus quoque capita quædam Cardinalis Baronius ex Codice MS. Bibliothecæ suæ, in quo integram extitisse idem affirmat, Annalibus Ecclesiasticis ad annum 450. inseruit. Subinde Marcus Velserus, clarissimus Reipublicæ Augustanæ quondam Duumvir, eandem integram ex veteri libro chirographo Bibliothecæ San-Emmerammensis publicavit, eruditis scholiis instructam. Quam demum iterum edidit V. C. Johannes Bollandus, intulitque primo Januarii sui Tom. pag. 486. prioribus editionibus ad fidem exempli MS. Nicolai Belfortii diligenter exactis, additisque cum prævio Commentario crebris ac doctis annotationibus. Verum ut ut eruditissimi illi viri in eruendis S. Severini actis desudaverint, vel ex unico tamen hoc codice nostro Mellicensi, ex quo eadem recudere visum est, manifestum fiet, nec pauca esse nec levia, quæ in eorum editionibus (sive Codicum MSS. vitio, sive typothetarum indiligentia) perturbate mendoseque legantur. Id Lector uberius intelliget, ubi variantem scripturam majoris momenti (neque enim minima quæque persequi libuit) quam ad marginem annotavimus expenderit. Contulimus vero MS. Mellicense, quod sub Walthero, ab anno 1224. ad 1247. Abbate Mellicensi, in membrana majoris formæ pereleganter descriptum Bibliotheca nostra servat, cum editione

tione Bollandiana a Velſeriana nihil fere discrepante: conſultis etiam interdum aliis Severinianæ Vitæ membraneis exemplaribus ante annos quingentos ſcriptis, quæ in San-Crucenſi, Florianenſi & Lunælacenſi Bibliothecis inſpeximus. Quanquam inficias non iverim, nonnullas & in Codice noſtro lacunas, nec raros ineſſe nævos, quos ex Bollando & Velſero, quoad ejus fieri potuit, explere atque emaculare ſtuduimus. Epiſtolam Paſchaſii Diaconi ad Eugipium Presbyterum ſcriptam, quæ tum in noſtro, tum etiam San-Crucenſi, Florianenſi & Baroniano codicibus geſta S. Severini claudit, loco quo reperimus, retinendam cenſuimus.

II. Eugipium, aliis Eugippium, Sancti Severini diſcipulum, vitæque ejus Auctorem fuiſſe, ex ejusdem Eugipii ad Paſchaſium Diaconum, hujusque ad illum epiſtola, nec non ex ſubjectæ vitæ numeris 37. 39. & 40. ſatis ſuperque cognoſcimus. Scripſit hanc vitam Eugipius, ut ipſemet in epiſtola ſua ad Paſchaſium teſtatum facit, biennio poſt conſulatum Importuni, id eſt ex calculo Bollandi, anno Chriſti quingenteſimo undecimo. Eundem Monachis regulam quandam condidiſſe, ex Iſidoro Hiſpalenſi lib. de viris illuſtribus, & Honorio Auguſtodunenſi lib. de luminaribus Eccleſiæ Marcus Velſerus dudum obſervavit. Sane Abbatem Monaſterii S. Severini Eugipium extitiſſe, ex his vitæ num. 33. verbis clare colligitur: *Martianum*, inquit, *Monachum, qui poſtea Presbyter ante nos Monaſterio præfuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat &c.* Quam diu porro præfecturam hanc tenuerit, aut quæ per reliquum vitæ curſum memoria digna geſſerit, quove anno ſupremos vitæ dies abſolverit, antiquorum ſilentium ignorare nos facit.

III. Supervacaneum otioſumque duximus, falſam illam opinionem, quam a Gotfrido Viterbienſi, & Ottone Friſingenſi acceptam Johannes Cuſpinianus & Wolf. Lazius poſtmodum propagarunt, Sanctum Severinum *Epiſcopum Ravennatem* fuiſſe; hoc loco denuo pluribus refutare, cum id ab eruditiſſimo Velſero cumulate præſtitum iam fuerit. Unum unicum Eugipii ex vitæ num. 10. teſtimonium errori huic penitus convellendo adduxiſſe ſufficiat, ex quo liquido conſtabit, Sanctum Severinum pro ſingulari animi ſui demiſſione & modeſtia delatum ſibi Epiſcopatus honorem recuſaſſe; tantum abeſt ut eo unquam vir ſanctus functus fuerit. *Epiſcopatus quoque honorem*, ait Eugipius, *ut ſuſciperet poſtulatus, præfinita reſponſione concluſit, ſufficere ſibi dicens, quod ſolitudine deſiderata privatus ad illam divinitus veniſſet provinciam, ut turbis tribulantium intereſſet frequentibus.*

IV. Poſtremo ſancto Severino titulum *Monachi* non *Abbatis* (qui quidem etiam ex vero ei vulgo tribuitur) initio vitæ adſcripſimus, quod plerique Codices manu-ſcripti, ut Mellicenſis noſter, Florianenſis & San-Crucenſis hanc inſcriptionem præferrent: quam repugnante Codicum fide mutare nefas arbitrabamur. Non diffitendum tamen, etiam nomen *Abbatis* in Lunælacenſi MS. legi, his omnino verbis: *Incipit epiſtola Eugipii Presbyteri, de Vita S. Severini Abbatis, ad Paſchaſium Diaconum.* Jam ipſam S. Severini vitam ex Codice noſtro Mellicenſi referamus.

PROLOGUS IN VITAM SEVERINI MONACHI.

DOmino ſancto ac merito venerabili Paſchaſio Diacono Eugipius in Domino ſalutem. Ante hoc ferme biennium [1] epiſtola cujusdam laici nobilis ad quendam directa Presbyterum, nobis oblata eſt ad legendum, continens vitam Baſilici monachi, qui quondam in monaſterio montis, cui vocabulum eſt Tiſtas [2] ſuper Ariminum commoratus, poſt in Lucania regione defunctus eſt, vir & multis & mihi notiſſimus. Quam epiſtolam cum a quibusdam deſcribi cognoſcerem, cœpi mecum ipſe tractare, nec non & viris religioſis edicere, tanta per B. Severinum divinis effectibus celebrata, non oportere celare miracula. Quæ cum auctor epiſtolæ præfatæ reſciſſet, animo promptiore mandavit, ut aliqua ſibi per me ejusdem S. Severini mitterentur indicia: quibus inſtructus libellum vitæ ejus ſcriberet, poſterorum memoriæ profuturum. Hac ego protinus oblatione compulſus, commemoratorium nonnullis refertum indiciis ex notiſſima nobis & cottidiana majorum relatione compoſui, non ſine magno mœrore animi, injuſtum ſcilicet reputans, ut te ſuperſtite laicus a nobis hoc opus efficere rogaretur: cui & modus & color operis non ſine præſumtione quadam poſſit injungi, ne forſitan ſæculari tantum litteratura politus, tali vitam ſermone conſcriberet, in quo multorum plurimum laboraret inſcientia: & res mirabiles, quæ diu quadam ſilenti nocte latuerant, quantum ad nos attinet, ignaros liberalium litterarum, obſcura diſertitudine non lucerent. Sed non ultra lucernæ illius igniculum, te velut ſole ſplendente, perquiram, tantum ne mihi peritiæ tuæ radios nube quadam excuſationis obducas, imperitiam propriam videlicet accuſando. Noli obſecro tam duris me verberare ſermonibus, dum dicis, Quid tibi aquas expectare de ſilice? Jam utique non expecto de ſilice latices [3] ſæculares; ſed a te, qui ſpiritalibus ſpiritalia comparans, nos de firmiſſima petra illo quo profluis orationis melle recreabis: de quo jam nectareum ſuaviſſimæ promiſſionis guſtum dirigens præcipis, ut commemoratorium velim de vita ſæpe dicti S. Severini transmittere, in quo, donec in tuæ conſtructionis libellum tranſire mereatur, nequaquam animum recenſentis offendam. Quisquis enim ad conſtruendam domum architectum requirit, neceſſariam ſollicitus materiam præparat. Quod ſi moles adinſtar parietum impolitis componantur artifice tardante lapidibus, nunquid ædificaſſe dicendus eſt, ubi nulla magiſtri ſtructura prorſus intervenit? nulla rite ſubiiciuntur fundamenti munimina? Sic ego quoque pretioſæ materiæ minima, juſſione veſtra, viliſſima compoſitione præparans, num putari debeo ſcripſiſſe, A quod cupio, ubi diſciplinæ liberalis nulla conſtructio, nullus Grammatici culminis decor extat? Habet plane certum fundamentum ſolius fidei, quorum S. Virum mirandis conſtat claruiſſe virtutibus, quod per manus linguæ tuæ nunc offero collocandum, de tui operis faſtigio laudes Chriſto debitas redditurus. Illa quoque precor virtutum beneficia ſanitatumque remedia, quæ vel in itinere, vel hic apud ejusdem beatiſſimi Patris memoriam divina ſunt peracta virtute, digneris adnectere: quæ quoniam fidelis portitor, filius veſter Deo gratias optime novit, verbo commendamus intimanda, ſperantes nos bajuli nomen etiam de tui operis perfectione jugiter eſſe dicturos; ut Dei fideliſſimus famulus, tantis virB tutibus opulentus, ſicut ad Sanctorum gloriam ſuis per Chriſti gratiam meritis evehitur, ſic ad humanam memoriam tuis litteris conſecretur. Sane patria, de qua fuerit oriundus, fortaſſe neceſſario a nobis inquiritur, ut inde, ſicut moris eſt, texendæ cujuspiam vitæ ſumatur exordium. De qua licet me fatear nullum evidens habere documentum, tamen quid hinc cognoverim, non tacebo.

Cum multi igitur ſacerdotes & ſpiritales viri, nec non & laici nobiles atque religioſi, vel indigenæ, vel de longinquis ad eum regionibus confluentes ſæpius hæſitarent inter ſe, quærentes, cujus nationis eſſet vir, quem tantis cernerent fulgere virtutibus, nec ullus penitus ab C eo auderet inquirere, tandem Primentus [1] quidam Presbyter Italiæ, nobilis & totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore quo Patricius Horeſtes inique peremptus eſt, interfectores ejus metuens, eo quod interfecti velut pater fuiſſe diceretur; poſt multos familiaritatis adeptæ dies erupit quaſi pro omnibus, & ita ſciſcitatus eſt, dicens: Domine Sancte, de qua provincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus eſt? Cui Vir Dei faceta primum hilaritate reſpondit: Si fugitivum putas, para tibi pretium, quod pro me poſſis, cum fuero requiſitus, offerre. His talia ſerio mox ſubiciens: Quid prodeſt, inquit, Servo Dei ſignificatio loci, vel generis ſui, cum poſſit id tacendo facilius vitare jactantiam, utpote ſiniſtram, qua neſciente cupitis me opus bonum Chriſto donante perficere; quo merear D dexteris ſocius fieri, & ſupernæ patriæ civis adſcribi? Quam ſi me indignum veraciter deſiderare cognoſcis, quid te neceſſe eſt terrenam cognoſcere, quam requiris? Veruntamen ſcito, quia Deus, qui te ſacerdotem fieri præſtitit, ipſe me quoque periclitantibus his hominibus intereſſe præcepit; & tali memoratus Presbyter reſponſione conticuit, nec quisquam ante vel poſtea beatum Virum ſuper hac parte percunctari præſumpſit. Loquela tamen ipſius Affricanum [2] teſtabatur hominem omnino Latinum, quem conſtat ad

[1] *Bollandus addit* Conſulatu ſcilicet Importuni, *quod & habent MSS. Lunælacenſe & San-Florianenſe; idem tamen abeſt a MS. San-Crucenſi.* [2] *ita & MS. San-Cruc. at MS. Lunælac. cum Boll.* Titas *MS. San-Flor.* Scytas. [3] *Bollandus* plateæ ſecularis.

[1] *Boll* Pirmenius.
[2] *extat etiam hæc vox Affricanum in MS. Lunælacenſi, apud Boll. autem deſideratur.*

quandam

quandam in Oriente solitudinem fervore perfectioris vitæ fuisse profectum, atque inde ad Norici Ripensis oppida, Pannoniæ superiori vicina, quæ barbarorum crebris premebantur incursibus, Divina compulsum revelatione venisse; sicut ipse causas [1] perventionis suæ, tanquam de alio loqueretur, referre solitus erat, nonnullas Orientis urbes nominans, & itineris immensi pericula se mirabiliter transisse significans. Hæc igitur sola, quæ retuli, quotiens de beati Severini patria sermo ortus est, etiam ipso superstite semper audivi. Indicia vero mirabilis vitæ ejus huic epistolæ conjuncto prælatis, capitulis commemoratorio recensita, fient, ut rogavi, libro vestri magisterii clariora. Superest, ut ejus orationibus tuas sociare non desinas, & indulgentiam mihi poscere non desistas.

VITA INCIPIT.

1. Tempore quo Attila Rex Hunnorum defunctus est, utraque Pannonia cæteraque confinia Danubii Regibus [2] turbabantur ambiguis: [3] Tunc itaque sanctissimus Dei famulus Severinus de partibus Orientis adveniens, in vicinis Norici Ripensis & Pannoniorum partibus, quod Casturis [4] dicitur, oppido morabatur, vivens juxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam, omni pietate & castitate præditus, in confessione Catholicæ fidei venerabile propositum sanctis operibus adimplebat. Cum ergo talibus exercitiis roboratus palmam supernæ vocationis innocue sequeretur, quadam die ad Ecclesiam processit ex more: tunc a [5] Presbytero, clero, vel civibus de futuris requisitus, cæpit tota mentis humilitate prædicere, ut hostium insidias imminentes orationibus ac jejuniis & misericordiæ fructibus præcaverent [6]. Sed animi contumaces ac desideriis carnalibus inclinati, prædicentis oracula infidelitatis suæ discrimine probaverunt. Famulus autem Dei reversus ad hospitium, quo ab Ecclesiæ fuerat custode susceptus, diem & horam imminentis excidii providens: De contumaci, ait, oppido & citius perituro festinus abscedo. Inde ad proximum, quod Comagenis appellabatur, oppidum declinavit. Hoc barbarorum intrinsecus consistentium, qui cum Romanis fœdus inierant, custodia servabatur artissima, nullique ingrediendi aut egrediendi facilis licentia præstabatur; a quibus tamen famulus Dei, cum esset ignotus, nec interrogatus est, nec repulsus. Itaque mox ingressus Ecclesiam, cunctos de salute propria desperantes, jejunio & orationibus atque elemosynis hortatur armari; proponens antiquæ salutis exempla, quibus divina protectio populum suum contra opinionem omnium mirabiliter liberasset. Cumque salutem omnium in ipso discriminis articulo promittenti credere dubitarent, senex, qui dudum in Casturis tanti hospitis susceptor extiterat, venit, atque a portarum custodibus sollicita interrogatione discussus, interitum sui oppidi habitu verboque monstravit, adiciens eadem die qua quidem homo Dei prædixerat, barbarorum vastatione deletum. Quo audito solliciti responderunt: Putasne ipse est, qui desperatis rebus, Dei nobis subsidia pollicetur? Mox igitur in ecclesia recognito Dei famulo, senex pedibus ejus prostratus ajebat, ipsius se meritis liberatum, ne cum cæteris oppidanis subiret exitium.

2. His auditis habitatores oppidi memorati incredulitatis veniam postulantes, monitis Viri Dei sanctis operibus paruerunt, jejuniisque dediti in ecclesiam per triduum congregati, errata præterita castigabant gemitibus & lamentis. Die autem tertia cum sacrificii vespertini sollemnitas impleretur, facto subito terræ motu, ita sunt barbari intrinsecus habitantes exterriti, ut portas sibi Romanos cogerent aperire velociter. Exeuntes igitur conciti diffugerunt, æstimantes se vicinorum hostium obsidione vallatos, auctoque terrore divinitus, noctis errore confusi, mutuis se gladiis conciderunt. Tali ergo adversariis internecione consumptis, divino plebs servata præsidio, per sanctum Virum armis didicit pugnare cælestibus.

3. Eodem tempore civitatem nomine Faviannis sæva fames oppresserat: cujus habitatores unicum sibi remedium affore crediderunt, si ex supra dicto oppido Comagenis hominem Dei religiosis precibus invitarent. Quos ille ad se venire prænoscens, [1] a Domino ut cum eis pergeret commonetur. Quo cum venisset, cœpit civibus suadere, dicens: Pœnitentiæ fructibus poteritis a tanta famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent institutis, beatissimus Severinus divina revelatione cognovit, quandam viduam, nomine Proculam, fruges plurimas occultasse, quam productam in medium arguit vehementer. Cur, inquit, nobilissimis orta natalibus, cupiditatis te præbes ancillam, & extas avaritiæ mancipium, quæ est, docente Apostolo, servitus idolorum? Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male partis facias non habebis, nisi forte frumenta diu denegata in Danubii fluenta proiciens, humanitatem piscibus exhibeas, quam hominibus denegasti. Quamobrem subveni tibi potius quam pauperibus, ex his quæ adhuc te æstimas Christo esuriente servare. Quibus auditis, magno mulier pavore perterrita, cœpit servata libenter erogare pauperibus. Igitur non multo post rates plurimæ de partibus Rhætiarum, mercibus onustæ quamplurimis, insperate, videntur in litore Danubii, quæ multis diebus crassa Eni [2] fluminis glacie fuerant colligatæ: quæ Dei imperio mox solutæ, ciborum copias fame laborantibus detulerunt. Tunc cœperunt omnes Deum insperati remedii largitorem continuata devotione laudare, qui se tam diuturna fame interire credebant, fatentes evidentius

[1] *Boll.* causa secretiore. [2] *f.* rebus, *ut habet Boll.*
[3] *Boll. hæc subdit:* ac primum inter filios ejus de obtinendo regno magna sunt exorta certamina, qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam sui sceleris accepere patris interitum. [4] *Boll. & MS. Lunælac.* Asturis. [5] *Boll.* tunc Presbytero, Clero & civibus requisitis. [6] *Boll.* inhiberent.

[1] *Boll. addit;* cum hæsitaret utrum pergeret cum eis, nec ne. [2] *al.* Oeni.

rates extra tempus a glaciali ſolutas frigore, ſervi Dei precibus adveniſſe.

4. Per idem tempus inopinata ſurreptione prædones barbari quæcunque extra muros hominum pecudumque repererant, duxere captiva. Sic plures e civibus ad virum Dei cum lacrimis confluentes illatæ calamitatis exitium retulerunt, ſimul oſtendentes indicia recentium rapinarum. Ille vero Mamertinum percunctatus eſt, tunc Tribunum, qui poſt Epiſcopus ordinatus eſt, utrum aliquos ſecum haberet armatos, cum quibus latrunculos ſequeretur inſtantius. Qui reſpondit: Milites quidem habeo paucisſimos, ſed non audeo cum tanta hoſtium turba confligere. Quod ſi tua veneratio præcipit, quamvis auxilium nobis deſit armatorum; credimus tamen tua nos fieri oratione victores. Et Dei famulus ait: Etiamſi inermes tui ſunt milites, nunc ex hoſtibus armabuntur: nec enim numerus aut fortitudo humana requiretur, ubi propugnator per omnia Deus comprobatur: tantum in nomine Domini perge velociter, perge confidenter; nam Deo miſericorditer præeunte, debilis quisque fortiſſimus apparebit: Dominus pro vobis pugnabit, & vos tacebitis. Vade ergo feſtinus, hoc unum ante omnia ſervaturus, ut ad me quos ex barbaris ceperis perducas incolumes. Exeuntes igitur in ſecundo milliario ſuper rivum, qui vocatur Dicuncia [1], prædictos latrones inveniunt, quibus in fugam repente converſis, arma omnia ſuſtulerunt: cæteros vero vinctos ad Dei famulum, ut præceperat, adduxerunt captivos. Quos abſolutos vinculis, cibo potuque refectos, paucis alloquitur: Ite, & veſtris denunciate complicibus, ne aviditate prædandi ultra huc audeant propinquare: nam ſtatim cœleſtis vindictæ judicio punientur, Deo pro ſuis famulis dimicante, quos ita conſuevit divina virtute protegere, ut tela hoſtium non eis inferant vulnera, ſed arma potius ſubminiſtrent. Dimiſſis itaque barbaris, ipſe de Chriſti miraculis gratulabatur: de cujus & miſerationibus promittit, nunquam illud oppidum hoſtium prædas ulterius experturum, ſi cives tantum ab opere Dei nec proſpera nec adverſa retraherent.

5. Deinde B. Severinus in locum remotiorem ſecedens, qui ad Vineas [2] vocabatur, cellula parva contentus, ad prædictum oppidum remeare divina revelatione compellitur, ita ut quamvis eum quies cellulæ delectaret; Dei tamen juſſis obtemperans, monaſterium haud procul a civitate conſtrueret: ubi plurimos ſancto cœpit informare propoſito, factis magis quam verbis inſtituens animas auditorum. Ipſe vero ad ſecretum habitaculum, quod Purgum appellatur ab accolis, uno [3] a Favianis diſtans milliario, ſæpius ſecedebat; ut hominum declinata frequentia, qui ad eum venire conſueverant, oratione continua Deo propius [4] inhæreret. Sed quanto ſolitudinem incolere cupiebat, tanto crebrius revelationibus monebatur, ne præſentiam ſuam populis denegaret afflictis. Proficiebat itaque per ſingulos dies ejus meritum, creſcebatque fama virtutum, quæ longe lateque diſcurrens, cœleſtem in eo gratiam per ſigna pandebat. Neſciunt enim latere quæ bona ſunt, cum juxta ſententiam Salvatoris, nec lucerna ſub modio contegi, nec in monte poſita civitas poſſit abſcondi. Inter cætera enim magnalia, quæ illi Salvator indulſerat, præcipuum abſtinentiæ munus accipiens, carnem ſuam plurimis ſubjugabat inediis, docens corpus cibis abundantioribus enutritum, animæ protinus interitum allaturum. Calciamento nullo penitus utebatur, ita media hyeme, quæ in illis regionibus ſæviori gelu torpeſcit, nudis pedibus ſemper ambulare contentus, ſingulare patientiæ dabat indicium. Ad cujus immanitatem frigoris comprobandam, teſtem conſtat eſſe Danubium, ita ſæpe glaciali nimietate concretum, ut etiam plauſtris ſolidum tranſitum ſubminiſtret. Qui tamen talibus per Dei gratiam virtutibus ſublimatus, intima humilitate fatebatur, dicens: Ne putetis mei meriti eſſe quod cernitis, veſtræ eſt potius ſalutis exemplum. Ceſſet humana temeritas, elationis ſupercilium comprimatur. Ut aliquid boni poſſimus, eligimur, dicente Apoſtolo: Qui elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus mundi & immaculati in conſpectu ejus. Orate imo pro me, ut non ad condemnationis cumulum, ſed ad juſtificationis augmentum Salvatoris mihi dona proficiant. Hæc & his ſimilia ſolebat proferre cum fletibus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cujus virtutis fundamento munitus, tanta divini muneris claritate fulgebat, ut ipſi quoque hoſtes hæretici reverentiſſimis eum officiis honorarent.

6. Rugorum ſiquidem Rex, nomine Flaccitheus, in ipſis regni ſui cœpit nutare primordiis, habens Gothos ex inferiori Pannonia vehementer infenſos, quorum innumera multitudine terrebatur. Is ergo beatiſſimum Severinum in ſuis periculis tanquam cœleſte conſulebat oraculum. Ad quem, dum vehementiſſime turbaretur, adveniens, deflebat ſe a Gothorum Principibus ad Italiam tranſitum poſtulaſſe: a quibus ſe non dubitabat, ſi [1] hoc ei denegatum fuiſſet, occidendum. Tunc ergo a Viro Dei hoc reſponſum prædictus accepit: Si nos una Catholica fides adnecteret, magis me de vitæ perpetuitate debuiſti conſulere; ſed quia de præſenti tantum ſalute ſollicitus, quæ nobis eſt communis, interrogas, inſtruendus auſculta. Gothorum [2] multitudine, nec adverſitate turbaberis, quia ſcito [3] ſecurus, eis diſcedentibus, tu deſiderata proſperitate regnabis: tantum ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum, nunquam propriis virtutibus innitaris. Maledictus homo, dicit ſcriptura, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus. Diſce igitur inſidias cavere, non ponere

[1] *ita & MS. Lunælac.* [2] *Sic etiam MS. Lunælac.*
[3] *Boll.* quinque. [4] *Boll.* protinus.

[1] *Boll.* quia hoc ei denegatum fuerat. [2] *Boll. addit* nec. [3] *Boll.* cito.

ponere; in lectulo quippe tuo pacifico fine A transibis. Qui cum tali animatus oraculo lætus abscederet, perlato sibi, quod turba latrocinantium barbarorum [1] aliquos captivassent ex Rugis, ad virum Dei misit protinus consulendum. Qui sanctis eum mandatis, ne prædones sequeretur, Domino sibi revelante, præmonuit, dicens: Si eos insecutus fueris, occideris. Cave, ne amnem transeas, & insidiis, quæ tibi tribus locis paratæ sunt, improvida mente succumbas: nam cito nuntius fidelis adveniet, qui te de his omnibus efficiat certiorem. Tunc duo captivorum ab ipsis hostium sedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt, quæ a beatissimo viro, Christo sibi revelante, prædicta sunt. Igitur frustratis insidiis adversantium, Flaccitheus incrementis auctus prosperioribus, vitam rebus tranquillissimis terminavit. B

7. Post hæc autem quidam, Rugus genere, per annos duodecim incredibili ossium dolore contritus, omni caruerat incolumitate membrorum, cujus cruciatus intolerabilis circumquaque vicinis factus fuerat ipsa diuturnitate notissimus. Itaque nihil proficiente diversitate remedii, tandem vidua mater ad sanctum virum vehiculo filium deduxit impositum, & ante januam monasterii proiciens desperatum, continuatis fletibus reddi sibi unicum filium precabatur incolumem. Sed Vir Dei sentiens a se magna deposci, fletu commotus ajebat: Quid opprimor opinione fallaci? Cur æstimor posse quod nequeo? Non est virtutis meæ tam grandia præstare: consilium tamen do, tanquam misericordiam consecutus a Do- C mino. Tunc mandat mulieri, ut pauperibus aliquid pro suis viribus largiretur. Illa autem nichil morata, vestem qua induta fuerat se velociter exuens, egenis dividere properabat. Quo audito, Vir Dei fervorem ejus admirans, iterum mandat, ut suis operiretur amictibus, dicens: Cum filius tuus tecum, Domino sanante, perrexerit, opere vota supplebis. Indicto igitur paucorum dierum de more jejunio, fusis ad Deum precibus, illico sanavit infirmum, atque incolumem suis gressibus ambulantem remisit ad propria. Qui cum postea nundinis frequentibus interesset, stupendum miraculum cunctis videntibus exhibebat. Nonnulli enim dicebant, Ecce ille qui fuerat tota corporis putredine tabefactus: aliis autem, quod ipse esset, D omnino negantibus, grata contentio nascebatur. Ex illo igitur tempore, quo est sanitas reddita desperato, universa Rugorum gens ad Dei famulum frequenter cœpit gratulationis obsequium reddere, & opem suis postulare languoribus. De aliis etiam gentibus, ad quas tanti miraculi fama pervenerat, multi Christi militem videre cupiebant. Qua devotione etiam ante hoc factum quidam barbari, cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis gratia ad ejus intuitum diverterunt: inter quos & Odovacar, qui postea regnavit Italiæ, vilissimo tunc habitu, juvenis statura procerus advenerat. Qui dum se [2] humilem tectum cellulæ suæ vertice contingere inclinasset, a Viro Dei se gloriosum fore cognovit. Cui etiam valedicenti, Vade, inquit, ad Italiam, vade vilissimis nunc pellibus coopertus, sed multis cito plurima largiturus.

8. Fletheus [1] quoque Rex, qui & Feva memorati filius Flaccithei, paternam secutus industriam, sanctum virum cœpit pro regni sui frequentare primordiis. Hunc conjunx feralis & noxia, nomine Gisa, semper a clementiæ remediis retrahebat. Hæc ergo inter cætera iniquitatis suæ contagia etiam rebaptizare quosdam est conata Katholicos; sed ob Sancti reverentiam Severini, non consentiente viro, a sacrilega quantocius intentione defecit. Romanos tamen duris conditionibus aggravatos, quosdam etiam Danubio jubebat abduci. Nam cum quadam die in proximo a Faviana vico veniens, aliquos ad se transferri Danubio præcepisset, vilissimi scilicet ministerii servitute damnandos, dirigens ad eam Vir Dei, ut eos dimitteret postulabat. Verum illa facibus fæminei furoris exæstuans, mandata reportari jussit asperrima, Ora, inquit, Serve Dei in tua cellula delitescens, liceat nobis de servis nostris ordinare quod volumus. Hæc igitur audiens homo Dei, Confido, inquit, in Domino Jesu Christo, quia necessitate compellitur, [3] explere, quod prava voluntate, despexit. Velox itaque secuta correptio, prostravit animos arrogantis: quosdam enim aurifices, barbaros, pro fabricandis regalibus ornamentis clauserat arta custodia. Ad hos filius memorati Regis admodum parvulus, nomine Fridericus, eodem die quo Regina Servum Dei contempserat, puerili motu concitus introivit. Tunc aurifices infantis pectori gladium posuere, dicentes, si quis ad eos absque juramenti præsidio ingredi conaretur, parvulum regium primitus transfigerent, & semetipsum [4] postea trucidarent; quippe cum sibi nullam [5] spem promitterent, macerati diuturnis ergastulis. His auditis Regina crudelis & impia, vestibus dolore conscissis, talia clamitabat: O Serve Dei Severine, sic a Deo tuo inlatæ vindicantur injuriæ? Hanc mei contemptus ultionem, effusis precibus postulasti, ut in mea viscera vindicares? Itaque multiplici contritione ac mirabili lamentatione discurrens, fatebatur se pro scelere contemptus, quod in Servum Dei commiserat, plagæ præsentis ultione percelli: confestimque directis equitibus veniam petitura, & Romanos quos ea die tulerat, pro quibus & rogantem contempserat, retransmisit; & aurifices accipientes protinus Sacramentum, ac dimittentes infantulum, pariter & ipsi dimissi sunt. His auditis reverentissimus Christi Servus gratias Creatori referebat immensas, qui ob hoc interdum differt vota poscentium, ut fide, spe & karitate crescente, dum minora petitur, majora concedat. Inde namque [6] egit gratias omni-

1 *Boll.* & barbari. 2 *Boll.* qui dum se, nec humile tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinasset.

1 *Boll.* Felecteus *MS. Lunælac.* Fellethcus. 2 *Boll. & MS. Lunælac.* Fava. 3 *Boll.* compelletur. 4 *Leg.* semetipsos; *ut est ap. Boll.* 5 *Boll. addit* vitæ. 6 *Boll.* Id namque egit virtus omnipotentis ac Salvatoris.

potenti

potenti ac Salvatori Deo, ut dum liberos sæva mulier subicit servitúti, servientes cogeretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, Regina statim ad Servum Dei properans cum marito, monstrat filium, quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens se nequaquam ejus jussionibus obviare.

9. Magna quoque Dei famulo prophetiæ gratia prædito in redimendis erat captivis industria. Studiosius etenim insistebat barbarorum ditione vexatos genuinæ restituere libertati. Interea cuidam cum conjuge liberisque redempto præcepit transvadare Danubium, & hominem ignotum in nundinis quærere barbarorum: quem in tantum divina revelatione didicerat, ut etiam signa staturæ, capillorumque colorem, vultus ejus ac vestis habitum indicaret, & in qua parte nundinarum repertu-
B rus eum foret ostenderet, addens, ut quidquid ei reperta diceret persona, reversus sibi maturius intimaret. Profectus itaque cuncta, sicut Vir Dei prædixerat, miratus invenit. Is igitur ab eodem homine, quem reperisse mirabatur, interrogatus audivit dicente: Putasne possum invenire hominem, qui me ad Virum Dei, cujus ubique fama diffunditur, qua voluerit mercede perducat? Diu est enim, quod Sanctos Martyres, quorum reliquias offero [1], supplicíter interpello, ut a tali ministerio tandem aliquando solvar indignus, quod hucusque non temeraria præsumptione, sed religiosa necessitate sustinui. Tunc nuntius hominis Dei ejus cum aspectibus præsentavit, qui debito Sanctorum Gervasii & Prothasii Martyrum re-
C liquias honore suscipiens, in basilica, quam in monasterio construxerat, collocavit officio Sacerdotum. Quo loco Martyrum congregavit Sanctuaria plurimorum, quæ tamen ei præeunte tempore Deus semper revelavit: nec ante promeruit suscipere, sciens adversarium sæpe surripere [4] sub nomine sanctitatis.

10. Episcopatus quoque honorem ut susciperet postulatus, præfinita responsione conclusit, sufficere sibi dicens, quod solitudine desiderata privatus, ad illam, divinitus veniset provinciam, ut turbis tribulantium interesset frequentibus. Daturus nihilominus Monachis formam, sollicitior admonebat beatorum Patrum vestigiis inhærere, quibus sanctæ conversationis adquireretur instructio, adhibendamque operam, ne hi, qui parentes reliquerunt
D & sæculum, pompæ sæcularis illecebras retrorsum respiciendo cuperent, quas intraverant [5], & ob hoc uxoris Loth exemplum terribile proponebat. Memorabat timore Dei mortificanda esse libidinum incentiva, nec aliter superanda corporalis delectationis asseruit incendia, nisi fuissent per Dei gratiam lacrimarum fonte restincta.

11. Quidam vero, nomine Maurus, basilicæ monasterii fuit ædituus, quem beatus Severinus redemerat de manibus barbarorum. Huic quadam die præcepit Vir Dei dicens: Cave, ne hodie egrediaris alicubi; alioquin imminenti periculo non carebis. Hic ergo contra præceptum tanti Patris, sæcularis cujusdam hominis persuasu, meridie ad colligenda poma in secundo a Favianis milliario egressus, mox a barbaris Danubio transvectus est cum suo persuasore captivus. In illa hora Vir Dei dum in cella legeret, clauso repente codice, Maurum, ait, cito requirite. Quo nusquam reperto, ipse quantocius Istri fluenta prætermeans, latrones properanter insequitur, quos vulgus Scamaras appellat. Cujus venerandam præsentiam non ferentes, supplices quos ceperant reddidere captivos.

12. Dum adhuc Norici Ripenses oppida superiora constarent, & pene nullum castellum barbarorum vitaret incursus, tam celeberrima S. Severini flagrabat opinio, ut certatim eum ad se castella singula pro suis monitionibus invitarent, credentes, quod ejus præsentia nichil eis eveniret adversi. Quod non sine nutu Divini muneris agebatur, ut omnes ejus monitis quasi cœlestibus terrerentur oraculis, exemploque illius bonis operibus erudirentur. In castellum quoque, cui erat Cucullis vocabulum, devotionibus accolarum Vir Sanctus venerat advocatus, ubi factum grande miraculum nequeo reticere: quod tamen Martiani post Presbyteri nostri, cujus [1] ejusdem loci, stupenda [2] relatione cognovimus. Pars plebis in quodam loco nefandis sacrificiis inhærebat. Quo sacrilegio comperto, Vir Dei multis plebem sermonibus allocutus, jejunium triduanum per Presbyterum loci persuasit indici, ac per singulas domos cereos afferre præcepit, quos propria manu unusquisque parietibus affixit Ecclesiæ. Tunc psalterio ex more decurso, ad horam sacrificii Presbyteros & Diacones Vir Dei hortatus est, tota cordis alacritate, secum communem Dominum deprecari, quatinus ad sacrilegos discernendos lumen suæ cognitionis palam ostenderet. Itaque cum multa largissimis fletibus, cumque fixis genibus precaretur, pars maxima cereorum, quos fideles attulerant, subito est accensa divinitus; reliqua vero eorum, qui prædictis sacrilegiis infecti fuerant, volentes [3] latere quod negaverant, inaccensa permansit. Tunc ergo qui eos posuerunt Divino declarati examine, protinus, exclamantes secreta pectoris satisfactionibus prodiderunt, & suorum testimonio cereorum manifesta confessione convicti, [4] propria sacrilegia testabantur. O clemens potentia creatoris, quæ fecit cereos animosque flammantes! accensus est ignis in cereis, & resulsit in sensibus. Visibilis luxi naturam ceræ liquabat in flammas, invisibilis corda fatentium solvebat in lacrimas. Quis non [5] credat amplius eos quos sacrilegus error involverat, post-

[1] *Sic Boll. MS. Mellic.* cogerunt. [2] *Boll.* fero.
[3] *Boll.* quæ tamen præeunte semper revelatione promeruit. [4] *f.* subrepere, *ut habet Boll.*
[5] *f.* vitaverant, *ut legit Boll.*

[1] *Ita quoque mendose Boll. Ego* Civis *legendum puto.*
[2] *Boll. addit* miracula, *sed hæc vox recte abest a MS. Mellic.* [3] *Vitiose Boll.* volentesque latere negaverant. [4] *Boll.* cuncti. [5] *deest apud Boll. hæc vox* non.

ea

ea claruisse bonis operibus, quam eos, quorum cereis fuerant accensi divinitus?

13. Alio rursus tempore in finibus ejusdem Castelli, locustæ frugum consumptrices copiose insiderant, noxiis morsibus cuncta vastantes. Tali, æruginis igitur peste perculsi mox Presbyteri cæterique mansores, S. Severinum summis precibus adierunt; dicentes: Ut tantæ plagæ auferatur atrocitas, orationum tuarum experta suffragia postulamus, quæ magno dudum miraculo in accensis cælitus cereis multum apud Dominum valere conspeximus. Quos ipse religiosius allocutus, Non legistis, ait, quod auctoritas divina peccanti populo præcepit per Prophetam, dicens: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu? & post pauca: Sanctificate inquit jejunium, vocate cætum, congregate Ecclesiam, & cætera quæ sequuntur. Explete itaque dignis operibus, quæ docent, ut malitiam facile præsentis temporis evadatis. Nullus sane ad agrum exeat, quasi humana [1] sollicitudine locustas vetiturus, ne divina amplius indignatio provocetur. Nec mora, omnibus in Ecclesiam congregatis, unusquisque in ordine suo psallebat ex more. Omnis ætas & sexus, quæ etiam voce non poterat, precem Deo fletibus offerebat, elemosynæ fieri non cessabant, quidquid bonorum operum præsens necessitas exigebat, sicut famulus Dei præceperat, implebatur. Omnibus igitur hujuscemodi studiis occupatis, quidam pauperrimus opus Dei cœptum deserens, ad agrum propriæ segetis invisendæ causa, quæ perparva inter aliorum sata jacebat, egressus est, totaque anxius die locustarum nubem impendentem qua potuit exturbabat industria, moxque Ecclesiam communicaturus intravit; sed segetem ejus exiguam, multis vicinorum circumdatam frugibus, locustarum densitas devoravit. Quibus ea nocte ab illis finibus exterminatis imperio divino, probatum est, quanti valeat fidelis oratio. Mane quippe sancti operis temerator atque contemptor rursus ad agrum suum male securus egrediens, cum locustarum pernitie funditus invenit abrasum, & omnium circumquaque sationes integras vehementer admirans, ad castellum luctuosa vociferatione revertitur. Cumque id quod acciderat indicasset, ad hujuscemodi videndum cuncti exiere miraculum, ubi quasi ad lineam regularem contumacis hominis segetem locustarum morsus ostenderat. Tunc omnium vestigiis provolutus, intercessionibus eorum delicti sui veniam fusa lamentatione poscebat. Ob quam rem monendi occasionem homo Dei reperiens, docebat universos, ut omnipotenti Deo discerent obedire, cujus imperiis obtemperant & locustæ. Pauper vero prædictus flebiliter allegabat, posse se mandatis obedire de cætero, si ulla sibi spes qua viveret remansisset. Tunc ergo Vir Dei cæteros allocutus, justum est, inquit, ut qui proprio supplicio humilitatis vobis & obedientiæ dedit exemplum, liberalitate vestra anni præsentis alimenta percipiat. Collatione itaque fidelium & correptus homo pauperrimus & ditatus, didicit quantum dispendii incredulitas inferat, quantumque beneficii suis cultoribus conferat divina largitio.

14. Item juxta oppidum, quod Juvavo [1] appellatur, cum quadam die intrantes basilicam, æstatis tempore, sollemnitatem vespere reddituri, ad accendenda luminaria ignem minime invenissent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiverunt, in tantum alterutra ferri ac petræ collisione tardantes, ut tempus Vespertinæ sollemnitatis efflueret. At Vir Dei genibus humi fixis orabat adtentius. Mox igitur in conspectu trium spiritalium, qui aderant tunc, virorum, cereus quem manu sua idem sanctus Severinus tenebat, accensus est. Quo lucente, sacrificio Vespertini temporis ex more suppleto, gratiæ Deo referuntur in omnibus. Quod factum, licet [2] memorati qui huic interfuere miraculo, celare voluerint, sicut & multa magnalia, quæ per illum Divinis sunt effectibus celebrata; claritas tamen tantæ virtutis occultari non potuit, sed ad magnam fidem cæteros excellenter accendit.

15. Accidit etiam ejusdem loci quandam mulierem diutino languore vexatam jacere semineçem, exequiis jam paratis: cujus proximi mœsto silentio voces funereas, quodam fidei clamore presserunt, & ante ostium cellulæ sancti Viri corpus jam exanime deposuere languentis [3]. Videns itaque homo Dei clausum aditum oppositione lectuli, ait ad eos: Quidnam est, quod facere voluistis? Responderunt: Ut oratione tua vitæ reddatur exanimis. Tunc ipse lacrimabundus exclamans, ait: Quid a parvo magnum deposcitis? Agnosco me prorsus indignum, utinam merear veniam pro meis invenire peccatis. Et illi, Credimus, inquiunt, quod si oraveris, reviviscit. Tunc sanctus Severinus, fusis illico lacrimis, in oratione prostratus est, & muliere protinus adsurgente, allocutus est eos: Nolite quidquam horum meis operibus applicare, hanc enim gratiam fidei vestræ fervor meruit; & hoc fit in multis locis & gentibus, ut cognoscatur, quod unus sit Dominus, faciens in cœlo & in terra prodigia, excitans perditos in salutem, & mortuos vitæ restituens. Mulier vero sanitate percepta opus sarcile [4] die tertio juxta morem provinciæ propriis cœpit manibus exercere.

16. Quintanis appellabatur secundarum municipium Rætiarum super ripam Danubii situm, huic ex alia parte parvus fluvius, cui Businca nomen est, propinquabat. Is crebra inundatione Danubii superfluentis excrescens, nonnulla castelli spatia, quia in planum fundatum fuerat, occupabat. Ecclesiam etiam loci ejus mansores extra muros ex lignis habebant constructam, quæ pendula extensione porrecta, defixis in altum stipitibus sustentabatur & furculis, cui ad vicem soli tabularum erat lævigata conjunctio: quam quotiens ripas excessisset,

1 *Ita Boll. MS. Mellic.* Humanas locustas in solitudinem venturus.

1 *Boll.* Juba. 2 *Boll.* Vir memoratus hos qui huic interfuere miraculo celare volucrit. 3 *Boll.* pene exanime. 4 *Boll.* agrale.

aqua ſuperfluens occupabat. Quintanenſium itaque fide S. Severinus illuc fuerat invitatus, ubi cum tempore ſiccitatis veniſſet, interrogabat, cur tabulata nudatis obſtaculorum tegminibus apparerent? Accolæ reſpondérunt: quod frequenter fluminis alluvione quidquid fuiſſet ſuperſtratum, continuo laberetur. At ipſe, ſternatur, inquit, ſuper tabulata nunc in Chriſti nomine pavimentum, jam videbitis amodo fluvium cæleſti juſſione prohibitum. Pavimento itaque perfecto, ipſe ſubter navi deſcendens, accepta ſecuri, poſtes facta oratione percuſſit, atque ad aquam fluminis venerandæ crucis expreſſo ſignaculo dixit: Non dimittet Dominus meus Jeſus Chriſtus hoc ſignum crucis aquam excedere. Ex illo itaque tempore cum ex more fluvius creviſſet in cumulos, ambiſſetque loca vicina quæ ſolebat, ita ſpatiis Eccleſiæ erat inferior, ut nunquam ſancti patibuli ſignaculum, quod impreſſerat homo Dei, prorſus excederet.

17. Accidit autem, ut caſtelli Presbyter memorati admodum venerabilis, Silvinus nomine, moreretur; & cum in Eccleſia feretro poſito noctem pſallentes duxiſſent ex more pervigilem, jam clareſcente diluculo rogavit. Vir Dei feſſos Presbyteros & Diacones univerſos paruimper abſcedere, ut poſt laborem vigiliarum ſomno ſe aliquantulum recrearent. Quibus egreſſis, homo Dei oſtiarium, Maternum nomine, interrogat, utrum omnes, ut dixerat, abſceſſiſſent? At illo reſpondente cunctos abiiſſe: Nequaquam ait, ſed latet hic quædam [1]. Tunc janitor Eccleſiæ ſepta ſecundo perluſtrans, nullum intus remanſiſſe teſtatur. Verum Chriſti miles Deo ſibi revelante, Neſcio quis, ait, hic deliteſcit. Tertio itaque diligentius perſcrutans, quandam invenit Virginem conſecratam, locis ſe occultioribus abdidiſſe. hanc ergo memoratus ſic increpavit ædituus: Cur hic famulo Dei poſito tuam credidiſti potuiſſe latere præſentiam? At illa: Pietatis, inquit, amor talia me facere perſuaſit; videns enim cunctos foris expelli, cogitavi mecum, quod ſervus Chriſti invocata divina Majeſtate præſentem mortuum ſuſcitaret. Interea igitur memorata egreſſa virgine, homo Dei cum Presbytero & Diacono janitoribusque duobus in oratione [2] curvatis, poſtulavit fletu largiſſimo, ut opus ſolitæ pietatis divina virtus oſtenderet. Tunc oratione completa [3] Presbyteri cadaver ita Vir beatus alloquitur: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſancte Presbyter Silvine, loquere cum fratribus tuis. Et ſubito oculos defunctus aperuit. Vix vero præſentibus homo Dei tacere præ gaudio perſuaſit; & denuo ad eum: Vis inquit, rogamus Dominum, ut te adhuc ſervis ſuis in hac vita condonare dignetur? At ille ait: Per Dominum te conjuro, ne hic diutius tenear, & fraudet, quiete perpetua, in qua me eſſe jam cernebam. Statimque reddita oratione quievit exanimis. Hoc autem factum ita S. Severini adjuratione celatum eſt, ut ante mortem ejus non potuiſſet agnoſci; ego tamen hæc quæ retuli Marci Subdiaconi & Materni janitoris relatione cognovi. Nam Presbyter & Diaconus, tanti teſtes miraculi, ante obitum [1] ſancti Viri cui juraverant nulli ſe quod viderant prodituros, obiiſſe noſcuntur.

18. Talibus igitur beatus Severinus per Chriſti gratiam opulentus muneribus, captivorum etiam egenorumque tantam curam ingenita ſibi pietate ſuſceperat, ut pene omnes per univerſa oppida vel caſtella pauperes ipſius induſtria paſcerentur: quibus tam læta ſollicitudine miniſtrabat, ut tunc ſe crederet tantumodo ſaturari, vel abundare bonis omnibus, quando videbat egentium corpora ſuſtentari. Et cum ipſe hebdomadarum continuatis jejuniis minime frangeretur, tamen eſurie miſerorum ſe credebat afflictum. Cujus largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamvis ex duro barbarorum imperio famis anguſtias ſuſtinerent, devotiſſime tamen frugum ſuarum decimas pauperibus impendebant. Quod mandatum licet cunctis ex lege notiſſimum ſit, tamen quaſi ex ore Angeli præſentis audirent, grata devotione ſervabant. Frigus quoque Vir Dei tantum in nuditate pauperum ſentiebat: ſiquidem ſpecialiter hoc a Deo perceperat donum, ut in frigidiſſima regione, mirabili abſtinentia caſtigatus, fortis & alacer permaneret. Pro decimis autem, ut diximus, dandis, quibus pauperes alerentur, Norici quoque populos [2] miſſis exhortabatur epiſtolis. Ex qua conſuetudine cum ad eum non nulli [3] erogandarum veſtium copiam direxiſſent, interrogavit eos qui venerant, ſi ex oppido quoque Tyburniæ ſimilis collatio mitteretur? Reſpondentibus, etiam inde protinus adfuturos: Vir Dei nequaquam eos venire ſignavit, ſed dilatam eorum oblationem prædixit barbaris offerendam. Itaque non multo poſt cives Tyburniæ, vario cum obſidentibus Gothis certamine dimicantes, vix inita fœderis pactione, inter cætera etiam largitionem jam in unum collatam, quam mittere Dei famulo diſtulerant, hoſtibus obtulerunt.

19. Cives quoque ex oppido Lauriaco, crebra quondam S. Severini exhortatione commoniti, frugum decimas pauperibus offerre diſtulerant. Quibus fame conſtrictis, jam maturitate meſſium flaveſcente, vicina ſubſidia monſtrabantur. At ubi rubiginis improviſa corruptio frugibus nocitura comparuit, mox ad ipſum convenere proſtrati, pœnas ſuæ contumaciæ confitentes. Miles autem Chriſti feſſos verbis ſpiritalibus allevigabat [4], dicens: Si decimas obtuliſſetis pauperibus, non ſolum æterna mercede frueremini, verum etiam commodis poſſetis abundare præſentibus. Sed quia culpam confeſſione propria caſtigatis, de Domini pietate polliceor, quod rubigo præſens tam valida [5] penitus non nocebit; tantum fides veſtra ulterius non vacillet. Verum cives ad perſolvendas decimas hæc promiſſio reddi-

[1] *Boll.* quidam. [2] *Boll.* curvatus. [3] *Boll.* Presbytero.

[1] *Boll.* ante ſanctum virum. [2] *Boll.* Presbyteros. [3] *Boll.* nonnullam. [4] *f.* allevabat, *ut Boll.* [5] *Boll.* valide.

dit

dit promptiores. Tunc, ut ſolebat, hortatus A eſt indici jejunium: Quo expleto, placidus imber deſperatæ meſſis amputavit incommoda.

20. Patavis appellatur oppidum, inter utraque flumina, Enum videlicet atque Danubium conſtitutum: ubi beatus Severinus cellulam paucis Monachis, ſolito more fundaverat, eo quod ipſe illuc ſæpius rogatus a civibus adveniret; maxime propter Alamannorum incurſus aſſiduos, quorum Rex [1] Giboldus ſumma eum reverentia diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum deſideranter occurrit, cui Sanctus obviam, ne adventu ſuo eandem civitatem prægravaret, egreſſus eſt, tantaque conſtantia Regem eſt allocutus, ut tremere coram eo vehementius cœperit, ſecedensque ſuis exercitibus indicavit, nunquam ſe nec re bellica nec aliqua formidine, tanto fuiſſe tremore B concuſſum. Cumque famulo Dei daret optionem imperandi quæ vellet; rogavit Doctor piiſſimus, ut ſibi potius præſtaturus, gentem ſuam a Romana vaſtatione cohiberet, & captivos quos jam [2] tenuerat, gratanter abſolveret. Tunc Rex conſtituit, ut ex ſuis aliquem dirigeret, ad id opus maturius exequendum. Statimque miſſus Amantius Diaconus, e veſtigio Regem ſubſequitur, ejusque pro foribus excubans, multis diebus non potuit nuntiari. Cui pro re, qua directus fuerat, non peracta, trigeſimo [3] die triſtiſſimo revertenti apparuit quidam effigiem ſancti præferens Severini, qui eum minaci compellatione perterritum ſequi ſe juſſit. Cumque pavens ac concitus ſequeretur, pervenit ad januam Regis: Statimque Dux ille prævius ex oculis mirantis evanuit. C Verum Regis internuntius Diaconum, unde eſſet, vel quid ſperaret, interrogat. Ille rem breviter inſinuans, oblatis Regi, receptisque remeavit epiſtolis. Dimiſſus igitur, revexit fere ſeptuaginta captivos, inſuper promiſſionem Regis gratam deferens, qua ſpoponderat ſe, cum diligenter provinciam peragraverit, remiſſurum quantus in eadem repertus fuiſſet numerus captivorum. Pro qua re poſtmodum ſanctus Lucillus Presbyter deſtinatus, magnam miſerorum copiam a captivitate revocavit.

21. Per idem tempus quo Romanum conſtabat imperium, multorum milites oppidorum pro cuſtodia limitis, publicis ſtipendiis ſublevabantur. Qua conſuetudine deſinente, ſimul militares turmæ ſunt deletæ, cum limi- D te Battonino [4] utcunque numero perdurante: ex quo perrexerunt quidam ad Italiam, extremum ſtipendium cum militonibus allaturi, quos interemptos [5] a barbaris nullus agnoverat. Quadam ergo die dum in ſua cellula ſanctus legeret Severinus, ſubito clauſo codice, cum magno cœpit lacrimari ſuſpirio, aſtantes juvenes ad fluvium properanter juſſit excurrere, quem in illa hora humano firmabat [6] cruore reſpergi; ſtatimque nuntiatum eſt, corpora præfatorum militum fluminis impetu ad terram fuiſſe delata.

22. Paulinus, quidam ad S. Severinum, fama ejus excurrente, pervenerat. Hic in conſortio beati Viri diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audivit ab eo: Feſtina venerabilis Presbyter, quia cito dilectionem tuam, populorum deſideriis, ut credimus, obluctantem, dignitas Epiſcopalis ornabit. Mox remeante ad patriam, ſermo in eo prædicentis impletus eſt. Nam cives Tyburniæ, quæ eſt metropolis Norici, coëgerunt prædictum Virum ſummi ſacerdotii ſuſcipere principatum.

23. Baſilicæ extra muros oppidi Battabini, in loco nomine Poiotro [1] trans Enum fluvium conſtitutæ, ubi cellulam paucis Monachis ipſe conſtruxerat, Martyrum reliquiæ quærebantur. Ingerentibus ergo ſe Presbyteris ut mitterentur ad ſanctuaria deferenda; hæc beatus Severinus monita proferebat: Quamvis cuncta mortalium opere conſtructa præterean, hæc tamen ædificia præ cæteris celerrime relinquenda ſunt; & ideo pro reliquiis Sanctorum nullum laborem debere ſuſcipere, quia ultro eis S. Johannis benedictio deferretur. Interea beatum Virum cives oppidi memorati ſuppliciter adierunt, ut pergeret ad Febanum [2] Rugorum Principem, mercandi eis licentiam poſtulare. Quibus ipſe, Tempus, inquit, hujus oppidi propinquavit, ut deſertum, ſicut ſuperiora caſtella cultore deſtituta, remaneat. Quid ergo neceſſe eſt locis mercimonia providere, ubi ultra non poterit apparere mercator? Reſpondentibus illis, non ſe debere contemni, ſed conſueto ſublevari regimine, quidam Presbyter hæc diabolico ſpiritu repletus adjecit: Perge, quæſo, Sancte Dei, perge velociter, ut tuo diſceſſu paruimper a jejuniis & vigiliis quieſcamus. Quo dicto, Vir Dei lacrimis urgebatur ingentibus, quod in ridiculam vanitatem, cunctis audientibus, ſacerdos eruperat. Aperta namque ſcurrilitas latentium eſt teſtificatio delictorum. Sanctus itaque Vir, cur ita fleret, interrogatus a fratribus; Video, inquit, plagam graviſſimam nobis abſentibus huic loco protinus eventuram; & Chriſti ſacraria (quod non ſine gemitu cogor exprimere) humano ſanguine redundabunt, in tantum ut etiam locus iſte violandus ſit, nam in baptiſterio hoc loquebatur. Ad antiquum itaque & omnibus majus monaſterium ſuum, juxta muros oppidi Faviani, quod centum & ultra millibus aberat, Danubii navigatione deſcendit. Mox igitur eo diſcedente [3] Chumundus paucis barbaris comitatus, oppidum, ut Sanctus prædixerat, Battavis invaſit, ac pene cunctis manſoribus in meſſe detentis, quadraginta viros oppidi, qui ad cuſtodiam remanſerant, interemit. Presbyterum quoque illum, qui tam ſacrilega contra famulum Chriſti in baptiſterio fuerat locutus, ad eundem locum confugientem, inſequentes barbari peremerunt. Fruſtra enim illuc offenſor Dei [4] veritatis inimicus, acceſſit, ubi tam impudenter exceſſerat.

1 *Boll.* Gibuldus. 2 *Boll.* ſui tenuerant. 3 *deſiderantur hæ duæ voces apud Boll.* 4 *f.* Battavino, *ut Boll.* 5 *Boll. addit* in itinere. 6 *f.* affirmabat.

1 *Boll.* Boitro. 2 *Boll.* Favianam. 3 *Boll.* Chunimundus. 4 *Boll.* offenſo Deo.

24. Igitur sanctissimus Severinus dum in monasterio Favianis Evangelium legeret, oratione suppleta [1] consurgens, scasiam sibi jubet illico præparari, & mirantibus [2] ait: Sit nomen Domini benedictum, Sanctuariis beatorum Martyrum nos oportet occurrere. Nec mora: transmeato Danubio, inveniunt hominem consistentem in ripa ulteriore fluminis, ac multis eos precibus postulantem, ut ad Servum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet, duceretur. Mox itaque ei Christi famulo demonstrato, suppliciter S. Johannis Baptistæ reliquias obtulit, multis apud se servatas temporibus. Quas Dei Servus debita veneratione susciplens, basilicam S. Johannis, sicut prædixerat, ultronea benedictione collata, sacravit officio Sacerdotum.

25. Ad habitatores præterea oppidi, quod Juvavo vocabatur, septuaginta & amplius a Batabis millibus separatum, solita Vir Dei revelatione commonitus, Moderatum nomine, Cantorem Ecclesiæ destinavit, præcipiens, ut habitationem loci illius omnes sine cunctatione relinquerent: mox enim perituros fore, si contemnerent imperata. Aliis ergo de tanto præsagio dubitantibus, aliis prorsus non credentibus, iterum misit Quintasium quendam, cui & inlacrimans, ait: Perge velocius, denuntians eis, si hanc sub noctem manserint, sine dilatione capientur. Sanctum quoque [4] Maximianum spiritalis vitæ Presbyterum instantius imperat admonere, ut saltim ipse, contemptoribus derelictis, properaret cœlesti misericordia liberari: de quo sibi Dei famulus magnam dicebat inesse mœstitiam, ne forte salutiferum differendo mandatum, imminenti subjaceret exitio. Prædictus itaque pergens, imperata supplevit, & reliquis in incredulitate nutantibus, nuntius Viri Dei Presbytero retinenti se, atque hospitalitatem præbere cupienti, nullatenus adquievit. Qua nocte Heruli insperate protinus irruentes, oppidum vastantes, plurimos duxere captivos, Presbyterum memoratum patibulo suspendentes. Quo audito, Servus Dei graviter doluit præmonitos non curasse. Deinde quidam Noricus, nomine Maximus, ad Servum Dei, prout frequentare solitus erat, cum venisset, & pro familiaritate quam meruerat in monasterio sancti viri, diebus aliquot moraretur, informatur oraculis, patriam suam grave repente exitium subituram. Qui acceptis literis ad S. Paulinum Episcopum destinatis, remeavit instantius. Igitur memoratus Antistes litterarum tenore perstructus [5], universa [6] Diœcesis suæ castella scriptis propriis vehementer admonuit, ut triduano jejunio, quod litteræ Viri Dei signaverant, exitio venturæ cladis occurrerent. Quibus jussa complentibus, terminato jejunio ecce Alamannorum copiosissima multitudo feraliter cuncta vastavit. Castella vero nullum sensere periculum, quæ lorica fidelis jejunii, & laudanda cordis humilitas per Virum propheticum adversus hostium ferociam fideliter armaverat.

26. Post hæc leprosus quidam Mediolanensis territorii, ad S. Severinum, fama ejus invitante, perrexerat. Hunc sanitatum remedia suppliciter implorantem, Monachis suis indicto jejunio commendavit, qui continuo Dei gratia operante mundatus est. Cumque recepta sanitate, redire suaderetur ad patriam suam, prostravit se pedibus sancti Viri, petens ne ulterius ad suam redire cogeretur, cupiens scilicet ut lepram quoque peccatorum sicut carnis effugeret, vitamque in eodem loco fine laudabili terminaret. Cujus animum Vir Dei vehementer admirans, paucis Monachis paterna jussione præcepit; frequentatis cum eo jejuniis in oratione continua permanere, ut Dominus ei quæ essent opportuna concederet. Tantis itaque remediis præmunitus, intra duorum mensium spatium vitæ mortalis est compedibus absolutus. Eodem vero tempore mansores oppidi Quintanensis, creberrimis Alamannorum incursionibus jam defessi, sedes proprias relinquentes, in Battavis oppidum migraverunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium prædictorum: qua causa plus inflammati sunt, credentes quod duorum populos oppidorum uno impetu prædarentur. Sed beatus Severinus orationi fortius incubans, Romanos exemplis salutaribus multipliciter hortabatur, prænuntians hostes quidem præsentes Dei auxilio superandos, sed post victoriam eos qui contemnerent ejus monita perituros. Igitur Romani omnes sancti Viri prædictione firmati, spe promissæ victoriæ adversus Alamannos instruxerunt aciem, non tam materialibus armis, quam sancti Viri orationibus præmuniti. Qua congressione victis ac fugientibus Alamannis, Vir Dei ita victores alloquitur: Filii, ne vestris viribus palmam præsentis certaminis imputetis, scientes idcirco vos Dei nunc præsidio liberatos, ut hinc parvo intervallo temporis, quasi quibusdam concessis induciis, discedatis. Mecum itaque ad oppidum Lauriacum congregati descendite. Hæc homo Dei plenus pietate commonuit. Sed Battaviis genitale solum relinquere dubitantibus, sic adjecit: Quamvis & illud oppidum, quo pergimus, ingruentibus barbaris sit quantocius relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus. Talia commonentem secuti sunt plurimi, quidam vero reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicunque enim ibidem contra hominis Dei interdicta manserunt, Thuringis irruentibus in eadem hebdomada, alii quidem trucidati, alii in captivitatem deducti, pœnas dedere contemptus.

27. Igitur post excidium oppidorum in superiore parte Danubii, omnem populum in Lauriacum oppidum transmigrantem, qui S. Severini monitis paruerant, assiduis hortatibus perstruebat, ne in sua virtute confiderent, sed orationibus & jejuniis atque elemosynis insistentes, armis potius spiritalibus munirentur. Præterea quadam [1] Vir Dei cunctos pau-

[1] *I.* completa. [2] *Boll. addit:* his qui aderant.
[3] *Boll.* Jopia. [4] *Boll.* Maximum.
[5] *ita MS.* [6] *Boll.* universas Diœceses sive castella.
[1] *Supple* die.

peres

peres in una basilica statuit congregari, oleum prout poscebat ratio largiturus; quam speciem in illis locis difficillimam negotiatorum tantum deferebat advectio. Igitur tanquam benedictionis accipiendæ gratia major egenorum turba confluxit, pretiosum quippe ibidem hujus liquoris alimentum auxit turbam numerumque poscentium. Tunc vir beatus oratione completa, signoque crucis expresso, solitum sibi scripturæ Sanctæ sermonem cunctis audientibus exprimens, ait: Sit nomen Domini benedictum. Tunc cœpit oleum propria manu ministris implere portantibus, imitatus fidelis servus Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare. Sequensque vestigia Salvatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dexteræ, sinistra nesciente, fundebat. Completis quippe vasculis pauperum, nichil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium dum circumstantes tacite mirarentur, unus eorum, cui nomen erat Pientius, nimio stupore perterritus exclamavit dicens: Domine mi, crescit hic cacabus olei, & in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, prodita virtute, subtractus est. Cui statim Christi famulus exclamans, ait: Quid fecisti frater? Obstruxisti commodum plurimorum, ignoscat tibi Dominus Jesus Christus. Sic aliquando mulier vidua debitis onerata, Heliſæi prophetæ jussis instruitur, ex olei stilla quam habebat vasa replere quamplurima. Quod cum fecisset, & adhuc a filiis vasa deposceret, ubi audivit defeciſſe numerum vasorum, mox stetit oleum.

28. Per idem tempus Maximus Noricensis, cujus fecimus superius mentionem, fidei calore succensus, media hyeme, qua regionis illius itinera gelu torpente clauduntur, ad beatum Severinum audaci temeritate, vel magis, ut postea claruit, intrepida devotione venire contendit, conductis plurimis comitibus, qui collo suo vestes captivis & pauperibus profuturas, quas Noricorum religiosa collatio profligaverat [2], bajularent, itaque profecti ad summa Alpium cacumina pervenerunt, ubi per noctem totam nix tanta confluxit, ut eos magna arborum protectione vallatos, velut ingens fovea demersos includeret. Et cum de vita sua penitus desperarent (nullo [3] scilicet subveniente remedio) vidit ductor comitum per soporem in effigie viri [4] Dei stantem ac dicentem sibi: Nolite timere, pergite, quo cœpistis. Hac ergo revelatione protinus animati, cum cœpissent fide magis quam gressibus proficisci, subito divino nutu ingentis formæ ursus e latere veniens viam monstraturus apparuit: qui tempore hyemis speluncis se abdere consuevit, mox cupitum referat iter, & per duodecim [5] fere millia non ad sinistram devians non ad dexteram, viam demonstravit optabilem. Tanta enim eos intercapedine præcedebat, quanta recenti vestigio semitam præpararet. Itaque progrediens bestia per eremi vastitatem, viros qui egenis stipendia deferebant non reliquit, sed usque ad habitacula hominum qua potuit humanitate perduxit: & mox in unam partem officio divertit expleto, ostendens tanto ducatus officio, quid homines hominibus præstare debeant, quantumque charitatis impendere, cum desperantibus iter bestia sæva monstraverit. Igitur cum servo Dei nunciarentur qui venerant, ait: Sit nomen Domini benedictum. Ingrediantur quibus viam qua venirent ursus aperuit. Quo audito, illi stupore nimio mirabantur, virum Dei referre id quod absentibus provenerat.

29. Cives item oppidi Laureaci, & superiorum transfugæ castellorum, ad suspecta loca exploratoribus destinatis, hostes quantum poterant humana sollicitudine præcavebant. Quos servus Dei divinitatis instinctu commonitus, præsaga mente perstruxit, ut omnem paupertatis suæ sufficientiam intra muros concluderent, quatenus inimicorum feralis excursio nichil humanitatis inveniens, statim fame compulsa, immania crudelitatis cœpta desereret. Hæc per quadriduum contestatus, advesperascente jam die, Valentem nomine, Monachum mittens ad sanctum Constantium ejusdem loci Pontificem & ad cæteros commanentes: Hac, inquit, nocte dispositis per muros ex more vigiliis, districtius excubate, supervenientis hostis cavetes insidias. At illi nichil adversi per exploratores sentire se penitus affirmabant. Sed Christi famulus eos prænonere non desinens, dubitantibus voce magna clamabat, eadem nocte eos asserens capiendos, nisi imperiis fideliter obedirent, sæpius repetens: Me, inquit, si mentitus fuero, lapidate. Itaque tandem aliquando muris invigilare compulsi, expleta consueti operis in noctis principio psalmodia, cum celeberrimo cœpissent vigilare concursu, acervus fœni cominus positus, & fascula bajuli nolentis accensus, lumen non incendium reddidit civitati. Qua occasione vociferantibus cunctis, hostes sylvarum occultati [2] nemoribus, subito splendore clamoreque perterriti, putantes se præcognitos esse, quieverunt: ac mane facto circumdantes civitatem, & ubique discurrentes, cum nichil victualium reperissent, direpto animalium grege cujusdam hominis, qui servo Dei prædicente contumax sua tutare contempserat, recesserunt. Illis autem abeuntibus cives portas egressi, haut procul a muris scalas jacentes inveniunt, quas ad urbis excidium præparantes barbari, vigilantium clamore turbati, in nocte jactaverant. Quapropter memorati cives veniam a Christi famulo precabantur, humiliter confitentes, corda sua lapidibus esse duriora, qui rebus præsentibus agnoverunt, in Sancto Viro gratiam viguisse propheticam. Dignum [3] esse nempe dicebant, ut tunc plebs inobediens universa captivaretur, nisi eam liberam viri Dei consueta conservasset oratio, Jacobo Apostolo protestante: Multum, inquit, valet deprecatio justi assidua.

[1] *Boll.* Biennius. [2] *Boll.* congregaverat [3] *desunt hæc apud Boll.* [4] *f.* Virum. [5] *Boll.* ducenta.

[1] *Boll.* in absentia. [2] *Boll.* Sylvarum occultatione morantes. [3] *nimiloſe hic Boll.* atque in uno impetuisset plebs inobediens universa captiva, nisi &c.

30. Feletheus Rugorum Rex, qui & Feva, audiens cunctorum reliquias oppidorum, quæ barbaricos evaſerant gladios, Lauriaco [1] perfamulum Dei ſe contuliſſe, aſſumpto veniebat exercitu, cogitans repente detentos abducere, & in oppidis ſibi tributariis atque vicinis (ex quibus unum erat Favianis [2], quod a Rugis tantumodo dirimebatur Danubio) collocare. Quamobrem graviter univerſi turbati, S. Severinum adiere ſuppliciter, ut in occurſum Regis egrediens, ejus animum mitigaret. Cui tota nocte feſtinans, in viceſimo ab urbe milliario matutinus occurrit. Rex ergo adventum ejus protinus expaveſcens, teſtabatur ſe illius fatigatione plurimum prægravatum. Cauſas igitur repentinæ occurſionis inquirit. Cui Servus Dei, Pax, inquit, tibi Rex optime: Chriſti legatus advenio, ſubditis miſericordiam precaturus. Recole gratiam, divina beneficia recordare, quibus pater tuus ſe frequenter ſenſit adjutum. Nam cunctis regni ſui temporibus nichil me inconſulto gerere præſumebat. Qui monitis ſalutaribus non reſiſtens, crebris proſperitatibus recognovit, quanti valeret obedientis animus, quantumque triumphatoribus proſit, ſuis non tumere victoriis. Et Rex: Hunc, inquit, populum, pro quo benivolus precator accedis, non patiar Alamannorum aut Thuringorum iniquorum ſæva deprædatione vaſtari, vel gladio trucidari, aut in ſervitio redigi, cum ſint nobis vicina [3] oppida ac tributaria, in quibus debeant ordinari. Cui Servus Chriſti conſtanter ita reſpondit: Nunquid arcu tuo, vel gladio homines iſti a prædonum vaſtatione creberrima ſunt erepti, & non potius Dei munere, ut tibi pauliſper ad obſequia valeant reſervari? Nunc ergo, Rex optime, conſilium meum ne reſpuas, fidei meæ hos committe ſubjectos, ne tanti exercitus compulſione vaſtentur, potius quam migrentur. Confido enim in Domino meo, quod ipſe qui me fecit horum calamitatibus intereſſe, in perducendis eis idoneum faciet promiſſorem [4]. His auditis, Rex modeſtis allegationibus mitigatus, ſuo protinus remeavit exercitu. Igitur Romani, quos in ſuam S. Severinus fidem ſuſceperat, de Lauriaco deſcendentes, pacificis diſpoſitionibus in oppidis ordinatis, benivola cum Rugis ſocietate vixerunt. Ipſe vero Favianis degens in antiquo ſuo monaſterio, nec admonere populos, nec prædicere futura ceſſabat, aſſerens univerſos in Romani ſoli provinciam absque ullo libertatis migraturos incommodo.

31. Hisdem temporibus Odovacar [5] Rex S. Severino familiares litteras dirigens, ſiqua ſperanda duceret, dabat ſuppliciter optionem, memor illius præſagii quondam, quo eum expreſſerat regnaturum. Tantis itaque Sanctus alloquiis invitatus, Ambroſium quendam exulantem rogat abſolvi. Cujus Odovacar gratulabundus, paruit imperatis. Quodam etiam tempore dum memoratum Regem multi nobiles coram Sancto viro humana, ut fieri ſolet, adulatione laudarent, interrogat, quem Regem tantis præconiis prætuliſſent? Reſpondentibus, Odovacarem [1]. Odovacar, inquit, integer, inter tredecim aut quatuordecim annos videlicet integros, regni ejus ſignificans; & his dictis adjecit citius illos quod ipſe prædixerat, probaturos. Ad oppidanos Comagienſes, apud quos primum quondam innotuerat beatus Severinus, ſuppliciter rogatus advenit. Cujus comperta præſentia, unus ex optimatibus Felethei Regis filium ſuum adoleſcentem diuturno languore vexatum, cui jam parabat exequias, transvecto Danubio pedibus ejus projecit, & lacrimans: Credo, inquit, homo Dei, te filio meo velocem impetrare divinitus ſanitatem. Tunc data oratione, qui ſemivivus allatus fuerat, ſtatim incolumis patre mirante ſurrexit, & perfecta protinus revertitur ſoſpitate. Elefantioſus etiam quidam, Telo nomine, de longinquis regionibus S. Severini invitatus virtutibus venit, rogans ejus orationibus mundari. Accepto itaque ex more præcepto, jubetur Deum totius gratiæ largitorem ſine ceſſatione lacrimabiliter exorare. Quid plura? Precibus beati viri idem leproſus divina opitulatione mundatus, dum commutat mores in melius, mutare meruit & colorem, Regis æterni magnalia tam ſuis quam plurimorum vocibus longe lateque denuntians.

37. Bonoſus quoque Monachus beati Severini, barbarus genere, qui reſponſis ejus inhærebat, oculorum imbecillitate pluriimum prægravatus, medelam ſibi præſtari ejus oratione poſcebat, ægre ferens adventitios & externos ſalutaris gratiæ ſentire præſidia, ſibique nullam remediorum opem aliquatenus exhiberi. Cui ſervus Dei: Non tibi, inquit, expedit fili, corporeis luminibus aciem habere perſpicuam, & exterioris oculi clarum præferre conſpectum: ora magis, ut obtutus vegetetur interior. Talibus igitur monitis informatus, dedit operam corde magis videre quam corpore: meruitque abſque ullo faſtidio mirabiliter in orationis effici [2] jugitate continuus, & per quadraginta fere annos in monaſterii excubiis perſeverans, eodem quo converſus eſt fidei calore tranſivit [3].

In loco Poiotro ſuperius memorato, quosdam tres Monachos ſui monaſterii Doctor humilis ſuperbiæ fœditate reſperſos, dum pro ſuis ſingulos exceſſibus increpatos, durare in pernitie comprobaſſet, oravit, ut eos Dominus in adoptionem recipiens filiorum, paterno dignaretur flagello corrigere. Prius ergo quam orationem effuſis lacrimis terminaret, uno momento iidem Monachi dæmone corripiente vexati, contumaciam ſui pectoris [4] vocibus fatebantur. Abſit, ut cuiquam hoc cru-

1 *ita MS. pro* Lauriacum. 2 *Boll.* quæ a Rugis tantummodo dirimebantur. 3 *Boll.* Cum ſint nobis oppida & Caſtella, in quibus *&c.* 4 *Boll.* promiſſorum. 5 *MS. Lunælac. & Boll.* Odobagar.

1 *Integer hic locus paulo quidem plenior, ſed æque mutilus ſic extat apud Boll. & in MS. Lunælacenſi:* Odobagar, inquit, integer inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet integros regnabit; finem vero regni ejus ſignificans; & his dictis adjecit, citius illos quod ipſe prædixerat probaturos. *MSS. Lunælac. & San-Emmerammenſenſe apud Velſerum pro* integer *habent* interrim. 2 *f.* perfici, *ut Boll.* 3 *Boll.* ad Dominum. 4 *Boll. addit* miſerabilibus.

dele

dele videatur aut noxium; quia traditi sunt hujusmodi homines satanæ in interitum carnis, sicut beatus docet Apostolus, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi: cum beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus servum Stiliconis, auctorem falsarum epistolarum deprehensum, dixerit oportere tradi satanæ, ne talia in posterum auderet admittere; quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore Sacerdotis, Spiritus immundus arreptum cœpit discerpere; Severus quoque Sulpitius refert ex relatione Postumiani, virum quendam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo jactantiæ vanitatem quam incurrerat, exorasse, ut permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curaverat. Idemque post pauca: Itaque correptus a Dæmone, tentus in vinculis, omnia quæ energumeni solent ferre perpessus, quinto demum mense curatus, est non tantum a Dæmone, sed quod illi erat utilius atque optatius, vanitate[1]. Prædictos itaque Monachos Vir Dei delegatos fratribus per dies quadraginta arduis abstinentiæ remediis mancipavit. Quibus expletis, data super eos oratione, a potestate dæmonis eruit, nec solum sanitatem corporis, sed etiam mentis impertivit. Quo facto, & sancto viro reverentia & terror accrevit, & cæteros major disciplinæ metus obtinuit.

33. Martianum Monachum, qui postea Presbyter ante nos monasterio præfuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat. Et cum dies tertius laberetur, ait fratribus: Orate karissimi, quia gravis labor hac hora Marcianum comprimit, & Renatum, de quo tamen Christi liberabuntur auxilio. Tunc Monachi, quæ ab eo dicta sunt protinus adnotantes, illis post menses plurimos redeuntibus, diem horamque periculi, qua barbaros evaserant, indicantibus, sicut signaverant adprobarunt. Item beatissimus Severinus uni ex fratribus, Urso nomine, repente præcepit, quadraginta dierum districtiori jejunio, venturæ calamitati, abstinentia ciborum & lamentis lacrimarum occurrere, dicens; Imminet tibi corporale periculum, quod Dei præsidio parvi panis & aquæ remediis expiabis. Quadragesimo itaque die mortifera papula in brachio jejunantis apparuit, quam mox ad ipsum ingressus simpliciter demonstravit. Cui Sanctus Dei famulus: Noli, inquit, metuere prænuntiatum tibi ante dies quadraginta discrimen: statimque propria manu signo crucis obducto, mirantibus qui aderant, papula lethalis evanuit. Hoc unum de domesticis sanitatibus narrasse sufficiat, prolixi operis fastidio declinando. Nam sæpius suorum ægritudines Monachorum Christo sibi revelante prænuncians, iisdem quibus prævidebat muneribus & sanabat. A discipulorum quoque suorum cellula spiritalis Doctor non longius habitabat, in orationibus vel abstinentia jugiter perseverans, cum quibus tamen matutinas orationes & propriam noctis principio psalmodiam sollemniter adimplebat; reliqua vero orationum tempora, implebat oratorio quo manebat. In quibus sæpe cœlestibus informatus oraculis, multa futura per Dei gratiam prædicebat: multorum etiam occulta cognoscens, ut opus erat, proferebat in medium, & singulis remedium, prout poscebat modus ægritudinis providebat. Stratus ejus unum erat in Oratorii pavimento cilicium; omni tempore ipso quo vestiebatur amictu, etiam dum quiesceret, utebatur. Nunquam ante solis occasum nisi certa solvit festivitate jejunium; quadragesimæ vero temporibus una per hebdomadam refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria deflens errata, quibus poterat præsidiis temperabat.

34. Deinde post multos agones & diuturna certamina, cum se isdem beatus Severinus de hoc sæculo transiturum Deo revelante sensisset; memoratum Rugorum Regem Fevam cum uxore ejus crudelissima, nomine Gisa, ad se venire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus, ut ita cum sibi subjectis ageret, quo se jugiter cogitaret pro statu regni sui rationem Domino redditurum, aliisque verbis intrepide monuisset; protenta manu Regis pectus ostendens, Reginam his interrogationibus arguebat: Hanc, inquit, animam, Gisa, an aurum argentumque plus diligis? Cumque illa maritum se diceret cunctis opibus anteferre, Vir Dei sapienter adjecit: Ergo, inquit, desine innocentes opprimere, ne illorum afflictio vestram magis dissipet potestatem: etenim mansuetudinem Regis [2] tu sæpe convellis. At illa: Cur nos, inquit, sic accipis Serve Dei? Cui ipse: Contestor, ait, vos ego humilis jam profecturus ad Dominum, ut ab iniquis actibus temperantes, piis insistatis operibus. Hucusque regnum vestrum auctore Domino prosperatum est, jam ex hoc vos videritis. His monitis Rex cum conjuge sufficienter instructi, valedicentes ei profecti sunt. Tunc Sanctus non desinebat de suæ migrationis vicinia suos alloqui dulcedine karitatis, quod quidem facere nec antea cessaverat. Scitote, inquit, fratres, sicut filios Israel constat ereptos esse de terra Ægypti; ita cunctos populos terræ hujus oportet ab injusta barbarorum dominatione liberari: etenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes, ad Romanam provinciam absque ulla sui captivitate pervenient. Sed mementote præcepti S. Joseph Patriarchæ, cujus vos ego indignus & infirmus attestatione convenio: Visitatione visitabit vos Deus, & tolletis ossa mea hinc vobiscum, quod non mihi sed vobis est profuturum. Hæc quippe loca nunc frequentata cultoribus, in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes æstimantes auri se quippiam reperturos, etiam mortuorum sepulturas effodient. Cujus vaticinii veritatem eventus rerum præsentium comprobavit. Levari vero [3] suum corpusculum Pater sanctissimus pietatis pro-

[1] *supple* jactantiæ.

[2] *Boll. addit* in parvo. [2] *vitiose MS. Mellic.* Reginæ.

[3] *Boll.* Levari ergo suum corpusculum Pater sanctissimæ pietatis providis argumentis præcepit.

providus argumentis præcepit, ut dum generalis populi transmigratio proveniſſet, indiviſa fratrum quos adquiſierat, congregatio proficiſcens, obtentu memoriæ ejus in uno ſocietatis vinculo permaneret.

35. Diem etiam, quo tranſiturus eſſet idem beatiſſimus Severinus e corpore, ante duos & amplius annos, hac ſignificatione, monſtravit. Epiphaniorum die cum ſanctus ſe Lucillus Presbyter Abbatis ſui S. Valentini, Rætiarum quondam Epiſcopi, diem depoſitionis annua ſollemnitate in craſtinum celebraturum ſollicitus intimaſſet; idem famulus Dei ita reſpondit: Si beatus Valentinus hæc tibi celebranda ſollemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarum mearum ſtudia obſervanda, migraturus e corpore, derelinquo. Ille his ſermonibus tremefactus, cum ſe magis, utpote homo decrepitus, enixius commendaret, quaſi primitus tranſiturus, adjecit: Hoc erit Sancte Presbyter, quod audiſti, nec enim Domini conſtitutum humana voluntate præteriet. Præterea Fridericus a fratre ſuo Rugorum Rege Feva ex paucis, quæ ſuper ripam Danubii remanſerant oppidis, unum acceperat Favianis, juxta quod S. Severinus, ut retuli, commanebat. Ad quem cum idem Fridericus ex more ſalutaturus accederet, cœpit ei Chriſti miles iter ſuum enixius indicare, ſub conteſtatione hæc proloquens: Noveris me, inquit, quantocius ad Dominum profecturum; & ideo commonitus præcaveto, ne me diſcedente aliquid horum, quæ mihi commiſſa ſunt, adtaminare pertemptes, & ſubſtantiam pauperum captivorumque contingas, indignationem Dei, quod abſit, tali temeritate ſenſurus. Sed Fridericus inſperata commonitione perculſus: Cur, inquit, hac conteſtatione confundimur, cum non optemus tantis orbari præſidiis, & ſanctæ largitioni tuæ, quæ omnibus nota eſt, conferre nos aliquid deceat, non auferre; quatenus ſolita, ſicut & pater noſter Flaccitheus, tua mereare oratione muniri, qui experimento didicit, Sanctitatis tuæ meritis ſe fuiſſe ſemper adjutum? Et ille: Qualibet, inquit, occaſione cellulam meam volueris lædere, & hic ſtatim probabis, & in futuro ſolves, quam non opto vindictam. Tunc Fridericus promittens ſe Chriſti famuli monita ſervaturum, remeavit ad propria. Doctor vero dulciſſimus non ceſſabat ſuos alloqui per momenta diſcipulos, dicens: Confido de gratia Domini mei Jeſu Chriſti, quia vobis in opere ſuo durantibus, & meæ memoriæ pacata ſocietate conjunctis, æternæ vitæ bona tribuet, nec præſentium ſolatia denegabit.

36. Nonis itaque Januariis cœpit tenuiter lateris dolore pulſari. Quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adeſſe præcepit, quos de corpore ſuo commonens, & paterna informatione corroborans, inſtanter ac mirabiliter talia proſecutus, ajebat: Filii in Chriſto Kariſſimi, ſcitis quod beatus Jacob, conditione mortis inſtante filios ſuos adeſſe præcipiens, prophetiæ benedictionis affatibus ſingulos quosque remunerans, myſteriorum arcana prodidit futurorum. Nos vero infimi ac tepidi, tantæque impares pietati, hanc prærogativam noſtris uſurpare viribus non audemus; unum tamen quod humilitati congruit non tacebo, mittens vos ad exempla majorum, quorum intuentes exitum, converſationis imitamini fidem. Abraham namque vocatus a Domino, fide obedivit, ut exiret in locum, quem accepturus erat in poſſeſſionem, & exiit neſciens, quo venturus eſſet. Hujus igitur beati Patriarchæ imitamini fidem, imitamini ſanctitatem, terrena deſpicite, patriam cæleſtem ſemper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra provenient. Video enim vos gaudium meum fervore ſpiritus ampliaſſe, amare juſtitiam, fraternæ Karitatis vincula diligere, caſtitati operam dare, humilitatis regulam cuſtodire: hæc, quantum ad hominis ſpectat intuitum, laudo confidenter & adprobo. Sed orate, ut quæ humanis aſpectibus digna ſunt, æternæ diſcretionis examinatione firmentur, quia non ſicut videt homo, videt Deus. Ille ſiquidem, ſicut divinus ſermo denuntiat, omnia corda ſcrutatur, & omnes mentium cogitationes antevenit. Aſſiduis ergo precibus hoc orate, ut oculos cordis veſtri Dominus illuminet, eosque, ſicut oravit beatus Heliſæus, aperiat, quo poſſitis agnoſcere, quanta nos circumſtent adjumenta ſanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur; Deus autem noſter ſimplicibus appropinquat. Non deſit militantibus Deo jugis oratio: non pigeat agere pœnitentiam, quos non puduit facinus perpetrare: non dubitent lugere peccantes ſi quomodo offenſa Divinitas lacrimarum veſtrarum inundatione placetur, quia Spiritum contribulatum, ſuum dignatus eſt vocare ſacrificium. Simus igitur corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia præcaventes, ac divinorum ſemper memores mandatorum, ſcientes non prodeſſe nobis cum humilitate veſtium nomen tenere Monachi, vocabulum religionis, ſpeciem pietatis, ſi circa obſervantiam mandatorum degeneres inveniamur & improbi. Mores igitur, filii mei Kariſſimi, propoſito ſuſcepto conſentiant. Grande nefas eſt peccata ſectari etiam hominem ſæcularem: quanto magis Monachos, qui blandimenta ſæculi quaſi atrocem beſtiam fugientes, Chriſtum cunctis affectibus prætulerunt; quorum inceſſus & habitus virtutis creditur eſſe documentum? Sed quid vos ultra demoror, filii Kariſſimi, longi ſermonis affatu? Supereſt ut beati Apoſtoli ultima oratione vos proſequar, ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ejus, qui potens eſt conſervare vos, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

37. Poſt hujusmodi igitur ædificationis alloquium cunctos per ordinem ad oſculum ſuum juſſit accedere, & ſacramento communionis accepto, fieri ſe penitus prohibuit, totumque corpus ſigno crucis extenta manu conſignans,

1 *Boll.* enim. 2 *Boll.* ſupplicibus. 3 *Boll.* offenſa Divini judicii. 4 *Boll.* reprobi. 5 *Boll.* ſanctificationibus.

ut

ut psallerent imperavit. Quibus moeroris effusione cunctantibus, ipse psalmum protulit ad canendum: Laudate Dominum in sanctis ejus; & omnis Spiritus laudet Dominum. Sexto itaque Iduum Januariarum die, nobis vix respondentibus, in hoc versiculo requievit in Domino. Quo sepulto, credentes omnimodo Seniores nostri quæ de transmigratione prædixerat, sicut & multa alia, præterire non posse, locellum ligneum paraverunt, ut cum prænuntiata populi transmigratio provenisset, prædictoris imperata complerent.

38. Fridericus vero beati Severini morte comperta, pauper & impius barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteum cæteraque altaris ministeria præcepit auferri. Quæ cum imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus suas manus extendere, quendam militem, Avicianum nomine, compulit diripere memorata. Qui quamvis invitus præcepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatus omnium tremore membrorum, dæmonio quoque corripitur. Is ergo velociter consilio meliore correxit errata. Suscepto namque professionis sanctæ proposito, in insulæ solitudine armis cælestibus mancipatus, militiæ commutavit officium. Fridericus autem immemor contestationis & præsagii sancti viri, abrasis omnibus monasterii rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimisit. Sed mox in eum ultio denuntiata pervenit: nam intra mensis spatium a Friderico fratris filio interemptus, prædam pariter amisit & vitam. Quapropter Rex Othacar Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis, & Friderico fugato, patre quoque Feva capto, atque [2] ad Italiam cum noxa conjuge transmigrato.

39. Post audiens idem Otachar Fridericum ad propria revertisse, statim fratrem suum misit cum multis exercitibus Aonolfum [3], ante quem denuo fugiens Fridericus, ad Theodericum Regem, qui tunc apud Novas [4] civitatem provinciæ Mœsiæ morabatur, profectus est. Aonolfus vero præcepto fratris admonitus, universos jussit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ tanquam de domo servitutis Ægyptiæ, ita de cottidiana barbarie frequentissimæ deprædationis educti, S. Severini oracula cognoverunt. Cujus præcepti non immemor venerabilis noster Presbyter tunc Lucillus, dum universi per Comitem Pierium compellerentur exire, præmissa cum Monachis vesperæ psalmodia, sepulturæ locum imperat aperiri. Quo patefacto, tantæ nos suavitatis fragrantia omnes circumstantes accepit, ut præ nimio gaudio atque admiratione prosterneremur in terra. Deinde humiliter [5] æstimantes, ossa funeris inveniri disjuncta, (nam annus sextus depositionis ejus effluxerat,) integram corporis compagem reperimus. Ob quod miraculum immensas gratias retulimus omnium Conditori, quia cadaver Sancti, in quo nulla aromata fuerant, nulla manus accesserat, condientis, cum barba pariter & capillis usque ad illud tempus permansisset illæsum. Linteaminibus igitur immutatis, in loculo multo antea jam tempore præparato funus includitur, carpento impositum trahentibus equis mox evehitur, cunctis nobiscum comprovincialibus idem iter agentibus: qui oppidis super ripam Danubii derelictis, per diversas Italiæ regiones varios suæ permigrationis sortiti sunt fundos. Sancti itaque corpusculum ad castellum, nomine Monte Feletem, multis emensis regionibus, adportatum est.

40. Per idem tempus multi variis occupati languoribus, & nonnulli a spiritibus immundis oppressi, medelam divinæ gratiæ sine ulla mora senserunt. Tunc & mutus quidam ad id castellum suorum miseratione perductus est. Qui dum in oratorium, quo sancti Viri corpusculum super carrum adhuc positum permanebat, alacer pervenisset, ac sub eo clauso oris sui ostio, in cordis cubiculo supplicaret, illico lingua ejus in oratione resoluta, laudem dixit Altissimo. Cumque reversus ad hospitium, quo suscipi consueverat, interrogatus fuisset ex more, nutu signoque pulsatus, & orasse se, & laudem se Deo obtulisse clara voce respondit. Quo loquente, pavefacti qui eum noverant, ad oratorium cum clamore currentes, S. Lucillo Presbytero, simulque nobis qui cum illo eramus, ignorantibus quod evenerat indicarunt. Tunc omnes exultantes in gaudio, divinæ clementiæ gratiarum retulimus actionem. Igitur illustris fœmina Barbaria beatum Severinum, quem fama vel litteris cum suo quondam jugali optime noverat, religiosa devotione venerata est. Quæ post obitum ejus audiens corpusculum Sancti in Italiam multo labore perductum, & usque illud tempus terræ nullatenus commendatum, venerabilem Presbyterum nostrum Martianum, sed & cunctam congregationem litteris frequentibus invitavit. Tunc S. Gelasii Sedis Romanæ Pontificis auctoritate, & Neapolitano populo exequiis reverentibus [1] occurrente, in castello Lucullano per manus S. Victoris Episcopi, in Mausolæo, quod prædicta fœmina condidit, collocatum est.

41. Qua celebritate multi languoribus diversis afflicti, quos recensere longum est, receperunt protinus sanitatem. Inter quos quædam venerabilis ancilla Dei, Processa nomine, civis Neapolitana, cum gravissimum ægritudinis pateretur incommodum, sancti funeris provocata virtutibus, in itinere properanter occurrit, ingressa sub vehiculum, quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omnium languore membrorum. Tunc & Lauditius [2] quidam cæcus, inopinato psallentis populi clamore perculsus, sollicite suos quid esset interrogat. Respondentibus, quod cujusdam sancti Severini corpus transiret; compunctus ad festinam

1 *Boll. addit:* præ fletu. 2 *quæ hic desiderantur, ita ex Bollando supple:* eum ad Italiam cum noxia conjuge supra memorata; videlicet Gisa, transmigravit.
3 *Boll.* Aonulfus. 4 *Boll.* Novam civitatem.
5 *Boll.* humaniter.

1 *l.* reverendis, *vel* reverenter. 2 *Boll.* Laodicius.

neſtram [1] ſe duci rogat; de qua poterat audire multitudinem pſallentium, atque vehiculum ſancti corporis contemplari. Cumque feneſtræ innixus [2] incumberet, & oraret, protinus vidit, ſingillatim demonſtrans omnes notos atque vicinos. Quo facto, cuncti qui audierant, gratias Deo lacrimantibus gaudiis retulerunt. Marinus quoque Primicerius cantorum S. Eccleſiæ Neapolitanæ, cum ſanitatem poſt immaniſſimum capitis dolorem recipere non poſſet, caput vehiculo credens adpoſuit, & mox a dolore liberum ſublevavit: memorque illius beneficii, ſemper in die depoſitionis ejus occurrens, voti ſacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat. Verum multis plura ſcientibus ſufficiat tria [1] de innumeris, quæ in ingreſſu ejus geſta ſunt, beneficiorum virtutumque retuliſſe miracula. Monaſterium igitur eodem loco conſtructum, ad memoriam beati Viri hactenus perſeverat, cujus meritis multi obſeſſi a dæmonibus [2] receperunt, ac recipiunt, operante Dei gratia ſanitatem. [3] Habes egregie Chriſti miniſter, Commemoratorium, de quo opus efficias tuo magiſterio fructuoſum.

[1] *addit Boll.* domus in qua manebat.
[2] *Boll.* cnixius.

[1] *Boll.* iſta. [2] *Boll. addit:* curati ſunt, & diverſis obſtricti languoribus. [3] *Boll. addit.* Cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. *Quæ ſequuntur, deſunt apud Boll.*


EPISTOLA PASCHASII DIACONI AD EUGIPIUM PRESBYTERUM.

EX EODEM COD. MS. MELLICENSI.

DOmno ſancto ſemper Kariſſimo Eugipio Presbytero Paſchaſius Diaconus. Frater in Chriſto Kariſſime, dum [1] nos peritiæ tuæ facundia & otii felicitate perpendis, amaritudines, occupationesque & multiplices peccatorum retractiones contemnis, pudoris jacturam dilectione ſuſtines. Direxiſti Commemoratorium, cui nichil adicere queat facundia peritorum: & opus, quod Eccleſiæ poſſit univerſitas recenſere, brevi reſeraſti compendio, dum varias & finitimas Pannoniarum provincias, vitamque beati Severini & mores explicaſti, & quæ per illum divina virtus eſt operata miracula, diuturnis manſura temporibus tradidiſti memoriæ poſterorum. Neſciunt facta piorum præterire cum ſæculo, ut omnes præſentem habeant, & ſecum quodamodo ſentiant commorari, quibus eum relatio provexerit lectionis. Et ideo quia tu hæc, quæ memoranda [2] poſcebas, elocutus es ſimplicius, explicaſti facilius; nihil adiciendum labori veſtro ſtudio noſtro credidimus. Siquidem aliter audita narramus; aliter experta depromimus. Facilius virtutes magiſtrorum a diſcipulis exponuntur, quæ ſuggeruntur crebris [3] converſantium dictionibus. Divinis Karismatibus inſpiratus, ſcis bonorum mentibus excolendis quantum geſta Sanctorum utilitatis impertiant, quantum fervoris adtribuant, quantum puritatis infundant. De hac re Apoſtolicæ vocis auctoritas latius innoteſcens, Forma, inquit, eſtote gregi. Et beatus Paulus Timotheo præcepit: Forma eſto fidelibus. Unde idem Apoſtolus juſtorum Catalogum ſumma brevitate contexens, ab Abel incipiens, inſignium virorum pergit narrare virtutes. Sic & ille fideliſſimus Mathathias morti glorioſiſſimæ jam propinquans, filiis ſuis hæreditario jure ſanctorum exempla diſtribuit, quorum certaminibus admirandis celerius excitati, animas ſuas pro legibus ſempiternis ſanctitatis fervore contemnerent. Nec paterna liberos fefellit inſtructio: tantum enim profuerunt memorata [1] facta majorum, ut apertiſſima fide armarentur, Principes deterrerent, caſtra ſacra lege [2] ſuperarent, cultus arasque dæmoniacas longe lateque diruerent, unicamque [3] coronam ſertis decoratam perennibus ſplendenti patriæ proviserent. Unde & nos ornamentis Sponſæ Chriſti quiddam fraterno miniſterio provideri [4] gaudemus, non quo ullis, ut credo temporibus defuerit clarior vita majorum, ſed quod domum magni Regis plurimorum vexilla trophæorum habere conveniat. Non enim vera virtus excluditur numeroſitate virtutum, ſed optatis ſucceſſibus eatenus ampliatur.

[1] *Boll.* dum nos peritiæ tuæ facundia & otii felicitate perpendens, amaritudines, occupationesque multiplices peccatorum retractare contemnis, pudoris jacturam dilectionis contemplatione ſuſtine. [2] *Boll.* me narranda. [3] *Boll.* crebrius converſatione docentium.

[1] *Boll.* memoratis. [2] *Boll.* ſacrilega. [3] *Boll.* civicamque. [4] *Boll.* providere gaudeamus.



VITA SANCTI COLOMANNI MARTYRIS,

AUCTORE, UT CREDITUR, ERCHENFRIDO ABBATE MELLICENSI.

EX MSS. CODD. BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. AB ævo S. Severini Monachi ad ætatem usque Divi Colomanni Martyris, id est integrorum fere sex sæculorum intervallo, ingens dispendium perpessa est nostræ gentis historia, eaque propter magnis in tenebris obscuritateque versatur. Mirabitur id nemo, qui miserum & perturbatum Austriæ per ea tempora statum memoria secum repetierit; quippe Hunnis, Avaribus, aliisque id genus Barbaris in ea tum late dominantibus, omnemque terram ferro atque igne in eam solitudinem redigentibus, ut, teste Diplomate Ottonis III. Imperatoris Piligrino Antistiti Patavienſi anno 985. concesso, tantum non *sylvesceret*. Expleret utcunque tamen magnum hunc historiæ nostræ hiatum Versificatoris illius Germanica lucubratio in membraneo codice descripta, quam eum, hortatu Piligrini jam laudati Patavienſis Episcopi, de gestis Hunnorum & Avarorum, Austriam superiorem ea tempestate tenentium, scripsisse Wig. Hundius in Metropoli Salisburgenſi pag. 302. commemorat: ubi præterea narrat, memoratum vetustissimum Poetam in arce Prunnenſi ad Altmilam a se repertum, ac per Joachimum Comitem Ortenbergium Alberti Bavariæ Ducis Bibliothecæ anno 1575. dono datum. Omnibus nos vestigiis hunc Auctorem in Electorali Bibliotheca Monacenſi indagavimus, sed reperire minime potuimus, cum plurimos & præstantes ejusdem manu-scriptos Codices, felicibus auspiciis Reverendissimi Domini Mauri Abbatis Andecenſis laudatissimi, opera quoque Admodum Reverendi ac eruditi D. Benedicti Friepeis florentissimi ejusdem Cœnobii Subprioris, perlustrare nobis evoluto biennio licuisset. Multum profecto dolendum, si insigne istud antiquitatis monumentum excidisset. Interim ut abruptam tantisper historiæ nostræ telam quoquo modo pertexamus, subjungere visum est Vitam Sancti Colomanni, Cholomanni seu Colmanni, non illius quidem Lindisfarnenſis Episcopi anno 676. placida sanctaque morte defuncti; sed ejus, quem ex Scotia seu Hibernia Hierosolyma religionis ergo profectum, ac sub annum 1012. in Austriam delatum oppidi Stokerovienſis incolæ, quod eum utpote hominem peregrinum & ignotum prodendæ patriæ causſa huc venisse suspicarentur, inauditis supplicis innocentem affectum demum suspendio mulctarunt. Ante vero, quam eam repræsentemus, nonnulla pro instituto nostro præfari est animus.

II. Sanctus Colomannus, præcipuus Monasterii nostri Mellicenſis Patronus, in quo sacrum ejus corpus jam inde ab anno 1014. aut 1015. religiosissime etiamnunc adservatur, a mediæ ætatis Scriptoribus nunquam non *Martyr* habitus est & vocatus; sive pro more illorum temporum, quibus homines pii qualibet ex causſa interfecti *Martyres* dicebantur; sive ob defensionem justitiæ & religionis, quæ huic Sancto mortem & nomen *Martyris* paraverit. Eum certe nomine *Martyris* exornavit Ditmarus Merseburgenſis Episcopus, auctor æqualis, Chron. lib. 7. sub finem his verbis: *In Bavario-*

rum consinio atque Mararensium quidam peregrinus, nomine Colomannus, ab incolis, quod speculator esset, capitur. Ipsa quoque arbor floruit, & hunc Christi Martyrem esse monstravit &c. Idem S. Colomanno titulus in veterrimo Mellicensi nostro Martyrologio tribuitur: *III. Id. Octobris. Apud Noricam regionem civitate Medilicca translatio S. Cholomanni Martyris.* Vidimus etiam in celeberrimi Monasterii Benedicto-Burani Bibliotheca, non multis quidem, sed pervetustis bonæque notæ codicibus manu-scriptis instructa (quos ex integro lustrandi liberrimam nobis potestatem fecit Reverendissimus Dominus Magnus Pachinger loci Præsul, Vir ob egregias cum corporis tum animi virtutes summis infimisque charus, qui cum cæteris religiosissimæ vitæ Ascetis, inprimis vero Plurimum Reverendo D. P. Bernardo Gross tum Monasterii Priore, & Admodum Reverendo ac eruditissimo D. P. Carolo Meichlbek tabularii Præfecto, omni humanitatis & benevolentiæ genere nos excepit) Vidimus, inquam, in hujus Cœnobii Bibliotheca Sanctorum fastos ab annis sexcentis calamo exaratos, in quibus ad III. Id. Octobris de sancto nostro Colomanno hæc leguntur: *Item Sancti Kolomanni, qui in Oriente* (quo nomine Austriam sæculo XII. designatam alibi demonstravimus) *passus est. Martyr* itidem diserte appellatur Colomannus ab Erchenfrido Abbate Mellicensi in subjectæ vitæ num. 16. & 17, uti & in duobus Sæculi XII. Kalendariis Mellicensibus: *III. Id. Octobris Cholomanni Martyris.* Quin etiam Monasterii nostri Chronicon anno 1123. scribi cœptum, memoriam ejus commendat in hunc modum: *Anno M XII. Beatus Cholomannus martyrizatus est, & suspensus apud Stocchærovve.* Quæ totidem pene verbis in plerisque Austriacis Annalibus a nobis inferius adducendis de eodem referuntur. Mitto veteres recentesque tum Mellicensis nostræ, tum Passaviensis Ecclesiæ tabulas, in quibus *Martyris* titulo constanter honoratur, ut ex variis hymnis, sequentiis & orationibus, quas ex Missalibus dictarum Ecclesiarum libris & Breviariis excerptas S. Colomanni Vitæ subjecimus, constat.

III. Cæterum etsi de anno martyrii S. Colomanni, videlicet millesimo duodecimo, Vetustiores quique Scriptores consentiant; diem tamen mensemve, quibus id subierit, nemo eorum unus memoriæ prodidit. Quod enim in Martyrologio Benedicto-Burano *III. Idus Octobris passus* fuisse memoretur, id de translatione corporis ipsius, quam passione malim accipere, ut ex Martyrologio Mellicensi superius citato colligi potest. Nec eadem inter antiquos Auctores de anno & die, quibus S. Colomannus Stokerovio translatus Mellicium fuerit, opinio. Nam Erchenfridus Abbas Vitæ num. 11. ejus translationem anno 1015. Nonis Octobris reponit. At Mellicense, cæteraque fere omnia Austriæ Chronica eandem Anno 1014, omissa die, collocant. Et Vitus Arnpekius in Chronico suo Austriaco nondum edito, uti & Vetustiores Annales Weichen-Stephanenses manu-scripti in annum 1016. rejiciunt. Veterrimum Mellicense Martyrologium superius adductum, sæpe dictam S. Colomanni translationem *III. Idus Octobris* signat. In hac tanta de anno, die mensque Translationis S. Colomanni, monumentorum dissensione, uter calculus alteri præferendus, aliorum judicium esto. In Kalendariis denique tum manu-scriptis tum typis excusis natalis S. Colomanni dies *III. Id. Octobris* adscribitur, quo ipso ejus festivitas passim per Austriam, inprimis vero in Monasterio nostro Mellicensi sollemni ritu cum octava, & operarum cessatione in Mellicensi & Stokerovensi Austriæ Inferioris oppidis, celebratur.

IV. Vitam

IV. Vitam S. Colomanni ab Erchenfrido Abbate Mellicenſi conſcriptam fuiſſe, Majorum noſtrorum traditione magis quam certis argumentis edocemur. Quanquam enim ex Vitæ num. 12. 15. 16. & 18. colligi non obſcure poſſit, ejus Scriptorem quendam ex Mellicenſibus Cœnobitis fuiſſe; fueritne tamen is Erchenfridus Præſul potius, an alius Mellicenſium quispiam, ex Vitæ ſerie non ſatis liquet. In MSS. Codd. Bibliothecæ noſtræ, quorum unum Sæculo XIV, reliquos (uti & Cæſareum Vindobonenſem) Sæculo XV. ſcriptos conſtat, nomen Auctoris ubique deſideratur. Neque etiam exempla Garſtenſe, Cremifanenſe & Windbergenſe ante annos quingentos manu pereleganter in membranis exarata, nomen Erchenfridi, præferunt. Unicum Necrologium Mellicenſe, & ex eo Hiſtoriæ fundationis Mellicenſis Auctor anonymus Abbati Erchenfrido ſcriptionem hanc attribuunt. Necrologii, quod Sæculo XII. conditum apparet, hæc verba ſunt: *XVI. Kal. Junii. Erchinfridus Abbas noſtræ Congregationis obiit*: quibus alia, & quidem Sæculi XIV. manus iſta adjungit: *Qui hiſtoriam S. Cholomanni dicitur dictaſſe.* Anonymi vero ſub finem dictæ hiſtoriæ fundationis noſtræ: *Anno Domini MCXXXVI. Reginmarus Epiſcopus, eccleſiæ Dei amarus & moleſtus, libertatem prædictam & dotationem noſtri Monaſterii Mellicenſis molitus eſt infringere & infirmare, & decimas eccleſiarum noſtrarum aufferre. Contra quem Erchenfridus tertius Abbas hujus Monaſterii Mellicenſis, qui & hiſtoriam S. Cholomanni compoſuit, Dominum Apoſtolicum vita & nomine Innocentium adiit &c.*

V. Erchinfridus porro, Erchimfridus ſeu Erchenfridus tertius poſt Sigiboldum Mellicenſis electus eſt Abbas anno MCXXI., & inſequente anno a Calixto II. ſummo Pontifice conſecratus VIII. Id. Martii, ab eodem confirmationem exemptionis, quam annitente Sancto Leopoldo Auſtriæ Marchione, Paſchalis II. anno MCX. XVI. Kal. Maji Indict. III. Mellicenſi Cœnobio conceſſerat, obtinuit. Anno ſubinde MCXXXVI. Reginmaro Patavienſi Epiſcopo immunitatis favorem juraque Decimarum nobis adimere cogitante, eorundem denuo confirmationem ab Innocentio II. conſecutus fuit. Profectus deinde Hieroſolyma ſub annum MCLII, indeque reverſus alterum eodem iter inſtituit anno MCLXIII. quo ipſo, exactis in Præfectura Mellicenſi magna cum laude annis quadraginta & uno, humanis rebus (domine, an in itinere, incompertum) excesſit. Quæ omnia ex Chronico Mellicenſi inferius exhibendo diſcimus. Ex his intelligimus, hallucinatum fuiſſe eruditiſſimum Petrum Lambecium, qui Erchinfridum S. Colomanni æqualem facit: cum, ut ex ſuperioribus notum eſt, eodem Sancto Martyre integro fere Sæculo poſterior vixerit Erchenfridus. Deceptus ſine dubio fuit Lambecius illis Auctoris noſtri in Prologo verbis: *Noſtris quoque gratulamur acta temporibus.* Verum ea non de ætate S. Colomanni, ſed miraculorum duntaxat, quæ ad ejus ſepulchrum in Mellicenſi Monaſterio Erchenfridi ævo contigere, eſſe accipienda, Admodum Rever. D. P. Anſelmus Schrambius noſter in Chronico Mellicenſi a ſe vulgato dudum obſervavit. Adde, Divi Colomanni tempeſtate Benedictinos nullos Eccleſiam Mellicenſem tenuiſſe, quippe quos demum anno MLXXXIX., excluſis inde Canonicis ſæcularibus, Leopoldus III. Auſtriæ Marchio, cognomento Pulcher, iſthuc induxit.

VI. Illud poſtremo memorandum, Petrum Lambecium primum fuiſſe, qui Acta integra S. Colomanni typis commiſit Comment. de Biblioth.

Cæs. Vindobonensi lib. 2. cap. 8. pag. 611. quam editionem cum Codicibus manu-scriptis Bibliothecæ nostræ accurate contulimus. Eadem Acta post Admodum R. D. P. Anselmum Schrambium, qui ea Chronico suo Mellicensi intexuit, nos recudimus anno 1713, notis historico-criticis illustrata: ubi de Nomine, patria, parentibus & Hierosolymitano itinere S. Colomanni copiose disseruimus. Agunt denique de eodem Vitus Arnpekius in Chronico suo Austriaco, quod hactenus publico non visum in altero Collectionis hujusce Tomo, Deo dante, publicabimus. Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum, Cuspinianus in Austria, Baronius Tom. XI. Annal. Ecclesiast. ad finem anni millesimi duodecimi, & in Martyrologio Romano ad diem 13. Octobris. Raderus Bavariæ Sanctæ Vol. III. Hugo Vardæus in Anagraphe gestorum S. Colomanni, aliique Recentiores Rerum Austriacarum Scriptores.

PROLOGUS AUTHORIS.

PRinceps Apostolorum Petrus, audiens a Domino, mundi contemptores centuplo hic remunerandos emolumento; & in futuro vitam æternam possessuros cum Christo; multas asseclarum copias suæ conversionis adquisivit exemplo. Considerantes enim, quæ, & qualia sunt, quæ repromisit Deus diligentibus se; spreverunt ea, quæ in mundo poterant habere, vitæ perennis possessione ut mererentur diteſcere. Horum quorundam conversionem conversationemque nobis commendat fidelis Historia, ut illorum apud superstites per sæcula vivat memoria. Quocirca nos quidem officio sterili posteris commendare dignum duximus, quæ in nostra regione, & nostris quoque gratulamur acta temporibus.

INCIPIT VITA.

1. Regnante glorioſisſimo Imperatore Heinrico, qui, Tertio Ottone mortuo, Romanorum præponebatur Imperio, plures pro nomine Christi peregrinantes iter direxerunt per Regna ejus ditioni subdita: quia tanta fuit præfati pietas Imperatoris, ut in illo situm esset grande solamen peregrinis, præsidium pacis, refugiumque miseris.

2. Accidit autem quendam, Cholomannum nomine, Scoticæ gentis oriundum, peregrinationis iter arripere, terrestrem cœlestis amore Jerusalem cum aliis, quibus eadem mens erat, expetens invisere. Venit itaque in Orientalem Noricæ Regionem, cui a plaga orientali Pannonia, ab aquilonari confinis adjacet Boëmia. Harum nationes Regionum, populis Noricæ telluris admodum tunc temporis erant molestæ, eo quod ab illis sæpenumero sint turpiter humiliatæ, devictæ, multisque modis miserabiliter afflictæ. Inde contra Virum Dei orta est falsa suspicio, tanquam veniret missus a prædictis nationibus, causa explorationis ac prodendæ Regionis. Hac suspicione furiosæ plebis animi adeo incanduerunt adversus Famulum Dei, ut scopis atrociter castigatum, traderent ad custodiendum, postera die Judici præsentandum. Sed invictus Christi miles, parvipendens breve labentis vitæ spatium, mentis suæ constantiam viriliter corroborando præparavit ad supplicium, cupiens adipisci coronam legitime certantibus promissam: quia, sicut ait Apostolus, Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

3. Ut autem ventum est ante Judicem, modestiam, quam in animo habuit, sermone, vultu & habitu demonstravit. Interrogatus itineris sui causam veraciter exposuit: aliud quicquam confiteri, quam quod res erat, compelli ne unquam potuit. Tunc Judicis edicto asperis horrendisque cædebatur verberibus, ut si explorator esset, saltem confiteretur victus pœnarum doloribus. Sed fortissimus Athleta Cholomannus, qui solvi & esse cum Christo cupiebat, acria tortorum flagra, lapides, ovaque fortiter ignita, candentem quoque forcipem, quidam perversus malleator corpus ejus miserabiliter vellendo cruciavit, ferram etiam, qua crura ejus lacerabantur, constanter innixus præsidio Christi, nullificavit. Carnifices vero, cernentes invictam Viri Dei constantiam, animam ejus tormentis sicut aurum, quod in fornace probatur, excoctam tandem extorsere suspendio, duobus latronibus suspensis cum eo. Horum carnibus frequenti morsu avium bestiarumque dilaniatis, ac putredine consumptis, Sancti Viri corpusculum, unguibus cum barba cæsarieque crescentibus, materiali corruptione procul remota, floruit. Insuper torta, in qua pendebat, floruit [2], impleta prophetia, Psalmographi, quæ ait: Justus ut palma florebit.

4. Incolis autem Regionis ejusdem novo & inaudito stupidis miraculo, contigit cujusdam Rumaldi filium morbo debilitari podagrico. Patre vero super hac re graviter anxio, & quid ageret dubio; quadam nocte sibi revelabatur in somnis, filium suum pristinæ sanctitati restituendum, si locus morbi obliniretur carne strangulati videlicet hominis. Igitur experrectus, ac tali visione solito quidem hilarior effectus, accuratissime quæri & afferri medicinam misso festinanter præcepit nuntio, quam prædicta sibi revelavit visio. Profectus ergo nuntius postquam devenit ad locum, ubi venerabile pendebat corpus, infixa lancea frustum carnis de

1: *Alia duo apographa* nunquam. 2: *alia apog.* fronduit.

sura

ſura pendentis; ut juſſus erat, abſtulit: & mox mirum in modum magna ſequebatur copia tam calidi cruoris, ac ſi anima adhuc [1] obſervaretur in hoſpitio corporis. Hoc viſo legatus velut attonitus expavit; tamen deferenda ad Dominum ſuum perferens, rem ut geſta erat, pleniter enarravit. At puer, cujus cauſa hæc fiebant, allatæ carnis medicamine tertio oblinitus [2], ſurrexit incolumis, viribus fortiter innitens propriis, qui prius ad ſurgendum vix utebatur alienis. Tali modo ipſe ſibi redditus, indefeſſas grates retulit Deo & Beato Cholomanno, cujus per merita priſtina ſanitas eſt ei reſtituta.

5. His ita geſtis, idem Rumaldus iter faciens, divertit ad patibulum, ubi Sancti Viri corpus erat pendens. Intuitus autem diligentius tam ipſe quam omnes, qui ſecum advenerant, & ille potiſſimum, qui cauſa abſcindendæ carnis miſſus fuerat (nam & is in eodem comitatu aderat) admirabantur, non ſolum non factum vulnus, ſed nec cicatricem vulneris in corpore pendentis apparere. Ita etenim divina præſtante gratia diminutio illa fuit redintegrata, ut nullum omnino cicatricis veſtigium reperiri poſſet in illo.

6. Quidam autem venator, cujus præcordia frigore obriguerunt perfidiæ: Si verum eſt, inquit, quod aſſeritur, ut de iſto cadavere cruor decurrat calidus; hoc ego jam ſum comprobaturus. Arrepto itaque venabulo, Venerabilis Viri latus perforavit, unde confeſtim ſanguis [3] profluens, ipſum, & cui inſidebat jumentum, ſacris imbuit reliquiis. Rumaldus autem, & qui cum eo aderant, viſæ rei formidine trepidi, non parva multitudine Cleri & populi coadunata, decreverunt beatæ memoriæ Viri corpus ſepeliendum deponi. Siquis autem noſſe velit, quantum temporis ſpatium pendendo impleverit, integrum annum computet & dimidium.

7. Eſt prope Danubium quædam ſpecioſa & delectabilis augia, in qua noviter conſtructa fuit Baſilica; illuc prædictus Dei Famulus, utriusque ſexus tripudio & plauſu, deferebatur humandus. Sequenti igitur anno Danubius effreni licentia littorum curvitates evagatus, pleraque ædificia ſuis viribus eruta, funditus ingurgitavit, & quæque loca ſibi contigua æſtuantis diluvii copiis inebriavit. Atrium autem Baſilicæ, juxta quam Beati Cholomanni cadaver venerandum quievit, tanta diluvies replevit, ut medietas Eccleſiæ prævalentibus aquis vix appareret. Sed Omnipotentis Dei clementia, per Famuli ſui merita, nova oſtendit miracula, & noſtris quoque ſæculis inaudita. Nam tumulus, quo claudebatur corpus ipſius, aquarum diluvie non attingebatur penitus: fluctibus etenim undique ſævientibus, locus ſepulchri aprica viriditate fruebatur, quaſi muri validi fuiſſet munimine circumdatus.

8. Quidam autem piſcator, quem vacui ventris furor, & rerum habendarum inopia compulit vagari per Danubium, aquarum violentia impulſus, ad eundem pervenit locum. Videnſque inſoliti miraculi prodigium, proræ gubernaculo paululum demiſſo, vehementer obſtupuit; ſed mox ad ſe reverſus, ſuæ aliarumque villarum civibus ipſam rem iterum attonitus prædicavit. Illi autem arreptis navibus feſtinabant videre magnalia Dei, & videntes admirati ſunt, dicentes: Sicut audivimus, ſic vidimus. Deinde Omnipotentiam Dei his glorificabant vocibus: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.

9. Hujus tam præclari ſtupendique miraculi fama ad aures Heinrici Marchionis pervenit rumoribus allata: qui ſtatim miſſis Clericorum ordinibus, & quibusdam militiæ ſuæ Primatibus, præcepit ut in ſuam civitatem honorifice transferrent miraculis glorificatum corpus. Venerunt autem [1] ad ſepulchrum; ſed priusquam impreſſo ſarcophagum tangeretur foſſorio, tanta miri & inſoliti odoris occurrit eis fragrantia, ut omnes qui aderant, lacrimis maduiſſent effuſis præ gaudio. Aperto itaque ſarcofago, invenerunt Sacri Viri corpuſculum ab omni corruptione penitus illæſum, ac ſi eadem die eſſet humatum. Conſideremus ergo, quanti meriti Sanctus iſte ſit apud Dominum, qui tantum temporis in tumulo quievit, quantum in patibulo pendens adimplevit, & tamen corpus ejus corruptionis detrimenta non novit: nam a die illius ſuſpenſionis, usque ad diem translationis, totum triennium tranſiit temporis.

10. Elevato igitur deſiderabili Theſauro, & linteis palliisque ad hoc præparatis involuto, optatum iter primo arripuere diluculo, fugiente procul adverſitatis infortunio. Non autem parvam multitudinem ſequi & occurrere viſa auditaque compellebant miracula, laudes hymnosque referentes viventi & regnanti in ſæcula. Inſtante autem noctis jam crepuſculo, diverterunt ad Eccleſiam non longe a via poſitam, cupientes in illa noctem Divinis laudibus poſito tranſigere corpuſculo. Cumque omnes vigiliis præteritæ noctis, ac laſſitudine itineris victos languor opprimeret ſoporis; quidam adventitius Clericus, cæteris dormientibus, leniter arripiens Beati videlicet Hominis pedem, reſecto pollice, mutilavit, unde vix ſedandi ſanguinis ubertas profluens pavimenta irrigavit.

11. Orto autem die, cum elevato corpore dirigerentur in itinere, occurrit quidam infirmus, nomine [2] Adalgerus, adductusque ad feretrum, ſuæ infirmitatis imploravit remedium. Cumque oratione completa ſurrexiſſet, unicuique membrorum proprio officio tam pleniter innitebatur, ut ſuis fortiter greſſibus inſiſtens, & manibus crucem portans, ante feretrum usque ad locum ſepulchri tripudians, ac Deum glorificans graderetur. Clerici vero, qui ſacras deferebant Reliquias, hæc cernentes, cum cætera multitudine laudibus extulerunt Dei magnalia, & Sanctum ejus Cholomannum, cujus per merita ſigna fiebant talia. Hac [3] jocunditate tandem pervenerunt ad civitatem,

[1] *Aliud MS.* ſervaretur. [2] *alia apog.* oblitus.
[3] *in uno MS. ſignato H.* 104. *additur* Ubertim.

[1] *MS. Lambecii, & unum unicum Melicenſe addunt* miſi.
[2] *aliud MS.* Adelgerus. [3] *in MS. ſignato H.* 104. *additur* gloriosa.

nomine

nomine Medlicham, in qua pretioſi theſauri pignora Marchionis [1] juſſu fuerant reponenda. Ubi in Nonis Octobris Dominicæ Incarnationis Milleſimo Quinto Decimo anno, optimatum conſilio poſuerunt eum in Eccleſia, honori Principis Apoſtolorum dedicata, auſtrali in abſide: ubi plurima per illum mirabilia jugiter operatur Dei virtus & Dei ſapientia, quæ cum Patre & Spiritu S. vivit & dominatur per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

DE MIRACULIS SANCTI COLOMANNI MARTYRIS.

12. Ex multis mirabilibus, quæ Dei clementia per ſuum fidelem Famulum oſtendit, pauca, quæ nobis videndo cognita ſunt, perſtringimus; ut fideles animentur & corroborentur, infideles vero convertantur & meliorentur. Poſito igitur in Eccleſia corpore, multi quotidie veniebant, & ſecundum quod unicuique copia erat, oblationes deferebant ad Sanctum: quas quidam, nomine Huzo, ſtimulo Sathanæ incitatus, ad furandum nocte per feneſtram intravit. Cumque ſuper ſepulchrum Viri Dei ſtaret, & ea quæ ad laudem Sancti ſuſpenſa pendebant diriperet; ut dudum mentem humanam, ita demum faciem ſuam amiſit, & caninam accepit, & pro verbis latratum fudit. Quem cum æduituus regrediens latrantem in Eccleſia audiſſet, expavit: & non audens accedere, donec cives villæ vocaret, eorumque congregatione confortatus, oſtium aperuit & intravit. Ignorantibus autem cæteris quid eſſet, hominis Dominus, nomine Wilhelmus (nam & ipſe aderat) veſtibus fuiſſe ſervum ſuum cognovit: & quid agerent ignorantibus, hoc conſilium placuit potiſſimum, ut ad ſepulchrum Viri Dei traderet illum. Quod cum factum fuiſſet; & multitudine circumſtantium orante, priſtinum recepit vultum, & oris officium; ac ita usque ad finem vitæ ſuæ in ſervitio degebat fratrum, cujus adhuc filia in noſtro eſt ſervitio.

13. Hac igitur fama magis magisq; crebreſcente, Petrus Rex Ungarorum eſt accenſus, quali modo poſſet hoc acquirere, & in ſuum Regnum traducere [3] corpus. Hæc eo meditante, Trevirorum Archiepiſcopus Poppo, Marchionis [4] frater, ab Hieroſolyma rediens, venit in Regnum ejus. Quod Rex, ut audivit, magno gaviſus gaudio, ad ſe vocavit, ſperans effectum ſui deſiderii per eum ſe inventurum. quod ita eſt etiam factum. Cum enim vocatus veniret, ſicut utrumque decuit, Regem videlicet & Archiepiſcopum, honorifice eum ſuſcepit, magnifice habuit, glorioſe tractavit. His, ut ſæpe fit inter bonos, Archipræſul viciſſitudinem cupiens rependere, quidquid ab eo deſideraret, magna pollicebatur, & bona ſe voluntate facturum. His auditis Rex factus multum hilaris, quod diu animo volvebat, optimo Præſuli verbis exponebat. Sed quanto Rex ex verbis Pontificis fuit lætior, tanto Pontifex ex verbis Regis factus eſt triſtior. Anxius enim hærebat animo, quid ageret. Promittere non audebat, veritus ſe non poſſe apud fratrem impetrare; timuit vero negare: nam formidavit, ſi negaret, ut vi, ſicut factum eſt, cogeretur. Poſtquam enim Rex vidit illum ſtupentem, minatus eſt, ſi non faceret, vincula & carcerem. His minis victus Epiſcopus cum promitteret, conſtrinxit eum ſacramento, ut quod promiſit, ſine dubio fieret. Veniens itaque ad fratrem [1], magna afflictione cordis aperuit & lacrimis, quod violentia compulit Regis. Marchio autem, ut ſemper fuit vir bonus & prudens, ne qua macula optimum ſuum genus fuſcaret, quamvis invitus, decrevit tamen facere, ut Rex coëgit ſuum fratrem jurare. At poſtquam delata ſunt oſſa Regi, [2] retrolapſa eſt res ejus: nam æris ſiccitas, terræ ſterilitas, fames & mortalitas Regnum ejus in tantum urgebant, ut penitus interire ſe crederent. Miſerunt tandem ad prædictum Marchionem [3], poſtulantes legatos mitti, qui digne Sancti reportarent oſſa Viri. Miſſis itaque Religioſis viris, videlicet Clericis & Laicis, ſacra oſſa receperunt, & Regi ſuisque veniam pro delictis dantes, ad laudem & gloriam nominis Dei in prædictum locum Medlicham reportaverunt.

14. Nec prætereundum eſt, qualis vindicta Dei perſequebatur eos, qui ſepulchrum fregerunt, & oſſa extulerunt. Clericus paralyſi morbo percuſſus, linguæ officio eſt privatus. Faber vero ferrarius, qui primus fregit ſarcofagum & aperuit, hac ultione eſt Divina percuſſus, ut maxilla ejus per integrum annum penderet ſuper lectum, in quo ipſe jacebat infirmus. Nec hoc ſilebimus, quod quidam pictor, nomine Ludwicus, dum ſederet juxta ſepulcrum B. Colomanni cauſa pingendi, elevatis palliis ſepulchri introſpexit: & confeſtim omni deſtitutus eſt membrorum officio, donec publica voce confeſſus eſt, qua de cauſa hoc meruiſſet. Et veniam petens promiſit, quoadusque viveret, S. Cholomanno ſe eſſe ſerviturum, quantum poſſet; & ita Dei gratia [4] periculum evadens, ſanitatem recepit.

15. Quadam nocte inter matutinales laudes quidam, nomine Gnanno, qui mutus quinquennio in ſervitio erat Fratrum, cum de monte deſcenderet pro deferenda aqua ad ſuum miniſterium; viſum eſt ſibi, quaſi quidam lineo fune ligato circa brachium vi eum traheret ad ſepulchrum Viri Dei [5]. Qui cum a circumſtantibus quid quæreret [6] interrogaretur; manibus innuit, orandi ſpatium petiit; & ſic inter orandum loquendi facultatem accepit.

16. Filia quoque Comitis Wolfradi muta & curva eodem modo eſt allata, ſed gratia Dei per merita Beati Viri loquens & erecta, crucem de ſepulchro ad majus altare S. Petri portavit. Alia

[1] *In eodem MS. additur* Heinrici. [2] ad Sanctum *abeſt a quibusdam Codicibus.* [3] *aliud MS. cum Lambec. addit* Sanctum; *aliud* ejus. [4] *MS. quoddam Mellic. cum Lambecio addit* Heinrici præfati; *quod in aliis* 4. *MSS. Mellic. omittitur. Rectius fortaſſis* Adalberti, *qui Petro Hungaris imperitante, Marchionatum Auſtriæ geſſit.*

[1] *in aliis duobus MSS. additur* ſuum Marchionem. [2] *unum MS. Mellic. & Lambecius:* Sacra oſſa Regi in Ungariam. [3] *ita & alia MSS. Mellic. unum vero cum Lambec.* Heinricum *addit.* [4] *MS. quoddam Mellic. & Lambec. addunt:* & per Famuli ſui merita. [5] *MS. Mellic. cum Lambec. addit* Viri Dei. [6] *in iisdem additur,* aut quid vellet.

quædam

quædam puella, cujusdam Hermanni filia adhuc superstitis, cæca, muta, curva a matre est illuc adducta, quæ oratione Fratrum per merita B. Martyris Cholomanni & visum, loquendique usum cum integritate aliorum membrorum recepit. Tertia puella venit, manibus genibusque repens, crura pedes humo traxit: quæ inter Missarum sollemnia surrexit, & a sepulchro ad majus altare progrediens, gratias Deo suæ sanitatis retulit.

17. Vir quidam tanta infirmitate est correptus, ut uno oculorum ejus in modum crateræ extra locum tumore ejecto, magna spe recuperandæ sanitatis a Beato Viro auxilium flagitavit. Sed cum consumptis longis precibus, & multis effusis lacrimis, nihil sentiret sospitatis; recessit flens & ejulans atque dicens: Heu, heu! ô B. Martyr Cholomanne, unde hoc merui, quod ego solus omnium, quorum Tu misertus es, nullam gratiam apud Te inveni? His & aliis, quæ dolor dictat, vocibus multiplicatis in ipsa, qua pergebat via, quam desperabat salus sibi subito est concessa. Percepta igitur hac gratia, flexis in terra genibus, tanta perfusus lætitia, quanta prius mæstitia, regressus est magnificans & laudans Deum, ac salutis suæ impetratorem Cholomannum.

18. Aliud quoque miraculum in quodam Rudolfo accidit. His omnium, præter oculorum & linguæ, membrorum officio destitutus, vehiculo ad januam Ecclesiæ ductus, & ad sepulchrum Famuli Dei manibus in sella deportatus est. Domino itaque Abbate cum Fratribus orante, Clementiam Dei tam velocem sensit, quod sine mora propriis viribus innitens surrexit: & gratiarum actiones Deo persolvens, qui prius alienis utebatur viribus, equum ascendit, & hilaris repatriavit. Hæc pauca ex multis, quæ Dei clementia ad laudem & gloriam nominis sui, & honorem Beati Cholomanni operata est, & quotidie operatur, digessimus ad fidelium corroborationem. & infidelium conversionem; nequis id, quo indignus est, præsumat, neque illud, quod gratia Dei valet consequi, pertimescat. Amen.

ANTIQUÆ DE S. COLOMANNO SEQUENTIÆ, HYMNI ET COLLECTÆ.

SEQUENTIA.

EX DUOBUS MISSALIBUS MELLICENSIBUS SÆCULO XV. MANU EXARATIS, NEC NON PASSAVIENSIBUS, TYPIS ANNIS 1505. ET 1514. EXCUSIS.

Lætabundus fidelis in cœlis cœtus jocundetur,
Totus mundus volenter decenter lætus moduletur
Cholomanni variam pugnam, & victoriam gaudiosam.
Qui relinquens Scotiam, casu venit Austriam fructuosam.
Explorator creditur, flagris diris cæditur Christi miles.
Serriam addunt cruribus, cum tormentis pluribus, hostes vides,
Suffocatus restreo Cholomannus laqueo, viret restis.
Nullo nocens vitio, fruitur suspendio Dei testis.
Multandus obticuit, innocens occubuit,
Suum non aperuit os ut agnus.
Cohærens constantiæ, non cedit injuriæ;
Donum subit gloriæ Martyr magnus.
Princeps pacis Jhesu, libera ab esu infernalis nos tyranni,
Et ad Sabbatorum Sabbatum, polorum prece perduc Cholomanni.

ALIA DE EODEM SEQUENTIA.

EX MISSAL. MELLIC. MS.

Cælestis te laudat chorea,
Christe, piorum exultatio vera.
Huic consonans Ecclesia,
Applaudit jubilatione festiva.

Offert nam dies annua
Votiva piis gaudia,
Per beati Cholomanni sollemnia.

Laudanda cujus merita
Ægris præstant remedia,
Cunctis pie petentibus fidelia.

O qualis Viri Sancti Innocentia,
Quæ mundi sprevit læta vel nocentia,

Mitis & humilis Jhesu sequipeda,
Clarus Heros sit Jerosolimipeta;
At dum sequitur Domini vestigia,
Patibulo petit poli fastigia.

Non fecit suo proximo obprobria,
Perpessus multa supplicii genera:
Nunc victrici in cœlo gloriatur laurea.
Ut servulis dona obtineat ætherea.
Summo Regi fundat oramina,
Cui laus sit, decus & gloria.

HYMNUS AD VESPERAS.

EX BREVIARIIS MSS. MONASTERII MELLICENSIS.

MAre, fons, ostium, atque terrarum Deus,
Tu omnium caput bonorum,
A te bona fluunt, ad teque currunt.
Longe ab insulis pars bona maris
Ad fontem rediit, teque requirit
Jhesu, viventium fontem aquarum.
Maris fons est Deus, pars Cholomannus,
Quem procul patriis sitit ab oris,
Cervi more suum tendens ad haustum.
Scotorum Insulæ felix alumne,
Nos prece sedula dignos fac aqua,
Quam quisquis biberit, sitim post nescit.

Mundos baptismate fraudes iniquæ
Semper inficiunt, semper dimergunt,
Per stagnum criminis in pœnam mortis.

Sed tuis precibus omnes oramus,
De sæva eripi noxæ Charybdi,
Tangentes lachrymis portum salutis.

Laus tibi, Trinitas, atque potestas:
Te laudant flumina, cœli ac terra,
A mari ad mare laus sit hac die Amen.

HYMNUS AD LAUDES.

EX BREVIARIIS MELLICENSIBUS TUM MSS. TUM PASSAVIENSI VENETIIS ANNO 1517. IMPRESSO, IN QUO IDEM HYMNUS PRO VESPERIS ASSIGNATUR.

SAlve felix Miles Christi
Cholomanne, qui vicisti
Vagam mundi vanitatem,
Ac hostilem feritatem.

Christi Crucem bajulabas,
Quando te ipsum domabas,
Læta mundi respuendo,
Plus adversa diligendo.

Pœnas diras es perpessus,
Viæ causam dum Confessus
Eras: pro qua Deo gratus,
Sed a malis criminatus.

Es acriter verberatus,
Forcipibus laniatus,
Ovis, teſtis concrematus,
Et in cruribus ſerratus.

Hæc tormenta nil horrebas,
Jeſu Chriſto adhærebas,
Pari nece tu necatus
Es, in ligno ſtrangulatus.

Laureatis jam congaudes;
Ergo Deo noſtras laudes
Illic facito jocundas,
Ubi gaudiis abundas.

Fac nos tuo interventu,
Collocari in Conventu,
In quo agmina Sanctorum
Pſallunt Regi ſæculorum.

Præſta Pater quod optamus,
Præſta Fili quod ſperamus,
Præſta Spiritus amborum
Nobis regnum gaudiorum, Amen.

COLLECTA SEU ORATIO DE S. COLOMANNO, IN MISSA DE EODEM.

EX SUPRA DICTIS MISSALIBUS PASSAV. ET MELLIC.

PLis Domine Beati Cholomanni Martyris tui precatibus a peccatis noſtris abſolvamur, qui Unigeniti tui ſectando veſtigia, pro alieno reatu ſuſpenſus, mortem patienter excepit. Per Dominum &c.

SECRETA.

Beati Cholomanni Martyris tui Domine meritis adjuvemur, qui Unigeniti tui viis adhærens, pro alterius quoque exceſſu pœna patibuli innocenter occubuit. Per Dominum &c.

COMPLENDA SEU POSTCOMMUNIO.

His ſacrificiis Domine Beati Cholomanni Martyris tui oratio Sancta nos aptet; ut illius membris adunemur, cujus ille ſecutus exemplum, proximi meruit interire delicto. Per Dominum &c.

* * * * *

Lubet his ſubnectere Johannis Stabii Sapphicum de S. Colomanno Carmen, quod quidem a Laurentio Surio, & ſubinde a Matthæo Radero * jam antea vulgatum fuit, ſed mutilum; in noſtro vero Cod. MS. Mellicenſi integrum extat: incertum, ipſone Stabio autore, an anonymo quopiam Mellicenſi, qui id fortaſſis continuavit. Certe quæ vulgatos Stabii *verſus* in MS. Mellic. proxime conſequuntur, manu recentiori ſcripta fuiſſe quivis advertet. Prædictis porro verſibus hic in noſtro MS. titulus præfigitur.

* Bavariæ Sanctæ Vol. III. pag. 111.

MARTYRIUM S. COLOMANNI SCOTI, MARTYRIS AUSTRIACI, SAPPHICO CARMINE CONSCRIPTUM A JOHANNE STABIO, MAXIMILIANI I IMPERATORIS HISTORICO.

Auſtriæ Sanctus canitur Patronus,
Fulgidum ſidus radians ab arcto,
Scoticæ gentis Colomannus acer,
Regia proles.

*Ille dum * Solymorum urbem*
Tranſiit, dulcem patriam relinquens,
Regios faſtus, trabeam, coronam,
Sceptraque tempſit.

* *deeſt in MS. Mellicenſi ſanctam.*

Propter & Chriſtum peregrinus exul
Factus in terris alienis ultro,
Cœlicam pura meditatus aulam
Mente fideque.

Dumque diverſos populos pererrat,
Rhæticas tandem veniens ad oras,
Nave ſanctum Danubius recepit
Gurgite vaſtus.
Perque formoſas ſegetes, per agros
Devehit lætos, & amæna prata,
Perque colles vitiferos ſecando
Norica rura.
Mirus in Sanctis Deus es Deorum.
Ille terrenam Solymam requirit;
Tu ſed æternam tribuis ſupremo
Martyri olympo.
Auſtriæ terras agitabat amens
Tunc furor, fortes Moravos, Bohemos,
Pannones bello ſimul implicabat
Inferus hoſtis.
Ergo dum Sanctum hoſpitio recepit
Oppidum noſtrum Stockerau vocatum
Patrio ritu, male tentat illum
Dæmonis aſtus.
Spargit in turbas odioſa dicta:
Prodet hic veſtram ſpeculator urbem.
Credidit vulgus trahitur nocentis
More modoque.
Juſtus, & vinctus manibus catenis,
Et pedes preſſus gravibus cataſtis,
Intrat horrendum tenebris ſituque
Carceris antrum.
Cæditur virgis ſine fine Martyr,
Uritur corpus crepitante flamma,
Septies Chriſtus probat hoc talentum
Igne manuque.
Nec quies ulla eſt: Sathanæ miniſter
Forcipe ignita faber infidelis
Vellicat carnes, vorat oſſa duræ
Lamina ſeræ.
Sævus ut nullam necis inde cauſam
Tortor invenit, male judicatus
Innocens, inter medios pependit
Ecce latrones.
Mox ſui Chriſtus famuli revelat
Gloriam ſignis, memoranda quæ ſunt
Sæculis cunctis; veneretur omne *
Martyr in ævum.

* *in editione Raderi additur* ut

Hucusque Stabii de S. Colomanno carmen vulgavit Surius, & ex eo Raderus: reliqua, quæ in MS. Mellicenſi continenter ſubjunguntur, ſic habent:

HOs duos nequam lateri innocentis
Pœna quos junxit ſimilis, ſed impar
Cauſa, depaſcunt volucres, reſolvit
Putrida tabes.
Corporis ſancti caro, barba, ſanguis,
Cum pilis ungues vegetantur, ac ſi
Spiritus vitæ ſacra adhuc regendo
Membra foveret;

Donec implevit revolutus anno
Sol ſuos menſes, celerique Luna
Sexies curſu duodena luſtrans
Signa peregit.

Inſuper reſtis ſacra colla circum
Fronduit multis foliis, pependit
Qua pius Martyr, retulitque pulchro
Germina flore.

Anxius ſomno pater inde doctus,
Si podagroſum puerum recenti
Carne ſuſpenſi ſuperilliniret,
Convaliturum.

Luce mox orta, famulo ſacrati
Corporis ſuras violare ferro
Præcipit, manat calidus repente
Vulnere ſanguis.

Carne ubi ſancta puer eſt inunctus,
Priſtinus membris vigor inde venit,
Gratiam Chriſti puer & parentes
Plauſibus ornant.

Fama dum vulgat meritum Beati
Martyris, ſigna & manifeſta clarent;
Ecce venator temerare ſanctum
Cuſpide corpus

Audet, & cordis penitus latentes
Perforat venas, fluit inde torrens
Sanguinis, Chriſti latus hoc ſacrato
Stigmate honorat.

Ergo concurrunt populi, piusque
Clerus, & ſanctum veneranda turba
Corpus a furca levat, & ſepulchro
Condit honeſto.

Aſt novo ſigno nova mira Sancti
Chriſtus oſtendens, elementa teſtes,
Indicat hoc Danubius retorto
Flumine primus.

Ille ubi vaſtos cumulos aquarum
Volvit, & templi medios inundat
Fornices; Sancti monumenta perſtant
Pulvere ſicco.

Talibus multis Deus ut Beati
Martyris vitam populis benignus
Detegit; mox tum pia fama tangit
Principis aures.

Ille devota comitante turba,
Eruit Sanctum. Bonus implet omnes
Halitus, quales Paradiſus aures
Spirat odoras.

Integer totus, ſimilisque vivo
Tollitur, ſignis variis coruſcans,
Pulchra Medlicum meliore condit
Membra ſepulchro.

Hic preces puras Colomannus audit,
Impetrat vivis veniam, ſalutem,
Mortuis certam requiem, ſimulque
Gaudia cœli.

Illius ſemper meritis juvetur
*Archidux, noſter * Imperator,*
Auſtriæ clarum Decus, & nepotes
Maximiliani.

* *deeſt in MS.* ſimul *aut hujusmodi.*

VITA BEATI GOTHALMI PEREGRINI.

AUCTORE BERNARDO DAPIFERO COENOBITA MELLICENSI.

EX COD. AUTOGRAPHO, ALIISQUE TRIBUS APOGRAPHIS BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. GOthalmus Peregrinus apud Sancti Colomanni patrem, ut Bernardus Dapifer ejus Vitæ Scriptor a Majoribus ſuis accepiſſe ſe tradit, Cellerarii, id eſt, Promi perfunctus eſt munere. Is Colomannum clam e Scotia ſeu Hibernia in Terram Sanctam contendentem ſecutus, cum in Auſtriam veniens heri ſui filium per ſummam injuriam ab impiis hominibus interemptum, jamque Mellicii tumulatum intellexiſſet; in vico Murenſi (Maur vernacule appellant) uno forte milliario ad ortum ab oppido Mellicenſi diſtante, non ſine prodigio, ut Bernardus ſcribit, ad ſuperos conceſſit. Ejus corpus Mellicium inde allatum, honorifice poſtmodum conditum hic fuit. Quo præciſe anno factum id fuerit, non prodit antiquitas. Crediderim non multo poſt annum 1014. accidiſſe. Gothalmi iſtius oſſa tumulo marmoreo incluſa, cum annis ſuperioribus vetus noſtra Baſilica diruta fuiſſet, priſtina ſua ſede mota, atque in Capitulo (ut dicemos eſt) collocata tantiſper fuerunt, dum in nova honorificentior iisdem locus apparetur.

II. *Beatum* paſſim appellat Gothalmum Bernardus Dapifer noſter, & Kalendarium domeſticum ab annis veriſimiliter ſexcentis manu exaratum his verbis: *VII. Kal. Auguſti. Memoria Beati Gothalmi peregrini.* Quibus alia manus recentior hæc attexuit: *Socius Sancti Cholomanni.* Sed & in tribus Sæculi XV. manu-ſcriptis exemplaribus Mellicenſibus, unde procul dubio Cæſareum Vindobonenſe tranſcriptum fuit, nomine *Beati* conſtanter honoratur. Publicam quidem venerationem cultumque Gothalmo olim impenſum fuiſſe, non ex Vita ſolum, ſed etiam ex titulo, qui in Cæſareo noſtrisque Codicibus manu-ſcriptis eidem præmittitur, manifeſtum efficitur; licet jam memoratum titulum codex autographus non habeat. Noſtra vero ætate publicus iſte Gothalmi cultus & religio penitus exolevit. Quæ ejus rei cauſa, mihi latet. Id tantum ſcio, quotannis in ejus pervigilio, quod in VIII. Kal. Auguſti incidit, Veſperas Defunctorum, & inſequente die *Miſſam de Requiem* ad ejus tumulum a nobis peragi ſolere.

III. Res geſtas Beati Gothalmi primus ſcriptis mandavit Bernardus Dapifer

pifer Cœnobitá Mellicenſis anno MCCCLXII, ut ipſe Vitæ principio diſerte teſtatur. De hoc Auctore id ſolum ex Chronico Mellicenſi compertum habemus, eum anno MCCCLXXVIII, quo Albertus III. Auſtriæ Dux, dictus cum trica, Syfridum Priorem, *quaſi omnibus non faventibus*, Abbatem Monaſterii noſtri conſtituit, ad Curiam Romanam acceſſiſſe; privilegium electionis liberæ, ut opinor, quod Paſchalis II. anno MCX. Mellicenſibus contulerat, & electione Syfridi Patribus noſtris violatum forte videbatur, aſſerturus. Sed infeliciter hoc iter ceſſit Bernardo noſtro, ut qui ante quam Romam attigiſſet, extinctus in via ſit. In prædicto Chronico Mellicenſi paulo infra de hoc Syfrido ſequentia referuntur: *Anno* MCCCLXXXII. *Eodem anno Syfridus Abbas, dictus Hagenawer, in die S. Osvvaldi obiit: cui Domnus Gotſchalcus, dictus Hinderholczer, tunc temporis Cuſtos ſucceſſit, & ab omnibus rite & Canonice in Abbatem eligitur, in die S. Laurentii Martyris.*

IV. Primam Vitæ Gothalminæ, uti & plurium aliorum ad hiſtoriam Mellicenſem pertinentium, editionem V. C. Petro Lambecio debemus, ut videre eſt Comment. de Biblioth. Cæſ. Vindobon. lib. 2. cap. 8. pag. 619. Alteram nos nunc adornamus ex codice autographo, aliisque tribus ſæculi XV. apographis Bibliothecæ noſtræ Mellicenſis, quæ cum editione Lambeciana ſtudioſe contulimus. Ex hac ſane apparebit, primariam Gothalmi Vitam a librariis aliquot in locis interpolatam fuiſſe, id quod Lector ex iis, quæ ad oram enotavimus, intelliget. Ante vero, quam Bernardi Dapiferi lucubrationem exhibeamus, titulum minio ſcriptum, qui in tribus manu-ſcriptis exemplaribus Mellicenſibus atque etiam Cæſareo Vindobonenſi, ut credo, Vitæ Gothalmi prætexitur, ab autographo vero abeſt, hoc loco juverit adſcribere. Is paulo aliter, ac apud Lambecium legitur, ſic habet.

Sequitur de Beato Gothalmo Peregrino, cujus oſſa a dextro latere altaris Beatæ Mariæ Virginis in crypta in ſarcofago marmoreo quieſcunt albo, & dietim ab 1 *univerſis pene* 2, *qui Monaſterium iſtud viſitant, devotius ipſum locum venerantur, & deoſculantur* 3. *Qui licet haud dubium miraculis claruerit, tamen alia nobis Sanctitatis ejus teſtimonia ad præſens non conſtant, præter ea, quæ* 4 *ſubſequens breve Memoriale ex quodam antiquo Codice hic ſcriptum, continet in hunc modum.*

1 *ita omnia tria MSS. forte* univerſi. 2 *deeſt vox* pene *in* 2 *MSS.* 3 *unum MS. non habet* deoſculantur. 4 *unum MS. tantum ſic habet:* quæ breviter ſubſequuntur.

1. EGo frater Bernhardus, profeſſus Medlicenſis Cœnobii Monachus, dictus Dapifer, exiſtimavi fore [1] utile, in rei memoriam perpetuo apud homines perducere, ad notitiam omnium Chriſti fidelium præſentium & futurorum, nationem & adventum in Auſtriam & ad Cœnobium noſtrum [2], ſcilicet Medlicenſe, & inibi manſionem Beati Gothalmi peregrini, in crypta Medlicenſis Monaſteri quieſcentis, & hoc ut [3] relatu ſeniorum [4], & aliorum multorum hominum [5] meis in temporibus viventium, melius percipere potui, & ut ipſi ab eorum ſenioribus & contemporaneis [6] perceperunt. Igitur ego Wernhardus ſupra nominatus anno Domini MCCCLXII. ſcribendo [1] in vigilia Beati Barnabæ Apoſtoli initiavi, & hoc in una ſexta feria poſt Synaxim veſpertinam non multo poſt chartis commiſſum, quod & ſic contigit.

Cum beatiſſimus Chriſti Martyr Cholomannus patriam, ſcilicet Scotiam, dominiumque terrenum ſive regnum prædictum pro amore & regno Chriſti relinquere diſpoſuiſſet, & hoc non alteri niſi huic beato Viro Gothalmo revelaſſet (qui videlicet beatus Gothalmus ſui patris Cellerarius dicitur fuiſſe) non tamen quando id eſſet facturus ſibi indicando, beato Cholomanno poſtea clam perdito Jeroſolimamque tendente, præ amore quem erga eum habuit, ipſum ſequeretur, eumque undique quæreret, Auſtri-

1 3. *apographa Mellicenſia* eſſe: *in quibus etiam poſt* utile *additur* ac ſalubre. 2 3. *apog. deeſt* noſtrum ſcilicet. 3 *in apog. additur* veraci. 4 *in apog. additur:* fide digniſſimorum. 5 *apog. addunt* ex utroque ſexu. 6 *apog. addunt* Deum timentibus.

1 *apog. & Lambec. ſic habent:* Igitur ego Bernhardus ſupra nominatus anno Domini MCCCLXII in vigilia S. Barnabæ Apoſtoli, quæ fuit in una ſexta feria poſt Synaxim Veſpertinam chartis commiſſi ſic, & ſic contigit.

amque

amque veniret, & paſſum, mortuum, & juſſu Heinrici tunc temporis noſtræ terræ, ſcilicet Auſtriæ, Marchionis, in Medlica ſepultum audiret; tunc & ipſe ad ſuum dilectum Domicellum & Dominum tali modo advenit. Cum una dierum ſuæ peregrinationis ad villam, dictam Maur, a prædicta civitate Medlica miliario [1] diſtantem, quæ Sabbato dies eſſet, inibi pernoctando veniſſet, & quidam ruſticus nocturnum [2] ei dediſſet, ad horreumque dormitum iviſſet, & cum in craſtino, ſcilicet die Dominico, ſurgendi tempus adeſſet, & non ſurgeret; pluries excitatur, & tandem percunctatur, ut quomodo ſibi foret, [3] obdormiſſe in Domino. Et ſuper feretrum collocatus, inveniuntur [4] accenſæ candelæ cum eo. Tunc Medlicam perducitur (neſcitur tamen quoto Domini anno), & ſepelitur, nobis tamen, modo locum primæ ſepulturæ ignorantibus, modo tamen ubi ejus ſacra oſſa continentur, bene ſcitur, ſcilicet in cavato & marmoreo, & hoc albo lapide, juxta altare Dei Genitricis Virginis Mariæ in crypta Medlicenſis cœnobii, in parvis calumpniolis [5] locato, ejusque memorialis dies eſt in die S. Annæ, matris almæ Virginis Mariæ.

2. Signum etiam quoddam, quod Dominus per eum fecit, & ejus ſanctitatem in hoc oſtendit, ut etiam relatu [6] didici, his ſcriptis omnibus legentibus & audientibus manifeſto. Cum enim quidam Rex Bohemorum, proprio nomine nobis tamen ignotus, Medlicam veniſſet, & ſarcofagum marmoreum & album, in quo ejus oſſa continentur, vidiſſet, & dubitaſſet, quod inibi Reliquiæ eſſent; foramen quadrangulum fecit in capite ipſius ſarcofagi fieri. Quod ut cœpit facere, protinus viſum amiſit. Tunc omnes perterriti, genua flectentes ante altare Matris miſericordiæ [7] Virginis Mariæ ibi juxta ſitum, cum devotione ſupplicantes primo Domino Deo & Virgini Mariæ, ac poſtea Beato Gothalmo, ut cum cæco Rege miſericordiam face-

[1] *apog. addunt* uno. [2] *apog. habent* nocturnum quietum. [3] *apog. addunt* inveniturque. [4] *apog. addunt* ſine humana amminiſtratione. [5] *l.* columniolis. [6] *apog. addunt* ſeniorum fide dignissimorum. [7] *ita tria apographa Mellic. Lambec. perperam* Mariæ.

rent, Rexque talia nunquam amodo ſe vovit acturum. Tunc oratione finita viſum recepit, meritis & interceſſione, ut credere tenemur, Beati Gothalmi, & quadrato lapide & albo fracturam clauſit, uti hodie manifeſte videtur ſignum hujus foraminis [1], & cum gaudio receſſit. Iſta [2] omnia ſcriptis per me prædictum Bernhardum commendata, quo tempore acta fuerint, nobis non patet, & hoc vel propter tunc viventium deſidiam & negligentiam, vel propter noſtri cœnobii & librorum MCCXCVII, & hoc in Vigilia Aſſumptionis, exuſtionem contigit.

3. Anno Domini MCCCLXII, in die ſancti Paulini Epiſcopi & Confeſſoris, qui eſt in vigilia Beati Ægidii Abbatis, Rudolfus, Inclytus Dux Auſtriæ, & cæterorum ſuorum titulorum Princeps & Dominus, hujus nominis Quartus, huc in Medlicenſi Cœnobio exiſtens, volens experiri, ſiquod ſcriptum, aut aliud evidens ſignum eſſet cum Beato Gothalmo peregrino in marmoreo lapide, ſcilicet in ſuo ſarcofago, in crypta Medlicenſi, in paryis calumpniolis ſito. Sicque 3 prædicto die devotus [4] cum [5] aliis aliquibus ſecrete accedens ac aſtans, accenſisque candelis, & pſalmis ſubmiſſa voce fratribus aliquibus de Conventu dicentibus, ipſius ſarcofagi ſuperiorem lapidem removens, ſicque inibi exiſtentia oſſa videns, nilque aliud reperiens [6] quam ipſa oſſa, & in medio fronte capitis ibidem reperta eſt crux parva & alba affixa, quaſi eſſet facta de pura ſimilaginea paſta. Quam crucem quidam ſuorum Cappellanorum Presbyter ſæcularis, dictus Liembweriger, abrupit incaute manibus attrectando, nobis præſentibus, & pro hujusmodi abruptione dolentibus, primoque ſuper hanc admirantibus; & ſic poſtea beatis oſſibus ſacrario commendatis, usque ad reparationem ejusdem ſarcofagi. Tunc quoque ipſa oſſa ſunt in eodem loco reincluſa, præſente Gotſchalco tunc temporis Cuſtode; me vero Wernhardo, dicto Dapifero, proch dolor! abſente.

[1] *apog. addunt* ipſum ſarcofagum intuentibus. [2] *hæc verba usque ad* quo *deſiderantur in apographis & Lambec.* [3] *apog.* Itaque. [4] *apog. addunt* Dux [5] *apog. addunt* Domino Abbate &. [6] *Lambec.* reperit.

VITA BEATI ALTMANNI EPISCOPI PATAVIENSIS,

AUCTORE ANONYMO COENOBITA GOTTWICENSI,

EX CODD. MSS. MELLICENSI ET CAMPILILIENSI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ALtmannus, gente Saxo ſeu Weſtphalus, primum Canonicorum Padebornenſium collegio adlectus, ibidem per plures annos ſcholis præfuit. Subinde Canonicis Aquisgranenſibus Præpoſitus datus, Heinrico III. Imperatori, eoque circa annum 1057. denato, ejus Auguſtæ Conjugi Agneti a ſacris

aliquamdiu

aliquamdiu fuit. Imperatricis istius opera, optimatumque consilio, Eigilberto seu Engelberto Episcopo Patavienſi, qui ex Chronico Mellicenſi anno 1065. vivere desiit, in Episcopatu sufficitur. Quo honore auctus Altmannus, eo statim consilia sua curasque vertit, ut solutiores tum Cleri sui, tum quorundam Monachorum mores ad severiores vivendi leges revocaret. Inprimis vero, quo maxime potuit, studio incubuit, ut Sacerdotalis quique Ordinis viri, abjectis uxoribus, quarum indignis conjugiis id ætatis non per Austriam solum, sed universam prope Germaniam implicati tenebantur, castam deinceps cælibemque vitam sectarentur. Ea re tantam Cleri Patavienſis, qui a diuturna jam consuetudine fæminarum ægerrime se avelli patiebatur, invidiam atque offensionem in se concitavit Altmannus, ut parum ab fuerit, quin impetu in optimum Episcopum suum facto, infandam ei necem afferret. Verum cum sceleſtorum istorum hominum conatibus Deus regionisque primores intercessissent, nefariis eum criminibus apud Heinricum Quartum Imperatorem per summam injuriam onerant, idque demum apud eundem efficiunt, ut Episcopatu cedere cogatur. Ita sede sua pulsus Altmannus primum in Saxoniam se contulit, graves exilii sui ærumnas & incommoda forti animo perpessus. Mox Romam ad Gregorium VII, a quo contra Heinricum IV. cæterosque Schismaticos acerrime steterat, profugit: ubi se Pontificatu Patavienſi, quod eum a laica manu (ut scribit Anonymus Gottwicenſis) accepisset, abdicavit. Gregorius tamen Pontifex Maximus in quissima Altmanni fortuna commotus, eum de integro, renitentem licet, Episcopum Patavienſem creat, & Legatum suæ sedis a se designatum in Germaniam remittit. Itaque reversus in Orientalem provinciam seu Austriam, cui tum præerat Lepoldus Pulcher, præcipuus Altmanni fautor, Diœcesim suam Cis-Anasenſem summa cum laude, maximoque Austriæ fructu gubernavit. Demum ingentibus Dei religionisque causa laboribus perfunctus, anno Episcopatus sui vicesimo sexto, Christi vero milleſimo nonageſimo primo, VI. Id. Auguſti ad superos feliciter concessit, in Cœnobio Gotwicenſi, quod ipse condiderat, a Tiemone Archiepiscopo Salisburgenſi tumulatus. Hujus beatissimi Patavienſis Antistitis res præclarissime gestas Veteres duo Auctores, Gottwicenſis uterque, scriptis suis celebrarunt, dignissimi profecto, qui in hac veterum Austriacorum Scriptorum Collectione locum habeant, ut qui ad illustrandam nostram cum civilem, tum Ecclesiasticam Sæculi XI. & insequentis historiam magnopere conducant. De priore nunc agendum, de posteriore suo loco inferius.

II. Primus Vitæ Beati Altmanni scriptor etsi nomen suum ubique dissimulet, neque id a nobis hactenus in ullo manu-scripto exemplari repertum fuerit, eum tamen Monasterii Gottwicenſis, quod a primordio sui Canonicis Regularibus sancti Auguſtini attributum, postmodum circa annum 1094. Ordinis nostri hominibus cesserit, fuisse Cœnobitam, tum ex Prologo, tum ex Vitæ num. 19. aliisque clare colligitur. Lucubrationem suam, ut ex jam memorato Prologo notum est, Challocho seu Cholhocho tertio Abbati Gottwicenſi, qui, teste necdum edito Gottwicenſium Præsulum Catalogo, ab anno 1125. ad 1141. huic loco præfuit, inscripsit. Hinc discimus, Anonymum nostrum ante medium sæculum duodecimum floruisse. Quibus porro Auctoribus Beati Altmanni gesta didicerit, his Prologi verbis ipse aperuit: *Ab his itaque qui præsentes viderunt, & ejus obsequio familiariter adhæserunt, qualibet ejus gesta studiose indagabo, & hæc posteris insinuare curabo.* Haud parum do-

lemus, neque omnes neque integras Epistolas, quas Gregorium VII, & Urbanum II. Romanos Pontifices ad Altmannum dedisse num. 30. Auctor commemorat, ab eodem ad posteros fuisse transmissas. Quod idem ab eo factum Epistolis, quas ab Urbano Papa prædicto, & Paschale II. ad Hartmannum primum Abbatem Gottwicensem scriptas num. 40. refert. Additur in fine brevis Præsulum Gottwicensium historia, ab alio, ut videtur, auctore composita, quæ in Vita B. Altmanni a Reverendissimo Domino Johanne Abbate Lambacensi vulgata desideratur.

III. Acta B. Altmanni Episcopi, quæ primo loco damus, ex vetustis Bibliothecæ suæ monumentis primum edidit anno 1619. supra laudatus Johannes Abbas Cœnobii Lambacensis, Ord. S. Benedicti, in Austria superiori ad Trunam amnem siti, quibus & Adalberonis Herbipolensis, & Gebehardi Salisburgensis Antistitum Vitas adjunxit. In hac editione, præterquam quod non omnia satis ex fide veterum manuscriptorum expressa sint, permulta desunt, ut ex vitæ a nobis hic exhibitæ numeris 30. 32. & sequentibus liquet. Alia duo Vitæ Altmannianæ manuscripta exemplaria nobis suppeditarunt Mellicensis nostra, & Campililiensis Bibliothecæ, ex quibus alteram hanc primæ B. Altmanni Vitæ editionem adornavimus. Exemplar domesticum extat invasto membraneo Volumine, Christophori Liebii Cœnobitæ Mellicensis diligentissimi manu, post medium sæculum decimum quintum exaratum; Campililiense vero, quod itidem in amplo membranaceo codice variorum Sanctorum acta complectente continetur, Sæculi XIII. ætatem præfert. Abest ab utroque Prologus, quem tamen in MS. Cæsareo Vindobonensi reperiri, ex Dan. Nesselii Sciagraphia, ubi ejus duntaxat initium refertur, intelligimus. Idem inest in recenti quodam Bibliothecæ Gottwicensis apographo, quod Georgius Mueth, Augustino ad S. Nicolaum prope Passavium Præposito a secretis, anno 1571. descripsit, & Michaeli Herrlich Abbati Gottwicensi nuncupavit. Itaque Prologum, quem primæ B. Altmanni Vitæ præfiximus, ex Johanne Abbate Lambacensi mutuati sumus, a Dan. Nesselii, & Georgii Muethii manuscriptis exemplis nonnihil discrepantem. Cæterum si quæ in Mellicensi nostro, & Campililiensi MSS. Codicibus, ad quos editionem Johannis Abbatis Lambacensis diligenter recensuimus, variæ nobis lectiones occurrerunt, eas ad oram apposuimus.

IV. Altmannus priori vitæ Scriptori variis in locis *Præsul venerandus, Deo dignus, Deo dilectus & Amabilis, Vir Dei.* numero vero 21. *Sanctus*, & num. 30. 34. ac 35. *Beatus* appellatur. Posteriori passim *Sanctus* dicitur & *Beatus*. Lambertus Schafnaburgensis noster in insigni suo Chronico ad annum Christi 1076. pag. 243. *Virum Apostolicæ conversationis, & magnarum in Christo virtutum* eum vocat. Quin etiam in Bertholdi Constantiensis Annalibus ad annum 1091. disertis hisce verbis commendatur: *Altmannus sanctæ recordationis Pataviensis Episcopus in causa S. Petri & in ecclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes & exilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum* VI. *Id. Augusti. Hic in Episcopatu suo tria Cœnobia Clericorum juxta regulam S. Augustini communiter viventium instituit, & tertium in Episcopatu Frisingensi, in allodio Velphonis Ducis, per Clericos suos ædificavit, & regularibus disciplinis instituit. Hic fuit tantæ Sanctitatis, continentiæ & religionis, ut Reverendissimo Papæ Gregorio, sanctoque Lucensi Episcopo, immo omnibus religiosis reverendus esset & amabilis; schismaticis vero & sceleratis odiosus & formidabilis*

midabilis, &c. In inſcriptionibus, quæ in Cæſareo, Campililienſi, Mariæ Cellenſi in Auſtria, & Mellicenſi Codd. MSS. Altmanni Vitæ præmittuntur, eidem *Sancti* titulus & *Beati* tribuitur. Quæ omnia tametſi Sanctitati Altmanni Epiſcopi non parum patrocinari videantur, in Sanctorum tamen album is necdum relatus eſt, nec ejus nomen recentioribus Martyrologiis aut vetuſtis Kalendariis inſertum hactenus invenimus. Sed & nusquam per Auſtriam (quod quidem ſciamus) publicus ei cultus impenditur, præterquam in Gottwicenſi Ordinis noſtri Monaſterio, ab ipſo Epiſcopo Altmanno fundato: ubi (teſte Proprio Sanctorum mox memorati Cœnobii anno 1696. Crembſii typis excuſo) feſtum B. Altmanni, quod alias in diem octavam menſis Auguſti incidit, Dominica dictæ diei proximiori celebrandum præſcribitur, agiturque de eo Divinum officium cum Miſſa tanquam de Communi (ut ajunt) unius Confeſſoris & Pontificis, cum hac peculiari Oratione: *Propitiare quæſumus Domine, nobis famulis tuis per Beati Altmanni Confeſſoris tui atque Pontificis, qui in hac Eccleſia requieſcit, merita glorioſa; ut ejus pia interceſſione ab omnibus protegamur adverſis. Per Dominum noſtrum &c.* Et in Antiphona ad *Benedictus* (ut Admodum Reverendus ac Religioſus D. P. Mauritius Höppel Cœnobita Gottwicenſis nos edocuit) hæc in Altmanni laudem decantantur: *Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* In antiphona quoque ad *Magnificat*: *Dum eſſet Pontifex & Legatus Apoſtolicus, terrena non metuit, ſed pro Eccleſia ut columna marmorea ſtetit.* Additurque hic verſiculus cum ſuo Reſponſorio: *Exurge Beate Altmanne: & alumnos tuos protege.* Ex epiſtola plurimum R. ac R. D. P. Gregorii Schenggl Prioris Gottwicenſis etiam accepimus, extare in ejus loci tabulario litteras authenticas, a viginti tribus Epiſcopis ibi nominatim expreſſis datas Romæ anno 1300. menſe Martii, Pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. anno ſexto, quibus die Beato Altmanno ſacra Gottwicenſi Cœnobio quadraginta dierum Indulgentiæ conceduntur. Alias rurſum ibidem adſervari, a viginti S. R. E. Cardinalibus in iisdem nominatis conceſſas, anno 1496. d. 14. menſis Januarii, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Alexandri Papæ VI. anno quarto: quibus pro memorata Beati Altmanni feſtivitate centum dierum Indulgentiæ Gottwicenſibus conferuntur. Denique ſub finem Completorii, præter alias peculiares comprecationes a Gottwicenſibus Benedictinis quotidie de more recitari ſolitas, piis etiam hiſce verſibus Beati Fundatoris ſui Altmanni opem implorant:

Altmanne, a quo conditum
Hoc noſtrum eſt Cœnobium,
Et cujus hic ſunt lipſana,
Semper pie nos adjuva.

Hæc in anteceſſum ad primam B. Altmanni Vitam notare viſum fuit, nunc eam totidem Anonymi Gottwicenſis verbis Lectoribus exhibeamus.

PROLOGUS AUTHORIS.

DOmino Cholhocho[1] illuſtri Patri Gottwicenſis Cœnobii, quidam ſuorum ultimus, utriusque hominis in Domino famulatum. Laudabile admodum opus, ſed ſudore plenum jubes me, Venerande Pater, aggredi, & materiam diſertis merito viris committendam a me præcipis depromi, videlicet Vitam præclari Antiſtitis Altmanni ſtylo illuſtrare, ac lucernam jam diu ſub modio tectam, ad illuminationem futuris ſæculis oſtentare: ſummum nefas exiſtimans, hunc Virum ſilentio contegi, cujus vita multis virtutibus probata, cunctis ſimul mirabilis, & præcipue in loco, cujus ipſe Fundator extitit, ſemper ſit admirabilis. Juſſioni igitur tuæ parendum cenſeo, ſed onus

[1] *al.* Chadehocho, Chalhocho.

onus quod imponitur, vires meas excedere. A
video, dum sermone & scientia me imperitum
considero. Inde loris obedientiæ adstrictus,
injunctum opus experiar pro viribus, ut illu-
stris Vir latens in tenebris, producatur in lu-
cem videndus ab omnibus. Ab his itaque qui
præsentes viderunt, & ejus obsequio familia-
riter adhæserunt, quælibet ejus gesta studiose
investigabo, & hæc posteris insinuare curabo,
videlicet: unde ortus, quo loco conversatus
sit: qualiter ad Episcopatum pervenit: quæ &
quanta in eo adversa pertulerit: qualiter locum
nostrum construxerit, in quo post obitum se-
pultus requiescit: qualiter Canonica religio in
Monasticam professionem sit permutata: qua-
liter idem locus per Patrum successiones usque
ad nostra tempora in Dei laudibus succrevit.
Opto te, Pater Sanctissime, in Domino semper B
valere, Amen.

VITA BEATI ALTMANNI PATAVIENSIS EPISCOPI.

1. Scripturus vitam & actus Venerandi Præ-
sulis Altmanni, non ingratum reor lectoribus
fore, prius ortum Saxonicæ gentis breviter
prælibare, de qua idem Vir Domini cognosci-
tur originem duxisse. Gens itaque Saxonica
de exercitu Magni Alexandri traditur oriunda:
post cujus mortem Ptolomæus & Antiochus &
alii quamplures regnum inter se divisêrunt, ac
diuturnis bellis orbem longe lateque presse-
runt. Quædam vero pars exercitus de grega-
riis militibus, quæ superstes remansit, ingressa
mare piraticam exercuit. Hæc classe armis
instructa, cum manu valida ad Albam [1] flu-
vium perveniens applicuit, terram Turingo-
rum hostiliter invasit, habitatoribus occisis
cuncta illorum bona diripuit, & omnia loca eo-
rum usque ad montem, qui Camisberc [2] dici-
tur, usque in hodiernum diem perpetuo jure
possedit. Hi homines longis cultellis ut hodie
Sclavi [3] pro gladiis utebantur, qui lingua eo-
rum *Sahs* dicebantur, a quibus Sahsones, non
Saxones appellantur. Qui viri strennui, nimis
bellicosi, viribus & opibus incliti circumfusis
gentibus sæpius bellum intulerunt, suosque
terminos usquequaque dilataverunt. Horum
audaciam tandem Julii Cæsaris virtus perdo-
muit armis, ac Romanis tributarios fecit. Post
cujus excessum ad pristinam ferociam reversi,
Francorum Regibus congressi, victores extite- D
runt, finesque eorum longo tempore gravi do-
minatione tenuerunt, usquequo Karoli Magni
strennuitas eos multis præliis victos, subegit,
atque ad Christianæ religionis professionem
coëgit. Qui Karolus plures Episcopatus in di-
versis locis per totam Saxoniam constituit; de
quibus Paderbrunnen in Wesfalia, quæ est ter-
tia pars Saxoniæ, instituit. Ut enim totus or-
bis in tres partes dividitur, scilicet in Asiam,
Affricam & Europam; ita Saxonia, imo Sahs-
sonia, in tres partes dividitur, ut in gestis eo-
rum scribitur. Ea pars, quæ Eurum respicit,
& Poloniæ vel Bohemiæ confinis est, Orien-

talis Saxonia vocatur; ea vero, quæ Septen-
trionem contuetur, & Daniam attingit, Aqui-
lonaris Saxonia appellatur; quæ autem versus
Renum Occidentem intendit, Wesfalia nun-
cupatur.

2. In hac igitur Wesfalia Altmannus claris
parentibus editus, Divinis & sæcularibus litte-
ris adprime eruditus, apud Paderbrunnen Ca-
nonicus fuit; in quo loco multis annis Scho-
las rexit: deinde Aquisgrani Canonicis præ-
positus fuit, quo tempore etiam in palatio
Tertii Henrici Regis Capellanus claruit. Qui
Heinricus, cognomento Pius, filius Conradi
Imperatoris, palatium Goselariæ ad radicem
montis Ramsberc [1], de quo argentum tollitur,
construxit, & Basilicam ibidem Apostolorum
Simonis & Judæ ædificavit. Quo defuncto
Altmannus Reginæ Agneti fideli obsequio ad-
hæsit: cum qua Pataviam venit, quo tunc
temporis Egilbertus [2] Episcopatus insulam
tenuit.

3. Eo tempore multi nobiles ibant Jeroso-
limam, invisere sepulchrum Domini, quadam
vulgari opinione decepti, quasi instaret dies
judicii, eo quod Pascha illo anno evenisset VI
Kal. Aprilis, quo scribitur resurrectio Christi.
Quo terrore permoti non solum vulgares, sed
& populorum primores, genere & dignitate
insignes, & ipsi diversarum civitatum Episcopi,
magna gloria & summo honore fulti, patriam,
cognatos & divitias reliquerunt, & per artam
viam crucem bajolantes Christum secuti sunt.
Quorum prævius Dux & incentor fuit Gun-
therus Babenbergensis Episcopus, vir tam cor-
poris elegantia, quam animi sapientia con-
spicuus: in cujus Comitatu multi nominati
viri & Clerici & Laici, tam de Orientali Fran-
cia quam de Bawaria fuerunt. Inter quos
præcipui duo Canonici extiterunt; videlicet
Ezzo Scholasticus, vir omni sapientia & scien-
tia præditus, qui in eodem itinere cantilenam
de miraculis Christi patria lingua nobiliter
composuit; & Cunradus, omni scientia & fa-
cundia ornatus, qui postea in nostro loco Ca-
nonicis Prælatus præpositus fuit. Quibus Alt-
mannus ex latere Reginæ, cum multis viris de
palatio honoratis, factus est comes itineris, &
socius laboris.

4. Igitur difficile iter peregrinationis ag-
gressi, multas insidias in via a paganis perpessi
sunt, & multos ex sociis cum rebus amiserunt.
Proh nefas! hostes Christi ipsorum sacerdo-
tum Christi dorso insilientes, eos per campum
agitaverunt equitando, calcaribus ut equos ur-
gentes. In hoc itinere contigit quiddam me-
morabile, quod exempli gratia interfero; ut
per hoc illi terreantur, qui sapientum consi-
liis obstinata mente renituntur. Erat in ea-
dem profectione quædam nobilis Abbatissa,
corpore speciosa, mente religiosa: quæ post-
posita cura commissarum sororum, contra
omnium sapientum consilium, tantæ peregri-
nationis subiit periculum. Quæ a paganis ca-
pta, in conspectu omnium tam diu est ab impu-

[1] *Campililiense MS.* Albim. [2] *MS. Campil.* Ramisberc. [3] *MS. Campil.* Slavi.

[1] *MS. Campil.* Ramisberc. [2] *MS. Campil.* Engilbertus.

dicis

dicis ſtuprata, donec ad opprobrium omnium Christianorum ultimum efflaret ſpiritum. His, & aliis multis probris pro Christo ab inimicis Christi affecti, & in omni loco ſpectaculum & Angelis & hominibus effecti, quia per multas tribulationes regnum Dei ſe intraturos elegerunt; tandem per multas tribulationes Hieroſolimam pervenerunt: ibi vota ſua perſolventes, & hoſtiam laudis Deo offerentes, ad patriam revertuntur gaudentes.

5. Dum in Pannoniam perveniunt, & in Wiczenburc [1] lætos dies ducunt, Guntherus, Deo amabilis Epiſcopus, de hoc ſæculo migravit, & gaudium Domini ſui ſuper omnia bona conſtituendus intravit. Eodem tempore etiam Egilbertus Patavienſis Epiſcopus defungitur, atque in cœleſti gloria Beatis pro dignis meritis conjungitur. Poſt cujus mortem Agnes Regina regnique optimates conſilium ineunt, omnes Altmannum in loco defuncti Epiſcopi eligunt. Clerus collaudat, populus conclamat, omnes conſona voce dicentes, Altmannum Epiſcopali honore digniſſimum, quem doctrina & bonitate ſcirent pleniſſimum. Mox mittuntur in obviam viri ex honoratis in Pannoniam, qui virgam paſtoralem & annulum ſponſalem electo deferant, eumque decenti honore ad ſedem ſibi a Deo præparatam deducant. Quo adveniente infinita multitudo utriusque ſexus obviam ivit, paſtorem electum cum magno tripudio excipit. Deinde a Gebhardo Juvavenſi Venerabili Archiepiſcopo conſecratur, & benedictione percepta ad Pataviam reverſus, denuo cum hymnis & canticis ſuſceptus, in Epiſcopali cathedra inthronizatur: & quia hunc honorem a Deo promeruerit, ejus laudabilis vita declaravit. Erat enim doctor veritatis, amator caſtitatis, bonis ornatus moribus, & ideo acceptus erat Deo & hominibus. Clerum monebat ad pudicitiæ amorem, populum docebat Dei timorem, diſſidentes revocabat ad pacis concordiam, largis elemoſinis pauperum relevabat inopiam. Corpus vigiliis & jejuniis caſtigavit, ſpiritum fletibus & precibus humiliavit, & quod alios docuit, in hoc ſe ipſum exemplum vivis operibus præbuit. His, & talibus fulgens virtutibus, factus eſt Deo Kariſſimus, quod ipſe hujusmodi miraculo dignatus eſt declarare omnibus.

6. Erat in eodem oppido Patavienſi quædam femina, cujus filia unica erat leproſa: cui ſæpius oranti, & ſalutem filiæ a Domino inſtanter poſcenti, in ſomnis eſt revelatum, ſi ablutionem manuum Altmanni Epiſcopi poſt Sacramenta Miſſarum acciperet, & filiam ea perungeret, ſanitatem corporis exciperet. Quod dum illa fideliter feciſſet, & filiam aqua ablutionis perunxiſſet; ita a lepra eſt ſanata, quaſi nunquam fuerit a lepra perfuſa.

7. Et quia ſuperius mentio facta eſt Gebhardi Epiſcopi, non eſt ſilentio prætereundum de eo & ſocius ejus, ſcilicet Altmanno Patavienſi, & Adalberone Wirziburgenſi Epiſcopis præſagium. Cum adhuc ſcholares eſſent, & quadam die ad cujusdam fontis fluenta forte panem comeſſuri, ſed non ſaturandi, reſediſſent, ad invicem conludebant, & ſe Epiſcopos futuros pronuntiabant. Gebehardus dixit, ſe in Salzburgenſi Eccleſia Epiſcopum futurum; Adalbero Wirziburgenſis Eccleſiæ ſedem ſe adepturum; Altmannus vero, Patavienſem cathedram ſe poſſeſſurum: quod totum ita probavit eventus. Nam & Gebehardus in Salzburgenſi Eccleſia eſt Pontifex infulatus; & Adalbero in Wirziburgenſi Sede Antiſtes ſublimatus; Altmannus vero in Patavienſi cathedra Præſul ordinatus. Sed & hoc notandum, quod quisque eorum in loco, quem ipſe conſtruxit, requieſcit. Gebehardus namque Cœnobium, quod Admund [1] dicitur, conſtruxit; in hoc ipſe ſepultus requieſcit. Monaſterium Lambach ab Adalberone ædificatur; in hoc & ipſe nunc tumulatur. Cœnobialis vero Eccleſia in monte Kotewic [2] ab Altmanno conſtruitur; in hac & ipſe ſepelitur.

8. Quæ autem in Epiſcopatu præconiis digna fecerit, quas perſecutiones propter juſtitiam a membris Diaboli pertulerit, ſequens ſermo declarabit. Quia noverat ſe ad hoc a Deo ſuper familiam Dei conſtitutum, ut deſtrueret & diſſiparet, & ædificaret & plantaret; in quibusdam locis ſervitium Diaboli deſtruxit; in quibusdam locis ſervitium Chriſti inſtruxit. Inprimis namque in ſuburbio Patavienſi Eccleſiam in honore S. Nicolai ſuper ripam Eni [3] fluminis conſtituit; quam multis prædiis & vineis dotavit: & huic loco præfecit Hartmannum Præpoſitum, Virum omni ſapientia & facundia præditum, qui Rudolfi Regis Capellanus floruit, & Urbano Papæ, ſuisque ſucceſſoribus notiſſimus fuit. Hic Religioſos & Clericos & Laicos ſibi aſcivit, quos communem vitam ſub regula Beati Auguſtini ducere docuit. Hoc modo ædificavit: qualiter autem deſtruxerit, dicemus.

9. Eſt locus in Norico Ripenſi, dictus ad domum S. Floriani. In hoc loco erant Clerici conjugiis & lucris [4] ſæcularibus intenti, negligentes ſervitium Dei. Hos providentia Epiſcopi inde eliminavit, & religioſas perſonas ad ſerviendum ibi Deo congregavit. Porro ipſe locus fertur quondam a *Monachis inhabitatus*, ſed ab Ungaris deſtructus, denuo ab Egilberto Epiſcopo reparatus, Clericis eſt mancipatus. In alio Cœnobio, ſcilicet Sancti Ypoliti, erant Clerici ebrietati, voracitati, libidini & uſuris impliciti, quos Epiſcopus Altmannus canonica cenſura de loco expulit; & religioſos viros pro eis reſtituit: quibus præfecit Engilbertum Præpoſitum, virum omni prudentia & eloquentia præditum. Porro Clerici expulſi furiis comprehenſi, ægre ferentes expulſionis ſuæ opprobrium, ſumptis armis audacter ingreſſi ſunt Monaſterium: fugatis omnibus cellarium fratrum fregerunt, & vinum in terram fuderunt. Quod facinus ſtatim ultio Divina ſecuta eſt: nam omnes in amentiam verſi, avia petierunt deſerti.

[1] *MS. Campil.* Wiſenburc. *Joh. Abb. Lamb.* verſus Wirzburg.

[1] *MS. Campil.* Admunt. [2] *MS. Campil.* Gotewic. [3] *al.* Oeni. [4] *MS. Campil.* curis.

10. Præterea S. Agapiti Monaſterium, quod Greinsmunſter dicitur, erat tunc temporis ſatis magna infamia reſperſum. Nam Monachi illi, jugo regulæ abjecto, ac Monaſtico Ordine relicto, longe præ ſæcularibus ſæculariter viventes, proprietatem habentes, per omnia vitiorum crimina erant inſanientes: detractores, murmuratores, rebelles, protervi, ventri & luxuriæ tantum dediti, & ad omne opus bonum reprobi. Horum Prælati erant voluptatum amatores, Religionis ſpretores, lucris inhiantes, ſubditos in flagitiis ſuperantes. Hi viri peſtiferi ſubſtantiam Monaſterii luxurioſe vivendo diſſipaverunt, demum Sanctuarium Dei igni incenderunt. Hos ſolertia Epiſcopi cum magno labore de loco ejecit; & venerabilem virum Theodoricum Abbatem ibi præfecit: qui Monaſtici tramitis ſectatores de Goize adduxit, quos ſub magiſterio Beati Benedicti per normam regularis vitæ verbis & exemplis inſtruxit. Unde & magnam perſecutionem a rebellibus regulæ ſuſtinuit, quam ipſe patienter tulit, ſciens ſcriptum: Omnes qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem a malis patiuntur. Sed is locus poſtmodum per Adalrammum, virum generoſum & Abbatem prædicandum, tanta religione & honeſtate eſt immutatus, ut cæteris circumquaque Abbatiis, prædiis, ædificiis, libris, picturis & aliis ornamentis ſit prælatus: inſuper & viris litteris eruditis, & artibus egregie peritis inſigniter usque hodie fulgeat exornatus. Poſt hanc deſtructionem inchoavit meliorem ædificationem. In monte quippe excelſo, qui vocatur Kotwich, condidit ſanctæ Dei Genitricis Mariæ decorum habitaculum, in quo ipſe poſtmodum ſepultus, receptus eſt in æternum Dei tabernaculum. Sed qualiter hoc ſit factum, ſuo loco plenius explicabimus.

11. Cum itaque bonus agricola vineam ſummi patrisfamilias excoleret, videlicet ſterilia ſarmenta amputando, botriferos palmites propagando; Patavienſis Eccleſia, imo totum Theutonicum regnum Sacerdotum vita commaculabatur: quia pene omnes publicis conjugiis, ut populares, ubique infames tenebantur. Unde & Apoſtolica cenſura digne indignata, decreta quaque verſum per Eccleſias direxit, viros divinis officiis mancipatos a contubernio feminarum retraxit. Cui cum omnes prono animo obedirent, & ſuos Canonicos, & per villas Presbyteros monitis & minis a conjugibus prohiberent; Altmannus collecto undique fratrum concilio, in ipſo Patavienſis Eccleſiæ gremio, epiſtolas ab Apoſtolico miſſas coram omnibus recitari præcepit, canonica jura propoſuit, conſecratos viros ab uxoribus abſtinere cenſuit. Qui graviter dolentes, ſe aſſueta relinquere, & inſuetis colla ſubmittere, reſponderunt, ſe nec velle nec poſſe hanc conſuetudinem deſerere, quam ab antiquis temporibus conſtaret eos ſub omnibus anteceſſoribus Epiſcopis habuiſſe. Quibus ipſe e diverſo reſpondit, nec ſe velle nec poſſe eis conſentire ad hoc flagitium; unde & ipſe haberet periculum, & illi æternum ſubirent ſupplicium, præſertim cum ſcirent ſcriptum: Non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Sed cum ei nulla ratione aſſenſum præberent, magis autem pravo conſilio de interitu ejus tractarent, ut ſapiens medicus interim conticuit, & ſecretum conſilium cum ſapientibus ſuper hac re habuit. Adveniente autem Feſto S. Stephani, cum plurimi convenirent primates & populi; fortis præliator Chriſti accenſus zelo Dei, tota arma juſtitiæ convertit in ipſam artem iniquitatis, & fortiter aggreſſus eſt debellare impugnatores caſtitatis. Nam coram omni frequentia Cleri & populi aſcendit in ambonem, & publice recitavit Apoſtolicæ Epiſtolæ tenorem; gravi interminationis auctoritate interdicens Canonicis & Presbyteris conjugia, ſecundum Canonum, & Apoſtolica inſtituta. Qui omnes unanimiter furore repleti, jam tunc in præſentiarum Dei famulum furibundis manibus diſcerpſiſſent, niſi Divinum auxilium, & optimatum præſentium præſidium furentibus obſtitiſſet.

12. Ea tempeſtate Quartus Heinricus, filius Heinrici Pii Imperatoris, admodum puer electus in regnum, abſque frænis diſciplinæ pro libitu delicate enutritus fuit, omnium ſeditionum fautor, omnium bonorum acerrimus impugnator. Qui vix adoleſcentiæ metas transgreſſus, totus fertur in præceps ut equus & mulus, curam regni negligens, gulæ & luxui ſerviens, regiam manſuetudinem in tyrannidem commutavit; liberam Dominam, ſcilicet Eccleſiam, ut ancillam ſervituti ſubjugavit, dum omnia jura Eccleſiaſtica more Giezi vendidit; omnia loca replevit luxuria; regnum totum permiſcuit ſanguine, incendio, rapina; Præſules venerandi de ſedibus ſuis eiciuntur, homines abominandi Eccleſiis Chriſti præficiuntur; Principes odiis & inimicitiis inardeſcunt; milites agricolis omnia ſua diripiunt; oritur undique luctus & clamor; regnat ubique metus & mœror.

13. Quo ululatu [1] excitatus, Papa Gregorius [2], vita & doctrina vere Apoſtolicus, eundem Heinricum, non regentem, ſed omnia perdentem, ad audientiam ſui vocavit; renitentem venire, excommunicavit. Hunc talem virum, ab Eccleſia alienum, Patavienſes Clerici, immo jam hæretici, adeunt; horrenda crimina Epiſcopo ſuo impingunt, & totis viribus laborant, ut eum de honore Epiſcopatus deiciant. Quorum querimonia Heinricus flexus, hoſtiliter Pataviam ingreſſus, cuncta loca adulteriis polluit; expulſos ab Epiſcopo bonis ſuis reſtituit. Quo recedente fratres de S. Nicolao, omnia loca pollura ſcopis & aqua benedicta emundaverunt, & inceſtos de loco pepulerunt. Quod factum dolentes fautores Heinrici, Servos Dei violenter extrahunt de Eccleſia S. Nicolai; ac virgis publice cæſos, ut Phariſæi Apoſtolos, de finibus ſuis eiciunt, hæreticos & incæſtuoſos Sancto loco præficiunt. Paſtoribus igitur a furibus & latronibus fugatis, confeſtim Dominicus grex a fævis lupis invaditur, ovile Chriſti in diverſa diſpergitur, ſubſtantia Servorum Dei a raptoribus dividitur.

[1] *MS. Campil.* ejulatu excitus. [2] *id nominis* VII.

Sed

Sed illi rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt, & pro perſecutoribus ſuis oraverunt. Sic Epiſcopalis ſedes Pataviæ, facta eſt ſedes Sathanæ, & Eccleſia fidelium, facta eſt Eccleſia malignantium, & locus, ubi prius erat habitatio Chriſti ſervorum, factus eſt proſtibulum ſcortatorum.

14. Altmannus itaque Deo dignus ſic prævalente iniquitate, de ſede ſua propter juſtitiam ejectus in Saxoniam, ſcilicet patriam ſuam, revertitur: & ibi quaſi in exilio inopia & egeſtate afficitur, ſciens ſe hic non habere manentem civitatem, & ideo futuram patienter inquiſivit per multam tribulationem. Poſt hæc adiit Apoſtolorum limina, exponens Papæ Gregorio cuncta ſuæ tribulationis diſcrimina: Cui etiam Pontificium reddidit, eo quod illud a laica manu ſuſceperit. Apoſtolicus vero ejus condolens caſibus, retinuit eum ſecum per aliquod tempus. Et cum quadam die in Eccleſia poſitus, Altmannum reſtituendum cum Cardinalibus diſponeret, & ipſe humiliter onus Epiſcopatus renueret; ſubito Columba volitans per cuncta loca oratorii, quaſi errabunda venit ſuper caput Altmanni. Quod dum omnes mirati, divino nutu factum crederent, & eum dignum officio Pontificali proclamarent; Papa nil cunctatus, mitram de capite ſuo tollens, capiti Altmanni impoſuit, eumque Epiſcopum, & Romanæ ſedis legatum conſtituit, & auctum benedictione, in propriam ſedem cum gaudio remiſit.

15. Dum Romæ hæc geruntur, interim fautores Heinrici Mogontiæ contrahunt Concilium malignantium: in quo proferunt inauditum omnibus retro ſæculis judicium, Papam Gregorium per omnia Katholicum, ipſi ab Eccleſia abdicati abdicantes, omnesque ſequaces ejus, ipſi damnati ſub anathemate damnantes. Quo facto Gregorius pervigil paſtor Eccleſiæ ab Urbe violenter armis fugatur, ovile Chriſti a ſævis lupis diſſipatur, Wicbertus [1] hæreticus, vir omni ſpurcitia plenus, Apoſtolicam Sedem invadit, qui Sacerdotium profanavit, totum populum & regnum, fædavit. O facinus! Eccleſiæ electi paſtores de ſedibus ſuis perturbantur, lupi rapaces ſubrogantur: quorum factione Præſul Altmannus ſede ſua privatur, Hermannus frater Ducis Liutoldi, Pontificali infula ſublimatur. Super quo facto quale gaudium Diabolus in ſuis membris habuerit, audire licebit.

16. In expulſione ſui paſtoris cantavit Clerus exultans: *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* In ſuſceptione Hermanni invaſoris cecinit lætus: *Adveniſti deſiderabilis, quem expectamus in tenebris.* Quid hic dicendum, vel ſcribendum? Hoc utique, quod Dioniſius Ariopagita ſcribit ad Johannem Apoſtolum, in Pathmos exilio relegatum, dicens: Ut quid ab impiis Chriſtus crudelis [2]; quia in judicio ſeparabit malos a bonis? Nonne multum dolent in eorum cohabitatione, & nimium exultant in eorum ſeparatione? Graves ſunt eis etiam ad videndum; quos timent eis peſſimis viis fore impedimentum. Juſte ergo juſtus judex eos in judicio ab invicem ſeparabit; dum illos ſupplicio, iſtos æterno gaudio mancipabit. Hermannus autem vixit per biennium, & ſic judicio Dei vitam cum infula amiſit: qui tamen dicitur in extremis pœnituiſſe, & induvias [1] ſuas Altmanno Epiſcopo pro abſolutione anathematis miſiſſe. Quo defuncto, quidam Wirziburgenſis Canonicus, Tiemo nomine, indignus Cidari Sedem Altmanni pecunia invaſit, & Epiſcopatum tantum usque ad Aneſim [2] fluvium magis oppreſſit, quam rexit. Altmannus vero in Orientali provincia Clerum & populum Canonice gubernavit, & cœpto operi in monte Kotewich toto anniſu inſtabat. In quo loco dum quadam die Miſſarum ſollemnia celebraret, & quidam Diaconus adventitius, ſiniſtræ famæ, Evangelium lecturus benedictionem ab eo peteret; Epiſcopus eum diutius intuens, ſtolam de collo ejus abſtulit, & alium legere præcepit. Unde patet, Venerando Viro aliquid de eo revelatum, quod aliis fuit celatum. Qui verecundia compulſus, de monte ad Heinricum fugit, peſſimum crimen Epiſcopo & omnibus fratribus impoſuit; ſed ab eo confutatus, peſſima morte periit.

17. Nunc operæ pretium eſt evolvere, ad quam uberem fructum terram ſterilem vomere ſani dogmatis Præſul Altmannus perduxerit, quam incultam, & ſentibus plenam ſuſcepit. Ante ejus adventum omnes pene Eccleſiæ in illo Epiſcopatu erant ligneæ, & nullo ornatu decoratæ; imo ipſi earum Presbyteri, ut ita dicam, lignei erant, quia conjugiis & terrenis negotiis dediti, Divinis officiis penitus ignari, *Miſerere mei Deus* pro Canone, *Attendite* pro Paſſione legebant. Nunc autem ex ejus induſtria omnes pene Eccleſiæ in Epiſcopatu ſunt lapideæ, libris, picturis & aliis ornamentis decoratæ, & quod maximum eſt, caſtis & eruditis Viris bene munitæ. Inſuper tota illa patria crebris cœnobiis Monachorum & Canonicorum refulget, in quibus nocte ac die magna diligentia Divinum officium fervet. Fama quippe ejus opinionis adtraxit ex omni climate ad eum viros ſummæ religionis, quos per diverſa collocans Monaſteria, providit eis vitæ neceſſaria.

18. Erat namque in domo Domini columna marmorea, de qua fertur prædixiſſe Sibilla, cum diſtinxiſſet ſæcula per diverſa metalla ſcribens, domum magnam erigendam, ſeptem generibus columnarum fulciendam: quarum primæ eſſent aureæ, ſecundæ argenteæ, tertiæ æreæ, quartæ ferreæ, quintæ marmoreæ, ſextæ ligneæ, ſeptimæ, quæ & ultimæ, arundineæ. Hoc ipſa quidem in ſpiritu prævidit futurum, ſed nos jam cernimus factum. Magna etenim domus erecta eſt Eccleſia de vivis lapidibus conſtructa, per latitudinem totius orbis diffuſa. Cujus primum aureæ columnæ erant Apoſtoli: deinde Apoſtolorum ſucceſſores, caſtitate &

[1] *MS. Campil.* Wibertus. [2] *deeſt in MS. Mellicenſi. reputatur, ut habet editio Johannis Abbatis Lambacenſis.*

[1] *Sic & MS. Campil. Joh. Ab.* inducias. [2] *MS. Campil.* Aneſum. [3] *In edit. Joh. Abbat Lambac. additur* in.

elo-

eloquentia ut argentum nitentes: æreæ vero columnæ erant Doctores, doctrinæ boatu [1] dulciter ut æs sonantes. Porro ferreæ columnæ erant Martyres, in tribulatione patientes, omnia adversa ut ferrum vincentes. Marmoreæ autem columnæ erant Episcopi, in fide recti, in operibus firmi: ex quibus Altmannus Episcopus, ut varium marmor, diversis virtutibus domum Domini sufful sit, & tempora usque ad finem vitæ verbo & exemplo ornavit. Ligneæ vero columnæ sunt Carnales Prælati, terrenis tantum studiis impliciti: qui a vitiis, ut lignum a vermibus, facile corrumpuntur, & adversis facile franguntur. Arundineæ vero columnæ sunt Simoniaci, qui non intrant per ostium Christum, sed per pecuniam quasi per murum ascendunt; oves mactant & perdunt; non gregem Christi, sed seipsos pascunt; lac & lanam sumunt, & omnia spiritualia cum Simone emunt, cum Giezi vendunt, & ideo sub ædificio Domus Dei ut hirundo subsidunt. Episcopus autem Altmannus machinam domus Dei quatuor principalibus virtutibus, quasi quatuor fulcris sustentavit, quibus sibi commissos, quasi in quadriga de terrenis ad cœlestia sublevavit. Prudentia quippe floruit, dum sibi in futurum vivis operibus providit; fortitudo hunc roboravit, dum minas terreni Imperii non formidavit; justitia se induit, dum errantes ab errore ad viam veritatis reduxit; temperantiæ adhæsit, dum in his singulis modum non excessit. O Virum omni laude prædicandum, omni præconio commendandum! Qui exemplo Christi convertit naturam aquæ in saporem vini. [2]

19. Quadam die præcepit pincernæ, ut sibi in mensa poculum aquæ secreto apponeret; & ne hoc sibi assidentes sentirent, spuma cervisiæ superfunderet. At ille fecit sibi, ut fuerat imperatum, apponens Episcopo aquæ poculum. Sed cum vir Dei ori admovisset aquæ liquorem, invenit optimi, sed insoliti vini saporem. Qui putans, pincernam sibi illusisse, & vinum pro aqua sibi propinasse; mandati sui transgressorem duriter increpavit: sed ipse maximis juramentis se aquam, ut sibi jussum fuerat, apposuisse affirmavit. Episcopus autem divinæ gratiæ opus sentiens, & celare cupiens, conticuit. Sed cœleste munus celari non potuit. Nam pincerna sublatum de mensa poculum, invenit optimum vinum: Qui postmodum in loco nostro factus Monachus, rem ex ordine retulit omnibus. Benedictus Dominus, qui facit mirabilia solus: qui famulum suum hoc facto mirificavit: qui omnes justos ab initio signis & miraculis glorificavit.

20. [3] Alio tempore dum sacro altari Missas celebraturus astaret, contigit ut quidam Dæmoniosus horribiliter in Ecclesia clamaret. Interrogavit Vir Dei, quidnam hoc esset? Respondérunt astantes, hominem ibi atrociter a Dæmone vexari, & vix a multis ligatum teneri. Quem Præsul Deo dilectus jussit ad hospitium pauperum duci, & cibum ei in nomine Domini dari: a quo confestim Spiritus nequam recessit, & homo sanus ad propria rediit.

21. Mira mirandis succedunt, & virum mirandum futuris sæculis ostendunt. Quidam Clericus, Dæmone plenus, est ad eum adductus. Quem Dei homo, continua oratione expulso Dæmone, curavit: peccatum, pro quo diabolo permissus erat, abdicare imperavit, prædicens ei, si peccatum iteraret, dominium diaboli non evaderet, jussitque ut in claustro cum fratribus communem vitam duceret. Pro quo fratres petebant Episcopum, ut eum promoveret ad Presbyteri gradum. Sed venerandus Præsul eis prædixit, quia ei ordinari non expedit, tandem victus precibus fratrum, ordinavit eum Presbyterum, prænuntians ei terribile Dei judicium, si nollet vitare horribile peccatum. Qui per aliquot annos Missas celebrans, & interim interdictum scelus devitans, deinde quasi oblitus Episcopi admonitionem, ut canis reversus ad vomitum, ad pristinam redit consuetudinem; sed eodem momento in se ut prius sævum sensit Dæmonem. A quo iterum sanctus vir immundum spiritum expulit, & penitus eum ab officio altaris submovit, & iterum atque iterum de nefando opere admonens, prohibuit. Qui terrore Episcopi, & recentis timore supplicii aliquanto tempore a peccato abstinuit; sed quia heu! longa consuetudo carnalis concupiscentiæ vertitur in legem naturæ, defuncto Episcopo ad stultitiam suam rediit. Quam dum sæpius iterat, Diabolus (ut scribitur) assumens alios septem nequam spiritus, eum intrat, crudeliter nocte ac die vexat, omnia turpia & nefaria ab eo gesta per os ejus propalat. Quid plura? Impurus homo, qui blandis verbis Episcopi a peccato non vincitur, duris vinculis stringitur, custodia hominum artatur, qui custodiam Angelorum aspernabatur. Tandem in Festo S. Mariæ, in quadragesimali tempore, precibus fratrum a maligno Spiritu eripitur, & post triduum oleo unctus, & corpore Christi munitus defungitur.

22. Alius Clericus erat pessimo Dæmone pervasus, ut vix aliquis sanus insani manus evaderet. Quem Episcopus benedicens, Dæmonem ab eo exire compulit, & hominem sanitati restituit. Unus ex fratribus orationi & veniis valde deditus fuit, unde & periculosum fluxum sanguinis incidit: qui missus ad Episcopum, ab eo meruit benedici, & mox est redditus sanitati. Item alius frater precibus & veniis magno studio intentus, interius totus est confractus: qui simili modo curatus Episcopi benedictione, revertitur cum exultatione.

23. Amabilis Deo Præsul exemplo Christi pro suis quidem inimicis oravit, sed Deus omnes adversarios ejus ut hostes David prostravit. Quidam Comes partis Heinricianæ venit ad Episcopum, promittens ei cum juramento fidelitatis obsequium. Qui forte agmen cornicum conspiciens, sibi imprecatus est, dicens, ut quot cornices cerneret, tot Dæmones animam ejus possiderent, si fidem Altmanno Episcopo promissam

[1] *MS. Mellic. mendose* beati. [2] *apud Joh. Abb. & in MS. Campil. adduntur hæc:* Quod hoc modo traditur factum. [3] *quæ ab hoc Vitæ numero usque ad illa verba, sub finem numeri 25. posita:* Unde Pater pauperum *&c. in Codd. Mellic. & Campil. continentur, omnia desiderantur apud Joh. Abb. Lambec.*

missam non servaret. Sed non multo post rupto foedere pacis, ad Heinricum convertitur, & hostis Ecclesiæ efficitur: quem vinculis anathematis innectit Episcopi animadversio, & continuo sequitur Divina ultio. Nam inopinate circumfusus ab hostibus, multis sauciatur vulneribus, & pene detruncato femore claudicat ut Jacob, immo ut Æneas omni tempore.

24. Quanta autem constantia Altmannus Episcopus Deo dilectus potentes sæculi represserit, quos pertinaciter jura Ecclesiastica calcare sensit, cum nullum de suis propinquis secum habuerit, hoc uno exemplo cognosci poterit. Erat ibi quidam prædives nobilis homo, qui defuncti fratris sui beneficium, quod de Episcopatu habuit, quasi hæreditario jure obtinere voluit; sed Episcopus, jure illius terræ contradicente, ei præstare noluit. Unde ipse magnam injuriam sæpe Episcopo intulit, quam Dei Servus diu patienter tulit; sed justitia exigente compulsus a suis, eum demum mucrone anathematis perculit. Cujus communionem cum quique religiosi declinarent, & primi Orientalis provinciæ ejus consortium devitarent; verecundia cogente, in loco Sancti Yppoliti Episcopum adiit, ante cujus pedes diutissime in profunda nive nudis pedibus jacuit. Qui prius non meruit habere locum reconciliationis, donec villam, quæ Ratolfisdorf dicitur, tradidit in jus Episcopalis dominationis; & sic tandem multis nobilibus petentibus, vix Præsul exoratus, absolvit eum a vinculo excommunicationis. Accepta autem villa mox delegavit super altare Sanctæ Mariæ in Kotwigensi Cœnobio.

25. Interea Marchio Liupaldus [1] coadunatis primoribus sui regiminis in villa, quæ Tulna dicitur, dominium Heinrici tyranni jurejurando abnegat, Altmannum Præsulem magnis laudibus prædicat, omnes fautores Heinrici de sua potestate expellit, omnes Apostolicæ Sedi, & ejus legato obedientes totis armis defendit. Unde Heinricus ira succensus, Marchiam Liupaldi tradidit Duci Boëmiorum, instigans eum ad odium Christi bellatorum. Dux vero animo crudelis, collectis Sclavis & Bawaris, fines Altmanni & Liupaldi hostiliter intrat, cuncta igne & ferro vastat: cui Liupaldus cum omni populo suo in loco, qui Muoriberch [2] dicitur, occurrit, eum, ultra progredi non sinit. Ibi instructa acie, utrimque tubis clangentibus, primitus cum telis & pilis concurrunt, deinde gladios cominus stringunt. Ingens ibi certamen magnis viribus geritur, multus utrimque populus saucius sternitur, tandem occulto Dei judicio hostis victoria potitur. Nostrates victi fugam ineunt, quos adversarii insequentes, passim per campos cædentes sternunt, alios captivos cum præda abducunt, totam terram illam in solitudinem redigunt. Hac infelici strage patrata, magna fames est secuta, quæ reliquias populi consumpsit, qui manus hostium vix evasit. Qua necessitate compulsi, omnes Altmannum adeunt, alimoniæ auxilium petunt. Quibus fidelis dispensator ex intimo corde compatiens, cunctam supellectilem Episcopii sui usque ad ipsum linteamen vendidit, & indigentibus cuncta distribuit: unde pater pauperum est dictus. In monte quoque Kotwicensi multa milia pauperum pavit, in quo monte sæpius cum dilectis spiritualia tractavit. Unde autem tracta sit ethimologia vocabuli hujus montis, paucis pandam Lectori, ut a majoribus accepi.

26. Terra, quæ nunc Orientalis dicitur, quondam a Gothis inhabitata fertur. Quæ gens Martem præ cæteris Diis colebat, eo quod ipsa præ cæteris gentibus bellicosa erat, & ipsa Martem de sua gente originem duxisse memorabat. Hic gladium habuit longe aliis dissimilem, nostræ ætatis inexpertem, arte fabricatum, incredibili chalybis duritia limatum: cui nulla ferri materia obstaret, quin eam ut fragile lignum secaret. Hunc gladium Vulcanus, Græcorum in fabrili arte peritissimus, fertur fabricasse, & Marti Duci Gothorum pro munere obtulisse. Unde fabulose dicitur Mars, Vulcani conjugem amasse, & Vulcanus æneis catenis Martem colligasse: quia & Mars artem Vulcani amavit, & ipse Marti bellica arma subministravit. Qui uterque post mortem in Deum relatus est a sua gente. Hic gladius post multa milia annorum inventus, Attilæ Regi Hunorum traditur, cujus terrore tota pene Europa ejus subditur ditioni. Ab hoc gladio Dux Gothorum primitus Mors est dictus, postmodum o littera in a mutata, Mars est appellatus. Mars autem lingua eorum dicitur Wich: ergo a Gothis & Wich mons vocatur Gotewich, non, ut vulgus dicit, Kœtewich. In hoc monte fertur quidam Dux ejusdem gentis, nomine Gotefrit, habitasse, & ibi Wich, id est Martem Deum coluisse: quod adhuc fossæ & valles testantur, & antiqua ædificia vel idola ibi reperta.

27. Hic mons ab aliis montibus aliquo spatio disjunctus, excelso vertice nubibus pene conjunctus, situ oblongus, forma rotundus; prius silva nemorosus, nunc vineis & pomiferis arboribus consitus; prius lacis, nunc puteis irriguus; prius pascuis, nunc ædificiis inclitus septem Ecclesiis decoratur; quia septem Donis Spiritus Sancti sublimatur. In uno quippe jugo cœlo contiguo gestat Ecclesiam S. Georgii Martyris honore constructam, cui inclusa cum ædificiis suis conjungitur: Aliam [3] in excelsa rupe in honore Sanctæ Erindrudis [4] Virginis erectam, cui habitaculum hospitum copulatur. Tertia in planitie sui in honore S. Mariæ perpetuæ Virginis sustollitur, quæ & principalis cernitur, & octo altaribus insignitur, cui claustrum fratrum connectitur. Quartam in honore S. Benedicti erigit, cui domum infirmorum subicit. Quinta est peribolus in honore S. Johannis Baptistæ constructus, capitulo fratrum conjunctus. Sexta iterum est peribolus in honore S. Nicolai consecratus, præcelsæ [5] turri innixus. Septima in radice montis in honore S. Blasii dedicata, juxta rivulum præterfluentem posita: ubi & est habitatio sororum, & mansio fratrum in pistrino servientium. Et quia nostra congregatio ad

[1] *MS. Campil.* Liupoldus. [2] *MS. Campl.* Moriberch.

[1] *f.* inexperta *ut Joh. Abb.* [2] *MS. Campil.* Wich. [3] *Joh. Abb.* alia in *&c.* erecta. [4] *Joh. Abb.* Gertrudis. [5] *Joh. Abb.* rupi.

octo beatitudines festinat, nunc octava in honore S. Goteliardi ædificat.

28. Hic mons in Norico Ripensi situs, primatum tenet inter montes circumjacentes, amœnitate, jocunditate, fertilitate, salubritate. Et quia [1] Noricum nominavimus, ethimologiam ejus si placet, exprimamus. Bawarii traduntur ab Armenia oriundi, qui cum magna multitudine de finibus suis egressi, hanc terram sunt ingressi, & expulsis Aboriginibus, pro eis habitaverunt, & terram de nomine Ducis sui Bawaro, Bawariam nominaverunt. Hanc post multos dies Norix filius Herculis expugnans, Noricum ex suo nomine vocavit: in qua & civitatem Tyburtinam, quæ nunc Ratispona dicitur, ædificavit. Ripensis autem, quæ nunc Orientalis dicitur, ideo vocatur, quia subductis montibus, ripa Danubii undique vineis & arvis fœcundatur. Sed qualiter hic mons ad tantam profecerit gloriam, paucis expediam.

29. Cum Præsul jam sæpe dictus, & adhuc sæpius dicendus Altmannus quadam die in villa, Mutar [2] dicta, resedisset, & amœnum montem eminus vidisset, inquisivit ab illius loci incolis qualitatem hujus montis. Qui cum ei quædam & pene incredibilia narrarent; inulam suam sterni jussit, & multa turba comitatus, stricto & prærupto calle lætus montem ascendit, quodam, ut reor, præsagio: quia nimirum per artam viam & angustam erant cœlum ascensuri, qui ibidem Deo erant servituri. Itaque toto monte lustrato, cernens locum spatiosum, aptum ad construendum Monasterium, statim fixit ibi tentorium: & succisa silva, quæ tunc temporis ibi densa succreverat, inchoaverat ædificare oratorium. Cumque in ambiguo esset, cujus Sancti honori potissimum attitulari debuisset (aliis consilianti-bus hoc in honore S. Michaëlis dedicari, quia ipse sit Præpositus paradisi; aliis consiliantibus econtra hoc nomini S. Petri attitulari, eo quod ipse sit janitor cœli;) repente & inopinate venit quidam nuntius a Ducibus Boemiorum missus, afferens Episcopo tabulam egregia cælatura pretiosam, in qua imago S. Dei Genitricis Mariæ Græco opere formabatur: quæ adhuc in eadem Ecclesia pro reverentia servatur. Hanc Deo amabilis Pontifex deosculans, quasi missam divino oraculo, incipiens *Te Deum laudamus*, locum protinus assignavit S. Mariæ titulo. Tabulam vero in quercum, quæ adhuc ante altare stabat, suspendit, quoadusque totum opus Basilicæ perfecit. Quæ sublimiter, perfecta, & celebriter dedicata, multis allodiis est ab eo dotata, multis ornamentis ditata. His ita rite celebratis, undique religiosis fratribus congregatis, communem vitam sub regula S. Augustini instituit, locum cuidam prudenti viro Ottoni commisit: qui strenue injunctum sibi officium implevit. Post hunc suscepit regimen Cuonradus Præpositus, cujus superius mentionem fecimus; vir morum gravitate valde honorabilis, & omni morum probitate laudabilis. Hujus & sapientia locus ædificiis & divitiis crevit, prædiis, beneficiis, honestis viris eximie profecit.

[1] *Hæc verba* Et quia *&c. usque ad* qui cum magna *&c. aberant a Cod. Mellic.* [2] *Job. Abb.* Mautern, *ut hodie dicitur.*

30. Extant [1] plures Epistolæ a Romano Pontifice Altmanno Episcopo missæ, ex quibus aliquas huic operi inserimus, alias propter fastidium præterimus. Saxones parti Beati Petri faventes, Ruodolfum Ducem Regem constituerunt, per quem vesaniam Hainrici represserunt. Ruodolfo autem interfecto, festinabant Principes alium Regem pro eo constituere, quo possent gladium Heinrici cervicibus suis impendentem repellere. Quos Papa monet, ne improvide, sed consulte idoneum Regem eligant, qui sibi debito jure obediat, scribens Episcopo Altmanno hoc modo: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri & Coepiscopo Patavienſi Altmanno, & Venerabili Hirsaugiensi Abbati Wilhelmo salutem & Apostolicam benedictionem. Prudentiæ vestræ ex hoc satis gratulamur, quia, sicut oportebat, nuntiare nobis vera studuistis.* Item aliam Epistolam eidem mittit, in qua ei hanc potestatem concedit, ut Presbyteros in fornicationem lapsos, si vere pœnituerint, in pristinum gradum restituat: si negligentes & inutiles fuerint, eos penitus abiciat. Cujus textus talis est: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei; dilecto in Christo fratri Altmanno Episcopo Patavienſi salutem & Apostolicam benedictionem. Interrogavit nos Religio vestra de sacerdotibus in fornicationem lapsis, aliisque criminibus irretitis, consulens, quidnam de illorum gradu foret censendum?* Item aliam Epistolam eidem pro tuenda Ecclesiæ libertate mittit, cujus textus est: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri A. Patavienſi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quia te credo sincero corde amare pro Deo Sanctæ Ecclesiæ honorem & libertatem; volo & præcipio, ut summopere cum Clericis his vel Laicis, qui ad hoc apti videntur, procures, ut sponsa Christi amplius non habeatur ancilla.* Item aliam Epistolam ei mittit, in qua ei rigorem Canonum pro tempore flecti permittit, cujus hic textus est: *G. Episcopus S. S. Dei, dilecto fratri in Christo Altmanno Patavienſi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Ex quo a nobis discessisti, frater Karissime, aliquotiens legatos ex tuo nomine ad nos venisse meminimus.* Item Urbanus Papa mittit ei Epistolam, in qua mittit ei & pallium Tiemoni Archiepiscopo deferendum, suis manibus consecrato, cujus textus hic est: *Urbanus Episcopus S. S. Dei, Karissimo fratri A. Patavienſi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Strenuitatem tuam in Dei rebus, & Ecclesiæ laboribus audientes, in Domino gaudemus: & ideo preces vestras* [2] *in his, quæ contra morem nostræ videntur Ecclesiæ, audivimus &c.*

31. Nunc quem finem vitæ sortitus sit Altmannus Episcopus, breviter explicabimus, ut accepimus. Transactis in Episcopatu XXVI annis, examinatus, ut aurum in camino tribulationis, in villa, quæ Zeizinmure [3] dicitur, febre corripitur, a religiosis viris oleo consecrato perungitur, & sic Dominicis Sacramentis munitus, omnes sibi subditos benedicens, vinculis carnis

[1] *Quæ toto hoc numero* 30. *hic referuntur, deficiunt apud Job. Abb.* [2] *MS. Mellic.* nostras. [3] *Job. Abb.* Zeislmaur, *ut vulgo appellatur.*

lætus

lætus absolvitur: inundo flente, cœlo gaudente, ab Angelis susceptus, in præparatam sibi a Deo mansionem inducitur. Mox rumor circumquaque volitat, obitum amabilis pastoris ovibus nuntiat. Quæ lingua explicare poterit, quantus populus ad ejus exequias confluxerit? Accurrit ad extinctum Præsulem pene tota patria, luctu & planctu replentur omnia. Vix tandem a mœstis Christi sacerdotibus venerandum corpus tollitur, ac multa turba nobilium & plebium comitante, cum magna gloria in montem Gotewich defertur. Ibi occurrit ejulans caterva fratrum, cum magno fletu dans mugitum & ululatum, Karissimum Patrem cum lugubri cantu excipit, turbam pauperum ob memoriam ejus abunde reficit. Fama mox per populos volat, pauperes & divites ad obsequium Episcopi vocat. Omnes dolore percussi certatim ruunt, proceres cum plebibus cursim veniunt. Inter quos reverendæ memoriæ Archiepiscopus Tiemo ab ipso Altmanno consecratus (postea Jerosolimam petens, a paganis martyrio coronatus) ad dilecti amici corpus venit anhelus, lacrimas ubertim cum omni Clero & populo fudit, hostiam laudis pro anima ejus cum omni devotione Deo obtulit; corpus vero cum debito honore in Ecclesia S. Dei Genitricis terræ tradit. Cujus sepulchrum dignatus est Dominus miraculis honorare, per quæ voluit merita ejus populis declarare.

31. Quidam namque Clericus a Dæmone obsessus, multis trahentibus vix ligatus, ad ejus tumulum est perductus. Qui dum omnia clamore & diro fœtore repleret, & fratres obnixe pro eo orarent; subito obsessus corruit, videntibus omnibus scarabeum nigerrimum ex ore evomuit, qui protinus nusquam comparuit: & cunctis fratribus Deum laudantibus, qui advenerat ligatus & insanus, recessit a nexibus corporis solutus, & mente sanissimus. Item quædam puella immundo Spiritu invasa, a parentibus est ad tumulum Beati Viri adducta. Quæ sine mora a Dæmone liberata, recessit cum gaudio sana. Item alia puella per aliquot annos lumine privata, ad sepulchrum Episcopi est illuminata.

33. Quædam mulier habuit filium parvulum a nativitate mutum & claudum. Quem cum illuc deferens, juxta sepulchrum Episcopi posuit, ipsa cum fletu de templo exiit. Post pusillum puer loquelam & gressum recepit, & post matrem incolumis clamando cucurrit. At illa laudavit Dominum in excelsis, qui in Sanctis suis est mirabilis.

34. Quidam miles per sex annos mente captus, ad sepulchrum ejus nescius advenit; sed mente recepta sanus & sciens recessit. Alius homo, curvus, Scabellulis innixus, venit illuc repens; sed incolumis factus, abiit erectus & gaudens. Item quidam toto corpore debilis vix baculo sustentatus, tumbam Antistitis adiit; sed infirmitate per beatum Virum depulsa, baculum deposuit, lætus & sanus abiit.

35. Quodam tempore magna tempestas & sæva venti & turbinis orta montes concussit, tecta domorum, Ecclesiarum & turrium excussit. Qua graviter tonante, & omnia perturbante, quidam frater mente captus in oratorium S. Michaëlis, xx pedum pene altum, ascendit nobis nescientibus, sed interim nocturnales laudes canentibus: de alto lapsus in pavimentum cecidit; sed vivus est sublatus, dicet non diu post victurus. Nam eodem die post olei unctionem, & Sacri Corporis Christi communionem, vitam finivit. Quis dubitet, hoc meritis Beati Viri adscribendum? qui cadenti suppositi intercessionis manum, ne sanguine collapsi hominis pavimentum violaretur, & sic necessitate cogente Ecclesia denuo dedicaretur.

36. Visionem cuidam fratri spirituali divinitus revelatam de Altmanno Episcopo, & Regimaro ejusdem Sedis Prælato, silentio non præteribo. Qui Regimarus tertius post eum Episcopus, vir admodum in sæcularibus peritus, sed in spiritualibus minus eruditus, terrenis inhians, pecuniam undecunque congregans, subito reliquit alienis divitias suas; & nihil invenit nisi miseriam & tenebras. Visio autem erat talis. Videbatur sibi, quod Romæ esset in Concilio, & Episcopus Altmannus cum Coepiscopis sedisset infulatus cultu eximio. Qui consurgens stetit in medio, petens prolocutorem ab Apostolico. Cui cum esset data copia fandi, protulit coram omnibus verba sceleris infandi, dicens, Altmannum Pataviensem Episcopatum in Cœnobiis & parochiis bene dispositum reliquisse; sed Regimarum, sedis suæ invasorem, omnem religionem in eo destruxisse. Ipse autem Regimarus stabat a longe timore perterritus, tristis & pallidus, pannosis vestibus indutus. Itaque Apostolicus super hac re interrogans Episcopos justitiam, accepit ab omnibus damnationis sententiam. Qui eodem anno incidit in infirmitatem, in qua duravit usque ad mortem.

37. Aliam visionem de eo nullo modo silebo, quam multis profuturam spero. Quidam habitu sæcularis, sed fide & actione spiritualis (sive in corpore, sive extra corpus nescio) raptus est ad inferni loca. Ubi vidit multa & intolerabilia supplicia, in quibus multos Principes & mediocres, quos hic cognovit, vidit: a quibus multa audivit; quæ nobis postea retulit, scilicet pro qua culpa essent, & pro qua culpa ibi essent. Deinde ductus est in campum florum odore & luce clarissimum, milibus lætantium plenum. Erat mons marmoreus, omni amœnitate conspicuus, in quo affirmabat se vidisse Gotewigense Monasterium, permaximo splendore coruscum. In quo vidit cum fratribus, quos hic cognovit, summa vultus & habitus honestate fulgidum, multa cum eo locutum. Eodem schemate & Sigiberch cum Annone Episcopo, & suis fratribus vidit, a quibus multa mandata accepit, quæ postea reversus retulit.

38. Jam videtur, ut suspensis auditoribus promissum solvam & qualiter Canonica Vita

1 *Addit Joh. Abb.* anno Domini millesimo nonagesimo primo, Sexto Idus Augusti, & sic obiit Altmannus Venerabilis ac beatus. 2 *Hic desinit editio Joh. Abb. Lamb.*

1 *Videtur decesse* Altmannum Episcopum. 2 *MS. Campil. addit* tempus esse.

in Monachicam professionem permutata sit. Tempore Venerandi Præsulis Altmanni venit in montem Gotewich quidam Presbyter religiosus, natione Scottus, professione Monachus, nomine Johannes: quem Episcopus ob religionem vitæ valde dilexit, & eum juxta Ecclesiam S. Mariæ Inclusum fecit. Hic verbo & exemplo multum loco profuit. Defuncto Episcopo venit inimicus homo, qui super bonum triticum ab Altmanno seminatum, seminavit Zizaniia, & bonam famam fugavit de monte infami infamia. Viri namque impudici, de locis suis aut expulsi, aut fugitivi, in Gotewich propter rerum inopiam confluxerunt: qui sub obtentu religionis, quam specie tenus prætulerunt, susceptí sunt. Horum infandis actibus cœpit locus infamari, & a gloria prioris status valde obfuscari. Cumque indies infamia longius & latius crebresceret, & non modo claustralis religio, sed ipsum vulgus montem abhorreret; eidem Johanni Incluso Altmannus Episcopus in somnis infulatus apparuit, ut locum de cæno purgaret, & ut fætorem stercoris de monte extraheret [2], admonuit. At ille visionem intelligens, & Præposito fratrum rem aperiens, jussit turpes de monte eici; deceptos vero ab eis præcepit pœnitentiæ subici. Qui cum infamiæ notam non possent effugere, cogitaverunt omnes locum relinquere. Quo comperto Johannes dedit consilium, ut mutarent habitum, & sic evaderent tam infamis facti opprobrium. Fit consensus omnium, eligitur professio Monachorum. Mox Cuonradus Præpositus hujus rei gratia mittitur Romam, ut ab Apostolico impetrarent hujus permutationis licentiam. Qua impetrata cum gaudio remeat, Udalrico bonæ memoriæ Episcopo, Altmanni successori, consensum Romani Pontificis nuntiat, consilium suum super hoc negotio postulat. Cujus consilio Hartmannus, cujus superius mentionem fecimus, Abbas eligitur, cujus religionis & eloquentiæ fama ubique divulgabatur: qui tunc temporis in Monasterio S. Blasii Prioratus officio fungebatur. Huic Hartmanno, ut ipse post fratribus retulit, Episcopus Altmannus in eodem loco S. Blasii in somnis apparuit, virgam pastoralem ei tradidit, locum Gotwicensem commendavit.

39. Igitur Hartmannus cunctis flentibus de S. Blasio, cum religiosis viris ad Gottewic proficiscitur: ibi ab omnibus favorabiliter excipitur, ab Udalrico Episcopo Abbas præficitur, sub quo omnes Monachicum habitum sumunt, S. Benedicti Regulæ colla devoti submittunt. Fit magna lætitia in populo, dicentes: Quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi.

40. Hartmanni exhortatione multi nobiles relicto sæculo, ad Deum convertuntur, multa prædia & beneficia per eum Monasterio conferuntur. Hic honorem loci ædificiis, libris, picturis, palliis, & religiosis Viris ampliavit, & tempora sua honestate & probitate perornavit. Erat enim summo religionis studio deditus, prudentia tam sæculari quam spirituali eximie præditus, copiosa disertus eloquentia, morum exuberans elegantia. Unde Principibus totius regni erat acceptissimus, & ipsi Regi Hainrico V. familiarissimus: qui & eum in Archiepiscopatu Juvavensi sublimare disposuit; sed zelus Udalrici Pataviensis Episcopi eum prohibuit, qui eum sibi in dignitate præferri doluit. Rex tamen eum in regali Abbatia Campidonensi præfecit, & Episcopus Augustensis eum Abbatiæ S. Udalrici prætulit, nec non & Dux Karinthiæ Abbatiam S. Lamperti ei commisit. Præterea Papa Urbanus eum valde familiarem habuit, eumque Gebelhardo [1] Constantiensi Venerabili Episcopo in Apostolica legatione adjutorem constituit, cui & hanc Epistolam misit: *Urbanus Episcopus* &c. Sed & ipsi Hartmanno hanc Epistolam misit: *Urbanus Episcopus Servus Servorum* &c. Item Paschalis [2] Papa litteras ei mittit, in quibus eum, & sibi subditos a communione excommunicatorum prohibet, quarum textus hic est: *Paschalis Episcopus S.S. Dei, Karissimis fratribus H. Abbati Gotwicensi, & ejus congregationi salutem & Apostolicam benedictionem. Cœlum & terra transibunt, verba autem Dei non præteribunt. Ipse enim prædixit, quod cernimus; quod quotidie experimur: Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Uterque autem Papa dedit ad Kotwicum privilegia, quæ usque hodie servantur in ipsa Ecclesia: quæ etiam Imperator H. suo chirographo firmavit, qui & ipse quandam insulam ob Hartmanni petitionem S. Mariæ delegavit.

41. Ex hujus discipulatu sunt multi Abbates in diversis locis constituti, qui omnes vestigia magistri in virtutibus ejus sunt secuti. Inter quos discipulos Regis H. filius claruit, qui ad Episcopatum Spirensem electus fuit; sed morte præventus apicem regiminis minime obtinuit. Erant sub eo & alii Viri prædicandi, ingenio & artibus prædíti, Scriptores, pictores, sculptores, fusores, & aliis artibus præclari. Hic abbas quodam tempore passus est gravem capitis dolorem, cui Altmannus Episcopus in somnis apparuit, quid pateretur, inquisivit. Qui caput sibi dolere respondit. Episcopus vero blanda manu caput ejus tetigit, & continuo dolorem depulit; Abbas autem ut evigilavit, nullum dolorem sensit. Cum Domnus Hartmannus regimen Campidonensis Monasterii tenebat, interim nobilis frater, Erchinfridus nomine, Abbatiam in Gotewic, ex consensu Hartmanni, & Udalrici Episcopi, & electione fratrum, regebat. Hic primitus laicus in armis vivens deinde sæculum relinquens, litteras studiose didicit, & usque ad nomen Abbatis pervenit: qui & ipse bona Monasterii in multis auxit.

42. Hartmannno autem obeunte, quidam ex fratribus, Nanzo nomine, regimen Abbatiæ suscepit, qui prius per plures annos Prioratum tenuit, vir admodum providus, gravis moribus, in sæcularibus & spiritualibus peritus. Hic etiam locum pluribus libris & ædificiis honestavit,

[1] *Supple ex MS. Campil.* evolvam, tergeret. [2] *MS. Campil.* ex-

[1] *MS. Campil.* Gebehardo. [2] *MS. Mellic. perperam* Paschasius.

ſtavit, & gregem commiſſum bonis exemplis illuſtravit.

43. Poſt hunc Cuſtos Eccleſiæ, Chadehoch nomine, ex liberiore genere natus, omnium fratrum electione, & Regimari Epiſcopi (Udalrici ſucceſſoris) conſecratione eſt Abbas ordinatus. Qui & ipſe nihilominus Eccleſiam libris & velis & aliis ornamentis venuſtavit, prædiis, vineis, poſſeſſionibus ſatis locum ſublimavit.

44. Quo decedente, ſucceſſit Gerhohus, Vir nimiæ manſuetudinis & humilitatis, genere clarus, ſcientia præditus, moribus gratus. Hujus temporibus in expeditione Jeroſolimitana obiit Dominus Reginbertus Patavienſis Epiſcopus: cui ſucceſſit in Epiſcopatu filius Liutpaldi Marchionis Cuonradus. Hic ſecundo ordinationis ſuæ anno, ſuggeſtione quorundam fratrum, nomen & locum Abbatis appetentium, multis eundem Abbatem injuriarum moleſtiis afflixit, regimenque ſuſceptum A deponere coëgit. Videns enim ipſe Abbas, Epiſcopum ſibi nimis infenſum, & infeſtum, quia erat Vir magnæ humilitatis & manſuetudinis; majori ceſſit, nomenque Abbatis & curam Epiſcopo reſignavit. Obiit autem eodem depoſitionis ſuæ anno, fratribus, quorum inſtinctu depoſitus fuerat, multis tribulationum & infirmitatum doloribus & æruminis; Domino illis vicem reddente, poſt mortem ſuam afflictis. Epiſcopus vero, ex Miniſterialibus Ratisponenſis Eccleſiæ Werherum [1] conſtituit Abbatem, ætate juvenem, ſcientia clarum, morum honeſtate & probitate decoratum. Hic quorundam malivolorum Diabolicis conſiliis occiſus, quia immatura morte præventus [2], nihil dignum memoria facere potuit, niſi quod regularis tramitis normam in aliquibus dilapſam reformavit, quantum valuit.

[1] *MS. Campil.* Wernherum. [2] in *MS. Campil. additur* eſt.

ALIA VITA BEATI ALTMANNI EPISCOPI PATAVIENSIS.

AUCTORE RUBERTO ABBATE GOTTWICENSI.

EX MS. COD. INSIGNIS MONASTERII CAMPILILIENSIS, ORD. CISTERCIENSIS, COLLATO CUM COD. MS. INCLYTI COENOBII B. V. MARIÆ SCOTTORUM VIENNÆ, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ALtera hæc Beati Altmanni Patavienſis Epiſcopi Vita auctorem habet Rubertum Abbatem, ut ex inſcriptione Prologi, qui in Codice manuſcripto Cœnobii Campililienſis eidem prætexitur, primum cognovimus: ſic enim ibidem habet inſcriptio: *Prologus Ruberti Abbatis in Vitam Sancti Altmanni Epiſcopi Patavienſis.* At vero cujus Monaſterii Abbas Rubertus hic fuit? an Gottwicenſis? Ita certe ſtatuimus, illis maxime Prologi verbis perſuaſi: *Itaque ſi leproſi, qui habitant in portis Samariæ, ſemetipſos arguunt, ſi diem boni nuntii taceant civitati: multo magis nos arguendi, & incredulitatis & ingratitudinis peccato erimus notandi, ſi Eccleſiæ Chriſti tantas Dei laudes, tanta hujus Sancti præconia, tantum apud nos repoſitum theſaurum invideamus vel abſcondamus.* Hujus tanti *Theſauri* nomine, quem apud ſe ſuosque repoſitum ſcribit Rubertus, utique ſacrum Altmanni corpus idem Auctor affecit: alio enim hæc verba, niſi a Scriptoris mente vehementer abeat, nemo facile traxerit. Atqui ſatis conſtat, mox memoratas Beati Altmanni exuvias jam inde ab anno 1091. in Cœnobio Gottwicenſi conditas, ibidem in hunc usque diem religioſiſſime adſervari, & quotannis per ejusdem Beati feſtivitatis Octavam publicæ devotioni fidelium exponi. Gottwicenſis igitur, non alterius cujuspiam Cœnobii Abbas fuit Rubertus: nec diverſus ab illo *Roberto* itidem Abbate, quem Wolff. Lazius Comment. Reip. Rom. lib. XII. pag. 1104. Vitæ iſtius Altmannianæ Scriptorem facit; quanquam loci nomen, cui is præfuerit, Lazius diſſimulet. Exemplar manuſcriptum, ex quo præſentem Altmanni Vitam publicavit V. C. Seb. Tengnagelus, omni prorſus Auctoris nomine deſtitutum erat, ut idem in præfatione ad hæc Altmanniana Acta in *Veteribus Monumentis* contra Schismaticos adfirmat. Neque obſtat, nullum in Gottwicenſium Abbatum manuſcripto, nullum in vulgato Catalogo reperiri *Rubertum*, ſed potius *Rudmarum* quendam,

qui in citato Catalogo MS. viginti ſex annis Gottwicenſem Abbatiam tenuiſſe memoratur. Nam vel binomius Abbas iſte fuit, vel Auctor Catalogi memoria fortaſsis lapſus, pro *Ruberto Rudmarum* expreſsit.

II. Porro Rubertum, Robertum ſeu Rudmarum Abbatem in concinnandis Beati Altmanni Actis, Anonymi Gottwicenſis lucubratione ſuperius exhibita uſum fuiſſe, fidem faciunt illa Prologi verba: *Conabor quamobrem*, inquit Rubertus, *veſtris victus & adjutus precibus, Reverendi Domini & fratres, ſcribere aliquid de Vita & Miraculis tanti Pontificis, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, quæ mihi nulla eſt, & quam ego cum Apoſtolo ſtultitiam novi fore coram Deo; ſed ſermone ſimplici, ſimplici & pio proponam Lectori, quidquid ex antiquioribus quibusdam ſcriptis recentique memoria vos, filii veritatis, indicaveritis & aſtruxeritis.* Ubi nomine *Antiquiorum Scriptorum* Rubertum deſignaſſe Altmannianam Anonymi vitam, conſtabit omni, quicunque utrorumque ſcriptiones inter ſe accurate conferet. Et licet mox ſubjungat idem Auctor, haud ſcripturum ſe quæ ad rem non pertinent, neque amplificandi cauſa a narratione longius digreſſurum; temperare ſibi nihilominus non potuit, quin rem perſæpe moralibus digreſsionibus ac ſententiis amplificaret & exornaret, ut in variis Vitæ iſtius locis videre eſt. Poſtremo Miraculorum, quæ a num. 22. ad finem usque Rubertus enumerat, meritis & ſuffragio Beati Altmanni patratorum, oculatum ſe teſtem fuiſſe, ſub initium prædicti numeri viceſimi ſecundi ipſe declarat.

III. De Ruberto, Vitæ Beati Altmanni Scriptore, perpauca Veteres memoriæ prodiderunt. In manuſcripto Gottwicenſium Abbatum Catalogo, qui ab Hartmanno primo loci Præſule usque ad Michaelem Herrlich Profeſſum Mellicenſem, id eſt ab anno 1094. usque ad 1604. pertingit, hæc tantum de eo referuntur: *Rudmarus Abbas annis* XXVI. Qui numerus ſi cum annis, quibus ex præcitato Catalogo Ruberti ſeu Rudmari deceſſores ad Hartmannum usque Gottwicum rexerunt, conferatur; facile conſequitur, eum ab anno 1173. usque ad 1199. Præfecturam Gottwicenſem adminiſtraſſe. Ex his conficitur, Rubertum Abbatem floruiſſe quidem principatu Leopoldi id nominis Sexti Auſtriæ Ducis, cognomento *Virtuoſi*, qui ab anno 1178. vel 1177. usque ad 1195. rerum in Auſtria potitus eſt; at hic neque Leopoldi *Sancti* ſeu *Pii* filius, nec illius Leopoldi nepos fuit, quo *annuente Altmannus Epiſcopus in Orientali provincia Clerum & populum ſtrenue gubernavit*, ut cenſuit Tengnagelus illis Auctoris noſtri verbis (quæ quidem in codice Campililienſi deſunt, atque adeo merum gloſſema videntur) in eam ſententiam inductus: *Sanctus vero Præſul, annuente pio Principe Marchione Luipoldo, hujus Leopoldi, qui hodie principatur, avo* &c. Nam ſi Leopoldus ille, cujus ætate poſteriorem Vitæ Altmannianæ ſcriptorem vixiſſe opinatus eſt Tengnagelus, Leopoldum *Pium* ſeu *Sanctum* patrem, & Leopoldum *Pulchrum* avum habuiſſet; is nequaquam *Sextus*, ſed *Quintus* dicendus fuerat Tengnagelo. Siquidem mox dictum Leopoldum non niſi quatuor ejus nominis Auſtriæ Marchiones præceſſerunt, videlicet Leopoldus *Illuſtris*, Leopoldus *Fortis miles* idemque filius Adalberti, Leopoldus *Pulcher*, Leopoldus *Pius* ſive *Sanctus*, & ejusdem denique filius Leopoldus, cognomine *Largus*, qui ab anno 1136. usque ad 1141. (aliis 1142.) Auſtriam gubernavit. Itaque Leopoldus, ſub quo verius floruit Rubertus Abbas, non Leopoldi *Pii*, ſed Heinrici Primi Ducis Auſtriæ filius, neque Leopoldi *Pulchri* nepos, ſed pronepos dicendus eſt. Quæ omnia cum ex Veteri

Melli-

Mellicenſi, tum Clauſtro-Neoburgenſi, aliisque vetuſtioribus Auſtriæ Annalibus abunde conſtant. Quod vero de recentiori iſto Beati Altmanni encomiaſte pronuntiavit Tengnagelus, eum nimirum Leopoldo *Largo*, ſeu Leopoldi Sancti filio, coævum extitiſſe; id rectius convenit Anonymo Gottwicenſi, priori ejusdem Altmanni laudatori, ratione temporum fere congruente. Siquidem (ut ſupra monuimus) Leopoldi Sancti filius cognominis ſeu *Largus* Auſtriæ ab anno 1136. usque ad annum 1141. ſive 1142; Chorhochus vero, ſub quo ſcribendis Altmanni geſtis inſudavit, Anonymus Gottwicenſis, ab anno 1125. ad 1141. Cœnobio Gottwicenſi præfuerit.

IV. Alteram hanc Beati Altmanni Vitam V. C. Sebaſtianus Tengnagelus ex codice manuſcripto Cæſareæ Vindobonenſis, ut par eſt credere, Bibliothecæ, cujus curam magna cum nominis ſui exiſtimatione geſſerat, primum in lucem vindicavit, ſed ſine certi Auctoris nomine: intexuitque collectioni ſuæ typis evulgatæ Ingolſtadii anno 1612. quam *Vetera Monumenta contra Schismaticos jam olim pro Gregorio VII. S. P. &c. conſcripta* nominavit. Eadem Acta in membranis manu Sæculi decimi tertii deſcripta, reperimus in Bibliotheca celeberrimi Monaſterii Campililienſis, Ordinis Ciſtercienſis in Auſtria Inferiori, cum veteres illius manuſcriptos codices anno 1716. ſedulo perluſtraſſemus, conceſſu & humanitate Reverendiſſimi Domini Chryſoſtomi, Præſulis Campililienſis laudatiſſimi. Qui cum reliquo ſuo Religioſiſſimo cœtu permultis magnisque nos favoribus & gratiis cumulavit, rogatuque noſtro prædictum codicem per Admodum Reverendum & Religiosum D. P. Gerardum, tum Bibliothecarium & Suppriorem, nobiscum communicare dignatus eſt. Ex quo ſequentem Beati Pontificis Paſſavienſis Altmanni Vitam, a nobis accurate tranſcriptam, Lectori dare nunc juvat.

V. Cum alteram hanc Beati Altmanni Vitam ex MS. Codice Campililienſi jam pridem tenerem deſcriptam, nec Tengnagellianam editionem (quippe qua alicubi viſa tantum ad tempus aliquod uti non licuit) ad manus haberem, ad quam eam exigerem; ſuggeſſit Reverendus P. Bernardus Pezius germanus meus, ejusdem Altmannianæ Vitæ manuſcriptum exemplar etiam in Bibliotheca inſignis Cœnobii B. V. Mariæ vulgo ad Scottos Viennæ Auſtriæ ſupereſſe, conſuluitque, ut, quando nulla Tengnagelli copia eſſet, ſaltem Campililienſem Codicem cum Scottenſi accurate conferrem. Opportunum itaque fratris conſilium ſecutus, ſine mora litteris Admodum Reverendum noſtrum D. P. Philibertum Hueberum, Tabularii Mellicenſis pluribus jam annis in urbe Viennenſi curam gerentem, conveni, eumque multum rogavi, ut prædictum exemplar Scottenſe ad me quamprimum perferendum curaret. Quod ille pro ſingulari ſua in me humanitate, indefeſſoque res noſtras juvandi ſtudio ſtrenue celeriterque exſecutus, codicem MS. ab Admodum reverendo D. P. Æmiliano Danelli Bibliothecario Scottenſi facile impetratum Mellicum transmiſit. Igitur mox omnibus diligenter curioſeque inſpectis, codicis hujus membranei ætatem ad ſæculum decimum tertium proxime accedere, nulloque Auctoris nomine inſignitum eum eſſe deprehendi. Inſtituta deinde accurata utriusque inter ſe collatione, animadverti in Scottenſi permulta deſiderari, quæ omnia ſuperant in Codice Campililienſi, nec raro inter ſeſe diſcrepare; quemadmodum hæc omnia ex noſtris annotationibus variisque lectionibus, quas ad marginem adpoſuimus, Lector ipſe perſpiciet. Sed hæc hactenus, jam ipſam tandem Altmanni vitam exhibeamus,

beamus, ea præfixa inſcriptione, quam Codex MS. Bibliothecæ Campilienſis præferebat.

PROLOGUS RUBERTI ABBATIS IN VITAM S. ALTMANNI EPISCOPI PATAVIENSIS.

COnditor ac Gubernator rerum univerſarum, de quo Scriptura teſtatur, quod præcipit ſoli, & non oritur, & claudit ſtellas ſub ſignaculo, ipſe ad temperandam hujus noctis caliginem, quæ noſtris temporibus profundior inhorruit, ea luminaria, quæ poſuit in firmamento ut luceant ſuper terram, nonnunquam effulgere, & quæ dudum ſibi tantum intus luxerunt, cum jocunditate etiam hominibus clementer facit innoteſcere. Inter quæ ego non immerito numerarem Beatum Altmannum Patavienſis Eccleſiæ venerandum Antiſtitem, qui poſt occaſum hujus mortalis vitæ inter ſidera cœli collocatus, tam crebro nobis deſuper novo micat ſplendore, videlicet in virtutibus & ſignis, quæ per eum operatur mirabilis in Sanctis ſuis Deus, ut non incongrue ad eum Beatum Job dixiſſe judicem: *Cum te conſumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Ad ejus enim merita declaranda fugiunt dæmones, paralytici curantur, illuminantur cæci, & contracti reſtituuntur, & variarum pelluntur damna incommoditatum. Erisne ergo o præſens ætas adeo cæca, ut tanti luminis claritas, quo Deus illuſtrat & mirificat Sanctum ſuum, ingratos oculos tuos non perſtringat? non conterat? non ad ſe intendere faciat? Dixerit huc usque generatio prava & exaſperans: *Signa noſtra non vidimus, jam non eſt Prophetа.* En qui facit nobiſcum ſignum in bonum, & conſolatur nos per merita famuli ſui, innovat ſigna, & immutat mirabilia usque ad diem hanc. Ergone dubitabis de Viro hoc o incredule, quod ipſe non introierit in potentias Domini, qui tam potenter adeſſe non tardat ſupplicibus ſuis? non quidem audis vocem, umbram non vides, manum non ſentis, ut quondam in Apoſtolis ægri [2] audiebant & videbant; & tamen ſentis beneficia, & ad invocationem ejus priſtina gaudes incolomitate. Crede apud Deum vivere, & apud eum plurimum poſſe, quem tibi tua ſanitas etiam probat inviſibiliter affuiſſe. Proinde crede, Sanctum prædica probatum, qui jam non ſe, ſed quem Deus commendat: quia [3] jam non de ſe ipſo teſtimonium dicit, ſed cui dant teſtimonium tres, qui ſunt in cœlo, Pater & Filius & Spiritus S. Itaque ſi leproſi, qui habitabant in porta Samariæ, ſemetipſos arguunt, ſi diem boni nuntii taceant civitati: multo magis nos arguendi & incredulitatis atque ingratitudinis peccato erimus notandi, ſi Eccleſiæ Chriſti tantas Dei laudes, tanta hujus Sancti præconia, tantum apud nos repoſitum theſaurum invideamus, vel abſcondamus. Conabor quamobrem veſtris victus & adjutus precibus, Reverendi Domini & Fratres, ſcribere aliquid de Vita & miraculis tanti Pontificis, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, quæ mihi nulla eſt, & A quam ego cum Apoſtolo ſtultitiam novi fore apud Deum; ſed ſermone ſimplici, ſimplici & pio proponam lectori, quidquid ex antiquioribus quibusdam ſcriptis recentique memoria vos, filii veritatis, indicaveritis & aſtruxeritis. Scribere autem quæ ad rem non pertinent, & amplificandi cauſa a narratione longius digredi, nec vos petitis, nec ego ſpondeo. Spondeo vero, ſi quid in his [1] corrigendum, mutandum, aut tollendum æſtimaveritis, id æquum non mihi turbare animum: quippe qui nec amicis, quorum oculi non ſunt columbarum, ſed aquilarum, hæc carpenda nego; pro quibus nullam quæro gloriam, ſed vobis tantum debitam exhibere obedientiam, & ejus, de quo ſcribimus, B apud Deum interceſſionem & miſericordiam.

VITA INCIPIT.

1. Beatus igitur Altmannus, de gente Saxonum oriundus, nihil tamen ferum aut ſaxeum ab illa deduxit natione; ſed tanquam gemma pretioſiſſima, quæ ex auro fulgentior nitet, ſic ille claris parentibus in omni bonitate & claritate [2] & honeſtate clarior effulſit. Qui liberalibus traditus ſtudiis, eo intus aſpirante & docente, qui docet hominem ſcientiam, tam Divinis quam Philoſophicis elegantiſſime inſtitutus eſt diſciplinis. Et licet nonnullos ſcientia hæc inflet; hunc tamen Virum illa non inflabat, ſed ornabat & commendabat. Longe fuit alter ab his, qui plus ſapiunt, quam oporteat ſapere, qui faſtu ſcientiæ ſuæ ſpernunt ſimplices, & conculcant humiles. Alioquin niſi humilibus aſſenſiſſet, & nequaquam alta ſapuiſſet, quomodo intraſſet in eum Spiritus ille, qui Sanctarum ſcientiarum Dominus eſt: cum non requieſcat niſi ſuper humilem & quietum & tremientem verba ſua? Unde etiam ſecundum ejus ſententiam, qui dixit, quod humilem Spiritu [3] ſequatur gloria, dignus habitus eſt exaltari, qui tam prudenter apud ſe didicerat humiliari. In Eccleſia ergo, quæ dicitur Paderbrunnen, non ſolum Canonicus, verum etiam ad regimen delectus, & multis annis aſtrictus eſt. Creſcente vero tanti Viri fama, conſequenter crevit & gloria. Quare in illa nobili Eccleſia Aquisgrani, quæ longa jam antiquitate ſede Teutonici decoratur regni, Canonicorum Præpoſitus meruit ſublimari. Eo quoque in tempore, in palatio Heinrici Tertii Imperatoris, in rebus agendis fidelis & prudens inventus eſt. Puto, quod Deus tunc experiebatur in famulo ſuo, an dignus eſſet futurus, cui quid [4] majus crederetur, ſi in eo, quod minimum eſt, fidelem ſe probaſſet. Defuncto itaque Imperatore, in ipſo tamen probata fidelitas defuncta non eſt, quam infatigabiliter ſerva-

[1] *MS. Scottenſe addit* quaſi. [2] ægri *deeſt in MS. Scottens.* [3] *MS. Scottens.* qui.

[1] *MS. Scottens. addit* ſcriptis. [2] *deeſt* claritate *in MS. Scottenſi.* [3] Spiritu *deeſt in MS. Scottens.* [4] *MS. Scottens.* quod majus erat.

vit Agneti Imperatrici inter turbines caſuum diverſorum, quibus tunc miſerabiliter confundebatur Regnum & Sacerdotium.

2. Ea tempeſtate nonnulli nobilium amore & deſiderio Jeruſalem cœleſtis, quæ ſurſum eſt, & quæ libera eſt, hanc terrenam Jeruſalem, in qua Redemptor humani generis opus noſtræ ſalutis, & quod dedit ei Pater ut faceret, miſericorditer conſumavit, aggreſſi ſunt inviſere; & exemplo Sanctarum mulierum; quæ quondam cum aromatibus, etiam ipſi [1] cum odoramentis votorum ac precum ſuarum locum adire & videre, in quo poſitus erat Dominus. Quis opinari audeat diverſarum civitatum Pontifices; Viros prudentia & nobilitate inſignes; ſummos honores, patriam, cognatos, divitiasque contempſiſſe, pro quadam vulgari opinione, quaſi dies extremi inſtaret judicii, eo quod Paſcha in illo anno celebrandum occurrit VI. Kal. Aprilis, quo videlicet inſcribitur Reſurrectio Chriſti? Ego magis putaverim pia devotione permotos, aut crebreſcentibus undique malis conturbatos, laborem hujus peregrinationis arripuiſſe: & quod decebat Sapientes & religioſos, dies malos potius inſumere voluiſſe in reddendis votis Domino Deo ſuo, quam ſine omni fructu in talium temporum periculo converſari. Fuerunt in hac multitudine viri præcipui Sifridus Moguntienſis Archiepiſcopus, & Guntherus Babinbergenſis Epiſcopus, & cum eis viri nominati tam Clerici quam laici. His quoque Sanctus Altmannus cum pluribus honoratis de palatio Comes actus est. Igitur ingreſſi iter propoſitum, inciderunt in latrones. Inimici namque Crucis Chriſti, eorum cooperatores & Socii, de quibus David conqueritur: *In via hac*, inquiens, *qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*, inſidiis eos circumvenientes, complures eorum deſpoliaverunt, vulneraverunt & peremerunt. Docemur certe hic, non modo deſcendentes a Jeruſalem in Jericho pericula pati latronum; verum nihilominus aſcendentes ab Jericho, id eſt, ab hoc mundo in Jeruſalem, non ſolum inviſibilium, ſed etiam viſibilium inſidias ſuſtinere inimicorum. Utrorumque inſidias & laqueos conſiderans Sanctus, confitetur & dicit: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe eripuit de laqueo pedes meos.* Et iterum de Domino dicit: *Ipſe liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aſpero.* At viri virtutis, quorum erat in timore Domini fiducia fortitudinis, rebus adverſis fortiores per damna & ludibria atque verba, quibus eos crudeliter & multipliciter affecit ſæva barbaries, tandem Jeroſolimam pervenerunt: ubi reddentes Domino vota, quæ diſtinxerunt labia ſua, & viſitatis debita veneratione locis, in quibus Dominus ac Salvator noſter in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, & præcipue loco Paſſionis ejus & Reſurrectionis atque in cœlos Aſcenſionis (quia non habebant ibi manentem civitatem, ſed futuram inquirebant) patriam quam liquerant, reviſere, & exinde ad patriam cœleſtem transmigrare communibus votis optaverunt.

3. In Pannoniam vero pervenientes, cum in Caſtro, quod noſtra lingua Wizzenburc appellatur, demorantur; Guntherus Venerabilis Epiſcopus de hoc ſæculo migravit ad Dominum, auditurus, ut ſperamus, illud *Euge* ſervi boni [2], qui pro apportato & multiplicato talento vocatur intus in gaudium Domini ſui. Defungitur etiam eodem tempore Eigelbertus Patavienſis Epiſcopus, illis admixtus in cœlis, quorum dignitate adornatus eſt in terris. Poſt cujus exceſſum, collato invicem conſilio, favente Agnete Imperatrice, nec minus regni optimatibus, omnium pari Conniventia [3] Beatus Altmannus in locum defuncti in Patavienſi ſede Epiſcopus denominatus eſt. Adplaudit Clerus, populus congaudet, & nemine diſſentiente, hunc Pontificalibus inſulis digniſſimum adprobant, quem decus gentis, vitæ ſanctitas, ſanitas doctrinæ, & teſtimonium commendaret famæ inviolatæ. Mittuntur [4] in obviam viri honorati, qui virgam paſtoralem & anulum Pontificalem electo in Pannoniam deferant, ac talibus inſignibus, quid de eo ſuperna ordinaverit diſpoſitio, fideliter atteſtentur. Vocatus ergo a Deo tanquam Aaron, non ipſe ſibi honorem ſumens, nec inſtar multorum fugientem inſequens, aut reclamantem obſequiis deliniens, ab ovibus ſibi commendatis cum maximo tripudio ſuſtentatur [5], & poſt modicum a Reverendo Archiepiſcopo Juvavenſi Gebehardo debita benedictione conſecratus, a Spiritu teſtimonium reddente Spiritui noſtro, quia filii Dei ſumus, teſtimonium accepit; quod vere ipſe ſit filius, cui Sanctus Pater efficaciter imprecatus eſt, dicens: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Directus eſt in eo ab illo die & deinceps Spiritus Domini. Jam ex hinc totus ſuccenditur in amore Dei, & illius refectus viſione, minus de reliquo reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Conſtans in jejuniis, in vigiliis perſeverans, creber in orationibus, laborabat per ſingulas noctes in gemitu ſuo, & lacrimis ſtratum ſuum rigabat. Abſcondebat elemoſinas in ſinu pauperis, ut ipſa oraret pro eo, cum ille minus orare potuiſſet. Et hæc quidem agebat in abſcondito, ut pater ſuus, qui videt in abſcondito, redderet ei. Sed quoniam acceperat ab Apoſtolo, providere ſe debere bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus (quod a primæva ætate decretum ſibi fuerat) optimis foris ornabatur moribus, quales idem docere videtur Apoſtolus, cum ſive Timotheum, ſive Titum inſtruit, dicens: *Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, pudicum, hoſpitalem, benignum, modeſtum; & amplectentem eum qui ſecundum ſanam doctrinam eſt, & fidelem ſermonem.* Et tamen in omnibus his ad exemplum Beati Job non vidit ſolem, cum fulgeret deſuper, nec lunam incedentem clare: quia, ut B. Gregorii verbis utar, cum opus ſuum etiam aliis exemplorum lucem tribueret, ad præſumptionis gloriam Vir Sanctus illud non attendit; ſed dum pro eo extolli timuit, ab intuendo eo oculos

[1] Ipſi *non habet MS. Scottens.* [2] *MS. Scottens.* Serve bone. [3] *MS. Scottens.* Convenientia. [4] *in MS. Scottens. additur* in *addit* proinde. [5] *MS. Scottenſe rectius* exceptus

mentis avertit. Per ſolem quippe fulgor boni operis, & per lunam opinio intelligitur bonæ operationis. Nam ſicut luna illuſtrationem a radio ſolis accipit; ita fama a bono opere vires & favoris gratiam quaſi claritatem luminis aſpergit. Sanctus ergo Vir, quem nec opus manifeſtum, nec fama laudabilis extulit, nec ſolem fulgentem deſuper, nec lunam incedentem clare vidit.

4. Porro cum nemo accendat lucernam, ut ponat eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt; placuit inviſibili Deo & Soli, qui lucem habitat inacceſſibilem, lucernam hanc, quam ipſe Pater luminum accenderat, ut luceret coram hominibus, & viderent opera ejus bona, & glorificarent Deum ſuo teſtimonio, his qui tantum vident in facie, & cor intueri nequeunt, amplius quam innotuerat, innoteſcere & manifeſtare; manifeſtare autem ſic. Erat in civitate Patavienſi fœmina quædam, cujus filia unica plaga lepræ percuſſa eſt. Cui ſæpius oranti, & ſalutem filiæ a Domino ſuppliciter poſtulanti revelatum eſt in ſomnis: ſi de ablutione manuum B. Altmanni poſt Sacramenta Miſſarum filiam perungeret, priſtinæ redderetur ſanitati. Quod dum illa fideliter feciſſet, ſanata eſt filia ejus ex illa hora. Quid minus habere videtur Sanctus iſte ab illo magno Propheta Heliſæo, qui lepram Naaman Syri curandam docuit in Jordane? Ille ſepties ſanandum juſſit lavari, hæc ſemel lota, ſecundo non eguit lavari: quia ſanitatem illico ſenſit, quam optavit. Nec hoc ſolo miraculo Dominus declaravit, cujus apud eum meriti dilectus famulus ſuus fuerit, quando etiam per antecedentes prophetias jam dudum præſignaverat, quod per plures annos futurus erat. In annis enim adoleſcentiæ conſtituti cum ſimul eſſent ipſe & Gebehardus, (cujus ſupra meminiſſe [1] meminimus), & Albero [2] poſtmodum Wirziburgenſis Epiſcopus; accidit ut ſupra marginem fontis alicujus panem commeſſuri, conſediſſent. Inter mutua colloquia, quibus pauperem menſam condiebant, meliora de ſe ſperare, & quodam occulto ac præſago ſpiritu prædicere adorſi ſunt. Aitque Gebehardus: Ego in Salzpurgenſi Eccleſia Epiſcopus futurus ſum; Albero vero: Ego, inquit, in Wirziburgenſi cathedra præſidebo; at Altmannus: Et ego Patavienſem ſedem gubernabo. Vaticinium hoc rerum probavit eventus. Singuli namque in eccleſiis, quas ſibi elegerant, ſublimati, ne infructuoſæ arbores ab ipſo, qui eos plantaverat, in domo ſua invenirentur, reddiderunt fructum temporibus ſuis. Singula quippe Monaſteria in ſuis conſtituerunt Epiſcopiis, & ſepultura ſua illuſtraverunt. Gebehardus namque in Admuntenſi, Albero vero in Lambacenſi, Altmannus in Gotwicenſi monaſterio requieſcit in Domino. Corpora quidem illorum illic in pace ſepulta ſunt, ſed vivent nomina eorum in æternum. Quomodo non viverent, qui in libro vitæ aſſcripti tenentur? cum vere ex illis fuerint, quibus Dominus repromittit: *Et non delebo*, inquiens, *nomina eorum de libro vitæ*. Sunt qui vocant nomina ſua in terris ſuis, nec tamen cognoſcuntur ex nomine: quia deleti ſunt de libro viventium, & cum juſtis nequaquam conſcribuntur. Unde & diſtrictus Judex dicturus eſt eis, in illa tremenda ſeparatione bonorum & malorum: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, quia non novi vos.* Horum ſecundum David perit memoria cum ſonitu, aut ſiqua eſt hæc, non in benedictione, ſed maledictione eſt. Nunquid enim parum illis erat, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti erant & Deo meo, ſicut de ſimilibus eorum teſtatus eſt Yſaias? Et ideo longe eſt ab eis, quia de dilecto Deo & hominibus dicitur: *Cujus memoria eſt in benedictione.*

5. Attendite, quæſo, Pontifices noſtri ſæculi, quæ vobis memoria ſuccedat, non de conſtructione Eccleſiarum, ſed Caſtellorum, quæ vos in excelſis & præruptis montibus, pauperum ſudore & viduarum minutis, inſtauratis. Ad quid autem, niſi ut abinde pellantur homines, non dæmones: ut ibi vincti gemant in ergaſtulis, deficiant in ſuppliciis: ut ibi peccatores non convertantur, ſed puniantur: puniantur non ad peccatorum veniam, ſed ad veſtræ injuriæ vindictam? Vos ſancti Domini, Miniſtri Dei noſtri, de quibus nobis ſermo eſt, ſaniore conſilio inſtruxiſtis monaſteria de oblationibus fidelium, & rebus Eccleſiarum: unde abiguntur dæmones, & ubi recipiuntur pauperes: convertuntur peccatores, & ſanctæ ſimplicitatis ac beatæ paupertatis religio conſervatur: ubi die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini; quos a ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari, ex omnibus populis & linguis, ex omni ætate, & conditione ſexus & natione, congregavit ad glorificandum ſe, qui de ſervientibus ſibi omnibus facit cor unum & animam unam. Et vos licet [1] ſomno veſtro, requieſcatis a laboribus veſtris; haud tamen crediderim ſpiritus veſtros deeſſe locis, quæ viventes tanta devotione conſtruxiſtis & dilexiſtis. Credo vos adeſſe cunctis illic degentibus, aſtare videlicet orantibus, ſuccurrere laborantibus, lapſos allevare, & vota ſingulorum in conſpectu Divinæ Majeſtatis promovere. Putaverim vos cum Domino de cœlo proſpicere, ut videatis, ſi eſt intelligens, aut requirens Dominum: & ſi quem inveneritis ſegnius agentem, & mentiri Deo in votis ſuis, & claudicare a ſemitis Domini; reor vos illico cum Angelis pacis amare flere, & querelam gemitus coram facie Domini pro eo, vel contra eum, qui ejusmodi eſt, medullitus deponere. Attendendum quapropter eſt, Domini & Fratres, qua diſciplina reverentiave vobis converſandum ſit, inter quos cum ſanctis Angelis iſti patres & patroni noſtri aſſunt, diſcurrunt, & noſtræ ſaluti indeſinenter invigilant; ne quid irreligioſum vel indecens vel incorrectum reperiatur, quod eos contriſtet aut elonget.

6. Sed redeundum jam ad narrationem eſt: non enim Doctoris apud vos vicem gero, ſed

[1] meminiſſe *non habet MS. Scottens.* [2] *al.* Adalbero.

[1] *MS. Scottenſe:* Et vos licet a ſomno veſtro requieſcatis, ut ſemper optaſtis, & requieſcatis a laboribus veſtris; haud tamen &c.

narra-

narratoris, earum tamen rerum, quas vos scriptis docueritis, aut viva voce. Itaque beatus Dei famulus cottidie cum Propheta adiciens ad laudem Domini, opera Dei non suis meritis, sed Divinæ attribuit misericordiæ, dicens cum Psalmista: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et cum Apostolo: *Gratia Dei sum id, quod sum;* ut autem non fallaciter subsequeretur [1]: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Ædificavit Vir Sanctus in suburbio Patavienſi in honore S. Nicolai Ecclesiam super litus [2] Eni fluminis, plurimis eam ditans rebus & possessionibus. Præfecit autem illic Hartmannum Præpositum, Virum sapientia & facundia commendabilem, qui Rudolfo Regi Chariſſimus, etiam Urbano Papæ suisque successoribus notissimus fuit. Hic, ut religiosus erat ipse, sic religiosos Clericos & Monachos [3] undecunque colligens, communem eos ducere vitam, sub regula S. Augustini, verbis & exemplis diligenter instituit. His ita peractis, indefessus Christi minister manum suam misit ad fortiora. Vere fortiora: quia longe plus affert difficultatis ac laboris, radicatas & inveteratas evellere pravitates, quam bonas a primordio inserere disciplinas. Ergo, quia nomen ipsum Episcopi, Ecclesiæ Dei eum superintendere admonebat, consideravit agrum & vineam, quam sibi locaverat Dominus, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Sed quas putas, quod ego dicam urticas & spinas? utique in corde negligentium prurientia terrena desideria & punctiones vitiorum: & quam maceriam? certe disciplinam patrum, quæ in corde pravorum lapsa jacebat. Unde totum hoc? quia dormiebant homines; & venit inimicus homo, & superseminavit zizania in agro, quem paterfamilias optimo severat semine. Homines accipe Prælatos ecclesiarum, quorum torpor & somnolentia inimico homini, id est, Diabolo, fiduciam præstat & locum ad seminandum in agrum Domini semen suum. Ager autem universalis mundus est; sed ad eum non nobis sermo est. Agrum vel vineam, quodlibet intelligo Monasterium, & plures agros vel vineas, plura monasteria: in his vitia invalescentia lætam tunc temporis strangulabant frugem, sanctam dico religionem. In his vitis vera conversa fuerat in amaritudinem. Ego sum, ait Christus, vitis vera. Iste dulcis & rectus Dominus non convertitur in amaritudinem ei, qui horret quæ sunt sancta, quæ recta, quæ pudica, quæ bonæ famæ, quæ virtutis, quæ districtionis? Nonne amarum judicat Christum, qui renuit gustare & videre, quam suavis sit ille? Sic se habente agro vel vinea Domini, non credes virum Dei ab imo pectore ingemuisse ad Dominum & dixisse: Ut quid operatur agricola, destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam: exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam? Dominus virtutum convertere, [1] de cœlo, & vide, & visita vineam istam. Dicit vero mihi unicus tuus: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. En quanta excreverunt, quæ tu non plantasti, o Pater. Numquid constituisti me, ut evellam & destruam & dissipem, aggrediar spinas istas se invicem amplectentes? una enim adhæret uni, ut ne spiraculum transeat per eas. An quia tu dicis nobis servis tuis, ut sinamus utraque crescere usque ad messem; rem tam arduam tamque difficilem dissimulabo? Siquidem non ignoro, Ecclesiaste docente, quod qui transfert lapides graves, graves scilicet ac duros pravorum mores, affligetur in eis: & qui scindit ligna, id est, pertinacium corda, vulnerabitur ab eis. Ergo si concedis, crescant utraque; sed quid agemus, qui spinas crescere cernimus, & triticum suffocari? Sollicitus quidem es, ne forte colligentes zizania, eradicemus & triticum; sed non est labor in discernendo, triticum sit, an zizania, manifesta sunt scandala hæc, non egent accusatore, etiam sine teste constant, publica fama imo infamia clamat. Nonne hic clamor jam dudum ascendit ad te? Ego tuus qualiscunque vicarius descendi ad eos, & video, quod sic opere cuncta compleverint. Non invenio illic saltim decalogum præceptorum tuorum, cujus respectu parcere debeam, qui parcere mallem. Tuo ergo fretus auxilio, & Apostoli tui consilio, auferam malum de domibus tuis, quas decet sanctitudo: & siquid ex hoc tristius occurrerit, verbis doctoris tui consolabor, quibus ait: Infidelis si discedit, discedat.

7. Igitur pestilentes quosque & corruptos & abominabiles factos in studiis suis, de sanctis locis undique proturbat, providens vice illorum religiosos tam Prælatos quam discipulos. Inde jam reflorere religio, inde suave redolens redire sanctitatis opinio, inde reverentia exhiberi discipulis Christi. Hoc tam felici ausu solliciti cultoris innovata sunt novalia Cœnobiorum, & surrexerunt [2], & seges fœcundior surrexit, quam [3] infructuosum fuisset, serere super spinas. Hinc jam Domus S. Floriani Martyris fructificavit suavitatem honoris [4] & flores ejus fructus honoris & honestatis. Sic Cœnobium S. Yppoliti, scholarum studiis usque nunc insigne; sic Monasterium S. Agapiti Martyris in Cremismunster, quia Dominus dedit benignitatem, dederunt & ipsa fructum suum. Quemadmodum vero de Abraham scriptum est, quod erat vadens, & ultra progrediens ad meridiem; sic & in Sancto hoc viro videre fuit, eo quod & ipse filius esset Abrahæ. Non sufficit novum cœnobium instituisse, instituta correxisse, adhuc progreditur ad opus excelsum, in monte excelso construere videlicet Basilicam magnificam sanctæ Dei genitrici ac semper Virgini Mariæ. Nam cum quadam die in villa, quæ Mutarn dicitur, resideret, attendit eminus montem, vicinis montibus non contiguum, quem vulgus *Gotwich* appellat. Visus

[1] *Supple ex MS. Scottenſ.* respice. [2] & surrexerunt *non habet MS. Scottens.* [3] *MS. Scottens.* quoniam.
[4] *MS. Scottens.* odoris.

[1] *Supp.* ait, *aut ſimile quid.* [2] *al.* Oeni *vel* Æni.
[3] *MS. Scottens.* Laicos.

est mons ille amœnus, & ad habitandum idoneus: cujus cum qualitatem ab incolis didicisset, mulam suam sterni jubet, & turba multa comitatus, stricto quodam & prærupto calle montem ascendit, suo instruens ascensu, quod tantum per arduas & angustas semitas mandatorum Dei de terris itur ad astra. Lustrato itaque toto monte, dum cerneret locum spatiosum, & ad construendum monasterium aptissimum; fixo statim tentorio, sylvam, quæ condensa illic erat [1], succidi, & oratorium præcepit inchoari: Cumque adhuc ambiguum [2] penderet, cui sanctorum potissimum attitularetur; pro diversis votis & affectu diversis diversa consulentibus, contigit supervenire nuntium a Ducibus Boemiorum transmissum. Ferebat iste tabulam quandam Episcopo, quæ pro munere digne tanto Viro deferretur: in qua cernebatur imago Beatæ Virginis Mariæ, Græco opere mirabiliter expressa, merito in eadem ecclesia adhuc conservata, & perpetuo conservanda. Hanc Deo amabilis Pontifex pia veneratione deosculans, quasi Divino permotus [3] Oraculo, locum protinus assignavit eidem glorioſissimæ Dei Genetrici. Cumque opus Basilicæ prospere consumasset, atque celeriter dedicasset; providit larga benevolentia possessiones inibi habituris, providit quoque ornamenta Divinis congrua ministeriis. Quibus rite peractis, collectis in unum Viris religiosis, & præposito eis viro prudente Utone [4] sub regula B. Augustini, vitam eos ducere jussit spiritalem. Subit nunc animum, quod cantatur in psalmo: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Quid viderat hic peccator, ut irasceretur; fremeret & tabesceret? Haud dubium, quod dispergentis res suas in pauperes, justitia ejus manet in sæculum sæculi, & quod cornu ejus exaltabitur in gloria. Sic nimirum in hoc Dei famulo malignus hostis vidit, quod invidit. Vidit ejus apud Deum cumulari merita, vidit ejus occupata otia, multorum proficere saluti & conversioni. Stravit [5] ergo insidias, & opponit impedimenta, quibus irretitum ab istis oporteat desistere, quæ tantorum profectui dolet prodesse. Consuetis itaque utitur instrumentis, & per membra sua efficiendum non dubitat, quod ipse [6] minus efficere sperat; quo vero ordine, explicandum superest.

8. Fuit eo tempore per universum fere regnum Teutonicorum grave scandalum & communis querela de incontinentia sacerdotum: neque enim res occulta latebat, sed frons meretricis facta erat eis, & erubescere nesciebant. Delata est res ad aures Romani Pontificis, visumque est, ut decretalibus epistolis tantam enormitatem argueret & prohiberet. Annuunt & congratulantur Episcopi, & pro posse salutaribus mandatis cooperantur. Quam ob rem B. Altmannus fratrum concilio in Pataviensi sede collecto, literas super hac re ad se directas recitari jubet, obsecrans & exhortans, ne gravis judicetur pudicitia, quæ speciali apud Deum remuneratur corona. Quæ cum omnis fidelis animæ insignis sit ornatus; eos tamen permaxime debet adornare, qui sanctam & immaculatam hostiam corporis & sanguinis Christi pro universis nobis Divinæ offerre debent Majestati. Quid plura? pluribus verbis bonus pater [1] & prudens doctor, tantæ virtutis & tam amplectendæ puritatis suadet amorem, sed non persuadet. Tuentur se illi antiquitate temporum, & auctoritate antecessorum suorum, quorum neminem in hujusmodi severum tulerint & violentum. Respondit servus Christi, se quoque ab his velle quiescere, si mandatum Domini Papæ indulgeat. Nunc autem timere se sibi, timere illis, pro eo quod scriptum sit, non solum eos, qui faciunt; sed & qui consentiunt facientibus, dignos esse morte. Nihil ergo proficiens, solvit consessum; sapientioribus autem communicans consilium, & secretum commendans. Adveniente festo S. Stephani Protho-Martyris, quem illa Ecclesia patronum veneratur, cum plurimi de Magnatibus ad diem sollemnem convenissent (quia justus ut leo confidit) coram omni frequentia Cleri & populi ambonem ascendit, & quid Apostolicæ indicent literæ, imperterritus enarrat. Deinde addit interminationem auctoritatis, ut qui obsecrationibus noluerint flecti, frangantur districtione. Illico clamor & furor ab omni parte perstrepit, & forte impræsentiarum famulum Dei furibundis manibus discerpsissent, si non divina virtus, & optimatum præsentium probitas, furentibus obstitisset.

9. Regnabat his diebus Heinricus Quartus, filius Heinrici Imperatoris, qui cognominatus est *Pius*, admodum puer, & absque frænis disciplinæ in voluptatibus enutritus. Completum est in eo dictum sapientis, qui vaticinatur, dicens: Væ terræ, cujus Rex puer est. Quid ejus tempore passa sit Ecclesia, quid Regnum, quanti Pastores ab ovibus suis sint abacti, humanus sanguis quantus sit effusus, quæ patratæ luxuriæ, incendia, rapinæ, orbem non latent; & scriptores temporum non tacuerunt. Ad hunc religionis hostem castimoniæque oppugnatorem, ob suam tyrannidem a Papa Gregorio Septimo excommunicatum, confugiunt miseri, quibus exhorruit castitas. Apud talem judicem tales accusatores, tales testes merentur audaciam [2], & Viro crimina detestanti affingunt crimina; quibus eum Pontificali honore credunt devestire. Poterat Vir iste si coram astitisset, adbreviato verbo respondisse pro se, quo etiam Magister suus Christus respondit pro se: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Sed in humilitate judicium ejus sublatum est, affirmantibus adversariis, ut quondam de Salvatore Judæis: *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et si respondisset, quod Christus respondit suis lapidatoribus: *Multa bona opera operatus sum vobis*

[1] *MS. Scottens.* succreverat. [2] *l.* ambiguus. [3] *MS. Scottens.* prænonitus. [4] *al.* Ottone. [5] *rectius MS. Scottens.* struit. [6] *MS. Scottens. pro* ipse *habet* per se.

[1] bonus pater *deest in MS. Scottens.* [2] *MS. Scottens.* audientiam.

Propter

Propter quod horum vultis me occidere? verum A quidem & aptum dediſſet reſponſum, ſed apud tales non ſatis fuiſſet. Flexus igitur Heinricus [1] Pataviam hoſtiliter ingreditur, & Herodis vice confundens fas nefasque, pro libitu cuncta peragens, criminoſos quosque ab Epiſcopo pulſos, rebus & dignitatibus ſuis reſtituit. Quo recedente, cum facta crudelia Fratres de S. Nicolao, qui in ſuburbio civitatis conſtituti, religioſam vitam agebant, pariter deteſtarentur; a fautoribus Heinrici de monaſterio violenter extracti, & virgis publice cæſi, & de finibus illis ſunt ejecti. Subſtantia eorum raptoribus cedit, & eccleſia bonorum, cœpit eſſe Synagoga Sathanæ.

10. Prævalente itaque iniquitate, B. Altmannus de ſede ſua propter juſtitiam ejectus in Saxoniam patriam ſuam revertitur. Poſt hæc adiit limina Apoſtolorum, & cauſam viæ & ordinem injuriæ Gregorio Papæ ſeriatim exponit. Et quia Sancti quique verentur omnia opera ſua, Epiſcopatum Domino Papæ reſignavit, hoc offenſus ſcrupulo, quod ejus inveſtituram a manu laica recepiſſet. Cumque aliquantiſper, cum Papa laſſus requieſceret, die quadam eo in eccleſia poſito, & de Sancti Altmanni reſtitutione cum Cardinalibus conferente; illo vero honorem tanti oneris humiliter recuſante; Columba quædam cuncta Baſilicæ loca oberrans, tandem ad pauperculum & humilem ſpiritu venit Altmannum. Et quaſi diceret: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam:* & quod ſequitur: *Viduam ejus*, id eſt, Patavienſem eccleſiam legitimo ſponſo viduatam, *benedicens benedicam; & pauperes ejus ſaturabo panibus;* capiti Antiſtitis inſedit, cunctis videntibus & intelligentibus ſignum. Papa nil cunctatus, mitram de capite ſuo tollens, ejus capiti impoſuit, Epiſcopumque ac Romanæ ſedis legatum inſtituens, auctum benedictione remiſit ad propria, quaſi dicens abeunti: *Ecce ego mitto vos ſicut oves inter lupos, manete in dilectione mea.* Interea fautores Heinrici Quarti Moguntiæ contrahunt concilium, quo præſidente, ipſi [2] ibi Schismatici, & ab Eccleſia præciſi, Papam Gregorium, Virum Catholicum & Patrem univerſalem negant, ejusque ſequaces ipſi damnati condemnant. Deliberatin his Paſtor Eccleſiæ, urbe & armis cedere, puto, rememorans Salvatoris licentiam, qua dixit diſcipulis ſuis: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Quo facto, Wicpertus quidam, cujus laus non eſt in Pontificum decalogo [3], Apoſtolicæ Sedi intruditur. Quid dico intruditur? propria ambitione invadit, anhelat, præripit. Abhinc veri Paſtores ubique terrarum ſedibus ſuis proturbantur; ſubrogantur vero ſchismatici, vel ſimoniaci. Horum etiam factione Præſul Altmannus a grege ſuo fugatur, & Hermannus quidam, frater Ducis Luttoldi [4], ſubſtituitur. In hoc maledictio in Judam prolata, id eſt: *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*, citius completa eſt. Vix enim biennio oves alienas totondit & mul-

[1] *MS. Scottenſ. addit* Rex. [2] *Supple ex MS. Scottenſ.* viderint. [3] *leg.* Catalogo. [4] *al.* Liutoldi, *ut eſt in MS. Scottenſ.*

ſit, & Paſtoris nomen, quod falſo gerebat, cum vita finivit. Dicitur tamen in extremis pœnituiſſe, & Epiſcopalia quæque Altmanno reddidiſſe, & abſolutionem anathematis ab eo ſuppliciter requiſiſſe.

11. Succedit [1] pecunia tamen impetrante, Fiemo Canonicus Wirzpurgenſis, & Epiſcopatum usque ad Aniſim [2] fluvium prædo violentus oppreſſit. Sanctus vero Præſul, annuente pio Marchione Liupoldo [3] in Orientali provincia Clerum & populum ſtrenue gubernavit, & inchoato operi in monte Gottwicenſi, a quo eum fraus inimici per ſupra dicta impedimenta præpedire temptaverat, devotus invigilavit. In quo loco dum aliquando Miſſarum ſolemnia celebraret, & quidam Diaconus adventitius & ſiniſtræ famæ, Evangelium lecturus, benedictionem B peteret; Epiſcopus diutius intuitus benedicendum, ſtolam de collo ejus abſtulit, & alii legere præcepit. Unde patet, quod aliquid de illo revelatione didicerat, quod cæteri neſciebant. Confuſus miſer confuſione, quam peccatum adducit, non confuſione, quæ gloriam addit, ad Heinricum, pravorum refugium, fidens confugit: & volens criminari Epiſcopum & fratres, cum audientia judicaretur indignus, Deo ulciſcente, peſſima peccatorum morte multatus eſt. Et quia tempora inſtabant periculoſa, & ſchiſma grave increverat, quod prima capita Imperii genuerant, & ad incrementum cottidie fovebant; placuit Deo, qui conſulere non ceſſat univerſis, ad confirmandam vacillantium fidem, decenti ſigno famulum ſuum honorare, & catholicum miniſtrum ſuum fidelibus C quibusque commendare. Præceperat quippe pincernæ ſuo, propter artiorem & ſecretiorem abſtinentiam, aquam ſibi in menſa apponere, & ne ſciri poſſet, ſpuma cerviſiæ operire. Fecit ille, quod imperatum fuerat. Quam cum Vir S. ori admoviſſet, ſenſit vinum, & vinum illud optimum. Putans autem pincernam ſibi illuſiſſe, tranſgreſſorem valde indignans increpat. Verum ille horrendis juramentis quod ſibi juſſum fuerat, appoſuiſſe confirmat. Epiſcopus quidem rem celare cupit; ſed pincerna ſublatum de menſa poculum, quid Epiſcopus biberit, guſtu certius explorat: & hic poſtmodum in Gottwicenſi monaſterio monachus factus, rem ordine refert; ut ille benedicatur in omnibus, qui ad gloriam Sanctorum ſuorum, & ad confir- D mationem puſillanimorum facit mirabilia ſolus. Adhuc ad laudem Dei, de Famulo Dei non faſtidientes accipite. Quis enim faſtidiat ſignatam inſignia, quæ inviſibilium aſtruunt fidem, & probant Dei non defeciſſe virtutem? Recede o inſipiens, qui dicis in corde tuo: *Non eſt Deus*, & qui tanta perfidia inſultas, dicens: *Ubi eſt, Deus tuus?* Ecce in Sancto habitat laus Iſrael: in Sancto ſuo, quem vides, operatur Deus. Si ille non aſſit, quid faciet homo? quid aget pulvis,

[1] *in MS. Scott. additur* huic. [2] *MS. Scottenſ.* Anaſim. [3] *Editio Tangnagelli inter has voces* Liupoldo, *&* in Orientali *hæc interjicit:* (hujus Liupoldi qui hodie principatur, avo, cujus nobilitas, pietas & fidelitas, ditiſſima usque nunc conſtat hæreditate.) *Hæc tamen omnia etiam a MS. Scottenſi abſunt.*

qui dictum ſibi novit a Domino: *Sine me nihil poteſtis facere?* Scito ergo eſſe, & adeſſe Deum, qui operatur, quæ operari non poteſt homo. Quod ſi putas, quod hic operetur homo, vade, & tu fac ſimiliter. Impera Dæmonibus, & illorum experire obedientiam. Quod ſi reſtiterint, illum venerare, illumque devotus amplectere, in quo Deus, & per quem talia operatur. Quare Judæis es deterior? Si non eſſet hic homo a Deo, ajebant de Chriſto, non poterat facere quidquam. Sed tamen audi, & a tua incredulitate convertere.

12. Quandoque aſtabat ſancto altari Epiſcopus venerandus, Miſſas celebraturus. Audit poſt ſe Dæmonioſum horribiliter [1] vociferantem. Interrogat, quidnam hoc ſit? Indicant aſtantes, hominem ibi atroci Dæmone vexari, & vix ligatum a multis teneri. Jubet Præſul, ad hoſpitium pauperum vere pauperem duci, & cibum ei in nomine Domini apponi: a quo ſpiritus nequam confeſtim receſſit, & homo ſanus ad propria remeavit. Volo adhuc, o incredule, aliquid quod convincat, famulo Dei nec Prophetiæ Spiritum defuiſſe, licet ingrato tibi enarrare. Clericus quidam Dæmone plenus ad eum eſt adductus. Ille continuata oratione acrius inſtans, Dæmonem fugavit, ac peccatum, cujus cauſa huic immundo ſpiritui permiſſus fuerat, interdixit. Prædicit, ſi peccatum iteret, quod iteretur in eum continuo peccati ſupplicium, præcipiens, ut in clauſtro cum fratribus vitæ ſe tradat meliori. Petunt poſt hæc fratres Epiſcopum, ut eum promoveat in Presbyterum. Ait Præſul, hoc illi non expedire. Victus tamen pietate, fratrum rogata indulget; ſed ſub conteſtatione, quod terribile Dei non evaderet judicium, ſi non caveret interdictum ſibi peccatum. Aliquot igitur annis devitat peccatum, & acceptum honeſte complet officium. Negligens tamen Epiſcopi comminationem, revertitur miſer ad vomitum ſuum, & eodem momento etiam Dæmonem patitur acerrimum. Rurſus Vir ſanctus miſerans miſerum, hoſtem conſuetis armis aggreditur atque triumphat, & ab officio altaris liberatum removit, iterum & iterum de nefando opere ſanatum commonens & prohibens. Qui perterritus pro recenti flagello, aliquanto tempore abſtinet a peccato; ſed (proh dolor!) longa rurſus victus conſuetudine, poſt exceſſum Epiſcopi relabitur in peccatum. Ergo ſecundum vocem Domini, malignus [2] aſſumens ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, intrat ad peccantem, & crudeliter nocte ac die vexantes, quæque turpia & nefaria ab eo geſta, ore ſuo captivum fateri compellunt. Stringitur, ejulans ille vinculis durioribus conjectus in cuſtodiam hominum, qui cuſtodiam demeruerat Angelorum. Tandem in Annunciatione Dominica precibus fratrum a maligno ſpiritu vix ereptus, & poſt triduum oleo ſancto inunctus, & corpore Chriſti munitus, terribiliter flagellatus defungitur. Credimus, quod traditi Sathanæ in interitum carnis ſpiritus, ſalvus fiat in die Domini. Alter, etiam quidam clericus, peſ-

[1] *MS. Scott. addit* in Eccleſia. [2] *MS. Scott. addit* Spiritus.

ſimo Dæmoni traditus, ita ut vix aliquis inſani manus evaderet; ab Epiſcopo benedictus, & a Dæmone liberatus, & priſtinæ ſanitati eſt reſtitutus. Unus ex fratribus, prolixioribus orationibus & plurimis genuflexionibus inſtanter deditus, usque ad deſperationem fluxum ſanguinis incurrit. Hic miſſus ad Epiſcopum, ejus meruit benedictionem, & cum benedictione continuo ſoſpitatem. Alius [1] item frater, etiam precibus & genuflexionibus ſupra vires intentus, vitalium incidit rupturam: Qui ſimiliter benedictione curatus, ad ſuos cum gaudio eſt reverſus. Quantum periculum ſit mentiri Spiritui Sancto, primus Paſtor Eccleſiæ ſatis declaravit, cum in Anania & Saphira peccatum hoc repentina morte caſtigavit. Quia ergo Sanctus iſte verum ſe S. Spiritus præbuerat habitaculum, merito mentientes ſibi Dominus ulciſcitur; cui etiam Propheta dicit: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Comes quidam partis Heinrici Regis venit ad Epiſcopum, cum juramento promittens fidelitatem & famulatum. Conſpexit ille forte agmen cornicum, precatusque eſt ſibi dicens, ut quot cornices cerneret, tot Dæmones animam ejus poſſiderent, ſi fidem promiſſam non ſervaret. Sed non multo poſt pœnitens promiſſi, ad Heinricum, hoſtem Eccleſiæ, redit ipſe hoſtis. Quem Epiſcopus anathemate cautherizans, probro perfidiæ ſuæ inſignitum, Divinæ permittit ultioni. Nec mora; & illa ferit reum. Siquidem inopinate, ab hoſtibus circumfuſus, multisque ſauciatus vulneribus, & truncatus pene fæmore, quia claudicaverat a promiſſione, in ſignum transgreſſionis ſuæ ab eo die ac deinceps claudicavit pede. Miratur quis, an illa in eo impleta ſit imprecatio, quam miſer ille imprecatus eſt ſibi. Ego plane non negaverim, qui non ignoro, in pleriſque multo tempore Dæmonia latuiſſe muta, multosque vexari [2] deterius intus a Dæmonibus, quam ſi diſcerperentur foris.

13. Quanta vero conſtantia ſtrenuus Paſtor lupos hujus ſæculi a direptione rerum eccleſiaſticarum repreſſerit, cum nullo parentum juvaretur auxilio vel conſilio, ſubjecto exemplo cognoſcetur. Nec tamen erat ſolus, cui ſemper aderat Deus. Unde & vere dicebat: *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Et illud in pſalmo: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.* Erat quidam prædives & nobilis Vir, qui defuncti fratris beneficium, quod ab epiſcopio receperat, quaſi hæreditario jure uſurpavit. Epiſcopus jure provinciæ contradicit. At ille cum injuria tentat tollere, quod juſtitia non poterat. Suſtinet Servus Dei ad tempus hominem veſanum, dans & optans ei locum pœnitentiæ. Illo in malitia perſeverante, in jaculo anathematis vindicavit. Cujus communionem cum quique religioſi declinarent, & qui primi erant Orientalis provinciæ; verecundia & cunctorum exprobratione cogente, in villa S. Ypoliti Epiſcopum adiit, & in profunda nive ante pedes ejus proſtratus, & ſupplex diutiſſime ſatis-

[1] *Hoc miraculum deſideratur in MS. Scottenſi.* [2] deterius *non habet MS. Scottenſ.*

fecit

fecit. Nec tamen meruit reconciliationem, A donec villam Ratoltſtorf tradidit in jus Epiſcopi; & ſic demum multorum nobilium precibus vix intervenientibus, a vinculo excommunicationis abſolutus eſt. Acceptam autem Epiſcopus villam delegavit ſuper altare Sanctæ Mariæ in Gotwicenſi Cœnobio.

14. Inter hæc Marchio [1] Leupoldus, coadunatis primoribus ſuis in villa, quæ Tulna dicitur, abhorrens tyrannidem Heinrici Regis & ſchiſma, cujus auctor factus fuerat, Dominium ejus jure jurando abnegat, omnes fautores ejus de provincia pellit; Apoſtolicæ vero ſedi & ejus legato Altmanno obedientes totis viribus fovet & protegit. Quapropter Rex ira ſuccenſus, Marchiam ejusdem Liupoldi contradidit Duci Boëmiorum. Nil ille diſtulit, ſed collecto tam de ſua quam de vicinis provinciis permaximo B exercitu, ad fines Marchionis advenit. Nec ille ſegnior cum omni populo ſuo in loco, qui dicitur Maurberch, hoſtibus occurrit. Sed proh dolor! ab adverſariis inſperate circumventus, cum, turbato exercitu, in aciem ſe nequaquam colligere poſſent; fuſo prius utrimque multo ſanguine, hoſtis prævaluit. Hæc ſunt judicia tua Domine, ſic tu Domine taces, impio conculcante juſtiorem ſe. Nunquid victrix cauſa tibi placuit? Si placuit, non ad vincentium placuit ſalutem, ſed ad damnationem. Sic [2] enim perditorum perfici finis perditionem: ſic eos ruere facis in tuam ſeveriſſimam diſtrictionem. Victi autem cauſa haud dubium tibi placuit: quia meliore devotione circa Eccleſiam tuam & Romanum Pontificem, tam gravem hoſtem exacerbare non timuerunt. Et quia putabant, obſequium ſe præſtare tibi, ſi hoſtes tuos repreſſiſſent; non pepercerunt animabus ſuis, ſed in caſtris tuis, victoribus fide ſortiores, devoti occubuerunt. Secuta eſt autem ſtragem iſtam fames maxima [3], ut fideles ſuos Dominus experiretur in operibus miſericordiæ, quos ſatis probaverat in operibus conſtantiæ. Nihil ſibi in hac neceſſitate Pater Altmannus retinuit, usque ad ipſum linteamen cunctam Epiſcopii ſui ſupellectilem vendidit, & indigentibus diſtribuit: unde quoque Pater pauperum dictus eſt. Præcipue tamen in monte Gotwicenſi plurima millia pauperum a famis periculo conſervavit.

15. Quam vero negotioſus fuerit in cauſa Eccleſiæ, quæ tempore ſuo tanto turbine confundebatur, indicant epiſtolæ tam crebro ad D eum a Domino Papa directæ. In quibus etiam inter alia hoc conſulere & ſignificare Papa videtur, ut quæ in tam graviſſima ſanctæ Eccleſiæ perturbatione diſſimulari ac tolerari aliquatenus poſſint, non ſublata penitus, ſed temperata diſtrictione quieſcant; cum autem miſerante Deo victoria & pax Eccleſiæ reddita fuerit, de redintegratione juſtitiæ, quantum ipſo auxiliante poſſibile fuerit, ſollicite cogitare, & totis viribus elaborare. Hinc Capitulum illud de incontinentia ſacerdotum a tam invicto propugnatore Caſtitatis diſſimulatum, non adprobatum remanſit. Porro quantum Eccleſia Patavienſis ejus Præſulatus tempore, in conſtructionibus & correctionibus Monaſteriorum, & ſtructuris & ornamentis Eccleſiarum, & honeſtate miniſtrorum profecerit; dicerem, ſi non contradiceret ex magna parte ſtatus, imo caſus rerum præſentium. Et tamen ego vermiculus neminem in hac parte judico. Quis enim ego ſum, qui judicem alienum ſervum? ſuo Domino aut ſtat, aut cadit. Ipſe enim Sanctus Epiſcopus tempore Reginmari, qui tertius poſt ipſum ſucceſſit, per mutationem melioris [1] ſtatus in eundem Antiſtitem citius vindicandam, cuidam fratri revelare dignatus eſt. Videbatur illi, quod Romæ eſſet in concilio, & beatum Altmannum eximio cultu cum Epiſcopis pluribus infulatum illic aſſidere. Qui conſurgens, ſtansque in medio, a Domino Papa petiit advocatum cauſæ ſuæ. Quo accepto, querelam proponit de Reginmaro Epiſcopo, aſſerens eum Epiſcopatum Patavienſem in cœnobiis & parochiis optime diſpoſitum inveniſſe; ejus vero negligentia cunctam pene religionem in eo deperiiſſe. Stabat autem Reginmarus retro [2] longe perterritus, triſtis & pallidus, & vilibus veſtibus indutus. Quærit Apoſtolicus ſuper hac re ab Epiſcopis ſententiam; nec aliam quam damnationis accepit ab omnibus. Eodem ergo anno idem Reginmarus infirmitatem incidit, in qua etiam usque ad mortem perduravit.

16. Nunc ergo quem finem vitæ, verius [2] quod principium vitæ ſortitus ſit Vir beatus, explicemus. Sic enim ſcriptum eſt: *Cum conſummaverit homo, tunc incipiet.* Transactis igitur in Epiſcopatu XXVI. [3] annis, poſt multos labores, & adverſus beſtias Epheſi pugnans, cum jam placeret Domino, emeriti militis ſudores remunerare; in villa, quæ dicitur Zaizinmure, febre correptus eſt. Qua invaleſcente, intellexit nuntium mortis: ad quem ſi pro fragilitate humana inhorruit, pro conſcientia tamen bona gaviſus eſt, ſciens, quod hac porta intraret gaudium Domini ſui. Itaque, quia non dixerat ſibi: *Pax & ſecuritas;* non repentinus ei ſupervenit interitus. Reinemoraverat ille ſemper noviſſima ſua, & ea jugiter deſideraverat, dicens cottidie in corde ſuo: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quapropter ſentiens ſibi imminere diſſolutionem corporis ſui, in quo jam diu peregrinabatur a Domino, lætus orabat, dicens: *Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo.* Et quia noverat, & perſæpe docuerat, quod ad quantumlibet juſtorum emigrationem adverſarii colliguntur ſpiritus; etiam contra hos pugnabat, dicens: *Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.* Et cum ad illud diſtrictum examen Judicis ſuperni ſollicitus intenderet, gemitu quo poterat, & intimis ſuſpiriis adorans & ſupplicans, ait: *Non intres in judicium cum famulo tuo, Domine: quia non juſti-*

[1] *MS. Scott.* Liupoldus. [2] *Quæ a vocibus* ſic enim *usque ad vocem* diſtrictionem *hic habentur, deſunt in MS. Scottenſi.* [3] *MS. Scott.* magna.

[1] *MS. Scottenſ.* melioris vitæ & ſtatus. [2] *MS. Scott. addit* autem. [3] *MS. Scott.* XXV. ſed *num. 1. videtur a recentiore manu expunctus.*

ficabitur

ficabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Advocans etiam quemque ſanctorum, quem amaverat, quem veneratus fuerat, & illam ante omnes Beatam & Glorioſam Dei Genitricem Mariam, cui tam decorum conſtruxerat habitaculum, ut ipſa eum in præparatum ſibi a Domino pia deduceret tabernaculum: nec non & illum Sanctiſſimum Dei Confeſſorem & Pontificem Nicolaum, cujus quoque eccleſiam ſumma devotione inſtituerat, illis ſe totum commendat, illos viæ ſuæ comites & duces præparat. Illis nihilominus & adminiſtratoriis Spiritibus, quorum virtus & poteſtas contrarias arcet poteſtates, totum ſe circumvallat, ut merito inimici dæmones dicere cogantur: En lectulum hujus Antiſtitis ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Quid hic aſtamus? Superant iſti nos virtute & multitudine. Nonne [1] ipſe eſt, qui a corporibus aliorum tanta nos fugavit poteſtate, præſertim cum plures ſint cum illo, quam nobiscum? Igitur non in caſtris, non in armis, non in famulantium decore tunc temporis ſanctus Præſul ſpem repoſitam habuit, ſed in Domino Deo ſuo, & conſcientia bona, & fide non ficta. Unde ait: Mihi autem adhæſiſſe Deo bonum eſt, & poſuiſſe in Domino meo ſpem meam. Hac noſtra ætate hoc idem vir nobilis, & ipſe dives Otto de Lengenbach ſenſit & confeſſus eſt. Qui cum in extremis ageret, raptus, ſed quomodo neſcio, Deus ſcit, multaque, rediens ad ſe, narrans oſtenſa & intellecta: quorum relatu tunc plurimi mirati & compuncti ſunt. Tandem ſingula quæ ſibi fuerant caſtra denominans: Quid nunc, inquit, opis ferunt caſtra mea, præpotentes Domini mei, chariſſimi amici mei? Et ſic de omnium deſperans auxilio, religioſis quibusque multa ſe commendabat contritione. Intellexit namque tunc vere, quam difficile dives intrat in regnum Cœlorum. Unde ingemiſcens clamabat: Heu me miſerum! quod plus unquam poſſedi divitiarum, quam ſimplicem victum & veſtitum. Agente itaque in extremis hujus mortalis vitæ venerando Antiſtite, non opus erat, ut de providendo exitu ſuo quis eum commoneret: Ipſe enim ſibi proviſerat toto tempore vitæ ſuæ, & quia bene vixerat, feliciter moriebatur. Alioquin ſi tunc primo commoneri eum neceſſe fuiſſet, recte reſpondiſſet, quod Venerabilis Chuno Ratisponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, antea vero Sigbergenſis Abbas, aſtantibus, & tunc demum moriturus [2], fertur reſpondiſſe. Ait enim: Bene quidem monetis o filii, ut in hac metuenda hora meæ proſpiciam ſaluti. Nunquid hoc ſalutis proponebatis conſilium, quando placuit vobis, ut libenter munera acciperem? ut ſpiritalia Simoniace venderem? ut judicia perverterem? ut peccata ſubditorum diſſimularem? Sero providerem modo, ſi huc uſque minime providiſſem. Sic beatus Dei famulus mature ſibi proſpexerat, & ideo expeditus transmigrabat.

17. Igitur a religioſis viris oleo ſancto inunctus, & Dominicis Sacramentis refectus, benedicens filiis ſuis, & eos Cœleſti Patri obnixius commendans, viam univerſæ carnis lætus ingreditur, anno ab incarnatione Domini milleſimo, nonageſimo primo, VI. Idus Auguſti flentibus cunctis, & planctu miſerabili lugentibus, ſe tanto patre orbatos, ſe tanto Pontifice deſtitutos. Non quidem invidebant ejus gloriæ, ſed ſuæ magnæ dolebant miſeriæ. Illum gaudebant ab Angelis ſuſcipi, & in beatas manſiones Angelorum [1] adduci; pro ſe gemebant in hac lacrimarum valle, ſine conſolatore miſere converſari, & in hoc mari magno ſine gubernatore conquaſſari. Ubi [2] enim his diebus, qui in filios ſuos patris gerant affectum, & paſtoris exequuntur officium? More ſtruthionum indurantur ad filios, quaſi non ſint ſui: & conſuetudine mercenariorum pro lucris temporalibus aſtant in proſperitate, a quibus ipſi primi fugam petunt in adverſitate. Longe fuit hoc ab hoc Patre ſancto, in quo ſuperabundabat & patris dilectio & paſtoris ſollicitudo, & vigilantia in proſperis & conſtantia in adverſis. Confluit interea ab omni parte populus innumerabilis ad exequias Pontificis. Luget tota provincia, ſublimium dignitas, ætas omnis, ſexus uterque. Vix tandem a Chriſti ſacerdotibus ſuſtollitur corpus venerandum, ac multa Nobilium turba, comitante, cum infinita populi multitudine, magna quidem Dei gloria, ſed gravi bajulantium mæſtitia in montem Gotwicenſem transfertur. Quis jam enarret mugitum & ululatum [3] illic habitantium, quo mons totus increpuit, lugentibus cunctis patrem Kariſſimum, patrem piiſſimum, patrem ſanctiſſimum? Advolat cottidie populus multus divitum & pauperum, illum Deo, & ſe ſibi ſuppliciter commendare. Inter quos reverendæ memoriæ Archiepiſcopus Salzpurgenſis Fiemo, ab Epiſcopo Altmanno utpote a ſuffraganeo ſuo conſecratus (qui etiam poſtea Jeroſolimam petens, a paganis eſt illuſtri martyrio coronatus) anhelus occurrit. Et, cum lacrimis uberrimis defunctum infudiſſet, obtulit pro eo ſacrificium ſalutare, & corpus venerandum cum debito honore in eccleſia S. Dei Genitricis commendat ſepulturæ: ubi ad probanda tanti viri merita crebræ variarum incommoditatum usque hodie fiunt ſanitates, in laudem Dei Patris omnipotentis, qui cum Unigenito Filio ſuo, & S. Spiritu vivit & regnat Deus per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

MIRACULA EJUSDEM.

18. Quidam Clericus ſævo dæmone correptus, vix multis ligantibus atque trahentibus, ad ejus tumulum eſt perductus: hic omnia horribili clamore & diro fœtore replebat. Pro quo cum fratres inſtantius orarent; repente corruit, & cunctis videntibus nigerrimum ſcarabæum evomuit, qui etiam protinus nusquam comparuit. Laudabant univerſi Deum, usque qui advenerat ligatus & inſanus, ſanus receſſit & ſolu-

[1] *ab hac voce* nonne *usque ad* unde ait, *omnia deſunt in MS. Scott.* [2] *MS. Scottenſ.* morituro conſulentibus.

[1] *MS. Scott.* electorum. [2] *Quæ hic a verbis* Ubi enim *usque ad* confluit interea *habentur, abſunt a MS. Scottenſi.* [3] *MS. Scottenſ. addit* fratrum.

tus a nexibus mentis & corporis. Item [1] puella quædam immundo ſpiritu pervaſa, a parentibus eſt ad ſepulchrum Viri Dei adducta, & ſine mora liberata atque ſanata. Alia itidem puella per plures annos lumine orbata, per merita ejusdem Famuli Dei quod amiſerat invenit. Mulier quædam, habens filium parvulum a nativitate mutum & claudum, ad ſepulchrum S. Epiſcopi miſerandum depoſuit, ipſaque miſeranda cum fletu magno eccleſiam exivit. Poſt modicum puer loquela & greſſu reſtituto, matrem inſecutus eſt, ambulans & loquens recte. Quidam [2] miles per ſex annos mente captus, ad ſepulchrum ejus ſine mente acceſſit, & ſanus mente recepta receſſit. Alter quidam homo contractus, & ſcabellulis quibusdam innixus, venit ad corpus S. Epiſcopi rependo; ſed incolumis factus exiliit, ambulabat & laudabat Dominum. Item [3] quidam toto corpore languidus, vix ſuſtentante baculo ad tumbam Antiſtitis adiit; ſed infirmitate per Beatum Virum pulſa, baculo jam non eguit; quia lætum & ſanum ſe jam perſenſit. Quodam tempore cum ſubita & ſæva tempeſtas montes concuteret, tecta domorum ac eccleſiarum & turrium diruere; frater quidam mente captus in oratorium S. Michaelis, quod admodum in alto ſitum eſt, conſcendit cunctis ignorantibus, & interim nocturnas laudes [4]. Hic ab alto in pavimentum dilapſus, vivus tamen ſublatus eſt, licet non longe ſupervicturus: eadem quippe die poſt ſacri olei unctionem, & vivifici corporis communionem carne ſolutus eſt. Nemo hoc dubitet meritis Beati Viri aſſcribendum, cujus interceſſio cadentem excepit; ne ſanguine illius Baſilica aſpergeretur, quam ipſe regalem aulam Deo ac Beatæ ſemper Virgini devotus conſecravit. His & aliis plurimis miraculorum ſignis, quæ ad noſtram non credimus pervenisſe notitiam, magnificavit Dominus Sacerdotem ſuum, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus. Quanquam etſi ille ſignum feciſſet nullum; nihil tamen ex hoc ejus deneGaretur ſanctitati, vel apud Deum, vel apud homines: Signa quippe ſanctitatem non efficiunt, ſed oſtendunt. Siquidem de Johanne Baptiſta, quo inter natos mulierum major nemo ſurrexit, Evangelium atteſtatur, quod ſignum fecerit nullum. De ipſo quoque Domino Salvatore ſcriptum eſt, quod non fecerit ſigna multa propter incredulitatem quorundam. Quid ergo mirum, ſi ſanctus iſte, obſtante ſibi præſentium temporum incredulitate, nihil operatus fuiſſet virtutum, nihil ſanitatum? Verum gratia Divina, quæ repromittit, quod ipſa glorificantes ſe glorificet, hunc dilectum ſuum, ut dilectus fieret nihilominus hominum, & ut ejus memoria in benedictione conſtaret, etiam magnitudine ſignorum ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum.

19. Mihi [5] tamen hunc Virum, vel quemlibet aliorum hujusmodi mira facientem, diligentius intuenti longe mirabilior videtur ipſe, qui facit, quam ea quæ facit. Etenim ſi in rebus inſenſibilibus plus admirationis habet interius conſideranti cauſa vel ratio, quæ efficit id quod efficitur: multo dignius atque religioſius admiranda eſt illa ſanctitas, quæ in conſpectu Divinæ Majeſtatis ſic placet & acceptatur, ut ejus intuitu & interventu hominum pellantur incommoda, & optatæ tam animarum quam corporum reſtituantur ſoſpitates: multo, inquam, amplius admiranda eſt ipſa intus, quam quæcunque miranda facit foris. Mirentur ergo alii, cæcos videre, claudos ambulare: mirentur ſalutem paralyticorum, dæmonum fugam. Ego potius admirabor tanti Antiſtitis merita, quæ talia tam potenter operantur, quam ipſa. Tu itaque prædica in laudem Dei, quæ ſanctus Dei meritis ſuis & fide ſupplicum operatur in aliis; ego ſemper admirabor mirabilia, quæ fecit in vita ſua. Mirabor humilitatem, caſtitatem, pietatem, charitatem, devotionem, ſollicitudinem in agendis, prudentiam in diſponendis, diſcretionem in imponendis, in tolerandis longanimitatem; & in adverſis fortitudinem. Hæc mirabilia vitæ ſuæ ego mirabor, miranda indico, maxime quod noſtris temporibus hæc cernimus rariora, quam illa ſigna, quæ tamen credentes omnes ſecutura Dominus pollicetur, dicens: Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, & cætera. An adhuc forte non aſſentis, plus mirari vitam ſancti Viri, quam ſigna, quæ occulta Dei permiſſione nonnunquam faciunt etiam viri non ſancti? Noſti quippe, quod quidam reprobi & reprobati dicturi ſunt Domino: Non ne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & ſigna multa fecimus? Sed eſto, tuo te permitto judicio. Mihi tamen ſemper mirabilius conſtabit, pepuliſſe a corde avaritiam, ſuperbiam, luxuriam, quam ab aliorum oculis cæcitatem, a membris ægritudinem, a corpore dæmonem. Verum quia non ſemper conſtat nobis, qui in facie videmus, & non in corde, quis ſit internus ſtatus ſanctorum, quæ virtus, quæ libertas; ſecundum magnam miſericordiam ſuam agit Dominus, ut per exteriora miracula agnoſcatur, quam admirandi intus ſint, per quos ipſe foris tam miranda operatur. Cenſemus igitur, fratres Kariſſimi, qua veneratione amplectendus ſit ſanctus iſte famulus Dei, cujus merita probare & commendare per tanta miracula dignatus eſt Dominus. Sit noſtræ diffidentiæ (ſi qua tamen eſt) abſit autem, ut illa ſit inconvincibile argumentum, quod ille animarum noſtrarum morbos & languores promptus & potens eſt curare, qui tam crebro tamque pie infirmitates corporum non tardat allevare. Nec enim dubitari debet, plus illum prodeſſe velle animabus, quam corporibus: quandoquidem illarum æterna ſalus eſt, illorum vero cum ipſis pariter poſt modicum defectura. Hucusque ex ſcriptis priorum S. Alt-

[1] *Hoc miraculum deeſt in MS. Scott.* [2] *Deeſt & hoc miraculum in MS. Scottenſ.* [3] *Hoc quoque miraculum deſideratur in MS. Scott. uti & proxime ſequens.* [4] *deeſt aliquid in MS. v. g.* Concinentibus. [5] *in MS. Scottenſi deſunt omnia, quæ hoc numero 19. usque ad num. 20. referuntur.*

[1] *f.* Penſomus.

manni gesta narravimus. Quis hominum putet illos aliquid incertum, vel (quod sacrilegum esset) aliquid falsum, vel, [1] ad posteros transmisisse: cum optime noverint, Deum nullius egere mendacio? Sed & ea, quæ cottidie sub oculis præsentium fiunt mirabilia, prioribus attestantur, priora confirmant & adaugent. Ad quæ describenda priusquam accedamus, explicabimus forsan non inutiliter, qua causa, quo ordine Monasterium Gotwicense, quod illum fundasse, & sacris ossibus suis illustrasse supra retulimus, a prima sua institutione, Canonicorum videlicet Regularium, in Monachicam professionem, ut in præsentiarum cernere licet, demutatum sit.

20. Tempore venerandi Antistitis venit in montem Gotwic presbyter quidam, natione Scotus, professione Monachus, conversatione religiosus. Congruebat ei nomen, quod habebat; dicebatur enim Johannes, quod sonat *gratia Dei*. Dilexit hanc gratiam in illo Antistes Altmannus, & ut liberius secum ille habitaret, cuidam arto habitaculo juxta ecclesiam Beatæ Mariæ, pro desiderio & petitione sua, eum concluſit. Videbant [2] homines opera illius bona, & glorificabant Patrem suum, qui in cœlis est. Verba quoque illius libenter audiebant, quoniam & ipsa gratiam sapiebant & ædificationem. Post obitum vero Beati Altmanni, in cujus diebus agni illius monasterii pascebantur in ordine suo, nonnulli sub specie agnorum corda gerentes lupina, ex diversis locis pulsi & profugi illuc confluxerunt. Qui post modicum vere lupi apparentes, atque in rabiem versi, & lupinis dentibus aliorum simplicitati venena malitiæ suæ infundentes, innocentiam & bonam famam, quæ inibi sanctissime floruerat, & bonum odorem suum longe lateque diffuderat, corrumpere & inficere non timuerunt. Unde factum est, ut locus ipse fieret contemptui, horrori ac detestationi. Beatus igitur Altmannus, cujus [3] oculos credimus esse super locum ipsum die ac nocte, per visum prædicto apparuit Johanni, commonens ut de cætero ipsum montem purgaret, & fœtorem stercoris abstergeret. Intellexit Vir Dei visionem, eamque Præposito fratrum referens, consuluit turpes quosque exinde proici, & seductos ab eis pœnitentia emundari. Quod tamen cum infamiam, cujus fœtor longius processerat, minus reprimeret; prolixiori tædio victi, loco cedere omnes decreverunt. Rursus igitur antefactus Johannes Divino inspiratus consilio, consuluit ut professionem pariter mutarent & habitum, asserens & [4] promittens, si mutarent & augerent votum, quod tunc prioris infamiæ totum exuerent opprobrium. Placet consilium, placet etiam, ut Religio eligatur Monachorum. Proinde consultum videtur, ut res ipsa ad Dominum Papam referatur. Placet & illi mutatio dexteræ Excelsi. Igitur Cunradus Præpositus, qui Utoni [5] secundus

[1] *deest hic aliquid in MS.* [2] *Quæ a vocibus* Videbant homines *usque ad verba* Post obitum *hic habentur, desunt in MS. Scottensi.* [3] Cujus oculos *&c. usque ad* per visum *non habet MS. Scottens.* [4] Et promittens *non est in MS. Scottens.* [5] *MS. Scottens.* Ottoni.

A succesſerat, & se hujus mutationis pium fautorem & auctorem præbuerat, consensum Romani Pontificis Udalrico Patavienſi Episcopo, qui Beato Altmanno succesſerat, citius indicat, & in hoc tanto negotio suæ quoque discretionis & auctoritatis postulat consilium. Itaque Udalrico Episcopo consulente & annuente, Hartmannus, qui Prioris officio fungebatur in Monasterio S. Blasii, Abbas eligitur. Et merito: erat enim vir religiosus, in sacris literis optime instructus, suavis sermone, & ad cunctorum hominum qualitatem informandam seu fovendam convenienter dispositus. Huic, ut ipse post fratribus narravit, S. Altmannus in somnis apparuit, cum adhuc in prædicto Monasterio S. Blasii foret constitutus, virgamque pastoralem ei tradidit, & Cœnobium Gotwicense regendum commendavit. Assumptis ergo Viris religiosis electus Abbas, cunctis flentibus, qui ejus pridem lætificabantur contubernio, proficiscitur: atque ad oves sibi a Deo commendatas perveniens, favorabiliter excipitur, & communibus omnium votis ab Episcopo Patavienſi debita cum benedictione confirmatur.

21. Ex hinc inhabitantes ibi sine mora & refragatione [2] priorem mutant habitum, mutant & animum, mutant & studium. Exultabat [3] super hoc terra, magis autem cœlum, ubi gaudium celebratur super uno peccatore pœnitentiam agente: quanto amplius super tantorum salute & correctione? Ex tunc multi nobiles de sæculo ad Deum converti, & tanti Viri se disciplinæ tradere, suaque omnia in usum monasterii conferre cœperunt. Crevit per eum inde fama & reverentia loci, surrexerunt ædificia, librorum copia, & omnis ornatus ministeriorum Divinorum. At [4] nihil hoc fuerat, si scilicet processissent parietes, & sub ruina mores mansissent. His potius instruendis Vir sagax invigilavit, sciens quod non in manufactis habitat Deus, sed in rationabilibus sanctarum animarum templis, quæ piis votis eriguntur, proficiunt religione, & consumantur perseverantia. Et quia gloria, ut quidam sapiens ait, etiam invitum sequitur, cœpit Vir iste magnus haberi ab his, quibus erat nomen magnum juxta nomen magnorum, qui sunt in terra: & ideo passim offerebantur ei dignitatum infulæ, & multorum regimen monasteriorum. Factumque est, ut Rex Heinricus Quintus eum Campedonensi præficeret Abbatiæ, nec minus Episcopus civitatis Augustæ eum monasterio S. Udalrici præficeret, Duxque Carinthiæ cœnobium S. Lamberti ei gubernandum commendaret. Hujus diebus quoniam gratus & acceptus erat Curiæ Romanæ, privilegia impetrata sunt, quibus locus ipse munitus & corroboratus est. Eo autem de hac luce submoto, succesſerunt ei Viri prudentes & religionis amatores, quorum industria & vigilantia Monasterium eo usque profecit, ut cunctis viventibus indubitanter liqueat, quod vere Dominus est in loco illo, nec est ibi aliud, nisi domus Dei & por-

[1] *MS. Scottens.* auxilium. [2] Sine refragatione *non habet MS. Scottens.* [3] Exultabat *&c. usque ad* Ex tunc *non est in MS. Scottens.* [4] At nihil &c. *usque ad* Cœpit Vir iste *deest in MS. Scott.*

ta

ta cœli. Benedictus in omnibus, qui omnia quæcunq; voluerit, facit in terra & in cœlo & in mari, & in omnibus abyſſis. Ipſi laus, honor & gloria & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum, Amen.

22. His ita explicitis, redeundum arbitror ad ea miracula memoriæ hominum commendanda, quibus usque in hodiernum, ſub oculis noſtris, meritis famuli ſui Dominus atteſtatur, atque ad ejus converſationem imitandam Præſules noſtrorum dierum ſuſcitat & invitat. Nam ſi fallax hujus mundi gloria ipſos delectat; longe plus illa eis petenda foret, quam Dominus gloriæ eorum aviditati communicaret, non cum umbra hujus mortalis vitæ finiendam, ſed tam hic quam futuræ beatitudinis in regno ſine fine beatam, & inconcuſſa ſoliditate permanſuram. Quodam tempore, in feſto Dedicationis Eccleſiæ, puella quædam ſævisſimo correpta dæmone, in conſpectu fratrum Divinas laudes pſallentium, ad tumbam S. Altmanni aſtans, miſerabiliter torquebatur. Et ecce! repente horrendis vocibus exclamans, ut adjuvaretur, poſtulabat. Sed quis hominum tanto horrori accedere præſumeret? Affuit tamen inviſibiliter beatus Antiſtes, & miſeram illam in præſentia cunctorum a tormento ſalvam fecit atque dæmonio. Illa in ſe reverſa, Sacram Dominici Corporis communionem ſibi dari petiit, per quam a maligno Spiritu ultra ſe tutandam non dubitavit. Unus ex famulis Monaſterii multo tempore lumine orbatus oculorum, cum loca ſancta peragraſſet, ubi meritis Sanctorum gratiam ſperabat, nec inveniſſet; ad Monaſterium rediit, & in ſuis tenebris ut prius triſtis manſit. Incidit aliquando clementi ejus, ut ſuum potisſimum Patronum prece indefeſſa pro reſtituendo ſibi lumine imploraret. Cumque crebrius atque devotius oraret, die quadam cum ad valvas Baſilicæ, puero regente greſſus ejus, egreſſurus perveniſſet, ſubito ait puero: Sine me, quatenus per me gradiar: Video quippe. Et ab ea hora exivit ad opus ſuum, videns & gaudens, & laudans Deum. Puer quidam, cujus pes enormiter intumuerat, adeo ut vix diſcerneretur, an membrum illius [1] pes fuerit, ad ſepulchrum Beati Viri adductus; cum parentes ejus fideliter pro eo oraſſent; domum relatus, & illico noxio humore erumpente, ſanitati reſtitutus eſt. Frater [2] quidam de Conventu fratrum ejusdem monaſterii, diu graviſſima infirmitate depreſſus, deſperatione recuperandæ ſanitatis vel incolomitatis non parum mæſtificabatur. Revelatur cuidam ſorori ejusdem loci, eum priſtinæ ſanitati reſtituendum; ſi ad memoriam Beati Altmanni oblationes pro illo offerantur, & Miſſa pro Fidelibus defunctis illic, ægroto præſente, celebretur. Advehitur ille in geſtatorio, quatuor portantibus, duobus aliis hinc inde nutabundum ſuſtentantibus. Inter ſacra Myſteria viribus ſenſim accreſcentibus, alieno ſuſtentaculo ſe non egere aſtruebat. Miſſa vero completa, ad domum infirmorum regreditur, ſuis jam nitens pedibus, uno tantum fratre eum adjuvante. Integra vero ſanitate poſt paucos [3] recepta, impiger ad officia ſua ſurgebat, egrediens & regrediens ad imperium Abbatis ſui.

23. Puella quædam in vicina villa, quæ [1] Murlingin dicitur, filia cujusdam honeſti & noti militis, cui nomen Wolfkerus, repentina paralyſi a media parte corporis correpta eſt; vocabatur autem illa Berhta. Affuit illi Medicorum ars; profuit vero nichil. Conſulit Medicus ipſe, per merita S. Altmanni Divinum potius implorandum auxilium. Adducitur illa ad ſepulchrum Viri Dei, oravit, oraverunt parentes ejus, exauditaque eſt oratio fideliter ſupplicantium: & ſanitas reſtituta, exauditionis facta eſt ſignum. Manſit tamen ad excitandam majorem Sanatæ devotionem, & evidentiorem Divinæ gratiæ manifeſtationem, aliquid infirmitatis in manu puellæ. At illa in anniverſaria depoſitionis die S. Antiſtitis, ad pium & expertum recurrit Medicum: & inter orandum quod petebat optatum accepit remedium. Mulier quædam de villa, quæ Huntesheim dicitur, diuturna & gravi ægritudine ad mortem usque fere adducta [2], priſtinæ ſanitati eſt reſtituta. Item puella parvula de villa, cui vocabulum eſt Panſe, diu lumine privata, inibi eſt illuminata. Puer etiam quidam de alia villa, dicta Marquartesdorf, utroque debilis & claudus pede, veſpere illo advectus, & ab innumeris quid mali pateretur viſus, cum pervigilem cum iis qui eum adduxerant duxiſſet noctem; primo mane reddita ſibi incolomitate curatus eſt. Ex [3] eadem villa mulier quædam cæca viſum recepit. Mulier quædam nobilis atque devota de Caſtro ſuo, quod Hoffstetin vocatur, advenit, & puellam quandam cæcam ſecum afferens, cum ad ſepulchrum S. Viri inſtantius orarent, quo diu caruerat recuperato lumine, puella illa gaviſa eſt. Ob cujus ſigni tripudium & teſtimonium eadem matrona prædictam puellam ac ſi filiam propriam aſſumpſit, & jugiter ſecum retinuit; erat autem nomen puellæ Truta. Eodem [4] tempore alia quædam mulier de villa, quæ dicta eſt Beheimkirche, cum fuiſſet cæca, interveniente B. Altmanno, vidit & gaviſa eſt; & illa Alheidis dicebatur. Altera item mulier de villa, vocabulo Maunich, & ipſa nomen habens Heilka, cum novem hebdomadibus, ſicut juramento confirmabat, non vidiſſet lumen, ad tumulum Sancti Dei lumini reſtituta eſt. Heinricus quidam nomine, & ipſe civis forenſis villæ, quæ dicitur Heimvede [5], homo maturus, & qui veritatis ab omnibus habet teſtimonium, cum oculum ramuſculo quodam percuſſum, irremediabiliter doleret, ejusque viſu penitus careret; cum ad ſacra oſſa hujus Antiſtis fideliter & ſupplex oraret, pulſo dolore ſanitatem & viſum recepit. Quædam mulier pauperula de partibus Bawariæ cum prole nuper genita venerat, & neceſſariorum cauſa in ſervitium cujusdam matronæ in Cremeſenſi [6] Civitate ſe contulerat: in cujus ſervitio per aliquod

[1] *MS. Scottens.* illud. [2] *Deeſt hoc miraculum in MS. Scott.* [3] *Supp.* dies.

[1] *MS. Scottens.* Murlinge. [2] *in MS. Scott. adduntur ſequentia.* & viribus omnibus deſtituta, gravi portantium labore ad tumulum famuli Dei adducta, priſtinæ &c. [3] *hoc miraculum omiſſum eſt in MS. Scottenſi.* [4] *hoc miraculum cum proxime ſequente deeſt in MS. Scottens.* [5] *rectius MS. Scott.* Hæinvelde. [6] *MS. Scottens.* Chremenſi.

tempus morata, dolore oculorum accedente defectum visus passa fuit. Et heu quantis accidentibus miseria subjacet! Jam quo putas dolore cruciabatur, quam & cæcitas urgebat, & grave onus paupertatis premebat? Nec enim sibimet, nec proli nuper genitæ, pro qua magis sollicitabatur, prodesse poterat. Cumque a servitio prædictæ matronæ defectus visus illam cessare cogeret, & matrona ab administratione victualium cessavit. Hæc nocte quadam pro tanto suo defectu in lacrimas resoluta, Divini luminis gratiam per merita beati Præsulis medullitus implorabat: & qui desiderium pauperum exaudit, & hujus orationes audivit, & lacrimas vidit. Nam cum mane surrexisset, ad omnium membrorum officia visu regente expedita fuit. Sed omnes singillatim, & eventus eorum, qui ad memoriam S. Antistitis beneficia luminis meruerunt, propter fastidium Lectoris describere omitto. Nam præter eos, qui infaustas orbitates pertulerunt, rarus fuit oculos dolens, qui remedium non consequeretur.

24. Erat mulier quædam, dæmonium habens tantæ importunitatis & tanti furoris, ut vix aliquis quiret habitare cum ea. Clamor & furor, ubicunque fuisset: omnia enim membra furoris spiritu agitabantur. Interdum etiam isdem dæmon, quia *Sciens* interpretatur, organum hominis obsessi ad proferendam literaturam movebat, quasi eadem mulier literaturæ scientiam, & modum urbanæ pronunciationis ab ipsis studiis consecuta fuisset. Et certe (quod quibusdam mirum videbatur) Symbolum per omnia, ut fides Katholica habet, pronuntiabat. Neque tamen id mirum: cum auctoritas dicat, dæmones habere fidem, sed non opera.

A Hæc cum in sollemni processione plebis plebesanæ parochiæ, quæ Tulna vocatur, ad memoriam beati Viri ducta venisset; meritis S. Præsulis invasorem pessimum propellentibus, liberata fuit. Et videntes turbæ manifesta ejus liberationis signa, eo magis Deum & præconia dilecti sui Altmanni glorificaverunt: quia sæpius ipsam ad diversa Sanctorum limina sine effectu ullius virtutis adduxerant. Sed quia alternis uti [1] est delectabile, aliud miraculum testimonio astantis ecclesiæ sollemniter celebratum, accipias; ut quanta sit hujus [2] meritorum prærogativa, plenius agnoscas. Quidam debilis eam corporis molestiam [3], ut attenuato vitali sanguine venarum [4] contractus, erectus ire nequiret, sed pro officio pedum manibus reptando se traheret. Is in longinquo positus in villa, quæ dicitur Loh, cum hujus B gratiæ mira opera comperisset; spe sanitatis tumbam salutarem beati Viri oraculo quodam divino elegit expetendam. Ubi cum votis & precibus pro defectu corporis & molestia, ut puto, potioribus, medullitus insisteret; ecce mirum dictu! nervi diu contracti, cum fragore se cœperunt extendere & aridi meatus venarum vitali sanguine infundi. Itaque accepto robore, Contractus ille super pedes constitit, & curatori suo vocibus magnis benedixit. Gloria Tibi Christe, qui per merita Sanctorum tuorum usque modo operaris, & sic elisos erigis, ut eorum, qui tibi placuerunt, mortalibus claritatem innotescas.

[1] *MS. Scott. addit* signis. [2] *in MS. Scott. additur* Sancti Præsulis. [3] *Supple ex MS. Scottens.* pertulit. [4] *MS. Scott.* venis contractis.

CHRONICON MONASTERII MELLICENSIS,

AB ANNO PRIMO ÆRÆ CHRISTI AD ANNUM EJUSDEM MDLXIV.

AB ANONYMO VEL ABBATE VEL COENOBITA EJUSDEM LOCI ANNO CHRISTI MCXXIII. SCRIBI COEPTUM, ET DEINCEPS AB ALIIS COÆTANEIS ANONYMIS MELLICENSIBUS AD FINEM USQUE PRODUCTUM.

NUNC PRIMUM TYPIS EDITUM EX CODICE AUTOGRAPHO.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ANtequam Vetus & genuinum Chronicon Mellicense, quod nunc primum ex autographo publici juris facimus, exhibeamus; haud alienum ab instituto nostro fuerit, de primordiis Cœnobii Mellicensis, Ordinis S. Benedicti, medio Vindobonam inter & Linzium itinere ad Danubium siti, paucis edocere Lectorem. Monasterium † Mellicense (quod Veteres *Medilicense*, *Medelicense*, *Medlicense*, *Medilicchamm* quoque, *Medlicum*, *Medilich* & *Medelik* dixere) a prima sui origine duodecim Canonicis paruisse, auctor est Conradus I. ejus nominis Abbas Mellicensis, cognomento *de VVizenberg*, in brevi suo

† Vulgo Mölck.

Chro-

Chronico, quod petente Leopoldo id nominis Sexto Austriæ Duce, dicto *Virtuoso*, post medium Sæculum XII. composuit, ut postea videbimus. Cum enim Leopoldus I. cognomine *Illustris*, Austriæ Marchio, incerto sæculi X. anno, magno cum comitatu ad capessendum Austriæ principatum, quem ab Imperatore (Heinricum I. plerique recentiorum putant) jure beneficiario nuper acceperat, in hanc provinciam accessisset; *Castrum quoddam*, inquit Conradus Abbas, *in monte nostro situm, quod homo potentissimus Gizo nomine* (aliis Giso seu Geysa, Ungarorum Dux, & S. Stephani Regis Ungariæ pater) *tenebat, magna vi cepit atque destruxit, ibique Canonicos duodecim, ne videlicet aliqua in ea munitio restaurari posset, instituit.* Annum, quo isthæc Canonicorum institutio Mellicii cœperit, non exprimit Conradus, nec veterum Mellicensium quisquam. Credibile fuerit, non multo post Leopoldi *Illustris* in Austriam accessum eam evenisse, quem Anonymus Leobiensis, auctor sæculi XIV, anno Christi 935; alius incerti nominis scriptor, qui eodem ævo vixit, anno 928; Vitus Arenpekius, in Chronico suo Austriaco nec dum edito, anno 925; alii recentiores aliis annis consignant. Perstitere vero hic loci Canonici ad annum usque 1089, quo Leopoldus hoc nomine III. Austriæ Marchio, quem *Pulchrum* dicunt, amotis inde Canonicis, locum Beati Benedicti sodalibus concessit. Præfuit his primus Abbas Sigiboldus, qui præter Mellicensem & Lambacensem alias quoque Abbatias rexisse traditur in veterrimo Lambacensium Præsulum catalogo, in secundo operis hujusce Tomo a nobis, bono cum Deo, primum publicando. Leopoldo Pulchro sub annum 1096. vita defuncto, cum filius ejus Leopoldus eo nomine Quartus, *Pius* seu *Sanctus* cognominatus, in Austriæ Marchionatum successisset, Monasterium Mellicense singulari prorsus cura, favore & munificentia prosecutus est Princeps Optimus: quando id anno 1113. permagnis muneribus prælargisque proventibus auxit, posteaquam triennio ante Diploma Pontificium a Paschale II. impetrasset, quo Monasterium a potestate Episcopi Pataviensis exemptum, solique Romanæ Sedi subjectum fuit. Sunt porro recentiorum Scriptorum nonnulli, qui priores Austriæ Marchiones stirpis Babenbergicæ, nimirum Leopoldum Illustrem, Heinricum Rebellem, Adalbertum Victoriosum, Ernestum Strenuum, & Leopoldum Pulchrum Mellicii regiam suam habuisse probabiliter scribunt. Quod etsi de Heinrico Rebelli, ex Vitæ S. Colomanni num. 9. & 11. verisimillimum videatur; de reliquis tamen idem certo affirmare non habeo, idoneis Veterum ea de re testimoniis destitutus. Illud indubitatum, prædictos Austriæ Marchiones, eorumque conjuges (si unam Itham, Leopoldi Pulchri uxorem excipias) hic esse tumulatos. Id quod docet pervetusta lapidis sepulchralis inscriptio, quam inferius proferemus. Monasterii Mellicensis dignitatem ac splendorem præter alia auget, quod ejus Præsules Austriæ *Primates* sint, & inter Reverendissimos Abbates ac Præpositos, ex quibus præcipuus ejusdem Status constat, primum locum nomine *Præsidum* semper obtineant. Hæc de Cœnobii Mellicensis initiis progressuque delibasse satis fuerit: ad reliquas observationes, quas ejusdem loci Chronico præmittere libuit, accedamus.

II. Chronicon Mellicense, ex quo ceu fonte Claustro-Neoburgensis, Zwethalensis Vetustior, cæteriquæ antiquiores Historiæ Austriacæ Scriptores hortulos suos irrigarunt, anonymus quidam seu Abbas seu Cœnobita Mellicensis condere occœpit sub annum 1123. Manifestum ejus rei suppetit argumentum ex Chronographo ipso, hunc in modum ad prædictum annum

loquente: *Anno* MCXXIII. *Libellus iſte ſcriptus eſt.* Priorem operis iſtius partem, quæ ſcilicet à primo Dominicæ Incarnationis anno ad annum fere 1041. porrigitur, ex Chronico Hermanni Contracti Mellicenſis noſter Anonymus deſumpſit, imo totidem pene verbis tranſcripſit: pauculis illis interjectis, quæ ad annum 1012. & inſequentes duos de paſſione & ſepultura S. Colomanni refert. Reliqua vero, quæ Hermannus ab anno 1041. ad 1054 fuſius perſequitur, Chronographus noſter vel penitus prætermiſit, vel quantum in rem ſuam facere videbantur, compendio dedit. Non nulla tamen aliter hic videas efferri, quam in vulgato Hermanni Contracti Chronico apud Piſtorium, Urſtiſium & Henricum Caniſium leguntur. Autographum porro Codicem, ex cujus antiquis membranis præſens Chronicon magno ſtudio fideque deſcripſimus, à primo nati Servatoris anno ad 1123. una eademque Sæculi XII. manus exaravit: quæ conſequuntur, Anonymi Mellicenſes coævi ad finem usque proſecuti ſunt, ut ex diverſiſſimis literarum ductibus, formisque Scripturarum, quibus eadem expreſſa cernuntur, evidenter apparet. Conſtare hinc poteſt Chronici Mellicenſis fides & authoritas, quippe quod ab anno 1123. ad annum usque 1564. coetanei ſemper & æquales magna cura ſtudioque pertexuerunt: quanquam in nonnullis ipſorum, qui aut annos penitus vacantes (ut in ſæculo XIV. potiſſimum videre eſt) reliquerunt, vel parce nimium jejuneque res ævo ſuo geſtas adnotarunt, majorem diligentiam poſteritas merito deſideret. Additamenta, quibus variis in locis incerti ſæc. XIV. XV. & XVI. homines Chronicon iſtud infarſerunt auxeruntque, penitus reſecanda non putavimus: propterea quod etſi magnam partem neſcio quid fabularum redoleant, incertasque perſæpe narratiunculas admiſtas habeant; vera tamen non pauca ſcituque digna continent. Quæ proinde, ut à primaria æqualique Scriptorum manu Lector internoſceret, typis minoribus excudi voluimus.

III. Ex genuino hoc Mellicenſi Chronico refelli manifeſte poteſt inveteratus ille error, quem in Vetuſtiores etiam rerum Auſtriacarum Scriptores irrepſiſſe deprehendimus: nimirum Monaſterium Mellicenſe à Calixto II. S. P. ſub annum Chriſti 1122. fuiſſe conſecratum. Certè Chronographus Clauſtro-Neoburgenſis, auctor ſæculi XII, id diſertis hiſce verbis affirmat MCXXII. *Medlycenſe Monaſterium à Kalixto Papa conſecratur*, VIII. *Id. Martii.* Eadem, ſed omiſſo die menſeque, leguntur in Chronico Vatzonis, qui Auctor hactenus omnino incognitus, ineunte ſæculo XIV. ſcripſit, & à nobis in conſequentibus primum in lucem proferetur. Nec refragatur Chronographus Zwethalenſis *Recentior*, qui ſub medium fere ſæculum decimum quartum vixit, itidem inferius à nobis primum evulgandus; niſi quod commentitiam illam Monaſterii noſtri conſecrationem à Calixto Pontifice Romano factam duobus annis prævertat. Mitto quosdam vel domeſticos ævi recentioris Codices manuſcriptos, eadem fabula contaminatos: neque etiam Lazium, Scharrerum aliosque memoro, qui commentum iſtud libris ſuis latius ſparſerunt. At aliter longerem hanc exponit Chronicon Mellicenſe, omnibus ſuperius recenſitis Auctoribus antiquius, & cui in referendis rebus domeſticis potior utique quam exterorum cuique fides adhibenda. En ejus verba: *Anno* MCXXI. *Erchinfridus Abbas* (Medilicenſis ſeu Mellicenſis) *eligitur. Anno* MCXXII. *Hoc anno ab Apoſtolico Kalixto conſecratur*, VIII. *Id. Martii, & privilegium noſtri Monaſterii adquiſivit.* Eadem ad verbum habentur in Chronico

Garſtenſi

Garſtenſi (ſi diem memoratæ conſecrationis excipias, qui perperam hic VIII. Id. Martii ſignatur) & Zwethalenſi *Vetuſtiori*, quod poſterius integrum ſuo loco exhibebimus. Ex quibus clare patet, non Monaſterium Mellicenſe, ſed ejus tertium ex ordine Abbatem Erchenfridum a Calixto II. Papa fuiſſe conſecratum; eoque falli omnes, quotquot ſecus hac de re ſcripſere. Porro non eſt quod miretur quisquam, Abbates Mellicenſes ab ipſis Romanis Pontificibus ſollemni ritu fuiſſe inauguratos. Siquidem Paſchalis II. in litteris ſuis, quibus favorem exemptionis Mellicenſibus Benedictinis conceſſerat, diſerte cavit, ut qui deinceps communi fratrum conſilio in Abbatem Mellicenſem eligerentur, nonniſi a Romano Pontifice conſecrationem acciperent. Integrum hoc Pontificium Diploma videſis apud A. R. D. P. Anſelmum Schrambium noſtrum, Chronici Mellicenſis P. 2. pag. 52. Ejus rei exempla proſtant in Erchenfrido ſuperius laudato, Reginoldo, Ulrico, Conrado II. Abbatibus Mellicenſibus, qui omnes conſecrationis cauſa Romam profecti tum in hoc Mellicenſi, tum etiam Garſtenſi Chronico MS. dicuntur. Extinctus eſt demum mos iſte conſecrandi Præſules Monaſterii noſtri, in Ottakaro ab Anno 1324. ad 1329. Abbate Mellicenſi, cui Johannes XXII. Pontifex, ingentium ſumptuum, quibus ad profectionem Romanam ſemper opus erat, habita ratione, aliisque ex cauſis, in bulla Anno 1325. conceſſa benigne indulſit, ut ab Epiſcopo Seccovienſi in Abbatem conſecrari poſſet. Hæc ex Chronico Apparatu manuſcripto Admodum Reverendi ac Religioſi D. P. Philiberti Hueberi noſtri, Viri diligentiſſimi, & rei Archiviariæ longe peritiſſimi accepimus, qui veteres chartas, diplomata, aliaque id genus in ampliſſimo tabulario Mellicenſi recondita monumenta, incredibili Monaſterii noſtri emolumento, magno cum labore & diligentia ex autographis deſcripſit, eaque omnia ad multiplices indices redacta ordine pulcherrimo digeſſit; eoque nomine dignisſimus eſt, qui a ſera poſteritate, nedum a nobis immortali laude commendetur.

IV. Cæterum neminem, ut ſperamus, ſtyli barbaries, inconditæque dictiones, & nonnunquam male ſibi cohærentes ſententiæ, quibus poſteriores Chronici iſtius continuatores frequenter uſi ſunt, offendent. Etſi enim omnia nobis perquam facile fuiſſet emendatius efferre; tamen ut eruditis hominibus in eruendis Veterum monumentis fidem noſtram probaremus, eo plane modo & phraſi, qua in autographo extabant, reddidimus: rati eosdem ſpectare res potius quam verba, nec tam orationis elegantia, quam ſimplici veraque rerum geſtarum narratione delectari. Sed obſervationum in Chronicon Mellicenſe ſatis, ipſum jam erudito Lectori ſiſtamus.

CHRONICON MONASTERII MELLICENSIS.

I. Jeſus Chriſtus Dominus noſter in Bethlehem Judæ naſcitur anno quadrageſimo ſecundo Octaviani Auguſti Cæſaris, transactis ab initio mundi, ſecundum Hebraicam veritatem, annis MMM. DCCCCLII. ſecundum ſeptuaginta vero Interprètes, MMMM. nonaginta novem, ab Urbe vero condita DCCLII. *Refert Oroſius ab Adam usque ad Ninum Regem, & quando Abraham natus eſt, tria milia annorum* CLXXXIV. *ab Nino vel Abraham usque ad nativitatem Chriſti duo milia annorum &* XV. *ſumma ab Adam usque ad Chriſtum* V *milia* CLXXXXIX.

II.

III. Herodes infantes occidit. Auguſtus Tyberium & Agrippam in filios adoptavit.

IV. Judas Galileus ad rebellandum Judæos cohortatur.

V. Aſinus [1] Pollio Orator moritur.

VI. Herodes Rex Judeæ cum magno cruciatu moritur: pro quo Archelaus regnavit annis novem.

VII. Fames magna Romæ facta eſt.

VIII.

[1] *al.* Aſinius.

IX. Tiberius Cæsar sub Augusto Dalmatas Sarmatasque subegit.

X.

XI.

XII. Jani portæ duodecim annis ab Augusto clausæ aperiuntur.

XIII. Messala Corvinus Orator moritur.

XIV. Eclypsis solis facta est.

XV. Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur, *& Judæa Tetrarchis committitur*, & Augustus moritur, *veneno interiit annorum* LXXX.

XVI. Tiberius privignus Augusti regnavit annis XXIII. *Qui duos annos Tiberius, postea autem Biberius vocabatur propter intemperantiam. Huic Tiberio quidam artifex vitreum vas obtulit, quod Tiberius ad parietem proiciens non fractum sustulit, sed curvatum. Igitur artifex malleum protulit, & vitrum velut cuprum fabricans mox correxit. Sed interrogatus a Tiberio, dixit hanc artem neminem scire super terram. Quem Tiberius decollari jussit, dicens: Si hæc ars in consuetudinem venerit, pro nihilo aurum reputabitur & argentum. Hæc Ysidorus Ethymologiarum* XVI. Herodes Tetrarcha Judæorum regnum tenuit annis XXIV.

XVII. Mathematici Urbe pelluntur.

XVIII. Livius Historiographus moritur: & Ovidius Poëta in exilio moritur.

XIX. Germanicus (qui & Agrippa) a Tiberio missus Germanos vicit: & terræ motu XIII urbes corruerunt.

XX. Germanicus Cæsar moritur.

XXI. Feneſtella Historiographus & Poëta moritur.

XXII. Tiberius multos Reges ad se dolo vocatos nunquam remisit.

XXIII. Pompej theatrum incensum est.

XXIV. Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.

XXV.

XXVI.

XXVII. Pilatus Præses a Tiberio in Judæam mittitur.

XXVIII.

XXIX.

XXX. Dominus noster Jesus Christus a Johannne baptizatur, trigesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.

XXXI. Johannes Baptista ab Herode Tetrarcha decollatur *in die Annuntiationis Christi.*

XXXII.

XXXIII. Dominus noster Jesus Christus in Hierosolima passus est, & resurrexit. Stephanus lapidatur.

XXXIV. Paulus de cœlo vocatur. Jacobus, qui dicitur frater Domini, Hierosolimis Episcopus ab Apostolis ordinatus sedit annis XXX.

XXXV. Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens, seditionem Judæis excitavit.

XXXVI. Sejanus Præfectus Tiberium, ut Judæos deleat, cohortatur.

XXXVII. Agrippa Herodem Tetrarcham Romæ accusans, a Tiberio in vincula mittitur. *Tiberius lepra infectus Albanum misit ad Pilatum pro Jesu medico adducendo. Pilatus se per literas excusat, & Jesu necem imputans invidiæ Judæorum; de Christi virtutibus multum scripsit. Sed Veronica ipsum curavit. Tiberius autem cum magno favore ad Senatum retulit, ut Jesus pro Deo coleretur, quod tunc processum non habuit: quia Christus hanc licentiam sprevit, nec a Romanis pro Deo coli voluit, donec immunditia idolorum extirparetur e Roma, sanguine Martyrum riganda.*

XXXVIII. Tiberius Cæsar populum Romanum graviter afflixit, & ipse veneno periit.

XXXIX. Gajus Caligula, regnat annos IV, menses X, dies VIII. Vir sceleſtissimus, *tribus sororibus, & filiæ unius stuprum intulit.* Herodes Agrippa Rex Judææ constitutus a Gajo regnavit annos VII.

XL. Judæi apud Alexandriam profligantur: pro quibus Philo clarissimus Scriptor apud Gajum interpellans, nihil profuit.

XLI. Pilatus semetipsum interfecit, magnis a Gajo calamitatibus oppressus.

XLII. Matthæus Evangelium Hebraice scripsit. Gajus occiditur a protectoribus suis.

XLIII. Claudius annos quatuordecim.

XLIV. Petrus Apostolus Romam venit, ibique per XXV. annos, menses II, dies III. prædicans Episcopatum tenuit, *sed prius in Antiochia Papatum tenuit, ubi modo sunt* XII. *Archiepiscopatus. Constituit dicere Pater noster, & jejunium Quadragesimæ & Adventus. Divisio Apostolorum facta est.*

XLV. Herodes Agrippa ab Angelo percussus expiravit: pro quo filius ejus Agrippa regnat annos XXVI. Marcus in Alexandria Evangelium scripsit.

XLVI. Fames magna facta est, *quam prædixit Agabus.* Claudius Brittaniam subegit.

XLVII. Nova insula XXX stadiorum in mari apparuit.

XLVIII. Cives Romani a Claudio numerati, inventi sunt sexagies novies C. milia, & XLIV milia.

XLIX. Judæorum in seditione XXX milia interfecta sunt in diebus azymorum.

L.

LI. Claudius Judæos urbe expulit.

LII. Magna fames Romæ facta est.

LIII. Claudius Felicem Præsidem Judææ facit.

LIV. His temporibus Simon magus hæresis auctor extitit.

LV. Ægyptius quidam pseudopropheta Judæorum plures seducens, a Felice opprimitur.

LVI. Claudius veneno mortuus est, anno ætatis LXIV.

LVII. Nero annos pene XIV. Iste flagitiosissimus in cunctis fuit, primam persecutionem in Christianos exercuit. Festus Felici Præsidi succesſit. *Nero aureis in piscando usus fuit retibus, nullam vestem bis induit, mulis suis argenteas sellas fecit, palatium eburneum construxit, non audax in bello.*

LVIII. Paulus Apostolus Romam a Festo Præside mittitur.

LIX. Hucusque librum Actus Apostolorum Lucas

Lucas Evangeliſta perduxit, continentem a paſſione Domini XXVII annos.

LX. Statius Poëta clarus habetur.

LXI. Nero Agrippinam matrem & ſororem ſuam interficit.

LXII. Nero infinita luxuria & laſcivia ignaviaque bachatur.

LXIII. Jacobus frater Domini a Judæis lapidatur. Feſto Præſidium Judæa Albinus ſucceſſit.

LXIV. Marcus Evangeliſta apud Alexandriam paſſus eſt; *ibi enim fuit Patriarchatus.*

LXV. Neronianæ thermæ a Nerone ædificantur. Perſius & Lucanus Poëtæ moriuntur.

LXVI. Nero ut ſimilitudinem Trojæ ardentis videret, magnam partem Romæ incendit.

LXVII. Nero magiſtrum ſuum Senecam interficit, *non per ſe, ſed, inquit, elige mortem: qui venam incidens moritur.*

LXVIII. Veſpaſianus Dux exercitus adverſum Judæos rebellantes a Nerone mittitur.

LXIX. Petrus crucifigitur: & peſtilentia magna Romæ facta eſt.

LXX. Paulus decollatur, & Nero ſeipſum interficit. Linus primus Papa poſt Apoſtolum Petrum ſedit annis XII. *Hic inſtituit, ut nulier velato capite intraret Eccleſiam.* Ignatius Antiochiæ II Epiſcopus poſt Petrum Apoſtolum ordinatur.

LXXI. Galba menſes VIII, *ab Ottone ſequente occiſus.* Otto menſes III. *ſeipſum interfecit victus a Vitellio.* Vitellius menſes VIII, *a Ducibus Veſpaſiani occiditur.*

LXXII. Veſpaſianus in Judæa pugnans, Imperator ab exercitu conſtituitur, Vir militari virtute (*obſcure tamen natus*) præcipuus regnat annis X.

LXXIII. Titus inenarrabili fame cruciatos Judæos oppugnat.

LXXIV. Hieruſalem a Tito expugnata deſtruitur, anno a paſſione Domini XLII, a prima vero conditione templi ſub Salomone anno MLXXXIX. *Tam diu prius obſeſſa eſt, donec Judæi corrigias, & fœnum, & pueros comederent: &* DC. *corpora mortuorum per portas ejecta ſunt. Dicit Joſephus:* XCVII *milia venditi ſunt, & undecies centena milia fame & gladio perierunt.*

LXXV.

LXXVI.

LXXVII. Joſephus Hiſtoriographus clarus habetur.

LXXVIII.

LXXIX. Coloſſus erectus eſt, habens pedes altitudinis C & VII.

LXXX. Peſtilentia Romæ facta eſt: & terræ motus tres civitates Cypri ſubvertit.

LXXXI. Veſpaſianus profluvio ventris in villa circa Sabinos periit. *Qui cum morte urgeretur, erexit ſe, dicens: Stantem decet Imperatorem de hoc mundo migrare.*

LXXXII. Titus Veſpaſiani filius annis II. Vir omnium genere virtutum mirabilis, ita ut [1] divitiæ & amor humani generis diceretur. *Tantæ largitatis extitit, ut nulli quidquam denega-*

[1] *al.* delitiæ.

ret. Vir bellicoſus, in Græca Latinaque lingua diſertus.

LXXXIII. Cletus II Papa annis XII. *Hic primo ſcripſit: Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Item conſtruxit memoriam S. Petri, ſuadens peregrinationes ad limina SS. Apoſtolorum, & dixit eſſe melius quam jejunium duorum annorum; omnes diſſuadentes excommunicavit.* Titus in eadem villa, qua & pater, obiit anno ætatis XLII.

LXXXIV. Domitianus frater Titi annos XVI. Hic infectus omnibus ſceleribus ſecundo perſequitur Chriſtianos. Domitianus evnuchos fieri prohibuit.

LXXXV. Decreto ſenatus Titus inter Deos refertur.

LXXXVI. Treſi Virgines Veſtæ ob ſtuprum damnantur.

LXXXVII. Amanus primus poſt Marcum Evangeliſtam Epiſcopus Alexandriæ, poſt annos XXII obiit: pro quo Abilius ſecundus ſedit annis XIII.

LXXXVIII.

LXXXIX. Domitianus ſe Deum & Dominum appellari juſſit.

XC.

XCI. Quintillianus Rhetor Romæ clarus habetur.

XCII. His temporibus hæreſis Menandri magi, & Hebionitarum, & Corinthiorum, & Nicolaitarum exoritur.

XCIII. Hoc tempore Romani mala plurima a Domitiano, & ab hoſtibus pertulerunt.

XCIV. Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.

XCV. Clemens Papa III ſedit annos IX. Cornelia virgo Veſtalis ob ſtuprum viva defoſſa eſt.

XCVI. Domitianus multos nobilium occidit.

XCVII. Johannes Apoſtolus in Pathmos inſulam a Domitiano exilio miſſus Apocalypſim ſcripſit.

XCVIII. Domitianus Flaviam Domitillam cum aliis multis in exilium pro fide Chriſti relegavit.

XCIX. Domitianus cum multa mala egiſſet, crudeliter a ſuis interfectus eſt.

C. Nerva ſenex annum unum. Hic primo edicto ſuo exules omnes revocavit. S. Johannes Apoſtolus ab exilio rediens Evangelium ſcripſit. Nerva confectus morbo obiit. *S. Johannes ſedens abſque tecto Evangelium ſcripſit; ſed pluviæ nec tunc, nec in hodiernum diem in illum locum deſcenderunt.*

CI. Trajanus, genere Hiſpanus, annos XIX. Vir populo Romano utilis, ſed errore deceptus tertio perſequitur Chriſtianos. *Iſte laboris patiens, juſtitiæ, juris Imperator & cuſtos dicere conſuevit: Talis eſſe debet Imperator, qualem vellet erga ſe optare Imperatorem, ſi foret regno privatus.* Johannes Apoſtolus apud Epheſum dormivit in pace, anno a paſſione Domini LXVIII.

CII.

CIII. Trajanus de Dacis & Scythis triumphat.

CIV. Trajanus multas gentes Romano subjecit imperio.

CV. Simeon, Cleophæ filius, Hierosolimæ Episcopus crucifigitur.

CVI.

CVII. Terræmotus multas urbes subvertit, & aurea domus, Neroniis fulmine periit, & Pantheon crematum, & Ignatius Antiochiæ Episcopus Romæ bestiis traditur: pro quo Oron constituitur.

CVIII.

CIX.

CX. Post Justum Hierosolimitanum Episcopum Zachæus II, post quem Tobias, & post hunc Benjamin, dein Johannes, post quem Mathatias, cui successit Philippus.

CXI.

CXII.

CXIII. Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam provincias fecit. *Item Adrianus* [1] *Helius, nepos Trajani & successor imperii, perdidit easdem provincias.*

CXIV.

CXV. Terræmotus totam pene Antiochiam subruit.

CXVI.

CXVII. Judæi commoti magnas cædes hominum faciunt.

CXVIII. Judæi in Alexandria victi, ab omnibus ubique trucidantur.

CXIX. Trajanus profluvio ventris moritur, anno ætatis LXIV: *cujus ossa in foro, quod ipse construxerat, posita sunt in urna aurea sub columna* CXL *pedum. Nullus Cæsar ante ipsum Romæ sepultus est: pro hujus anima post annos fere quingentos Gregorius flendo rogavit, & ei meliorem locum impetravit.*

CXX. Adrianus Helius annos XXI. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Christianis. *Homo facundus & eruditus in Physica, Musica & Astronomia, bibliothecam miri operis construxit Athenis, pacem semper dilexit, & ideo tres provincias perdidit.*

CXXI. Apud Parisium Dionysius Ariopagita Episcopus martyrizatur.

CXXII. Adrianus Alexandriam publicis restauravit expensis.

CXXIII. Adrianus Judæos iterum profligat.

CXXIV. Adrianus plurima tributa relaxat. Sixtus Papa VI sedit annis X. *Hic constituit* Sanctus *in Missa cantari: constituit corporale fieri de Lino, & ne mulier tangat illud vel calicem.*

CXXV. Terræmotus factus. Bellum contra Sauromatas gestum.

CXXVI. Adrianus in Lybiam, quæ a Judæis vastata fuerat, colonias deducit.

CXXVII. Alexandriæ Justinus Episcopus sedit annis XI. Athenienſibus Adrianus legem dedit.

CXXVIII.

CXXIX. Hoc tempore Aquila, *genere Ponticus*, Interpres habetur.

CXXX.

CXXXI. His temporibus Saturninus & Basilides & Carpocrates hæresim condiderunt.

CXXXII. Adrianus primus Pater patriæ appellatur. *Nota, eo tempore Missa in Græco idiomate celebrari cœpit: quia in antea Hebraice tantum celebrabatur.*

CXXXIII.

CXXXIV. Nicopolis & Cæsarea terræmotu corruerunt.

CXXXV. Adrianus Athenas ampliavit ædificiis plurimis.

CXXXVI. Judæi in arma versi Palæstinam populantur.

CXXXVII.

CXXXVIII. Judæi iterum commoti, magnis ubique cladibus enecantur.

CXXXIX. Hierusalem ab Helio Adriano reparata est, & ex ejus nomine Helia nuncupata, & Judæis interdicta. *Item Telesphorus sedit annis* XI, *menses* V. *Constituit dicere* Gloria in excelsis; *item tres Missas in nocte Domini: item ut omnes Clerici incipiant jejunare a feria secunda post* Esto mihi.

CXL. Primus ex gentibus Hierosolimis Episcopus Marcus ordinatur, cum jam XV de Judaica gente obiissent.

CXLI. Adrianus morbo intercutis, aquæ confectus, moritur major sexagenario.

CXLII. Antoninus, cognomento Pius, annis XXII, mensibus III. Hic per apologeticum Christiani Philosophi & postea Martyris edoctus, clemens factus est nostris. *Hic sua liberalitate omnes thesauros suos distribuit, & ærarium omnino evacuavit. Item in omni regno suo cautionibus retentis debita relaxavit. Postea necessitate compulsus ornamenta uxoris suæ vendidit, & vasa pretiosa, ut stipendia militibus erogaret, non tamen exactiones in subditos fecit: & ideo Deus cum sic ditavit, ut ipse multos ditaret, & ærarium relinqueret opulentum.*

CXLIII. Antoninus Pater patriæ appellatur.

CXLIV. Valentinus, & Cerdo, & post hos Marcus hæresi impugnant [1].

CXLV. Justinus Philosophus pro Christianis apologeticum Antonino scripsit. *Item Secundus Philosophus, qui de inconstantia mulierum scripsit, & matrem suam attentavit, sed eam non cognovit, & dixit: Vera est sententia Philosophorum.*

CXLVI. Antiochiæ constituitur Episcopus Heros.

CXLVII.

CXLVIII.

CXLIX. Alexandriæ Marcus Episcopus sedit annis X. *Item Ptolomæus Vir mirabilis in Astronomia.*

CL. *Item Aginus* [2] *Papa sedit annis* IV, *menses* III. *Constituit, ut unus patrinus, vel patrina habeatur in Baptismo & Confirmatione.*

CLI.

CLII.

CLIII. Apollonius & Basilides Philosophi illustres habentur. *Item Pius Papa sedit annis* XVII. *Hic constituit, ut Clericus Episcopo insidians deponatur, & tradatur curiæ sæculari. Huic An-*

[1] *i.* Ælius.

[1] *Supple* Ecclesiam. [2] *al.* Hyginus.

gelus

gelus in ſpecie paſtoris apparuit, & nuntiavit Paſcha die Dominico celebrari: quia prius VI. *Kal. Aprilis celebratur.*

CLIV.

CLV.

CLVI. Creſcens Cynicus Philoſophus Juſtino noſtro Philoſopho commovit perſecutionem, in qua ille pro Chriſto occubuit.

CLVII.

CLVIII. *Galenus Phyſicus in Pergamo natus, claruit tunc Romæ.*

CLIX.

CLX. Hieroſolimis poſt Marcum Caſſianus Epiſcopus.

CLXI.

CLXII.

CLXIII. Antoninus Pius apud Lorium obiit, anno ætatis LXVII.

CLXIV. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Commodo Aurelio annis X & IX. Hi primum æquo jure adminiſtraverunt Imperium. Quarta perſecutio Chriſtianorum orta eſt. *Hic gener Antonini Pii nobiliſſimus, priæter fidem Chriſtianam omnes virtutes & ingenium cœleſte poſſedit: qui ſi non fuiſſet, gloria Romana periiſſet. Ad nullum eventum fuit elatus, ab hoc etiam Roma incœpit duos Imperatores habere; ut uno moriente alter ſuccederet; uno præliante alter judicio præſideret.*

CLXV. Lucio Commodo Cæſari Athenis ſacrificanti, ignis ab oriente ad occidentem in cœlo ferri viſus eſt.

CLXVI. Vologeus [i] Rex Parthorum quasdam provincias Romanas depopulatur.

CLXVII. Fronto inſignis Orator habetur. Seleucia a Romanis capta eſt.

CLXVIII. Cæſares de Parthis triumphant.

CLXIX. Multi Martyres Romæ, Cretæ, & in Syria, & in Alexandria paſſi ſunt.

CLXX. Hoc tempore lues maxima multas vaſtavit provincias, & pene Romanam. *Sincerus Papa (ſecundum alios Anicetus.) Hic conſtituit, ut corona Clerici ſit ſphærica, & crines breves.*

CLXXI.

CLXXII. Theophilus vir ſapiens ordinatur Antiochiæ.

CLXXIII. Alexandriæ Agrippinus Epiſcopus ſedit annis X. Lucius Cæſar apoplexia occiſus eſt.

CLXXIV. Cathaphrygarum hæreſis oritur.

CLXXV. *Sother Papa ſedit annis* IX. *Hic conſtituit, ut uxor non habeatur pro legitima, niſi per ſacerdotem ſit benedicta. Item ut Monacha velum portet. Item ne fœmina ad altare miniſtret. Item ne mulier, nec fœmina vel Virgo maneat in domo Clerici, de qua poſſet oriri ſuſpicio;* alioquin excommunicetur.

CLXXVI. His temporibus Hegeſippus, Dionyſius Corinthi Epiſcopus clari habentur. Pynitus Cretæ Epiſcopus, Theophilus Antiochiæ Epiſcopus, Modeſtus, Melito, Apollinaris, & alii plurimi Doctores clari habentur.

CLXXVII. Antoninus Imperator multa prælia per ſe, & per Duces ſuos contra Romanos inimicos exegit.

CLXXVIII. Hoc tempore Tatianus hæreſim Encratitarum condidit.

CLXXIX. Antoninus Verus Commodum filium regni conſortem fecit.

CLXXX. Imperatores de hoſtibus triumphant, & debita plebi relaxant.

CLXXXI. Lucius Britanniæ Rex ab Eleutherio Papa, ut Chriſtianus efficiatur, interpellatur.

CLXXXII. Antoninus in Pannonia moritur.

CLXXXIII. Lucius Commodus poſt mortem Antonini patris annis XIII. Commodus de Germanis triumphat. *Hic Philippum illuſtrem Romanum in Alexandriam miſit, ut eſſet Præfectus Ægypti. Cujus filia in habitu virili Monaſterium ingreditur, & in Abbatem eligitur, comitantibus ſecum Protho & Hiacintho. Quæ per Melanciam infamata, Sergium & Bachum fratres ſuos & totam parentelam ad fidem Chriſti convertit. Require in legenda.*

CLXXXIV. Templum Serapis Alexandriæ incenſum eſt. *Eleutherius Papa ſedit annis* XV. *Hic conſtituit, ut nulla eſca uſualis repudiaretur. Item ut nullus a ſuo gradu deiciatur, niſi accuſatus & victus. Item ut ſententia feratur accuſatore & reo præſente. Idem Papa Eleutherius dixit, quod Chriſtus Judam non dejecit de Apoſtolatu, licet noverit ſuam malitiam.*

CLXXXV. Hoc tempore Pantenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.

CLXXXVI. *Eo tempore Lucius Rex Britanniæ paganus virtuoſus gentiles Epiſcopos* XXVIII *habuit, dictos Flamines; quorum tres Archiflamines vocabantur. Hic per nuntios Eleutherii Papæ baptizatus eſt, & XXVIII Epiſcopos & tres Archiepiſcopos conſtituit in regno ſuo, & ipſe Rex ſolus fugiens in Bawariam venit, & totam Rhætiam inter alpes ſitam miraculis & prædicationibus ad fidem Chriſti convertit, deinde Epiſcopus ordinatus, ac tandem martyrio coronatus.*

CLXXXVII. Commodianæ thermæ Romæ factæ ſunt.

CLXXXVIII. Origenes apud Alexandriam naſcitur.

CLXXXIX. Hoc tempore Montanus quidam Cataphrygarum hæreſim condit. *Idem hæreticus dixit, nec Apoſtolis, nec aliis Spiritum Sanctum datum fuiſſe, niſi ſolum ſectæ Cataphrygarum.*

CXC. Hireneus Lugdunenſis Epiſcopus & alii Doctores claruerunt.

CXCI. Capitolium Romæ & bibliotheca fulmine crematur.

CXCII. Commodus Coloſſi capite ſublato, ſuæ imaginis caput juſſit imponi.

CXCIII. Magna quæſtio de Paſcha oritur, & in Dominico die coſi jubetur.

CXCIV. Commodus multos nobilium interfecit.

CXCV. Commodus multis incommodus in domo Veſtali ſtrangulatur.

CXCVI. Helius Pertinax menſibus VI. Hunc Julianus jurisperitus occidens, regnavit menſibus VII. *Hic extitit vir grandævus, & omnibus æquus, munera nunquam accepit, nunquam ſe vindicavit. Rogatus a Senatu, ut filium ſuum Cæſa-*

[i] *al.* Vologeſus.

rem faceret, & uxorem Augustam vocaret, respondit: sufficere ei debet, quod ego regnem invitus.

CXCVII. Severus Pertinax, genere Afer, annis X & VII. Hic Julianum civili prælio vicit, & se Pertinacem appellavit. *Iste Severus studiis Philosophiæ & civilibus scientiis clarus, litteris Græcis & Latinis est eruditus. Quintam persecutionem excitavit in Christianos: apud Lugdunum Galliæ enim in uno collo [1] crucem, in altero idolum collocavit. Ad Episcopum Hirenæum cum omni populo in medio stantem, dixit sic: Qui Deos adoraverit, vivet; qui se cruci inclinaverit, occidetur. Episcopus lætus cum vexillo præcessit, & ivit ad crucem, & populus fere totus gaudenter subsequens, sustinuit passionem.*

CXCVIII.

CXCIX. Hoc tempore Narcissus Hierosolimorum Episcopus, & Theophilus Cæsariensis Polycarpus quoque & Bachilus, & alii Episcopi insignes habentur. *Victor Papa sedit annis X. Cujus tempore determinatum fuit in Concilio Cæsariensi, quod Deus mundum in æquinoctio vernali creavit: sole exeunte in principio arietis, & Luna plena in principio libræ; ergo Pascha celebretur die Dominica post lunam decimam quartam Aprilis.*

CC. *Clemens Alexandrinus Presbyter, & Panthenus Philosophus claruerunt.*

CCI. Judaicum & Samariticum bellum motum est.

CCII. Severus Parthos, Adiabenos Arabasque superavit.

CCIII.

CCIV. Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ fuit.

CCV.

CCVI. Severus Quinta persecutione plurimos Sanctos coronavit, inter quos pater Origenis Leonides cum multis aliis martyrizatur. *Hic Origenes annorum XVIII matrem una cum fratribus aluit, & Grammaticam docens, sibi & suis necessaria conquisivit. Libros cottidie novos dictavit, & usque ad septuagesimum ætatis suæ annum plus quam quinque milia librorum compilavit: in quibus hinc inde vel ipse vel alter errores pessimos seminavit. Ubi bene scripsit, ibi nullus melius; ubi autem male, ibi nullus pejus scripsit. Require in Epistola Jeronimi.*

CCVII.

CCVIII. Perpetua & Felicitas hac persecutione apud Kartaginem bestiis deputantur.

CCIX. Symachus & Theodotion Interpretes habentur. *Zepherinus Papa sedit annis VIII [2] dies X. Hic constituit, ut omnis Christianus annorum XII semper in Pascha Communionem recipiat Sacramenti. Item ut calix & omnia vasa vitrea [3] (quod per annos centum servabatur usque ad Urbanum Papam) qui tunc constituit fieri argentea, vel aurea vel stannea.*

CCX. Severus Vallum apud Brittannos per [4] CXXII. passuum a mari usque ad mare fecit.

CCXI.

CCXII. Tertullianus clarissimus habetur.

CCXIII. Severus in Brittannia moritur *apud Eboracum oppidum, ubi est Archiepiscopatus in Anglia.*

CCXIV. Antonius [1] Caracalla, *filius Severi*, annos VII. Quinta editio Hierosolimis invenitur. Antiochiæ IX Episcopus Asclepiades constituitur.

CCXV. Hoc tempore Alexander Episcopus Cappadociæ a Narcisso Hierosolimorum Episcopo constituitur.

CCXVI. Antonius Caracalla propter genus vestis, quod Romæ erogabat, cognominatur.

CCXVII. *Kalixius Papa sedit annos VII, menses II. Hic constituit, ut emens Simoniâ & vendens spiritualia, sit irregularis; item jejunia quatuor temporum; item ne aliquis contrahat matrimonium cum consanguinea uxoris suæ; item cimiterium primus instituit, & in Roma cimiterium subterraneum latius miliari, habens testudines & diverticula infinita, & dicitur adhuc* cimiterium Kalixti, *in quo Sancti innumerabiles sunt sepulti.*

CCXVIII. Antonius Romæ thermas sui nominis ædificavit.

CCXIX. Antonius impatientia libidinis novercam suam Juliam duxit uxorem.

CCXX. Antonius interficitur anno [2] XLIII. *pessimus homo fuit.*

CCXXI. Ophynus Martynus [3] annum unum. Martynus cum filio Diadumeno occiditur. Antiochiæ Filetus Episcopus constituitur.

CCXXII. Marcus Aurelius Antoninus annos III.

CCXXIII. Hyppolitus Episcopus clarus habetur. Heliogaballum templum Romæ ædificatur.

CCXXIV. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est. *Urbanus Papa sedit annis VIII, menses IX. Cæciliam ac Tiburcium & Valerianum aliosque Sanctos plurimos ad fidem convertit. Hic constituit omnia vasa altaris esse aurea vel argentea; item Confirmationem fieri Chrismatis. Item Julianus primus historiographus inter Scriptores nobilissimus.*

CCXXV. Aurelius tumultu militari Romæ occiditur. Sexta editio Nicopoli reperitur.

CCXXVI. Aurelius Alexander regnat annis XIII. Hic in matrem suam unice pius fuit, & cunctis charus. Alexander Xersen Regem vicit. *Hujus Alexandri tempore Sanctus Narcissus Episcopus Gerundiensis Sanctam Affram in Augusta traditur convertisse: alii dicunt, quod sub Diocletiano anno Domini* CCC.

CCXXVII.

CCXXVIII.

CCXXIX. Ulpianus Jurisconsultus insignis habetur.

CCXXX. Neronianæ thermæ Alexandrianæ vocantur. *Item corpus S. Thomæ Apostoli de India in Edissam translatum est; cui tamen videtur contrarium, quod legitur in Passionali.*

CCXXXI. *Pontianus Papa sedit annis IX,*

1. *f.* thole. 2. *al.* XVIII. 3. *deest aliquid in MS. v.g.* sint, *aut hujusmodi.* 4. *edit. in Pistorii* per 132. passuum millia a mari *&c.*

1. *al.* Antoninus. 2. *supple ex Pistorio* vitæ. 3. *al.* Opilius Macrinus.

menses

menses VI. *Cui successisse creditur Cyriacus, sed non est in Katalogo Pontificum: quia cum* XI *milibus Virginum virgo a sede recessit, passus cum eis in Colonia sub Julio Rege Hunnorum.*

CCXXXII.

CCXXXIII. Mammea mater Alexandri Originem celeberrimum Doctorem ad se vocatum audire curavit.

CCXXXIV.

CCXXXV.

CCXXXVI. Alexandriæ Heraclas Episcopus vir sapiens.

CCXXXVII. *Fabianus Papa sedit annis* XV. *Hic constituit Chrisma in Cœna Domini consecrari. Item pro causa licita ad tollendas controversias juret homo. Columba super caput ejus alba, cum Papa eligi deberet, sedit.*

CCXXXVIII. Alexander tumultu militari occiditur *apud Magonciam.*

CCXXXIX. Maximinus annos III. Iste Sextus post Neronem persequitur Christianos, & maxime Rectores Ecclesiæ.

CCXL. Apud Cæsaream Palæstinam Pamphilus & Maximus Presbyteri coronantur.

CCXLI. Maximinus Aquilegiæ occiditur *cum filio suo adhuc puero a Pupieno, deserentibus eum suis militibus.*

CCXLII. Gordianus annos VII. Pupienus & Albinus, qui Imperium arripuerant, in palatio occisi sunt.

CCXLIII. Hoc tempore Julius Chronographus clarus habetur.

CCXLIV. Hac tempestate Origenes Theodorum & Anatheodorum fratres, postea Episcopos nobiles, Divina imbuit Philosophia.

CCXLV.

CCXLVI.

CCXLVII. Gordianus [1] Parthis & Persis triumphavit, Germanosque vicit.

CCXLVIII. Gordianus cum victor a Parthis reverteretur, haut longe a Solo Romano interficitur.

CCXLIX. Philippus, *dominus utriusque Pannoniæ*, cum Philippo filio annos VII. Hic primus Imperator Christianus fuit. Philippus Philippum filium suum *Vannorum* regni consortem fecit. *Hic efficitur Christianus per Origenem Doctorem.*

CCL. Alexandriæ Dionysius Episcopus clarus Doctor sedit annos XIX.

CCLI.

CCLII. Millesimus annus ab urbe condita festive colitur. *Cornelius, Papa sedit annis* III, *quem etiam nos nominamus in Canone. Hujus tempore Græci Reliquias Petri & Pauli furati sunt. Dæmones clamabant: Romani succurrite, Dii vestri auferuntur vobis. Græci territi, ossa in puteum projecerunt, quæ Papa levavit, & vox de cœlo dixit: Ossa majora sunt Prædicatoris; minora vero Piscatoris.*

CCLIII. Origenes Presbyter his temporibus tanta scripsit, ut Hieronymus quodam loco V. milia librorum legisse se dicat.

CCLIV.

CCLV. Philippus Senior Veronæ, Junior vero Romæ occiditur. *Sixtus Papa sedit anno* I, *mensibus* II. *Hic, & duo præcedentes Cornelius & Fabianus leguntur passi sub Decio, & Laurentius Martyr.*

CCLVI. Decius annum I. Iste Septimus persequitur Christianos. Antonius Monachus nascitur. Decius Cæsar cum filio suo in Thracia a Gothis occiditur. *Lucius Papa sedit annis* III, *mensibus* III. *Hic constituit, ut vestes consecratæ non habeantur in cottidiano usu; item ut Episcopus sit annorum triginta, & cum ipso semper sint duo Presbyteri, & duo Diaconi; item ut Papa eligatur a Clero in publico.*

CCLVII. Gallus & Volusianus annos II. Origenes anno ætatis LXX moritur. Novatus Presbyter hæreseos auctor extitit. Maxima pestilentia facta est.

CCLVIII. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt.

CCLIX. Valerianus cum Gallieno *filio, qui etiam Decius est dictus (ut dicitur & legitur)* annos XV. Iste octavam persecutionem in Christianos exercuit. *Stephanus Papa sedit annos* IV, *menses* II, *passus* IV. *Non. Augusti.*

CCLX.

CCLXI. Cyprianus Doctor eximius, Carthaginensis Episcopus, martyrizatur. *Item Cyprianus quoque, qui de lapsis atque pœnitentibus multa conscripsit, in tantum pœnitentes asseruit recipiendos; ut etiam, si in ultimo vitæ termino errata sua ingemiscendo deflevirint, de salute eorum non esset desperandum.*

CCLXII. Valerianus commota persecutione, a Sapore Rege Persarum captus, & oculis privatus, in servitute miserabili consenescit: & Gallienus territus, pacem Christicolis reddidit.

CCLXIII. *Sixtus Papa sedit annis* IV. *Hic constituit, ut altaria ad orientem vertantur contra paradisum, ubi sol oritur in medio Martii & Septembris.*

CCLXIV. Antiochiæ Paulus Samosatenus, & postea hæreticus, Episcopus constituitur.

CCLXV. Germani Italiam, & Alamanni Gallias populantur.

CCLXVI. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia depopulantur per Gothos: & alias plures provincias Barbarorum quassavit irruptio.

CCLXVII. *Dionysius Papa sedit annis* VI.

CCLXVIII. Maximus Alexandriæ Episcopus sedit annos XVIII.

CCLXIX. Hoc tempore Theodorus (qui & Gregorius) Neo-Cæsareæ Episcopus virtutibus claruit.

CCLXX.

CCLXXI. Gallienus, *qui & Decius*, Mediolano *a militibus* occiditur. *Hoc tempore passi sunt Felix Papa, Marius & Martha, S. Quirinus filius Philippi Imperatoris, Audifax & Abacuch.*

CCLXXII. Claudius annum unum, *& persequitur Christianos.* Iste Gothos jam per annos XV. Illyricum Macedoniamque vastantes superat. Paulus de Samosathe Episcopus, hæreticus esse convincitur.

[1] *supple* de.

CCLXXIII. Claudius Smirmio [1] moritur, pro quo frater Quintillus regnat dies XVII, & occiditur.

CCLXXIV. Aurelianus annos V. Hic Romano populo utilis, primo clemens Christianis, postea persecutor fuit. *Iste Aurelianus primo diadema capiti suo imponens, & vestes auroque & gemmis contextas in usu habuit, quod antea Romanis moribus incognitum fuit: porcinas quoque carnes in usum populo instituit. Hujus sponsa Domitilla fuit, quæ Christiana facta, ipsum contempsit. Civitatem Galliæ, quæ Genebum dicebatur, nomine suo Aurelianam vocavit.*

CCLXXV. Zenobia Regina Orientis vincitur.

CCLXXVI. Aurelianum Romæ triumphantem Dietricus & Zenobia Regina captivi præcesserunt.

B CCLXXVII. Aurelianus templum soli ædificat, & nonam persecutionem in Christianos excitat.

CCLXXVIII. Aurelianus Divino fulmine territus, intra Bisanzium & Heracliam a militibus occiditur. Tacitus, *qui & Titus*, menses VI, *apud Pontum occiditur.*

CCLXXIX. Probus *strenuus, fortunatus & justus* annos IV. Galliæ a Barbaris vastatæ, a Probo Romano restituuntur Imperio.

CCLXXX. Manes quidam, genere Persa, insanam Manichæorum hæresim condidit.

CCLXXXI. *Hic aliquid est notandum. Secundum Scripta Sanctorum Hermachoræ primi Episcopi, Aquilegiensis, & Fortunati Discipulorum S. Marci Evangelistæ, post Ascensionem Domini beati Apostoli, quos ipse Rex Regum & Dominus dominantium constituit principes super omnem terram, cum jam in fines orbis terræ verba eorum exissent, & nimis confortatus esset principatus eorum; ipsi per se, & etiam per suos discipulos, ubi jam semen Verbi Dei sparserant, Ecclesias Cathedrales tam Episcopatuum, quam Archiepiscopatuum, propter vitandum confusionis malum, per universum orbem limitibus distinxerunt, & ipsas propriis Sacerdotibus regendas commiserunt: inter quas Laureacensis Ecclesia nec tempore nec dignitate posterior, nomen metropolis & Archiepiscopatus titulum est sortita. Cujus provinciæ termini dicuntur fuisse, ab Oriente fossatum Sillanum; ab Occidente flumen Lycaos, quod Germani Lech nominant, & per Mæsias Occidentales Napa ... Odera; a meridie Liburnia, quam Drava flumen percurrit; ab Aquilone* D *VVandalus, Pelsa lacus & Tyzza flumen. Intra hos terminos erant* XXII. *civitates famosæ valde & opulentæ, quas omnes idem Laureacensis (sive de Ens modo) Archiepiscopus per se & per suos Suffraganeos gubernabat.*

CCLXXXII. Probus apud Smirnium tumultu militum occiditur.

CCLXXXIII. Carus cum filiis Carino & Numeriano annos II. Carus victor de Parthis super Tigridem, fulmine ictus interiit.

CCLXXXIV. Numerianus occiditur. Carinus apud Margum a Diocletiano occiditur. *Post cujus mortem, Diocletianus, ab exercitu est in Imperium substitutus. Eodem tempore passi sunt, Pelagius, Crisanthus & Darius. Paulus primus heremita claruit, quem S. Antonius monstris indicantibus requisivit.*

CCLXXXV. Diocletianus, *natione de Dalmatia*, annos XX. Hucusque ab Incarnatione Domini supputantur anni secundum Dionysium CCLXXXV; & ab hoc anno Græci Paschales circulos inchoabant.

CCLXXXVI. Diocletianus Herculium & Maximianum *de Pannonia, genere rusticanum*, in consortium regni assumit. *Iste Diocletianus homo pessimus & maledictus fuit: uxorem habuit sanctissimam, nomine Serenam, quæ pro fide Christi passa est.*

CCLXXXVII. Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit. Carus sumpta purpura Brittannias occupavit.

B CCLXXXVIII. Hoc tempore Carausius Brittannias

CCLXXXIX. Narcissus Rex Persarum Orientem, Ægyptum Achilleus, Quinquegentiani Africam vastaverunt.

CCXC. Diocletianus Constantinum, Constantini *Magni* patrem, Cæsarem facit, qui regnavit annis XVI.

CCXCI. Diocletianus Galerium Maximianum Cæsarem facit.

CCXCII.

CCXCIII. His temporibus diversis & multis præliis hostes diversi vincuntur.

CCXCIV.

CCXCV. Diocletianus se ut Deum adorari jussit.

CCXCVI.

C CCXCVII.

CCXCVIII. Diocletianus victo Achilleo, Alexandriam Ægyptumque recepit.

CCXCIX. Constantinus *Primus* LX milia Alamannorum occidit. *Iste Constantinus Helenam filiam Regis Brittanniæ habuit uxorem.*

CCC. Alexandriæ Petrus Episcopus sedit annos XII. Galerius Maximianus a Narseo victus est.

CCCI. Galerius Maximianus Narseum (*fuit Rex Armeniæ*) superavit, & uxores ac liberos & sorores XII ejus captivavit. *Hoc tempore Eusebius Cæsariensis Episcopus Historiam Ecclesiasticam scripsit. Tunc persecutio gravissima X annis duravit, & infra unum mensem* XVII *milia Christianorum sunt occisi, & cessavit Papatus annos* VII, *menses* VI. *Tunc passi sunt, Mauricius, Sebastianus, Agnes, Lucia, Gervasius, Gorgonius, Chrysogonus, Cosmas & Georius, & alii infiniti.*

CCCII. Antiochiæ Tyrannus Episcopus constituitur.

CCCIII. Diocletianus & Maximianus insigni pompa triumphant. Diocletianus in Oriente, & Herculius Maximianus in Occidente Ecclesias subvertunt, libros Divinos incendunt, & Christianos Decima persecutione post Neronem cruciaverunt.

CCCIV. Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani purpuras & regnum ob senectutis defectum sponte deponunt.

CCCV. Galerius & Constantinus annum

[1] Ma-

[1] *al.* Sirmio. [2] *al.* Sirmium.

I. Maximinus perſecutor Chriſtianorum; & Severus Cæſares eliguntur.

CCCVI. Conſtantinus, Conſtantini ex concubina Helena filius, annis XXXI. Hic primus Imperator, excepto Philippo, Chriſtianus fuit, & ab hoc Chriſtiani Imperatores cœperunt.

CCCVII. Maximianus Herculius apud Maſſiliam turpiter interficitur.

CCCVIII. Quirinus *Laureacenſis Archiepiſcopus* pro Chriſto paſſus eſt. Occiſo Severo, Licinius Cæſar efficitur. Galerius Maximianus perſecutor Chriſtianorum, Divina ultione tactus, parcere Chriſtianis juſſus, & ipſe moritur.

CCCIX. Maximinus Cæſar perſecutionem reſtaurat. *Sub quo legitur paſſa glorioſa Virgo & Martyr Katharina, filia Regis Coſci nobiliſſimi.*

CCCX.

CCCXI. Conſtantinus Maxentium civili prælio, Deo juvante, apud pontem Molvium vicit. Petrus Alexandriæ Epiſcopus martyrio coronatur: pro quo Achillas ſedit. Magna fames & lues in perſecutores facta eſt.

CCCXII. Perſecutio poſt x annos finita eſt.

CCCXIII. Hieroſolimis Epiſcopus Machabeus conſtituitur.

CCCXIV. Diocletianus moritur, & inter Deos refertur.

CCCXV. Plurimi perſecutorum & magorum trucidantur.

CCCXVI. Criſpus & Conſtantinus, filii Conſtantini, & Licinius Cæſares appellantur. Lactantius clarus habetur.

CCCXVII.

CCCXVIII.

CCCXIX. Licinius Chriſtianos palatio ſuo expellit, & eos perſequitur.

CCCXX.

CCCXXI. Alexandriæ Alexander Epiſcopus ordinatur, a quo Arrius de Eccleſia ejectus eſt.

CCCXXII. Concilium in Nicæa congregatur CCCVIII & X Epiſcoporum ſub Julio Papa, in quo Arrius condemnatur.

CCCXXIII. Conſtantinus, filius Conſtantii, Cæſar efficitur. Licinius occiditur.

CCCXXIV. Hoc tempore Crux Dominica ab Helena Conſtantini matre in Hieruſalem repperitur, ſub Machario ejusdem urbis Epiſcopo. *Qui Conſtantinus cum primo a perſecutione ceſſare nollet, lepra peſſima infectus eſt. Cui Petrus & Paulus in ſomnis apparentes, baptiſmum ſuadentes: qui a Silveſtro baptizatus eſt, & curatus. Helenam convertit ad fidem Chriſti, & anno Domini* CCCXXIX *Biſantium opidum reparavit, & ſuo nomine Conſtantinopolim vocavit, ſedem Imperialem fecit relinquens Romam Silveſtro Papæ & ſuis ſucceſſoribus: quibus & ornamenta Eccleſiæ ſuaque regalia dedit, omnes circumjacentes regiones ad uſum Papæ & Cardinalium perpetuo aſſignavit. Baſilicam in ſuo palatio conſtruxit, ubi ſolus Papa celebrare debet, quæ dicitur* Sancta Sanctorum, *in honore Salvatoris: ubi ſervantur ſoleæ Salvatoris in ſcrinio aureo, quibus inceſſit: item caro pretioſa ab umbilico Domini, & velum Beatæ Mariæ cum lacte ejus: item Crux Chriſti longitudine cubiti, & aliæ Reliquiæ multæ. Item fecit Eccleſiam Beati Petri ex palatio Neroniano, in templo Apollinis, & in monte Aureliano, quam conſtituit Dominam omnium Eccleſiarum, poſuitque corpus S. Petri in capſam ex ære & cupro ſpiſſam quinque pedum, & ſuper hanc ciborium cum columnis, & crucem de puro auro habentem* CL *libras auri, & circa tumbam* XII *columnas onichinas de Græcia; corpus autem Beati Pauli poſuit in Catacumbas, in capſam priori ſimillimam. Fecit & Lateranenſem Eccleſiam in honore S. Johannis Baptiſtæ, ubi locavit Arcam Veteris Teſtamenti, quam Titus aſportavit de Jeruſalem: in qua ſunt tabulæ lapideæ cum præceptis, manna & virga Aaron, pars de panibus Domini hordaceis, tunica Domini inconſutilis, pars arundinis, veſtis S. Johannis Baptiſtæ, & alia multa. Super arcam illam in ſupremo altari poſuit menſam, in qua Chriſtus cum diſcipulis ſuis cænavit: ibi nullus celebrat niſi ſolus Papa vel Epiſcopus Cardinalis ſingulis annis in Cæna Domini. Remota menſa in concavo arcæ Papa conſecrat Corpus Chriſti, oleum, & Criſma; ſed Sabbato Sancto iterum reconſecrat menſam, quia S. Petrus in ea dicitur conſecraſſe vel celebraſſe. Fecit & Baſilicam S. Laurentii, quam ſupra modum ornavit. Præcepit etiam, ut univerſis Eccleſiis de omnibus rebus decimæ ſolverentur. Tunc vox in aëre audita eſt:* Hodie venenum Eccleſiæ infuſum eſt. *Poſt hunc omnes Imperatores Chriſtiani fuerunt, licet aliqui eorum a fide deviarent, ſicut filius ſuus Conſtantinus, illiusque ſucceſſor Julianus.*

CCCXXV.

CCCXXVI. Vicennalia Conſtantini acta Romæ.

CCCXXVII. Antiochiæ poſt Tyrannum Epiſcopus Vitalis ordinatur: pro quo Filoginius, & poſt hunc Paulinus, cui ſucceſſit Euſtachius. Quo ob fidem Catholicam in exilium miſſo, Arriani Epiſcopi XI numero, Eccleſiam illam unus poſt alium occupaverunt.

CCCXXVIII. Conſtantinus uxorem ſuam Bauſiam interfecit. Donatus quidam per dona multos errori ſuo ſociat, & Eccleſiam hæreſi impugnat.

CCCXXIX. Conſtantinus Bizantium urbem reparavit, & ex ſuo nomine Conſtantinopolim appellavit, & ſedem Romani regni voluit eſſe.

CCCXXX. Porphyrius miſſo ad Conſtantinum volumine, exilio liberatur. Templa Idolorum deſtruuntur. Alexandriæ Athanaſius Epiſcopus ordinatur.

CCCXXXI.

CCCXXXII. Conſtans, filius Conſtantini, Cæſar efficitur. *Helena Eccleſiam in Bethlehem in loco Nativitatis Domini conſtruxit cum columnis marmoreis* IXL, *& chorum de marmore ſpinoſum. Eo tempore Hyberorum populus converſus eſt per mulierem ibidem, & India per duos pueros Chriſtianos.*

CCCXXXIII. Antonius Monachus clarus habetur. Conſtantia, Conſtantini ſoror, uxor Licinii moriens, Arrianum quendam Presbyterum fratri commendat.

CCCXXXIV. Dalmatius Cæſar efficitur. Con-

Constantinus in Arrianum dogma labitur, ab Eusebio Nicomediense baptizatur.

CCCXXXV.

CCCXXXVI. Constantinus dum bellum in Persas parat, apud Nicomediam obiit.

CCCXXXVII. Constantius, filius Constantini, cum Constantino & Constante fratribus annos XXIV. Constantius Arriana hæresi per Arrianum Presbyterum & Eusebium Nicomediensem Episcopum polluitur.

CCCXXXVIII. Sapor Rex Persarum Mesopotamiam vastat, & Christianos persequitur.

CCCXXXIX. Constantius bellum fratri Constantino inferens, juxta Aquilegiam occiditur.

CCCXL. Audeus Syrus Audianam hæresim condit. Terræmotus multas urbes subruit.

CCCXLI. Franci a Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.

CCCXLII. Constantinopoli ejecto ab Arrianis Paulino Episcopo, Macedonius hæresiarches in locum ejus substituitur.

CCCXLIII. Hoc tempore Maximinus Treverorum Episcopus clarus habetur, a quo Athanasius Episcopus ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

CCCXLIV. *Prima universalis Synodus in Nicæa congregata est contra Arrianos* CCCXVIII *Episcoporum, temporibus Julii Papæ. Item Nicæa est civitas Bithiniæ. Item Arrius fuit Presbyter urbis Alexandrinæ, & S. Nicolaus affuit ibidem.*

CCCXLV.

CCCXLVI. Eclypsis solis facta est, & terræmotus multas urbes subvertit.

CCCXLVII. Bellum contra Persas gravi Romanorum damno geritur. Maximus post Macharium Episcopum Hierusalem moritur: post quem Cyrillus expulso Heraclio & cæteri Arriani Ecclesiam illam occupaverunt.

CCCXLVIII. Romæ liberius (*alio nomine Leo*) Papa ordinatur. Quo ab Arrianis ejecto, Felix locum ejus occupat annum unum: sed Liberius hæresi subscribens rediit, & Felix eicitur. Constans occiditur.

CCCXLIX. Magnentius, qui Constantem occiderat, & alii populum Romanum exturbant.

CCCL. Magnentio gravi civili prælio victo, Gallus Cæsar efficitur.

CCCLI. Magnentius multos Judæorum delevit, & civitates eorum subvertit.

CCCLII. Magnentius seipsum occidit, & Decentius frater ejus laqueo vitam finivit.

CCCLIII. Gallus Cæsar a Constantino patrueli suo ob suspicionem occiditur. Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus Romæ insignes habentur.

CCCLIV. Julianus, Frater Galli, Cæsar efficitur a Constantino. Antonius Monachus CV ætatis anno obiit.

CCCLV. Liberius Papa, & multi Catholicorum Episcopi ab Arrianis expulsi sunt. Magnæ Alamannorum copiæ apud Argentarium deletæ sunt.

CCCLVI. Ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ, & Timothei Constantinopolim allata sunt. Julianus Rheno Germanos vicit.

CCCLVII. Paulinus Treverorum Episcopus in exilio obiit. Hoc tempore Hilarius Pictaviensis & Catholici Episcopi ab Arrianis multa mala passi sunt.

CCCLVIII. Apud Ariminum Synodus Arrianorum contra fidem facta est.

CCCLIX. Constantinus Parthico bello dimisso, contra Julianum arma sumens moritur.

CCCLX. Julianus bellorum successibus elatus, Augusti nomen accepit.

CCCLXI. Julianus Apostata annos II. Hic & a Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos. Alexandriæ Georgio Arriano Episcopo a populo incenso, pagani apud Sebasten sepulchrum S. Joannis Baptistæ invadunt. *Anno Domini* CCCLXI *Julianus Apostata regnavit. Hic timore mortis primo Monachus factus, a quadam divite muliere duas ollas auro plenas cinere superaspero ad servandum sibi traditas evacuavit, & Diabolo sibi Imperium promittente, cum auro apostatavit. Igitur Imperator factus, Christianos dure afflixit, cujus Ducem Gallicanum Johannes & Paulus converterunt. Quos Terentianus Campiductor occidens, postmodum Christianus sanctissimus est effectus. Julianus autem Priscianum Grammaticum a fide Christi pervertens, sed Sanctum Donatum pervertere non valens, patrem & matrem illius occidit. Iste Donatus Episcopus libellum compilavit, quem pueri legunt in scholis. Julianus igitur post necem plurimorum Martyrum profectus est ad bellum Parthicum, & Basilio Cæsariensi Episcopo suæque civitati literas comminatorias destinavit. Episcopus autem orans vidit, quod Beata Virgo Mercurium militem noviter pro fide Christi passum suscitavit: qui lanceam suam, quæ pro Reliquiis sibi servabatur, arripuit, & Julianum videntibus cunctis aggrediens perforavit. Qui triginta annorum sic moriens blasphemavit, & sanguinem in aërem spargens clamavit: Vicisti Galilæe, vicisti. Rex autem Persarum Julianum Cæsarem excoriare præcepit, de cujus pelle substratorium sibi fecit.*

CCCLXII. Julianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem Diis suis vovens, Dei judicio a Mercurio Martyre quodam hoste occisus interiit, anno ætatis XXXII. S. Nicolaus Episcopus migravit ad Dominum.

CCCLXIII. Jovinianus annum I. Iste iterum cum omni exercitu ad Christianitatem rediit. Synodus hæresiaca Antiochiæ facta est. Jovinianus in nova domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur.

CCCLXIV. Valentinianus annos XI, qui a Juliano Apostata ob fidem Christi militia fuerat privatus. *Sanctus Germanus claruit eo tempore, qui primo fuit Dux Burgundiæ, juvenis & lascivus. Uxore velata factus Episcopus, per annos XXX vitam duxit Angelicam, omni die usque ad vesperam jejunans, panem album & legumina non gustavit, bis in anno vinum bibit, in cinere & cilicio sine plumis dormivit, calceos raro deposuit, vestes nunquam exuit. Expulsus a Rege Brittanniæ ad quendam pastorem venit, cui vitulum comestum resuscitavit, regnare pastorem fecit, Regem regno privavit, asinum suscitavit, diem mortis suæ prædixit,*

ventis

ventis imperavit, mare placavit, cæcam illuminavit, incendium compescuit, sanitatem sibi recuperavit, Saxones fugavit, hæresim Pelagianam extirpavit honoratus ab Imperatore Valentiniano & matre ejus Placida, tandem obiit in Ravenna in die Remigii.

CCCLXV. Terræmotus factus est per totum orbem. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo seductus & baptizatus, post mortem fratris Orthodoxos persequitur.

CCCLXVI. Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis Imperator efficitur. Vera lana pluviæ mixta de nubibus fluxit.

CCCLXVII. Athanaricus Rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur. Hilarius Pictaviensis Episcopus obiit. *Idem Hilarius non vocatus venit ad Concilium Leonis Papæ, qui Liberius fuisse putatur. Omnibus ergo Episcopis inhibuit, ne Hilario assurgerent. Qui sedens in terra, dixit: Domini est terra; & mox colliculus est elevatus, in quo sedens bellator Christi omnibus altior. Cui Papa iratus ait: Nescis, quia ego sum Leo Papa in sede Petri? Hilarius respondit: Es quidem Leo, sed non Leo de tribu Juda, sedem Petri male occupans, cujus fidem negas. Statim Papam dissenteria invasit, & ad secessum currens, Hilario dixit: Cum rediero, tibi respondebo. Hilarius respondit: Si non redieris; quis mihi respondebit pro te? Sed Papa obiit; & Hilarius omnes Episcopos in fide confortavit.*

CCCLXVIII. Eusebius Vercellensis Episcopus moritur. Laoditiæ Apollinaris Episcopus plura scripsit, sed postea hæresim condidit. *Hic dixit, Christum animam non habuisse humanam, sed Divinitatem suppleſſe. Hæresis.*

CCCLXIX. Magna fames in Phrygia. *Hoc tempore floruerunt in Ægypto duo Macharii, & Hilarion, & Johannes, & Pachumius, & Paulus, & Isidorus, & Moyses, & alii plures Patres.*

CCCLXX. Maximinus Præfectus Romæ nobilium occiditur.

CCCLXXI. Valentinianus Saxones in regione Francorum cæde perdomuit. Didimus cæcus, *Alexandrinus Philosophus*, clarus habetur.

CCCLXXII. Alexandriæ Episcopus Petrus post Athanasium ordinatur. Burgundionum LXXX milia fere juxta Rhenum consedunt. Ivonius hæresiarcha extitit.

CCCLXXIII. Magnentia (quæ & Tecla) Romanorum nobilissima Hierosolimam veniens, virtutibus & humilitate claruit.

CCCLXXIV. Valentinianus bellum in Sarmatas parans, apoplexia moritur. Post Auxentium Arrianum Ambrosio Mediolani Episcopo ordinato, Italia ad rectam fidem venit.

CCCLXXV. Valens post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano annos IV. *Hic consentiens Arrianis, persequens Christianos eos occidit.* Theodosius, *pater Theodosii Imperatoris sequentis*, & multi nobiles a Valente occisi. Gratianus XXX milia Alamannorum occidit. *Hunnorum gens horribilis de Meotidis paludibus egreditur: & Hermiricus Rex Gothorum obiit, qui centum & viginti annorum erat.*

CCCLXXVI. Athanasius Episcopus Alexandrinus, (*iste composuit psalmum*: Quicunque vult salvus esse) & cæteri fideles diffunduntur in Thracia. Valens legem dedit, ut Monachi militarent, nolentes jussit interfici. Gothi Arriani efficiuntur. *Eo tempore floruerunt Viri Sanctissimi, de quibus multa leguntur, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus simul Athenis eruditi, Effrem, Arsenius, Bathwinus, duo Macharii, Apollinaris Antiochenus, & Jeronimus suus discipulus, Martinus Episcopus, Barlaam & Josaphat Rex Indiæ: de quibus Johannes Damascenus egregium librum composuit.*

CCCLXXVII. Gothi fame compulsi rebellant.

CCCLXXVIII. Valens, a Gothis occiso exercitu fugiens, in domo quadam crematur.

HUC USQUE CRONICAM EUSEBII HIERONYMUS PERDUXIT.

CCCLXXIX. Gratianus cum Valentiniano fratre post mortem patrui annos VI. *Iste Gratianus Theodosio, post Imperatori, regnum Orientis commisit, cujus filium Arcadium Cæsarem fecit. Italiam ab hæresi Arriana quantum potuit expurgavit: ideo inæstimabilem multitudinem vicit apud Argentinam, & triginta milia Alamannorum Arriana perfidia maculatorum occidit.* Priscillianus hæresim condit. Gratianus Theodosium, genere Hispanum, Cæsarem facit.

CCCLXXX. Ab hoc anno Theophilus Paschales circulos inchoat.

CCCLXXXI. Synodus *secunda universalis* CL Episcoporum Constantinopoli adversus Macedonium aggregatur sub Damaso Papa. *Qui Macedonius dixit, Spiritum Sanctum non esse Deum, propterea appositum est in Symbolo:* Qui ex Patre Filioque procedit.

CCCLXXXII. Hoc tempore Theodosius multis præliis Gothos, Hunnos Alamannosque superavit. Athanaricus Rex Gothorum moritur.

CCCLXXXIII. Archadius, Theodosii filius, Imperator efficitur.

CCCLXXXIV. Maximus regnum sibi usurpans, Gratianum Lugduno occidit, Valentinianum Italia depulit.

CCCLXXXV. Theodosius cum Valentiniano post mortem Gratiani annis XI. Priscillianus & alii hæretici sequaces ejus ab Heodio Præfecto gladio addicti sunt. Theodosius omnibus virtutibus plenus, Valentinianum benigne suscepit. *Iste Theodosius plenus virtutibus, plus orationibus quam armaturæ confidens, hostes multos vicit, gentes multas convertit, exulem Valentinianum revocans consortem regni fecit, omnibus beneficiis, omnium quasi servus dissimulare se a cæteris solo habitu fatebatur. Item sanctis fratribus Juliano & Julio, de quibus legitur in Passionali, dedit auctoritatem ædificandi Ecclesias, præcipiens omnibus sub capitis pœna, ut eos adjuvarent.*

CCCLXXXVI. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & S. Martinus *Turonorum* Episcopus, & Hieronymus Bethlehemites, & *Severinus Coloniensis* clarissimi habentur. *Item Ambrosius*

1 *Pistor.* multos nobilium occidit. 2 *al.* Eunomius. 1 *al.* Evodio. 2 *f.* beneficus.

Augustinum Scholasticum convertit de hæresi, & dixit: Te Deum laudamus. *Augustinus respondit:* Te Dominum confitemur; *& sic isti duo psalmum totum composuerunt.*

CCCLXXXVII. Maximus tyrannus a Theodosio *in Aquilegia* victus & captus, capite plectitur: & Victor filius ab Arbogaste interficitur, & Valentinianus regno restituitur.

CCCLXXXVIII. *Apud Thessalonicam populus lapidavit Judices Cæsaris. Iratus Theodosius quinque milia fere hominum necari præcepit, innocentes a noxiis non discernens. Qui propter hoc a S. Ambrosio excommunicatus, cum lachrymis per octo menses excommunicationem sustinuit, publicam pœnitentiam egit, legem statuit, ut judex triginta diebus deliberaret, antequam sententiam sanguinis determinaret.*

CCCLXXXIX.

CCCXC. Itacius & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, quem accusaverant, Ecclesiæ communione privantur.

CCCXCI. Augustinus, Doctor facundissimus, Ypponerejo [1] Affricæ, Episcopus constituitur. Claudius [2] Poëta clarus habetur.

CCCXCII. Valentinianus *apud Viennam oppidum* dolo Arbogastis suspendio periit. *Arbogastis fuit Comes & servus Valentiniani.* Hieronymus librum, quem de Illustribus Viris Ecclesiæ scripsit, huc usque perduxit.

CCCXCIII. Arbogastes Eugenium tyrannum Imperatorem constituit.

CCCXCIV. Johannes heremita Theodosium victorem fore contra Eugenium prophetat.

CCCXCV. Theodosius Eugenium tyrannum superavit, & ipse Mediolano in pace obiit.

HUC USQUE ECCLESIASTICAM HISTORIAM EUSEBII RUFINUS PERDUXIT.

CCCXCVI. Arcadius, filius Theodosii, cum fratre Honorio annis XIII. Gildo Comes Affricam sibi usurpare audet. Johannes heremita obiit.

CCCXCVII. S. Martinus Turonorum Episcopus post multas virtutes migravit ad Dominum, anno ætatis LXXXI, Episcopatus vero XXIII.

CCCXCVIII. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, Doctor sapientissimus, migravit ad Dominum.

CCCXCIX. Templa Idolorum destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur. Mascezil Gildonem fratrem Deo juvante superavit.

CCCC. Gothi Halarico & Radagaiso Regibus Italiam ingrediuntur.

CCCCI. Hoc tempore Corpora Prophetarum Abacuch & Micheæ a Domino revelantur. Johannes Constantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus illustres Episcopi, sed in invicem discordantes habentur. *Item Eudoxia, uxor Arcadii, statuam suæ formæ erexit, ac ibi puellas ludere compulit. Quam S. Johannes Chrysostomus dure corripuit, asserens idolatriæ speciem illud esse. Eudoxia irata Johannem in exilium misit. Johannes pennam ori suo intingens, aureas literas scripsit: propter hoc etiam cognomen habuit, Johannes Chrysostomus. Multa mira de ipso narrantur; attamen ipse in exilio obiit, & in Roma sepultus est. Item Paula civis nobilissima obiit in Bethlehem.*

CCCCII. Gothi Stiliconem cum Romano exercitu fugaverunt.

CCCCIII. His temporibus Orosius Presbyter claruit. Cartaginense Concilium contra Donatistas habetur. *Item sanctus Alexius* XVII. *annis coram sponsa sua paterna* [1] *manens incognitus.*

CCCCIV. Hoc tempore Radagaisus hostis crudelissimus cum cc. milibus Gothorum sine bello periit.

CCCCV. Wandali & Alani transito Rheno Gallias intraverunt.

CCCCVI. Constantinus tyrannus Gallias occupat. Pelagius Britto gratiam Dei impugnat. *Idem hæreticus dixit, hominem posse salvari propriis meritis absque gratia Dei, & pueros nasci absque peccato originali.*

CCCCVII.

CCCCVIII. Arcadius Orientis Imperator Constantinopoli moritur. Stilico cum filio Eucherio ab Honorio occiditur.

CCCCIX. Honorius cum Theodosio, fratris sui filio, annis XV. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox privatus regno, Gothis cohæsit. Wandali Hispanias occupaverunt.

CCCCX. Roma irrupta est a Gothorum turbis, Halarico Rege, anno a conditione ejus MCLXIV. Sed quia Christianus Rex erat, clementer victoria usus est. *Et dato prius præcepto, illos, qui in sacris locis, præcipue in Basilicis Apostolorum Petri & Pauli, se recipient, securos esse; demum per Apuliam & Calabriam in Affricam properans, subita morte defunctus est. Gothi vero Ataulfum, Alarici affinem, Regem constituentes Romam redeunt: si quid residuum fuit, more locustarum absumunt. Gothi Wasconem* [2] *fluvium maximum dividentes, Regem mortuum in medio alvei cum multis opibus sepelierunt, & aquam ad meatum proprium reduxerunt. Eo tempore clarissima Urbis loca fulminibus diruta sunt, quæ comburi ab hostibus nequiverunt; fitque in tota Urbe blasphemia Christo acclamantium: hæc ideo se perpeti, quia neglecta fuerant sacra Deorum seu Idolorum. Propter quod Beatus Augustinus Episcopus librum de Civitate Dei composuit.*

CCCCXI. Constantinus tyrannus victus captusque est: pro quo Maximus tyrannidem invasit. Ataulfus Placidiam, sororem Honorii, accepit uxorem. Constantius Dux constituitur.

CCCCXII. Gothi Rege Ataulfo Gallias intrant.

CCCCXIII. Burgundiones partem Galliæ Rheno conjunctam tenuerunt.

CCCCXIV. Attalus in Galliis tyrannidem exercet.

CCCCXV. Corpora Stephani Protho-Martyris, Gamalielis & Nicodemi Luciano Presbytero revelantur. Ataulfus Rex Gothorum interficitur.

[1] *al.* Hippone-Regio. [2] *al.* Claudianus.

[1] *Supp.* in domo. [2] *ita Cod.*

CCCCXVI. Gothi placati Conſtantio Placidiam reddiderunt, cujus ille nuptias promeruit.

CCCCXVII. Honorius Attalum tyrannum exilio damnavit. Quæſtio oritur de hujus anni Paſcha ſub Zoſimo Papa.

CCCCXVIII. Synodus Cartaginenſis congregatur CCXVII Epiſcoporum, contra Pelagium & cæteros hæreticos ſub Zoſimo Papa. Eclypſis ſolis facta eſt XIV Kal. Auguſti: & cometa usque ad menſem Septembris viſa eſt.

CCCCXIX. Honorius Conſtantium in regni conſortium ſumpſit.

CCCCXX. Hieronymus Presbyter Bethlehemites, incomparabilis Doctor, anno vitæ XCI obiit.

CCCCXXI. Conſtantius Imperator moritur.

CCCCXXII. Exercitus contra Wandalos ad Hiſpanias mittitur.

CCCCXXIII. Placidia a fratre Honorio cum filiis ad Orientem mittitur; & Honorius moritur.

CCCCXXIV. Theodoſius Minor Arcadii filius, annos XXVI. Theodoſius Valentinianum Placidiæ filium, conſobrinum ſuum, Cæſarem facit. *Iſte Theodoſius fuit Vir multum ſapiens, patientia & clementia univerſos præcellens, interrogatus: Quare ſe non vindicaret, & rebelles non occideret? Reſpondit: Utinam mihi eſſet poſſibile mortuos ad vitam revocare. Hoc etiam de Honorio patruo ſuo legitur.*

CCCCXXV. Valentinianus Johannem tyrannum extinxit, Hunnosque per Etium patritium ſuperavit.

CCCCXXVI. Patroclus Arelatenſis Epiſcopus a Tribuno quodam innocens occiditur.

CCCCXXVII. Gens Wandalorum a Gothis excluſa, de Hiſpanis ad Affricam tranſiit.

CCCCXXVIII. Neſtorius Conſtantinopolitanus hæreſim condidit, Sanctam Mariam Theotocon negans: cui Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus, & Celeſtinus Papa multum reſiſtunt. Etius multis Francis cæſis partem Galliæ, quam poſſederant, recepit.

CCCCXXIX.

CCCCXXX. Sanctus Auguſtinus Yponenſis Epiſcopus & Doctor facundiſſimus in civitate ſua a Barbaris obſeſſus, obiit anno ætatis LXXVI, Epiſcopatus ſui XL.

CCCCXXXI. Palladius Epiſcopus a Celeſtino Papa ad Scottos credentes Chriſto mittitur. Hoc tempore Synodus III univerſalis in Epheſo congregatur c. c. Epiſcoporum contra Neſtorium ſub Celeſtino Papa. *Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus duas perſonas [2] in Chriſto negavit, & Beatam Mariam tantum hominis matrem [3]. Hic Celeſtinus Papa conſtituit pſalmum:* Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam &c. *ſemper dici ante confeſſionem & introitum, in memoriam mortis Chriſti, & lacrymarum S. Petri, ac pœnitentiæ latronis.*

CCCCXXXII.

CCCCXXXIII.

CCCCXXXIV. Pax cum Wandalis facta, data eis Affricæ portione. Etius Gundicharium Burgundionum Regem vicit, quem Hunni poſt perimerunt. Gothi pacem turbant, per Litorium Ducem Romanum pelluntur.

CCCCXXXV.

CCCCXXXVI.

CCCCXXXVII. Giſenricus Rex Wandalorum Arrianus Catholicos in Affrica perſequitur. Valentinianus filiam Theodoſii in matrimonium accepit, *videlicet Eudoxiam, de qua legitur in Paſſionali, quod ad Papam Pelagium tulit catenam S. Petri de Jeruſalem. Sed in Cronicis hoc legitur de Eudoxia uxore Archadii, & de Papa Innocentio. quod melius credo, quia hoc tempore nullum Papam Pelagium invenio. Collationes Patrum Caſſianus ſcribit.*

CCCCXXXVIII.

CCCCXXXIX. Bellum adverſus Gothos Hunnis auxiliatoribus geritur, Litorius Dux Romanus ab eis capitur.

CCCCXL. Giſenricus dolo Cartaginem cepit. Julianus Athelenenſis Epiſcopus [1] Pelagianiſta jactantiſſimus Eccleſiam multa arte inſequitur; ſed a Sixto Papa damnatur. Giſenricus Siciliam graviter afflixit.

CCCCXLI. Theodoſius Imperator contra Wandalos bellum inefficaciter movit.

CCCCXLII. Hunni Thracias & Illyricum vaſtaverunt. Pax cum Giſenrico facta eſt.

CCCCXLIII. Leo Papa multos in Urbe Manichæos inveniens publicavit & correxit. Sanctus Brictius Turonenſis Epiſcopus obiit: cui Sanctus Euſtochius ſucceſſit.

CCCCXLIV. Attila Rex Hunnorum Bleddam fratrem interfecit, & ejus populum ſibi ſubjecit. De hujus anni Paſcha Proterius & Paſcaſinus Leoni ſcribunt.

CCCCXLV.

CCCCXLVI. Brittanni contra Scottos & Pictavos [3] ab Etio & Romanis petunt, nec impetrant.

CCCCXLVII. Eutices [4] Conſtantinopolitanus hæreſim condidit, & ſuffragante Theodoſio Imperatore, & Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo, Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum multis injuriis affecit.

CCCCXLVIII. Theodoſius Leonem Papam, pro Euticete ad ſe vocat: qui a populo Romano venire prohibitus, nuntios mittit.

CCCCXLIX. Theodoſius Imperator Orientis moritur.

CCCCL. Marcianus cum Valentiniano annos VII. Etius cum Romanis, Gothis auxiliaribus, Attilam ſuperavit. *Hujus Marciani tempore Attila Rex Hunnorum ad delendum Romanum Imperium ſe convertit. Igitur Etius patritius Romanorum Capitaneus congregavit Burgundiones, Saxones, Francos, & pene omnes fortiſſimos occidentis, cum quibus Attilam ſuperavit: & cæſi ſunt utrobique centum & octoginta milia, tantusque ſanguis effuſus eſt, ut torrens ſanguinis cadavera mortuorum traheret.*

1 *al.* Aëtium. 2 *l.* naturas. 3 *Supp.* eſſe aſſeruit.

1 *Piſtor.* Atheſenſis. *Urſliſ.* Athelenſis & Arelatenſis. 2 *Piſtor.* Euſtathius. 3 *Supp.* auxilium. 4 *al.* Eutyches.

Attila victus tandem, majorem exercitum congregavit, Aquilegiam destruxit, Veronam, Vincentiam, Brixiam, Pergamum, Mediolanum, Ticinum, Perusium, Coloniam, & fere omnes civitates super Rhenum delevit, & Galliam pene totam vastavit. Cui Leo Papa occurrens, pacem Italiæ impetravit. Vidit enim Rex in somniis quendam terribilem minantem sibi, nisi Papam in omnibus exaudiret. Statimque in Pannoniam reversus, postea obiit, Marciani anno tertio. Qui Marcianus dormiens in Constantinopoli, vidit in somnis arcum Attilæ esse fractum.

CCCCLI. Attila Aquilegiam vi magna cepit: cum quo Valentinianus pacem fecit.

CCCCLII. Hoc tempore IV. Synodus DCXXX. Episcoporum in Calcedone congregatur sub Leone Papa contra Euticen. Attila Hunorum Rex moritur.

CCCCLIII. Valentinianus Etium patritium Romano populo utilem manu sua occidit; *Tunc passæ putantur* XL. *milia Virginum.*

CCCCLIV. Valentinianus ab amicis Etii in campo Martio occiditur: pro quo Maximus menses II. regnavit, & a militibus occiditur: post quem Avitus sumpsit Imperium. Eodem anno Genfericus Romam opibus cunctis expoliat.

CCCCLV. Avitus Imperium Placentiæ deposuit: post quem Majorianus regnavit.

HUCUSQUE PROSPER CRONICAM SUAM PERDUXIT.

CCCCLVI. Marcianus Orientis Imperator obiit. Ab hoc anno Victorius Paschalem circulum, sed mendosum, inchoat, jubente Papa Hilario.

CCCCLVII. Leo, *dictus Bestia*, annis XVII Orienti imperat. Majorianus Imperator Occidentis in Affricam movit procinctum. *Iste Leo omnes imagines de Roma in Constantinopolim transtulit, & cremavit.*

CCCCLVIII. Hoc tempore Theodorus Cyriæ Episcopus clarus habetur.

CCCCLIX.

CCCCLX. Ricimer, gener Anthemii, Majoriano occiso juxta flumen Hyriam, post IV annos, & apud Ravennam Severum constituit, & Augustus appellatur, qui & post IV. annos obiit.

CCCCLXI.

CCCCLXII.

CCCCLXIII. Rex Alanorum Beorgor a Ricimere patritio victus interiit.

CCCCLXIV. Severus fraude (ut ajunt) Ricimeris, veneno periit. *Hoc tempore Artus Rex Britanniæ probitate sua & benignitate Flandriam, Franciam, Normanniam, Daciam cæteras quæ maritimas partes, civitates & regiones sibi servire coëgit. Deinde vulnera curaturus quandam insulam intravit, ubi multis per annos plurimos adhuc vivere putabatur* &c.

CCCCLXV.

CCCCLXVI. Antemius Imperator Occidentis a Leone mittitur.

CCCCLXVII. Marcellinus in Sicilia occiditur.

CCCCLXVIII. Arabundus Imperium tentans, ab Anteinio in exilium inittitur.

CCCCLXIX. Romanus Imperium affectans, decollatur.

CCCCLXX. S. Remigius Remorum Archiepiscopus ordinatur anno ætatis XXII. Aspar affectata tyrannide, Constantinopoli a Leone occiditur.

CCCCLXXI. Ricimer Antemium Imperatorem cum gravi clade Urbis occidit, & Olibrium constituit, ipse periit.

CCCCLXXII. Olibrius Imperator septimo mense moritur: pro quo Glicerius. Leo Leonem regni consortem fecit.

CCCCLXXIII. Leo Senior obiit: pro quo Junior Leo paucis mensibus regnavit: *quia timore Zenonis clericatum assumpsit & usque ad Justini Imperatoris tempora vixit.* Romæ Glicerio Nepos successit.

CCCCLXXIV. Zenon annis XVII Orientem rexit. Orestes Nepotem fugavit, & filio suo Augustulo Imperium dedit.

CCCCLXXV. Odoacer Rex Torcilingorum & Rugorum cum multis Barbarorum auxiliis Italiam veniens, Orestem & Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnavit, & Romam obtinuit, anno a conditione ejus MCCXXIX.

CCCCLXXVI. Odoacer Romæ invito Zenone regnat.

CCCCLXXVII. Hoc tempore corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi stylo ejus scriptum, ipso revelante Evangelium, repperitur.

CCCCLXXVIII.

CCCCLXXIX.

CCCCLXXX. Odoacer in Dalmatiis Odiciam vicit, & peremit.

CCCCLXXXI. Theodoricus, Theotmari filius, Rex Ostrogothorum Zenoni Augusto familiaris efficitur.

CCCCLXXXII.

CCCCLXXXIII. Zenon Theodoricum Consulem & Magistrum militum fecit.

CCCCLXXXIV. Hoc tempore Honoricus Rex Wandalorum plusquam CCCXXXIV Episcopis exulatis, Catholicos, impietate Arriana persequitur.

CCCCLXXXV.

CCCCLXXXVI. Odoacer Febem Regem Rugorum vicit, & cepit.

CCCCLXXXVII.

CCCCLXXXVIII. Theodoricus permittente Zenone Italiam venit, & Odoacrum duobus prœliis superavit.

CCCCLXXXIX. Theodoricus Odoacrum tertio certamine victum, apud Ravennam obsedit.

CCCCXC. Odoacer nocte egressus, quarto prælio vincitur a Theodorico.

CCCCXCI. Anastasius annis XXVIII.

CCCCXCII. Theodoricus Odoacrum insidias sibi molientem interemit: & ipse Occidentis regnum XX annis tenuit.

CCCCXCIII.

[1] *Ursus.* Deo.

CCCCXCIV.

CCCCXCIV.

CCCCXCV.

CCCCXCVI. *Gelaſius Papa obiit: Anaſtaſius Papa eligitur.*

CCCCXCVII. His temporibus Boëtius Conſul Romæ plurima ingenii ſui monumenta præclara ſcripſit.

CCCCXCVIII. Ludowicus (qui & Chlodoveus) Rex *Franciæ* Suagrium, Ægidii filium, Principem Romanorum bello vicit, & peremit. Iſauri, occiſo Lilinge Duce eorum, ab Anaſtaſio victi trucidantur. *Anaſtaſius Papa obiit: Symachus Papa ſucceſſit.*

CCCCXCIX. Theodoricus Romam venit, multaque miranda ædificia ibi conſtruxit.

D. *Schisma Paparum oritur, Symacho & Laurentio pro ſede contendentibus. Sed Synodo convocata, Symachus a Theodorico Rege in cathedra confirmatur: & per ſe idem Theodoricus judicio & concilio præſedit, & Symachum confirmavit.*

DI. Theodoricus aquam Ravennam perduxit.

DII. Italia Sirmium accepit, victus a Theodorico Wlgaribus.

DIII.

DIV.

DV. Fulgentius clarus Epiſcopus his temporibus. *Item floruit S. Brigida in Scotia miraculis potentiſſimis & probatis.*

DVI. Theodoricus victis Francis Gallos ſubjecit.

DVII. Ludowicus (*qui & Clodoveus, primus Regum Franciæ Chriſtianus per uxorem ſuam Chriſtianiſſimam, & S. Remigium Remorum Archiepiſcopum*) Rex Alamannos, divinum invocans auxilium, bello vicit atque ſubjecit. *Cum ſcilicet iſte Ludwicus tunc Rex Franciæ gentilis eſſet, nec ab uxore ſua Chriſtianiſſima converti poſſet, videns, quod infinitus Alamannorum exercitus ſuper ſe veniſſet; Domino Deo, quem uxor ſua colebat, votum vovit, quod ſi de Alamannis ſibi victoriam concederet, mox fidem Chriſti reciperet. Quod cum fuiſſet ad libitum aſſecutus, Beatum Remigium adiit, & ſe baptizari præcepit. Cumque ad fontem baptiſmatis advenirent, nec ibidem ſacrum chrisma haberent; ecce columba quædam ampullam cum chrismate in roſtro detulit, de quo Regem Pontifex linivit. Hæc ampulla in Remenſi Eccleſia conſervatur, & inde usque hodie Reges Franciæ inunguntur.*

DVIII. *Gens Noricorum prius expulſa revertitur ad proprias ſedes, ſcilicet Babariam & Auſtriam cum Duce eorum Theodone, Latinis, id eſt Romanis, ejectis. Qui Theodo Dux obiit, cui Theodo II. ſucceſſit. Hi quoque Norici dicti a Norice innominato, Norix nomine, Herculis filio, e partibus circa Armeniam ſitis huc transmigrantes: a quibus habemus nos Auſtrales & Babari ſermonem & nationem.*

DIX. Sub hoc Anaſtaſio diverſis ubique bellis Romanus populus fatigatur.

DX. *Tunc claruit S. Leodegarius, S. Arnolfus, S. Genovefa, & S. Sigismundus Rex Burgundiæ, qui in Agauno Monaſterium S. Mauricii conſtruxit, & ditavit per pœnitentiam: quia filium ſuum noverca ſuadente peremit.*

DXI. Vitalianus cum Scythis adverſus Anaſtaſium rebellat.

DXII. Clerus & populus Romæ pacificantur.

DXIII. Theodoricus filiam ſuam Amalſuiltam Eutharico dedit.

DXIV. *Symachus Papa obiit: Hormisda ſucceſſit.*

DXV. Vitalanus ſæpe milites Anaſtaſii vincens, ipſum irridens ſprevit.

DXVI. *Nota, eo tempore Albuinus Rex Longobardorum juxta quendam lacum equitans cum ſuo exercitu, tandem ſeptem pueros inveniens, quos uno partu meretrix edidit & abjecit. Admirans Rex quid eſſet, cum lancea revolvit pueros in lacu fluctuantes. Sed unus puer ex illis lanceam apprehendens, fortiter tenuit. Hunc educavit* [1], *qui proceſſu temporis Dux factus, probitatis indicia multa reliquit.*

DXVII. Anaſtaſius hæreſi favens Euticetis, & Catholicos perſequens, Divino fulmine periit, major octogenario.

DXVIII. Juſtinus Major annos VIII. Juſtinus plurimos regno ſuo inhiantes occidit, & cum Vitaliano fœdus percuſſit; quem tamen poſtea occidit.

DXIX. *His temporibus Erkhenfridus præfuit Laureacenſi Eccleſiæ, paulo ante S. Rudberti in Bavariam adventum.*

DXX. *Romanus exercitus proſternitur a Theodone Duce II apud Odinga, quæ vulgariter dicitur Oëtting. Hoc anno Sanctus Pater noſter Benedictus in ſacra ſpecu conſcripſit Regulam ſuis filiis & conſtruxit XII. Monaſteria; teſte B. Gregorio.*

DXXI. Theodoricus S. Johannem Papam carceris afflictione peremit, Symachum patritium occidit *& Boëtium; Viros Chriſtianiſſimos Conſules Romanos.*

DXXII. Clodoveus (qui & Ludowicus) Rex Francorum trigeſimo regni anno moritur, & Pariſiis ſepelitur. Theodoricus ſubitanea morte Ravennæ periit (*Multa de ipſo cantantur, quæ a joculatoribus ſunt conficta*) pro quo Athalaricus nepos ejus regnavit annis VIII.

DXXIII. Hoc tempore Hildericus Rex Wandalorum Epiſcopos ab exilio reverti jubet. *Sanctus Rupertus Juvavenſis, Epiſcopus Wormaciæ claruit, unde poſtea depulſus Bawariam petit; & Theodonem Ducem baptizavit.*

DXXIV. His temporibus Sanctus Benedictus Pater virtutum gloria claruit, *de quo liber Dialogorum ſecundus totus eſt ſcriptus: in quo S. Gregorius multa miracula glorioſa de ipſo recitat.*

DXXV. Juſtinus Juſtinianum regni conſortem & ſucceſſorem faciens, obiit. *Iſtum Juſtinianum S. Agapitus ab Euticetis hæreſi revocavit. Hic leges priſtinas breviavit, novas condidit, paganis & hæreticis ne militarent inhibuit, bella plurima per Beleſarium patritium geſſit.*

DXXVI. Juſtinianus, Juſtini ex ſorore nepos, annos XXXVIII. Juſtinianus Parthos bella moventes miſſo exercitu ſuperavit.

DXXVII. Hoc tempore Athalaricus, matre Amalſuilta regente, regnavit Italiæ.

[1] *f.* eduxit.

DXXVIII. Parthi Romanum exercitum Sabbato Paſchæ vincunt.

DXXIX. Mortuo Athalarico Amalſuilta Theodoaldum regni conſortem fecit.

DXXX. *Juſtinianus Templum celeberrimum, quod Græce* Agyam [1], *id eſt* Sophia, *dicitur, Conſtantinopoli conſtruxit, & Romanas leges correxit.*

DXXXI. Amalſuilta Theodoaldo jubente occiſa eſt.

DXXXII. Ab hoc anno Dionyſius Romanus Abba Paſchalem circulum magnum inchoat, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis DXXXII, qui eſt annus Diocletiani CCXLVIII.

DXXXIII. Beleſarius a Juſtiniano miſſus Wandalos in Affrica delevit.

DXXXIV. Cartago a Beleſario patritio recepta eſt anno exceſſionis ſuæ XCVI.

DXXXV. *Theophilus quidam Diaconus in Sicilia Diabolo homagium fecit, quod Beata Virgo gratia Dei reformavit.*

DXXXVI. *Caſſiodorus Senator librum pſalmorum hoc tempore expoſuit. Priſcianus Cæſarienſis libros Grammaticæ artis ad Julianum conſulem patricium ſcribit.*

DXXXVII. Beleſarius cõſul iterum Africam extinctis tyrannis liberat.

DXXXVIII. His temporibus Beleſarius in Italia Witigiſo, qui Theodoaldum occidit, ſuperato, & Francis cum Theodoperto Rege devictis, Romanam Rempublicam utiliter feliciterque reparavit.

DXXXIX.

DXL.

DXLI. Hujus Principis tempore corpus S. Antonii repertum, Alexandriæ ſepelitur.

DXLII.

DXLIII. S. Remigius Remenſis Archiepiſcopus & gentis Francorum Apoſtolus, Idibus Jan. migravit ad Dominum, anno Epiſcopatus LXXIV. Arator Subdiaconus librum ſuum (*ſcilicet Actus Apoſtolorum metrice*) publice coram Vigilio Papa legit.

DXLIV. Theodoricus Rex, filius Clodovei, XXIII. annis regnans moritur, & Mettis ſepelitur. Hoc tempore V. Synodus univerſalis in Conſtantinopoli congregatur, contra Theodorum & omnes hæreticos, ſub Vigilio Papa.

DXLV.

DXLVI. Hoc tempore Totila Rex Gothorum in Italia tyrannidem exercet.

DXLVII.

DXLVIII. Victor Capuanus de hujus anni Paſcha ſcribens, Victorii arguit errores.

DXLIX. HUCUSQUE JORDANIS EPISCOPUS CRONICAM SUAM DE GESTIS ROMANORUM PERDUXIT.

DL.

DLI.

DLII.

DLIII.

DLIV.

DLV. Bridius Rex Pictis regnare cœpit.

DLVI.

DLVII.

DLVIII. Theodobertus, filius Theodorici, Rex fortis moritur, anno regni XIV.

DLIX.

DLX.

DLXI. Hildibertus Rex, filius Clodovei, anno regni XL. moritur, & Pariſius ad S. Vincentium ſepultus eſt.

DLXII.

DLXIII. Juſtinianus Imperator obiit.

DLXIV. Juſtinus Minor annis XI. Sanctus Columba Presbyter & Abba de Hibernia veniens, Brittannis Verbum Dei prædicat.

DLXV.

DLXVI. Hoc tempore Narſes patritius Totilam Regem Gothorum victum occidit. Theodoaldus Gothos quosque Italia expulit. *Narſes patritius & evnuchus; bellator egregius, pater pauperum Monachorum Regem Gothorum occidit, & Gothos de Italia expulit, theſaurum multum collegit & abſcondit. Cui Sophia Imperatrix inter alia verba contumeliæ ſic dixit: Lanam fuſare debes, & penſa dividere: quia Vir eſſe non vales. Narſes reſpondit: Et ego talem telam tibi procurabo ordiri, quam, quamdiu vives, nunquam depones. Seceſſit ergo Neapolim, & ſcripſit Longobardis, ut cum armis & omni familia in Italiam properarent.*

DLXVII. Rex *Theodobaldus*, filius Theodoberti, anno regni ſeptimo moritur.

DLXVIII. Narſes patritius, qui Gothos expulit, a Juſtino offenſus, Longobardos in Italiam fecit venire.

DLXIX. Sanctus Vedaſtus obiit.

DLXX. *Sanctus Benedictus Pater & Monachorum Dux poſtquam in Sublacu XXXIV. annis, deinde ad Caſinum caſtrum pergens, & conſtructo ibidem Monaſterio XII. annis præfuiſſet; illic in pace quievit, acibidem apud ſororem ſuam Scholaſticam ſepultus, hodie manet.*

DLXXI. Hoc tempore Johannes Papa Eccleſiam Philippi & Jacobi Apoſtolorum, quam prædeceſſor ejus Pelagius cœpit, ipſe perfecit. *Idem Pelagius Papa conſtituit tantum novem Præfationes, ſcilicet de Nativitate Domini, de Epiphania, de Quadrageſima, de Reſurrectione, de Aſcenſione, de Pentecoſte, de Trinitate, de S. Cruce & de Apoſtolis. Sed Urbanus II. conſtituit decimam Præfationem de Beata Virgine Maria.*

DLXXII.

DLXXIII. Lotharius, filius Clodovei Magni, anno regni quinquageſimo primo moritur, & Sueſſionis ad S. Medardum ſepelitur.

DLXXIV. Juſtinus Imperator obiit.

DLXXV. Tiberius Conſtantinus annis VII. *Iſte Tiberius fuit homo ſummæ bonitatis, juſtitiæ & benignitatis, neminem deſpexit, omnes diligens, ab omnibus eſt dilectus. Cui Deus ſub pavimento cruce ſignato magnum theſaurum eſſe revelavit. Qui nollens occulte tollere, coram omni populo dixit: Tollite crucem: quia non debet eſſe ſub pedibus ſervorum, ſed in frontibus Imperatorum. Tribus igitur lapidibus cruce ſignatis a terra difficulter evulſis, theſaurus eſt inventus, quem Tiberius totum diſtribuit viduis & orphanis, Eccleſiarum procuratoribus & infirmis: ideo Deus theſaurum*

Narſes

[1] ἁγίαν.

Narſey [1] *ſubſequentis per quendam demonſtravit ſeu manifeſtavit.*

DLXXVI. Hoc tempore Gregorius tunc Apocriſiarius Moralia Job ſcripſit, & Euticium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Tiberio præſente, de fide Reſurrectionis erraſſe convincit. *Qui Euticius Corpus noſtrum futurum aëre ſubtilius eſſe dicebat, contra illud Lucæ ultimo:* Palpate, & videte, quoniam Spiritus oſſa & carnem non habet.

DLXXVII.

DLXXVIII.

DLXXIX. Hoc tempore gens Longobardorum comitante fame & peſte Italiam vaſtat.

DLXXX.

DLXXXI. Tiberius Imperator obiit. *Tiberius infirmatus, Mauricium generum ſuum cum concilio ad Imperium elegit, dicens ei: In mente habe, ut rectitudinem ſemper ames. Sicque obiit, & populus flevit &c.*

DLXXXII. Mauricius annis XXI. Hoc tempore Levigildus Gothorum Rex Arrianus Hermingildum filium ob fidem Catholicam ſecuri juſſit occidi. *Hujus Mauricii tempore Brunhild Regina hæretica Columbanum & Gallum ac eorum ſocios a finibus Francorum expulit: Deſiderium Epiſcopum Wiennenſem per quatuor annos exilio afflictum, martyrio coronavit. Quæ Brunhild fuit Regina Burgundionum: & Columbanus fuit natione Scotus, & Abbas Luxovienſis.*

DLXXXIII.

DLXXXIV.

DLXXXV.

DLXXXVI. Hoc tempore Richardus Rex Hermingildi frater, per Leandrum [2] Hiſpolitanum Epiſcopum cum tota gente Gothorum ad Catholicam fidem convertitur.

DLXXXVII.

DLXXXVIII. Sigibertus, filius Lotharii, Rex fortis inſidiis perimitur, anno regni XIV, & Remis ſepelitur: *& filius ſuus Hildebertus regnat pro eo, ex Brunihilde natus.*

DLXXXIX.

DXC. Magna inundatio facta eſt, & mortalitas in Italia. *Garibaldus quidam Rex tenet Ducatum Babariæ.*

DXCI. Sanctus Gregorius ad Pontificatum Romanæ Eccleſiæ eligitur, in quo ſedit annis XIII, *verus civis Romæ conſenſu. Imperatoris Mauricii ab omni clero & populo electus in Papam.*

DXCII. Edilfrid Rex cum Edilberto filio Anglis imperat. *Outharius* [3] *Rex Longobardorum Theodelinam, filiam Garibaldi Regis Bawariorum, duxit uxorem,*

DXCIII. *Taſſilo Dux regnat in Babaria. Iſtum Taſſilonem Hildebertus Rex Francorum Ducem conſtituit: Garibaldo Rege, & filio ejus atque filia ſua Theodelina fugientibus ad Outharium Regem Longobardorum. Quis autem, vel qui inter iſtum Taſſilonem & ſequentem Theodebertum Ducem in Babaria rexerint, vel tenuerint Ducatum ignoratur.*

DXCIV. Gregorius Papa Synodum cum XXIV Epiſcopis ad corpus Beati Petri Apoſtoli congregat.

DXCV. Sanctus Columba Abba in Inſula Hu obiit, anno ætatis LXXVII. Hoc tempore Gregorius Papa miſſis Doctoribus Auguſtino, Mellito, Johanne aliisque pluribus, Anglos ad Chriſtum convertit.

DXCVI. Helpericus Rex, Lotharii filius, interiit, anno regni XXIII, & Sueſſionis ſepelitur.

DXCVII.

DXCVIII.

DXCIX. Gregorius Lugdunæ & Eboraci Epiſcopos miſſo pallio Metropolitanos eſſe fecit, Indictione IV.

DC.

DCI. *Hoc tempore tunica Domini inconſutilis in Zamphat procul ab Jeruſalem in arca marmorea eſt inventa. Quam Gregorius Antiochenus, Thomas Jeroſolimitanus, Johannes Conſtantinopolitanus & alii Epiſcopi, triduano jejunio, ordine pedeſtri in eadem arca Jeroſolimam perducentes repoſuerunt in Eccleſiam, ubi Crux Domini adoratur.*

DCII. Mauricius ſcelerum ſuorum pœnas in hoc ſæculo exſolvens, a Foca interficitur. *De morte hujus Mauricii Imperatoris require in legenda S. Gregorii. Vox enim optionem ſibi dedit: utrum hic, vel in futuro puniri vellet pro eo, quod Gregorium & Eccleſiam ſæpius moleſtaſſet? Imperator reſpondit: Melius eſt hic, quam in futuro. Datus eſt ergo cum uxore & pueris omnibus Focæ militi occidendus, quod & ita factum eſt. Claruit & S. Johannes Elemoſynarius.*

DCIII. Focas annos VIII. *Hic Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum conſtituit: nam Conſtantinopolitana ſe hactenus Primam ſcripſit.* Edilfrid Rex, Edan Scottorum Regem forti prælio vicit.

DCIV. Gregorius Papa Sanctiſſimus *Doctorque maximus* migravit ad Dominum, indictione VIII. *Monſtratur adhuc antiphonarium Gregorii apud Eccleſiam Lateranenſem muſice notatum, in quo apparet, quod per uſum cantantes plurima mutaverunt.*

DCV.

DCVI.

DCVII. Gundrammus, filius Lotharii, Burgundiæ Rex pius obiit, anno regni XXXIII. Focas Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum caput eſſe, conſtituit.

DCVIII. Hoc tempore Focas Pantheum, id eſt domum omnium idolorum, Eccleſiæ dedit, rogante Papa Boniſacio. *Quod templum idolorum Præfectus pro victoria de Swevis habita conſtruxit, tempore Domitiani. Require in Eccleſiaſtica hiſtoria.*

DCIX. His temporibus Perſæ multas provincias Romanis auferunt, Hieroſolimam quoque & crucem Dominicam abſtulerunt.

DCX. Focas moritur. Hildebertus Rex fortis, filius Sigiberti, moritur anno XXIII.

DCXI. Heraclius annos XXVI. *Hic bonus in primis & devotus; ſed ultimo Euticetis hæreſi favens, cultum Dei maculavit, habens filiam ſororis ſuæ in uxorem.*

DCXII.

DCXIII. Hoc tempore Anaſtaſius Perſa Mo-

[1] *f.* Narſetis, [2] *i.* Hiſpalenſem. [3] *al.* Autharis.

Monachus nobile pro Christo martyrium a Chosdroë Rege Persa patitur.

DCXIV.

DCXV. Edilbertus primus Regum Anglorum Christianus, anno regni LVI. obiit: pro quo Eathbalt regnavit annis XXIII.

DCXVI. Occiso Edilfrido, Eduinus Rex Anglorum efficitur, indictione V. & regnavit annis XVII. *Hujus temporis curriculo Vilo Laureacensi præfuit Ecclesiæ, quo tempore Beatus Rudbertus Juvavii Basilicam construere cœpit.*

DCXVII. *Theodo Tertius hujus nominis, Dux Babariæ regnat, quem etiam S. Rupertus Wormaciensis, postea Juvavensis [1] baptizavit.*

DCXVIII. His temporibus Heraclius Chosdroëm Regem Persarum, qui se ut Deum adorari jussit, superavit, & lignum Dominicæ Crucis Hierosolimam reduxit. Sanctus Laurentius Archiepiscopus obiit: pro quo Mellitus. *Idem Heraclius Cosdroam occidit, majorem filium gigantem submersit, minorem baptizavit, paganos convertit, Crucem Sanctam in Jerusalem reduxit, murus se clausit, Angelus reseravit, Imperator cantavit antiphonam: O Crux splendidior cunctis astris! Inde Constantinopolim Crucem Sanctam abstulit, sed magna pars anno* MCCXLVII. *ad instantiam Regis Ludwici Francorum, Parisius devenit &c.*

DCXIX. *Machomet pseudo-propheta tempore Heraclii Imperatoris, & Bonifacii Papæ hujus nominis Quinti, decepit Hysmahelitas seu Agarenos hoc modo: Sergius Apostata literatus & famosus cum in curia Romana honorem, quem cupiebat, assequi non posset; confugit ad partes ultramarinas, ubi Machumetum Verbum Dei prædicantem invenit, & cum eo tractavit, ut unus pro Deo, alter pro Rege coleretur. Taurum ergo crudelissimum sub terra occulte pascebant, & eum in die sollempni emiserunt, populo ignorante: qui currens ad forum, multos prostravit; sed Machumeto pepercit. Populo igitur clamante, Machomet dixit: Quæramus a Spiritu Sancto jejuniis & orationibus, quid hæc bestia velit? Et veniens columba alba, quam ipse nutrierat, tulit literas aureis verbis scriptas ita: Quicunque poterit huic tauro jugum imponere, debet tanquam Rex omnibus imperare. Posuit etiam columba rostrum ejus in aurem quasi sibi loquens: quia de aure ejus manducare semper consuevit. Venit ergo Sergius cum jugo, quod collo tauri faciliter imponens, in Regem ab omnibus est electus. Stultus etiam populus Divina esse putabat omnia supra dicta. Igitur Machomet Christo & Moyse majorem se asserens, docuit eos leges, quas ipse dictaverat, observare: pueros circumcidere, carnes porcinas vitare, item quolibet anno triginta diebus jejunare, contra meridiem orare, Diabolum lapidare jactando lapides per crura. Fur ibidem prima & secunda vice verberatur, tertio manus ejus abscinditur, quarto pes ejus amputatur. Item a vino abstinent, cucullæ similem absque capitio portant. Quatuor uxores simul habent, quamlibet si volunt reiciunt, tertio mutant; sed ipse quadraginta simul habuit. De suo sarcophago in aere pendente, & aliis vanitatibus scribere longum est.*

DCXX.

DCXXI.

DCXXII. His temporibus Ysidorus Hispalensis Episcopus clarus habetur. Sanctus Mellitus Archiepiscopus obiit: pro quo Justus.

DCXXIII. Sanctus Paulinus Episcopus a Justo Archiepiscopo Anglis Doctor & Episcopus ordinatur.

DCXXIV. Sanctus Columbanus a Brunihilde & Theodorico Rege Luxovio depulsus, Eustachium ibi Abbatem reliquit.

DCXXV. Eduinus Rex Anglorum in Brittannia ab Episcopo Paulino convertitur, ad Christi fidem; quinto decimo anno adventus Anglorum in Brittanniam.

DCXXVI. Theodebertus Rex, filius Hildiberti, a fratre Theodorico victus & detonsus, cum filiis trucidatur, anno regni XVII.

DCXXVII. Theodoricus Rex, filius Hildiberti, machinante Brunihilde, veneno interiit, anno regni XVIII.

DCXXVIII. His temporibus hæresis de Pascha, & Pelagiana Brittanniam turbat. *His temporibus Occariis, sive ut alii Ottocarus præfuit Laureacensi Ecclesiæ.*

DCXXIX. Sancto Columbano a Brigantia Italiam petente, Sanctus *Gallus* nobiscum mansit, & Cellam suam construere cœpit. *Gallus, qui in Swevia in territorio Constantiensi residens, egregiam, quæ ex nomine suo multis honoribus ac divitiis locupletata cernitur, tenet Ecclesiam & alii [2] quamplures. Ferunt enim, quod trecentorum prædictus Dei Pater extitit Monachorum, qui omnes Patris seculi monita, excepto Ebroino, inter cives Christi adscripti creduntur. Hic enim Ebroinus solus caducis honoribus a Brunihilde illectus, militiæ cingulum susceptit, Majorque domus vel Senescalcus effectus, multis malis Dei servos afflixit, ac Beatum Leudegarium Martyrem fecit.*

DCXXX.

DCXXXI. Sigibertus Rex, filius Theodorici, a Lothario Rege victus, cum Brunihilde proava sua & tota stirpe trucidatur. His temporibus Heraclius (ut ajunt) a Sergio Episcopo Constantinopolitano, sed hæretico, decipitur. Edwin Rex Anglorum a Cewalda & Penda victus occiditur.

DCXXXII.

DCXXXIII. *Hoc tempore fuit Major domus in palatio Lotharii Regis Beatus Arnoldus, postea Metensis Episcopus, cujus filius Anchises &c.*

DCXXXIV. *Item Sarraceni destruxerunt Jerusalem, Antiochiam vastaverunt, Romanum Imperium etiam ubique cœpit deficere ac minui. Hucusque Ysidorus Hispalensis Episcopus in libro Ethymologiarum Chronicam suam perduxit.*

DCXXXV. *Heraclius Imperator in astris peritus, vidit Imperium suum a circumcisis esse devastandum. Misit ergo ad Dagobertum Regem Francorum, ut omnes Judæos regni sui faceret baptizari, sic & ipse per provincias omnes regni sui fieri decrevit. Sed venientes Agareni circumcisi, de exercitu Heraclii*

[1] *Pistor & Urstis.* Indictione decima quinta, anno adventus Anglorum in Brittanniam circiter 230. Canisius 180. [2] *Alias*

[1] *Suppl.* Episcopus.

CL. *milia bellatorum occiderunt, quorum ſpolia Bacho remiſerunt. Sed Heraclius illas duas portas Caſpias, quas Alexander Magnus ante mille annos obſtruxerat, aperuit, & inde centum quinquaginta milia auro armata eduxit: quos provinciarum ſuarum militibus contra Agarenos miſit. Cumque in craſtino eſſet prœliaturus, ipſa nocte quinquaginta duo milia de exercitu Heraclii percuſſit gladius Domini.*

DCXXXVI. Heraclius Imperator moritur.

DCXXXVII. Heraclonas cum matre Martina annos II. Cyrus Alexandrinus, Sergius & Pirrus Conſtantinopolitani Acefalorum hæreſim inſtaurant.

DCXXXVIII. Heraclonas occiditur.

DCXXXIX. Conſtantinus, filius Heraclii, menſes VI. Paulus Conſtantinopolitanus, Pirri ſucceſſor, aperte Catholicos perſequitur. Conſtantinus, filius Conſtantini, annis XXVIII. Eathbalt Rex Cantuariorum obiit: pro quo Erchinbertus filius regnavit annis XXV.

DXL. Lotharius Rex magnus, filius Helperici, moritur anno regni LXVI. Sanctus Oswaldus Rex Anglorum pro patria pugnans, a Penda Rege Merciorum occiditur: pro quo Oswi frater ejus regnat annis XXVIII.

DCXLI.

DCXLII. Sanctus Paulinus Anglorum Epiſcopus vigeſimo Epiſcopatus anno obiit, VI Id. Octobris.

DCXLIII.

DCXLIV.

DCXLV.

DCXLVI.

DCXLVII. Martinus Papa Synodum CV. Epiſcoporum congregat, Cyrum, Sergium, Pirrum & Paulum condemnat.

DCXLVIII. Hoc tempore Martinus Papa a Conſtantino Ceſo [1] miſſus exilio, migravit ad Dominum.

DCXLIX. Heribertus Rex, filius Lotharii, anno regni nono moritur. Oswin Rex bonus proditus, ab Oswi Rege occidi juſſus eſt.

DCL.

DCLI. Onorius Anglorum Archiepiſcopus obiit.

DCLII. Mediterranei Angli Chriſtiani effecti. *Hic dicitur paſſus Sanctus Emmerammus Epiſcopus. Hinc inde putatur, quod inter iſtum Theodonem & ſequentem Theodebertum fuerit ille Theodo, cujus filius Lampertus S. Emmerammum occidit.*

DCLIII. Penda Rex ab Oswi Rege pugna victus interiit, & gens Merciorum Chriſtiana efficitur. *Eo tempore Judocus, Regis Brittanniæ filius, regno aptus ad ſylvas confugit, & miracula multa fecit: in cujus Miſſa dextera Dei apparuit, & miniſterium Angelorum. Hunc laici vocant* Sand. Joſt.

DCLIV.

DCLV.

DCLVI. Dagobertus Rex magnus, filius Lotharii, anno regni decimo ſexto moritur, & ad S. Dionyſium ſepelitur.

1 *f.* Cherſonam.

DCLVII. Willihere, filius Pendani, Rex Merciorum effectus, regnavit annis XVII.

DCLVIII.

DCLIX. *Beata Gerdrudis Virgo, matertera Pipini, claruit hoc tempore.*

DCLX. *His temporibus Bruno præfuit Laureacenſi Eccleſiæ & Patavienſi ſimul.*

DCLXI. Conſtantinus Romam venit, & Beato Petro pallium auro textile obtulit, toto exercitu Eccleſiam intrante. *Sed cum diebus XII. ibidem manſiſſet; ſpoliavit Eccleſias ornamentis ipſe Conſtantinus.*

DCLXII. Eclypſis ſolis facta eſt, hora quaſi decima, V Non. Maj, indictione VII. Inter Anglos & Scottos quæſtio de Paſcha ventilata eſt, & Scotti a Wilfrido Presbytero victi ſunt. Sævalues & peſtilentia Brittanniam & Hiberniam vaſtat.

DCLXIII. Erchanberto Rege Cantuariorum mortuo, filius ejus Ekkibertus regnat annis IX.

DCLXIV. *Eodem tempore Humarus Princeps Sarracenorum templum Jeroſolimis a Veſpaſiano deſtructum reædificavit, in eodem loco, ubi nunc manus & pes Machometi adoratur: nam corpus ſuum reliquum epileuticum & maledictum a porcis Chriſtianorum eſt, ut legitur, devoratum.*

DCLXV.

DCLXVI. Conſtantinus poſt multas deprædationes provinciis factas occiſus periit. *Conſtantinus volens ornamenta, quæ Roma abſtulerat, in Conſtantinopolim transferre, in balneo eſt occiſus. Sed milites quendam de Armenia conſtituerunt; ſed filius Conſtantini navigio veniens, eundem interfecit, & patrem ſuum de interfectoribus vindicavit.*

DCLXVII. Conſtantinus, filius Conſtantini, annis XVII. *Hic omnes hæreticorum opiniones ubique delevit, quas foverant ſui anteceſſores: quia extitit vir Katholicus.*

DCLXVIII. *Hoc tempore Cæſaria, uxor Regis Perſarum, cum paucis fidelibus clam venit Conſtantinopolim. Quam Imperator ſuſcipiens, de ſacro fonte levavit. Hæc dum quæſita, & inventa, Regi Perſarum cum paucis demandavit, ut etiam veniret, & ſacrum baptisma reciperet; alioquin ipſa nunquam rediret. Qui cum magno populo in Conſtantinopolim pacifice venientes, honorifice ſuſceptus eſt, & cum omnibus baptizatus.*

DCLXIX. Oswi Rex Anglorum obiit: pro quo Edilfrid regnavit annis XV.

DCLXX. Hoc tempore Sarraceni Siciliam deprædantes, cum magna præda Alexandriam redeunt. *Theodobertus Dux prædictus hoc regnat in Babaria anno, ad quem fugierunt Aſpirandus & Luiprandus.*

DCLXXI.

DCLXXII. Sub hoc Principe V. Synodus Conſtantinopoli congregatur, ſub Agathone Papa. Theodorus Archiepiſcopus Synodum colligit ſextam. Ekibreht Rex Canthuariorum obiit: pro quo frater Luthere regnavit annis XI.

DCLXXIII. Ludwicus (qui & Chlodoveus dictus eſt) Rex, filius Dagoberti, frater Sigiberti, moritur. Willihere Rex Merciorum

obiit: pro quo Edilred regnavit annis XXV. *Ticinum civitatem Galliæ pestilentia in tantum invasit, ut hominibus pene omnibus ubique fugientibus, herbæ & iunci nascerentur* in civitate.

DCLXXIV. Edilred Rex Cantiam vastavit.

DCLXXV. *Hoc tempore Bulgari ultra paludes Mæotidas habitantes, Romanum Imperium vexaverunt: & cum videret Imperator, quod eos superare non posset, pacem cum eis fecit sicut Dominis, annua tributa exhibuit sicut servus.*

DCLXXVI. Wilfridus Episcopus ab Ekkifrido Rege sede sua pulsus, multos ad Dominum prædicando convertit. Lotharius, filius Ludowici, anno regni XV. moritur.

DCLXXVII.

DCLXXVIII. Theodorus Archiepiscopus Anglorum iterum Synodum colligit, tempore Agathonis Papæ.

DCLXXIX. *Sanctus Lampertus apud Trajectum claruit Episcopus.*

DCLXXX. *Hoc tempore martyrizatus est Sanctus Leodegarius Episcopus Edunensis Ecclesiæ in Francia, propter Kildericum Regem, quem ipse Episcopus cum consilio Principum Regem fecit: Ebroino Seneschalco postea Regis Theodorici, quem ipse Ebroinus primo post mortem Lotharii carius vidisset, non propter regni commodum, sed quia de potentia prima ejectus .... Regis & Principum verebatur. Et tempore Theodorici ipse Ebroinus Episcopum ob hoc martyrizavit.*

DCLXXXI. Ekkifrid Rex Hiberniam misso exercitu immeritam vastat. Sanctus Cudbertus Lindisfarnensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur.

DCLXXXII. Ekkifrid Rex cum Pictos cum exercitu incaute peteret, ab ipsis peremptus interiit: pro quo Adilfrid annis XIX.

DCLXXXIII. Constantinus Imperator moritur. Luthere Rex Cantuariorum interiit.

DCLXXXIV. Justinianus Minor, filius Constantini, annis X. Hic hæresi pollutus, Catholicos persequitur, & cum Sarracenis pacem facit. Sanctus Johannes [1] Baguſtaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur. *Iste Justinianus bis regnavit, patris vestigia relinquens, & hæresim sequens justo Dei judicio linguam, nasum & regnum perdidit. Decem igitur annis in exilio positus, asseruit se iterum regnaturum. Sed populo eum deridente, fugit ad Principem Turcorum, cujus germanam ducens uxorem, suoque & Bulgarorum auxilio fretus iterum regnum recuperavit, ut postea invenies.*

DCLXXXV.

DCLXXXVI. Pipinus, filius Ansgisi, Major domus & Dux Francorum regnavit annis XXVII. Ceadwalt Rex Occidentalium Saxonum Romam venit, & a Sergio Papa baptizatus in Albis, obiit, ibique sepelitur.

DCLXXXVII.

DCLXXXVIII. Theodorus Archiepiscopus Anglorum obiit. Willibrordus (qui & Clemens) a Sergio Papa ordinatus, Fresonum gentem ad Dominum convertit.

DCLXXXIX. Liudowicus puer, filius A Theodorici, anno regni II. moritur. Theodoricus Rex, filius Liudowici, anno regni XIX. moritur.

DCXC. Hoc tempore duo Angli Presbyteri, niger & albus Hewald, Saxonibus prædicantes, martyrio coronantur, & a Pippino Coloniæ sepeliuntur.

DCXCI. *Theodobaldus Dux Bawariorum moriens, Grimualdum fratrem suum successorem reliquit.*

DCXCII. *Anchises, filius Arnolfi Metensis Episcopi sub nomine Majoris domus principatum tenuit in Francia.*

DCXCIII. Justinianus ob culpam perfidiæ regno privatus, exul in Pontum secessit.

DCXCIV. Leo annos III. Hoc tempore Sergius Papa capsam Dominicæ Crucis invenit. B

DCXCV. Sanctus Cudbertus ex Anachoreta Episcopus obiit. Ostrich Regina a suis peremta est.

DCXCVI. Leo regnum dimisit.

DCXCVII. Tyberius annos VII. Hoc tempore Synodus Aquilegiæ congregatur, sub Sergio Papa.

DCXCVIII. *His temporibus Theodorus extitit Archiepiscopus Laureacensis.*

DCXCIX. His temporibus Gisolfus Dux Longobardorum Beneventi Campaniam vastat.

DCC.

DCCI. BEDA VENERABILIS ANGLORUM PRESBYTER CRONICAM MINORIS LIBRI HUCUSQUE PERDUXIT. C

DCCII.

DCCIII. Justinianus auxilio Terbelli Bulgarorum Regis regressus, Leonem & Tiberium cum multis (*scilicet complices Leonis & Tiberii reservans, unum post alium jugulavit, quotiens nasum suum purgavit*) qui eum expulerant, occidit. Adilfridus Rex Nordarumbrorum obiit: pro quo filius ejus Osdred regnavit annis XI.

DCCIV. Justinianus (*sine naso regnum recuperavit*) secundo cum filio Tyberio annos VII.

DCCV. Justinianus a peccatis suis pœnitentiam agens, Constantinum Papam summo honore habuit.

DCCVI. Adelhelmus Episcopus, Vir doctus & eloquens, obiit.

DCCVII. Ehdenred Rex Merciorum Romam venit ad Constantinum Papam, & cum illo Offa, Sigiheri Regis filius, ibique Monachi facti, in servitio Dei vitam finiverunt. D

DCCVIII. Hildibertus Rex, filius Theodorici, anno regni XVII moritur. *Sanctus Corbinianus Frisigensis Episcopus claruit.*

DCCIX.

DCCX. Philippicus ab exercitu Imperator factus est, Justinianum occidit. *Justinianus insulam Cressonam, in qua exul fuerat, omnino delere intendens, infantes ibidem occidi præcepit, & contra Papæ consilium misit exercitum ad pontem Militinum; comprehendere Philippicum, quem damnaverat exilio ad insulam supra dictam. Conversus exercitus ad Philippicum, fecit eum Imperatorem:*

[1] *al.* Haguſtaldensis.

ratorem: qui veniens Constantinopolim, Justinianum cum filio suo occidit.

DCCXI. Philippicus annos II. Philippicus hæresi pollutus, Catholicis infestus fuit. Mors Heriberti Regis Longobardorum. *Iste Philippicus omnes imagines Sanctorum destruxit, & ideo Constantinus Papa eum excommunicavit, nec Romani numisma sui nominis receperunt.*

DCCXII. Anastasius Philippicum oculis privatum regno expulit.

DCCXIII. Anastasius annos III. *Iste Anastasius postea est Presbyter ordinatus, & hoc ideo: quia Theodosius sequens decus Sacerdotii semper desiderabat adipisci. Igitur antecessorem suum Anastasium vicit, & eum Presbyterum fieri compulit, sicut & ipse postea dimisso Imperio Presbyter ordinatus, in pace vixit. Uno tantum anno regnavit ipse Theodosius, ut inferius.*

DCCXIV. Pippinus Major, domus obiit: pro quo Karolus annis XXVII, *filius ejus ex concubina Alheide dictus Martello. Hic fuit bellicosus, Saxones armis subjugavit, Swevos quoque & Babaros debellavit, devicit Lantfridum Alamannorum Ducem, & Alamanniam fecit sibi vectigalem, Eudonem Ducem Aquitaniæ, & sic tandem Aquitaniam, Burgundiamque sibi subjecit. Cumque instarent sibi multa bella, Ecclesias spoliat decimas militibus conferendo: propter quod S. Eucherius Aurelianensis Episcopus animam suam vidit in inferno.* Mors Dagoberti: pro quo Cuored regnavit.

DCCXV. Ekkibertus Vir Sanctus Scottos legitime Pascha celebrare docuit. Ofred Rex occiditur.

DCCXVI. Theodosius annum unum. Hic Anastasium prælio vicit, eumque Presbyterum ordinari fecit. Tyberis fluvius alveum suum egressus, multa ædificia Romæ subvertit. Karolus Helpericum Regem & Reginfridum vicit.

DCCXVII. Leo annos IX. *Hic omnes imagines Christi & Mariæ & aliorum Sanctorum in media Constantinopoli cremavit, & multos de populo non consentientes decollavit. Unde Gregorius Papa triplici excommunicatione ipsum ligans, Romam cum Italia ab ejus imperio recedere fecit.* Karolus Lotharium sibi Regem constituit.

DCCXVIII. Sanctus Winfridus (qui & Bonifacius) a Gregorio Papa Mogontiæ Archiepiscopus constituitur. Hoc tempore Sarraceni triennio Constantinopolim obsidentes, & multas provincias devastantes, fame, peste, ferro naufragioque depelluntur.

DCCXIX. Sanctus Othmarus in cella S. Galli Abbas efficitur.

DCCXX.

DCCXXI. Mortuo Helperico Theodoricus, filius Dagoberti, Rex efficitur. *Gregorius, III hujus nominis, misit Karolo claves sepulchri S. Petri cum magnis muneribus, petens ut recederet a societate Leonis imperatoris, qui fuit per omnia vitiosus.*

DCCXXII. Hoc tempore corpus Sancti Augustini de Sardinia in Ticinum a Luibrando translatum est.

DCCXXIII. Sanctus Pirminius primum ad Augiam insulam venit, *& eandem insulam a serpentibus liberavit. Unde multi sic solent benedicere escas:*

Sanctificet nostram Sanctus Pirminius escam.
Pirminii dextra benedicat pocula nostra.
Et credunt, quod nihil immundum abscondat se.

DCCXXIV. Karolus de Sarracenis, occiso Rege eorum, triumphat.

HUC USQUE BEDA VENERABILIS CRONICAM SUAM IN MAJORI DE TEMPORIBUS LIBRO PERDUXIT, CONTINENTEM AB INITIO MUNDI, SECUNDUM HEBRAICAM VERITATEM ANNOS MMMMDCLXXX.

DCCXXV. Huc usque Regnum Romanorum. Ex hinc Francorum supputatur. Karolus, Pipini filius, cum jam principatum Majoris domus XL annis teneret; post hæc eundem principatum tenet annis XV. Regibus tamen in Francia, sed parum dignitate regnantibus.

DCCXXVI. Sanctus Pirminius a Tiepaldo, Gotefridi filio, Augia expulsus, *& venit Alsatiam. His temporibus Unilo vel Wunilo præfuit Laureacensi & Patavienſi Ecclesiis, ad quem Zacharias Pontifex & Bonifacius Anglus, Apostolus Germaniæ, literas scripserunt de reformanda Ecclesia.*

DCCXXVII. Karolus Etonem Abbatem constituit, & ipse in Alsatiam venit.

DCCXXVIII. Karolus Fresiam vastat, Pone Duce ejus occiso.

DCCXXIX. Lantfridus moritur. Sarraceni item Gallias vastant.

DCCXXX. Beda Venerabilis Anglorum Presbyter obiit, indictione XIV.

DCCXXXI. Karolus contra Sarracenos pugnat die Sabbati.

DCCXXXII. Karolus item Sarracenos cum suo Rege delevit.

DCCXXXIII. Karolus Major domus Fresiam vastat.

DCCXXXIV. Karolus Wasconiam invadit.

DCCXXXV. Erenfredus Augustanæ Abbas, Constantiæ Episcopus ordinatur.

DCCXXXVI. Karolus contra Sarracenos in Gothia pugnat. *Ibidem Sarraceni per mare augustum transeuntes, omnem Hispaniam occupabant. Et cum post decem annos Aquitaniam occupare voluissent: Karolus Martello cum eis pugnavit: ubi de suis mille quingentos perdidit, sed de Sarracenis plusquam trecenta millia interfecit. Hukibertus Dux Bawariæ obiit: Cui Odilo successit. Syrus quidam pseudo-propheta apparuit, & multos Judæos seduxit. Initium Hersveldensis Cœnobii in Hassia siti prope Cœnobium Fuldense.*

DCCXXXVII. Karolus Saxoniam intrat.

DCCXXXVIII. Karolus Provinciam subicit.

DCCXXXIX.

DCCXL. Karolus moritur, indictione IX. & apud S. Dionysium sepelitur.

DCCXLI. Pippinus, filius Karoli, cum fratre Karlomanno Major domus annis XI regnavit. Karlomannus Wasconiam & Alamanniam petit. A

DCCXLII. Karlomannus Alamanniam vastat. *Pipinus secundus Karolum Magnum genuit. Monasterium Althaënse, scilicet Inferior Altha, a S. Pirminio Episcopo, & Otilone Duce Babariæ, aliisque Christi fidelibus & fidei cultoribus, initium sumpsit, & in regulari disciplina ac Monastico rigore fere per centum annos laudabiliter profecit, ann.* DCCXLI. *Constantinus* VI, *Leonis filius, hic incepit regnare, homo ferus & pessimus, legum persecutor, & recedens a Deo & omnibus Sanctis ejus, insistens luxuriis, maleficiis, invocationibus Dæmonum, sacrificiis idolorum, persecutionibus Ecclesiarum, peremptionibus Monachorum, vitiosus per omnia sicut Diocletianus.* B

DCCXLIII. Karlomannus pacem cum Saxonibus fecit.

DCCXLIV. Fuldense Cœnobium in Sylva Bochonia a S. Bonifacio cœptum est: *& idem Bonifacius Hersveld in Hassia fundavit, Ordinis S. Benedicti.*

DCCXLV. *His temporibus Anthelmus Archiepiscopus Laureacensis & Episcopus Pataviensis sedit* X. *annos.*

DCCXLVI. Karlomannus Major domus Alamanniam ingreditur: *quia in divisione regnorum, quam fecit cum fratre Pipino, Austriam, Sweviam atque Thuringiam sortitus est.* Sanctus Burchardus Wirziburgensi, & Sanctus Willibaldus Eichstetensi Ecclesiæ primi Episcopi a S. Bonifacio ordinantur.

DCCXLVII. Sidonius Abbas Augiæ, Constantiensis Episcopus ordinatur: *Circa hæc tempora Cœnobia Tegernsee ad Oenum*[1], *& Sancti Hyppoliti in Austria, fundata sunt ab Alberto & Occario Comitibus Francorum: quorum pater Hardvicus Dux Burgundiæ fuerat, & mater Ducissa Bavariæ, Odilonis Ducis soror. Qui in hæc Monasteria etiam Reliquias S. Hyppoliti & Quirini a Zacharia Pontifice donatas attulerunt.* C

DCCXLVIII. Pippinus Tassilonem, Sororis suæ filium, Bajoariæ Ducem post Odilonem fecit: *quia Otilo rebellavit.*

DCCXLIX. *Pipinus Rex S. Nicolai capellam in Wilzburg posuit, quam in Monasterii amplitudinem Carolus Magnus extulit: adjecta Basilica in honore S. Petri & Pauli prope Weisenburg Narcoviæ.*

DCCL. Lantfridus moritur. D

DCCLI. Audogarius primus Campidonæ Abbas efficitur. Karlomannus Divino amore succensus Romam venit; & se Monachum in monte Soracte fecit. *Similiter & Ragausius Longobardorum Rex cum uxore & filiis sæculum derelinquens, cui successit Hayistolfus, homo malus.*

DCCLII. Pippinus, auctoritate Stephani Papæ deposito ac detonso Rege Hilderico, Rex Francorum factus, regnavit annis XV. Grifo, frater Pippini, occiditur. *Idem Hildericus Monachus factus ad Sanctum Emmeramnum Ratisponæ. A tempore Pippini qui auctoritate Domini Papæ Rex Francorum factus, ex hoc Romani Pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt.*

[1] imo *ad lacum cognominem.*

DCCLIII. Sanctus Bonifacius (*cum sociis suis anno Pontificatus sui* XIII.) Archiepiscopus a Fresonibus martyrio coronatur: post quem Lullus *Abbas Wldensis*, Mogontiæ Archiepiscopus sedit annos XXXII. Pippinus Longobardos in Italia cum exercitu petit.

DCCLIV.

DCCLV. Haistolfus Rex Longobardorum moritur. *Turci e Caspiis portis egressi terras vastant.*

DCCLVI.

DCCLVII. Pippinus Saxoniam bello petit.

DCCLVIII. Pippinus Wasconiam invadit.

DCCLIX. Sanctus Othmarus Abbas a Warino & Ruodhardo in insula Reinstein nomine, relegatus, migravit ad Dominum. Eclypsis Solis facta est XIX. Kal. Septemb. hora quasi nona.

DCCLX. Sidonio Episcopo *Constantiensi* misere mortuo, Johannes Episcopus & Abbas successit.

DCCLXI. Pippinus aliquot Comitatus filiis suis dedit.

DCCLXII. Hiemps valida hoc anno facta est, & eclypsis Solis II. Non. Jun. hora quasi sexta.

DCCLXIII.

DCCLXIV. Corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris & Nazarii in Franciam deferuntur.

DCCLXV. Corpus S. Nazarii ad Lorisheim adlatum est. *His temporibus præfuit Ecclesiis Norici Laureacensi & Patavienſi Viscarius, sedit octo annis.*

DCCLXVI. Pippinus Rex Parisius indictione VI moritur. *Turci egressi a Caspiis portis, cum Avaribus bellum inierunt.*

DCCLXVII. Karolus Magnus *anno ætatis* XXV, Pippini filius, cum fratre Karlomanno annis III, postea solus XLII. *Karolus Magnus Rex Franciæ extitit, corpore decorus, visu ferus, statura ejus pedum* VIII, *facies longa ut palmus & dimidius, frons pedis unius. Militem armatum super equum sedentem simul cum equo usque ad terram cum spata scindebat, quatuor ferraturas simul in unum junctas faciliter cum manibus extendebat, militem armatum stantem super manum suam a terra usque ad caput suum velociter elevabat, leporem integrum vel duas gallinas vel anserem sola vice edebat, modicum vinum limphaticum bibebat, & raro plusquam ter in prandio vel in cœna.*

DCCLXVIII.

DCCLXIX. Corpus S. Othmari post X annos in insula, qua obiit, incorruptum reperitur, & in Basilica S. Galli sepelitur. Karolus filiam Desiderii Regis Longobardorum uxorem duxit, & statim repudiavit.

DCCLXX. Karlomannus Rex, frater Karoli, moritur.

DCCLXXI. Karolus Synodum colligit.

DCCLXXII. Karolus Rex Saxoniam bello petit, *& Eresburch ibi acquisivit. Adrianus Papa factus est. Tassilo Carentatos, id est Karinthiam, vicit.*

DCCLXXIII. Karolus Italiam invadit, & Desiderium Regem *cum uxore & principibus in civitate Papia potenter capiens*, vicit. Karolus

Lon-

Longobardos cum Italia ſubjecit, [1] ex quo intraverunt, CCV., ipſeque cum triumpho Romam venit.

DCCLXXIV. Karolus iterum Saxoniam petit. *S. Rupertus apud Juvavium translatus eſt.*

DCCLXXV. Karolus item in Italia Ruodcaiſum occidit. *His temporibus Waldaricus præfuit Laureacenſi & Patavienſi Eccleſiis, ſedit* 31. *annis.*

DCCLXXVI. Karolus iterum in Saxoniam pergit, *& Sigiburch urbem cepit.*

DCCLXXVII. Karolus Hiſpaniam invadens, cepit.

DCCLXXVIII. Karolus iterum Saxoniam ſæpius rebellantem invadit. Fames & mortalitas Franciam vaſtat. *Taſſilo Dux Babariæ & Theodo ſuus filius conſtruxerunt Cœnobium in Chremsmunſter.*

DCCLXXIX. Karolus tandem Saxonicum bellum ut putabatur, ſubjectis Saxonibus conſummat. *Leo*, IV. *hujus nominis, Conſtantini peſſimi filius, cum uxore ſua Heyrena hic regnare cœpit. Hic in Eccleſia quandam vidit coronam carbunculis ornatam, quam concupiſcens, & capiti ſuo impoſuit, & in medio populi cecidit, & expiravit.*

DCCLXXX. Karolus iterum Romam venit, & Pippinus filius ejus baptizatur ab Adriano Papa.

DCCLXXXI. Karolus Conventum habuit in Saxoniam.

DCCLXXXII. Hiltigart Regina, uxor Karoli obiit, II. Kal. Maj. & Berihta obiit. *Eadem Hiltigart fundavit nobile Monaſterium, dictum Khempen, Ordinis S. Benedicti in Swevia, in Latino vocatur Campidona.*

DCCLXXXIII. Karolus Saxones rebelles plaga magna occidit, & Chriſtianos fecit. *Item Sinbertus Epiſcopus Ratisponenſis Eccleſiam S. Emmerammi conſtruxit.*

DCCLXXXIV. *S. Virgilius Juvavenſis. Epiſcopus obiit.*

DCCLXXXV. Eclypſis ſolis facta eſt, XV. Kal. Octobr. hora quaſi III. Karolus iterum Romam perrexit. *Arn primus Archiepiſcopus ordinatus eſt Salczpurgæ. Conſtantinus, VII. hujus nominis, cum matre Heyrena hic regnare cœpit. Quorum tempore quidam fodiens in longis muris Thraciæ, invenit arcam lapideam, in qua jacuit mortuus ante Chriſti nativitatem ſepultus, habens in aurea lamina literas hæc verba continentes: Chriſtus naſcetur ex Maria Virgine, & ego credo in eum. O Sol! ſub Conſtantino & Heyrene Imperatoribus iterum me videbis.*

DCCLXXXVI. Karolus per Alamanniam ad fines Bajoariæ rebellantis cum exercitu venit.

DCCLXXXVII. Taſſilo Dux Bajoariæ, jubente Karolo, in Franciam venit, & Bajoaria ſubicitur Karolo. *Idem Taſſilo Karolo homagium fecit, quem ipſe Rex poſtea detonſum truſit in Monaſterium cum filio Theodone: & ipſa provincia, ſcilicet Bawaria, non ulterius Duci, ſed Comitibus ad regendum commiſſa eſt.*

DCCLXXXVIII. Karolus Sclavos, qui Wilzi dicuntur, bello petit.

DCCLXXXIX. Karolus hunc annum ſine bello Wormatiæ ſedit. *Rotunda capella apud Odingam a Carolo fundatur.*

DCCXC. Karolus Pannoniam, regnum Hunorum, vaſtat.

DCCXCI. Saxones Chriſtum relinquentes iterum rebellant. *Karolus ab Anaſo fluvio usque Raba Ungariam ſeu Avaram cepit.*

DCCXCII. Alcwinus (qui Albinus) his temporibus clarus habetur. *Hic Alchwinus Philoſophus Karolum docuit artes liberales, genere Anglicus, vita & ſcientia & moribus claruit. Hic etiam de Roma tranſtulit ſtudium Pariſius. Huic commiſit Karolus Monaſterium S. Martini, cujus Monachi præteritæ religionis obliti, ſericis veſtibus utebantur, & calciamentis auro textis, carnis illecebris ſerviebant, & devotionem Divini operis nihil curabant. Cum autem in dormitorio ſimul quieſcerent, venerunt duo Angeli, & plurimos extinxerunt. Hujus Monaſterii Abbas & gubernator fuit Magiſter Alchwinus; ſanctitatem autem priſtinam reformavit.*

DCCXCIII. Fraſtrada [1] Regina obiit. Karolus magnam Synodum congregavit *Ratisponæ.*

DCCXCIV. Karolus Saxoniam petit, & tertiam partem virorum obſides accepit.

DCCXCV. Huni munera mittentes Karolo ſubiciuntur. *Hoc tempore Karolo ſcripſit Imperator Conſtantinus, & Patriarcha Jeroſolimitanus, ut ſuccurreret Terræ Sanctæ. Quam exercitu recuperans, reverſus eſt Conſtantinopolim, ubi aurum & gemmas ſibi oblatas recuſans, poſtulavit ex omnibus Reliquiis arcam unam. Territus Conſtantinus clauſit Reliquias pretioſiſſimas in arca vili; ſed alias in ſcriniis aureis & gemmatis. Karolus ignorans, præmiſit jejunium triduanum, & præmonitus ab Angelo, cum inter ſcrinia deberet unum eligere, relictis aureis arripuit arcam vilem, in qua erat, pars Coronæ ſpineæ, quæ tunc floruit ad preces ejus, item unus Clavus Domini, item pars Crucis, item ſudarium Chriſti, item Camiſia Virginis glorioſæ, item brachium S. Simeonis; quæ omnia miraculis concomitantibus ad Aquasgrani tranſtulit, & in Baſilica Beatæ Virginis collocavit.*

DCCXCVI.

DCCXCVII. Romani Leonem Papam in letania majore excæcant, & linguam ejus amputant; *ſed anno Domini* DCCXCIX *in Nativitate Domini viſum recepit.*

DCCXCVIII. Gerolt piiſſimus ſignifer Karoli in pugna occiditur ab Hunis, *Comes & Præfectus Ducatus Babariæ, Marchioque Orientalis, terræ ſcilicet Auſtriæ, quæ & Avara ſive Avarii tunc dicta eſt.*

DCCXCIX. Liutkarda Regina obiit, II. Non. Jun.

DCCC. Karolus Imperiali benedictione ſublimatur, Auguſtus & Cæſar Romano nomine vocatur. *Karolus Magnus Imperiali benedictione a Papa ſublimatus, Auguſtus & Cæſar Romanus eſt appellatus, anno regni ſui* XXXIV. *ab Urbe condita* MDLII. *Igitur a Conſtantino Magno per annos* CCCCLXXX. *Sedes Imperialis fuit in Conſtantinopoli, & tamen vocabantur Imperatores Romani, Karolus autem ſedem Imperialem in Ro-*

[1] *Supple* anno. [2] *al.* Irene. [1] *al.* Faſtrada.

nam transtulit, & jus eligendi Imperatorem Theutonicis acquisivit. Sunt autem Principes septem, quibus electio data est, & successoribus eorundem: tres Archiepiscopi Cancellarii, quorum primus Archicancellarius, scilicet Maguntinensis; & quatuor sæculares, scilicet Marchio Brandeburgensis, Palatinus Reni, Marchio Saxoniæ, Rex Bohemiæ, quorum ministeria in his versibus continentur:

Maguntinensis, Treverensis, Colonensis
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per sæcula summum.

De statura Karoli superius satis scripsi. De cujus tamen vita victoriosissima, gloriosa, religiosa & miraculosa, potentissima, mitissima, utilissima vidi ego volumen egregium compilatum, in quo multa delectabilia & utilia continebantur, quæ heu! propter prolixitatem me prætermittere oportet. XII *annis Imperium tenuit, Imperatores Constantinopolitanos vocans fratres suos.*

DCCCI. Græci pacem cum Karolo firmant. *Anno Domini* DCCCI, *Constantinus Imperator matrem suam Heyrenam de Roma expulit, quæ ipsum tandem & filios excæcari procurans, Imperium sola tenuit tribus annis in Constantinopoli. Cui successit Nicephorus, avarissimus omnium hominum, & regnavit* IX *annis. Et post illum bonus, nomine Michaël, regnans annis* II. *qui ditando placavit, quos Nicephorus spoliavit, & omnes adversantes fidei contingere* [1] *conabatur.*

DCCCII. Terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est.

DCCCIII. Karolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert.

DCCCIV.

DCCCV. *Karolus III, filius Karoli II, Boemos devastavit, & subegit.*

DCCCVI. Eclypsis solis facta est, III. Id. Feb. hora quasi sexta. *His annis præfuit Laureacensi & Pataviensi Ecclesiis Urolphus quidam, cui a Romana sede pallium confirmatur, licet multum pro eo Salzburgenses laboraverint.*

DCCCVII. Gotifridus Nordmannorum Rex superbe Karolo minatur.

DCCCVIII. Karolus Synodum magnam congregat. *His temporibus Hatto Pataviæ sedit Episcopus.*

DCCCIX. Eclypsis solis facta est VII id. Jun. hora quasi II. Eodem anno eclypsis solis facta est II. Kal. Dec. hora quasi III.

DCCCX. Karolus thesauros inter Episcopia & Ecclesias dividit. Karolus Rex, filius Karoli, obiit.

DCCCXI. Perinhardus Rex a Karolo efficitur. *Circa hæc tempora Concilia jussu Caroli Cæsaris quinque super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam celebrata sunt; quorum unum Mogunciaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillionis, quintum Arelate congregatum.*

DCCCXII. Karolus febre & pleuresi pulsatus, obiit, indictione VII, V Kal. Feb. anno ætatis LXXXI. *Karolus Christum suum hæredem fecit, thesauros suos in Ecclesias, Dioceses & Monasteria dividendo. Febre & pleuresi pulsatus, sancto fine quievit, Sanctorum numero aggregatus. literas alphabeti fecit, omnes argenteas, quamlibet valentem centum libras Turonenses, & totidem Monasteria sive Cœnobia fundavit, ponens in quolibet unam literam earundem. Adsignavit Altacensi Monasterio Spitz Comitatum in Marchia Orientali.*

DCCCXIII. Ludowicus, Karoli Magni filius, annos XXVI. *Hic fuit homo clementissimus. Multa Concilia tempore ipsius sunt celebrata, ubi Episcopi & Clerici cingula aurea & alia ornamenta sæcularia jussa sunt deponi. Tunc etiam temporis Theodolfus Episcopus Aurelianensis apud Imperatorem falso accusatus, custodiæ Andegavi est ab eo mancipatus. Cum autem in die Palmarum processio juxta domum, in qua custodiebatur, fieret; ille aperta fenestra factoque silentio pulcherrimos illos a se editos versus, scilicet* Gloria, laus & honor tibi sit &c., *præsente Imperatore cantavit. Qui in tantum placuerunt Imperatori, quod ipsum a vinculis mox absolvit, & in sua sede collocavit. Michaël Imperator Constantinopolitanus misit Ludwico inter cætera munera libros S. Dionysii, de quibus sex infirmi protinus sunt curati.*

DCCCXIV.

DCCCXV. Leo Papa obiit: & Ludowicus a Stephano Papa Imperator factus est.

DCCCXVI. *Ludwicus Imperator, Synodo Aquisgranis habita, constituit Regulam Canonicorum & Canonicarum de universis sententiis Patrum compilatam, & alia multa de statu Clericorum & Religiosorum utiliter sunt ibi tractata.*

DCCCXVII. Perinhardus Rex Ludowico rebellat.

DCCCXVIII. Perinhardus Rex interiit. Liutwidus rebellat. *Floruit tunc temporis Rabanus Maurus Maguntinus Episcopus, & discipulus ejus Atrabus, qui librum de Officio Ecclesiæ scripsit Imperatori. Illo etiam tempore quidam Rex Sclavorum cum tota familia sua est baptizatus in Maguntia.*

DCCCXIX. Exercitus contra Liutwidum congregatur.

DCCCXX. Iterum exercitus contra eundem congregatur. *Eo etiam tempore in Gallia, ante festum Johannis Baptistæ, cum grandine cecidit fragmentum glaciei, cujus longitudo* XV. *pedum, latitudo sex, spissitudo duo &c.*

DCCCXXI. Nix magna a X. Kal. Octob. usque in II Id. April. permansit.

DCCCXXII.

DCCCXXIII. Wetti Augiensis Monachus in Spiritu raptus, admirabilem vidit visionem.

DCCCXXIV.

DCCCXXV.

DCCCXXVI.

DCCCXXVII.

DCCCXXVIII.

DCCCXXIX. Corpora Sanctorum Valentis & Senesii in Augiam insulam deferuntur.

DCCCXXX.

DCCCXXXI. Ludowicus Imperator magnum conventum in Noviomago habuit.

DCCCXXXII.

DCCCXXXIII.

DCCCXXXIV.

DCCCXXXV.

DCCCXXXVI.

[1] *l.* extinguere.

DCCCXXXVI.

DCCCXXXVII. Poto Diaconus palatii in Judaismum lapsus est.

DCCCXXXVIII.

DCCCXXXIX. Eclypsis solis facta est, IV Non. Maj, hora ante nonam & Ludowicus Imperator obiit, XII Kal. Jul.

DCCCXL. Ludowicus, Ludowici filius, cum fratribus Lothario, Karolo, Pippino annis XXXVI. Bellum inter fratres de participatione regni excanduit, *quod nulla meminit ætas tam grave prælium in regno Francorum, & hoc factum est in pago Altisiodorensi.*

DCCCXLI. Ludowicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam, Karolus Gallias regnum dividentes accipiunt.

DCCCXLII. Judith Imperatrix, uxor Ludowici prioris, obiit.

DCCCXLIII. *Wilhelmus & Engelschalcus fratres, fuerunt Marchiones Austriæ.*

DCCCXLIV. Hincmarus vir doctus, Rhemorum Archiepiscopus ordinatur.

DCCCXLV.

DCCCXLVI. *Ludwicus II Rex Pannoniam subegit, & Boemos vastavit.*

DCCCXLVII.

DCCCXLVIII.

DCCCXLIX.

DCCCL.

DCCCLI. Translatio S. Remigii Remorum Archiepiscopi ab Hincmaro ejusdem urbis Episcopo, Kal. Octob.

DCCCLII. Corpus S. Martini de tumulo levatur. *Item Imperator transtulit S. Liborium Episcopum de Zenomannis in Padebrun. Cui cum cives Turonenses cum Reliquiis S. Martini processionaliter occurrerent; tunc quidam civis leprosus cum servis & amicis veniens procidit coram S. Martino, ut eum mundaret. Cui vox de arca respondit: jam te ex una parte corporis volo mundare, reliquam mundandam fratri meo Liborio derelinquo: semper enim hospites sunt honorandi. Ille dimidius sanus cum omni populo procidit ad Reliquias S. Liborii, & penitus est curatus; sicque ambo, ut ait Apostolus, honore invicem prævenientes.*

DCCCLIV.

DCCCLV. Hiltigart Regina obiit. Lotharius Imperator obiit: pro quo filius ejus Ludowicus Imperator cum fratre Lothario annis XIX. *Iste Lotharius, primus hujus nominis, Imperium & partem Franciæ, quam suo nomine Lotharingiam vocavit, reliquit filio suo Ludwico III hujus nominis; & ipse Lotharius Monachalem habitum suscepit: pro cujus anima dæmones cum Angelis pugnaverunt, quod omnes præsentes timor invasit; sed Monachis orantibus, Angeli prævaluerunt.*

DCCCLVI. *In parrochia Maguntina malignus Spiritus ostia domorum quasi malleis pulsando, manifeste loquendo, lapidibus homines agitando domos plurimas incendebat. Clericis autem letaniam agentibus, dixit se aspersionem aquæ evasisse sub cappa cujusdam Presbyteri, quem cum filia sui procuratoris asseruit fornicatum. Eo etiam tempore apud Brisiam [1] Italiæ tribus diebus sanguinem de nubibus pluit &c.*

1 *f.* Brixiam.

DCCCLVII. *Item in Gallia locustæ apparuerunt, sex alas habentes, & sex pedes, & duos dentes lapidibus duriores. Turmatim autem volantes, uno die per quatuor miliaria herbas & arbores devastantes, usque ad mare Britannicum: ubi flatu ventorum submersæ, & rursum ad litus fremitu maris ejectæ putruerunt. Inde aëre corrupto, tam pestilens morbus secutus est, ut tertia pars illorum hominum interiret.*

DCCCLVIII. *Eo tempore Adolfus [1] Rex Angliæ Romam veniens, obtulit S. Petro tributum de qualibet domo nummum argenteum donnatim.* [1]

DCCCLIX.

DCCCLX. Meginradus heremita martyrizatur. *His temporibus sedit Laureaci & Pataviæ Berharius [2], XVII.*

DCCCLXI.

DCCCLXII. Huni Christianitatis nomen aggressi sunt. *Item Rex Bulgarorum cum gente sua baptizatus, tantæ perfectionis fuit, ut, majore filio in Regem ordinato, ipse habitum susciperet Monachalem. Sed cum idem filius redire vellet ad cultum gentilitatis; pater habitum deposuit, militiam assumpsit, filium excæcavit, & in carcerem trusit: & filio minore in Regem ordinato, resumpsit pater habitum Monachalem.*

DCCCLXIII. Translatio S. Othmari in Basilica S. Galli.

DCCCLXIV. *Eo tempore Lotharius multis modis, amore Waldratæ concubinæ suæ, occasionem repudiandi Reginam Thiebirgam [3] quærit. Itaque Guntharium Colonienſem Episcopum, qui tunc in regno præcipuæ fuit auctoritatis, accersit ad id quod animo conceperat, perficiendum, falsa spe promittens. Et idem Guntharius, accito Trevirorum Archipræsule Thiebaldo, Concilium Metis congregat, & Reginam Thiebirgam in medio statuunt, falsisque testibus productis, inter alia nefaria de incæstu illam convincunt. Proinde ad voluntatem Regis sententia divortii datur, & Reginæ pro commisso sceleris pœnitentia datur. Et sic alium conventum magnum habuit Aquisgrani, & consilio Guntharii omnibus acclamantibus:* Melius est nubere, quam uri, *Waldrata Concubina regio cultu decorata, Reginæ nomen sortitur, comitatu famulorum stipata &c. Propter hoc Nicolaus Papa Imperatorem communione privavit, & Guntharium, & Trevirenſem Episcopos in exilium misit: ex qua causa tam ipsi, quam Regno omni gravissimum discrimen oritur. Inde nota, jam regno decrescente, Ecclesiæ tantæ auctoritatis factam, ut etiam Reges judicet.*

DCCCLXV.

DCCCLXVI.

DCCCLXVII. Terræmotus factus est, & cometa visa est.

DCCCLXVIII. Lotharius Rex, frater Ludowici, obiit: & Karolus Galliarum Rex regnum ejus invadit.

DCCCLXIX. Ludowicus Imperator de solario cecidit.

DCCCLXX. Ludowicus & Karolus pacificantur.

1 *al.* Edelvolphus. 2 *l.* Hartwicus. 3 *al.* Thietbergam.

DCCCLXXI. Wormacium fulminis ictu A crematur.

DCCCLXXII.

DCCCLXXIII.

DCCCLXXIV. Ludowicus Imperator obiit: & Rex Galliarum Karolus Romam pervenit. *Iste Karolus regnavit annis duobus. Hic multa Monasteria destructa renovavit. Compendium opidum suo nomine Kariopolim vocavit, & ad modum Constantinopolis eam construere cogitavit.*

DCCCLXXV. Ludowicus Rex Germaniæ obiit. Bellum in Riburia inter Ludowicum & Karolum committitur.

DCCCLXXVI. Karolus junior, filius Ludowici, cum fratribus Karlomanno & Ludowico annos XII. *His temporibus Laureaci & Pataviæ sedit Episcopus Ermanricus.* B

DCCCLXXVII. Papa Johannes in Franciam venit. Karolus Rex Galliarum obiit.

DCCCLXXVIII. *Eo tempore Normanni & Daci Coloniam, Treverim & multas alias civitates devastantes, tandem baptizati partem Franciæ trans Sequanam, quæ adhuc Normannia dicitur, se pacifice receperunt. Tunc etiam Ungari de Scythia a Pincernatis expulsi, Hunos sicut Avaros, id est Australes (sed prius sic dictos) de Pannonia ejecerunt, adeo tunc inculti, ut crudis carnibus in cibum, & sanguine in potum uterentur.*

DCCCLXXIX. Ludowicus Balbus, filius Karoli, obiit. Ecclypsis solis facta est. Ludowicus vivente fratre suo Karlomanno Bajoariam ingreditur, & Karlomannus moritur. *Idem Karlomannus Dux Babariæ & Karinthiæ apud Odingas est sepultus, cujus filius Arnolfus.* C

DCCCLXXX. Karolus Junior cum uxore sua Richarda Imperiali benedictione sublimatur.

DCCCLXXXI. Ludowicus Rex Francorum, Karoli frater, obiit.

DCCCLXXXII. *Eo tempore florebat Johannes Scotus, qui Jerarchiam S. Dionysii transtulit in Latinum: quem postea discipuli sui stylis confodientes, peremerunt.*

DCCCLXXXIII. *Illo etiam tempore Corpus S. Martini in Altisiodorum ad S. Germanum translatum est. Ubi Monachis utriusque Sancti litigantibus, & miracula quæ fiebant utrique Sancto adscribebant* [1]; *leprosus quidam in medio pernoctans, ex parte Martini curatus est medius: & nocte sequenti reversus, a S. Germano curatus ex parte altera, non propter Germani impotentiam, sed quia Martinum hospitem honoravit.* D

DCCCLXXXIV.

DCCCLXXXV. *His temporibus Vichingus præfuit Laureacensi Ecclesiæ.*

DCCCLXXXVI.

DCCCLXXXVII. Karolus Imperator regno privatur: *quia Orientales Franci, eo relicto, elegerunt Arnolfum in Regem, & Karolus subjecit se Arnolfo. Idem Karolus tumulatus est in Monasterio Augiensi.*

DCCCLXXXVIII. Arnolfus, filius Karlomanni, annos XI. Karolus Junior Imperator obiit. *Ille Arnolfus exercitum Normannorum, qui Gallias quadraginta annos vastaverant; superavit. Tunc etiam temporis Ungari Saxoniam & Thuringiam superantes, Brunonem Saxoniæ Ducem occiderunt: item Franciam & Saxoniam vastantes, usque ad Fuldam devenerunt.*

DCCCLXXXIX.

DCCCXC. Arnolfus Rex exercitum Nordmannorum prorsus delevit. *Arnolfus Rex concessit Zuatopluk Regi Moraviæ, Compatri suo, Ducatum Bohemiæ.*

DCCCXCI. Ratispona Bajoariæ urbs incendio flagrat.

DCCCXCII.

DCCCXCIII. *His temporibus Engelmarus præfuit utrique Ecclesiæ Laureacensi & Pataviensi.*

DCCCXCIV. Arnolfus Italiam Burgundiamque suo regno subicit. *Borinoy Dux Boemorum primus fidelis baptizatur, & Zuatopluk Rex Moraviæ non comparuit: quia aufugit fidem frangendo in Rege Arnolfo, & in Ungaria, ubi est modo Cœnobium Zuburiense Daciæ, dictum Zubri, heremita efficitur; & mortuus ibidem jacet sepultus.*

DCCCXCV.

DCCCXCVI. Arnolfus Rex Romam veniens, Imperator efficitur.

DCCCXCVII. Magna fames homines se invicem comedere persuasit.

DCCCXCVIII.

DCCCXCIX. Arnolfus Imperator moritur, *& in Monasterio S. Emmerammi sepultus in Ratispona, a pediculis devoratus. Idem Arnolfus destruxit Parisium, & S. Dionysium ad Monasterium S. Emmerammi adduxit. Formosus Papa personaliter dedicavit Monasterium.* Gentes Pannoniæ Italiam depopulantur.

CM. Ludowicus, filius Arnolfi, admodum puer annis XII. Ungarii Bajoariam ingrediuntur, plus quam mille ex eis occiduntur. Zuondebaldus, filius Arnolfi, occiditur.

CMI. Ungarii Carentariam invadunt, & in Sabbato commissa pugna occiduntur. Eodem anno Mormarius & Isanrichus cum Rege pacificantur. *Borinoy Dux Boemorum moritur: Spitigneus filius ejus successit.*

CMII. *Leopoldus Austriæ Marchio, primus hujus nominis & fundator Monasterii Mellicensis, venit in Austriam.*

CMIII. Ungarii a Mariis occiduntur. Beringer, Reginolt, Gerhart germani fratres occiduntur.

CMIV.

CMV.

CMVI. Pugna inter Adalbertum *Comitem Babenbergensem*, & Chuonradum *Ducem Franconiæ, fratrem Ludwici Regis*, committitur, in qua Chuonradus occiditur. *Nota de Alberto Comite Babinbergæ, ubi nunc est Episcopatus: idem Albertus fuit nobilissimus Comes de genere Francorum, & Ottonis Ducis Saxonum ex filia Nepos, Conradum Ducem Franconiæ, fratrem Regis Ludwici occidit. Ex hujus Alberti sanguine Albertus Marchio Austriæ, qui postmodum Marchiam Orientalem, id est Pannoniam Superiorem, Ungaris ere-*

[1] *f.* adscribentibus.

[1] *in margine recens manus notam hanc apposuit:* Rasura locum facit suspectum; bene autem natus perhibetur Leopoldus hoc anno.

ptam

ptam Romano Imperio adiecit, originem duxisse traditur.

CMVII. Adalbertus *Comes Babenbergensis* perfidia Hattonis Archiepiscopi, & cujusdam Liutpoldi deceptus, Ludowico jubente decollatur. Bajoarii ab Ungariis interficiuntur. *Idem Hatto Archiepiscopus Maguntinensis propter hoc scelus a Dæmonibus in puteum Ethicmontis est præcipitatus, voce in aëre dicente:*

Sic peccata lues, sicque cadendo rues.

CMVIII. Ungarii Saxoniam & Thuringiam vastant. Liutpoldus occiditur. *Basileam Ungari destruunt, Alsatiam & Lotharingiam pervagantes. Item Monasterium Cluniacense Wilhelmus pius Princeps Burgundiæ renovavit.*

CMIX. Ungarii Alamanniam petunt. Bellum Francorum cum Ungariis.

CMX.

CMXI. Ludowicus Rex moritur, & Burchardus Dux occiditur.

CMXII. Chuonradus, filius Chuonradi, in regnum elevatus est, regnans annis VII. Ungarii a Bajoariis & Alamannis juxta fluvium Enum occiduntur. Cometæ videntur. Ungarii Alamanniam depopulantur.

CMXIII. *Otto Primus nascitur.*

CMXIV.

CMXV. *Defuncto Spitigneo Duce Boemorum, Wracizlaus frater ejus succedit.*

CMXVI. Wiberada inclusa est. Ungarii per Alamanniam igne & gladio vastant.

CMXVII. Basilea ab Ungariis destruitur. Ungarii per Alamanniam Alsacii,[1] & regnum Lotharii invadunt. Burchardus Dux constituitur.

CMXVIII. Chuonradus Rex moritur *sine hærede, sepultus in Fulda: & coram Principibus regni Regem designat Heinricum, filium Ottonis Ducis Saxonum. Hic Regnum sive Sedes Imperialis translata a Franconibus ad Saxones.*

CMXIX. Heinricus Comes Rex effectus, regnavit annis XIX. *Iste Heinricus Primus, filius Ducis Saxoniæ Ottonis, in Alamannia & in Saxonia Ungarorum exercitum delevit, & duos Reges Christianos fecit, scilicet Normannorum & Obateritarum.*[2] Burchardus Dux Alamanniæ Ruodolfum Regem *Burgundiæ* pugna vicit.

CMXX. Karolus Galliæ Rex in Franciam venit.

CMXXI. *Defuncto Wracizlao Duce Boemorum, Sanctus Wenceslaus filius ejus succedit.*

CMXXII. *Heinricus Imperator vi extorsit lanceam Sancti Mauricii a Rudolfo Rege Burgundiæ, & Imperio consignavit.*

CMXXIII. Sanguis Domini in Augiam insulam defertur. *Sanctus Hildewardus Halberstadensis nascitur.*

CMXXIV. Sanctus Uodalricus Augustanæ Episcopus ordinatur.

CMXXV. Wiberada ab Ungariis martyrizata est *apud S. Gallum.*

CMXXVI.

CMXXVII. Ungarii totam Franciam, Alamanniam, Alsatiam, Galliam gladio & igne vastant. Burchardus Dux occiditur. Heremanno Alamannia committitur.

CMXXVIII.

CMXXIX. *Sanctus Wenczeslaus glorioso martyrio coronatur.*

CMXXX. *His temporibus Erhardus*[1] *præfuit Laureacensi & Pataviensi Ecclesiis, & sedit* 60[2] *annis.*

CMXXXI. Hæinricus Rex Boemiam petit.

CMXXXII. Hæinricus Regem Abroditarum & Nordmannorum Christianos efficit. *Corpus S. Wenczeslai translatum est.*

CMXXXIII. Hæinricus Ungarios in Syrbia interfecit.

CMXXXIV.

CMXXXV. *Illo etiam tempore in civitate Januensi fons sanguinis largiter fluxit, & civitas eodem anno a Sarracenis capta, thesauris & hominibus miserabiliter est spoliata.*

CMXXXVI.

CMXXXVII. Hæinricus Rex obiit.

CMXXXVIII. Otto Magnus, Heinrici filius, annos XXXVII. Ungarii Franciam, Alamanniam, Galliam usque Oceanum & Burgundiam devastantes, per Italiam redierunt.

CMXXXIX. Hæinricus, frater Ottonis, ab Eberhardo *Comite Palatino* comprehensus est.

CMXL. Gisilbertus, *Dux Lotharingiæ*, & Adalbertus occisi, & Episcopi in fugam lapsi sunt.

CMXLI. Otto Rex Gallias petit. Hiemps valida, & mortalitas animalium facta.

CMXLII.

CMXLIII. Otto Rex & Ludowicus pacificantur. Cometæ XIV. noctes, & mortalitas animalium facta.

CMXLIV. Ungarii cum Bajoariis pugnant, & vincuntur.

CMXLV. Terræmotus factus est, XVI. Kal. Maj.

CMXLVI. Otto Rex Gallias ingreditur.

CMXLVII.

CMXLVIII. Bertholfus Bajoariorum Dux obiit: cui Heinricus, frater Ottonis, successit.

CMXLIX. Synodus XXX. Episcoporum apud Engelinginheim coram Ottone & Ludowico Regibus congregatur. Hermannus Alamannorum Dux obiit: pro quo Liutolfus Ottonis filius.

CML. *Boleslaus Dux Boemorum rebellavit, contra Regem Ottonem: quem Rex debellavit, & per omnia subegit.*

CMLI. Otto Rex Italiam petit, eamque sibi subjecit, & Beringerum Regem expulit, *& ad Babariam in exilium misit. Adelmuidam*[3] *Lotharii relictam, quam idem Beringer in vinculis tenuerat, Otto duxerat: de qua filium genuit, regni & nominis successorem. Sanctus Rasso, de familia Comitum de Andegs & Ducum Meraniæ, ex filiis Arnoldi descendens Bajoariæ quondam Ducis, relicto mundo Monachus factus est in propria fundatione Werdim Sahs*[4] *ad Ambram fluvium, & principatum reliquit cognato Friderico Roch: qui in terra sancta obiit, & a quo prosapia Comitum An-*

1 *l.* Alsatiam.
2 *al.* Abroditarum.
1 *al.* Gerhardus. 2 *al.* 14. 3 *al.* Adheleidem.
4 *ita lego.*

decensium Meraniæque Ducum & Tyrolis Comitum defluxit.

CMLII. Synodus XXV. Episcoporum coram Ottone Rege colligitur.

CMLIII. Beringerus apud Augustam Ottonii ad deditionem venit. Ignitus lapis quasi massa candentis ferri ab occidente volitans venit, & Draco visus est. Otto Rex unacum filio Italiam intrat, ac nuptiæ regales Papiæ factæ sunt.

CMLIV. Liutolfus Dux Ottoni patri suo rebellat. Adalbertus Comes occiditur. Ungarii Noricam, Franciam Italiamque petunt.

CMLV. Ungarii totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam urbem, Deo juvante, ab Ottone Rege pugna victi, immensa cæde necantur, XIV. Id. Aug. *Ubi Chunradus Dux & Dyepaldus fratres S. Udalrici occisi sunt, sed Reges Ungarii in patibulo Ratisponæ suspensi sunt.* Heinricus Dux *Babariæ* obiit: *Heinricus filius ejus successit, dictus Heselo.*

CMLVI. Liutolfus Dux hostiliter Italiam invasit.

CMLVII. Liutolfus Dux Adalbertum bello vicit, & ipse eodem anno obiit: pro quo Burchardus.

CMLVIII. Alawicus Abbas *Augiensis* obiit: pro quo Ekkihart. Cruces in vestibus apparuerunt.

CMLIX.

CMLX.

CMLXI. Signum in sole apparuit. Otto Rex Romam veniens, Imperator efficitur.

CMLXII. Otto Rex ab Octaviano Johanne Papa Imperator ordinatur. *Ex tunc soli Theotonici Imperium usque nunc tenuerunt.*

CMLXIII. Otto Imperator Natalem Domini Papiæ moratur.

CMLXIV. Item Otto Imperator Natalem Domini Romæ moratur.

CMLXV. Otto Imperator Italia redit: & Burchardus Dux in Italia rebelles Cæsari vicit.

CMLXVI.

CMLXVII.

CMLXVIII. Eclypsis solis facta est XI. Kal. Dec.

CMLXIX.

CMLXX. Signum quoddam ignei coloris apparuit.

CMLXXI.

CMLXXII. Synodus apud Ingilinginheim propter Adalberonem, Sancti Uodalrici nepotem, colligitur. *Boleslaus Dux Boemiæ Ducatum fraterno sanguine maculatum cum vita amisit: cui filius ejus Boleslaus Pius succedit.*

CMLXXIII. Sanctus Uodalricus Augustensis Episcopus anno ætatis LXXXIII, Episcopatus vero LIV. Non. Jul. feria VI. migravit ad Dominum. Eodem anno pius Otto Imperator Nonis Maj obiit. Burchardus Dux obiit: Liutolfi filius Otto regnavit.

CMLXXIV. Otto Secundus, Ottonis Magni filius, regnavit annis X. *Pragensis Ecclesia cæpit habere Episcopum, nomine Dietmarum.*

CMLXXV.

CMLXXVI. Dissensio inter Ottonem Imperatorem & Heinricum Ducem Bajoariæ oritur; *quamvis tamen Otto Imperator fuit patruus Ducis Heinrici Babariæ.*

CMLXXVII.

CMLXXVIII. Otto Imperator contra Lotharium Regem Gallias invadit. Heinricus & æquivocus ejus Duces, & Heinricus Augustæ Episcopus capti sunt, & in exilium missi.

CMLXXIX.

CMLXXX.

CMLXXXI. Otto Imperator Neapolim venit.

CMLXXXII. Otto Imperator apud Calabriam, occiso a Græcis & Sarracenis exercitu, de navi exiliens natando aufugit. Otto Dux obiit. *Otto Secundus contra Agarenos & barbaros cum Romanis & Theotonicis & Gallicis & Longobardis in Calabriam procedens, Romanis & Beneventanis terga vertentibus, totum exercitum pene amisit, & solus in navi a Græcis est captus. Quibus græce loquentibus, quod eum vellent in Constantinopolim ducere, dissimulavit se intelligere: & invocans S. Petrum, finxit se thesaurum effodere. Nautis autem ad litus eum ducentibus, venit quidam Episcopus cum multis, & Ottonem liberans nautas occidit; lætus ergo ad Imperium rediit. Sanctus Adalbertus consecratur in Pragensem Episcopum.*

CMLXXXIII. Otto Imperator Romæ VI. Id. Dec. moritur, & ibi sepelitur.

CMLXXXIV. Otto Tertius, *nominatus Mirabilia mundi*, Secundi filius, admodum puer annos XVIII.

CMLXXXV.

CMLXXXVI.

CMLXXXVII. Fames magna facta est.

CMLXXXVIII.

CMLXXXIX.

CMXC. *Sanctus Adalbertus Romæ ad Sanctum Alexium Monachus factus est.*

CMXCI. Theophanta Græca Imperatrix, mater Ottonis Regis, anno nono viduitatis obiit.

CMXCII.

CMXCIII.

CMXCIV. Chuonrado Rege Burgundiæ mortuo, Ruodolfus filius ejus ignavus successit.

CMXCV.

CMXCVI. *Sanctus Hildewardus præfatus obiit.*

CMXCVII. Heinricus Dux Bajoariorum, filius Heinrici Ducis obiit: *Heinricus frater ejus successit.* Chuonradus Dux obiit: pro quo Hermannus.

CMXCVIII. *S. Adalbertus Pragensis Episcopus secundus glorioso martyrio a Brutenis coronatur, septies confossus, tandem capite truncatus, ab aquila triduo est custoditus.*

CMXCIX. *Circa hæc tempora floruit S. Wolfgangus, primo Monachus Augiensis, deinde Episcopus Ratisponensis: qui primum altare Malestorf Cœnobii consecravit, fundatum ab Honorio, Epione & Arnesto Comitibus de Malestorf, patre, filio & nepote.*

M.

MI. Otto Imperator in Italia X. Kal. Feb. obiit, & intestina ejus Augustæ, & reliquum corpus

Aquis-

Aquisgrani ſepelitur: *ubi oſſa Sancti Karoli ipſe prius invenit.*

MII. Hæinricus Dux Bajoariæ Rex effectus, regnavit annos XXIII. *Hic Heinricus cum Sancta Chunigunde conjuge ſua Sancti permanſerunt; Giſelam ſororem ſuam Stephano Regi Ungariæ dans in uxorem, ipſum & totam gentem ad fidem Chriſti convertit.*

MIII. Hæinricus Rex Heinricum Marchionem *Auſtriæ*, & alios ſibi reſiſtentes cum exercitu petiit.

MIV. Hæinricus Rex Italiam, Boemiam, & Bolizlaum Ducem Sclavorum cum tota gente ſua ſubjugavit. Heremannus Dux obiit: pro quo filius ejus puer Heremannus.

MV. Fames magna facta eſt.

MVI. *Floruit tunc temporis Rupertus Rex Franciæ, qui ſequentiam:* Sancti Spiritus aſſit nobis gratia, *compoſuit, vita, ſcientia & voce præclarus. Qui in obſidione caſtri fortiſſimi relicto exercitu venit Aurelianum, ut in feſto Sancti Aniani chorum regeret, ſicut in Feſtis ſemper facere ſolebat: ubi Cappa ſerica indutus, dum* Agnus Dei *ter flexis genibus alte inciperet, muri caſtri forent funditus corruerunt.*

MVII. Epiſcopium Babenberch ab Heinrico Rege conſtituitur, & Eberhardus ibi Epiſcopus ordinatur.

MVIII. Liutolfus Treverenſis Archiepiſcopus obiit: & Epiſcopatum ejus Adalbero, frater Reginæ, ſibi uſurpare, quibusdam contra Regem faventibus, molitur; ſed a Rege convicti Megingaudo Epiſcopatum reliquerunt.

MIX.

MX. Wolferadus Comes IV. Non. Martii moritur.

MXI. Willigiſus Mogoncienſis Archiepiſcopus obiit: pro quo Erchinbaldus. Theodoricus Dux à Lothariis captus eſt. *Willigiſus ſive Willikinus obiit, cujus pater currus & bigas facere conſuevit. Ad parietes igitur oratorii ſui rotas ſuſpendit, ubi cauſa humilitatis ſic ſcripſit:* Willikiß, Willikiß, gedenck, von wannen du chommen ſiſt. *Clavem hujus cameræ ſolus Epiſcopus ſervabat, unde theſaurum ibi repoſitum putabatur habere, donec Imperator Heinricus ſemel intromiſſus fuit. Ideoque in vexillo Maguntino adhuc duæ rotæ aratri ſunt depictæ, ſimili modo moneta in florenis. Eodem anno Auguſtæ cœpit Ordo S. Benedicti, tandem anno* 1490. *a Patribus Mellicenſibus reformatur.*

MXII. Beatus Cholomannus martyrizatus eſt, & ſuſpenſus apud Stocchærouwe. Heremannus Dux junior obiit. Chuonradus Dux obiit.

MXIII. Hoc anno Beatus Cholomannus ſepultus eſt in eodem loco.

MXIV. Hoc anno Sanctus Cholomannus a Megingaudo Heibſtatenſi Epiſcopo in Medilicha ſepultus eſt. Hæinricus Rex Romæ Imperiali benedictione coronatur à Bonifacio I Papa.

MXV. Ernuſt Dux in venatu ab Adalberone Comite ſagitta occiditur. *Claruit tunc temporis Fulpertus Epiſcopus Carnotenſis, qui inter alia lau-*

1 *l.* Benedicto.

dabilia dictavit ympnum: Chorus novæ Jeruſalem, *Reſponſorium:* Solem juſtitiæ, *Reſponſorium:* Stirps Yeſſe &c.

MXVI. *Heinricus Imperator Bohemiam, Poloniam, Saxoniam expugnare diſpoſuit. Cum ergo exercitum perceptione Dominici Corporis munisſet, veniens ad locum certaminis, vidit S. Laurentium, Georium, Adrianum præcedere ſuum exercitum cum Angelo percutiente; & ſic abſque ſanguinis effuſione adverſarii territi ſunt & pacati. Item Apuliam, Pannoniam, Ungariam Romanis ſubjecit. Cœpit autem infirmitate calculi laborare. Cui in monte Caſſino S. Benedictus apparens in ſomnis, more Cyrologi calculum ferro excidit, eumque in manu Imperatoris poſuit, & locum ſanavit.*

MXVII. Gotifridus Dux Gerhardum vicit.

MXVIII. *Heinricus Marchio Auſtriæ obiit ſubitanea morte, qui Sanctum Cholomannum nobis dedit: cui filius ejus Adalbertus ſucceſſit.*

MXIX. Chuonradus puer, auxiliante patruele ſuo Chuonrado, poſtea Imperatore, Adalberonem Ducem pugna vincens fugavit.

MXX. Benedictus Papa Babenberg veniens, Eccleſiam S. Stephani dedicavit. Werinharius Argentinæ urbis Epiſcopus cum Alamannis contra Burgundiones pugnavit, & vicit.

MXXI. Terræmotus factus eſt magnus IV. Id. Maj, feria ſexta. *His temporibus Otto Comes de Vallai Cœnobium Perenried apud Bojoarios fundavit, cujus filia Cuniza, Friderici Comitis Andecenſis uxor, Monaſterium Beati Stephani in Dieſſen exorſa eſt.*

MXXII. Hæinricus Novam Trojam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta eſt. Nothgerus Magiſter obiit.

MXXIII.

MXXIV. Hæinricus Imperator III. Id. Jul. obiit, & in Babinberch Epiſcopio a ſe facto, in Monaſterio S. Petri, ſepelitur. *Item qualiter Sancta Chunigundis de infamia ſe purgaverit, longum eſt dicere. Cum autem Heinricus Imperator in morte decumberet; quidam ſanctus heremita audivit multitudinem Dæmonum tranſeuntium, qui adjurati dixerunt, quod redeuntes in morte Cæſaris ſumus; ſed nichil profecimus: quia ille exuſtus ollam in ſtateram miſit, cui aurem unam ſregimus, ſed affuit Laurentius exuſtus. Calicem vero ollam vocaverunt, quem ipſe Heinricus dedit Eccleſiæ S. Laurentii.*

MXXV. Chuonradus Imperator pene annos XV. regnavit. *Idem Imperator dixit: Video, quod Divinæ ordinationi nemo reſiſtere poſſit.* Magna diſſenſio in regno contra Chuonradum efficitur.

MXXVI. Chuonradus Rex filium ſuum Heinricum Regem fecit, & ipſe Romam veniens, Imperator efficitur. Brúno Auguſtenſis Epiſcopus, & Welf Comes prædas & incendia inter ſe faciunt.

MXXVII.

MXXVIII. Ernuſt Dux, & Welf Comes Chuonrado Imperatori ad deditionem veniunt.

MXXIX.

MXXX. Chuonradus Imperator Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit. Interea

terea in Alemannia Ernuſt Dux, & Werinharius Comes occiduntur, XVI. Kal. Sept.

MXXXI. Stephanus Rex, miſſis legatis, cum Imperatore Chuonrado pacificatus eſt.

MXXXII. Ruodolfus Rex Burgundiæ moriens, diadema ſuum Chuonrado Imperatori commiſit.

MXXXIII. Chuonradus hieme Burgundiam petit. Eclypſis ſolis III. Kal. Jul. hora quaſi VI. Chuonradus occidentalem Franciam contra Uotonem petit. *Hemericus filius Stephani Ungarorum Regis obiit, qui tantis miraculis claruit, quod in Kathalogo Sanctorum meruit adſcribi.*

MXXXIV.

MXXXV. Chuonradus item Burgundiam vaſtat. Pagani Saxoniæ confinia petunt. Pagani, qui Liutici dicuntur, Wirbinam caſtellum in confinio Saxoniæ, multis Chriſtianis occiſis & captis, obtinent: quos Chuonradus Imperator cum exercitu petit.

MXXXVI. Italia civium diſcordia laborat. Nuptiæ Hæinrici Regis. Pagani ſupradicti Chuonrado Imperatori vectigales facti.

MXXXVII. Chuonradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanenſem Archiepiſcopum in cuſtodiam miſit: qui fuga lapſus, cum aliis quamplurimis eidem Imperatori rebellat.

MXXXVIII. Elisdrud (quæ & Chunigunt) Regina, uxor Heinrici Regis XV. Kal. Auguſti, & Hermannus Dux V. Kal. Aug. in Italia cum multis aliis obierunt. Stephanus Ungariorum Rex bonæ memoriæ obiit: pro quo Petrus Rex, *ſororis ſuæ filius in Venecia natus.*

MXXXIX. Chuonradus Imperator II. Non. Jun. obiit, & apud, I, quæ Spira vocatur, ſepelitur. Chuonradus Dux, & Adalbero Dux obierunt. Eclypſis ſolis XI. Kal. Sept.

MXL. Hæinricus, filius Chuonradi, regnavit annis XVIII. Hæinricus Rex Boemiæ Ducem bello petit; ſed multis proceribus & militibus in præſtructione ſylvæ citra & ultra occiſis vel captis, nihil dignum efficere potuit. *Iſte Heinricus omne genus hiſtrionum de curia ſua abiciens, omnia munera pauperibus erogavit. Ungaris & Bohemis forti manu perdomitis, in Conſtantiam ad Synodum venit: ubi debita cunctis dimiſit, deſtructis omnibus inimicitiis, pacem firmavit hactenus inauditam. Tunc inventum eſt corpus gigantis altius muro civitatis incorruptum, cum tali epitaphio verſuum:*

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, morte ſua jacet hic.

Lucerna ardens erat ad caput ejus, quæ nec liquore nec flatu potuit extingui, donec ſubter flammam foramine acu facto aër fuiſſet immiſſus. Vultus autem gigantis 4. pedum fuit & dimidio, qui poſt everſionem Trojæ occiſus jacuerat duo milia annorum ducentos & 40. Fuit etiam in Apulia Statua marmorea, in cujus capite circulus æreus hujusmodi continebat ſculpturam: In Kalendis May, incalente Sole, habebo caput aureum. Quod Saracenus quidam ibidem captus intelligens, notavit umbram ſtatuæ illius oriente Sole, prima die May, & ibi defoſſum theſaurum inveniens, a vinculis ſe redemit.

MXLI. Ungarii quendam Ovonem Regem ſibi eligentes, Petrum Regem ſuum expellunt. Hæinricus Rex Ungariam cum exercitu ingreſſus, igne prædaque cuncta devaſtat.

MXLII. Adalbertus Marchio *Auſtriæ*, & filius ejus Liupoldus maximam partem exercitus Ovonis delevit. Hæinricus Rex iterum Ungariam ſibi ſubjecit. Poppo Patriarcha obiit.

MXLIII. Giſila Imperatrix, mater Hæinrici Regis, XVI. Kal. Marcii, obiit. Heinricus Rex tertio Pannoniam petens, Ungaros per juſjurandum ſubjugavit. Liupoldus fortis miles, filius Adalberti Marchionis, moritur V. id. Dec.

MXLIV. Heinricus Rex quarto Ovonem Regem rebellantem vicit, & Petrum regno ſuo reſtituit. *Claruit tunc Hermannus Contractus, Thewthonicus, qui cantus pulcherrimos, & tractatum Aſtrolabii multaque utilia compilavit, & Chronicam Novi Teſtamenti, ex qua ego hic multa valde notabilia introduxi. Qui & Sequentiam ſollemnem, ſcilicet* Ave præclara *de Beata Virgine compilavit, &* Ave Maria *Sequentiam, & Antiphonam* Alma Redemptoris, *& antiphonam* Simon Barjona. *Idem Hermannus Contractus fuit filius nobiliſſimi Comitis de Weringen, & fuit in ſtudio in Monaſterio S. Galli primo.*

MXLV. Petrus Rex Heinricum Regem in Pentecoſten magno apparatu ſuſcepit. Bruno Wirzburgenſis Epiſcopus obiit. Adalbero ſucceſſit, *fundator Lambacenſis, ſocius Beatorum Epiſcoporum; Altmanni Epiſcopi Patavienſis, fundatoris Gotwicenſis; & Gebhardi Salzburgenſis, fundatoris Admontenſis.*

MXVI. Petrus Rex excæcatus eſt ab Ungaris, & Andreas Rex efficitur.

MXLVII. Swidigerus Babenbergenſis Epiſcopus in Natali Domini Papa conſecratur: & Heinricus Rex, & ejus conjux Agnes ipſa die Imperiali benedictione ſublimantur.

MXLVIII.

MXLIX. Andreas Rex Ungarorum per Legatos Imperatori Heinrico ſubjectionem, & annuum cenſum jurejurando promiſit.

ML. Agnes Imperatrix Imperatori filium peperit, nomine Heinricum.

MLI. Sanctus Bardo Archiepiſcopus obiit. Andreas Rex, & Adalbertus Marchio (*qui habuit fratrem, nomine Ernuſtum, qui fuit Dux Suevorum,*) pacificantur. *Nota, Leo Papa Nonus cum Henrico Imperatore, & centum quadraginta Epiſcopis Maguntiæ Concilium celebrat, ſtatuens, ne Clerici canes vel aves in venatione ſequantur. Item ut negotia ſecularia & lucra turpia Clerici non exerceant, permaxime Religioſi. Item nullus fiat Monachus niſi conſtitutus in legitima ætate, & ſpontanea faciat voluntate. In aliis Cronicis dicitur, quod illud Concilium fuerit in Conſtantia, & Henrico Imperatore præſente, & idem Imperator ibidem in Concilio Conſtantienſi debita cunctis dimiſit.*

MLII.

MLIII. Heinricus Imperator Pannoniam cum exercitu petit, & glorioſiſſime redit. Papa Leo (qui & Bruno) Natalem Chriſti cum Imperatore Wormaciæ egit.

MLIV. *Sanctus Zenon tranſlatus eſt ſuper Danubium*

nubium a Walthero Episcopo Veronensi in Ulmam civitatem.

MLV. Beatus Leo Papa dormivit in Domino, XIII. Kal. Maj. pro quo Victor (qui & Gebehardus) Heichstetensis Episcopus ordinatur.

MLVI. Adalbertus Marchio obiit: filius ejus Ernust successit. Chuono Dux Bajoariæ ab Imperatore expulsus, in Pannonia exul moritur.

MLVII. Heinricus III. Imperator obiit, III. Non. Octob. filius ejus Heinricus IV. successit. *Heinricus Imperator ab omnibus venia impetrata, & restitutis omnibus quæ abstulit, & omnibus injuriis relaxatis, filium suum Heinricum, Quartum nominis, Christianorum electione Principum Regem constituit, præsente Victore Papa, Spiræ obiit, & est sepultus III. non. Octob.*

MLVIII. Heinricus Quartus regnavit annos XLIX., Victor Papa obiit: pro quo Stephanus (qui & Fridericus) eligitur. Agnes Imperatrix suscepit Ducatum Bajoariæ. *Illi Heinrico mater Agnes Rempublicam strenue gubernabat, & cum exercitu vicit quendam Fridricum, in Germania contra Imperium se erigentem.*

MLIX.

MLX. *Gebhardus Salczburgensem Archiepiscopatum suscepit, fundator Admontensis Monasterii.*

MLXI. *Item eo tempore recessit Ecclesia Orientalis ab obedientia Ecclesiæ Romanæ: ex tunc Græci elegerunt sibi Papam.*

MLXII. Heinricus Rex separatus est a matre sua, anno sexto regni ejus, ætatis vero undecimo. Agnes Imperatrix, & Guntharius Episcopus prædas & incendia in invicem exagitant.

MLXIII. Heinricus Rex exercitum movit in Pannoniam, & Salomonem Regem constituit, fœderatisque omnibus, cum summo honore revertitur. *Item hoc anno in Diœcesi Constantiensi mulier peperit infantem, duo capita habentem, & omnia membra duplicia usque ad clunes.*

MLXIV. Cædes magna facta est in Goslariensi Monasterio, præsente Rege & Principibus ejus. Multa mala tunc temporis facta sunt in terra.

MLXV. Heinricus Rex accinctus est gladio, anno regni sui nono, in Pascha. Eigilbertus Episcopus Pataviensis obiit: Altmannus successit, *natione Westvalensis, primo Regis Rudolfi, scilicet electi Cappellanus, postea Imperatricis Agnetis Cappellanus.* Sigifridus Mogonciensis Episcopus, & Guntharius Babenbergensis Episcopus Hierosolimis tendunt.

MLXVI. Meginhardus Comes occiditur.

MLXVII. Heinricus Imperator Berihtam, filiam Ottonis Comitis, duxit uxorem.

MLXVIII. Multa & diversa mala his temporibus in toto regno facta sunt.

MLXIX. *Eo tempore Gotfridus Dux Lotharingiæ, & Quatuor Comites cum eo Cruce signati, cum ducentis milibus Antiochiam ceperunt. Tunc rusticus quidam a S. Andrea per visum edoctus, invenit ibi lanceam Domini Jesu Christi, cum qua ignem magnum tredecim pedum quidam, nomine Bartholomeus, illæsus transiit. Exercitus autem animatus lætus processit Cæsaream, ubi columba super exercitum volans projecta est, apud quam tales literæ inventæ sunt: Rex Accaron salutem, Gens contentiosa, gens canina venit contra nos; igitur parate & tuos legem defendas, aliis civitatibus idem denuntia. Eo etiam tempore civitas Syracusana infra Missam tanto terræmotu concussa est, ut Ecclesia cadente die Dominica, omnes opprimerentur præter quatuor ministrantes &c.*

MLXX. Otto Dux Bajoariæ Regi rebellavit.

MLXXI. Adelheida Marchionissa obiit, *vidua, Alberti Marchionis Austriæ,* VII. *Kal. Februarii, scilicet Polycarpi Episcopi.* Welfo Dux Bajoariæ factus est, expulso Ottone.

MLXXII.

MLXXIII. Ruodolfus Dux Alamanniæ, & Welfo Dux Bajoariæ, nec non Perhtolfus Dux Carinthiorum in unum conjurant adversus Regem Heinricum. Hildibrandus (qui & Gregorius) Papa ordinatur.

MLXXIV. Heinricus Rex in Ungariam adversus Lottschonem, patruelem Salomonis, profectus, incassum rediit. *Monasterium Admontense fundatur a Beato Gebhardo Salczburgensi Archiepiscopo.*

MLXXV. Ernust Marchio *Austriæ* occisus est in Saxonia in bello juxta fluvium, qui dicitur Unstruoth, feria III. v. Id. Jun. quod fuit primum bellum Heinrici Regis. *Liupoldus III, filius ejus, successit.*

MLXXVI. Anno Colonensis Episcopus obiit.

MLXXVII. Magna discordia inter Papam, & Regem oritur. Henricus Rex Italiam proficiscitur; & Ruodolfus Dux in Regem pro eo eligitur apud Vorcheim.

MLXXVIII. Bellum secundum inter duos Reges in Saxonia committitur, in quo Dietpaldus Comes occiditur juxta rivum, qui dicitur Strewa, feria IV. VII. Id. Aug.

MLXXIX.

MLXXX. Gregorius Papa Heinricum Regem excommunicavit. Tertium bellum Heinrici Regis cum Saxonibus juxta villam quæ dicitur Durloh, feria II. v. Kal. Feb. Eodem anno Quartum bellum Heinrici Regis cum Saxonibus juxta fluvium, qui dicitur Elster, feria V. Id. Octob. Ruodolfus Rex occiditur.

MLXXXI. Quintum bellum Heinrici Regis contra Suevos juxta Danubium apud villam, quæ dicitur Hohestetin, feria IV. III. Id. Aug. Hermannus Rex constituitur.

MLXXXII. Hoc anno, IV. Id. Maj. feria V. bellum ad Mauriberch est actum, & cum maximo nostratium excidio terminatum.

MLXXXIII.

MLXXXIV. *Gregorius Papa VII obiit: Victor successit, sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus septem, & cessavit diebus novem. Hoc anno Gebhardus Episcopus Constantiensis dedicavit Ecclesiam S. Gregorii in Hirsaw.*

MLXXXV. *Urbanus Papa sedit annis XII, mensibus IV. diebus XVI.*

MLXXXVI. Sextum bellum Heinrici Regis cum Suevis & Saxonibus juxta villam, quæ dicitur Pleichvelt, feria III, Id. Aug. *Gebhardus Archiepiscopus de exilio rediit.*

MLXXXVII. *Hoc anno S. Nycolaus translatus est in Barim.*

MLXXXVIII. *Gebhardus Archiepiscopus Salczburgensis obiit, qui fundavit Monasterium Admontense.*

MLXXXIX. Constitutio Monachorum in loco Medilicensi (*nam prius erant hîc Canonici Sæculares*) sub Abbate Sigiboldo, in festo S. Benedicti Abbatis.

MXC. *Hoc anno Domini Thyemo Abbas S. Petri, primo Monachus Althaensis, Archiepiscopus Salczburgæ constituitur. Hoc etiam anno Zwivveltum nobile Monasterium, Ordinis S. Benedicti, fundatum est, quod olim dicitur fuisse in monte Achalm superi Rutlingen, unde fulgura & tonitrua montem illum frequenter concutiunt, eo quod olim consecratus fuisse dicitur, & idem Abbas illius Monasterii judicare habet tam in temporalibus, quam spiritualibus.*

MXCI. Altmannus Pataviensis Episcopus obiit, *fundator Monasterii Gotwicensis.*

MXCII. Uodalricus Pataviensis Episcopus constituitur.

MXCIII.

MXCIV.

MXCV. Expeditio in Hierosolimam.

MXCVI. Liupoldus Marchio obiit: filius ejus Liupoldus *Quartus* successit.

MXCVII. *Christiani obtinent Jerusalem.*

MXCVIII.

MXCIX.

MC. *Aczko primus, a quo Chunrangarii nati fuerunt, obiit, qui & extitit consanguineus Liupoldi Quarti Marchionis, in subsidium a fratre suo Treverorum Archiepiscopo Poppone missus, a confinibus Wormaciensis civitatis, & a Reno flumine.*

MCI. Welf Dux Bajoariæ; & Tiemo Salzburgensis Episcopus; & Ita Marchionissa (*Austriæ, vidua Liupoldi Marchionis*) Hierosolimam pergunt; & cæteri quamplurimi.

MCII. *Thyemo Archiepiscopus Salczburgensis martyrizatur.*

MCIII.

MCIV. Sigihardus Comes *de Purchhausen* occiditur Ratisponæ. *Conjuratio Zuatepluck contra Ducem Borinoy.*

MCV. Heinricus V. Rex, filius Heinrici Imperatoris, contra patrem suum in regnum surrexit.

MCVI. Heinricus IV. Imperator obiit VII. Id. Aug. Liupaldus, *quartus nominis*, Agneten, filiam Imperatoris, duxit uxorem, *scilicet viduam, quæ Agnes nuper viduata fuerat, a Friderico Duce Suevorum. Quod autem sic contigit: Dum Imperator Heinricus, hujus nominis Quartus, cum Heinrico filio suo, Quinto nominis, circa quoddam flumen sibi invicem occurrerent, ac in ipso flumine multis occisis, Heinricus Junior omnes vires patris sui considerans* [1] *in Duce Bohemiæ Borinoii, & in Marchione Austriæ Leopoldo; eos persuasit, & Leopoldo sororem suam Agnetem promittens, ut patrem relinqueret. Quibus recedentibus, Imperator Heinricus cedere compellitur: considerans enim exhinc vires ejus minui, & filii sui crescere. Iste Leopoldus Marchio extitit fundator duorum claustrorum, scilicet in Newburch, & Sanctæ Crucis prope Wiennam, ut melius invenies in principio hujus libri, & quomodo uxor ejus Agnes peperit sibi XVIII. pueros, & alia utilia ibidem invenies post Kalendarium.*

MCVII. Heinricus V. regnavit post mortem patris XIX. annis. *Ordo Monachorum cœpit in loco Gærsten ab Ottacharo Marchione Styriæ, qui ipsum Cœnobium fundavit, Canonicos sæculares primo ibi instituens, qui & sororem Dominam Elizabet Leopoldi Quarti nominis Marchionis Austriæ, uxorem habuit.*

MCVIII. Heinricus Rex obsedit castrum Presburch.

MCIX.

MCX. Heinricus Rex magnam expeditionem in Italiam movit, & Paschalem Papam Romæ cœpit; sed postea ejus gratiam & benedictionem Imperialem assecutus est.

Hoc anno iste locus exemptus est & libertate donatus, permissione & rogatu Domini Ulrici Pataviensis Episcopi, & pii & nobilis Leupoldi quarti hujus nominis Marchionis Austriæ, & privilegio confirmatus Paschalis Papæ secundi, anno ejusdem Pontificatus undecimo, indictione IV. XI. Kal. Martii, & hoc secundum privilegium ejusdem Pontificis. & ad indicium ejusdem exemptionis aureus numinus unus videlicet florenus, annis singulis Lateranensi palatio porrigi est institutus tunc temporis.

MCXI. Domnus Perhtoldus Abbas Gærstensis eligitur.

MCXII. Rex Ungarorum de terra sua egressus, manubias ac prædam magnam de nostra provincia abduxit. In ejus ultionem Liupaldus Marchio cum valida manu quasdam ejusdem Regis provincias invasit, & cæde magna perpetrata, ac quadam civitate deprædata atque combusta, sic cum pace remeavit ad propria.

Anno Domini MCXII. *Stephanus Rex Ungariæ, Cholomanni filius, cum magna multitudine fines regni clanculo invasit, ac vastatis terminis manubias abduxit. Quem Leopoldus Marchio Austriæ, Quartus nominis, adjuncto sibi Duce Bohemorum, subsecutus usque ad castra terræ progreditur. Capto ac succenso castro, quod Ferrum vocatur, & cuncta in circuitu ferroque igneque vastata terra, tandem revertitur ad propria sine damno. Item eodem anno Monasterium Sytansteterense fundatur per nobilem & liberum Dominum Urschalcum* [1], *cujus soror Scholastica* [2], *Virgo ibidem sepulta est.*

MCXIII. Dedicatio hujus Monasterii.

MCXIV.

MCXV.

MCXVI. Sigiboldus Abbas Medlicensis obiit: Engilschalcus successit. Terræmotus factus est magnus per universam Teutonicam & Italicam terram, IV. Non. Jan.

MCXVII. *Paschalis Papa obiit: Gelasius sedit anno uno, diebus quinque, cessavit diebus* XXIV.

MCXVIII. Per plurimas partes mundi magna inundatio aquarum facta est. *Kalixtus II. Papa sedit.*

[1] *supp.* esse.

[1] *l.* Udalschalcus. [2] *l.* Richkardis, *non soror, sed ex Helena sorore neptis Udalschalci.*

MCXIX.

MCXIX. Welf Dux Bajoariæ obiit: cui ſucceſſit Heinricus frater ejus.

MCXX. *Defuncto Heinrico absque hærede (quod promeruit, quia patrem in vinculis mori fecit) Principes regni Maguntiæ conveniunt: ibique habito conſilio de ſucceſſore quatuor regni Optimates, ſcilicet Lotharius Dux Saxoniæ, Fridericus Dux Sweviæ, Leopoldus Marchio Auſtriæ, Karolus Comes Flandriæ prædictum Lotharium plurimum renitentem, ſub præſentia ſedis Apoſtolicæ legati, unanimiter elegerunt.*

MCXXI. Uodalricus Patavienſis Epiſcopus obiit: Reginmarus ſucceſſit. Erchinfridus Abbas eligitur, *Engelſchalco de medio facto.*

MCXXII. Hoc anno ab Apoſtolico Kalixto conſecratur [1] VIII. Id. Martii, & privilegium noſtri Monaſterii adquiſivit. Ottakker Marchio *Stiriæ* obiit: Filius ejus Liupaldus ſucceſſit.

MCXXIII. Libellus iſte ſcriptus eſt.

MCXXIV. Kalixtus Papa obiit: Honorius ſucceſſit. *Iſte Kalixtus Secundus. Exhinc Eccleſia libertati ad plenum reſtituta, paceque ad integrum reformata in montem magnum creviſſe ſub Kalixto Papa invenitur. Unde de ipſo ſcriptum eſt:*

Ecce Kalixtus, honor patriæ, Decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Idem Kalixtus dicitur Monaſterio in Melk ſecundario libertatem dediſſe.

MCXXV. Heinricus V. Imperator obiit, X. Kal. Jun. Lotharius Dux Saxonum in Regem eligitur. Nanzo Abbas obiit. *Hoc tempore floruit inſignis Monaſticæ vitæ plantula, & mellifluus Eccleſiæ Doctor S. Bernardus Clarevallenſis Abbas.*

MCXXVI.

MCXXVII. Ava Incluſa obiit. Heinricus Dux Bajoariæ obiit: pro quo filius ejus Heinricus.

MCXXVIII. Helmbertus Lambacenſis Abbas obiit. Hærtvicus Ratisponenſis Epiſcopus obiit: Chuno ſucceſſit. Wulfhilt Ductrix obiit.

MCXXIX. Liupaldus Marchio de Stire obiit.

MCXXX.

MCXXXI. Engilſcalcus Medilicenſis Abbas obiit. Meginhardus Abbas de Winiſtevin obiit. Uodalricus Abbas de Chremesmunſture obiit, & alter Uodalricus ſucceſſit. Honorius Papa obiit: Innocentius ſucceſſit.

MCXXXII. Chuno Ratisponenſis Epiſcopus obiit, & urbs Ratispona pene tota incendio periit, nec non per totum regnum improviſum incendium bachatur. Heinricus de Diezzen, Epiſcopus Ratisponenſis conſtituitur. Lotharius Rex Italiam petit.

MCXXXIII. Hermannus Auguſtenſis Epiſcopus obiit. Eclypſis Solis facta eſt horribilis, IV. Non. Aug. hora quaſi nona feria IV. *His diebus illuſtris Princeps Otto Comes junior de Wolfrazhuſen, Berchtoldus Comes ab Andegs, & Otto Senior Dux Meraniæ Kunizæ cognatæ a Vallai fundationem S. Stephani in Dieſſen confirmarunt, ubi & hi cum univerſa familia fuere ſepulti: Berchtoldo Marchione Hiſtriæ, Heduige Conjuge, Henrico Comite de Wolfrazhuſen, Berchtoldo Tertio Duce Meraniæ, ejusque filio Henrico Hiſtriæ Marchione, Agnete uxore & aliis.*

MCXXXIV.

MCXXXV. *Lotharius Imperator, & Dux Fridericus pacificantur, XV. Kal. April. Eodem anno dedicatum eſt Monaſterium Newnburgenſe ab Archiepiſcopo Chunrado Salczburgenſi, & Epiſcopo Patavienſi Reginmaro.*

MCXXXVI. Epiſcopus Reginmarus Eccleſiæ Dei moleſtus & amarus, libertatem Monaſterii noſtri molitus eſt infringere, & decimationes Eccleſiarum noſtrarum auferre. Pro qua re Erchinfridus Abbas Dominum Apoſtolicum vita & nomine Innocentium adiit, & privilegium noſtrum tertio innovavit, & Epiſcopi factiones Apoſtolica auctoritate adnichilavit.

Inluſtris, Pius & Nobilis Marchio Liupaldus XVII. Kal. Dec. de hac vita migravit, qui locum noſtrum libertate data firmavit.

MCXXXVII. Lotharius Imperator, victor Rutkeri tyranni, rediens de Apulia, moritur in itinere. *Cujus corpus & regalia Heinricus Dux Noricorum, id eſt Babariæ, gener ejus, in cujus confiniibus obierat, accepit: & ipſe per Auguſtam & Orientalem Franciam in Saxoniam ad Monaſterium Liuther, quod ipſe conſtruxerat, deportatus eſt, & honorifice ſepultus; ipſe regalia reſervavit.*

Adalbertus Maguntinus Archiepiſcopus, Heinricus Friſingenſis Epiſcopus, pluresque Epiſcoporum, Principum, Nobilium vita decedunt.

MCXXXVIII. Chuonradus Dux, ſororius Imperatoris Heinrici, a Cardinalibus miſſis ab Apoſtolico, & a ſummis Principibus regni eligitur in Regem. Petrus ſcismaticus, filius Petri Leonis, diu Eccleſiam impugnans moritur. Brun Abbas de Lavent obiit.

MCXXXIX. Synodus magna ſub Innocentio Papa Lateranis in Quadrageſima celebratur, ubi Quingentorum & eo plus Epiſcoporum, & Abbatum Conventus congregatur. Liupaldus Marchio Ducatum Bajoariæ ſuſcepit, & Heinricum Ducem expulit.

MCXL.

MCXLI. Liupaldus Dux Bauwariæ & Marchio *Auſtriæ* XV. Kal. Nov. obiit (*cum Chunrado Rege in Saxoniam profectus, & moritur*) & Heinricus frater ejus, *Marchio Auſtriæ*, ſucceſſit.

MCXLII. Marchio *Auſtriæ* Heinricus Gertrudam, filiam Lotharii Imperatoris, duxit uxorem. Hugo Magiſter piæ memoriæ obiit. Sigihardus Comes de Scala, frater noſter, obiit. Piæ memoriæ Perhtoldus Abbas Garſtenſis requievit in Domino.

MCXLIII. Innocentius Papa piæ memoriæ obiit: Celeſtinus ſucceſſit. Gertrudis, uxor Heinrici Marchionis, obiit.

MCXLIV. Celeſtinus Papa obiit: Lucius ſucceſſit, qui & Gerhardus.

MCXLV. Lucius obiit: Eugenius ſucceſſit. *Ad hunc Eugenium Beatus Bernardus Clarevallenſis Abbas ſcribit librum de Conſideratione.* Ventus validus ab Occidente irruens, Galliam, Franciam, Bauuariam, totamque Theutonicam terram

[1] *nempe* Erchinfridus Abbas Mellicenſis.

terram pertranſiens, multas Eccleſias plurimaque ædificia ſubruit, arborum etiam & vinearum partem quandam delevit. Fames valida totum Theutonicum regnum devaſtavit duobus annis.

MCXLVI. *Monaſterium Alerspach, Griſei Ordinis, in Babaria conſtruitur.*

MCXLVII. Expeditio infinita populi Chriſtiani cum Chuonrado III. Rege Francorum, & Luodovico Rege Galliæ ſimul in exercitu ſuo illo iter agente, Hieroſolimam facta eſt. *Primo ipſe Chunradus Rex Cruce ſignatus in Frankenfurt a S. Bernhardo, cum multis Principibus de Lotharingia, Flandria, Anglia, & aliis fortiſſimis pugnatoribus adunatis, Iconium venit. Sed Græci malum farinæ miſcentes, magnum fecerunt exercitui damnum.*

Chuonradus Salzburgenſis obiit: Eberhardus, *Piburgenſis Abbas, primo Monachus Pruſeningenſis*, ſucceſſit. Regimpertus Patavienſis obiit: cui ſucceſſit Chuonradus.

MCXLVIII. Synodus magna ſub Eugenio Papa Remis celebratur in Quadrageſima, ubi Quadringentorum & eo amplius Epiſcoporum & Abbatum multitudo convenerunt. Chuonradus Rex, & Luodovicus Rex Galliarum ſepulchro Jeſu Chriſti Domini adorato, ad ſua Imperia obtinenda reverſi ſunt. *Clauſtrum in Rotenhasla conſtruitur in Baveria.*

MCXLIX. Cum quibus *frater Regis (ex materno genere, ſcilicet relicta Friderici Ducis Swevorum)* Dux Heinricus, filius Liupaldi Illuſtriſſimi Marchionis, Vir bonus & militari virtute præcipuus ſimul adveniens, filiam cujusdam Clariſſimi Ducis, ſcilicet fratris Regis Græcorum, nomine Theodora [1], uxore accepta ſecum adduxit.

MCL. Welfo, filius Henrici Ducis, cum aliis Principibus Chuonrado Regi in deditionem venerunt.

MCLI. *Eo tempore floruit Joachim Abbas, qui ſuper Onera Prophetarum, & ſuper Apocalypſim libros mirificos compoſuit: in quibus ante diem Judicii multa ventura prædixit. Eo etiam tempore Petrus Comeſtor Hiſtoriam Scholaſticam compilavit, qui ſibi pro epitaphio ſcribi juſſit hos verſus:*

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus Docui, non ceſſo docere
Mortuus: ut diſcat qui me videt incineratum,
Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.

Heinricus Epiſcopus Ratisponenſis obiit, qui fuit filius Ottonis Ducis Meraniæ, & Comitis in Wolfratzhuſen, Majoris domus Franciæ.

MCLII. Chuonradus egregius Romanorum Imperator (*tamen ſine benedictione*) obiit: Fridericus fratruelis ejus ſubſtituitur. Herchimfridus Medilicenſis Abbas Hieroſolimam proficiſcitur, & revertitur.

Hic Fridericus largus, ſtrenuus, facundus, glorioſus in omnibus fuit. Hic apud Frankenfurt communi voto & conſenſu Principum eſt electus ad Imperium, & in principio regni ſui omnium Theotonicorum favorem habens, per diſcreta judicia pacem optimam fecit in omnibus partibus regni ſui. Italiam rebellem fortitudine ſua preſſit. Cremonam, Mediolanum, Bononiam, Placentiam, Brixiam, Veronam, Spoletum & alias civitates ſic devicit, ut Mediolanum, Cremonam, & alias quasdam urbes omnino deſtrueret: civibus earum quibusdam occiſis, quibusdam in exilium relegatis. Huic Soldanus Babyloniæ miſit vas Tartareum balſamo plenum, cujus pretium & decorem magnis laudibus extollens Imperator, dixit: Abſit ut ego tam pretioſam rem ſolus poſſideam. Et videntibus nuntiis Soldani, projecit vas in terram, præcipiens circumſtantibus Chriſtianis Principibus, ut friſta colligerent inter ſe.

MCLIII.

MCLIV. In Circumciſione Domini, prima Veſpera eclypſis Lunæ a crepuſculo usque ad mediam noctem facta eſt. Sophia Ducissa *Auſtriæ* de Scala, ſoror noſtra, obiit.

MCLV. Fridericus Rex Italiam proficiſcitur, & Imperator ordinatur, XIV. Kal. Julii. *Adrianus Papa ipſum coronavit in Eccleſia S. Petri. Sed cum reverti vellet ad caſtra, Romani ſequentem familiam apud portam S. Angeli hoſtiliter invadentes, usque ad Imperatoris tentorium perſequuntur; ſed Theotonici conclamantes, multos Romanos capiunt ac repellunt.*

MCLVI. Heinrico Duci Saxoniæ Ducatus Bawariæ reſtituitur: Heinricus Dux Auſtriæ præficitur, IV. Id. Sept. *ſcilicet tertia die poſt Nativitatem S. Mariæ.* Lazlau Dux, mutato ab Imperatore Dignitatis nomine, Bohemiæ in Regem præficitur. *Anno Domini* MCLVI. *Heinrico Duce Saxoniæ, & filio ejus Heinrico Duce Babariæ a Chunrado Imperatore anteceſſore Friderici ejectis a Babaria, conſilio & rogatu Principum, Ducatum paternum Noricorum reſtituit ipſe Fridericus Imperator: & Heinricum patruum ſuum Marchionem Auſtriæ, tunc Ducem Babariæ, ab eodem Ducatu removit. Et quia ejusdem Marchionis magna nobilitas, & multa exigebat honeſtas, ut nomen Ducis non perderet, & ut Duces Babariæ minus deinceps valerent contra Imperium ſuperbire; Imperator ergo, ex voluntate & conſenſu Principum, Curia in Ratispona habita, Marchionatum Auſtriæ a jurisdictione Ducis Babariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Babaria adjungendo, in Ducatum vertit, judiciariam poteſtatem Principi Auſtriæ ab Anno usque ad Sylvam prope Pataviam, quæ dicitur Rotenſala, protendendo. Nam huc usque quatuor Marchiones, Auſtriæ, Yſtriæ, Stiriæ, Chambenſis, qui dicitur Vochburch, evocati ad celebrationem curiæ Babariæ veniebant, ſicut hodie Epiſcopi & Comites ipſius terræ facere tenentur. Sic igitur iſte Heinricus, dictus* Joch ſam mier Got, *factus eſt primus Dux Auſtriæ, & cuncta ſibi ſubjugavit, Imperatoris Friderici patrui ſui potentia.*

Item facta eſt translatio Sancti Karoli Imperatoris. Item eodem tempore Dux Gwelfo Minor obſedit Hugonem Palatinum in Tuwingen, in exercitu habens tria milia pugnatorum, & Epiſcopos, Spirenſem, Wormacienſem, Auguſtenſem, Ducem Berchtoldum de Veringen, Marchiones, Comites, Barones. Sed Fridericus Dux Sweviæ cum forti manu

[1] ita Cod. MS.

[1] an Ducatus?

manu in auxilium Palatini veniens, prædones omnes fugavit, multos occidit, & DCCCC. captivavit. Quod audiens Imperator Fridericus, præcepit Friderico Duci Sweviæ, ut omnes captivos relaxaret, & Gwelfonis gratiam quæreret, quam invenit.

MCLVII. Conjuratio Principum facta est sub Rege Friderico in Italiam proficiscente.

MCLVIII. Munitissimum Boemiæ oppidum, Podwin dictum, absente Duce Heinrico, a Ministerialibus ipsius potenter expugnatum, & incendio vastatum est, pluribus igne consumptis.

MCLIX. Expeditio Italica ab Imperatore Friderico facta est, & famosissima Italiæ civitas Mediolanum, datis trecentis obsidibus, capta est: ubi & Eckebertus Comes, & Dietmar de Spilberch occisus est. Otto Frisiensis Episcopus moritur: Adalbertus eligitur.

Ipse Fridericus trium Magorum Corpora Reginaldo Coloniensi Archiepiscopo dedit, quæ olim a Perside in Constantinopolim sunt translata, inde in Mediolanum sunt vecta. Hujus tempore tres lunæ in cœlo visæ sunt, & postmodum tres soles, quæ omnia significabant discordiam Cardinalium in electione Papæ, & Principum in electione Imperatoris. Mortuo enim Adriano Papa, tres simul sunt electi, quorum unus potenter Papatum obtinuit auxilio Imperatoris Friderici. Ideo Alexander in Franciam fugit, quem Imperator persequens, cum Dacis & Bohemis Regem Francorum bello aggressus est; sed nihil profecit, & Scisma duravit annis decem & octo. Tunc Theotonici, qui in Tusculano pro Imperatore morabantur, Romanos invaserunt, & tot a nona usque ad Vesperam occiderunt, ut epitaphium eorum contineret hunc versum:

Mille decem decies, & sex decies quoque seni.

MCLX. Herbordus Subdiaconus & Monachus fulmine percussus.

MCLXI.

MCLXII.

MCLXIII. Erchinfridus Medelicensis Abbas Hierosolimam proficiscitur: Sygehardus succesſit.

MCLXIV. Beatus Eberhardus Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus feliciter obdormivit in Christo, XI. Kal. Julii: pro quo Patauiensis Episcopus Chunradus, frater Chunradi Imperatoris, inthronizatur.

MCLXV.

MCLXVI.

MCLXVII.

MCLXVIII. Fames magna facta est. Chunradus Salzburgensis Archiepiscopus obiit: Adelbertus filius Regis Boemiæ succesſit.

MCLXIX.

MCLXX. Inventio Dominici Ligni apud Wiennam, quod aureæ cruci cum aliis sanctissimis Reliquiis inclusum quidam Clericus, minister satanæ, Ruopertus nomine, auri cupidine illectus, furatus erat. De quo furto propter communem Ecclesiæ ad Dominum clamorem publicatus & comprehensus, ex judiciali sententia suspendio vitam finivit.

Dedicatio altaris Sancti Cholomanni Martyris, XIV. Kal. Junii.

MCLXXI.

MCLXXII.

MCLXXIII.

MCLXXIV. Liupoldus, & frater ejus Heinricus, filii Heinrici Ducis de Austria, gladium acceperunt. Idem Liupoldus duxit uxorem Helenam, Sororem Regis Avarorum.

MCLXXV.

MCLXXVI. Hoc anno Zobzlau Dux Boemorum Austriam incendio devastavit.

MCLXXVII. Sophya Comitissa de Pilstæine obiit. Chunigunt de Rechperge obiit. Syrus Abbas (qui & Sygehardus) obiit: Chuonradus succesſit.

MCLXXVIII. Heinricus Dux Austriæ obiit: filius ejus Liupoldus succesſit. Alexander Papa, & Fridericus Imperator Romanorum apud Venecias convenerunt, & copiosissima multitudo Metropolitanorum, & Episcorum, & Abbatum. Facta est concordia inter Apostolicum & Imperatorem, & terminatum est scisma, quod multis duraverat annis. Adelbertus Archiepiscopus Veneciæ per Alexandrum Papam deponitur, & Chunradus Magontinus in Episcopatu subrogatur.

MCLXXIX.

MCLXXX. Heinricus Dux Saxoniæ & Bowariæ ab Imperatore Friderico proscribitur: & Otto Palatinus in Ducatu Bowariæ substituitur, & Perhardus quidam Comes Saxoniæ præficitur. *Stirensis Marchio Odoacer vel Ottacher, mutato antiquitatis nomine, Dux appellari gloriatur.*

MCLXXXI. Juvavensis Ecclesia, per Sanctorum Episcoporum, Virgilii, Vitalis, Eberhardi & Hertwici revelationem mirifice a Christo glorificatur, & ex omnium terrarum populis, votis & muneribus laudabiliter sublimatur, regnante Papa Alexandro, & Imperatore Friderico. *Othacher Dux Stiriæ obiit.*

MCLXXXII. Liupoldus Dux Austriæ cum magno comitatu Hierosolimam proficiscitur, & revertitur. Fridericus sanctæ memoriæ Aspacensis Abbas obiit. Uodalricus Chremesmusterensis Abbas Jerosolimam adiens, moritur.

MCLXXXIII. Alexander (qui & Rulandus) Papa obiit: Lucius eligitur.

MCLXXXIV. Chunradus Archiepiscopus Magontiam reversus est, & Adelbertus Juvavensi Ecclesiæ Archiepiscopus restituitur. Otto Dux Bawariæ obiit.

MCLXXXV. Theodora (quæ & Gerdrudis) Ducissa obiit. Adelpertus Frisingensis Ecclesiæ Episcopus obiit, III. Id. Nov. Cui Otto succesſit. Liupaldus Dux Austriæ exercitum ducens contra Comitem de Ortenburch, ipsum captivum in Austriam duxit.

MCLXXXVI. Lucius Papa apud Veronam moritur: pro quo Urbanus III. substituitur.

MCLXXXVII. Omnium penuria maxima facta est, & pestilentia hominum simul & animalium.

MCLXXXVIII. Eclypsis solis facta est, II. Non Sept. hora quasi nona: & Sepulchrum

Domini a paganis obsessum destruitur, Lignumque Dominicæ Crucis, & Rex illius terræ dominatui eorum per captivitatem subjugantur. Patriarcha; cæterisque Principibus interfectis, omnibusque inibi consumptis, Ecclesia lacrimabiliter humiliatur. Pro quo Fridericus Imperator crucе se signavit.

MCLXXXIX. Fridericus Romanorum Imperator egregius, & filius ejus Dux Sueviæ, Marchiones & omnes Episcopi Teutonicæ terræ, cæterique Principes quamplurimi sepulchrum Domini adierunt. *Et terræmotus civitatem Antiocenam cum Tripoli & Damasco & Kathinensium civitatem subvertit, & viginti milia hominum interemit, marique in Sicilia exeunte, quinque milia hominum submersit. Tandem Fridericus Alexandro Papæ reconciliatus, & post multas victorias & prælia pro emendandis peccatis mare transfretavit, & contra inimicos Crucis Christi movet exercitus in subsidium Terræ Sanctæ, & cum eo vadit Theotonicorum & aliarum gentium maxima multitudo. Ubi cum in Græciæ in quodam parvo rivulo se lavaret, in eodem occulto Dei judicio, cunctis videntibus, est submersus, & in Tyro sepultus.*

Item Rex Alpine cepit Ediſſam civitatem, quæ in Genesi vocatur Arath, cui ipse literas miserat: & Francos ibi inventos aut morte aut exilio damnavit Archiepiscopum cum Clero decollavit.

Otto Babenbergensis Episcopus obiit, qui fuit filius Berchtoldi Comitis ab Andegs, frater Mechtildis Abbatissæ in Ottlstetin, & Euphemiæ in Altomunster Bavariæ.

MCXC.

MCXCI. Liupoldus Dux Austriæ, & frater ejus Heinricus contra hostes Christianæ Religionis pugnaturi Jerosolimam proficiscuntur. Fridericus egregius Romanorum Imperator, & Episcopi Teutonicæ terræ non pauci feliciter migraverunt ad Dominum in itinere Jerosolimitano: & Fridericus advocatus noster de Perge moritur apud Antiochiam, & in Monasterio S. Georgii sepelitur.

MCXCII. Heinricus Rex, filius Friderici Magni Imperatoris, pro patre regnaturus eligitur. Dietpoldus Patavienſis Ecclesiæ Episcopus vita decedens apud Akkaron humatur, Id. Nov. cui Wolfkerus Pontificatus dignitate sublimatus succedit, VI. Id. Martii.

MCXCIII. Clemens Papa obiit: Celestinus (qui & Jacinctus) pro eo substituitur, & in Sabbato Sancto Paschæ sacerdos est consecratus, & in sancto die summi Pontificatus infulis decoratur. Heinricus Rex cum gente robusta & manu valida Romam ingreditur, & a Celestino Papa Imperator consecratur, XVII. Kal. Maj. Eclypsis solis facta est IX. Kal. Jul. hora quasi VII.

MCXCIV. Richardus Rex Anglorum a Duce Austriæ Liupoldo capitur, & Imperatori Heinrico præsentatur.

MCXCV. Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ apud Græze moritur, II. Kal. Jan. pro quo filius ejus Fridericus primogenitus Austriæ præponitur, & frater ejus Liupoldus Stiriæ substituitur. Terra ista pestilentia & incendio & inundatione aquarum miserabiliter humiliatur.

MCXCVI. Heinricus Imperator Apuliam Romano Imperio subjugavit.

MCXCVII.

MCXCVIII. Chuonradus Mogontienſis Archiepiscopus, aliarum quoque Ecclesiarum Episcopi & Abbates, utriusque etiam ordinis Prælati non pauci, Fridericus Dux Austriæ, Duces, Marchiones, Comites totius terræ Teutonicæ aliarumque regionum innumerabiles, Terram repromissionis cum infinita multitudine Christianorum intraverunt, præliaturi contra eos, qui eam devastaverunt, & loca sancta destruxerunt.

MCXCIX. Heinricus Imperator in Apulia moritur, III. Kal. Sept. Philippus frater ejus & Dux Alamanniæ pro eo intronizatur. Fridericus Dux Austriæ vita decedens: Liupoldus frater ejus Dux Stiriæ, succedit.

MCC. *Hic incepit Ordo Fratrum Theotonicorum domus, sub Innocentio Papa Tertio nominis. Obiit Gertrudis Regina Hungariæ, mater S. Elisabetæ, filia Berchtoldi Ducis Meraniæ interfecta ab Hungaris, & sepulta in Beluſio Monasterio; cujus soror Agnes, Regina Franciæ, erat; & altera Hedwigis, Ducissa Sleſiæ, sepulta in Trebnitz.*

MCCI. Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ consecrationis ensis dignitate honorifice sublimatur. *Hic initiavit Ordo Fratrum Minorum à Beato Francisco, sub Innocentio Papa. Hoc etiam anno Constantinopolis capta est, & spoliata a Christianis populis plurimis divitiis & rebus, ac multis Reliquiis Sanctorum, ut apparet in Venecia & Halberstat.*

MCCII. Terræmotus factus est magnus per universam terram, IV. Non. Maj, feria VI. circa horam nonam.

MCCIII. Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ Theodoram, filiam Regis Græcorum, duxit uxorem. Chunradus I. Abbas Medelicensis moritur: Chunradus II. Abbas Sidanstetensis succeſſit. Emmericus Rex Ungarorum fratrem suum Andream captivum inclusit.

MCCIV. Chunradus post duos menses electionis suæ obiit: Reginoldus succeſſit, qui veniens Romam honorifice a Domino Papa Innocentio III.

MCCV. Philippus Rex secundo apud Aquasgranas ab Episcopis & Ducibus, & Marchionibus & aliis Principibus, qui sibi prius restiterant, intronizatur, & sollemni unctione consecratur. Philippus Rex cum magna multitudine & robore exercitus infiniti Coloniam Agrippinam obsedit, & nichil proficiens cum rubore recessit.

MCCVI. Poppo Patavienſis Episcopus primo ordinationis suæ anno moritur: pro quo Manigoldus, Cremsmustuorensis Abbas, Pontificatus infulis decoratur. Fames valida facta est.

MCCVII. Hugo & Leo Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, ad faciendam concordiam inter Regem Philippum & Ottonem diriguntur.

MCCVIII. Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ cum suis signaculo Dominicæ crucis fulcitur.

citur. Philippus Rex ab Ottone Palatino de Witlinspach regno & vita ſpoliatur: & tempore meſſis pars vulgi non minima aut nimietate æſtus, aut ſitis ariditate, vitali ſpiritu præcluſo, miſerabiliter extincta eſt.

MCCIX. Otto Comes Pittaviæ, filius Ducis Heinrici Saxoniæ & Bavariæ, a Domino Apoſtolico Innocentio III. in Imperatorem Romæ conſecratur.

MCCX. Pluvia maxima repente effuſa eſt, & inundatione facta multi homines perierunt, III. Kal. Jun. die Dominico circa meridiem. Item tempore meſſis v. Id. Aug. pluvia incipiente, & ſeptem dies continuos durante, Danubius aquarum abundantia ſupra duos cubitos intumeſcens, contigua ædificia plurima ingurgitavit: & effuſus per campeſtria quæ meſſa fuerant auferens, vineta quoque & prata ſabulo ſternens, in ſuo tractu maximam cladem exercuit. Reliqua paſſim per agros tam ea, quæ meſſa fuerant, quam quæ meti non poterant, putruerunt.

MCCXI. Maxima nix, qualem ſe nemo in partibus noſtris vidiſſe teſtabatur, effuſa eſt: per quam multi, cum incaute graderentur, incidentes violentia frigoris & venti, cum emergere non poſſent, extincti ſunt.

MCCXII. Reginoldus Abbas moritur: Hadmarus Garſtenſis Abbas ſucceſſit, II. Id. Octobris. Otto Imperator adhuc vivus Imperium calamitate mutavit; Principes regni ab eo recedentes, & Regem Apuliæ Fridericum eligentes.

MCCXIII. Gerdrudis Regina Ungariæ, filia Ducis Meraniæ, occiditur.

MCCXIV. Hoc anno Manigoldus Patavienſis Epiſcopus moritur: huic ſucceſſit Ulricus, præceptor Ducis Liupoldi. *Hic Beatus Dominicus Ordinem Fratrum Prædicatorum initiavit, & Regulam Beati Auguſtini, quam ipſe elegit, confirmavit.*

MCCXV. Hoc anno Synodus magna facta eſt, ſub Papa Innocentio III. etiam quod de transmarinis partibus Epiſcopi ibi aſſuerunt, & hoc anno moritur, *in Peruſio ſepultus:* & Honorius ei ſucceſſit. *Idem Honorius confirmavit Ordinem Prædicatorum.*

MCCXVI.

MCCXVII. Liupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ cum aliis Principibus Jeroſolimam adiens, & Abbas Hadmarus loci iſtius in reverſione moritur: pro quo Ulricus ſubſtituitur, qui etiam proficiſcens Romam, in itinere moritur. Huic ſucceſſit Dominus Chunradus Gærſtenſis Abbas.

MCCXVIII. Otto Imperator apud Prunsvich moritur: & Fridericus, qui prius regnum obtinuerat, ei ſucceſſit.

MCCXIX. Liupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ, Damiata civitate in obſidione dimiſſa, a mari revertitur: quæ poſtea in brevi a Chriſtianis expugnatur. Otto Phriſingenſis Epiſcopus moritur: pro quo Geroldus ſubſtituitur.

MCCXX. Fridericus Imperator dignitate conſecrationis in Regem ſublimatur.

MCCXXI. Hoc anno Ulricus Patavienſis Epiſcopus a mari rediens, in itinere moritur. Civitas Damiata, ingruente multitudine Sarracenorum adverſus Chriſtianos, expugnatur.

MCCXXII. Gebehardus omni morum honeſtate præditus Epiſcopus Canonice Pataviæ conſtituitur. Albertus Dux Saxoniæ filiam Liupoldi Ducis Auſtriæ & Stiriæ, Agnetem nomine, duxit in uxorem. *Obiit Sancta Eliſabet, filia Andreæ Regis Hungariæ, uxor Ludovici Landgravii Thuringiæ & Haſſiæ.*

MCCXXIII. Corpora Sanctorum Viti, Modeſti & Creſcentiæ revelantur.

MCCXXIV. Chunradus Medlicenſis Eccleſiæ Abbas moritur: pro quo Dominus Waltherus, Cellæ S. Mariæ, in Abbatem eidem Eccleſiæ præficitur.

MCCXXV. Peſtilentia animalium hoc anno ſævit, & poſt peſtilentiam animalium mortalitas hominum ſecuta eſt.

MCCXXVI. Heinricus, filius Imperatoris Friderici, Margaretam, filiam Liupoldi Ducis Auſtriæ, duxit in uxorem: & Heinricus, filius Liupoldi Ducis, Agnetem, filiam Landgravii de Turingia, duxit uxorem. Engilbertus Colonienſis Epiſcopus occiditur.

MCCXXVII. Honorius III. Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, & Divinæ vocationi obaudiens, viam univerſæ carnis ingreditur: Cui Gregorius IX. ſucceſſit. Heinricus, filius Imperatoris Friderici, apud Ach in Regem ſublimatur: & uxor ſua Margareta unacum ipſo diademate exaltatur. Chunradus Ratisponenſis Epiſcopus moritur.

MCCXXVIII. Heinricus, filius Liupoldi Ducis, moritur.

MCCXXIX. Fridericus Imperator Hieroſolimam proficiſcitur: & Terra Sancta a Soldano honorifice recepta, fœdus amicitiæ ſecum innovavit. Fridericus, filius Liupoldi Ducis, filiam Ducis Meraniæ duxit uxorem.

MCCXXX. Liupoldus Dux Auſtriæ ac Stiriæ, ad ſopiendum ſcisma inter Papam Gregorium & Imperatorem Fridericum, Apuliam proficiſcitur, & utrisque in concordia coadunatis, ibidem moritur: pro quo filius ejus Fridericus Auſtriæ Stiriæque ſubſtituitur.

MCCXXXI. Rex Boemiæ cum ſuis Auſtriam ingreditur, & per quinque ſeptimanas incendio devaſtat: & per Optimates Auſtriæ conjuratione contra Ducem Auſtriæ facta, præliis multis & incendio miſerabiliter humiliatur. Ludovicus Dux Bavariæ occiditur.

MCCXXXII. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ conſecrationis enſis dignitate ſublimatur. Fridericus Imperator cum multis Principibus Alamanniæ apud Ravennam curiam ſuam honorifice celebravit, & coram omnibus in die Sancto Natalis Domini corohatus inceſſit.

MCCXXXIII. Gebehardus Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus Romam vocatus, coram Apoſtolico ſponte ceſſit: cui Rudgerus Chimenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſucceſſit. *His temporibus obiit Otto Senior Dux Meraniæ filius Berchtoldi Ducis Meraniæ, cum Beatrice uxore ſepultus in Lankhaym fundatione ſua prope Bamberg.*

MCCXXXIV. Fridericus Dux Auſtriæ valida manu Boemiam ingreditur, ſed capta munitiſſima

nitiſſima urbe, nomine Vetawe, valido morbo prævenitus ad propria revertitur. Poſtea Rex Ungarorum Auſtriam cum exercitu petit; ſed nichil ibi proficiens, concordia cum Duce facta, rediit.

MCCXXXV. Marchio de Meiſſen ſororem Ducis Auſtriæ duxit in uxorem.

MCCXXXVI. Fridericus Dux Auſtriæ, congregato exercitu contra Regem Ungariæ, fugam iniit. Poſt ejus fugam Rex Ungariæ, & Rex Boemiæ terram depopulantur. Andreas Rex Ungariæ moritur: pro quo filius ejus Bela regnavit. Fridericus Imperator in partes Alamanniæ veniens, Heinricum filium ſuum, Regem Sueviæ, exilio relegavit.

MCCXXXVII. Conjuratio exitiabilis contra Fridericum Ducem Auſtriæ ac Stiriæ facta eſt, ſicque a ſuis Optimatibus deſeritur. Winenſis civitas & aliæ munitiones, tam caſtella quam civitates clauduntur eidem: rapinis, incendiis, atque continuis bellis terram inquietare non deſiſtentibus.

MCCXXXVIII. Fridericus Romanorum Imperator ad expulſionem ſupra dicti Ducis, ad perſuaſionem Optimatum, Auſtriam ingreſſus, in Winna ſe tenuit: & cum id, quod conabatur, efficere non valuit, menſe quarto Auſtriam egreditur, quibusdam Comitibus relictis civitati pro præſidio.

MCCXXXIX. Lantgravius Duringiæ ſororem Friderici Ducis Auſtriæ ac Stiriæ, adhuc bellis in terra ſævientibus, duxit uxorem, nuptiis in Nova civitate ſolemniter celebratis.

MCCXL. Fridericus Dux Auſtriæ ac Stiriæ propter frequentes victorias, quibus ſuos adverſarios crebro adtrivit, auctus viribus Winnam potenter obſedit: quæ rerum feſſa, ac de ſalute trepidans ſe reddidit. Poſt cujus reddi-tionem prædicto Duci proſperis ſuccedentibus, Optimates ad eum redeunt, Legati Imperatoris veniunt, lætum nuntium, videlicet gratiam Imperatoris, portantes eidem.

MCCXLI. *Floruit circa hæc tempora Heinricus Marchio Iſtriæ, frater Ottonis Senioris Ducis Meraniæ, cum Sophia conjuge ſepultus in Andacenſi.*

MCCXLII. Tartari cum Cumanis regnum Ungariæ invadunt, Cholomannum Regis fratrem in conflictu interficiunt, Belam Regem de regno expellunt, tantam ſtragem faciunt in populo, qualem nulla meminit ætas, ipſum regnum percutiunt, usque ad internecionem vaſtantes. *Berchtoldus Patriarcha Aquilegienſis, frater Ottonis Ducis Meraniæ, cujus ſoror Mechtildis Comitiſſa Tyrolis, obiit.*

MCCXLIII. Gregorius Papa IX. natione Anagninus Campanus, moritur.

MCCXLIV. Propter guerras inter Imperatorem Fridericum, & Romanos Eccleſia Romano caruit Pontifice.

MCCXLV. Innocentius (qui & Sinnibaldus) Sedi Romanæ in Pontificem præficitur. *Ditior Papa a Beato Petro Apoſtolo nunquam fuit, ut ille. Innocentius IV. Poppo Epiſcopus Bambergenſis, frater Ducis Meraniæ, obiit. Circa illa tempora floruere primi Burggravii Norimbergenſes, Fridericus & Cunradus, Friderici Comitis a Zolern ex Eliſabeta, filia Ottonis Ducis Meraniæ.*

MCCXLVI. Fridericus illuſtris Dux Auſtriæ collecto exercitu contra Regem Ungariæ, juxta fluvium, qui dicitur Litta, contrito atque fugato Regis exercitu, atque potitus victoria neſcio quo caſu miſerabiliter occiditur. Filius Regis Boemorum Gerdrudem, filiam Ducis Heinrici, duxit in uxorem: qui poſt octo menſes moritur.

MCCXLVII. Heinricus Lantgravius Duringiæ, propter guerram inter Dominum Papam & Imperatorem habitus pro Rege, moritur. Waltherus Abbas moritur: cui Ditricus Abbas de Sitanſteten Canonice ſucceſſit, & nondum confirmatus, infra octo menſes moritur. Poſt cujus exitum in electionem Ottonis omnium vota convenerunt.

MCCXLVIII. Hermannus Marchio de Badem, opitulante ſibi Ottone Duce Bavariæ, Gerdrudem, filiam prædicti Heinrici Ducis, duxit in uxorem: paucis Optimatibus in Auſtria faventibus eidem. *Obiit Otto Junior Dux Meraniæ & Comes Palatinus Burgundiæ ſine liberis, interfectus a ſuis in caſtro Niſtinſtrangen; ultimus ſuæ ſtirpis, paterna fundatione in Lankhaym ſepultus.*

MCCXLIX. *Wilhelmus Comes Hollandiæ in Regem Romanorum eligitur. & anno tertio regni ſui a Freſonibus occiſus eſt.*

MCCL. Rex Ungariæ Bela cum Cumanis Auſtriam ingreſſus magnam ſtragem hominum fecit, Eccleſias & villas per incendium in circuitu montium devaſtavit. Hermannus Marchio de Badem moritur. Imperator viam univerſæ carnis ingreditur.

MCCLI. Fridericus, nepos Friderici Imperatoris, moritur.

MCCLII. Ottaker, filius Regis Boemorum, Margaretam, quondam Reginam Alamanniæ, duxit uxorem. Rex Ungariæ Auſtriam cum Cumanis ingreditur, incendiis, rapinis ac cæde hominum hoſtiliter ipſam depopulando.

MCCLIII. Rex Ungariæ, faventibus atque opitulantibus ſibi quibusdam Optimatibus Auſtriæ ac Stiriæ, Auſtriam atque Moraviam rapina, igne, gladio devaſtat. Rex Boemiæ moritur. Otto electus in Abbatem, ſententialiter deponitur: pro quo Ortolfus Gerſtenſis Abbas Canonice poſtulatur.

MCCLIV. Ottakkero filio Regis Boemorum Auſtriam ac Stiriam nomine dotis obtinente, pluribus ac majoribus de Stiria rebellantibus; immo Regi Ungariæ faventibus, inter ipſum Regem & Ottakkerum poſt multas & graves bellorum tempeſtates amicabilis compoſitio interceſſit, tali pacto: quod partem Stiriæ, videlicet a monte, qui dicitur Semtririch [1], donec per montana in Agmund veniatur, relinquat Regis dominio, & hoc, ſecundum quod aquæ pluviales diſtinguunt decurrentes.

MCCLV. Innocentius Papa IV. moritur: pro quo Alexander IV. ſubſtituitur. Hoc anno tanta fuit aëris inclementia, & terra ſiccitate depreſſa, ut nec agri ſegetes, nec uvas v. neta, nec arbores fructus redderent ſuis cultoribus, in tantum ut divites cum pauperibus famis inediam anguſtiati ſuſtinerent.

[1] *Hodie vulgo* Semmering.

MCCLVI. Effuso cornu copiæ tam prospe- A ra tempora divinitus sunt secuta, ut conterranei ex felici frugum abundantia vinique copiositate vix possent præactæ penuriæ reminisci. Lodwicus Comes Palatinus Mariam uxorem suam, filiam Ducis Brabantiæ, mulierem clarissimam, habito de nece sua per quinque septimanas consilio, per manus cujusdam gardionis apud Werdam circa noctis medium decollavit: Heinrico fratre suo Bawariam gubernante.

MCCLVII.

MCCLVIII.

MCCLIX. Bela Rex Ungarorum, collecto copioso exercitu, Austriam atque finitimas terras sibi subjugare conatur. Cum Marcha fluvium transivisset; Ottakkerus illustris Rex Bohemiæ, adhuc tenens principatum Austriæ in forti brachio Teutonicorum, circa Chressenprunne occurrit eidem: ac contrito ipsius exer- B citu, pluribus gladio prostratis, pluribus in flumine submersis, fugam cum suo filio Stephano post magnum suorum excidium arripuit. Rexque Boemorum sic potitus victoria partem Stiriæ, quam adhuc Rex Ungarorum tenuit, de manibus ejus potenter excussit.

MCCLX. Hoc anno ritus quidam de fonte rationis non trahens originem, in Valle Spoletana pullulans, in diversas mundi partes sub Religionis specie serpere cœpit, ita ut tam divites quam pauperes, senes cum junioribus usque ad femora toto nudati corpore seipsos flagellis cruentantes, & cantus ad suum libitum pro numero plagarum compositos decantantes, catervatim & processionaliter Ecclesias clamoribus replerent: fœminis ejusmodi ritum exercentibus in secreto. Sed tandem, utpote superstitio veræ Religioni contraria, talis ritus per mucronem Ecclesiasticum est resecatus.

Alexander Papa moritur: pro quo Patriarcha Jerosolimitanus, dictus Urbanus, sedi præficitur. Ottakkerus hæres regni Bohemorum Margaretam, quondam Alamanniæ Reginam, repudiat: & Margaretam, neptem Belæ Regis Ungarorum, filiam Annæ Reginæ de Marschowe, superinducit; in Braga civitate regia diademate regni sui per Maguntinum Archiepiscopum insignitur.

MCCLXI.

MCCLXII. Vulgata sæpe per Austriam fertilitas tanta est hoc anno uredine sterilitatis absorpta, ut segetes in herbis præmortuæ præ nimio solis ardore, ad ipsas tempore messis resecandas non opus esset falcibus, sed magis vel- D lentium manibus.

MCCLXIII. Gravissima fames Austriam per circuitum vastavit.

Post M. *post bis* CC. *junctis* L. *&* X. *tribus*, I. que *Ottakarus sanctam cœpit fundare Coronam.*

MCCLXIV.

MCCLXV. Urbanus Papa moritur: pro quo Clemens substituitur. Circa initium autumni usque ad terminum ejusdem quædam stella insoliti fulgoris exorta, pene post mediam partem noctis, donec aurora nocti finem daret, adinstar fornacis magnæ tanquam vaporem fumi vomere visa est.

MCCLXVI. Malitfridus naturalis Friderici Imperatoris filius, qui sibi Apuliam, Calabriam atque Siciliam vendicaverat, per Karolum, fratrem Regis Franciæ, atque Comitem Provinciæ in conflictu campestri occiditur, innumera utriusque exercitus multitudine per gladii furorem extincta: qui postmodum terras memoratas potenter sibi subjugavit.

MCCLXVII. Margareta, quondam Alamanniæ Regina, carni debitum solvens, in Lilenvelde sepulturæ traditur.

MCCLXVIII. Chunradinus, Chunradi Regis filius, juncto sibi Friderico, filio Hermanni Comitis de Paden, minus tuto munitus præsidio, immo consilio, ante biennium Italiam ingressus ad expugnandam Apuliam, utpote hæreditatem paternam; ambobus captis per Karolum in conflictu campestri, ac ipsis per aliquod tempus in vinculis religatis, tandem Neapolis sententiam decollationis excipiunt. Clemens Papa moritur: *&* Gregorius X. *eligitur.*

MCCLXIX. *Idem Gregorius fuit Canonicus & Archidiaconus Leodiensis; & vocabatur Theobaldus, & fuit eo tempore, cum Cardinales elegerunt eum, in peregrinatione ultra mare, & cum sollemni comitatu intravit Urbem Romanam; & Karolum Gallicum instituit Regem Siciliæ: nam ante eum nullus Papa per* XI. *annos intraverat civitatem Romæ propter discordiam Romanorum. Hic Gregorius quando processionaliter equitavit per Urbem, tunc Imperator Balwinus Constantinopolitanus, & Karolus Siciliæ Rex ambulantes quasi famuli super terram, per medium platearum duxerunt equum, cui insedit Papa, hinc inde per frænum* C *ducendo, coram omni multitudine populi usque ad locum stationis. Mira res!*

MCCLXX.

MCCLXXI.

MCCLXXII. Domino Philippo, hærede Karinthiæ, in Patriarcham Aquilegiensem electo, & cum Stephano Rege Ungarorum confœderato, Ottakkerus inclitus Rex Boemiæ Karinthiam ingressus, partem ejusdem sibi subjugavit. In cujus ultionem Cumani cum Ungaris ultra Littam fluvium insultum facientes, per campestria usque ad montana Austriam vastaverunt, tam homines quam jumenta abigentes. Post hæc præfatus Rex Boemiæ in forti brachio Ungariam ingressus, captis multis munitionibus fluvium Rebniz occisis, cum victoria Austriam revertitur. Post cujus reditum, Divina gratia opitulante, ambo Reges ad concordiam redierunt.

MCCLXXIII. Abbas Ortolfus piæ memoriæ obiit, in die S. Ypoliti: eodem die ipsi Dominus Gerungus successit. Eodem anno Rex Ottakerus Ungariam hostiliter invadens, ibique terram multam cum Ipso vero stante in Ungaria, Rudolfus Comes de Abespurch in Regem Romanorum eligitur.

MCCLXXIV. Gregorius X. apud Lugdunum Concilium celebravit: ibidem electionem Rudolfi Regis approbavit. Eodem anno idem Papa Gregorius moritur: *cui successit Innocentius* V. *de Ordine Prædicatorum.*

MCCLXXV. *Innocentius moritur: &* Domi-

nus Octavianus eligitur, & Cœlestinus vocatur; sed A *alii dicunt Adrianus V.*

MCCLXXVI. Rudolfus Rex, dictus de Habespurch, Austriam potenter intravit, Otakrum Regem Boemiæ dominio Austriæ privavit.

MCCLXXVII.

MCCLXXVIII. Rudolfus Rex Romanorum, auxilio Regis Ungariæ, & Regis Cumanorum, cum Rege Boemorum campestre bellum circa Stilvrit iniit: & nescio quo casu Rex Boemorum victus est, & occisus.

MCCLXXIX.

MCCLXXX.

MCCLXXXI. Gerungus Abbas Monasterii Mellicensis, moritur: & Dominus Fridericus pro eo canonice subrogatur.

MCCLXXXII. Rudolfus Rex Romano- B rum ad Regnum rediit, relinquens dominium Ducatus Austriæ & Stiriæ filio suo seniori, dicto Alberto. Supra dictus Rex contulit Ducatum Karinthiæ Comiti Tyrolensi Mainhardo, cujus filiam duxit filius ejus Dux Austriæ Albertus.

MCCLXXXIII.

MCCLXXXIV.

MCCLXXXV.

MCCLXXXVI.

MCCLXXXVII.

MCCLXXXVIII.

MCCLXXXIX. Beatus Virgilius Juvavensis Episcopus transfertur, & canonizatur a Venerabili Archiepiscopo Salzburgensi Rudolfo: & Beatus Eberhardus Archiepiscopus quondam ipsius Ecclesiæ sepelitur; & præterea eadem die Con- C cilium celebratur. In eadem Translatione dicta affuit Dominus Fridericus Abbas nostræ Congregationis, qui cum cæteris Episcopis Corpus Venerabile de fossato, in quo fuit humatum, reverentia qua decuit excepit. Posthæc oritur maxima discordia inter præfatum Rudolfum Archiepiscopum, & Ducem nostrum Dominum Albertum, ita ut præfatus Rudolfus quædam castra in Valle Anesi occuparet, & confringeret in contumeliam ipsi Duci.

MCCXC. Dux autem se vindicans, turres quinque egregias, quæ Vanstorf dicuntur, & civitatem Frisacum confregit. Item posthæc Archiepiscopus obiit in Erdfordia, & ossa ejus Salzburgam transferuntur, & ibidem conduntur.

MCCXCI. Rudolfus Rex Romanorum D obiit, in Spirensi Ecclesia tumulatus. Eodem anno Ungari cum suo Rege Austriam hostiliter invadunt, & multam cædem hominum, nec non captivitatem multorum faciunt, non erat qui eis resisteret. Tandem Deo disponente treugas cum Duce dicto Alberto ineunt, & cum pace ad propria revertuntur.

MCCXCII. Adolfus Comes de Nazzawe in Regem Romanorum eligitur. Nicolaus Papa obiit. Rex Ungarorum a Comite Ywano dolose capitur. Ministeriales quidam Styrenses, conjuratione facta cum Archiepiscopo Salzburgense & Ottone Duce Bavariæ, Duci Austriæ rebellare cœperunt.

MCCXCIII. Filius Ducis Karinthiæ una cum civitate Sanctum Vitum per dolum cujusdam ab Archiepiscopo Salzburgense Chunrado capitur. Dux Austriæ Albertus ad terram suam, scilicet Sweviam, proficiscitur, ibique fere per totum annum moratur. Concilium Salzburgæ habetur.

MCCXCIV. Ibique Dux Karinthiæ Mainhardus cum omnibus fautoribus suis auctoritate Apostolica excommunicatur, pro detentione quorundam Episcopatuum, videlicet Tridentini & Brixinensis.

MCCXCV. Abbas Fridericus obiit: post cujus decessum in electionem Heinrici Abbatis Admontensis[1] omnium vota concurrunt, & ad locum suppliciter postulatur. Sed eo renuente, Cholomannus Prior pro eo eligitur, & in quarto die destituitur, & pro ipso Chunradus, dictus Heusler, subrogatur.

MCCXCVI.

MCCXCVII. Abbas Heinricus Admutensis occiditur. Monasterium Mellicense in Vigilia Assumptionis incendio flagrat.

MCCXCVIII. Albertus Dux Austriæ versus Sweviam armata manu proficiscitur, & inito campestri bello cum Rege Romanorum Adolfo, & eo occiso, ipse in Regem Romanorum eligitur: & eodem anno Curia in Nurenwerch celebrata, Ducatum Austriæ & Stiriæ filio suo Rudolfo tradidit.

MCCXCIX.

MCCC.

MCCCI.

MCCCII.

MCCCIII.

MCCCIV.

MCCCV.

MCCCVI. Abbas Monasterii Mellicensis obiit: & Ulricus pro eo canonice subrogatur. Rudolfus Dux Austriæ auxilio patris sui Alberti Regis Romanorum Bohemiam adiit, relinquens dominium Ducatus Austriæ & Stiriæ fratri suo Friderico. Quod regnum non diu possedit, sed ab hoc medio, antequam coronam ejusdem regni reciperet, migravit.

MCCCVII.

MCCCVIII. Albertus Rex Romanorum a suis familiaribus latenter occiditur.

MCCCIX. Hainricus Comes de Luczelburch in Regem Romanorum eligitur: & Papa misit legatos per totam Almanniam ad congregationem pecuniæ Terræ sanctæ. Hainricus Abbas Chotwicensis obiit: pro quo Petrus subrogatur.

MCCCX. Vineæ per Austriam & horti fructuum comesti sunt per brucos, per duos annos se continue succedentes.

MCCCXI. Hainricus Rex Romanorum, electione sua confirmata a Papa Clemente, versus Romam armata manu proficiscitur: & civitate Mediolana subjugata, ibidem uxor ejus moritur, & sepelitur. Aliis etiam civitatibus multis rebellantibus subjugatis, multisque Latinis & Theotunicis interfectis, Romam adiit,

[1] *al.* Admontensis.

&

& ibidem in Imperatorem, annuente Domino Papa Clemente, consecratur.

MCCCXII. Chunradus piæ memoriæ Archiepiscopus Salczpurgensis in Domino requievit: Cui Wichardus Polinhaimarius successit, & statim post decessum ejusdem Archiepiscopi Chunradi eadem civitas Salzburgensis, & Monasterium ad summum cum universis campanis inibi existentibus incendio flagrat.

MCCCXIII. Dominus de Lutpurhc Episcopus Ratisponensis moritur, pro quo Nicolaus Prothonotarius Regis Bohemiæ eligitur.

MCCCXIV. Hainricus Imperator in terra Latina toxico interiit; *veneno in Eucharistia dato.*

MCCCXV. Fridericus Dux Austriæ, & Ludwicus Dux Babariæ sub briga in Reges Romanorum eliguntur.

MCCCXVI. Fridericus Dux Austriæ & Rex Romanorum accepit exactionem ab omnibus vineis, areis, & jugeribus totius terræ.

MCCCXVII. Facta est inundatio aquarum per totam Almaniam, Ungariam, Bohemiam & Galliam.

MCCCXVIII. Fridericus Dux Austriæ & Rex Romanorum cum Episcopo Salzburgensi armata manu terram Bawarorum devastarunt, & per Danubium vina collecta Ratisponensium in equis & curribus vadum carpentibus feliciter transvexerunt.

MCCCXIX. Fridericus Dux Austriæ Rex Romanorum Paduwanis veniens in auxilium contra Dominum Canem, milit quadringentas galeas Australium, qui fugaverunt DC. Latinorum.

MCCCXX.

MCCCXXI. In Austria & Ungaria provenerunt multa vina ferme putrida, fœtida, rubea & immunda. In die Johannis & Pauli eclypsis Solis facta est.

MCCCXXII. Fridericus Rex Romanorum & Dux Austriæ armata manu Bawariam proficiscitur, & a Ludwico Duce Wabariæ & Rege Romanorum campestri bello habito in prato, qui dicitur Emphing, una cum fratre suo Hainrico Duce Austriæ & Stiriæ captivatur, nec non cum aliis Optimatibus cum eis in pugna existentibus.

MCCCXXIII. Hainricus Dux Austriæ, pro sui redemptione & suorum nobilium a captivitate, Regi Bohemiæ, resignatis Znoyma & Gonstell civitatibus Moraviæ, quas in pignore detinuerat, Weytra & La civitates Austriæ pro VIII. milibus marcarum argenti redimendas obligavit.

MCCCXXIV. Abbas Ulricus Monasterii Medlicensis felicis recordationis, qui Ecclesiam nostram in plerisque bonis sublimavit, obiit: & Otakerus pro eo canonice subrogatur in die omnium Sanctorum, & ab Episcopo Secoviensi delegato ad hoc a Sede Apostolica, in Dominica proxima post Ascensionem Domini, benedictionis & consecrationis munus accepit in Greza civitate. Dux Austriæ Liupoldus Ludwicum Bawarorum Ducem, qui castrum Purgaw potenter obsederat per plures menses, manu valida profugavit.

MCCCXV. Fridericus Romanorum Rex & Dux Austriæ a captivitate Ludwici Regis & Ducis Bawariæ solutus & liber dimittitur: & filius Ludwici Regis illustris filiæ Friderici Regis matrimonialiter conjungitur, in robur pacificæ confœderationis inter ipsos Principes observandæ.

MCCCXXVI. Liupoldus Dux Austriæ strenuissimus obiit, frater Friderici Regis.

MCCCXXVII. Hainricus Dux Austriæ moritur, frater Regis Friderici.

MCCCXXVIII. Bohemi terram Austriæ incendiis & rapinis devastant: & ipsis tandem cum Rege Friderico concordatis, Dux Austriæ Otto castrum Haymburch cum civitate, invitis Rege Friderico & Duce Alberto fratribus, detinuit.

MCCCXXIX. Otakarus Abbas Medlicensis prid. Kal. Dec. moritur: cui Hainricus Præpositus & procurator Monasterii ipsius in Abbatem canonice succedit.

MCCCXXX. Fridericus Dux Austriæ Rex Romanorum moritur in Castro Guetenstain, & in Monasterio Maurbacensi, quod ipse fundavit, sepelitur.

MCCCXXXI.

MCCCXXXII. Dux Albertus & Dux Otto congregato exercitu, scilicet duobus milibus galearum, adjuncto sibi Comite, nomine Delfino & Vicerege Ungarorum, plus quam cum CXL. milibus venientes obviam Johanni Regi Bohemiæ jacenti cum exercitu suo prope civitatem La, ipsum cum suis fugaverunt. Nec modicum post meliores totius Bohemiæ per dominos Austriæ ministeriales captivantur, & quamplurimi occiduntur.

MCCCXXXIII.

MCCCXXXIV. Hainricus, dictus Chremser, Abbas Medlicensis in die Erndrudis Virginis obiit: cui Gundacharus, dictus Pergawanus, successit, & ab omnibus rite & canonice in Abbatem eligitur, in die Nativitatis Beatæ Virginis.

MCCCXXXV. Hoc anno Ludwicus Dux Bawariæ, qui se asserebat Imperatorem, ad componendum cum Ducibus Austriæ Wiennam veniens, & aliquamdiu cum eis ibidem moram trahens. Nec modicum post idem Ludwicus Linzam veniens, & Dux Austriæ ab eo terram & Ducatum Karinthiæ sub vexillo accepit.

MCCCXXXVI. Eodem anno consilio maligno exactionem inhonestam & inauditam, videlicet de qualibet persona unum grossum denariorum receperunt Duces Austriæ. Illo anno intravit Johannes, dictus Redebrunner, religionem, qui postea electus fuit in Abbatem.

MCCCXXXVII. Anno hoc Duces Austriæ, æstimato valore vinearum, de decem libris semper unam receperunt pro tota terra.

MCCCXXXVIII. Anno isto inventum est Corpus Domini in Pulka, & facta est magna strages Judæorum in pluribus partibus: & eodem anno supervenit maxima multitudo cicadarum

darum volantium, quæ fecerunt maximum damnum per totam terram. Et magna multitudo hæreticorum in lucem deducta est, quæ Clericos sæculares & plures Religiosos occiderunt.

MCCCXXXIX.

MCCCXL. Anno isto, Gundacharus Abbas, dictus Pergawanus, sine confirmatione moritur: cui Haymbricus, dictus Rarer successit, & ab omnibus rite & canonice in Abbatem eligitur, in die S. Paulini Episcopi.

MCCCXLI. Obiit Haymbricus Abbas dictus Rarer: cui Fridericus dictus Greiner, tunc Prior, Abbas successit.

MCCCXLII.

MCCCXLIII.

MCCCXLIV. Eodem anno mortuo Friderico, dicto Greiner, in Dominica *Judica*, Ludwicus, dictus Snaynzer de Yspera, eidem successit, qui electus fuit in Dominica *Quasi modo geniti*: & idem in Curia Romana a Papa Clemente VI. in festo S. Ulrici Confessoris, videlicet quinto die introitus sui, quasi miraculose fuit confirmatus, sequenti vero die post Alexii fuit consecratus. Et idem Dominus Ludwicus Abbas postea Ecclesiam nostram hic in plerisque bonis sublimavit: quia incorporavit Monasterio tres Ecclesias, videlicet, Medlik, Wldeinstarf & Ravelspach, & advocatiam in Zedlmaring, & redemit bona Monasterii obligata per antecessores suos, videlicet Gundreinstarf pro sexcentis libris, & alia bona pro duobus milibus libris.

MCCCXLV.

MCCCXLVI. Hoc anno Dominus Karolus Marchio Moraviæ, filius Johannis Regis Bohemiæ, per Dominum Papam Clementem VI in Imperatorem confirmatur, contra Ludwicum, qui tunc Imperium tenuit potenter contra Ecclesiam. Item maximum bellum fuit inter Reges Franciæ & Angliæ, in quo Rex Bohemiæ Johannes cæcus occisus, & multa milia Dominorum magnorum fuerant interempta.

MCCCXLVII. Hoc anno Ludwicus Imperator in hebdomada ante Purificationem Beatæ Virginis prima vice fuit in Monasterio Medlicensi pransus; & contulit Monasterio eidem libertatem salium deducendorum in Purkhausen & Scherdingen, videlicet duo talenta majoris ligaminis, & octo minoris. Eodem anno feria quinta proxima ante Galli mortuus est, & in Monachio sepultus. Item eodem anno per Nicolaum Canonicum Wacensem incorporationes trium Ecclesiarum, videlicet Medlik, Ravelspach & Wultenstorf in Romana curia fuerunt procuratæ.

MCCCXLVIII. In festo Conversionis S. Pauli, hora quasi vespertina, terræmotus factus est magnus, & in Karinthia Villacum, & plures civitates, & castra cum hominibus perierunt. Item eodem anno tanta pestilentia invaluit in Italia & in Provincia, quod vix duodecimus homo remansit: incendia etiam plurima fuerunt.

MCCCXLIX. In festo Purificationis Beatæ Virginis terræmotus factus est magnus valde.

Item in Karinthia, Austria & Babaria mortalitas in tantum sæviebat, quod multæ villæ, & in civitatibus quibusdam domus quamplures sint destructæ, ita quod inhabitator in eis nullus est inventus. Et hac de causa ritus quidam pœnitentiæ fuit exortus, ut tam divites quam pauperes, antiqui cum juvenibus & parvulis de sursum usque ad femora nudati, deorsum vero panno quodam cincti se flagellis acriter verberabant, & cantum quendam decantantes, Ecclesias, in quibus pœnitentiam hanc exercebant, processionaliter intrabant. Item Judæi in Swevia & Bawaria cremati fuerunt: quia convicti quidam profitebantur, se mortalitatem prædictam inter Christianos pulvere toxicato generasse.

MCCCL. *Hic annus Jubileus.*

MCCCLI.

MCCCLII.

MCCCLIII.

MCCCLIV.

MCCCLV.

MCCCLVI.

MCCCLVII.

MCCCLVIII. Eodem anno Dux de Austria Albertus *Contractus* fidelissimus moritur XIII. Kal. Aug. Cui successit Dominus Rudolfus filius ejus.

MCCCLIX.

MCCCLX. Eodem anno Ludovicus, dictus Snaynzer, moritur: & Johannes, dictus Redeprunner, subrogatur in die S. Lamberti Martyris, qui infra spatium unius mensis iter ad curiam Romanam recepit, & in Kathedra Beati Petri Apostoli ad Monasterium venit.

MCCCLXI.

MCCCLXII. Fridericus Dux Austriæ obiit adhuc adolescens, armis tamen usus, v. Id. Dec. filius Alberti Ducis Gemnicensis fundatoris: eodemque anno Meinhardus Dux Superioris Babariæ obiit adhuc adolescens, hujus Friderici sororius, & filius Ludwici Brandeburgusiæ Marchionis, demum Ducis Babarorum facta permutatione cum suo fratre, dicto Raemer.

MCCCLXIII.

MCCCLXIV.

MCCCLXV.

MCCCLXVI.

MCCCLXVII. Anno hoc Karolus Imperator dedit proscriptionem in cives Patavienses, propter Dominum Albertum Episcopum ibidem, *contra quem iidem cives se opposuerunt.*

MCCCLXIX.

MCCCLXX.

MCCCLXXI. Hoc anno Abbas Johannes, dictus Redeprunner, in die S. Vitalis obiit: cui Dominus Fridericus Azenprukker successit.

MCCCLXXII.

MCCCLXXIII.

MCCCLXXIV.

MCCCLXXV. Eodem anno nos & Monasterium nostrum in manus laicorum, scilicet Ducis Alberti, devoluti sumus. *Hic Albertus fuit filius Alberti Contracti, cujus posteritas in Ladislao Ungariæ & Bohemiæ Rege defecit.*

MCCCLXXVI.

MCCCLXXVI.

MCCCLXXVII. Hoc anno Dominus Urbanus VI. Prothonotarius, in Papam eligitur: ſub quo ſcisma in ſede Apoſtolica ſe incepit, *durans usque ad annos* XL. *videlicet, usque ad Concilium Conſtancienſe.*

MCCCLXXVIII. Eodem anno obiit Fridericus Abbas Monaſterii Mellicenſis, qui dictus fuerat Aczenprukker. Et Syfridus Prior, dictus Hagenawer, a Duce Alberto coram Conventu in Refectorio eligitur, in vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: & quaſi omnibus non faventibus, Bernardus dictus Dapifer, unus ex fratribus, ſe recepit ob hoc ad Curiam Romanam, & in itinere moritur.

MCCCLXXIX.

MCCCLXXX.

MCCCLXXXI.

MCCCLXXXII. Eodem anno Syfridus Abbas, dictus Hagenawer, in die S. Oswaldi obiit: cui Dominus Gotſchalcus, dictus Hinderholzer, tunc temporis Cuſtos ſucceſſit, & ab omnibus rite & canonice in Abbatem eligitur, in die S. Laurentii Martyris.

MCCCLXXXIII.

MCCCLXXXIV.

MCCCLXXXV.

MCCCLXXXVI. Hoc anno Dux Leupoldus, frater Alberti Ducis Auſtriæ, in Translatione S. Nicolai, interfectus eſt cum centum & viginti quatuor Baronibus, exceptis aliis militibus & ſervis infinitis, apud Turegum in populo, qui dicitur Sweinczer, & eſt ſepultus in Chunigsveld. Eodem anno filius ejus Wilhelmus Dux expulſus eſt a Krákovia, ubi tunc Rex habebatur.

MCCCLXXXVII. Eodem anno Abbas Gotſchalcus, dictus Hinderholczer, moritur, in die S. Petri ad Vincula. Cui Dominus Ludwicus, prioris Ludwici Abbatis bonæ memoriæ avunculus[1], ſibi ſucceſſit, & ab omnibus rite & canonice in Abbatem eligitur, in die S. Afræ Martyris.

MCCCLXXXVIII. Albertus Dux Auſtriæ obſedit Pataviam a feſto S. Michaëlis usque ad feſtum S. Martini, propter gwerram duorum Epiſcoporum, videlicet filii Ducis de Monte, & Domini Jeorgii de Hohenloch: qui tandem obtinuit adjutorio Ducis Auſtriæ. Rex Bohemiæ præſtitit ſubſidium civitati Pataviæ, & filio Ducis de Monte.

MCCCLXXXIX. Eodem anno obiit Urbanus Papa VI, qui annum Jubileum de quinquaginta in triginta quatuor tranſtulit, ſeu annos mutavit juxta ætatem Jeſu Chriſti. Quod Bonifacius ejus ſucceſſor immediatus affirmans, & literis ſuis confirmavit. Hoc anno Pragæ quaſi omnes Judæi a Chriſtianis ſunt interfecti. Hoc Anno Albertus Dux Auſtriæ caſtrum munitiſſimum, Leſtain nominatum, magna vi cepit & deſtruxit, Raerer dictis in obprobrium, poſt feſtum Omnium Sanctorum.

MCCCXC. Hoc anno Dux Albertus magnam exactionem recepit a Prælatis, plebanis, civibus & Judæis. Hoc anno fuit annus Jubileus Romæ.

MCCCXCI.

MCCCXCII. Hoc anno in Vigilia Marci Papæ tantum frigus erat (altera die poſt Placidi ſuperfuit id frigus) & de manè maxima pruina, & omnia vina per frigus conſumpta, ita quod vix decima anni præteriti remanſerit, & erant iſta vina amariora quam acetum: propterea vulgares appellabant hoc vinum *Zyrnbelt. Cujus vini adhuc vas in hoc noſtro Medelicenſi Monaſterio anno* 1511. *pro memoria habetur.*

MCCCXCIII. Iſte annus erat magnæ ſiccitatis, quod vix aliquis recordabatur tantam ſiccitatem.

MCCCXCIV. Hoc anno Rex Bohemiæ captus erat a ſuis miniſterialibus, & detentus in caſtro Wiltperckch Dominorum de Starchenberkch.

MCCCXCV. Hoc anno obiit Albertus Dux Auſtriæ in caſtro Lachſenburkch, in die S. Auguſtini. Epiſcopus Patavienſis impetravit a Papa Bonifacio medios fructus per declarationem Domini Papæ, annuente ſibi Duce Alberto, ab univerſis Eccleſiaſticis perſonis ſuæ Diœceſis. Contra quem appellavit Dominus Ludwicus Abbas Monaſterii Mellicenſis, qui etiam eandem litem vicit.

MCCCXCVI. Dux de Artoys & Conſtavel Regis Franciæ venit Wiennam, circa feſtum Pentecoſtes, cum decenti cohorte militum. Tandem circa feſtum Johannis Baptiſtæ venit filius Ducis Burgundiæ cum maximo comitatu Wiennam, & omnibus neceſſariis ibidem in naves eorum, bene diſpoſitis, feliciter pervenerunt ad Turcos ante civitatem Schiltarn. Sed heu! in craſtino Sancti Ruperti, VIII. Kal. Octobris, miſerabiliter pene omnes interfecti ſunt & capti a Turcis.

MCCCXCVII.

MCCCXCVIII.

MCCCXCIX.

MCCCC.

MCCCCI.

MCCCCII. Wenzeslaus, filius Karoli Imperatoris, Rex Romanorum & Rex Bohemiæ cum Procopio Marchione Moraviæ per Regem Ungariæ, fratrem ſuum, captus eſt: & Wiennæ totum annum & duodecim hebdomadas detentus fuit, & tandem in die S. Martini anno MCCCCIII. neſcio quo caſu evaſit. Hoc anno cometa viſa eſt a principio Martii, & duravit per ſex hebdomadas. Hoc etiam anno was daß geſchewen in Auſtria, & quædam caſtra depopulata ſunt & deſtructa, videlicet Leyden ſupra ripam Weyttenſem, & alia quamplurima in Auſtria. Eodem anno Wilhelmus Dux Auſtriæ duxit in uxorem Johannam, filiam Karoli de Pace Regis Siciliæ. Quæ poſt mariti obitum reverſa ad Neapolim, poſt mortem Ladislai fratris ſui Regis Siciliæ, ibidem regnat, & tandem a Papa Martino coronam adepta eſt regni.

MCCCCIII.

MCCCCIV. Albertus Dux Auſtriæ, nepos Contracti Alberti Ducis, congregato exercitu contra quendam Jewſpizer, obſedit civi-

[1] *f.* nepos.

tatem Moraviæ, dictam Cznaym, per ſex hebdomadas. Sed heu! nichil profecit: quia multi in exercitu fluxu ventris obierunt, ideo amovit exercitum ab obſidione civitatis. Et idem Albertus Dux in eadem obſidione civitatis in infirmitatem cecidit, a qua non valuit curari, & ſic heu! in Neunburga Clauſtrali devote moritur. Hic Albertus devotiſſimus Clero habebatur, & omnis ejus converſatio communiter cum Clericis & Religioſis. Hoc anno quarto, XVI. die menſis Octobris, indictione XII. in die S. Kalixti Bonifacius Papa IX. de Tomacellis de Neapoli moritur: pro quo Innocentius eligitur.

MCCCCV.

MCCCCVI. Wihelmus Dux Auſtriæ obiit, in Diviſione Apoſtolorum. Innocentius Papa VII. natus de Salmone, moritur. Hoc anno magna cariſtia in Auſtria fuit, ita quod modius tritici venderetur pro XV. talentis denariorum; unus modius ſiliginis pro XI. talentis denariorum & XL. denariis; modius hordei pro VIII. talentis denariorum; modius avenæ pro IV. talentis denariorum. In vigilia S. Johannis Baptiſtæ magna inundatio aquarum facta eſt per totam Auſtriam. Gregorius XII. eligitur in menſe Novembri.

MCCCCVII. Hoc anno civitas Laa, in metis Auſtriæ & Moraviæ ſuper fluvium Tey poſita, per quendam Bohemum, dictum Sökol, in nocte Corporis Jeſu Chriſti, ſcalis appoſitis capta eſt, & idem Sökol multas rapinas ex ea & damna terræ Auſtriæ intulit. Tandem circa feſtum S. Jacobi obſeſſa eſt civitas per Dominum Epiſcopum Friſingenſem, & per Dominum Comitem de Mundfurt campiductorem, & per quosdam Miniſteriales, & militares, & cives terræ. Sed heu! parum profecerunt, ab obſidione recedentes. Poſiti fuerunt ſtipendiarii cum trecentis haſtis, ad arcendum hoſtes ab ingreſſu terræ. Qui demum in die S. Ægidii cum Bohemis pugnaturi, duobus miliaribus a Mawrperg capti ſunt, ex noſtris ad quinquaginta perſonas de melioribus in exercitu: qui una cum civitate redempti ſunt pro L. milibus florenorum.

MCCCCVIII. Hoc anno magna diſſenſio orta eſt in Auſtria inter Ducem Lewpoldum, Comitem de Maidburg, & militares ex una parte; & inter Ducem Erneſtum, & Dominum Rupertum de Walſſee cum Baronibus & præcipuis in Auſtria ex altera parte. In qua diſcordia & lite terra in tantum deprædata eſt, & tanta damna pertulit ab inhabitatoribus terræ ex utraque parte, quod non meminit ætas: quia Monaſteria & Eccleſiæ ſunt ſpoliata & violata. Tres meliores cives, ſcilicet Vorlauf, Rampelsdorffer, & Hanß Rott Wiennæ decollantur.

MCCCCIX. Hoc anno celebratum eſt Univerſale Concilium in civitate Piſana, a Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Ambaſiatoribus Regum, videlicet Franciæ, Angliæ, Bohemiæ & aliorum Principum, Ducum Auſtriæ, & Univerſitatum Almanniæ, Italiæ, & Galliæ, & Communitatum, ad extirpandum peſtiferum & intricatum ſciſma, quod duravit in Eccleſia Dei poſt obitum Gregorii XI. annos circiter XXXIII. In hoc Concilio Piſano Petrus de Candia Archiepiſcopus Mediolanenſis in Papam eligitur, & Alexander Quintus vocatur, & ſic ſciſma ſciſmati additur: quia tres ſe pro ſummis Pontificibus gerebant.

MCCCCX. Hoc anno obiit Alexander Papa V. pro quo Dominus Walthaſar Cardinalis Bononiæ, Papa eligitur, & Johannes XXIII. nominatur. Eodem anno Domini Theutonici in Diviſione Apoſtolorum campeſtri bello proſtrati ſunt per Regem Crakoviæ. Hoc anno obiit Dominus Ludwicus Abbas, in die S. Matthæi Apoſtoli: cui ſucceſſit Johannes Melebrunner tunc Cuſtos, quarta die canonice ab omnibus electus.

MCCCCXI. Hoc anno in craſtino S. Petronellæ Virginis ſub hora matutinali terræmotus univerſalis magnus fuit. In eadem hebdomada obiit Lewpoldus Dux Auſtriæ.

MCCCCXII. Hoc anno obiit Dominus Johannes Abbas, dictus Melebrunner, feria V. poſt feſtum S. Thomæ Apoſtoli: cui ſucceſſit Dominus Johannes, dictus Flemyng, tunc Præpoſitus, die immediate ſequenti: qui unanimi voce & conſenſu omnium rite & canonice electus eſt in Abbatem. Apud Roccam ſiccam Campaniæ Ladislao Rege Siciliæ, filio Karoli de Pace, campeſtri bello per Ludovicum Ducem Andegavenſem, & per armigeros dicti Johannis XXIII. fugato, capitur inter alios Comes Celani; ratione cujus Abbas Sublacenſis ab Abbatia per dictum Johannem XXIII. abſolvitur. nam & ipſe Abbas de domo Celani erat natus, & in Abbatia Sublacenſi magna tribulatio exoritur.

MCCCCXIII. Hoc anno plures Monachi de Monaſterio Sublacenſi & Sacro Specu propter guerram Abbatiæ coguntur exire de Monaſterio, quorum quidam in Prioratu S. Annæ apud Roccam montis Draconis colliguntur, dato eis per Gregorium XII. Priore fratre Nicolao de Auſtria de Matzen, Monacho Monaſterii Sublacenſis & Specus. Johannes XXIII. per Ladislaum Regem Siciliæ vi armorum a Roma fugatur. Ladislaus Rex Siciliæ in Caſtro Novo Neapoli moritur: pro quo regnat Johanna ſoror ſua, relicta quondam Wilhelmi Ducis Auſtriæ, quæ Jacobo de Marchia Franciæ nuptui traditur.

MCCCCXIV. Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex multa induſtria induxit Johannem XXIII. apud Mediolanum poſitum, de convocando Concilium. quod & factum eſt. Eodem anno, in capite menſis Novembris, inceptum eſt magnum & univerſaliſſimum Concilium Conſtantienſe, omnium Prælatorum, Regum, Principum, Marchionum, excepto Rege Bohemiæ Wentzeslao, qui tunc favebat hæreſi Huſſitarum: quod Concilium duravit annis tribus, menſibus ſex. In quo, Johanne XXIII. & Benedicto XII. damnatis & depoſitis, Gregorio XII. ſponte ac ſollemniter renuntiante, per Carolum de Maleteſtis facta eſt unio Eccleſiæ Dei ſanctæ.

MCCCCXV. Johannes XXIII. Neapolita-

nus de Coxa, depositus in Concilio Constantiensi, per Sigismundum Romanorum & Hungatiæ Regem, cui Sacrum Concilium ipsum custodiendum tradidit, traditur in manibus Domini Ludovici Ducis Bavariæ & Palatini Rheni qui ipsum in castro suo Manheim supra Rhenum duobus annis & plus tenuit captivum. Eodem anno Johannes Huss de Praga, Magister in Artibus & Baccalarius Sacræ Theologiæ, in Concilio Constantiensi comburitur, hæresiarcha Wiclefistarum maximus. Ab hoc loco incepit regnum Bohemiæ tribulari per fautores hæresis Wiclef & Huss.

MCCCCXVI. Jeronimus de Praga, Magister in Artibus, hæresiarcha incendio traditur in Concilio Constantiensi, circa festum S. Jacobi. Angelus Corario de Venetiis, quondam Gregorius XII. in Racanata moritur: eo tamen prius reverenter in Collegium Cardinalium restituto, & Legato Marchiæ Anconitanæ constituto.

MCCCCXVII. Facta est electio in Concilio Constantiensi per quinquaginta tres Electores per Concilium datos, in die S. Martini: & Dominus Otto de Columpna Cardinalis, titulo S. Georgii ad Velum aureum, in unicum Papam eligitur, & vocatur Martinus V. Hoc anno Dominus Episcopus Sarisburgensis Anglicus, Dominus Franciscus de Zabarellis Cardinalis Florentinus moriuntur in Concilio, ambo Doctores Juris Canonici.

MCCCCXVIII. Constantiense Concilium circa festum Pentecostes finitur. Papa cum sua Curia ad Italiam per Sabaudiam, & Rege ad suum regnum Hungariæ remeantibus. Hoc anno Albertus Quintus Dux Austriæ, missis sollennibus Ambasiatoribus videlicet Comite de Schaunberg, Stephano de Hochenberg, & Georgio de Starhenberg, una cum sollennibus Doctoribus Theologiæ & Juris Canonici, impetravit sibi dari de Italia Monachos Ordinis S. Benedicti, ad reformandum Monasteria ejusdem Ordinis in Austria. Eodem anno circa festum S. Johannis Baptistæ Apostolica auctoritate visitatum fuit hoc Monasterium per Dominos Abbates de Runa Cistercienscm, & Leonardum Priorem de Gemnico, coassumptis sibi duobus Monachis in Specu S. Benedicti professis, & Domino Johanne Fleming tunc Abbate sponte renuntiante: præfecto in Abbatem fratre Nicolao de Austria, quondam Priore Sacræ Specus. Reformatio hujus Monasterii incepta est. Visitantur Monasteria in Austria Apostolica auctoritate.

MCCCCXIX. Hoc anno celebratur Synodus provincialis in Salzburg, & Episcopalis in Patavia. Dux Burgundiæ occiditur a Delfino Franciæ. Hi Archiepiscopi: Maguntinus, Leodiensis, hi Episcopi: Tridentinus & Churiensis, moriuntur. Vina agrestia nascuntur. Pestis magna regnat. Moritur Wentzeslaus Rex Bohemiæ, Praga subacta ab Hussitis. Ante finem anni moritur Balthasar de Coxa, olim Johannes XXIII. appellatus, Florentiæ.

MCCCCXX. Hoc anno, infinita tribulatio crescit in Bohemia propter hæreticos, qui dicuntur Wiclefistæ. Magnus exercitus Pragam obsedit; videlicet quatuordecim Principum Alamanniæ, de diversis etiam partibus Poloniæ & Hungariæ; sed modicum profecerunt, Rege Hungariæ impediente, & regno parcente. Henricus de Zelking moritur; in vigilia S. Benedicti. Mirabilis & inaudita tribulatio propter multiplicia incendia in Austria viget in multis locis. Isto anno tanta victualium extat Karistia, quod modius siliginis invenitur pro v. solidis denariorum, & tritici pro IX. solidis, & vas vini pro XV. vel XVI. infra montes. Item aliquæ arbores, videlicet rosæ, nekebitz bis fructificant. Spicæ grani perfectæ in die Pascæ, quæ fuit VII. Aprilis; rosæ Philippi; Cerasa XV. May; primitiæ XXII. May; vindemia Ægidii habebantur. Dominus Johannes Fleming olim Abbas, de quo supra, moritur zu dem Hauß, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, sepelitur in Monasterio.

Anno Domini MCCCCXX. In die quatuor Coronatorum hora Nonarum, propter suspicionem hominum tollendam Venerabilis Pater Dominus Nicolaus tunc Abbas hujus Monasterii aperuit Crucem pretiosam hujus Monasterii, inventæque sunt tres partes similes quasi in medio ipsius, reclusæ sub laminis argenteis. Quælibet autem pars videbatur longitudinis quasi semi digitalis, non tamen spissa. Postquam vero perspectæ sunt ab his, qui tunc testes aderant, videlicet a Domino Abbate, Petro Priore, fratribus Cristanno, Mathia, Gotschalco, Nicolao Wienner, Petro, Jodoco hujus Domus Monachis: & Waser quoque nobile; & Judice nostro, & aurifabro laicis; repositæ sunt eædem partes ad locum priorem, & ibidem reclusæ. Reliquiæ vero Sanctorum, quibus ipsa Crux ubique intus plena est, similiter repositæ sunt, quemadmodum prius positæ erant. Et qui scripsit hæc, præsens vidit, scilicet Petrus Prior.

Hoc anno XX. Dominus Albertus V. Dux Austriæ, captis omnibus Judæis in tota Austria, in Octava Ascensionis Domini sub ortum solis, & plurimis conversis ad fidem, tandem in feria quarta ante diem Pascæ sequentis anni, videlicet XXI. omnes nondum converti volentes utriusque sexus fecit comburi sub una eademque hora: crematique sunt in Wienna CX. solidi utriusque sexus. In Bavaria Principes se mutuo guerris premunt. Multa Monasteria ab Hussitis in Bohemia destruuntur, Ecclesiæ ac imagines inaudita insania deturpantur & lacerantur, Reliquiæ Sanctorum & Sacramentum Dominici Corporis a nostris Presbyteris consecratum conculcantur, & omnes sub utraque specie communicare compellunt.

MCCCCXXI.

MCCCCXXII. Dux Albertus Quintus desponsatam sibi diu Elizabeth, filiam Sigismundi Romanorum & Hungariæ &c. Regis, duxit uxorem. Sacristia nostra construitur, & domus in foro juxta aquam.

MCCCCXXIII.

MCCCCXXIV. Georgius de Hochenloch, qui sedit annis XXXVIII. in Episcopatu Patavienſi, obiit Strigonii: pro quo Leonardus

Laymínger; ſub diſcordiâ partis Capituli ſui & Alberti Ducis Auſtriæ, per Papam Martinum Quintum ſurrogatur. Luntenburg ab Huſſitis capitur, unde multa mala terræ Auſtriæ, & gravia diſcrimina, villarumque ac hominum noſtrorum deditio illata, & facta ſunt.

MCCCCXXV. Hoc anno exeunte, videlicet in Sacratiſſima Nativitatis Chriſti nocte, ſub Miſſa gallicantus, Wiennæ in domo noſtra Dominus Nicolaus, dictus Seüringer, hujus loci Reformator & Abbas obiit. Eadem fere media hora, in eadem domo moritur Conradus Seüringer de Matzen, prædicti Domini Abbatis genitor: Qui nonageſimum ætatis ſuæ annum exigens, huc, jubente parum ante utriusque mortem filio (mirum dictu!) ſecum adductus atque conſepultus eſt. Pro quo frater Leonardus, de Straubinga natus, Abbas eligitur circa festum Epiphaniæ. Hoc anno XXV. circa feſtum S. Catharinæ, Retzam cum omni ſuo territorio deprædantur Huſſitæ. Comes Maidburg captus obiit.

MCCCCXXVI. Monaſteria noſtri Ordinis ac Canonicorum Regularium in Diœceſi Friſingenſi viſitantur. Dominus Eberhardus Newnhauſer Archiepiſcopus Salzburgenſis moritur: pro quo Eberhardus de Starchenberg tunc Decanus eligitur, ſed non completis plene duobus annis, in die Carnisprivii moritur: pro quo Dominus Johannes Reysperger Præpoſitus, eligitur in Archiepiſcopum.

MCCCCXXVII. Cardinalis de Anglia H., Vintonienſis vulgariter nuncupatus, aggregata apud oppidum Bohemiæ, dictum Mis, contra Huſſitas expeditione non parva Principum, Electorum & Ducum Bavariæ, nichil profecit. Econtra Huſſitæ oppidum Dachaw. expugnaverunt, multis intus nobilibus captis.

MCCCCXXVIII. Hoc anno in die S. Nicolai Dominus Dux Albertus Quintus conſenſit accipere Dominum Leonardum Laymínger in Epiſcopum Patavienſem, & tota patria ſecum, & fuimus per Dominum Eberhardum Archiepiſcopum Salzburgenſem juſſu Papæ abſoluti ab excommunicatione. Eccleſiæ noſtræ ædificium intus completur. Huſſitæ hæretici Bavariam, Sleſiam, Hungariam & Auſtriam diverſis incendiis, rapinis, Eccleſiarum & Monaſteriorum deſtructione pervagantur. Ex oppoſito villæ Nusdorf tentoria fixerunt, caſtrum Peching longa obſidione vexatum obtinuerunt. Collecta per Alemanniam per prædictum Cardinalem, & contra Huſſitas legatum imponitur pro expugnatione hæreticorum; ſuper Clerum viceſimus denarius; ſuper laicos de CC. libris unus groſſus; ultra habens, florenum ſolvere teneatur; militaris tres florenos; miles X. Comes XL. Dux Auſtriæ addidit alias collectas.

MCCCCXXIX. Hoc anno, in Dominica *Oculi*, noſtra Eccleſia Medlicenſis de novo conſtructa dedicatur, & conſecratur cum XIV. novis altaribus, loca item Conventualia nova benedictione reparantur. Bavaria inferior, videlicet Straubinga cum ſuis attinentiis, quam Dux Hollandiæ Johannes ſine hæredibus reliquit ſui germinis, per quatuor partes, Rege Romanorum Sigismundo (qui & Hungariæ) diffiniente, inter quatuor Principes Bavariæ æque ſibi ſuccedentes æqualiter diviſa eſt, in vigilia Joannis Baptiſtæ in Straubing.

MCCCCXXX. Hoc anno corpus Matris Auguſtini in Hoſtia Tyberina inventum, juſſu Papæ Martini ad S. Triffonem Romæ translatum eſt. Hic eſt annus milleſimus a tranſitu S. Benedicti Abbatis in Caſino caſtro ſepulti.

MCCCCXXXI. Martinus Papa V. obiit: cui ſucceſſit Eugenius, natione Venetus, ex Cardinali tituli S. Clementis, vulgariter Senenſis G. Hoc anno, in Dominica poſt feſtum Sancti Cholomanni, ultra Sanctum Bernhardum juxta Hart Auſtrales proſpera victoria contra hæreticos Huſſitas potiti ſunt, occiſis ex eis quaſi mille, & captis ſexcentis: inter quos captus eſt quidam Socol, magnus apud eos. Hoc anno, prima die Octobris, incepit Concilium Baſilienſe.

MCCCCXXXII.

MCCCCXXXIII. Hoc anno, in Vigilia S. Bartholomæi, moritur Dominus Leonardus, natione Bavarus de Straubing, hujus reformati loci Abbas Secundus, qui viſiones anxias in extremis paſſus, ut ipſe retulit: ſub cujus regimine multa & magna ædificia eriguntur. Cui ſucceſſit Dominus Criſtannus, dictus Eybenſtainer, natione Auſtralis. auctoritate Domini Juliani Cardinalis ſedis Apoſtolicæ Legati per Germaniam, per Dominum Leonhardum Laymínger tunc Præſulem Patavienſem confirmatus in Patavia Sabbato ante feſtum S. Thomæ Apoſtoli, in craſtino a Domino Matthia Epiſcopo Victricenſi, Suffraganeo Patavienſi munus benedictionis ſuſcepit. Hoc anno Sigismundus Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ & Dalmatiæ Rex coronam Imperii ſuſcepit, jam grandævus annis.

MCCCCXXXIV. Eugenius Papa Quartus Romæ in Eccleſia S. Petri, die S. Hoc anno, in craſtino S. Marci Evangeliſtæ, ſubitum frigus inhorruit, adeo ut nives & glacies viſæ ſint: unde vineta cum vite perierunt.

MCCCCXXXV.

MCCCCXXXVI.

MCCCCXXXVII. Hoc anno moritur in oppido Znaymæ Sigismundus, Romanorum Imperator, Ungariæ, Bohemiæ, Croaciæ Dalmatiæque Rex, natus Comes in Luzelburkch. Aguntur exequiæ per Dominum Georium Epiſcopum Vicenenſem, Catalanum natione, Concilii Baſilienſis ad eundem Oratorem. Capitur poſt ipſius obitum ejus Conthoralis, quæ fuit de ſtirpe Comitum Cileye, per illuſtrem Albertum Quintum Ducem Auſtriæ, generum ſuum. Sepelitur Varadini in ſepulchro Regum Ungariæ ſuorum prædeceſſorum. Eligitur in Regem Ungariæ, Croaciæ & Dalmatiæ præfati Imperatoris gener Dux Albertus prædictus, Elizabethque ejus conthoralis in Reginam unanimi voce omnium & ſingulorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum, Baronum, Nobilium, procerum, militum & militarium Poſonii, diuque & humiliter ſupplicanti-

bus

bus genu flexis, & manibus expansis, dicentibus: Domine, hodie Te in Regem & Dominum nostrum suscipimus, & simili modo Conthoralem Tuam in Reginam & Dominam nostram. Tandem consensit ipsorum petitioni.

MCCCCXXXVIII. Hoc anno, in die Circumcisionis Domini, in collegiata Ecclesia Beatæ Virginis in Alba Regali coronatur sollenniter. Eligitur eodem anno in Regem Boheniæ a Bohemis, Nobilibus, proceribus, militibus & militaribus fidelibus omnium consensu, & a communitatibus, coronatúrque in die S. Petri & Pauli Apostolorum sollenniter in Praga. Eligitur a paucis, & hæreticis ejusdem regni Dux Casimerii [1], frater Regis Poloniæ. Suscitantur lites. Slesia vastatur, hujus occasione per Regem Poloniæ. Fiunt & magna damna in Polonia per Regem Albertum. Vallatur civitas Montis-Thabor per præfatum Regem Albertum, quæ fuit munita Polonis. Prosternuntur gladio multi Poloni & Bohemi per Fridericum Ducem Saxoniæ circa 5000. in recessu ab obsidione Montis-Thabor. Ducuntur Christiani captivi ex Ungaria quasi 70000. a Turcis. Eligitur præfatus Albertus eodem anno, XVIII. Martii, concordissime ab Electoribus Imperii in Romanorum Regem. Consentit electioni de se factæ. mensis May, in Civitate Wiennensi in Ecclesia S. Stephani. Magnum fit ex suæ electionis consensu gaudium toti mundo.

MCCCCXXXIX. Oritur hoc anno magna discordia inter Eugenium Papam Quartum, & Basilense Concilium. Citatur Papa per Concilium, ad excusandum se de criminibus sibi impositis: non comparet, dissolvit Concilium Basilienſe, errigit in Ferraria congregationem sub nomine Generalis Concilii; imo vocati propter Græcorum unionem, propter quam per Concilium Basilienſe magnæ contribuentibus ad ipsorum reductionem fuerunt datæ Indulgentiæ, maximæque factæ expensæ, recusant venire Basileam. Unde fuerunt missæ quatuor galeæ, & una galeota cum 300. balistariis custoditis Constantinopolim. Mittit etiam Papa triremes suas, in quibus veniunt ad Franciam. Continuatur Concilium Basilienſe, proceditur contra Papam, & suspenditur ab administratione Papatus, in spiritualibus & temporalibus. Excommunicat Papa existentes in Basilea, & privat, inhabilitat, exponit prædæ, præmiat eos capientes. Excommunicatur econtra Papa per Concilium Basilienſe, & omnes sibi adhærentes. Glaciale Diluvium prope Krembs peremit animas ferme septuaginta.

MCCCCXL. *Fridericus Romanorum Rex eligitur, filius Ernesti, filii Leopoldi, fratruelis Alberti, cujus linea defecit.*

MCCCCXLI.

MCCCCXLII.

MCCCCXLIII.

MCCCCXLIV.

MCCCCXLV. *Horridum auditu contigit in Ducatu Bavariæ Superioris, & in dominio cujusdam nobilis Kranspurger. Erat malefica pessima, quæ & suæ perfidiæ habens filiam, quam etiam Dæmoni desponsavit, & in quadam sylva nuptiis operam dantes. Demum res nefaria innotuit, quamobrem mater cum filia captivantur, criminantur, fatenturque factum; & filia a Diabolo septies cognitam se fuisse confessa est: ideo ambæ, mater & filia, igni traditæ sunt.*

MCCCCXLVI.

MCCCCXLVII.

MCCCCXLVIII.

MCCCCXLIX.

MCCCCL.

MCCCCLI.

MCCCCLII. Mellicenses ceperunt castrum Weydinek.

MCCCCLIII. Wiennenses collecto forti exercitu, puerum Regem Ladislaum a Cæsare Friderico postulant, & obtinent. Gubernator Ungariæ, Matthiæ Regis genitor, incinerat Austriam, latrocinando undecim villarum & oppidorum solidos.

MCCCCLIV. Forenses pueruli quandam mulierculam vexant nimis subsannando. Ob hoc ad puerulos inquit; Nisi cessaveritis, me mergam. Vix verbo finito, labitur in abyssum.

MCCCCLV. Duæ quippe puellæ in Danubio se balneantes merguntur. Wiennæ centum fere domus igne conflagrantur.

MCCCCLVI. Cometa apparet versus Aquilonem, desuper quasi stellas plurimas habens. Castrum Nandralba in Ungaria a Turcis valide oppugnatur. Crux prædicatur, fitque passagium grande præsente Capistrano. Turci fugiunt, nutu Dei suffragioque pugnatorum. Decapitatur Comes de Cilia per filium gubernatoris: idcirco Ladislaus Rex veniens Budam, homicidam decapitari jubet. Et finito prælio, magna fit pestilentia in Cruciferis. In Walachia Majore Dracul Wayvoda sive Dux fuit, qui tyrannorum tyrannus, demptis pluribus vicibus, una vice transfixit palis 25000. hominum, viros, mulieres ac parvulos, & quamplurima homicidia peregit. Hic incepit anno 1456. & tandem captus, vinculatus, & (quod mirum dictu est) Christianus effectus, restitutus regno a suis interficitur 1463.

MCCCCLVII. Ladislaus Rex metu Ungarorum pergit Wiennam, ducens secum Matthiam fratrem interfecti. Hinc Rex Ladislaus pergit Moraviam: ubi intoxicatus moritur; & Matthias prædictus, Rex Ungariæ creatur. Quidam, dictus Ladwanco, Dux latronum prope Posonium infinita peragit mala.

MCCCCLVIII. Baro quidam, dictus Stephanus Eyczinger, incendiis & rapinis permultis devastat Austriæ patriam. Igitur obsessus in suo castro Tyernstain ab incolis terræ cogitur ad pacem. Maximilianus filius Friderici Imperatoris nascitur.

MCCCCLIX. Dissensio fit inter Imperatorem Fridericum, & Ducem Albertum fratrem ejus, & populus nunc illi, nunc alteri favebat. Prædicti latronum Principis populus in triduo Paschæ a Wiennensibus captus est. Suspenduntur amplius ducenti; cæteri in turribus inedia diu cruciati moriuntur. Ladwanco fuga salva-

[1] ita Cod. MS.

[1] l. Casimirus.

tus Wiennenſibus confœderatur, & in agone ſub utraque ſpecie communicare cupiens, ſub patibulo (ut fertur) tumulatur.

MCCCCLX. Wiennenſibus clamantibus, Dux Albertus forti exercitu Wiennam ingreditur nocte, nemine reſiſtente, valvis ſecuribus apertis: datis [1] pro ſtipendio Clientibus Ypps, fratribus vero de Ungaria vocatis puta quadringentis viris, quibus poſtea præerat Waczla, ſtipendium non dabat. Igitur rapinis & incendiis cruentam aquirunt mercedem.

MCCCCLXI. Fratres prædicti numero & malitia creſcentes, infinitis rapinis ac incendiis provocant diætas & obſidiones; attamen Barones moti pietate, congreſſum non fecere. In Anglia frater cum fratre cruentas diligunt cædes. Pariſius (ut fertur) penè univerſi Studentes jugulantur. Dux Bavariæ Ludowicus Comitem Palatinum primo atque ſecundo ſuperat, pluribus interfectis, etiam nobilibus & Epiſcopis. Dracul proſternit circiter 23000. Turcorum. Idem Dracul anteceſſorem bello necavit. Filius vero illius collecto exercitu pugnat contra Dracul, qui victor exiſtens, Dracul videlicet, pluribus interfectis, ducentos ferme ſedere fecit, per palos: arrepta inſuper de altari tabula, comedit ſub interfectis.

MCCCCLXII. Naburga Clauſtralis Wiennenſibus rebellat, ideo armati eam oppugnant. Militaris quidam, dictus Anckilreither, cum quadraginta viris a tergo veniens Wiennenſes turpiter cædit, ac fugat. Manualem pixidem quidam ſuccendens, caput Magiſtri bombardarum ipſorum amputavit, & truncus longius equo defertur. In Oriente magna regnat peſtilentia. Ruſtici non minus mille ſibimet Capitaneum præponentes, contra fratres ſupra dictos pugnando necantur. Horreum noſtri Monaſterii plenum frumento, ſed & muri tectum lateritium, duo propugnacula, & quoddam ſtabulum flagrant incendio.

MCCCCLXIII. Capitaneus in Weydineck, dictus Lempeck, Emersdorf oppugnat fruſtra, tamen villas quasdam incinerat. Porro ſex pro cuſtodia in itinere prope caſtrum conſtituti, lanceis a Swetenſibus conductis transfiguntur. Seyzenecker Baro ex parte Ducis prædictum caſtrum obſidet, & bombardis maximis oppugnat turrim unam proſternendo. Quod cernens Capitaneus cum fletu effugiendo egreditur. Obtento caſtro jubilatur in foro Mellicenſi, & Rabenſteyner latrunculos clanculo nocte tollere pergunt. Sed ecce! Rabenſteyner pariter facere cupientes, in campo invicem obviantes recenter inſimul pugnant: cæſis adverſariis ad quadraginta, cæteris captis aut fugatis, Capitaneoque ipſorum ſauciato. Holczer Magiſter civium Wiennenſium, Ducem capere nititur; ſed ab eo captus atque proditus, ſuper portas ſuſpenditur, & quatuor famoſi cives decapitantur.

MCCCCLXIV. Duce Alberto in ſua curia intrante, Imperator urbem clam ingrediens intrat caſtrum, ibique erat Imperatrix, & infantulus Maximilianus. Hinc facta ſeditione gra-

[1] *l.* dato.

viſſima caſtrum oppugnatur, & repugnatur, bombardis projectis intus terribiliter & extra; ſicque caſtro largiter diſſipato, & inedia urgente, Imperator in Vigilia Nativitatis Domini egreditur, data dextera. Poſtremo diæta in Newburga Clauſtrali conſtituta, Dux Albertus intoxicatus moritur, & fiunt noviſſima prioribus in patria deteriora.

MCCCCLXV. Fratres (ſic dicti: quia ligam in aliquibus fortalitiis Auſtriæ habebant, homines peſſimi, & latrocinantes) pergunt ad latrocinandum gelidi: quibus occurrunt ex Eccleſiola Viri, proſternuntque ferme ſexaginta hoſtes. Salvati convocant cohortem, & pugnantibus invicem comburitur homo cum Sanctuario. Creſcente lignorum penuria, Mellicenſes armati in quadrageſima non minus octoginta cum curribus & equis atque pannerio pergunt ad ſaltum. Quod fratres hoſtiles, qui pridie Seyzenſtainenſe Monaſterium cepere, minime latuit. Quibus venientibus, noſtri curribus fortiter conſtruxere caſtrum. Tubis ululantibus, fit fere dimidia hora pugna validiſſima. Sed heu! noſtri cæſi, capti atque ſpoliati ſunt, & ex Monaſterio equi peroptimi viginti quatuor abducti. Mortui quippe ſunt in loco tres hinc, & ſex inde. Abundans civis, Abbatis ſororius, plumbeos finxit aureos; & ſcrinium clandeſtine accepit non ſuum. Igitur capitur, torquetur, & recluditur, nec verbum extorquetur. Mane facto mortuus invenitur, in ſaccum traditur, pice oblinitur, & extra Cimiterium tumulatur. Danubius tam magnus erat, ut operiret cunctam Inſulam octo fere diebus; ut arbores ſublimiores per medium vix cernerentur. Tectum turris noſtræ altiſſimum conſtruitur.

MCCCCLXVI. Latrunculi duo a Mellicenſibus capti, in turrem traduntur. Cum eſſent ſartores, ajunt: Ne torpeamus otio, dentur panni veteres ad reſarciendum. Quibus datis, conſuunt funem, forcipe ſolvunt lapidem, & more damulæ humum arantes, noctu per murum auffugiunt e carcere artiſſimo. In Ypps Vir præliator, in cunctis latrociniis proſper, decumbit; & convocans omnes malignos Spiritus, tradidit ſuum. Hujus uxorem noſtræ coquinæ duxit Scriptor. Inter Monaſterium & Danubium hiatu terræ ſaxum devolutum, navem in duas partes ſcidit mirifice. Duodecim Viri ab occidente in navicula venientes, ſalis vaſcula in roſtro collocant quaſi nihil habentes, ſatagebant præterire exactionem in Eberstarff. Quos duo cum armis inſequentes fugere cogunt, & prædam diripientes invenerunt ad 30. millia florenorum. Coronam quondam Regi Ladislao cœlitus factam, Ungariæ Rex redemit ab Imperatore Friderico pretio magno. Anno etiam iſto, in Epiſcopatu Ratisponenſi, in civitate dicta Egra, orta eſt hæreſis peſſima & ſtultiſſima, ex Ordine Fratrum Minorum, id eſt S. Franciſci, qui dicti ſunt de Obſervantia, concitantes plebem contra Clerum, affirmantes publice Papam eſſe Antichriſtum, cenſuras Eccleſiaſticas nichil pendentes, prædicantes & promittentes, anno ſubſecuturo, hoc eſt 1467. ven-

[1] *ita Cod.*

turum

turum Unctum Salvatorem quendam dictum; ut condat in conſummationem tertium Teſtamentum.

MCCCCLXVII. Stephanus Eyczinger Hunnorum Regi navem cum pulveribus & ſagittis in occidente comparatis accipit. Igitur punitur per hoſtiles fratres; ex his, & illis plurimi ruunt. Hinc contra Regem Ungariæ mittuntur, qui prope Poſonium ſæpedicti hoſtiliſſimi fratres regio bello delentur. Crux contra Bohemos prædicatur. Bulla a curia contra eosdem fulminatur, anathematizando cunctos Bohemos, & eorum fautores. Indicitur quoque proceſſio in Auſtria cunctis Eccleſiis & Monaſteriis; Cruciferis ad bellum pergentibus. In Emersdorff hoc accidit: Capitaneus quendam Cruce ſignatum pugno corripit. Accedit a tergo piſtor, & Capitaneum vecte per tempora proſternit. Alius lapidem levans, piſtoris dorſum conterit, & ambo moriuntur, primicerius videlicet & piſtor. Scheck Baro gippus, ſed potens, latrunculis malitia non impar, in Axſtain per Groſſvonecker expugnatus privatur perpetue rebus & dignitate; ita ut miſer vix præbendam habeat, qui prius ſex habebat caſtra. Fulmen ſupra Eccleſiæ portam Mellicenſem lapideum contrivit florem: & poſt puſillum tectum in turri Flemnick concuſſit, parumperque ſuccendit. Pannoniæ Rex Septemcaſtrenſibus dirigit literas, ut more ſolito Ungariæ ſubſint, quas oppilant optimates. Rex ob hoc perſonaliter veniens, & pro tribunali ſedens, potentiſſimos quosque jugulat.

MCCCCLXVIII. Rex Ungariæ contra Bohemos pugnans, quandam opulentam delet civitatem. Erfordiæ in die Pentecoſtes, igne pluente grandi tempeſtate, Aſtronomi urbis ſubverſionem putarunt. Viennæ platea exuritur, & clauſtrum cum Sororibus S. Jeronimi intactum relinquitur. Converſus quidam Bohemus erroris articulos confingens, eosque approbans, ſtans nudis plantis in prunis, aviculas eminus volitantes ad ſe venire cogit, & alia faciendo inſueta. Ob hoc Epiſcopi in partibus Bavariæ & Sueviæ adunati eum examinando incinerant.

MCCCCLXIX. Pannoniæ Rex, Bohemiæ Ducem Victorinum cepit, & ne rebellaret, perpetue proſcripſit. Aquæductus noſtri Monaſterii conſtruitur de monte per medium milliare. Turci abducunt ex Slavonia fere triginta millia hominum.

MCCCCLXX. Rex Pannoniæ bello vehementi premit Bohemos.

MCCCCLXXI. Baro quidam, dictus Pamkircher, contra Regem Ungariæ diu pugnans, cui deinde confœderatus, cum eodem contra Turcos proceſſit: denuo contra Imperatorem & Auſtriam belligerans, Imperialis Majeſtatis Cæſarem Fridericum capere nititur; ſed comprehenſus, cum quodam ſtrenuo milite decapitatur.

MCCCCLXXII. Cometa grandis apparuit in hieme, radios peracutos mittens verſus Occidentem. Zelene Dux Regis Pannoniæ, hoſtis Mellicenſium, per cuneos cum militibus forenſibus pridie ante feſtum Exaltationis S. Crucis appropinquat. Fit ad mortem ſignum terribile, volitant jacula, tonant pavida ſaxa, figunt in monte ſex panneria, ac quadrigas miro ornatu ſiſtunt oppugnantes ac repugnantes, nunc ululant iſti, nunc clamant illi. Tandem incineratur Czagelau, & allodium noſtrum pleniſſimum frumento. Ex hoſtibus amplius ſexaginta jaculis perierunt.

MCCCCLXXIII. Hoc anno in Corona Tranſylvanenſi regni Ungariæ, die Decollationis S. Johannis hora undecima vel quaſi terræmotus factus eſt magnus; ita ut pene omnia domata & fornaces ipſius civitatis, etiam muri pars magna caderet, & putarent homines inſtare diem Judicii. Item per dies quinque ibidem ſeptem terræmotus magni facti ſunt, & per totam Tranſylvaniam ſeu Septemcaſtra, Walachiam Majorem & Minorem, Moldaviam ac Siciliam montes & colles moti ſunt: & fuit terræ motus ille per ſeptem provincias Orientales. Eodem anno & ſequentibus tribus grex magnus & innumerabilis locuſtarum ex Moldavia emerſus, per totam Tranſylvaniam, Ungariam, usque Bohemiam, & in Auſtria usque Lincz multa debachatus eſt. Fuerunt & Regi Ungariæ in Bohemos & Turcos bella multa hoc anno.

MCCCCLXXIV. Hoc anno Imperator Fridericus totum Imperium pervagatus, & magnum adverſus Ducem Burgundiæ bellum cum univerſo Imperio prope Coloniam ante civitatem Newſs, quam idem Dux diu obſederat, habuit, & victor fuit Imperator. Hoc anno Turci maximis copiis effuſi in Moldaviam, per Stephanum Moldavienſem Waywodam, cum aſſiſtentia Septemcaſtrenſium & Siculorum, proſternuntur ultra centum millia in loco, ubi Rex Ludovicus Ungariæ cum ſuis per Turcos quondam proſtratus eſt, in anguſtis & paluſtribus locis. Civitas S. Yppolitum incineratur. Abbas Johannes de Welming obiit: & Ludowicus de Krems ſucceſſit. Ventus prævalidus in feſto S. Petri, qui multa fecit, etiam Eccleſia S. Udalrici Auguſtæ cecidit.

Gracia Domini Patriarchæ Aquilegienſis pro Monaſterio Mellicenſi.

Ego frater Johannes de Megies, alias de Septem caſtris, profeſſus Monachus hujus Venerabilis Monaſterii Mellicenſis, notum facio cum Deo omnibus futuris Monachis hujus Cœnobii, quod anno Domini præſenti, videlicet MCCCCLXXIV. die S. Johannis ante portam Latinam, in civitate Auguſtenſi acceſſi Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Marcum Cardinalem titulo S. Marci Patriarcham Aquilegienſem, & Sedis Apoſtolicæ Legatum a latere, hora Veſperarum, in horto hoſpitii ſui, præſentibus fratre Conrado Cellerario Biblicenſi, ac Blaſio de Biſtricia tunc mihi pro famulo deputato: ſupplicavique jam dicto Reverendiſſimo Patri, quatenus auctoritate legationis ſuæ dignaretur indulgere in Sanctæ Religionis ac obſervantiæ favorem, ut quilibet Abbas Mellicenſis pro futuris perpetuis temporibus

bus posset supervenientes hospites ex aliis irre- A
formatis Monasteriis, qui se in Mellico vellent,
stabilire, absolvere ab omni censura Ecclesiasti-
ca, excommunicationis, Interdicti, &c. siquam
incurrissent, ac cum eisdem dispensare super ir-
regularitatibus contractis Divinis se immiscen-
do; allegans opportune suæ Paternitati incon-
venientiam evagationis Monachorum & perи-
culum, & quia Monachus vagus non medelam
quam quærit, sed sauciationem ampliorem in-
currit; qua utique careret, si absolvendi eum
facultas in Monasterio inveniretur. Adjeci et-
iam, idem emergere ex parte Sæcularium per-
sonarum accurrentium, quæ ob similes causas,
casusque sæpenumero repelluntur, & ad quæ-
que mala præcipites vadunt: quarum profectus
poterat fieri magnus in Monasterio, ut olim sæ-
pe compertum est circa initium observantiæ, B
cum talis facultas ibidem habebatur.

His a me auditis præfatus Reverendissimus
Pater respondit: Placet. Cumque cuperem
illud verbum plane ac plene sine fuco intellige-
re, iterum respondit: Placet, ut hospites super-
venientes de licentia Prælatorum suorum, item-
que sæculares personæ si inveniantur involuti
Ecclesiasticis censuris quibusvis, propter quas
merito Sedes Apostolica esset consulenda, absol-
vantur ab omnibus peccatis & censuris, & insu-
per dispensetur cum ipsis pro semel tantum,
dummodo perpetuo maneant vobiscum, & in-
ciderent in eas citra contemptum; alias nemi-
ni volumus hanc nostram indulgentiam suffra-
gari. Similiter concedimus & fratribus offici-
alibus, qui pro tempore in exterioribus occupa-
ti, formidant se similia passos, & omnibus fratri- C
bus pro nunc existentibus, pro semel duntaxat.
At ego: si ergo, Reverendissime Pater, hodie
uterer vestra gratia hac, & post annum iterum
essem necessarius, num iterum possem uti? Re-
spondit: Non, propterea dixi: Pro semel dun-
taxat, & hoc pro omnibus temporibus. Cum-
que postulassem hanc mihi dari scripto, respon-
dit: Ego non dabo vobis eam in scriptis, quia
ego illam non habeo in scripto, sed Dominus
Sanctissimus Papa, cum mihi ultimam benedi-
ctionem dedit, dixit mihi: Ecce fili, occurrent
tibi mille difficultates, de quibus tibi non pos-
sum specificare per singula: in talibus constituo
te Papam. Hac ergo auctoritate ego propter
favorem sacræ observantiæ do vobis, & sitis con-
tenti coram Deo. Et cum aliquem absolvitis, D
dicatis: Ego te absolvo auctoritate Domini Le-
gati &c. quam dixit se habere ex ore Domini
Papæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti
Amen.

Hanc ex consequenti auctoritatem pro se-
ptem aliis Monasteriis impetravi, videlicet S.
Udalrici in Augusta, Biblingensi, Elchingensi,
Blabewrensi, Larch, Ethenprunn & Thir-
hawpten observantiæ Mellicensis. Cumque
Dominus Abbas S. Udalrici pro se peteret dari
sibi in scriptis, respondit eidem ut & mihi, ad-
dens: Estis Papa super fratres vestros præsentes
& futuros, & omnes Abbates in omnibus casi-
bus, præter regulas Cancellariæ Domini Papæ
Pauli Secundi, quas etiam præcepit nobis dari
ex cancellaria sua infra positas. Hæc auctori-
tas & concessio renovata & replicata est haud
longe post, scilicet eodem anno, tertia feria an-
te Johannis Baptistæ in Biblingen, coram posi-
tis Dominis Abbatibus, videlicet Biblicensi, El-
chinensi, pluribus fratribus ejusdem Biblicensis
Monasterii, & me præsentibus, ubi & declaravit
supra positum verbum, videlicet *citra contem-
ptum*, ut scilicet si ignorans, seductus, aut ex ti-
more, vel quomodolibet ex fragilitate. Si au-
tem diceret quis: Ego scio, quod propter hunc
actum sum excommunicatus &c. nihilominus
volo facere; hic est contemptus, in tali casu no-
lumus cuiquam suffragari hanc nostram aucto-
ritatem. Maxime tamen persuasit, ut cavere-
mus de vagis alienis hospitibus, dicens: quia hoc
quod alibi fecerunt, etiam apud vos facient.
Horum omnium testis est Venerabilis Pater
Martinus de Sängin, Senior nunc nostri Con-
ventus, qui & missus fuit ad præfatum Reveren-
dissimum Patrem pro confirmatione nunc Do-
mini nostri Abbatis Ludowici Schänczel de
Chrembs.

Sequntur nunc Regulæ Cancellariæ Domini
Pauli Papæ Secundi, de quibus supra.

Sanctissimus in Christo Pater & Dominus no-
ster Dominus Paulus Divina providentia Papa
Secundus provide considerans, quod propter
effusas indulgentias, quæ passim de reservatis,
scilicet in vita & in mortis articulo plenariæ
conceduntur, claves Ecclesiæ contemnantur, &
pœnitentialis satisfactio enervetur, & homines
ad peccandum procliviores reddantur; statuit
& ordinavit, quod per quascunque indulgenti-
as in forma devotionis vel alia quavis forma
verborum, a se vel prædecessoribus suis conces-
sas, vel inposterum concedendas, impetrantes
absolvi non possint in casibus infra scriptis: Vi-
delicet offensæ Ecclesiasticæ libertatis, violatio-
nis Interdicti a Sede Apostolica impositi, hære-
sis, cujusvis offensæ inobedientiæ seu rebella-
tionis in Romanum Pontificem seu sedem Apo-
stolicam, Presbytericidii, offensæ personalis in
Episcopum vel alium Prælatum, invasionis, de-
prædationis vel occupationis terrarum Ecclesiæ
Romanæ mediate vel immediate subjectarum,
invasionis Romipetarum, prohibitionis, devo-
lutionis causarum ad Romanam curiam, dela-
tionis armorum vel aliorum prohibitorum ad
partes Infidelium, impositionis novorum one-
rum realium vel personalium Ecclesiis & Eccle-
siarum personis, Simoniæ super ordinibus vel
beneficiis assequendis in Curia Romana con-
tractæ, & generaliter in casibus contentis in Bul-
la, quæ consuevit in Cœna Domini per Roma-
nos Pontifices publicari. Et quoad casus præ-
dictos literæ quæcunque & facultates absolven-
di, vel Confessores eligendi in casibus Sedi Apo-
stolicæ reservatis nemini suffragentur. Insu-
per mandat & statuit Sanctitas sua, ut in omni-
bus literis & Bullis per Cancellariam ad Came-
ram expediendis prædicti casus nominatim ex-
cipiantur, & propterea clausula addatur in fine:
quod si similes literæ fuerint a Sua Sanctitate vel
prædecessoribus suis impetranti concessæ, illæ

nec

nec quoad casus exceptos, nec quoad facultatem sæpius absolvendi in casibus reservatis aliquatenus suffragentur. Lecta & publicata fuit in Cancellaria xx. Februarii, anno Domini MCCCCLXIV. Pontificatus sui anno primo.

MCCCCLXXV. Hoc anno Sixtus Papa Quartus de consensu cætus Cardinalium communem Jubileum fecit, allegans defectum humanæ vitæ; cum esset solum xxv. annus a vero Jubileo præterito, & ordinavit de cætero servari. Sed de partibus Ungariæ nulli; Rheni contra pauci propter bella venere. Judæi in Tridento quendam puerum, Simonem nomine, martyrio coronant, qui & miraculis coruscat. Rex Ungariæ in Turcos mirifice procedens, redit pace facta: cæsis ex utraque parte multis millibus.

MCCCCLXXVI. Hoc anno Serenissimus Saxoniæ Dux Albertus Romam venit in Octava Paschæ, in crastino S. Urbani Martyris mare intravit Venetiis cum cxx. vel circa Dominis, die Johannis Baptistæ Rhodis venit; die Visitationis Mariæ inde movit, in Vigilia S. Laurentii Terram Sanctam appulit, ibidem duabus hebdomadibus moratus est, Sabbato post Michaëlis Venetias rediit, die S. Martini in Mellico comparuit. Hic pro Monasterio Mellicensi, me, qui hæc scripsi, sollicitante, Jubileum impetravit, ut infra patet. Hoc anno Suetenses Ducem Burgundiæ mirabiliter bello affligunt, profligant, & miserabiliter confundunt. Hoc anno Moldaviensis Waywoda Stephanus multos Turcarum die S. Ladislai Regis & occidit, & prostravit in Walachia. Regi Ungariæ filia Neapolitani desponsatur.

Sciendum, quod ego frater Johannes qui supra, anno Domini MCCCCLXXVI, feria secunda ante Philippi & Jacobi, in urbe constitutus impetravi a Sanctissimo Papa Sixto Quarto pro fratribus professis & novitiis, qui tunc supererant, annum Jubilei per Serenissimum Dominum Ducem Saxoniæ Albertum, cui Dominus Sanctissimus Papa & omnibus sibi attinentibus dedit Jubileum vivæ vocis oraculo, sic tamen quod in Urbe existentes quatuor Ecclesias pro semel duntaxat sint visitare obligati; sed pro impetratis per eundem extra curiam constitutis, confessores ipsi habent determinare loca visitanda. Hæc etiam ita habebant annotata in suis itinerariis idem Dux & sui, pridie die S. Martini hic in Mellico constituti, de Jerosolimis redeuntes. Sunt ergo Abbati Mellicensi nominanda quatuor altaria, quæ sibi confitentes visitare habebunt per xxx. dies cum x. Pater noster, cum collecta pro peccatis, pro Papa, *Deus omnium fidelium Pastor &c.* & pro paganis vel infidelibus; *Omnipotens Sempiterne Deus, in cujus manu &c.* cum versiculis ad hoc opportunis. Et debent fratres citius se ad hoc disponere, ne per moram totum perdant. Abbas Ludowicus & sui, primi harum gratiarum.

Anno Domini 1476. in Franconia Germaniæ in rebus Christianis varii motus agitationesque inciderunt. Tympanista quidam, homo simplex, pecorum pastor apud vicum Nyclashausen hæresim suscitavit, instigante eum ad hoc Monacho, edocens, vitam Cleri ignominiosam, telonea non esse solvenda, omnes aquas & nemora omnibus libera & communia esse; ac nonnulla alia nefanda in populo seminans, qui novitate gaudebant, & ea sibi Virginem Mariam enarrasse prædicabat. Undique igitur gentes votis processionaliter peregrinando accurrebant ut vesani; & quodam die visa sunt supra 30000. hominum affluisse. Is a Rudolfo Episcopo Herbipolensi captus, & incineratus est. Post ejus mortem evanuit peregrinatio. Simile anno 1519. factum Ratisponæ.

Canonicus; Monialium Provisor in Neuburga, correptus & incarceratus est. Dum sic agitur, prædictus Canonicus Præpositum cultro per guttur figit cum abominatione, & arrepto Capitanei ferro, ipsum Capitaneum confodit. Quod cernens famulus, Canonicum ligone necat.

MCCCCLXXVII. Maximilianus Augusti filius uxorem ducit Ducissam Burgundiæ Ducis nuper interfecti. Matthias Rex Ungariæ in Austria plures accepit urbes, & multa Kremps obsidione cinxit; sed frustratus est, quoniam viriliter repugnarunt. Viennam Novamque Civitatem in suam deditionem cogere nitebatur: sed pro tunc nichil profecit, licet postea 1485. obtinuerit. Fridericus Imperator fugit, nec se opponebat. Interea duo legati a latere missi pacem fecere, ita ut datis centum millibus talentorum, captivitatem exeundo patriam relinqueret. Exactionem quandam Dux Bo.... habebat in Spitz, & post paucos annos ipso mortuo, solvebatur, & defecit tributum: cujus filius Dux Georius filiam desponsabat Regis Poloniæ; & hic Dux Swenis multa intulit mala in regni sui exordio. *Item Pataviæ Christianus octo particulas Eucharistiæ vendit Judæis, & igni traditur.*

MCCCCLXXVIII. Duo pseudoprophetæ, Ordinis Minorum, Venetias venientes, fictum thema salutis dolo sibi assumebant: Pœnitentiam, inquiunt, agite quoniam appropinquat pestilentia magna: erant enim missi a Soldano, ut, dum populus trepidaret & fugeret, urbs inclita hostilibus pateret incursibus. Quo frustrato, aquæ benedictæ, qua quis se purgat de delictis, immerserunt venenum: qua peste quamplurimi se aspergendo, spiritum exhalabant. Turci magno cum exercitu properantes, circa fines Sclavoniæ & Carinthiæ ad triginta millia hominum vinctos in paganismum abduxerunt. Ad pastorem quendam quædam Virgo ait: Da michi quæso oves tres. Non audeo, inquit; bona Domina, sed cucurrit ad patrem familias: qui annuens, dat, inquit, ei. Ait Domina, capiens unam: aperi eam. Jussa complens, invenit plenam tritico. Rursus: apprehende & aliam, ac aperi eandem. Et hanc intuens, invenit apostematibus plenam. Arripe, inquit Virgo ad pastorem, & tertiam, ac aperiens scinde. Quo facto, exivit ut fluvius cruor. Quod portentum defacto intelligi potest. Accidit denique Florentiæ, ut duo prævaricarentur Cardinales, qui a Florentinis cum ducentis fere fratribus Minoribus sunt patibulo alligati.

MCCCCLXXIX. Hoc anno Veneti treugas perpetuæ pacis cum Imperatore Turcorum compactati sunt, traditis Turcis per eos tribus portubus ac magna pecunia, hoc pacto: ut & ipsi Veneti in Constantinopoli proprium judicem haberent, & libere laborarent per mare cum suis mercaciis. Quod certe factum non initium, sed incrementum & profectus magni mali contra Ecclesiam erit. Septem castrenses prosternunt Turcorum fere 32. millia, in festo Sancti Colomanni.

MCCCCLXXX. Rhodis Insula a Turcis terribiliter oppugnatur, sed mirifice repugnatur, & Deifice protegitur. nam apparuerunt ipsis inimicis Christus Salvator mundi cum benedicta Genitrice sua, & cum Patrono ejusdem loci S. Johanne Baptista, habente in dextera crucem splendidam. Quibus visis, fugiunt hostes, seque trucidant. Canonicus quidam Colonienſis, dictus Hesler, Cardinalis effectus usurpabat, favente sibi Imperatore Friderico, Episcopatum Patavienſem, quanquam Capitulum unum rite elegerit: qui post triennium obiit, patratis multis malis. Abbas Ludowicus obiit: Augustinus successit.

MCCCCLXXXI. Parca plurimos extinxit, juvenes præcipue, & uti pro defunctis sonabant campanæ; sic contra inimicos bombardæ. Inter Fridericum Imperatorem, & Hungariæ Regem Matthiam multa fiebant prælia. Cujus exercitus venit contra Mellicum, sed gratia Dei protecti [1], tantum molendinum incineraverunt. Adultera quædam in strue clavis affixa pro piaculo defluxit usque Wiennam.

MCCCCLXXXII. Populus Austriæ bello prostratus est ab Hungariæ satellitibus prope Mauttiren semel & iterum. Hesler Patavienſis Antistes contractus, & ægrotans moritur: in cujus regione terribilis facta est seditio inter Canonicos & cives, populumque Ducis Georgii. Terræ incolæ in hostes pergentes, prope Sanctum Yppolitum prostrati sunt, plurimis cæsis. Rex Hungariæ Matthias urbem Hamburg prælio cingit: & ex his, & illis plurimi ruunt.

MCCCCLXXXIII. A festo Colomanni usque ad festum Clementis peste subtracti sunt ex Conventu Mellicenſi fratres circiter sex; Augustinus Abbas resignavit Abbatiam: Wolfgangus Prior Axpacenſis, favore Imperatoris postulatus, successit. Episcopus Strigonienſis thesaurum incomparabilem Regi Matthiæ clam surripiens, ad Imperatorem Fridericum confugit, qui mox eundem Archiepiscopum fecit Salzpurgenſem. Patavienſe Capitulum Urbem S. Yppoliti Regi Hungariæ Matthiæ vendidit. Qui concite illic posito Capitaneo [2], inimicitiæ patriæ factæ plurimæ; recuperata vero per Maximilianum patria, pulsi sunt.

MCCCCLXXXIV. Feria secunda, in die S. Annæ inter septimam & octavam factus est terræmotus recens. Prüssing patriæ Præfectus bellicas fabricans naves, implet tritico & milite, ut Wiennenſibus fame laborantibus porrigat alimenta. In Mauttiren oppugnans fortalitium cæditur, capitur & fugatur populus Austriæ. Quædam tamen, quia fatigati sunt viri, littori applicant cruente. In Quadragesima Rex Naburgam forenſem obsidione cingit. Quapropter Barones collecto forti exercitu, hostes fugare nituntur: & commisso bello, in triduo festi Corporis Christi, patriæ populus prostratus, & cives inedia afflicti urbem tradunt in Adventu Domini.

MCCCCLXXXV. Nobilissima Austriæ civitas Wienna obsidione secunda cingitur per Regem Hungariæ Matthiam. Distributis itaque per gyrum militibus, vastantur omnia. Dum urbem acriter impugnant, cives rite repugnant. Angustiati intra mænia jam jamque sollennes iterum atque iterum Imperatori Friderico mittunt nuntios in protectionem urbis; sed minime comparet. Biennio se defendentes, seseque mutua cæde mactantes, tandem cives dexteram dare petunt. Porro deficiente pane viri freti prudentia, se Regi tradentes, in sacra vigilia Corporis Christi triumphantem cum gloria susceperunt. Non multo post tres potentissimi cives in pace moriuntur. Maximilianus Dux Burgundiæ urbem Flandrenſem, Gentt nomine, quadam astutia cepit, interfectis nobilibus plurimis. Die 16. hora quarta mensis Martii fuit eclypsis Solis plena.

MCCCCLXXXVI. Hinc novam Civitatem Rex obsidione fatigat, qui ingressum urbis ruminando, in cominus accedit incautius. Septingenti quippe viri ex urbe erumpentes, Regem sauciando cum suis fugere compellunt, captis quamplurimis. Quapropter exercitus divertit, civitatem Egenburgam expugnando. Positis in gyro bombardis, unus nobilem Comitem percussit in latere Regis, qui stabat eminus finem præstolatus, tandem se urbs dedidit Regi. Maximilianus Burgundiæ Dux, filius Friderici Tertii Imperatoris, multis stipatus nobilibus, ab Electoribus solenniter eligitur in Regem Romanorum. 17. Martii fuit eclypsis, novem habens puncta. Grubenstain cum satellitibus in subsidium patriæ missus, a populo Regis Hungariæ Matthiæ subvertitur; sicque factum est, ut hostis exterminaret hostem.

MCCCCLXXXVII. Anno revoluto, fortiori exercitu Novam Rex obsidet Civitatem. Fiunt machinæ, jaciuntur, grandia saxa, nunc e plano, jam jamque ab alto. Franguntur turres, diruuntur mænia, lacerantur domus, nec requies datur per triennium. Per gyrum figuntur sepes, confortantur aggeres, & erumpentes in invicem, fiunt non modicæ hominum cædes. Cives scribunt, nunciant, insinuant Friderico Imperatori circa Coloniam existenti, ut suis urbique subveniat; sed non est factum. Post inclitam itaque defensionem ad inediam devenientes cives, ita ut in Paschali solennitate offam exiguam amplexantes sese refocillarent; postremo hi ut alii se suaque Regiæ potestati in vigilia S. Laurentii subdidere. Rex Romanorum per Flandrenses in Pruck datis clavibus dolo capitur. Itaque pater collecto forti exercitu ipsum liberat, facta non modica strage utriusque populi.

MCCCCLXXXVIII.

[1] ita Cod. [2] ita Cod.

MCCCCLXXXVIII. Ad generum porro Neapolitani Regis quadringenti viri honoris gratia ad Hungariæ Regem scilicet Matthiam regni Principem, Wiennam devenerunt. Ex his nonnulli curiosa sectantes, Alchicam minzam cupide cudere satagebant, focos (ut assolet) ad prunas succendentes. His visis, ait paterfamilias: O viri, vere urbem incendetis. At illi parvipendentes monita salutis, ac insatiabili operi insudantes, diversorium incinerant, ac ferme centum domos in gyro: turrem quoque Scotorum cum maxima & nobilissima campana flamma dissolvit.

MCCCCLXXXIX. Accidit in solennitate Paschali, dum sacra Mysteria tractarentur ad S. Udalricum quasi stadium extra Urbem Wiennensem, & maxima pars civitatis adesset; subito ecce! circa altum forum Wiennæ vorax excrescit incendium. Mox accurrunt, fundunt, lacerant, tandem domicilia cum rebus cinerem aspiciunt, parte altera singultus gementes. Pistor quidam pridie, quo lagana lætitiæ assolent præcoqui a cunctis, rogum clibani segniter sopivit, & viso damno effugit, periere fere domus ducentæ.

MCCCCXC. Hoc anno Danubius evagans alveos suos, & narratio antiquorum hoc protulit, quia in 56. annis præteritis talis inundatio Danubii non extiterat. Eodem anno Rex Hungariæ Matthias miserabiliter Wiennæ extinctus est: & quorsum eius corpus pervenerit, ignoratur. Eodem anno Maximilianus Rex Romanorum, congregato non modico exercitu, cepit Wiennam, Novam civitatem, aliasque civitates adjacentes, paucis demptis, videlicet Newburgensi foro, Egenburgk, Retz, Lach. Deinde profectus in Hungariam, cepit opulentissimam civitatem Stullenweissenburgk, & oppida, castraque quamplurima. Denique hoc anno præfatus Rex Romanorum omnes possessiones Monasterii nostri ablatas per Hungarum Matthiam noviter defunctum, restituit. *Hoc anno* 1490. *Jubileus per totam Alamanniam fuit celebratus cum plenariis Indulgentiis.*

MCCCCXCI. Igitur Matthia Rege prædicto defuncto, prius habito conflictu cum Walachis, ubi fere totum perdidit exercitum, demum tribus cruentis pugnis habitis cum Turcis, hinc cum Bohemis, & tandem contra Fridericum certando, & parte potiori Austriæ obtenta, Nothus antefacti Regis regnare cupiens, ad Albam Regalem (quæ alio nomine dicitur Sedes Regalis) se contulit vallatus armigeris. Erat enim tunc patria divisa; pars enim illum; altera alium petebat Regem; sicque factum est, ut filius Regis Poloniæ Bladislaus coronatus Budæ regnaret. Interea Stephanus Gubernator, timens Teutonicis regnum evenire futurum [1], Regis filium urbe expulit: erat enim claudus, & natus de ancilla Austriæ, urbis Stainensis, qui postea Dux est effectus Lindensis in finibus Hungariæ infra Sclavoniam, noctuque dieque certans cum paganis. Porro hunc Gubernatorem, secundum a Rege, Romanorum Rex expugnat: & dante [2] in Castris decreto, Saccman urbem expoliat, Stephano clam Budam fugiente. Tractatur de concordia, & collocato præsidio, exercitus ad propria pergit.

MCCCCXCII. Fridericus Tertius Romanorum Imperator Maximus, dum Katholicam plebem multa gubernasset benignitate annis fere 53. infirmatus tandem pedibus ac senio, per Medicos semel & iterum crure resecto, vita functus est [1] in Lincz, in Octava Assumptionis Mariæ: ab inde Wiennam magna ductus cum solennitate est, ac sepultus in templo S. Stephani, superposito saxo mirifico. Fundator extitit duorum Monasteriorum, ac Episcopatus Novæ Civitatis, ac aliorum beneficiorum, permultas passus oblocutiones: quia plurimis annis latrunculos in Austria dissimulavit, & exactionibus gravavit. In Turcum nichil egit, regni vero hostes aut gladio, aut patientia cunctos superavit. Hortulis usus est uti deliciis.

Eodem tempore Turci gravi bello infra Sclavoniam in Christianos appropinquant, quibus occurrere mandat Rex Maximilianus; associatis validis Principibus, duobus millibus Urbium Imperialium. His aggressus, ruit Turcus: & auro viso in corporibus extinctis obrizo, cupidine cæcati dividunt spolia. Quid multa? Mox Turcorum pars reliqua irruit in improvidos, & cæsis heu! sex Christianorum millibus, & capitibus in acumen positis, vinctos abducunt cum præda pagani.

MCCCCXCIII Erant vecordes quinque circiter ventri servientes, qui scrinium firme fabrefactum, ab occidente navigio Krembs urbi applicuere, exquisitum ditissimumque intrantes diversorium. Præeligunt ex his unum, scrinio obserant, & ad divitiarum cameram collocare obsecrant, & ad patremfamilias ajunt, fraudes molientes: Petimus, inquiunt, obnixius hunc thesaurum, quem Hungariæ Majestati ocyus præsentari oportet, sollicitius recludere. Adjiciuntque: Paretur nobis quoque convivium pinguissimum; assumus, & possumus exsolvere plenissime: afferantur & pocula aurea, ut tota nocte jubilemus, edentes & bibentes. Quid plura? ad conjugem inquit maritus: affer quantocyus aurea picheria ex camera præscripta. Ingressa fœmina sibilum suspicatur parvulum, & tremula currens hæc nuntiat marito: qui mox clam misit ad Judicem, ut veniat celerius. Veniens itaque cum ministris armatus Judex, maleficos examinat, & repertis callidissimis insidiis, reos animadverti jubet. Et pene consimile factum est anno præcedente in Spitz, & in Schewbs, hoc excepto, quod direptis rebus protinus auffugerunt.

MCCCCXCIV. Hungaria tributaria jam effecta, latrunculi ab exercitu sejuncti circiter mille, tres tyrannos sibimet pro Ducibus præeligunt. Fabricant firmissima fortalitia, & longe lateque rapinis satiant. Mandant Romani Principes, ut e patria pergant. At illi turgidi parvipendunt salutis imperia, & ajunt: Dentur nobis debita nostra, & recedemus; sed in dolo populum pro ære deludere, ut sæpius compertum est, cupientes. Ascendit ex adverso

[1] *ita Cod.* [2] *pro* dato.

[1] *In margine alia coæva manus sic habet:* Obiit anno 1493.

triplum contra ſimplum; fit vehemens pugna, A hinc & inde ruunt mortales; & hoſtes ſuperati ſexcenti, vincti, & inedia dire cruciati, cuncti plurimis patibulis per urbes ſunt annexi, quadringentis fuga elapſis in certamine. Advenerat tempus, quo quidam e turri ad furcas ducerentur. Inter quos vir erat paulum vinculis ſolutus, finemque cernens terribilem, turrim altius ſcandit, & tranſiliendo deorſum in confertam plebem ſe præcipitem dedit. Hoc facto, hominem quem ſaltu preſſerat, extinxit, & ipſe ſalvus per turbam protinus auffugit.

MCCCCXCV. Hoc anno lues inguinaria cruentiſſima toto ſæviens orbe ſternit mortales, & ubi incipiebat, durabat menſibus tribus. Urbe qua regnabat, primo & tertio menſe rarius, medio vero graſſatur acerbius, & annis his in tribus conſimiliter. Et nunc hic, jam alibi B ſæviebat, & ſiquem pertranſiſſet locum, poſt aliquod tempus ad convicinas repedabat percutiendo urbes. Et adimpleta videtur Apocalypſis prophetia octavo & nono capitulis: quia *Angelus partem tertiam occideret hominum.* Et menſe Auguſto lues ſæviebat in Mellico, tulitque e viventium medio ſedecim perſonarum ſolidos univerſæ juventutis. Ante hunc annum maxima erat ſylveſtrium animalium mortalitas, præſagium futurorum.

Anno Domini 1495. Rex Franciæ armata militia limina petiit Apoſtolorum Petri & Pauli, in cujus exercitu horribilis & inſueta peſtis eſt orta, vocabulo *Malafrances*, alio nomine böß Blatern, und ſembt der Glider. Hæc ſordidiſſima ſcabies ex omni corporis erumpebat parte, tam in viris, quam in fœminis; quam quidam plus, alii habebant minus; aliqui per annum, C nonnulli per amplius, & multi ſunt extincti. Medici peritiſſimi ſanitatis antidotum præſtare dubitarunt; Chirurgi vero balneis atque unguentis multorum erant ſolatium. Cumque lues hæc multarum terrarum pertranſiſſet fines; hoc in anno, & præcedenti in Auſtrali regnabat plaga. Prope Crembs vineæ quidam cultor intra vites fontem reperit aquæ limpidiſſimæ, & eo luſtrato, inventum eſt peſti præfatæ antitodum fore commodiſſimum. Quapropter concurſus erat populi vehemens, vendebatur [1] pecunia ut balſamum. Quo viſo, fabricata eſt ſtatua, & innumerabilis coacervata eſt pecunia: & cupiditate orta, Patavienſis Præſul ſibi adſcribebat, Rex vero ſibi hanc offerri D mandabat.

MCCCCXCVI. Mortuo Rege Hungariæ Matthia, a Baronibus in Regem eligitur filius Poloniæ Regis, & regnabat ſuper duo regna, Pannoniæ videlicet, & Boliemiæ. Inter eundem, & ejus germanum plurima fiebant bella. Miſera gens Judaica, inveteratis crebreſcentibus culpis, e ſedibus ſuis eſt repulſa, in Grecz, Buda, & Nova videlicet Civitate: in qua quoque ex Synagoga facta eſt Eccleſia Trinitatis. Rex Maximilianus filiam Ducis Mediolani ſibi matrimonio copulat, quæ inventa eſt ſterilis. Erat Florentiæ Prædicator ſollennis, ſalutem populi quæritans. Hic Catholicæ fidei quatuor potentioribus ſcripſit. Regibus pro Synodo congreganda. Quadam vice prædicandi ſe dederat materia, dicens, ſe raptum in Paradiſum, ibique ſcientiam hauſiſſe ſuam. Quamobrem ſuſpectus ab æmulis eſt habitus, & coram Apoſtolico accuſatus. Qui mox ad curiam citatus comparere renuit, dicens, in invidia auctoritatem fore nullam. Propterea a ſummo Pontifice excommunicatur, atque incendio traditur. Erat quoque & alius de Ordine Minorum mirabilis. Is ſcribebat, legebat, vites plantabat, prædicabat, comedebat & bibebat dormiendo. Cumque eundem quis in latus ejus paululum excitando pulſaſſet; ſe dire in corde fatebatur fuiſſe læſum.

MCCCCXCVII. Wolfgangus Abbas Mellicenſis obiit: cui ſucceſſit Johannes de Ciſtersdorff, pro tunc Monaſterii Cellerarius. Rex Poloniæ collecto exercitu pergit in Walachos, traditor vero hoc clam nuntiat Walacho: qui mox armata militia ſtat obvius. Prætereunt Poloni, nichil mali ſuſpicantes: & ſubito in hoſtes irruentes, proſternunt Polonorum multa millia. Quid plura? jurat Polonus, ſe velle vindicare. Quapropter Walachi in fines Poloniæ pervenientes, decem obtinent civitates..... populum abducunt vinctum. In Sancto Yppolito mater cum filia, juvante amaſio, maritum dolo ſuſpendunt in lecto, & comprehenſæ vivæ tumulantur, adultero elapſo.

MCCCCXCVIII. Eſt villa, Forciliw dicta, prope Novam Civitatem. In hac quædam maritata extitit juvencula, quæ patibulum præteriens, fœtum abortivum parturiit quaſi funecollo circumligato, ex ſuſpenſo, quem cernebat, latrone. Rurſus fœmina transmigrans, Salvatoris contemplatur effigiem lapideam in ſtatu, quomodo orabat ad Patrem in Monte oliveti. Infans igitur natus, orantis palmas erectas gerebat ſimili ratione. Tertio quoque (quod mirabilius apparuit) Epiſcopus ibidem Eccleſiam reconcilians, in Pontificalibus (ut moris eſt) proceſſit. Quædam diligentius intuita, præ novitate eſt admirata; facta igitur gravida, genuit puerulum quaſi Pontificalibus adornatum, capite coronato ad modum infulæ. Rex Romanorum bellando contra Regem Franciæ, vulnerati ceciderunt multi. Hinc ortum eſt bellum cruentum inter Swetenſes, & Civitates Imperiales. Congreſſi itaque dietim per cuneos tantum, ubi triumpho potito forte, fortior necavit vivaciſſimum.

MCCCCXCIX. Tantam muſtorum fertilitatem vineæ florentes dederunt, quod nulla ſufficiebant vaſcula ad condendum, ſed omnis juxta vaticinium implebatur vino laguncula. Vaſculis deficientibus, trabes tabulis compactæ, pro muſto ſtubæ vulgo ſunt conſtructæ, repagulis mirifice in cellariis quoque præmunitæ, quarum habebamus tres; verum intus vinum valore non erat diuturnum. Noſtro pro Monaſterio vaſorum numerus præ numero ac inæqualitate haud facile ſciri poterat. Pro adductione etiam, abſque ulla exactione, data ſunt nongenta talenta. Porro vini collectores atque portitores magnum exigebant pretium, noctuque die-

que

[1] *Supple* aqua.

que laborantes cum nivibus. Dixit quidam, ad partes ſuperiores a vindemia usque ad Pentecoſten ducta fuiſſe 27. millia vaſorum. Octava vini dabatur pro duobus numis anno integro; Inframontana vero pro numo uno. Plerique ergo abutentes biberunt ad interitum, quorum unus hic in curia cum beſtiis nocte inventus eſt.

MD. Annus Jubilæus fit Romanæ curiæ. Patavienſis Præſul Chriſtophorus moritur: & quidam, cognomine Fröſſil, ſuccedit eidem. Albertus Bavariæ Dux, Maximiliani ſororius, largum cupit mutuum: quo vexati Abbas in Tegernſee, & Ebersperg curam paſtoralem reſignarunt. Abbas Scotorum a fratribus accuſatus, crebrius viſitatus tandem deponitur, data pro penſu parochia: cui ſucceſſit Placidus, Salzburgenſis Cœnobii Cellerarius. Hic lactucam novellam comedens, tertia poſt Paſcha die moritur. Porro Conventuales Scotenſes mox habiti ſunt ſuſpecti, propter crebra anteceſſoris prioris jurgia, ſi fortaſſis veneno eundem privaſſent vita. Ob id Wiennenſis Epiſcopus Medicis mandat rei explorare veritatem. Qui eum in fruſta concidentes, paululum invenere lactucæ, nichil tamen de toxico. Jam excuſati, iterum oritur ſuſpicio. Frater quidam cum Placido prædicto veniens, præ ſtupore facti moritur: quem quoque ut præfatum membratim dividentes ſpeculabantur, ſi ſaltem in illo factum intoxicationis dolum reperirent. Sed neque in illo veneni quid, ut putabatur, repertum eſt; ſicque Conventus ab anguſtia liberatus eſt extrema. Huic Placido Abbas Johannes de Sleſia ſucceſſit. Quidam peſtifer ac piſtor hoſpitium petit Wiennæ apud civem atque piſtorem, qui charitate refectus, dolum oſtendit latentem. Arrepta igitur grandi ſecuri, noctu cunctos necavit horrende, perſonas videlicet quinque, nec doluit, nec timuit pro interempta ancillula parvula. Callidus elapſus, & multa pecunia per provincias requiſitus, & inventus variis deputatus eſt ſupplíciis. Primo pœnis examinatur, hinc per plateas trahitur, deinde oſſibus rota confractis, poſtremo per ſudem transfixus, & (quod dictu mirabile eſt) aliquantulum ſupervixit. Porro præfati ſocius cauſæ penitus neſcius, per portam eidem ſalvum præſtabat conductum. Qui, antequam ſceleſtus fuerat inventus, hic tentus, per chordas tractus, dilaceratus, & in examine rei totaliter inutilis eſt effectus. Sed poſt criminoſi deprehenſionem, teſtimonium ferentis, tributa eſt illi præbenda perpetua. Turci abſtulerunt Venetis præliando Inſulam Candiam, & quandam aliam. In parte Aquilonari circa menſem Aprilem Cometa apparuit radiis ſubobſcuris, quos directe verſus meridiem direxit. Dux Saxoniæ Albertus obiit. Quædam Virgo in Yps a patrefamilias in diverſorio ſerviens exaſperata, flamma ultionis ſuccenſa, cum iracundia Danubium inſiliens, cunctis videntibus ſe extinxit mergendo.

MDI. Hoc anno maxima fuit aquarum inundatio, in vigilia Aſſumptionis Mariæ inchoans, & duraus fere per dies decem. Hujuſcemodi gurgitis abundantia in centum annis vix viſa fuit, ſimilis, quod teſtatur fœmina forenſis centum & ſeptem ætatis habens annos. Frumentum ac fœnum a quibusdam reconditum Iſtro periit, in agris jam ſecatum pluvia computruit. Per cunctas urbium oppidorumque juxta Danubium [1] ſic largiter gurges aquarum tranſiit, ut navigabiles exiſterent. Domos funditus evertit, duas cum familia Mellicum prætereundo verſus Orientem aſportavit. Prata atque pomeria veſtit arena, arboresque dejecit, & vineas eradicavit, integra cum horreis ſtabula, omnisque generis ſupellectilis ſubſtantia defluxit noctuque dieque. Magna denique oppida cum villis in tantum debachatus eſt Danubius, ut unam domum vix vidiſſes integram. Pars una populi ridebat, pars altera flebat. Hic, & in partibus Bohemiæ innumeris ruptis lacunis, noctu pars magna periit hominum; & facti ſunt, juxta Habacuc vaticinium, homines velut piſces maris. Porro juxta littus abyſſus funiculo menſa, ulnas habebat pannificas in altitudine quatuordecim cum palmo ultra conſuetum curſum. In Eccleſiam quoque Beatæ Virginis forenſem gurges aquarum introiens, cubitum unum ultra altaria per idem tempus ſtabat, & ſedes cum tumulis ſubvertendo: tabulas deauratas navigio portam templi ingreſſi viri, ne latice conſumerentur, aſportabant: nec eſt definiendi numerus torrentis ſævientis, nec ſcribendi copia.

MDII. Doctor quidam juris, cognomento Waldner, Vir ſenex & grandævus, Imperatoris & Regis Conſiliarius, crimen quoddam læſæ majeſtatis ſibi imponi timens, ut ſuſpicabatur, a Satana circumventus funem feneſtræ cubiculi ſui innectens, Wiennæ ſeſe ſtrangulando peremit. Comes palatinus, & Brandeburgenſis cum Nuernbergenſibus inopinate confligentes plurimos mactant. Rex Hungariæ & Bohemiæ Ladislaus, Vir profectæ ætatis, nuptias celebrat. Eclypſis Solis punctis decem die S. Ægidii cernitur.

MDIII. Signa & ſtigmata Paſſionis Chriſti in Lideringen prope Rotwel ſitum, ad nudum corpus cujusdam Margarethæ Virginis quindecim annorum ceciderunt, & inter cætera coronam ſpineam habens in capite, & a nigra cruce plus quam a rubeis; & reliquis Paſſionis Chriſti ſignis tormentata.

MDIV. Hungaria prius Maximiliano Imperatori tributaria facta, ſemel vel bis tributum ſolvit, poſtea reddere recuſavit. Quapropter iterum in Hungariam diſponitur apparatus, ubi & Mellicenſes viginti equites, duosque currus habuerunt: & econtra armati apparuere & Hungari. Sed Ladislaus Hungariæ Rex, pacis amator, legationem mittit, rogans quæ pacis erant: quam & Maximilianus Cæſar multitudine adverſariorum turbatus, hujus rei dilationem annuit fieri, & Regium nomen Ungariæ perſeveraret Maximiliano Archiduci Auſtriæ. Fuit & in Mellico tunc temporis, deditque Conventui pro eſu carnium ſex aureos.

MDV. Hæc noſtra Bibliotheca olim arta mi-

[1] *deſt aliquid in Cod.*

nusque lucida fuit. Quapropter Dominus Johannes tunc temporis Abbas in reformatione nonus, ad ampliandum & elucidandum exordium sumpsit: & tandem per Dominum Sigismundum in reformatione decimum, cui major & sumptuosior pars dimissa est restauranda, [1]; quod & fecit, ut patet intuenti porro in albo & rubro pavimento, cujus fuerat quantitatis antea. Affuerunt denique fratrum Conventualium manus adjutrices, quatenus cœptum jam opus eisdem commodius haberetur paratum.

MDVI. Apud Novum Clausturburgum die Dominica ante Julianæ Virginis, quæ erat Dominica Sexagesimæ, Translatio Sancti Leopoldi Principis Austriæ cum magna gloria celebratur: præsente Romanorum Rege Maximiliano, atque Archiepiscopo Salczeburgensi, & Episcopis Patavienſi, ac Libonienſi cum reliquis Prælatis infulatis circiter 27. Hunc nimirum Leopoldum jam dudum Innocentius Octavus anno scilicet Christi 1485. Catalogo Sanctorum canonizatione legitima adscripserat, qui & obierat anno 1136, jacuitque clarus miraculis in sepulchro annis circiter 370.

MDVII.

MDVIII. Circa festum S. Jacobi fuit diluvium particulare Danubii omniumque fluviorum Austriæ, maxima ex inundatione imbrium atque pluviarum copia, ita quod Danubii aquæ insulam ex opposito Monasterii nostri transcenderent, eaque altiores sex cubitis virilis manus fierent: ex qua inundatione damna contigerunt infinita in Austria. Nam piscinæ plurimæ versus Bohemiæ partes ruptæ sunt, homines ingurgitantes, muros ac ædificia perantiqua atq; fortissima destruentes, arboresque magnas & proceras funditus eradicantes, fundosque peroptimos hortorum & vinearum omnino defentes alluvione prævalida. Unde & in ipsa S. Jacobi nocte horam circa secundam; finitis jam matutinis, piscina nostra inter Pöverding & Schratenpruk ante duos annos reparata (inutiliter tamen: quia fundus ipse aquam non continet, hac tamen nocte ex ingenti pluvia repleta) rupta est cum impetu maximo & sonitu, per villam Schratenpruk versus, & per forum nostrum Melk fluens damna fecit inæstimabilia. Porro licet animalia submerserit plurima, ædificiaque destruxerit aliqua, & blada in horreis ac campis annullaverit non pauca; gratia tamen Dei homines omnes, licet aliqui nudi, evaserunt. Eodem insuper anno, paucis elapsis diebus, cum dictum jam diluvium totaliter defluxisset, aquarumque copia evanuisset, atque omnia prius neglecta instanter perficerentur, blada colligerentur ac exsiccarentur, diruta quoque laboriose restaurarentur & sollicite; subito iterum circa festum S. Laurentii pluviæ vehementissimæ desuper erumpentes, paulo minorem omnium fluviorum & maxime Danubii inundantiam effecerunt aquarum: ex qua non minora, sed majora (ut creditur) quam ex priore secuta sunt damna. Et quanquam nulla earum tanta fuerit, ut ea, de qua supra 1501. dicitur; tamen quia statim se mutuo sequebantur; diutiusque durabant, majora sine dubio intulerunt toti patriæ Austriæ damna.

MDIX.

MDX. Viennæ scortum quoddam solebat se quotidie fucare, & speculum intueri. Quatandem ægrotante, ad se reversa, dolens se deinceps præcavere. Attamen sana jam facta, protinus ad pristinos rediit actus. Contigit autem, ut stans ante specular, affuit & Diabolus, & miseræ caput retro vertit miserrime: quæ facta est sicut carbo, & nigra expiravit.

MDXI. In Hungaria quidam miles strenuus, nomine Georgius Zecl, contra Turcas prosperatus est. Quare coacervavit & sibi cohortem Hungarorum, volens ad Turciam proficisci. Interea sibi associabatur exercitus 30000. vel plus, expediti ad præliandum contra Turcas. Nec defuit Satan inter eos, quoniam & de ipsis insurrexerunt latrunculi, in Hungaria vagabundi sparsim devastantes ibidem, priusquam terminos intrarent Turcarum. Quod & molestè Hungarorum Rex, & sui ferentes, tandem concitati, ut ipsi Hungari expugnarent Hungaros. Quod & factum est, & ex his, & istis corruentes gladio. Et eundem Zecl sui complices dentibus dilacerare compulsi sunt, atque eidem, quem sibi Regem erexerant, ferrea corona fortiter ignita ejus capiti imposita, vita functus est.

MDXII. Conflagrationes ignium per totam Austriam, & partes vicinas factæ sunt maximæ & repentinæ, villarum, oppidorum, castrorum, civitatum, Monasteriorum & Ecclesiarum, ita ut & Sacramentum Eucharistiæ, ac Reliquias Sanctorum ignis absumeret: procurantibus nescio quibus pessimis & vagis hominibus, quorum multi capti, igneque & ipsi consumpti sunt. Civitas denique Hyppolitensis exusta est.

MDXIII. In vigilia Octavæ Epiphaniæ Domini tempestas exorta est prævalida: ubi ignis, grando, pluviæ, ventus, fulmina, tonitrua permaxima, quod nemo audebat extra tectum egredi. Item eodem anno Danubius in tantum congelatus, ut homines, & equites, currus, plaustra onusta liberum processum habuere. Itemque nostra Cisterna ita est congelata, ut nec aquam haurire quisquam potuit.

MDXIV. Legatus Summi Pontificis Leonis Decimi ad perlustrandas Germanorum aliarumque provinciarum bibliothecas destinatus est, & ad nostrum Cœnobium applicans, certos libros scitu dignos secum auferre voluit, ad lucem quatenus devenirent populi Christianorum. Dominus autem Abbas suæ non esse potestatis sine scitu Principis alienare libros [1], tandem indignans recessit vacuus.

MDXV. Congressus ac celeberrimi conventus Cæsaris Maximiliani Archiducis Austriæ, & trium Regum, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ in Vienna ad laudem Dei, nec non ad incrementum & conservationem totius Reipublicæ, & præcipue regnorum, & subditorum suorum. Qui inter se inierunt, contractarunt, concluseruntque veram & inviolabilem amicitiam & confœderationem perpetuo duratu-

[1] *Supple* perfecta est.

[1] *Supple* respondit.

ram;

ram: itemque novam affinitatem & connubium inter ſe, ac nepotes, & liberos eorum contraxere, ſicut alio in libro, latine & vulgariter, clarius habetur. Aderant quoque & duæ Reginæ, Anna videlicet, & Maria, de quibus infra anno 1520.

MDXVI. Turris noſtra octava die menſis May fulminata, atque cum ſex campanis & horologio exuſta eſt: & eodem anno per Sigismundum Abbatem cum magna campana & ſex aliis de novo reparata. Cujus autem quantitatis & valoris ſint, vide in cedula hic poſita:

Prima major habet LXIX. centenarios, & LXX. talenta.
Secunda habet XXXIV. cent. & XXV. tal.
Tertia habet XVII. cent. & XXXII. tal.
Quarta habet X. cent. & XXXII. tal.
Quinta habet V. cent. & XV. tal.
Sexta habet III. cent. & XXVI. tal.
Septima habet I. cent. & LX. tal.

Item centum per XI. floren.

Item Maximilianus Cæſar in noſtro fuit clauſtro, deditque Conventui unum bovem comedendum. Duæ Reginæ Virgines, Anna videlicet filia Regis Hungariæ, & Maria filia Regis Hiſpaniæ ad Monaſterium Mellicenſe veniunt, & per tres dies in eodem loco quieverunt, cum magno apparatu Curialium, & Virginum pediſequarum, & in die S. Andreæ Apoſtoli Reginæ inter Miſſarum ſollennia obtulerunt duos aureos.

MDXVII. Septem fratres, Ordinis Prædicatorum, Æthiopes de India Majori fuerunt apud nos, & unus eorum legit miſſam ad unam horam, more & lingua Chaldæorum. Maximilianus Imperator fuit hic Andreæ Apoſtoli, & plura Monaſterio dare donaria, præcipue Caput Sancti Colomanni (quod eſt in Alba Regali Hungariæ illuc tempore guerrarum deductum, & eidem a majoribus remittere polliciti ſunt) de Hungaria Mellicum [1]: prætendit & ſe renovaturum Sancti Colomanni ſepulchrum, denique & Sal atque pixides augere voluit. Sed impia mors nulli parcens, eum de medio tulit, & poſt ſe nepotes, Karolum & Ferdinandum, ſuæ poſteritatis reliquit hæredes.

MDXVIII. Martinus Luter, Ordinis Eremitarum, S. Auguſtini. Hic Jus Canonicum comburens, ritusque Eccleſiaſticos, & alia nichili pendens. Quamobrem in Germania tumultus fit Germanorum, & inquietudo ſubditorum ad ſuperiores ſuos: & fit ſcisma Lutheranorum & Papiſtarum, Luthero ſomniante, ſolam fidem Chriſti ſufficere ad ſalutem. A Leone Papa excommunicatur; ab Imperatore per mandatum hæreticus proclamatur, denique & in Saxonia ſeducitur populus. Vitulus naſcitur cucullatus, fiuntque multa populi mala, & ſectæ hæreticorum in Eccleſia, & apoſtatæ a Religione ſexus utriusque, Ordinem & habitum proicientes, & fidem priſtinam Catholicam facientes irritam.

MDXIX. Maximilianus Imperator Archidux Auſtriæ, feria quinta infra Octavam Epiphaniæ Domini, obiit in Wels, deinde transferendo eundem verſus Viennam venerunt Mellicum cum funere. Eapropter Abbas cum Conventu proceſſionaliter ultra portam fori obviaverunt. Deinde ad Beatæ Virginis delatum eſt funus, & ibidem exequiis vigiliarum peractis, reverſi ſunt ad Cœnobium. Et de mane iterum Abbas cum miniſtris altaris ad cantandum officium Defunctorum deſcendit. Mirabilis peregrinatio Ratisponæ ad Virginem Mariam (nam ibi erat primitus Judæorum Synagoga, quibus inde expulſis, fabricatur ibidem Dei Genitrici Eccleſia), ad quam neſcio quo ſpiritu zelati currunt magni & parvi; & quidquid pro tunc laboris habentes in manibus, ſecum nonnulli illic deferebant.

MDXX. Ferdinandus Maximiliani Imperatoris nepos nuptias celebrat in Lincz, ducens Annam in conjugem, filiam Ladislai Regis Hungariæ: & e converſo Maria Soror Ferdinandi, Hiſpaniæ Regis filia nupſit Ludowico adoleſcenti Regi Hungariæ & Bohemiæ. Item eodem anno tres ſoles, & alia quoque prodigialia cæli Viennæ viſa ſunt. Inſuper & inundantia aquarum in tantum fuit, ut ciſterna noſtra aquis exuberans, usque ad haurientis manum ſeſe extulerat.

MDXXI. Tres Soles, & quatuor pluviæ arcus Ratisponæ apparuerunt: & tam exigua hyems fuit, quod non ultra octo dies videbatur nix. Nec defuit & peſtilentia magna, ut ex una domo ſæpe quinque aut ſex homines morerentur. Ferdinandus Princeps ac hæres Archiducatus Auſtriæ, cujus a convocatis provincialibus lætabundus præſtolabatur adventus. Sed quoniam non tales, quales autumabat ipſe, reperit Auſtrales, quos diſſenſio aut ambitio ſeu gravedo agendorum ſejunxerat, propter Regentes a Maximiliano Imperatore conſtitutos; nonnullis provincialibus odibiles facti ſunt: unde & recuſant, defuncto Imperatore, ipſis parere ulterius. Inſuper jura fiſcalia judicialiaque Communitati providenda absque Commiſſione Principis præſumunt in malum ſuum. Idcirco veteres Regentes fugerunt ad Novam Civitatem, & ſic erat duplex regimen; novum Viennæ; vetus in Nova Civitate, ubi Imperator conditus jacet. Demum venit Princeps terræ, a quo audientia de inſolitis ab his, & illis poſtulatur & judicium, ſicut & ſequentis anni exitus rei probavit eventus.

MDXXII. Circa feſtum S. Stephani Inventionis Ferdinandus Archidux Auſtriæ de Hiſpania venit, & navigio usque ad Clauſtriburgum, nec Viennam petiit, indignans ſuper indigenarum diſcordia ad Novam Civitatem profectus eſt, ibidem facturus judicium & juſtitiam. Eapropter exiit edictum a Principe, ut provincialium fieret conventus, & omnes querelas habentes, præcipue tamen Wiennenſes, qui audaciores rebellando fuerant Regentibus a Cæſare conſtitutis, venirent. Quibus tandem congregatis ſicut oves in ovile, atque inibi diſcernendi ſubditi a non ſubditis, pii ab improbis per arbitros ad hoc adductos. Facta quoque eſt & eminens pinna in civitate pro publico judicio, ut hi ex una, & alii ex altera parte ſtarent

[1] *ſupple* ſe translaturum promiſit. *aut hujusmodi.*

ſtarent ſuper pinnam Principe cum arbitris in triclinio ſedentibus. Procedunt ergo veteres Regentes a Cæſare jam defuncto conſtituti, aſt acturi contra pervicaces. Altera autem major pars provincialium benivolentiam ſuper temeritate capere volentes, mitius reſpondent, ſecundum quod perpeſſi ſunt, & ſuper querimoniis Regentium antiquorum. Ultimo tandem a Maximiliano Imperatore conſtituti obtinent adverſus rebelles, ideoque Principi redduntur rei pœnales, dignique caſtigatione pro rebellione & conſpiratione. cum non tantum bonis & modeſtis; ſed etiam diſcolis obediendum eſt propter Deum. Et lata jam ſententia, capiuntur quidam ex ipſis: duo Barones, videlicet Dominus Michaël de Eycing, Dominus Johannes de Puechaim cum ſex Wienenſibus capite truncati ſunt.

Circa feſtum S. Bartholomæi venit Ferdinandus Princeps cum conjuge ſua ad Medlicum, ad Niernbergam proficiſcens pro diæta ibidem celebranda. Item anno ſequenti feria quinta ante Laurentii tempeſtas horribilis contigit in Mellico, & contiguis locis. Nam grando & lapides ſicut ova, fulmina ingentia, pluviæ prægrandes, & terrores in tantum, quod Conventus ad Cryptam Beatæ Virginis pro tuitione confugeret, ne morte afficerentur omnes. Item circumcirca loca cum naſcentiis ad nichilum redacta ſunt. Itemque Nativitatis Mariæ & poſt floruere arbores, & Cholomanni fraga in foro vendebantur matura, Simonis & Judæ poma pro medietate creverunt, roſæ quoque & violæ inventæ.

MDXXIII. Eo anno Princeps & Principiſſa patriæ venerunt Medlicum in vigilia S. Martini, & Dominus Abbas in Pontificalibus celebravit. Vicedomnus in Auſtria ad perquirendum miſſus & taxandum, cujus opulentiæ eſſet quisque, tam Spiritualium quam Sæcularium, Turcis ad reſiſtendum, qui jam Rodis fortalitium fidei Chriſtianæ, civitatem contra infideles ſtrenuiſſimam, pariter & Kriechiſchenweiſſenburg expugnavit, & magnam partem Hungariæ ſuæ ſubegit ditioni. At ne omnino prævalerent adverſus noſtrates, Ungarorum & Auſtralium ſinguli cujuslibet ſtatus donaria conferunt, reſiſtendi gratia. Epiſcopus quinque florenos; Abbas, & Præpoſitus ſub infula florenos quatuor; alii Prælati tres; Abbatiſſa, Canonicus, Doctor quinque groſſos; Monachus, Monialis decem denarios; Comes quatuor florenos; Baro tria talenta; Nobiliſta, Plebanus, Vicarius, Civis habens res centum florenorum, unum florenum; ruſticus, ſervus, famula de talento cruciferum; mercenarius & mercenaria decem denarios; omnes communicantes quatuor denarios.

MDXXIV. A Clero, Prælato, etiam a Mendicante, & Sæculari tertia pars omnium fructuum ſeu proventuum reddenda Principi poſtulatur contra Turcas. Sed quia grave erat, Epicopus Patavienſis, Adminiſtrator Dux Bavariæ, miſit conſulere Sedem Apoſtolicam ſuper hac re, atque immunitate Eccleſiæ. Denique jubetur per Sanctiſſimum ſub excommunicationis ſententia, ita fieri pro defenſione fidei Catholicæ. Sed Epiſcopus præfatus ut Paſtor bonus diſtulit, expectans a latere Legatum ad Niernbergam venturum, ubi erat diæta Principum cüi & Sanctiſſimus negotium commiſit neceſſitatis exquirendæ; & ſic, favente Deo, nichil exinde factum eſt hucusque. Idem Legatus, qui & ad alia Germanorum loca miſſus, Niernbergæ congregatis Principibus reſpondit, ſuper dogma Lutheri non opus eſſe Concilio: cum ſimilia etiam prius fuiſſent a SS. Patribus diſputata, atque repudiata. Fuerunt & Niernbergenſes Lutherani facti; ideoque Legatus cum certis Principibus, Epiſcopis & Prælatis ſeſe ad Ratisponam tranſtulerant, faciendi ibidem aliqualem Cleri ordinationem, etiam minorando feſta Sanctorum; & quilibet Sacerdos abſolvat ſæcularem, tribus caſibus duntaxat exceptis, hæreſis, excommunicationis; homicidii.

MDXXV. Quidam Presbyter concionator Luthericus publice revocat Wiennæ: & civis ibidem multum literatus incendio traditur eadem hæreſi ſeductus. Ferdinandus Princeps in vigilia Martini fuit in Mellico, & de mane in Divinis. Turris cum cornu ſero ædificatur, & frigus erat. Karolus Imperator Archidux Auſtriæ triumphat contra Regem Franciæ, quem & vivum, Deo favente cepit in bello, & per annum fere, tentus eſt. Tandem uterque, Imperator, & Rex Franciæ confœderantur, ac ſic emittitur Rex: duobus tamen filiis pro patre in curia Imperatoris cum nonnullis proceribus Francorum retentis, ob validiorem pacis conſtantiam. Surrexerunt & Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ Lutheranorum, docentes, libertatem Chriſtianam nemini quidquam debere, niſi invicem diligere, & ſola fide juſtificari, Papam non plus alio Sacerdote valere, & omnes eſſe Sacerdotes. Unde prælia & ſeditiones exortæ ſubditorum adverſus Dominos, Nobiles, & Prælatos feudales; caſtra Nobilium, Monachorum Clauſtra devaſtarunt; Eccleſias & imagines ad nichilum redegerunt, Clerumque admodum perſecuti ſunt & Sacramenta. De hoc plus infra, verte 13. folia in fine libri.

MDXXV. Anno illo ruſticorum contra Dominos ſuos, tum Nobiles, tum permaxime Eccleſiaſticos omnis ordinis, ingens tumultus exortus eſt, ſub titulo Evangelicæ libertatis a ſe gravamina quæque amoveri, uti Lutherana hæreſis prætendebat, Chriſtianum debere liberum eſſe contendentes. Qua audacia efferati, Dominia, Epiſcopatus, Prælaturas, parœcias, civitates, caſtella quoque armata manu invaſere per totam Alemanniam, ferocius tamen ad Rheni oram, & in Salzburgenſi Archiepiſcopatu: inſuper ſaltus, nemora, piſcaturas nullius dominio ſubdi jure poſſe aſſerentes. Tandem in virga ferrea ſuis ſubduntur dominis feudalibus: nam infra biennium ultra bis centum millia, Principum apparatu ligaque Suevorum, gladio, igne, jugulo ſunt exterminati, & multa ab eisdem deſtructa reſtaurare coguntur. Heu Domine Deus! quot viduæ, quot pupilli facti ſunt.

Ferdinandus Princeps noſter in ſuis provinciis mutuum precatur auri & argenti (a Melli-

cenſi

censi autem Cœnobio florenorum tria millia) ad ruralium compescendam rabiem, impie tumultuantium in sibi dominantes. Demum fit, media parte æris prætacti extra contentus fuit Princeps; intra tamen Austriam, ut residua pars in belligeros nostros equitum 24. & totidem peditum expenderetur, opus erat. Fuerunt & contra nos Colonii nostri (non tamen palam) auxilium deorsum sperantes a rabidis rusticis; at forenses quoque hujates: jam enim prope erat, ut Abbati pariter & Conventui vim intulissent, per murum Religiosos proiciendo. Quo comperto, unaquæque domus, nocentium, & innocentium duos aureos exhibuerat fisco Principis, ita duntaxat, ut potentiores & nocentiores, supportatos haberent pauperiores ex parte, & vocabatur Brandschatzung absque pœnalitate, qua Domino fundi tenebantur.

MDXXVI. Karolus Imperator, Rex Hispaniæ, Archidux Austriæ cum sorore Regis Portugalliæ nuptias celebrat. Elisabet Regina Daciæ moritur, soror Karoli Imperatoris, & Ferdinandi, Principum Archiducatus Austriæ: cujus anima, Deo propitio, polorum possideat regna. Ferdinando Illustrissimo Principi ex Anna Regina Ungariæ alia nascitur Elisabet in Lincz. Benedictus Deus, tribuens omnia, detque hujus propaginis incrementum deficere nunquam! Ungaria a Turcis c c c. millium depopulatur; & pene expugnatur: Rex quoque Ungariæ a suis derelictus perditus est, & Buda capta, & exusta est. Johannes Comes Weydach ex una; & Ferdinandus Archidux Austriæ ex altera parte Hungarorum in Regem adclamatur: postea tamen pro Rege Bohemorum est Ferdinandus electus coronatusque. Ipse quoque Weydach Ungariæ [1] misit legationem Wiennam, faciendi amicitiam cum Principe, & noluit. Quo nolente, facit treugas cum Turca, Dei flagello contra insensatos Christianos, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quærentes.

MDXXVII. Hoc in anno Commissarii Principis terræ Australis Mellicum, sicut ad alia Ecclesiarum loca perquirenda, venerunt, de communi tamen consensu provincialium; quatenus bona Ecclesiæ in auro & argento, etiam calices, Wiennensem supra sylvam ad Medlicum usque comportarentur. Quo facto, medietas Principi pro patriæ defensione contra Turcas exhiberetur; residua vero pars ut diutius servaretur, in simile opus expendenda. Feria quarta temporum Dominus Sigismundus Abbas cum Conventu præsente volentes [2] pretiosum thesaurum, videlicet Sanctæ Crucis, qua Dominus universorum Mellicenses insignitos voluit esse, aperuerunt, ne simul cum ornatu suo ad manus veniret alienorum. Et inventæ sunt tres particulæ semidigitales, non tamen spissæ. Factum quoque est, distributis Clenodiis per Commissarios tam Principis, quam provincialium, favente Dei gratia, remansit aurea Crux Monasterio; & sic iterum particulæ vivifici Ligni, repositæ sunt ad priorem locum. Per omnia benedictus Deus! Insuper & Pontificalia Abbatis cum aliis certis clenodiis chartæ annotatis reliquerunt. In auro & argento x c. marcas; verum etiam ex Monasterio secum asferentes ad mille aureos valentia. Nec requies: quin etiam media pars clenodiorum de Ecclesiis ad Mellicum comportata, a Principe postulatur; aufferturque pro patriæ defensione, & Ungarorum subjectione Ferdinando Regi ac Principi Australium: a quibus tertia die Novembris in Alba Regali in Regem coronatur glorioseUngarorum.

Karolus Imperator, Archidux Austriæ, sexta die May Romam expugnat, propter Summum Pontificem sibi contrarium, tum quia & diu adversabatur Cæsari, atque ejus æmulis, ut puta Regi Franciæ, ac Venetis confœderatus: tum & propter abusum pompamque Patrimonii Petri (ut pie creditur) flagellum Dei fuit, quo Civitas Sacerdotalis patuit prædationi magnæ. Denique Papa cum x i i i Cardinalibus, & aliis Episcopis tradiderunt se captivos Imperatori præsentandos, tandem idem Pontifex a Cæsare reinstituitur Romæ præsidendum. Karolo item Imperatori in Hispania filius nascitur, *Philippus* patris sui nomen nato imponens. Anno in illo, Dei favente gratia, Ferdinandus Imperatoris germanus duo obtinet regna, Bohemiæ videlicet & Hungariæ: ac eidem quoque ex Anna Regina conjuge sua nascitur filius Wiennæ Maximilianus (avi sui nomen hæreditavit) i i. die Augusti.

Exiit mandatum a Rege nostro Ferdinando, dogma hæreticorum damnans Lutheranorum, & Abbas quoque per excommunicationem prohibuit. Itemque rebaptizantur Christiani a perfidis Pseudo-Christis furtim in domibus privatis in Mellico & aliis locis, ad prædicationem perversorum populum seducentes. More Donatistarum ut olim Ecclesiam cripticam instaurare cœperunt. Tandem capiunter, puniuntur, expelluntur, & persecutio fit Cleri, & scisma in Ecclesia Dei.

MDXXVIII. Hæreticus quidam, qui ad quadringentos rebaptizavit Catholicos, Sacramentum altaris & Ecclesiam prophanavit, in Mellico utriusque sexus hæresi infecit. Quamobrem cum duobus sibi pertinaciter adhærentibus capite truncati, postea incinerati sunt: & rebaptizati, resipiscentes ad pristinam redierunt institutionem Ecclesiæ cum publica pœnitentia. Item Reformatores Regis armata manu cum Doctoribus & Commissariis circumeuntes Clerum reformarunt, & vulgus super fidei errore: prohibentes libellos venales hæresi infectos, famosos cum eorum vectoribus exterminari aqua & igne a Rege jubetur. Regi nostro & Principi Austriæ Ferdinando eius ex conjuge nascitur filia Maria in Bohemia. Ab Imperatore Karolo, fratre Ferdinandi, Veneti valde obsidentur, & persequuntur, & devastantur eorum dominia.

MDXXIX. Ferdinando ex patre Rege alius nascitur Ferdinandus filius in Lincz, ejusdem nominis hæres, & Archidux Austriæ. Turca cum ducentis millibus pugnatorum Hungariam expugnaturus venit, & Austriam miserabiliter cæde, igne prædaque devastans, nec non multos

[1] *Supple* Rex *aut hujusmodi.* [2] *ita Cod.*

secum abduxit, nec sexui pepercit nec ætati. Fit denique fuga hominum, ploratus & ululatus multus per viam & inviam, etiam per Danubium a tanta copia ferocium Turcarum Austriam depopulantium. O quam flebile spectaculum sese plangentium! Etenim vix tertia pars Australium vivax evasit hominum (absque parvulorum & lactentium) a tyrannis infidelium interfecti: civitates quippe, castra, ac loca munita, ac se defendentia pertransierunt. Porro Wienna metropolis per mensem Octobris ab eisdem obsessa fuit, quæ & audacter repugnans. Obsidentes Turci forte divinitus territi, aut super adventantes armatos ex partibus superioribus & de Bohemia contra eos, noctu recesserunt a civitate. Dominus Sigismundus hujus Monasterii re & nomine Abbas laudabilis moritur: & Dominus Wolfgangus Lincer in loco ejus eligitur, ac a sede Apostolica confirmatur. Item quædam ægritudo & inaudita sudans, vulgo dy Schwais-sucht, & primitus in Anglia exordium sumpsit: unde & in aliquibus territoriis tertia pars hominum mortua est, & citius quam tempore pestis; imo sæpe eadem die infectus vivens, & mortuus fuit.

MDXXX. Karolus hujus nominis Quintus Romanorum Imperator, Rex Hispaniarum, Archidux Austriæ, venit trans mare ad Italiam. A Clemente Papa VII. laudabiliter suscipitur, & Bononiæ Imperiali corona coronatur ibidem. Postea venit ad Hyspruck, tandem cum Ferdinando fratre ejus ad Schwacz (ubi Imperatori ab incolis & argentariis denarius offertur 1700. valens florenos, insignibus & titulo Imperatoris adornatus) ac ultro per Bavariam magnifice venit Monacum, posthac ad Augustam: inibi cum Principibus ac Civitatibus Romani Imperii diæta habenda pro pace de Turcis, ac pro Concordia fidei adversus Lutheranos & Schismaticos. Et revera gloriosa Principum congregatio, ac Civitatum. Nec defuit Satan Lutheranorum veræ fidei veritati acquiescere nolentium cum Saxoniæ Duce; major tamen pars & sanior Imperatori adhæsit, etiam pro generali Concilio fieri conventus iterum. Item quarta pars Monasterii nostri, sicut aliorum, vendi præcipitur, pro patria a Turcis defendenda, sex millia talentorum, additis aliis tribus millibus in uno anno.

MDXXXI. Ferdinandus Archidux Austriæ, Rex Ungariæ & Bohemiæ electus Romanorum Rex coronatur. Item quarta pars Monasteriorum vendita propter Turcas: iterum eadem taxa reddi pristinis Dominis per Imperatorem Karolum in diæta Augustæ mandatur. Ritus Ecclesiasticus per Scismaticos imminutus, observari sicut primitus jubetur, & SS. Patrum sequi sanam doctrinam. XXVII. die Junii, hora sexta, terræmotus sub Completorio factus in Melico: alius quoque in die S. Crucis Inventionis.

MDXXXII. Revertitur Turcus in multitudine gravi, sicut anno XXIX. Fit & apparatus magnus per Karolum Imperatorem, & Principum Catholicorum, equitum, peditumque belligeratorum contra hostes atrociſſimos Turcorum: nec sufficiens erat alimentum adventantibus, & apertis domibus, domestici fugati sunt a facie eorum. Fuerunt & signa cælitus apparentia: decima die Septembris hora septima mane Melici visæ sunt quatuor irides, & tres soles, quorum figuram vide in fine libri: insuper quinto die, & septimo Decembris similiter tres soles visi sunt, & Cometa versus Orientem. Denique devastator veræ fidei persecutorque, videns copiosam multitudinem Christianorum ad bellum promptissimam contra se pugnaturam, retrocessit fugiendo cum 400. millibus Turcarum, Nostrorum fidelium adversus eos fuere 200. prope Viennam. O quam gravis labor, & grandis apparatus! & sine congressu Turci turpiter terga vertentes.

MDXXXIII.

MDXXXIV.

MDXXXV.

MDXXXVI.

MDXXXVII.

MDXXXVIII.

MDXXXIX.

MDXL.

MDXLI. Oppidum Melicum in die Sancti Colomanni magnum ex incendio subiit incommodum. In domo enim tinctoris cujusdam per ministri negligentiam ignis exortus est, omnesque domos illas perdidit, quæ sitæ sunt in via, quam vulgo nominant die Strautgassen.

MDXLII.

MDXLIII.

MDXLIV.

MDXLV.

MDXLVI.

MDXLVII.

MDXLVIII. Conflagratio facta est in Melico per incuriam coctoris cerevisiarum, ita ut totum oppidum præter sex aut septem domos, quæ prope Danubium erant, exustum sit.

MDXLIX.

MDL.

MDLI.

MDLII.

MDLIII.

MDLIV.

MDLV.

MDLVI.

MDLVII.

MDLVIII. Maximilianus Bohemorum Rex affuit in Monasterio nostro, & libros artificiosissime scriptos, hucque ex Hungaria translatos Viennam transmitti voluit, & in Bibliothecam suam recepit. Carolus V. Imperator obiit. Ferdinandus Rex Romanorum, frater Caroli, eligitur Francofordiæ in Cæsarem.

MDLIX.

MDLX. Tanta vinorum extitit penuria atque defectio in urbe Vienna Austriæ, ut publica Cæsarei præconis voce & proclamatione omnibus Christianis ænopolis, cujuscunque sint loci, libera potestas ac Cæsarea permissio facta sit, vina aliunde in civitatem introducendi & vendendi, juxta mensuram vel alio pacto pro uniuscujusque arbitrio, absque omni gravamine

vamine seu ordinaria vectigalium pensione, usque ad festum Michaelis anni ejusdem: Salvis interim privilegiis & statutis civium, quæ in solito & præscripto vendendi pretio manserunt, veterem consuetudinem non transgredientes. Et importata sunt in urbem hoc anno ex variis locis varia quoque vina, utpote Rhenana, Neccarica, Bavarica & alia, eaque tanta copia & affluentia, ut in omnibus etiam plateis & angulis popinæ ad præparanda cibaria factæ sint: ad quas ænopolæ de curribus vina dispensarunt, inæquali vero pretio pro vinorum qualitate, ac libera vendendi voluntate; pauca tamen infra 24. numos, pleraque 26. 28. & 30. numis. Tantam vinorum caritatem inopiamque Viennæ fuisse, nulla temporum observatione hominumque memoria constat.

Eodem tempore & anno, mense Junii, statim post ferias Pentecostes, Albertus Dux Bavariæ cum omnibus filiabus Cæsareæ Majestatis ex Oeniponte Viennam appulit, & honorifice ibidem exceptus. In cujus gratiam & honorem ludi equestres seu hippomachiæ, oppugnationes ædium, & alia spectacula & certamina visu digna & jucunda habita sunt, eaque omnia tam splendida & magnifico apparatu, ut majoribus impensis atque sumptibus nunquam antea hujusmodi ludos Viennæ exhibitos esse multi affirment. Huic triumpho Ferdinandus Archidux Austriæ interfuit, & multi alii Comites, Barones, Nobiles & Generosi.

MDLXI.

MDLXII.

MDLXIII.

MDLXIV. Ferdinandus Romanorum Imperator obiit, mensis Julii die 25. Maximilianus filius successit.

BREVE CHRONICON AUSTRIACUM

STEMMA RESQUE GESTAS VETERUM AUSTRIÆ MARCHIONUM, ET DUCUM, STIRPIS BABENBERGICÆ A LEOPOLDO I COGNOMENTO ILLUSTRI, USQUE AD LEOPOLDUM VI. DICTUM VIRTUOSUM, COMPLECTENS.

AUTHORE CONRADO DE WIZENBERG, ID NOMINIS I. ABBATE MELLICENSI,

EMENDATIUS NUNC PRODIT EX PERVETUSTIS MEMBRANIS BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. BReve isthoc Chronicon, in membranis Sæculo XII. perquam elegantes exaratum, quo genus gestaque veterum Austriæ Marchionum Ducumque, Stirpis Babenbergicæ, succincte referuntur, extat in eodem Codice manuscripto, ex quo præcedens Mellicense Chronicon expressimus. Compositum id fuit a quodam Benedictino Mellicensi, petitu Leopoldi eo nomine Sexti Austriæ Stiriæque Ducis, cognomento *Virtuosi*, eidemque Principi inscriptum. Ad primum quod attinet, omissis aliis, dubitationem omnem tollunt illa verba, quibus Auctor S. Colomanni passionem & sepulturam breviter describit. *Peracto itaque*, inquit, *post passionem ejus triennio, miraculis iterum proditus levatur, & in Monasterio nostro, degentibus adhuc ibi Canonicis, a* [1] *Meingaudo Æinstetensi Episcopo tumulatus est.* Monasterium, in quo S. Colomannum tumulatum refert hic Chronographus, aliud præter Mellicense nullum fuit, idque, cum hæc scriberet, Benedictini Cœnobitæ incoluerunt, ut ex iis, quæ inferius de Leopoldo III Austriæ Marchione commemorat, manifestum est. Neque de altero minus constat, nimirum Leopoldum Virtuosum a quopiam Mellicensium postulasse, ut progenitorum suorum originem, resque ab ipsis præclare gestas in literas referret. Testatum id facit Chronici istius Scriptor primis statim lucubrationis suæ verbis, scribens in hunc modum: *Avitam Principum hujus terræ nostræ, parentum scilicet Vestrorum, prosapiam commemorare vobis, ut petitis, cupientes, ea primo, quæ relatione Majorum nostrorum di-*

1 *al.* Megingaudo, Megengozo, seu Megingaldo Eystettensi.

dicimus, ipsa fide qua audivimus explicamus &c. Quod vero opusculum istud Leopoldo Virtuoso seu id nominis VI Austriæ Duci nuncupatum fuerit, verba illa, quæ tum paulo post initium, tum sub finem affert Auctor noster, fidem faciunt. Priora sic habent: *Primus itaque terræ hujus nostræ, quæ Austria, Marchio fuit L. I.* (Leopoldus I.), *quorum quidem nobis notitia claruit, a quo tota series progenitorum vestrorum usque ad hæc tempora vestra L. VI.* (Leopoldi VI.) *variis atque præclaris decorata virtutibus deducitur.* Posteriora vero hoc modo: *Iste H.* (Heinricus I. Dux Austriæ) *pater vester nomen & dignitatem, quam sua virtute adeptus fuerat, reportavit Austriæ, scilicet ut deinceps non Marchia, sed Ducatus vocaretur & esset.* Accedit, in Codice nostro Mellicensi brevi huic Chronico præmitti titulum sequentem, licet manu paulo recentiori scriptum: *Ad Ducem Liupoldum hujus nominis VI, filium Heinrici Ducis, fundatoris Scotorum in Viennensi Civitate.*

II. Auctorem istius Chronici, quem Benedictinum Mellicensem fuisse paulo ante luculenter demonstravimus, Conradum de Witzenberg I. hoc nomine Abbatem Mellicensem appellare non dubitavimus, quanquam ejus nomen membranæ Mellicenses non habeant. Neque enim ambigi prudenter a quoquam potest, Leopoldum Ducem, qui ab anno 1178. ad 1195. Austriæ præfuit, non potius ab Abbate Monasterii Mellicensis, quam a privato quodam Cœnobita, ut id conscriberet, petiisse. At vero qui Leopoldo per ea tempora Austriam gubernante, Mellicensem præfecturam tenuit, Conradus I, dictus de Witzenberg, fuit, eamque ab anno 1177. ad annum usque 1203. gesit, IV. Id. Decembris extinctus, ut liquet tum ex Chronico, tum etiam ex Necrologio Mellicensi. Hæc de Conrado Witzenbergensi, lucubrationis istius genuino conditore, per probabilem conjecturam dicta sunto. Quæ sicui minime sufficiat, ut eum potius quam alium quempiam ex nostris Mellicensibus fetus istius parentem agnoscat, cum hoc non contendemus, dum ne quemquam alium, quam Monasterii nostri Cœnobitam ejusdem faciat Auctorem. Qui insignitus error Wolfgangi Lazii est lib. XII. Comment. de Rom. Rep. pag. 1093. breve hoc Chronicon Leopoldo id nominis Sexto, dignitate vero Secundo Austriæ Duci tribuentis. Cujus apertam falsitatem equidem miror non animadvertisse Lazium, si quidem breve hoc Chronicon in Membranis Mellicensibus legerit, ut eum revera legisse ex citato loco non obscure colligimus; imo ex Henrici Abermanni Annotatis ad Chronicon Viennense a Lazio vulgatum clare cognoscimus. Lazium errantem male secutus Matthæus Raderus Bav. S. Vol. III. pag. 113, ubi Vitam S. Colomanni refert, sæpe memoratum hoc Chronicon itidem Leopoldo VI Austriæ Duci adscripsit. Cætera Lazii peccata refutare hoc loco non vacat, quæ vel unica prælibata pagina scribens de Chronographi istius ætate, de introductoribus Benedictini instituti in Monasterium Mellicense, de ejusdemque Cœnobii a nescio quo Romano Pontifice facta consecratione, aliisque id genus pluribus, commisit. De quibus quoniam partim hic, partim in præviis ad Chronicon Mellicense observationibus jam egimus, eo benevolum Lectorem remittimus.

III. Quod porro Conradus Abbas Monasterium Mellicense antiquitus *Meam Dilectam* appellatum fuisse scribat, tanquam fabulam ridet V. C. Lambecius Comment. de Biblioth. Cæs. lib. 2. cap. 8, ubi & ait, in monumentis Mellicensibus tradi, *Meæ Dilectæ* nomen eidem a Julio Cæsare impositum fuisse.

fuiſſe. Verius igitur cum Philippo Cluverio cenſere ſe dicit, Mellicium olim eundem illum locum extitiſſe, qui in antiqua tabula Itineraria Peutingeriana Arlapen inter & Triſigamum collocatur, & corrupto vocabulo *Nomare* pro *Nomale* dicitur: quem proceſſu temporum vulgus imperitum in *Medilich, Medlich, Malk*, & denique *Melk* detorſerit. Ridet, inquam, Lambecius veterem hanc Mellicii appellationem, velut a Julio Cæſare ipſi inditam. Nec immerito quidem: cum ſatis conſtet Romanum hunc Principem nunquam ad Noricum Ripenſe acceſſiſſe, tantum abeſt, ut ab ipſo hujusmodi nomen Mellicium tulerit. Verum Conradus Witzenbergenſis noſter nunquam ſcripſit, Mellicium *Meæ Dilectæ* nomen a Julio Cæſare accepiſſe; id potius alii duo Mellicenſes Anonymi, tribus & amplius ſæculis Conrado poſteriores, ex ſuo ingenio addiderunt. Is enim Montem Mellicenſem, propter opportunitatem ſitus & munitionem, antiquitus *Meam Dilectam* vocitatum tantum aſſerit, in medio relinquens, ætate Julii Cæſaris, an alterius cujuspiam Principis, qui multis poſt cum ſæculis hic extiterit, id nominis indeptum Mellicium fuerit. Julium Cæſarem memoratam *Meæ Dilectæ* appellationem Mellicio dediſſe, pro explorata fabula merito habemus. At quid ſi a Leopoldo I. Auſtriæ Marchione, poſteaquam duobus pene ſæculis ante, quam hæc ſcriberet Conradus, victo Geyſa Ungarorum Duce, Mellicenſi caſtro potitus eſt, id nominis Mellicium ſortitum ſit? *Antiquum* ſane *tempus*; quod a Victoria Leopoldi de Geyſa reportata ad ætatem usque Conradi fluxerat, nempe ducentorum fere annorum intervallum, dici non inepte poteſt. Neque etiam mox laudato Leopoldo Marchioni cauſæ defuerunt, quæ eum ad hujusmodi nomen Mellicio imponendum permovere potuerunt: uti quod primo ſtatim in Auſtriam ingreſſu Geyſam apud Mellicum devicerit, omnique ex Auſtria exegerit; quod ibidem Canonicorum domicilium excitarit; quod (ut plerique probabiliter opinantur) regiam ſuam in Mellicenſi monte conſtituerit &c. Certe ex vocabulo *Mea Dilecta* multo propior faciliorque videtur eſſe corruptio ac deflexio in *Medilicha, Medilich, Medlich*, & tandem *Melck*; quam ex *Nomare, Nomale*, vel etiam (ut quidam legunt) *Namare*: quæ poſteriores voces vix aliquam cum *Medilicha, Medilich, Medlich* & *Melck* analogiam conſervant. Plura de veteri Mellicenſis Cœnobii nomenclatura legeſis in Notis ad Acta S. Colomanni Martyris a nobis ante ſeptennium evulgata.

IV. Hoc toties memoratum Conradi Mellicenſis Abbatis noſtri Chronicon, ſub nomine *literarum de Genealogia Principum Auſtriæ* noſter Admodum Reverendus ac Religioſus D. P. Anſelmus Schrambius, Chronici Mellicenſis P. 2. pag. 92. & ſeqq. publicavit: pauculis ſub finem deſideratis, nonnullisque mendoſe expreſſis, quæ & ſupplere & emendare curavimus. Ejusdem fragmentum recitant Lazius lib. XII. de Rep. Rom. pag. 1093, & in Annotatis ad Chronicon Viennenſe Henricus Abermannus pag. 123, ſed non ſine permultis nævis mendisque. Itaque hoc breve Chronicon ad fidem veterum authenticarum membranarum Mellicenſium diligenter exactum, eo quo ſequitur modo, de integro in lucem prodire voluimus.

CONRADI DE WIZENBERG ABBATIS MELLICENSIS BREVE CHRONICON VETERUM AUSTRIÆ MARCHIONUM ET DUCUM.

AVitam Principum hujus terræ noſtræ, Patres, ea primo, quæ relatione Majorum noſtrorum didicimus, ipſa fide qua audivimus, explicamus. Conſequenter etiam illa, quæ ex Cronicis

nicis noſtris colligere potuimus, a Paſſione videlicet Sancti Cholomanni, ſubnectimus, uniuscujusque Principis res geſtas, prout ibi notatas invenimus, annectentes.

Primus itaque terræ hujus noſtræ, quæ Auſtria, Marchio fuit L. [1] I. (quorum quidem nobis notitia claruit) a quo tota ſeries Progenitorum Veſtrorum usque ad hæc tempora Veſtra L. [2] VI. variis atque præclaris decorata virtutibus deducitur. Qui quomodo terram hanc obtinuerit, ſic accepimus. Dum adhuc adoleſcens die quadam in venatione per avia ſecutus fuiſſet Imperatorem, qui tunc temporis Rempublicam Romanorum adminiſtrabat, ſolum ſcilicet ſolus, & Ille feram percuſſurus arcum fortius adtrahens comminuiſſet; Juvenis arcum ſuum, ut erat contentus, manui cunctantis promptiſſime inſeruit: ſicque Princeps, percuſſa fera, ſuper alacritate adoleſcentis delectatus, ſub auctoritate Regia promiſit ei terram, quam ſibi proximo vacare contingeret, ipſique competeret: atque pro memoria & confirmatione promiſſi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo poſt tempore mortuo Marchione Auſtriæ, cum multi Procerum quisque pro ſe inſtarent Imperatori; prorumpens in medium Juvenis cum adteſtatione fracti arcus, Regalis promiſſionis petiit executionem: Cui Princeps nichil moratus, induſtriam ſuam commemorans, auctoritate Regia Marchiam traditam confirmavit. Ipſe autem terram hanc cum multo comitatu adiens, caſtrum munitiſſimum in monte noſtro ſitum, quod homo potentiſſimus, nomine Gizo, tenebat, magna vi cepit atque deſtruxit, ibique Canonicos XII., ne videlicet aliqua in eo munitio reſtaurari poſſet, inſtituit. Mons enim idem, qui modo corrupto nomine dicitur Medilich (a quo fluvius præterfluens denominatus eſt) propter opportunitatem ſitus & munitionem antiquitus *Mea Dilecta* vocabatur. Sic [3] itaque omni terra potitus, multis annis per ſucceſſores ſuos, veſtros ſcilicet Majores, Marchiam ſuam ſtrenue tuebatur & dilatavit; quousque directu Dei advenit in partes iſtas peregrinando Beatus Cholomannus: qui etiam pro eo quod guerras habebant continuas cum extraneis gentibus, conterminis ſuis, tunc temporis Principes noſtri, pro exploratore habitus eſt.

Anno itaque ab Incarnatione Domini MXII. Beatus Cholomannus ſuſpenſus in Stocherave cœlos adiit, temporibus H. [4] Regis, qui Dux fuerat Bajoariæ, ſed III. Ottoni Imperatori ſucceſſerat, Marchiam quoque Auſtriæ tenente Heinrico, tritavo veſtro. Per annum vero integrum & dimidium in patibulo pendens incorruptus, ſignis clarificatus deponitur, & ibidem ſepultus tantundem temporis implevit. Peracto itaque poſt Paſſionem Ejus triennio, miraculis iterum proditus levatur, & in Monaſterio noſtro, degentibus adhuc ibi Canonicis, a Meingaudo Æinſtetenſi Epiſcopo tumulatus eſt. Hic autem H. [5] Marchio duravit per annos circiter XL. usque ad tempora Petri Regis Ungarorum, qui Sancto Regi Stephano ſucceſſerat. Iſtius Petri precibus & minis circumventus Poppo Treverorum Archiepiſcopus, frater Marchionis, obtinuit a fratre ſuo, ut mitteret in Ungariam oſſa Beati Cholomanni; quæ tamen poſtea Ungari, peſtilentia & fame compulſi, reddiderunt. H. vero Marchio decedens ipſo anno, filium reliquit Adalbertum, attavum veſtrum. Hujus induſtria Dominicæ Crucis portio non minima, quæ hactenus hic habetur & adoratur, ad locum iſtum delata eſt. Ille cum filio ſuo L. [1] II. commiſſa pugna cum Ovone Rege Ungarorum, qui Petro Regi ſuperpoſitus fuerat, maximam partem exercitus ejus delevit, victor exiſtens. Iſte autem L. II. ante patrem obiit. Petrus vero per H. [2] Regem filium Chunradi Regis, qui Primus fuit æquivocorum quinque ſibi invicem in Regno continue ſuccedentium, ſuo Regno reſtitutus, Ovone projecto, cæcatus, ab Ungaris ſucceſſorem accepit Andream. Adalbertus autem Marchio moriens, filium reliquit Erniſt, abavum veſtrum, qui poſt mortem patris anno X. in primo bello [3] H. IV. Regis occiſus eſt in Saxonia juxta fluvium Unſtruth, anno XV. Altmanni Patavienſis Epiſcopi.

Huic ſucceſſit filius ejus ejus L. [4] III., proavus veſter. Eo tempore male pugnatum eſt in Maureberch anno Domini MLXXXII. Ipſo quoque favente, Ordo Monachorum inſtitutus eſt in Medilich, ſub Abbate Sigiboldo remotis videlicet inde Canonicis, anno Domini MLXXXIX. Qui poſt mortem patris anno XXII. decedens, filium reliquit L. [5] IV., avum veſtrum. Hic Agnem, filiam Heinrici Quarti Regis, duxit uxorem. Et poſt hæc anno VII. terminos Ungariæ potenter ingreſſus, magnam cædem fecit, & civitatem quandam violenter captam exuſſit, inde cum pace regrediens. Per eum quoque libertate donatus eſt locus Medelicenſis, & privilegio Paſcalis Papæ II. confirmatus, dedicato videlicet priori anno Monaſterio ab Epiſcopo Udalrico, ſub Abbate S. [6], qui præfuit primus noſtræ Eccleſiæ annis XXVIII. Mortuo autem ipſo, & Abbate Egnelſalco de medio facto, conſtituitur Abbas Erchenfridus. Ille, Marchione L. [7] adhuc ſuperſtite, contra Reinmarum Epiſcopum Patavienſem, qui jura Eccleſiæ Medelich voluit infirmare, & decimas aufferre, Sedem Romanam adiit, & auctoritate Innocentii Papæ privilegium antiquum renovavit, & Epiſcopi conanima eodem L. favente fruſtravit. Qui ſcilicet L. poſt mortem patris anno XLI. decedens, ſucceſſorem reliquit L. [8] V., patruum veſtrum. Hic vir hic eſt, qui III. poſt mortem patris anno, ejecto Heinrico, Ducatum Bajoariæ accepit; Sed brevi heu! duravit: quia poſt auctum honorem anno ſecundo, ſuperſtitem atque ſucceſſorem relinquens Heinricum, fratrem ſuum, patrem veſtrum, vita minutus eſt.

1 Liupoldus *ſeu* Leopoldus. 2 Liupoldi. 3 *f.* Hic. 4 Heinrici. 5 Heinricus.

1 Liupoldo. 2 Heinricum. 3 Heinrici. 4 Liupoldus. 5 Liupoldum. 6 Sigiboldo. 7 Liupoldo. 8 Liupoldum.

Qui

Qui videlicet H. [1] accepta uxore Gerdrude, filia Lotharii Imperatoris, anno II. viduatus est. Hujus temporibus anno Domini MCXLVII. Chunradus Rex, Tertius hujus nominis, decimum in Regno agens annum, & Ludwicus Galliarum Rex cum infinito exercitu Jerosolimam profecti, ipso quoque comitante, adorato sepulchro Domini, tertio anno reversi sunt. In redeundo autem per Græciam matrimonio sibi conjuncta est Theodora, filia Clarissimi Ducis, qui frater fuit Regis Græciæ. Tertio dehic [2] anno defuncto C. [3] Rege; cum Fridericus, fratruelis ejus, regno potiretur, & hic Ducem Saxoniæ, quem expulsum superius diximus, in Ducatum Bajoariæ revocare decerneret; iste H., pater vester, nomen & dignitatem, quam sua virtute adeptus fuerat, reportavit Austriæ, scilicet ut deinceps non Marchia, sed Ducatus vocaretur, & esset, dilatatis videlicet terminis a flumine Anaso usque ad fluvium, qui dicitur Rotensala, addito & Comitatu Pogen. Post cujus reditum in Austriam Ministeriales ejus, eo absente, munitum oppidum Boemiæ Podwin violenter captum incenderunt.

[1] Heinricus. [2] *l.* dehinc. [3] Chunrado.

HISTORIA FUNDATIONIS MONASTERII MELLICENSIS.

AUTHORE ANONYMO EJUSDEM COENOBII,

AD SEX CODD. MSS. MELLICENSES RECOGNITA.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. Historia Fundationis Cœnobii nostri Mellicensis, quam hic exhibemus, extat in sex Codicibus manuscriptis Bibliothecæ nostræ, partim Sæculo XV, partim XVI in charta descriptis. Ætatem Auctoris, quem Benedictinum Mellicensem fuisse, pro comperto esse debet, judicato pronuntiare non ausim. Ultimis tamen scriptionis suæ verbis, quibus Sanctæ Crucis Mellicensis furto primum subductæ prodigiosam inventionem describit, post annum 1362. se vixisse declarat: quippe quæ ex alio Anonymo Mellicensi desumpsit, qui Historiam jam memoratæ Crucis Mellicensis sub prædictum annum 1362. composuit, ut in altero collectionis istius Tomo dicemus, ubi eam ad Codicum nostrorum fidem diligenter exactam recusuri sumus. Quod vero nomen Auctori lucubrationis istius fuerit, deprehendere necdum potuimus. Ad oram tituli, qui in uno ex supra dictis sex Codicibus Mellicensibus anno 1460. exarato, huic historiæ præfigitur, leguntur subsequentia verba manu recentiore adscripta: *F. Andreas Dench Prior.* Duos tantum Andreæ nomine insignitos Priores reperimus in veteri Professorum Mellicensium Catalogo, ab anno MCCCCXX. ad 1535. manu coæva conscripto. De altero sic habet Catalogus: *Anno Christi* 1497. *die S. Mauri Abbatis, tres fratres Cœtui nostro professione aggregantur; Andreas de Ratispona, Prior in reformatione 26; Leonardus de Purckhausen &c.* De Altero vero in hunc modum: *Anno salutis 1505. frater Andreas de Gmunden Juvenis Scholaris sanctæ regularis observantiæ jugo se subjicit, profitendo die 15. mensis May, quæ erat feria 4. post Pentecosten, Prior 22.* Uter horum *Denchii* cognomentum habuerit, ex præfato Catalogo definiri non potest, cum ab utroque id absit. Sed quemcunque demum ex his duobus Andreis *Denchium* illum faciamus, certum est, neutrum Historiæ Fundationis Mellicensis vel Auctorem vel Descriptorem esse dicendum: siquidem (ut superius notavimus) codex manuscriptus, cui adjecta est recens hæc inscriptio, longe ante, quam ambo isti Andreæ Priores Monasterium Mellicense subierint, descriptus jam fuit. Itaque omnino incertum, cuinam Mellicensium Benedictinorum hoc scriptum tribuendum sit.

II. Pri-

II. Primus, qui Mellicio *Meæ Dilectæ* nomen a Julio Cæsare impositum scripsit, aut verius commentus est, Auctor istius Historiæ fuit: quod fabulosum ac ridiculum merito dixit Lambecius, ut alias innuimus. Fallitur porro Historiographus noster, quod Henricum II. Austriæ Marchionem, vulgo *Rebellem*, Petri Ungarorum Regis ætatem attigisse prodat, quem errorem ex brevi Chronico Conradi de Witzenberg Abbatis Mellicensis hausit. Nam anno 1038, quo ex Chronico Mellicensi Petrus Sancto Stephano in Ungariæ regno successit, non jam amplius Heinricus Marchio, sed ejus filius Adalbertus Austriæ præfuit. Id quod discimus ex Diplomate Heinrici II. Imperatoris strictim relato ab Hundio Metrop. Salisburg. Tom. III. pag. 455, quo mox laudatus Imperator *quandam partem cujusdam Insulæ, Sahsonagauæ* [x] *dictæ, ad Monasterium S. Stephani Protomartyris ..... in provincia scilicet Orientali* (id est Austria) *juxta Danubium, & in Marchia Adalberti Comitis sitam* &c. *dedit* anno 1021. Integrum Diploma; sed sine notis Chronicis, affert Gewoldus in additionibus ad Hundium pag. 457. Male præterea (ut de aliis taceamus) Auctor hic signat annos, quibus quidam ex Vetustioribus Austriæ Marchionibus obierint, ut ad marginem ex veteri Chronico Mellicensi & Lambecio enotavimus.

III. Hanc Anonymi nostri Mellicensis Historiam primum typis commisit V. C. Petrus Lambecius, eamque Commentariis suis de Biblioth. Cæs. lib. 2. cap. 8. pag. 627. & seqq. inseruit. Exemplar MS, quo is usus est, quanquam a nostris codicibus Mellicensibus descriptum facile appareat; mirum tamen est, quantum in signandis annis, quibus antiquiores Austriæ Marchiones fatis concesserint, ab iisdem dissideat. Haud satis scio, hæc ne discrepantia in ipso Cæsareo exemplo manuscripto insit, an vero a Lambecio, aut alio quopiam inducta fuerit. Quod postremum ut vehementer suspicemur, illud persuadet, quod in reliquis exemplaria nostra manuscripta cum Cæsareo pene ad verbum conveniant. Haud equidem inficiamur, Anonymum nostrum Mellicensem in annotandis annis, quibus antiquiores Austriæ Marchiones e vivis excesserе, nonnunquam hallucinatum fuisse; at propterea non in ipso historiæ contextu, repugnante Codicum manuscriptorum fide, sed alio modo locoque corrigendus erat, ut in evulgandis veterum Scriptorum monumentis Viri probe versati norunt. Deinde ubi in nostris codicibus constanter dicitur Leopoldus Pius seu Sanctus ex Conjuge sua Agnete XVIII. *pueros* genuisse, apud Lambecium additur *& puellas*. quod glossema in omnibus nostris MSS. exemplaribus desideratur, & vel a Lambecio, vel alio quodam antiquitatis non satis perito videtur adjectum, quasi vero Mellicensis Anonymus Leopoldi Pii liberos, mares omnes, nullam autem inter eos fœminam fuisse existimarit, dum eos *pueros* appellavit. Verum is omnem Leopoldi sobolem, tum masculam tum fœmineam unico *puerorum* nomine complecti voluit, more scilicet mediæ ætatis Scriptoribus usitato, quibus liberi seu proles promiscue *pueri* (vulgo die Kinder) persæpe dicuntur, sive deinde mares essent, sive fœminæ. Exemplum ejus rei prostat in perbrevi Anonymi Viennensis (ut alios omittamus) Chronico Austriaco necdum edito, in quo ad annum 1404. sic idem Auctor scribit: *Item in die S. Elizabet obiit puer meus Katherina.* Et ad annum insequentem: *Natus est puer meus Fridericus in vigilia Purificationis Mariæ &c.* Demum ad annum 1407.

[x] *al.* Saxaganckh.

Item

Item anno ſeptimo, Invocavi media nocte, natus eſt tertius puer meus, nomine Elizabet. Hinc apparet, quam otioſe interpolatus ſit locus ille, cujus paulo ſupra mentionem fecimus. Cætera menda, quæ in editionem Lambecianam irrepſerunt, in margine Lector emendata reperiet. Jam genuinam Anonymi noſtri Mellicenſis de Fundatoribus ejusdem Cœnobii Hiſtoriam repræſentemus.

HISTORIA FUNDATIONIS MONASTERII MELLICENSIS.

PRimus Fundator hujus Monaſterii Medli- A censis dicitur fuiſſe Leopoldus Primus, qui originem duxiſſe fertur a quodam Nobiliſſimo Comite Babenbergenſi, de genere Franconum, cui deſponſata erat filia Ottonis Ducis Saxonum. Hic Leopoldus terram hanc Auſtriam hoc modo obtinuit. Dum adhuc adoleſcens die quadam in venatione per avia ſecutus fuiſſet Imperatorem, qui tunc temporis Rempublicam Romanorum adminiſtrabat, ſolum ſcilicet ſolus, & ille feram percuſſurus arcum fortius attrahens comminuiſſet; Juvenis arcum ſuum, ut erat tentus [1], manui cunctantis promptiſſime inſeruit: ſicque Princeps, per- B cuſſa fera, ſuper alacritate adoleſcentis delectatus, ſub auctoritate Regia promiſit ei terram, quam ſibi proximo vacare contingeret, ipſique competeret, atque pro memoria & confirmatione promiſſi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo autem poſt tempore, mortuo Marchione Auſtriæ ſine hæredibus, cum multi Procerum inſtarent Imperatori, petentes ſibi conferri Marchiam; prorumpens in medium Juvenis cum atteſtatione fracti arcus, Regalis promiſſionis petiit executionem. Cui Princeps nichil moratus, induſtriam ſuam commemorans, auctoritate Regia Marchiam traditam confirmavit. Ipſe autem terram hanc, C cum multo comitatu adiens, Caſtrum munitiſſimum, in monte iſto noſtro ſitum, quod homo potentiſſimus, nomine Giſo tenebat, magna vi cepit atque deſtruxit, ibique Canonicos XII., ne videlicet aliqua munitio inſtaurari poſſet, inſtituit. Mons enim idem, qui modo corrupto nomine dicitur Medilich, a quo fluvius præterfluens denominatus eſt, propter opportunitatem ſitus & munitionem antiquitus *Mea Dilecta* vocabatur, quod nomen ei Julius Cæſar impoſuit. Sic itaque omni terra potitus, multis annis Marchiam ſuam ſtrenue tuebatur & dilatavit. Hic anno Domini Nongenteſimo ſecundo [2] decedens, filium reliquit Hainricum. D Cujus temporibus, anno videlicet ab Incarnatione Domini MXII., regnante glorioſiſſimo Imperatore Hainrico, qui Tertio Ottone mortuo, Romanorum præponebatur Imperio (qui cum conjuge ſua Sancta Chunegunde continenter & ſancte vixit, ac ſororem ſuam, nomine Giſilam, Regi Vngariæ Stephano tradens in uxorem, ipſum & totam gentem ſuam convertit ad fidem Chriſti) Beatus Cholomannus iturus Jeroſolimam, in partes iſtas peregrinando pervenit.

Qui pro eo quod guerras habebant continuas cum extraneis gentibus, conterminis ſuis, tunc temporis Principes noſtri, pro exploratore habitus eſt atque tentus. Et primum quidem ſcopis atrociſſime cæſus eſt, & ſic carceri mancipatus, ut poſtera die Judici præſentaretur. Cui cum præſentatus fuiſſet, & ab eo fuiſſet interrogatus cauſam itineris ſui veraciter expoſuit: nec aliud confiteri, quam quod res erat, compelli unquam potuit. Tunc Judex iniquus juſſit eum aſperis horrendisque verberibus cædi; ut ſi exploratorem eſſet, ſaltem confiteretur victus pœnarum doloribus. Acris [1] igitur tortorum flagris, lapidibusque ac ovis fortiter ignitis, forcipeque candente corpus ejus miſerabiliter cruciatum eſt: ſerra etiam crura ejus lacerata ſunt, atque ad ultimum ſuſpenſus cum duobus latronibus, cœlos adiit apud Stokchraw. Cujus autem ſanctitatis eſſet ſuus famulus Cholomannus, martyrizatus pro Ejus nomine, omnipotens Deus multis miraculis & prodigiis ad laudem ſui Nominis poſtea oſtendit & declaravit. De quibus pauca ad credulitatem ac ſalutem fidelium conſcripta ſunt; ne omnia conſcripta, quæ multa præclara & admiranda ſunt, fidelibus Chriſti incredulitatem generarent. Latronibus autem cum eo ſuſpenſis, frequenti morſu avium beſtiarumque dilaniatis, ac putredine conſumptis, Sancti Viri corpuſculum, unguibus cum barba cæſarieque creſcentibus, per annum integrum cum dimidio in patibulo pendens incorruptum permanſit, ac ſi eadem die fuiſſet interemptus. Inſuper torta, in qua pendebat, fronduit, & tandem ſignis & miraculis glorioſis clarificatus, ut præmiſſum eſt, deponitur, & ibidem ſepelitur, ſcilicet apud Stokchraw in Eccleſia noviter conſtructa. Tantundem vero tempus ibidem ſepultus jacens, ſcilicet annum & dimidium, peracto poſt paſſionem Ejus triennio, miraculis iterum proditus, juſſu præfati Hainrici glorioſiſſimi Marchionis huc ad Medlicham honorifice cum plauſu univerſi populi transfertur; tam integer & incorruptus inventus, acſi eodem die fuiſſet ſepultus. Ubi a Meingaudo Aychſtetenſi Epiſcopo, & cæteris Primatibus hujus terræ, & ab univerſo vulgo, quod huc convenerat, degentibus adhuc hic Canonicis, honorifice valde, ut decebat, tumulatus eſt. Hujus Sancti Viri Cholomanni ſocius fuit Beatus Gothalmus, qui hic in crypta in latere altaris B. Dei Genitricis Mariæ in ſarcofago marmoreo ſepultus eſt. Qui & ipſe pluribus miraculis claruit, ſpecialiter circa quendam Regem Bohemorum, qui temeritate ſua auſus fuit ape-

[1] *Aliud MS. Mellicenſe* cum *Lambecio* contentus. [2] *Ita alia duo ejusdem ætatis, & aliud quoddam recentius MSS. Aliud itidem recentius* 999. *aliud denique* 999, vel verius 1000. *Lambecius vero* 983.

[1] *pro* acribus.

rire ipsum sarcofagum. Nam statim cæcitate percussus, vix tandem multis precibus pœnitentiam de sua curiositate agens, per eundem Domini Famulum meruit illuminari. Præfatus autem Marchio Hainricus duravit per annos circiter quadraginta usque ad tempora Petri Regis Vngarorum, qui Sancto Regi Stephano in Regno successerat. Istius Petri precibus & minis circumventus Poppo Trevirorum Archiepiscopus, frater Marchionis, obtinuit a fratre suo, ut mitteret in Vngariam corpus S. Cholomanni; sed cum ex hoc terra Vngariæ pestilentias & famem ac varias alias plagas pateretur, compulsi sunt reddere corpus S. Viri Cholomanni.

Eodem anno sæpe nominatus Marchio Hainricus anno Domini MXXXIII. [1] IIX. Kal. Julii decedens, filium reliquit Adalbertum, cujus industria Dominicæ Crucis portio non minima, quæ hactenus hic habetur, & ab omnibus veneratur & adoratur, ad Locum istum delata est; quæ etiam multis signis & miraculis approbata, ipsum locum Medlicensem insignivit gloriose. De hac sancta portione S. Crucis nostri Monasterii Mellicensis, qualiter Deus noster Omnipotens ipsam honoraverit & glorificaverit, habebitur infra folio 106. Hic Adalbertus habuit conjugem nobilissimam Adalheidam, quæ obiit anno Domini MLXXI. VII. Kal. Februarii, scilicet in die S. Polycarpi Episcopi & Discipuli S. Johannis Ewangelistæ. Ille Adalbertus cum filio suo Leopoldo, secundo hujus nominis, qui erat strenuissimus Miles & fortis, commissa pugna cum Ovone [2] Rege Vngarorum, qui Petro Regi superpositus fuerat, maximam partem exercitus ejus delevit, victor existens. Ipse tamen Leopoldus ante patrem defunctus est anno Domini MXLII. [3] V. Idus Decembris. Adalbertus Marchio autem moriens anno Domini MXLIII. [4] VII. Kal. Junii, filium reliquit Ernust. Hic contulit loco nostro Medlicensi lanceam S. Mauritii, in qua impressa videtur portio quædam Dominici Ligni S. Crucis, quam Angelus Dei ei impressit, & Crateram S. Udalrici Episcopi & Confessoris. Hic Ernustus post mortem patris anno XV. [5] in primo bello Hainrici Imperatoris occisus est in Saxonia juxta fluvium Unstruth, anno X. Altmanni Pataviensis Episcopi, Cancellarii præfati Marchionis Adalberti, Fundatoris Gotwicensis, qui fuit annus Dominicæ Incarnationis Millesimus Septuagesimus Quintus, Quinto Idus Junii.

Huic successit filius ejus Leopoldus, Tertius hujus nominis, quo favente Ordo Monachorum institutus est hic in Medlico sub Abbate Sigiboldo, in festo S. Benedicti Abbatis, remotis inde Canonicis, qui prius hic erant, anno scilicet Domini MLXXXIX. Hic Leopoldus Tertius post mortem patris anno XXII. decedens IV. Idus Octobris, filium reliquit Leopoldum IV. cognomento Pium.

Hic extitit Fundator duorum Monasteriorum, scilicet Neuburch, & Sanctæ Crucis juxta Wiennam [2]. Tertium vero a Progenitoribus suis fundatum, scilicet Medlich, libertati donavit, ac Sedi Apostolicæ obtulit, exemptum permissione & rogatu Domini Udalrici Episcopi Patavienſis, nobiliter dotavit. Quartum in Cella S. Mariæ, quod tamen ipse non fundavit, sed habito consilio suorum, hæsitantes Fundatores prævenit, & Oratorium in suo jure fundavit. Anno igitur Verbi caro facti MCXIII. ordinatione præfati piissimi Marchionis Leopoldi IV. Monasterium hoc Medlicense dedicatum est a Venerabili Domino Domino Udalrico Patavienſi Episcopo III. Idus Octobris, Indictione XIII., quod a Leopoldo patre ejus, & avo ejus Ernusto, atque atavo [3] ipsius Adalberto, & [4] tritavo illius Hainrico erat fundatum. Eodemque die ab ipso glorioſissimo Principe Leopoldo præmemorato nobili dote dotatum est; videlicet sex Ecclesiis plebejanis: scilicet Medling, Draschirchen, Weykkendorff, Lauchsee, Wuldersdorff, Ravelspach, quas sub testimonio prædicti Domini Episcopi Patavienſis Udalrici, & omnium adstantium nostro Monasterio perpetuali possessione tradidit. Insuper magna animi benivolentia præfatus Illustrissimus Marchio Leopoldus IV. prædia subscripta huic Monasterio nostro tradidit. Unum, quod nostro Monasterio Medlicensi adjacet, scilicet Melchk, aliud in Lantfridsteten, tertium in Czedlmaringen, quartum in Newnhofen, quintum in Rar, sextum in Grefendorff, septimum in Raddendorff, octavum in Blewinkel, nonum in Weykendorff, cum omnibus possessionibus ad eadem prædia pertinentibus. Hanc delegationem & dotem præmemoratus Venerabilis Dominus Episcopus Udalricus anno [5] suo confirmavit, & omnem huic Monasterio nostro Medlicensi vim inferentem, & res Ecclesiæ nostræ violenter diripientem excommunicavit, & sui sigilli impressione hæc se egisse posteris designavit: quam etiam dotationem Paschalis Papa Secundus anno XI. sui Pontificatus, & plures alii Romani Pontifices confirmaverunt.

Iste Leopoldus Pius, Illustris & Nobilis Marchio duxit uxorem, nomine Agnetem, filiam Henrici Imperatoris, de qua genuit XVIII. pueros [6]: quorum septem tempore infantiæ de medio sublati sunt; undecim vero, qui supervixerunt, scilicet sex filii & quinque filiæ, ad honores rerum temporalium non modicos promoti sunt omnes. Primogenitus Adalbertus, qui factus est Advocatus omnium Monasteriorum istius terræ nostræ Austriæ. Secundus Hainricus, qui & diutius omnibus vixit, & a patre minus diligebatur. Hic Heinricus factus

[1] *Ita omnino alia quinque MSS. Mellic. aliud tamen* 1018, *ad cujus marginem paulo recentiori manu scriptum sic legitur:* In Cronica antiqua dicitur, quod obierit 1015. *Lambec.* 1023. [2] *Lambec. perperam Ottone.* [3] *Ita alia 5. MSS. Mellic. Verius Chronicon Mellicense & Lambec.* 1043. [4] *Idem mendum in alia 5. MSS. Mellicensia irrepsit, reponendusque ex prædicto Chron. Mellic. & Lamb. annis* 1056. [5] *Corrigenda itidem dicta MSS. secundum Chron. Mellic. & Lambec.* anno 19.

[1] *Ita quidem Breve Chron. Auſt. Conradi de Wizenberg, & sæpe dicta 5. MSS. Mellic. malim tamen cum Lamb.* anno 21. [2] *A quibusdam MSS. uti & a Lambec. absunt hæ duæ voces* juxta Wiennam. [3] *l.* proavo. [4] *l.* abavo. [5] *rectius* banno. [6] *Lambec. addit* & puellas.

fuerat

fuerat Dux Bavariæ, ſed per Fridericum Imperatorem ab eodem Ducatu remotus eſt. Et quia ipſius erat magna nobilitas & honeſtas, quæ exigebat, ut nomen Ducis non perderet, utque Duces Bavariæ minus deinceps valerent contra eum ſuperbire; præfatus Imperator Fridericus, collecta Curia in Ratispona, de conſenſu & voluntate Principum Marchionatum Auſtriæ a jurisdictione Ducis Bavariæ eximit, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo in Ducatum vertit, Judiciariam poteſtatem præfato Principi Hainrico & ſuis ſucceſſoribus ab Anaſo usque ad ſylvam prope Pataviam, quæ dicitur Rotenſal, protentendo. Sic igitur iſte Hainricus, dictus Jochſamergot, factus eſt primus Dux Auſtriæ, cum antea Marchiones tantum eſſent, & cuncta ſibi ſubjugavit, patrui ſui præfati Imperatoris Friderici potentia coadjutus. Hic Hainricus fundavit Monaſterium S. Mariæ Virginis, alias Scotorum Wiennæ, ubi & ſepultus eſt: genuitque duos filios, ſcilicet Leopoldum, qui ei ſucceſſit in Ducatu, & Hainricum fratrem ejus, qui dictus eſt Dux Hainricus de Medlico. Tertius filius Leopoldi Pii, Fundatoris Neuburgenſis, dictus eſt Leopoldus, qui tertio anno poſt mortem patris, ejecto præfato Hainrico, Ducatum Bavariæ accepit, ſed brevi heu duravit: quia poſt auctum honorem anno ſecundo vita præſenti minutus eſt, ſuperſtitem & ſucceſſorem relinquens præfatum Hainricum fratrem ſuum. Qui tamen cum cognoviſſet ſe moriturum, Nobiles ſecum manentes adjuravit, ut ipſum mortuum in Auſtriam deportarent ad Sanctam Crucem, ibique eum ſepelirent, quod & factum eſt. Quartus Erneſtus, qui etiam ſepultus eſt in Sancta Cruce. Quintus Otto, qui factus eſt Mormundenſis Monachus cum xv. electiſſimis Clericis, qui ſecum illuc venerant a Studio Pariſienſi. Ad cujus Ottonis preces pater ſuus fundavit Sanctam Crucem, qui poſtmodum factus eſt Epiſcopus Friſingenſis: qui cum viſaret domum Mormundenſem, mortuus eſt illic, ac ibidem ſepultus. Sextus Conradus, qui factus eſt Epiſcopus Patavienſis, & deinde Salczpurgenſis, & in Cœnobio Admuntenſi ſepultus.

Primogenita filiarum Pertha, quam duxit Hainricus Purgravius Ratisponenſis. Secunda Agnes, quam accepit Polezlaus Dux Poloniæ. Tertia Gerdrudis, quæ copulata eſt Lazlao Duci Bohemiæ. Quarta Elizabeth, quam accepit Hermannus Lantgravius de Saxonia. Quinta Juditta, quam duxit Regengerus Marchio de Monte Phetran. Præfati Leopoldi Piiſſimi & Sereniſſimi temporibus (patris omnium prædictorum puerorum, qui ita nobiliter dotavit iſtud Monaſterium) Anno ſcilicet Domini MCXXXVI. Reginmarus Epiſcopus, Eccleſiæ Dei moleſtus & amarus, libertatem prædictam & dotationem noſtri Monaſterii Mellicenſis molitus eſt infringere & infirmare, & Decimas Eccleſiarum noſtrarum auſferre. Contra quem Erchenfridus, Tertius Abbas hujus Monaſterii noſtri Mellicenſis, qui & Hiſtoriam S. Cholomanni compoſuit, Dominum Apoſtolicum, vita & nomine Innocentium, adiit, & privilegium noſtrum tertio innovavit, & Epiſcopi conamina ſeu factiones Apoſtolica auctoritate annichilavit: eodem Piiſſimo Leopoldo Marchione faveñte & adjuvante, qui & eodem anno, XVII. Kal. Decembris de hac luce ſubtractus eſt, & in Neuburga ſepultus, cujus Epitaphium tale eſt.

Iſte docet titulus, quem noſtra ferat caro fructum,
Iſque monet tumulus, quem fata gerant tibi luctum.
Marchio laus veri Leopoldus gloria Cleri:
Hoc jacet indigno quadro ſub limite ſigno,
Hic Medlica ſuis ſtuduit te condere donis,
Hunc ſociare tuis ſtudeas prece, thure Patronis.

Mortuo igitur præfato Leopoldo, ac filio ejus Hainrico dominante, dicto Jochſamergot, inventum eſt Lignum Dominicum Wiennæ, anno, ſcilicet Domini MCLXX. quod aureæ Cruci cum aliis ſanctiſſimis Reliquiis incluſum quidam Clericus, miniſter Sathanæ, nomine Rupertus, auri cupidine illectus, furtive abſtulerat.

De quo furto propter communem Eccleſiæ ad Deum clamorem publicatus & comprehenſus, ex judiciali ſententia ſuſpendio vitam finivit. Inventa autem glorioſa ac Venerabili Cruce Wiennæ apud Scotos, orta eſt inter Venerabiles Patres & Dominos, Dominum Abbatem Mellicenſem, & Dominum Abbatem Scotorum diſſenſio, pro obtinenda S. Cruce, quis eam Eccleſiæ ſuæ tolleret. Cumque diutius mutuo diſceptaſſent, tandem per arbitros decretum eſt, ut eis ſegregatis, S. ipſa Crux in medio poneretur, & cui ipſorum ſine mortali amminiculo, implorato Divino auxilio, in manus donaretur, ea perpetua jurisdictione pacifice frueretur. Et cum hoc placuiſſet utrique, occultorum cognitor Deus, qui non privat eos bonis, qui ambulant in innocentia, ſed reddit unicuique, quod ſuum eſt, Domino Abbati Mellicenſi in ſuas manus dudum ſubreptam Crucem miraculoſe recommendavit. Denique ut plenius comprobaret Dominus, eam ſuam eſſe, a Wienna usque ad Nusdorff naviculæ impoſita, ſine nautis & ampluſtribus ſupernatavit.

1 *Vulgo nunc* Modling. 2 *i.* Bavariæ Duce, cognomento Superbo. 3 *pro* viſitaret *ut cum Lambeciana edit. alia tria MSS. Mellic. habent.* 4 *Lambec.* & puellarum

1 *Lambecius* ligno. 2 *in vetuſtiori MS. Mellic. legitur* Comere. 3 *Lambec.* perperam MCLIX. 4 *Lambec.* Inventa autem eſt .... Crux. *&c.* 5 *Hic deſinit Lambeciana Editio uti & Cod. quidam Mellic. nunc ſignatus L. 80. In cæteris 5. MSS. noſtris continenter ſequuntur, quæ hoc loco ſubjunximus.* 6 ejus.

NECROLOGIUM MELLICENSE VETUS,

NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATUM EX VETUSTIS MEMBRANIS EJUSDEM MONASTERII.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ANtiqua Necrologia, quæ Veteres *Diptycha mortuorum* appellabant, hiſtoriæ multum lucis adferre, Eruditorum nemo eſt qui neſciat. Ex his enim Principum, Epiſcoporum, Abbatum, aliarumque illuſtrium perſonarum dies emortuales cognoſcimus, qui in Annalibus Chronicisque ſæpenumero deſiderantur. Ejus generis tria Necrologia Primæ Operis iſtius parti viſum eſt inſerere, nempe Mellicenſe noſtrum, Clauſtro-Neoburgenſe, & Scottenſe: in quibus Principum Auſtriacorum, Antiſtitum, Præſulum, aliorumque inſignium virorum & fœminarum dies obituales, cæteraque ſcitu digna annotantur. Mellicenſe, quoniam reliquis vetuſtate præſtat, hoc loco proferimus, cætera inferius ſuo loco repræſentaturi.

II. Necrologium Mellicenſe, quod in membranis ſæculo XII perquam eleganter ſcribi cœptum, & ſubinde ab aliis aliisque ſequiorum temporum hominibus continuatum fuit, extat in eodem authentico codice, ex quo Chronicon Monaſterii noſtri tranſcripſimus. Occurrunt in eo nonnulla, quæ explanatione quadam opus habent. Atque inprimis breviter explicandum, quinam illi *fratres* & *ſorores*, quorum frequens hic fit mentio, Mellicenſium Cœnobitarum fuerint. Deinde ecquod hominum genus *Incluſorum*, quales ibidem variis in locis recenſentur, nomine deſignetur. Ad primum quod attinet, priſcis Cœnobitis mos erat eos appellare *fratres ſuos & ſorores*, quibus orationum & ſuffragiorum ſocietatem concedere, eorumque nomina, cum obiiſſent, inter nomina defunctorum ſuorum adſcribere ſolebant; ut eorum apud poſteros perpetua extaret memoria, ſtatæque quotannis pro eorum ſalute precationes & ſacrificia perſolverentur. In hujusmodi fraternitates non ſolum inferioris fortunæ homines, ſed etiam principes Viri, Duces, Reges, atque adeo Imperatores, Epiſcopi, cæteri a Monachis recipi expetebant, admittebanturque, ut ex variis teſtimoniis, quæ in Gloſſario Latinitatis ad Scriptores med. & inf. Latin. verbo *fratres* affert eruditiſſimus Carolus Du-Cangius, edocemur. Atque ex Necrologio noſtro diſcimus, Dietpoldum ſeu Theobaldum ab anno 1172. ad 1190. Paſſavienſem Epiſcopum, Sophiam Duciſſam de Scala, Heinricum Comitem de Scala, Helmbertum, aliosque diverſorum Monaſteriorum Abbates, Plebanos, Milites &c. prædictam cum noſtris Mellicenſibus fraternitatem coluiſſe.

III. *Incluſi* vero ii dicebantur, qui vitæ purioris deſiderio ab omni hominum conſuetudine remoti, in arctiſſimas cellulas ſeſe abdebant, inde quoad viverent, niſi ob communem utilitatem aliasve graviſſimas cauſas, nunquam egreſſuri. Qui ad iſtud ſtrictioris vitæ genus anhelabant, ad id neutiquam admittebantur, niſi poſt emeritos labores, & data virtutum Monaſticarum ſpecimina, petitamque Epiſcopi vel Abbatis facultatem, a cujus imperio & poteſtate propterea non eximebantur; ut eſt in Statutis Guidonis Epiſcopi Prænestini anno 1202. apud Chapeavillum tom. 2. Hiſtoriæ Leodienſis pag. 201. & in Regula Solitariorum cap. 15. Incluſorum hujusmodi

Regu-

Regulam peculiarem descripsit Matthæus Raderus ex membranis Paumburgensibus, refertque Bav. S. Vol. III. pag. 115. & ex eo Haeftenus noster lib. 1. Disquis. Monastic. Tract. 8. Disquis. 2. Aliam habet Codex Monasticarum Regularum Holsteinii tom. 2. pag. 281. Rigidissimum istud Institutum nedum viri, sed & fœminæ coluerunt, quarum tres, nominatim Ava, Bucca & Beritha in hoc Necrologio memorantur. Quam vero admirandam hujusmodi inclusæ fœminæ vivendi rationem tenuerint, perspici potest ex Actis Venerabilis Virginis Wilburgis seu Wilbirgis, in inclyta D. Floriani, Ord. Can. Reg. S. Aug. Canonia in Austria Superiore Professæ, ac quadraginta & uno annis Inclusæ, quæ notis & observationibus historico-criticis illustrata Augustæ Vindel. anno 1715. primum evulgavit germanus meus Admodum Reverendus & Religiosus D. P. Bernardus Pezius. Illud denique observatione dignum, sæculis XII & XIII Cœnobitas Ordinis nostri, & speciatim Monasterii nostri Mellicensis, Hierosolyma religionis ergo proficisci solitos fuisse, qui hic passim *Hierosolymipetæ* vocitantur. Nunc ad ipsum Necrologium Mellicense, quod totidem verbis sic habet.

NECROLOGIUM MELLICENSE VETUS.

JANUARIUS.

IV. Non. Fridruon Laicus.

III. Non. Engilherus Presbyter & Monachus. Theodora (quæ & Gerdrudis) Ducissa obiit. Hainricus, filius Liupoldi Ducis, obiit. Nonas Baldericus Abbas Salzeburch.

VIII. Id. Mahtoldus Presbyter & Monachus nostræ Congregationis. Perhta Laica.

VII. Id. Uodalricus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

IV. Id. Hartewicus Episcopus. Durinch puer ob.

XIX. Kal. Februarii. Heinricus Dux Austriæ ob. Adelrammus Conversus & Monachus nostræ Congreg. ob.

XV. Kal. Elbwinus Conversus nostræ Congreg.

XIV. Kal. Regenlint Monialis.

XII. Kal. Werinherus Conversus nostræ Congreg. Ruotpertus Conversus nostræ Congreg.

X. Kal. Gebehardus Conversus & Monachus nostræ Congreg. Ernust, filius Liupaldi Marchionis, ob.

IX. Kal. Wernherus puer ob.

VIII. Kal. Chuonradus laicus, frater noster. Rugerus Miles ob.

VII. Adalheida Marchionissa, uxor Adalberti Marchionis Austriæ, qui Sanctam Crucem attulit, ob.

IV. Kal. Gerwicus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob. Meingodus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

II. Kal. Wnna laica ob. Gotfridus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. Pilgrimus Conversus nostræ Congreg.

FEBRUARIUS.

IV. Non. Starchandus Conversus & Monachus nostræ Congreg. Gerboto Subdiaconus & Monachus nostræ Congreg.

A Non. Ruodinc Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

VIII. Id. Ruogerus de Anschuowe occisus est.

VII. Id. Helmbertus Abbas de Lambach, frater noster, ob. Ava Inclusa ob.

V. Id. Alheidis de Stefing laica, soror nostra.

IV. Id. Hermannus Presbyter, & Pilgrimus Conversus nostræ Congreg. ob.

III. Id. Geroldus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob.

XVI. Kal. Martii. Uodalricus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. Geroldus conversus & Monachus nostræ Congreg. Poppo Archiepiscopus Treverensis, frater Heinrici Marchionis, ob. Chuonradus Rex ob.

XIII. Kal. Fruoza Marchionissa ob. Reginbertus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob.

B

XI. Kal. Huc de Sancto Victore Magister piæ memoriæ, ob. Engila Conversa, soror nostra.

X. Kal. Chunradus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

IX. Kal. Adalheda Conversa nostræ Congreg.

V. Kal. Hettilo Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

II. Kal. Berhtoldus Presbyter piæ memoriæ ob.

MARTIUS.

Kal. Dietricus Diaconus & Monachus nostræ

C Congreg.

V. Non. Ita Comitissa de Scala ob.

IV. Non. Wolframmus Conversus nostræ Congreg.

III. Non. Chuonradus Abbas nostræ Congreg. piæ memoriæ ob. Einwicus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob.

V. Id. Marcquardus conversus & Monachus nostræ congreg. Gerdrudis laica, Soror nostra, ob. Christin laica ob. Hainricus puer ob.

IV. Id. Berhtoldus Monachus noſtræ Cong. A
III. Id. Adalrammus Converſus & Monachus noſtræ congreg.
Idus Marholt converſus noſtræ congreg. Eberhardus Miles ob.
XVII. Kal. Aprilis. Liutoldus Converſus noſtræ Congreg.
XVI. Kal. Grimo Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Herwicus laicus, frater noſter, ob.
XV. Kal. Permannus Monachus noſtræ Congreg. Pilgrimus Converſus noſtræ Congreg.
XIII. Kal. Sigiboldus Abbas noſtræ Congreg. Primus Abbas hujus loci.
XII. Kal. Liupoldus puer ob.
IX. Kal. Arnoldus Presbyter & Monachus noſtræ congreg. Chunradus Presbyter & Monachus, Prior & Camerarius, noſtræ congreg.
VIII. Kal. Geroldus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. Bucca Incluſa ob. Dietmarus laicus, frater noſter, ob. Siboto laicus, frater noſter, ob.
VII. Kal. Chunradus occiſus laicus, frater noſter, ob.
VI. Kal. Rudigerus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
III. Kal. Ruotbertus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
II. Kal. Liupoldus Diaconus & Monachus noſtræ Congreg. ob.

APRILIS.

III. Non. Adelherus de Minnenbach ob. Benedicta laica ſoror noſtra, ob.
II. Non. Hartuongus Presbyter & Monachus C noſtræ Congregat. ob.
VIII. Id. Aſcwinus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. Heremannus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
VI. Id. Chuonradus Archiepiſcopus, Albertus Archiepiſcopus ob. Tiemo Presbyter & Monachus noſtræ Cong. Chriſtin laica obiit.
III. Id. Uodalricus Presbyter & Electus noſtræ Congreg. iturus Romam pro confirmatione & conſecratione obiit in via.
Idus. Waltherus Presbyter, frater noſter. Adeloldus Presbyter & Monachus, frater noſter, ob.
XVIII. Kal. Maj. Herbordus Converſus & Monachus noſtræ Congreg.
XVII. Kal. Eberhardus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. Gerbot laicus, frater noſter, ob. D
XVI. Kal. Heilka Converſa noſtræ Congreg. Otto Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Fridericus Dux Auſtriæ ob.
XIII. Kal. Sigihardus Comes.
XII. Kal. Gerdrut Duciſſa. Rudigerus Converſus & Monachus noſtræ Congreg.
IX. Kal. Perhtoldus Converſus noſtræ Congreg.
VIII. Kal. Herwicus Presbyter & Monachus noſtræ Cong.
VII. Kal. Marchwart Converſus noſtræ Congreg. Heilka, laica.
VI. Kal. Engilmarus Presbyter. Albero laicus. Methildis laica.
V. Kal. Gotifridus, Adalbertus, Megingoz, Converſi & Monachi noſtræ Congreg.

MAJUS.

Kal. Otto Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob.
VI. Non. Egilolf Converſus & Monachus noſtræ Cong. Sophia Duciſſa de Scala, Soror noſtra; ob. Heinricus de Piela laicus ob.
IV. Non. Diemudis uxor Waltheri Mutarii laica, Soror noſtra.
III. Non. Suniman Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Uodalricus Converſus & Monachus noſtræ Cong. ob.
Nonis. Chuonradus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Magnus Subdiaconus & Monachus noſtræ Congreg. nanus Hieroſolimipeta.
B VII. Id. Uodalricus Abbas.
VI. Id. Brun Abbas de Lavent ob.
V. Id. Eigil Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Tuota laica, mater Erchinfridi Abbatis, ob.
IV. Id. Heinricus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob.
III. Id. Bero Converſus noſtræ Congreg. Rudiger de Cella S. Mariæ Presbyter & Monachus. Albero faber Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob.
Idus Gundelhoh Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Ulricus puer ob.
XVII. Kal. Junii. Heinricus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Adaloldus Converſus noſtræ Congreg.
XVI. Kal. Erchinfridus Abbas noſtræ Congreg. ob. Tertius Abbas hujus loci piæ memoriæ, qui Hiſtoriam Sancti Cholomanni dicitur dictaſſe.
XIV. Kal. Egilof puer ob.
XII. Kal. Liudegerus Præpoſitus S. Georgii M.
X. Kal. Engilscalcus Abbas noſtræ Congreg. Secundus Abbas hujus loci. Werinherus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. Heinricus V. Imperator.
VII. Kal. Adalbertus Marchio ob., qui portionem non minimam S. Crucis Medlicam attulit. Rudolfus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
II. Kal. Hæilwich de Perge Monialis, ſoror noſtra, ob.

JUNIUS.

Kal. Heinricus Converſus noſtræ Congreg.
IV. Non. Bernhardus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
Nonis. Heinricus Wiennenſis, Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.
VIII. Id. Berihta Converſa, ſoror noſtra.
V. Id. Ernuſt Marchio obiit: Lanceam S. Mauritii, & craterem Beati Udalrici Medlicam attulit. Uodalrih Abbas ob., frater noſter. Poppo Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Fridericus Imperator apud Antiochiam obiit.
IV. Id. Rupertus Converſus noſtræ Congreg.
III. Id. Chunradus laicus occiſus eſt. Wolffgangus Sedelius de Tegernſee obiit anno MDLXII.

II. Id.

II. Id. Hainricus puer ob. Poppo laicus Hierosolimipeta, frater noster.

XVII. Kal. Julii Gebhardus Archiepiscopus Salzpurgensis ob.

XIV. Kal. Meginhardus Abbas S. Michaëlis, nostræ Congreg. ob. Perhtoldus Monachus nostræ Congreg. Hierosolimipeta.

XIII. Kal. Sygifridus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob. Heinricus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

XI. Kal. Obiit beatæ memoriæ Eberhardus Salzpurgensis Episcopus.

X. Kal. Ruotbertus Monachus nostræ Cong.

IX. Kal. Heinricus Marchio obiit, Fundatorum unus hujus loci, qui S. Cholomannum Medlicam jussit afferri.

VI. Kal. Otto & Chunradus frater ejus, Comites de Hardeke, occisi sunt.

IV. Kal. Rapoto Subdiaconus nostræ Congreg.

III. Kal. Dietricus Formbacensis Abbas, frater noster, Hierosolimipeta.

II. Kal. Otto Episcopus. Otto Conversus & Monachus nostræ Congreg.

JULIUS.

V. Non. Sigihardus Diaconus & Monachus nostræ Congreg. ob. Sophia puella.

III. Non. Sigihardus Conversus nostræ Congreg. Chunradus puer. Wicpoto Presbyter & Monachus nostræ Congreg. Custos.

II. Non. Alphardus Conversus nostræ Congreg. ob. Otto de Stain laicus, frater noster, ob.

VIII. Id. Adaloldus Presbyter & Monachus. Marchwardus Conversus nostræ Congreg.

VII. Id. Hæidwich puer ob.

VI. Id. Magister Theodericus Presbyter piæ memoriæ frater noster.

IV. Id. Fridericus Presbyter & Monachus nostræ Congregat., scriba.

III. Id. Erchenfridus Abbas. Rudolfus, dictus de Abspurch, Rex Romanorum, Primus hujus nominis, ob.

Idibus. Laztina Conversa nostræ Congreg. Fridericus de Perge Advocatus, frater noster, ob. Gundelpreht ob.

XVII. Kal. Aug. Rudolfus Presbyter & Monachus de Stanstetin, frater noster, ob. Sifridus Waise Archidiaconus. Otto laicus ob.

XVI. Kal. Berihta Inclusa ob. Engilrat Conversa nostræ Congreg. Uozie Conversa nostræ Congreg.

XI. Kal. Uodalricus Conversus & Monachus nostræ Congreg. ob. Heinricus Comes de Schala, frater noster. Hungerus Presbyter, Plebanus ob.

VII. Kal. Alawicus Conversus & Monachus nostræ Congreg. ob. Eberwinus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob.

VI. Kal. Liupoldus Dux Austriæ ob.

V. Kal. Perhtoldus Abbas de Gersten. Herbordus Subdiaconus & Monachus nostræ Congreg. fulmine percussus. Marquardus Abbas de Gersten, & Monachus nostræ Congreg. ob.

IV. Kal. Goezwinus Monachus nostræ Congreg. ob.

AUGUSTUS.

Kal. Chuno Diaconus & Monachus nostræ Congreg. obiit in expeditione Jerosolimitana. Hertwicus laicus. Geisla laica. Heinricus de Wickendorf Presbyter ob.

III. Non. Richgart puer ob.

Nonis. Rudolfus laicus ob.

VIII. Id. Judita puella, soror nostra, ob.

VII. Id. Uodalricus Pataviensis Episcopus, cujus permissione exempti sumus, Herczogenburgensium Fundator, ob. Ruotpertus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. Liupoldus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

VI. Id. Altmannus Pataviensis Episcopus, Fundator Gotwicensium, ob. Herbordus Conversus nostræ Congreg.

IV. Id. Adala Comitilla.

III. Id. Pezelinus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. Waltherus Presbyter & Monachus nostræ Congreg.

Idibus. Ortolfus Abbas nostræ Congreg. ob. Richart Conversa nostræ Congreg. Ebermannus laicus, frater noster, ob.

XVIII. Kal. Septembris. Eberhardus Sancti Ypoliti Præpositus ob.

XVI. Kal. Pezilinus Conversus nostræ Congreg. Fridericus (qui & Petrus) Presbyter, frater noster, ob.

XV. Kal. Gerunc Pictor, Presbyter & Monachus S. Agapiti Martyris, frater noster, Hierosolimipeta. Hugo puer laicus, frater noster, ob. Diemodis laica.

XIV. Kal. Duringus de Oede laicus.

XIII. Kal. Chadelhoh Monachus nostræ Congreg. Chunradus Heusler, Tertius hujus nominis Abbas nostræ Congreg.

XI. Kal. Otto Inclusus Sancti Ypolyti ob.

IX. Kal. Heinricus de Formbach, Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob. Chunradus de Radinde laicus, frater noster, ob.

VIII. Kal. Sigehardus laicus ob. Fridericus Presbyter & Monachus nostræ Congreg. ob.

V. Kal. Uodalricus Episcopus. Chunradus Plebanus Sancti Ypoliti.

IV. Kal. Rudolfus Winnensis laicus, frater noster, ob.

II. Kal. Meinhardus Cubmensis laicus ob.

SEPTEMBER.

Kal. Grifo Conversus & Monachus nostræ Congregat. ob. Pilgrimus Subdiaconus nostræ Congreg. Meinherus laicus submersus ob.

IV. Non. Pilgrimus Conversus & Monachus nostræ Congreg.

II. Non. Reginhardus Conversus nostræ Congreg. ob.

VIII. Id. Ezzo Præpositus Medilicensis Monasterii ob. Erminrich Diaconus & Monachus nostræ Congreg.

VI. Id. Walchuon Conversus nostræ Congreg.

V. Id. Ortolfus laicus ob. Chunradus laicus ob.

IV. Id. Sundramus Presbyter & Monachus nostræ Cong.

III. Id.

III. Id. Hugo laicus, frater noſter. Dietmarus laicus, frater noſter.

XVIII. Kal. Octobris. Bernhardus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

XV. Kal. Raffoldus Diaconus & Monachus noſtræ Cong. Chuonradus Hieroſolimipeta Monachus nos. Cong. ob.

XIII. Kal. Sophia ob. Durinch ob.

XII. Kal. Engilbertus laicus ob. Adaloldus puer noſtræ Congreg. ob.

X. Kal. Engilbertus de Chambe laicus, frater noſter, ob. Chunigunt de Mæcil laica ob.

VIII. Kal. Innocentius Papa piæ memoriæ ob. Agnes Marchioniſſa, uxor Liupoldi IV. Marchionis Auſtriæ, Fundatoris Neunburgenſium.

IV. Kal. Chuonradus Archiepiſcopus piæ memoriæ ob. Salzburch.

III. Kal. Reginherus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob.

II. Kal. Eliſabet laica ob.

OCTOBER.

Kal. Otto de Piſholfſteten laicus, frater noſter ob.

VII. Id. Eliſabeth Marchioniſſa de Stire, ſoror Liupoldi III. Marchionis Auſtriæ, ob. Hademarus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Pruno Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

VI. Id. Dietrammus laicus, frater noſter, ob. Marquardus, Francus, Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

V. Id. Syrus Abbas noſtræ Congreg. ob.

IV. Id. Liupaldus Marchio, qui Monachicam vitam hic inſtituit, ob. Berihta Converſa noſtræ Congreg. Reinoldus Abbas noſtræ Congreg. ob.

III. Id. Pilgrimus de Amezinesbach laicus ob. Meinherus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

II. Id. Liupoldus Converſus noſtræ Congreg.

Idibus. Adalbero Subdiaconus & Monachus noſtræ Congreg.

XVII. Kal. Novembris. Alheldis laica ob. Giſela laica obiit.

XVI. Kal. Willihalmus Converſus noſtræ Congreg. Hademuot laica, ſoror noſtra.

XV. Kal. Liutpaldus V., Liupoldi IV. Marchionis Auſtriæ filius, Dux Bauwariæ, ob. Marquardus puer ob.

XIII. Kal. Baldwinus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob.

VII. Kal. Engilſcalcus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

VI. Kal. Liupaldus Marchio de Stire, filius Ottochari Marchionis, ob.

V. Kal. Goteſchalcus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

III. Kal. Marquardus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

II. Kal. Uto Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob.

NOVEMBER.

III. Non. Alheidis laica, ſoror noſtra, ob. Herbordus puer ob. Heinricus occiſus, frater noſter.

VIII. Id. Richgart ob.

VII. Id. Hadamarus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Hadmarus Abbas noſtræ Congreg.

VI. Id. Adalbert, filius Liutpaldi Marchionis, ob.

V. Id. Pilgrimus, Marchwardus, Converſi & Monachi noſtræ Congreg. Sigemarus Abbas, frater noſter.

IV. Id. Margareta de Pechlen ob. Alguot Diaconus & Monachus noſtræ Congreg. ob. Kæzilinus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob. Reginbertus Epiſcopus Patavienſis.

Idibus. Wernherus de Celkigen laicus, frater noſter, ob. Udalricus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Dietpoldus Patavienſis Epiſcopus, frater noſter, ob.

XVII. Kal. Decembris. Liupaldus Marchio obiit, qui Locum noſtrum libertate data firmavit, & Fundator Neunburgenſium, & perfector Medlicenſis Cœnobii tempore Monachorum, Hildiboldus Monachus noſtræ Congreg.

XV. Kal. Hainricus puer ob.

X Kal. Ditricus Abbas noſtræ Congreg. Heinricus Presbyter noſtræ Congreg.

IX. Kal. Adalrammus laicus, frater noſter.

VII. Kal. Dietricus Converſus de Sindanſtetin, frater noſter, ob. Trutmannus Subdiaconus noſtræ Congreg.

VI. Kal. Ruodigerus laicus ob.

V. Kal. Otakchar Marchio de Stire, Fundator Gærſtenſium, obiit.

IV. Kal. Rudolfus de Droze laicus ob.

III. Kal. Enzichint Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob.

II. Kal. Dietricus Comes.

DECEMBER.

Kal. Geroldus puer & Monachus noſtræ Congreg. ob.

III. Non. Irminoldus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob.

II. Non. Rugerus de Liben ob.

Nonis. Abſalon Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Chunradus laicus ob. Geroldus converſus nos. Congreg.

VII. Id. Engilgerus Diaconus & Monachus noſtræ Congreg. ob. Udalricus Monachus noſtræ Congreg.

VI. Id. Leo Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob. Otto de Minebach laicus, frater noſter.

V. Id. Liupaldus Fortis Miles, filius Alberti Marchionis, ob. Fridericus Auſtriæ Dux. obiit adhuc adoleſcens, filius Alberti Ducis, Gemnicenſium Fundatoris.

Anno Milleno, Tricent, Quadragintaque Septem
Sabbato ſub terna Fridericus naſcitur hora,
Alberti natus Ducis Auſtralisque Johannæ
Principis, ac terna Sabbati deceſſit in hora
Vivis ex membris Idus Quintaque Decembris,
Anno Milleno, C. ter, L. X. que ſecundo.

IV. Id. Chunradus de Wizenberch, Primus hujus nominis, Abbas noſtræ Congreg. obiit.

II. Id. Ruodolfus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

XVIII. Kal. Januarii. Albricus Monachus noſtræ Congreg. ob.

XVI. Kal. Regenlint Converſa, ſoror noſtra.

XV. Kal. Illiſunch Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. ob.

XIII. Kal. Udalricus de Phechlarin, Presbyter & Monachus noſtræ Congreg.

XI. Kal. Arnoldus laicus ob.

IX. Kal. Perhtoldus Monachus noſtræ Congreg. Liupoldus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Liupoldus laicus ob.

VII. Kal. Fridericus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. ob.

VI. Kal. Waltherus Presbyter & Monachus noſtræ Cong. ob. Engilbertus Presbyter & Monachus noſtræ Cong. ob.

IV. Kal. Engilſchalcus Converſus noſtræ Congreg. ob.

III. Kal. Pezilinus Converſus & Monachus noſtræ Congreg. Gebehardus Presbyter, frater noſter. Giſila de Saze laica, Soror noſtra.


II. Kal. Liupoldus Dux ob. Gebhardus Presbyter & Monachus noſtræ Congreg. Chunradus Converſus, frater noſter.

INSCRIPTIO LAPIDIS SEPULCHRALIS,

QUO VETERUM AUSTRIÆ MARCHIONUM, EORUMQUE CONJUGUM CORPORA, IN MONASTERIO NOSTRO MELLICENSI CONDITA, QUONDAM TEGEBANTUR.

OBSERVATIO PRÆVIA.

INſcriptio hæc unacum ſubjunctis epitaphiis habetur ad calcem Chronici Mellicenſis, manu ſæculi XIII exarata. Lapis vero ſepulchralis, unde eam Mellicenſium quispiam deſcripſit, dudum interiit miſerabili forſitan incendio illo, quo Monaſterium noſtrum anno Domini 1297. in pervigilio Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ conflagravit. Cæterum Frewiza, Fruoza ſeu Frowiza, quæ inter Marchioniſſas hic conditas numeratur, teſtantibus Tabulis Clauſtro-Neoburgenſibus, uxor fuit Leopoldi II, vulgo Fortis Militis, filii Adalberti Marchionis: qui Leopoldus (ut in jam memoratis Tabulis traditur) in nuptiis Heinrici III. Imperatoris apud Ingelhaim celebratis extinctus, a Poppone Archiepiſcopo Treviris in ſepulchrum illatus fuit. Itham vero Leopoldi III, Pulchri dicti, conjugem, poſtquam cum aliis plurimis Hieroſolymis reverſa fuiſſet, in Græcia defunctam tumulatamque ex iisdem Tabulis Clauſtro-Neoburgenſibus intelligimus. Porro ſupradictam lapidis ſepulchralis inſcriptionem, nec non veterum quorundam Auſtriæ Marchionum, eorumque Conjugum, emendatius, quam apud Schrambium noſtrum & Lambecium extent, ex membranis Mellicenſibus ſic habeto.



EPITAPHIUM MARCHIONUM.

MOrs quasi cæca furit, quasi ventus, hyems rapit, urit,
Cum filiis flores vorat omnis carnis honores.
Quinque sub hac tumba mortis Proceres tenet umbra:
Quos redimens gratis Deus omnibus adde Beatis.
Marchio Liupaldus a verme sit, igneque salvus:
Hujus honor sedis, fons Cœnobii, Pater ædis.
Hac situs in fossa, Cholomanni Martyris ossa
Fratribus Heinricus dedit his, Princeps & Amicus.
Dormit Adalbertus, hic surgat luce refertus.
Quem sopor hic urget. Lewpaldum gratia purget.
Vita sit Ernusto, pars omnibus in grege justo.
Confer eis Vitam, virtute fideque petitam.

EPITAPHIUM MARCHIONISSARUM.

O Dolor, o luctus! heu væ tuus est caro fructus!
Lege pari Dominas Sex legis hic domitas:
Rihkart, & Swænhilt, Alheit, & Frewiza, Mehtilt;
Sexta Puella ruit, Judita dicta fuit.
Forma jacens, & fama tacens gravium Dominarum
Vota movent, dum fata monet miseras miserarum.
Has Deus attulit, abstulit ut stellas Orienti;
Nunc lavet, induat, instruat ut Sponso venienti.

Sex celebres Dominæ celebrant hic vota ruinæ:
Rihkart ſexta puella datur, bene Judittaque vocatur.
Juſtus ut ancillas Dominus dedit, abſtulit illas.
Sacris ergo thoris has fœdere jungat amoris.
Hos Cinerem flatus Deus excipe, ſolve reatus.

CHRONICON SALISBURGENSE

A PRIMO ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ AD M CCC XCVIII,

(*Longe diverſum ab eo, quod V. C. Heinricus Caniſius Tomo VI. Lect. Antiq. vulgavit*)

Ab Anonymo quodam, ut videtur, Canonico Salisburgenſi Sæculo XII ſcribi cœptum, tum ab aliis coætaneis, inprimisque Weichardo de Polhaim, poſtea Archiepiſcopo Salisburgenſi, continuatum, demum ab Anonymis vel Abbatibus vel Cœnobitis Sancti-Petrenſibus pertextum,

NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACTUM EX CODICE AUTOGRAPHO INCLYTÆ ABBATIÆ S. PETRI SALISBURGENSIS, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ETſi primarium inſtitutum noſtrum fuerit, nonniſi Veteres Rerum Auſtriacarum Scriptores hoc Opere complecti; non tamen Auctores alii, qui finitimarum regionum nationumque geſta litterarum monumentis conſignarunt, penitus prætermittendi videbantur, ii maxime, qui res gentis noſtræ magnam partem attigerunt. Præterquam enim quod hinc Hiſtoria Auſtriaca multo locupletior evadat, illud etiam commodum accedit, quod ex Scriptoribus exteris ea perſæpe diſcamus, quæ domeſtici vel neſcierunt, vel conſulto diſſimularunt: aut cum idem quidem factum ab utrisque refertur, aliter ab his, aliter ab illis (ut ſunt ſcribentium animi, a partium ſtudiis non ſemper ſatis alieni) exponatur. Quæ varietas non ſolum voluptatem lectoribus affert, ſed rerum etiam geſtarum narrationibus magnam lucem fidemque conciliat. Ejus generis eſt inſigne, quod hic primum publicamus Chronicon Salisburgenſe, de quo ut penitius lectorem edoceremus, hæc pro more noſtro prævie notanda cenſuimus.

II. In itinere noſtro Bavarico plura quidem Chronica Salisburgenſia manuſcripta videre nobis licuit: at nullum iſto, quod hoc loco damus, antiquius præſtantiusve. Exaratum id primum fuit admodum eleganter in membranis ſæculo (ut Codicis MS. Characteres præferunt) duodecimo, quod poſtmodum alii atque alii Auctores coævi ad ſæculum usque XIV. produxerunt, quemadmodum ex diverſitate manuum ſcripturarumque formis manifeſtum eſt. Primum hujus Chronici Conditorem, Canonicum Cathedralem Salisburgenſem fuiſſe ex eo conjicimus, quod idem alii ejusdem Archiepiſcopalis Eccleſiæ Canonici usque ad annum 1375. continuaverint. Id quod non obſcure colligas ex iis, quæ ad annum 1273. inter alia leguntur hunc in modum: *Eodem etiam tempore Capitulum Saltzburgenſe a quibusdam creditoribus in curia Romana ſuper quibusdam debitis, quæ Dominus Ulricus Archiepiſcopus, & Dominus Otto Præpoſitus contraxerant, convenitur, de quo contractu infra* XV. *annos nullam habuimus notitiam. Hæc omnia propterea ſcripta relinquimus, ut poſteri intelligant, & recogitent, & ſibi caveant, ne de cætero alicui hominum dent nudam membranam, & ne aliquem Præpoſitum eligant in Archiepiſcopum: ne utramque dignitatem con-*

tra voluntatem Capituli teneat, & ne inſtitutio Prælaturæ noſtræ ad Dominum Papam devolvatur, & ne de cætero aliquem in Canonicum accipiant defectum natalium patientem. Idem perſpicue diſcimus ex anno 1307 ſub cujus finem hæc totidem verbis memorantur: *Eodem anno obiit Dominus Helervvicus* [1], *Decanus Eccleſiæ Saltzburgenſis: cui ſucceſſit Venerabilis Dominus VVeichardus de Polhaim, ejusdem Eccleſiæ Canonicus, circa feſtum B. Martini, qui ſupplevit ea, quæ neglecta fuerant in præſenti Cronica, à tempore interfectionis Regis Boemiæ Otakkeri.* Miſſos facimus annos 1251. 1266. 1267. & 1272. quorum contextus diligenter attenteque perlectus facile cuique perſuadebit, præſens Chronicon à primo nati Servatoris anno ad 1375. haud alios, præterquam Canonicos Salisburgenſes, habere Auctores. Porro quæ ab anno 1375. (ubi nova manus incipit) ad finem usque ſubjunguntur, ab Anonymis vel Abbatibus vel Cœnobitis San-Petrenſibus conſcripta fuiſſe, argumento ſunt illa verba, quæ initio mox memorati anni 1375. ſic habent: XIV. *Kal. Februarii obiit Dominus Johannes Roſſes, Venerabilis Abbas hujus Monaſterii.* Monaſterium iſtud, cui Johannem Roſſes præfuiſſe ſcribit Chronographus, Sancti-Petri Salisburgenſis eſt, ut patet ex Hiſtoria Salisburgenſi Joſephi Mezgeri, celebris ejusdem loci Cœnobitæ.

III. Quantum vero Chronicon hocce diſcrepet ab eo, quod Heinricus Caniſius tom. 6. Antiq. lect. a pag. 1252. ad 1293. primum typis evulgavit, is haud difficile intelliget, qui collationis laborem non defugerit. Qua de re (ne longior ſim) id tantum innuiſſe ſufficiat, Chronicon Caniſianum ordiri ab anno Chriſti 580, finireque in anno 1475, atque in eo permulta deſiderari: noſtrum vero, quod initium ſumit a primo Dominicæ Incarnationis anno, deſinere in anno 1398, omniaque in eodem uberius ac ſincerius haberi. Eſt penes nos & aliud MS. Chronicon Salisburgenſe, ab anonymo ſæculi XIV. Auctore variis ex Chronicis, præſertim ſubjecto veteri Salisburgenſi compilatum, quod in percelebri Ordinis noſtri Monaſterio Glunicenſi (in Auſtria Superiori prope urbem Styrenſem ſito) anno 1715. inter alios veteres loci codices manuſcriptos invenimus, & a Reverendiſſimo Domino Ruperto, jam laudati Cœnobii Præſule humaniſſimo, nobis benigne transmiſſum noſter Admodum R. D. P. Ferdinandus Mildenperger ex integro deſcripſit. Ex hoc Chronico, quod cum Caniſiano fere convenit, locos aliquot, qui in noſtro hoc Chronico Salisburgenſi penitus erant eraſi, reſtituimus: quos ut lector animadverteret, uncis incluſimus. Nec omiſimus variantem lectionem, ſiqua momenti alicujus in codice Glunicenſi occurriſſet, ad marginem enotare. Annos vacantes, qui in autographo San-Petrenſi non infrequentes ſunt, omnino prætermiſimus: non vero varias additiones manibus recentioribus attextas, quas diſtinctionis ergo minoribus typis, ut in Chronico Mellicenſi, a nobis factum, donavimus.

IV. Anonymus hujus Chronici Continuator ſub finem anni 1364. acriter invehitur in Rudolphum IV. Auſtriæ Ducem, eumque velut impium, & infenſiſſimum Clero Principem criminatur, unde eum paſſim *Cleri perſecutorem* appellare non veretur. Prætereo probra reliqua, quæ ibidem non falſo minus quam inepte in eum jactat impotens ille, & Rudolpho iniquior Anonymus Salisburgenſis. At vero quam longe ab his abfuerit Rudolphi Ducis pietas & religio, quamque benignus & liberalis in Viros tum Eccleſiaſticos tum Religioſos extiterit, permulta præclaraque, quæ etiamnum ſuperſunt, relicta ab eo monumenta ſatis ſuperque teſtantur. Quorum facile princeps

[1] *alia* Helmwicus.

eſt

eſt (ut cætera mittamus) ampliſſimum Divi Stephani Viennenſe Templum, quod piiſſimus hic Princeps omnium primus Cathedrale fecit, Præpoſito cum 24. Canonicis & 25. Capellanis in eo conſtitutis; ut ex litteris fundationis, in quibus Innocentii VI, & Urbani V. SS. PP. honorificentiſſime meminit Rudolphus Dux, intelligimus. Deinde vero Univerſitas Viennenſis, quam ab eodem Rudolpho cœptam poſtmodum Albertus III. dictus cum *Trica*, ejus frater & ſucceſſor perfecit. Cui rei teſtimonio ſunt bina Diplomata Urbani V, & Urbani VI. Romanorum Pontificum, quæ integra habes apud Lambecium lib. 2. Biblioth. Cæſ. cap. 5. pag. 85. & pag. 88. Hæc profecto *Cleri perſecutori*, qualem Chronici iſtius Continuator Rudolphum Auſtriæ Ducem per ſummam injuriam vocitat, minime conveniunt. Sane neminem unum Auctorum domeſticorum exterorumve hactenus ineditorum, qui Rudolphi IV. Auſtriæ Ducis vel æquales vel ſuppares, aut etiam ævo ſequiore vixerunt, legere videreve me memini, qui tantam inclementiam & odium, quanto Rudolphum in Ordinem Eccleſiaſticum fuiſſe memorat Continuator, vel verbulo commemoraſſet. Neque etiam Scriptores typis excuſi, qui res ipſius attigere, quidquam hujusmodi de eo memoriæ prodiderunt. Quin potius inter cæteros Gerardus de Roo, diligens admodum & ſatis accuratus Hiſtoricus, lib. 3. Hiſtor. Auſtriacæ, pag. 115. ſingularem Rudolphi Ducis in ſacra ædes & Clerum pietatem ac munificentiam hiſce verbis commendat: *Carmelitis, item*, inquit, *atque aliis paſſim Cœnobiis, & templis multa elargitus eſt, unde in eorum Annalibus ubique Fundatoris titulo inſignitur.* Quæ quidem duobus vetuſtis vel unius Tabularii Mellicenſis inſtrumentis firmari poſſunt, quorum altero ſub annum 1359. beneficium ſalis, altero circa annum 1362 jus piſcandi in Danubii flumine munificus hic Princeps Rudolphus Monaſterio noſtro Mellicenſi contulit. Extat & alia donationis charta in prædicto tabulario, qua Albertus Dux Auſtriæ II, cognomento *Curvus* ſeu *Contractus*, Rudolphi IV. pater, reditus omnes & emolumenta ex præfectura Zedlmaringana, eamque ſpectantibus provenientia noſtro itidem Cœnobio anno 1355. conceſſit. Quorum beneficiorum probe memores Mellicenſes noſtri, piiſſimis utriusque Ducis manibus ſua quotannis juſta perſolvunt. Tantum igitur abeſt, ut *paternæ fundationis, & perpetuarum Miſſarum devaſtator* (quæ verba ſunt impudentis illius Continuatoris) Rudolphus hic fuerit, ut eadem potius multis partibus ampliaverit auxeritque. Hæc paulo fuſius perſequi viſum eſt, ut Rudolphum IV. laudatiſſimum Auſtriæ Ducem a jejunis manifeſtisque calumniis, quibus eum præter omne meritum ſæpe jam memoratus Chronici Salisburgenſis Continuator anonymus onerare conatus eſt, vindicaremus: ſimulque prudentem æquumque lectorem præmoneremus, ne eidem in his, quæ alienato (ut videtur) & offenſo in Rudolphum Ducem animo effutiit, fidem ullam adhibeat.

V. Cæterum hoc inſigne Salisburgenſe Chronicon Reverendiſſimo Domino Placido, Inclyti & Antiquiſſimi Cœnobii S. Petri apud Salisburgum Religioſiſſimo ac humaniſſimo Abbati, acceptum referimus, qui pro ingenti ſuo in Hiſtoriam Auſtriacam ſtudio præclarum hocce antiquitatis monumentum, aliaque permulta, quæ ad promovendam amplificandamque Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ gloriam conducunt, promptiſſimo animo nobiscum communicare dignatus eſt, quod hoc loco ingratiſſimi animi teſtimonium merito commemorandum exiſtimavimus.

CHRONICON SALISBURGENSE.

JEsus Christus Dominus Noster in Bethlehem Judæ nascitur anno XLII. Octaviani Augusti Cæsaris, transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis M.M.M.DCCCCLII., secundum septuaginta vero interpretes M.M.M. M.M.XCIX., ab Urbe vero condita anno DCCLII.

III. Herodes infantes occidit. Augustus Tyberium & Agrippam in filios adoptavit.

IV. Judas Galileus ad rebellandum Romanis Judæos cohortatur.

V. Asinius Pollio Orator moritur.

VI. Herodes Rex Judææ cum magno cruciatu moritur: pro quo Archelaus annis IX. regnavit.

VII. Fames magna Romæ facta est.

IX. Tyberius Cæsar sub Augusto Dalmatas Sarmatasque subegit.

XII. Jani portæ XII. annis sub Augusto clausæ aperiuntur.

XIII. Messala Corvinus Orator obiit.

XIV. Eclipsis solis facta est.

XV. Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto religatur, & Augustus obiit.

XVI. Tyberius privignus Augusti regnavit annis XXIII. Herodes Tetrarcha Judæorum annis XXIV. regnavit.

XVII. Mathematici urbe pelluntur.

XVIII. Livius Historiographus obiit: & Ovidius Poeta in exilio obiit.

XIX. Germanicus, qui & Agrippa, missus a Tyberio Germanos vicit. Terræ motu XII. urbes perierunt.

XX. Germanicus Cæsar obiit.

XXI. Fenestella Historiographus obiit.

XXII. Tyberius multos Reges ad se dolo vocatos amodo non remisit.

XXIII. Pompej theatrum incensum est.

XXIV. Tyberius Drusum consortem Imperii fecit, qui eodem anno veneno periit.

XXVII. Pilatus Præses a Tyberio in Judæam mittitur.

XXX. Christus a Johanne baptizatus prædicare cœpit.

XXXI. Johannes Baptista ab Herode Tetrarcha decollatur.

XXXIII. Christus passus est. Eclipsis solis facta est. Stephanus lapidatus est.

XXXIV. Paulus de cœlo vocatur. Jacobus ab Apostolis Patriarcha ordinatus triginta annis sedit.

XXXV. Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens seditionem Judæis excitavit.

XXXVI. Sejanus Præfectus Tyberium, ut Judæos deleat, hortatur.

XXXVII. Agrippa Herodem Tetrarcham Romæ accusans, in vincula mittitur.

XXXVIII. Tyberius Romanos graviter afflixit, & ipse veneno periit.

XXXIX. Gajus vir scelestissimus succedit, qui Herodem Tetrarcham Regem Judææ fecit.

XL. Judæis apud Alexandriam profligatis, Philo clarissimus scriptorum pro eis interpellavit.

XLI. Pilatus magnis calamitatibus a Gajo oppressus, semet occidit.

XLII. Mathæus Evangelium scripsit Hebraice. Gajus a protectoribus suis [1].

XLIII. Claudius succedit.

XLIV. Petrus Romam venit. Jacobus frater Johannis occiditur.

XLV. Herodes ab Angelo percussus periit: pro [2] Agrippa filius ejus regnavit. Marcus Evangelium scripsit. Primus Antiochiæ Episcopus Evodius ordinatur.

XLVI. Magna fames facta est. Claudius Britanniam subegit.

XLVII. Nova Insula XXX. stadiorum in mari apparuit.

XLVIII. Cives Romani a Claudio numerati, sunt inventi sexagies novies c. milia, & XLIV. milia.

XLIX. Judæorum in seditione XXX. milia interfecta sunt, in diebus azymorum.

LI. Claudius Judæos expulit Urbe.

LII. Magna fames Romæ facta est.

LIII. Claudius Felicem Præsidem Judææ fecit.

LIV. Hoc tempore Simon Magus hæresis auctor extitit.

LV. Ægyptius quidam pseudopropheta Judæos seducens, a Felice opprimitur.

LVI. Claudius veneno periit, anno ætatis LXIII.

LVII. Nero succedit flagitiosissimus, primam persecutionem Christianis movit. Festus Felici Præsidi successit. Seditio in Cæsarea orta plures Judæos perdidit.

LVIII. Paulus Romam a Festo Præside mittitur.

LIX. Hucusque Lucas librum *Actus Apostolorum* scribens perduxit.

LX. Statius Poeta claruit.

LXI. Nero Agrippinam matrem, & sororem suam interfecit.

LXII. Nero infinita luxuria, lascivia & ignavia bachatur.

LXIII. Jacobus frater Domini Jerosolimis occiditur. Festo Præsidi Albinus succedit.

LXIV. Marcus Evangelista Alexandriæ passus est.

LXV. Nero thermas ædificavit. Persius & Lucanus Poetæ moriuntur.

LXVI. Nero ut similitudinem ardentis Trojæ videret, Romam incendit.

LXVII. Nero Senecam magistrum suum occidit.

LXVIII. Vespasianus Dux exercitus contra Judæos rebellantes mittitur a Nerone.

LXIX. Petrus crucifigitur, Paulus decollatur. Nero se occidit. Linus Papa sedit annis XII.

LXX. Ignatius secundus Antiochiæ Episcopus post Petrum ordinatur.

LXXI. Galba menses octo, Otho menses tres, Vitellius menses tres.

LXXII. Vespasianus Judæos oppugnans, ab exercitu fit Imperator.

[1] *desunt* occidunt. [2] *Supple* quo.

LXXIII. Titus mirabili fame Judæos oppugnat. A

LXXIV. Jerusalem a Tito capitur, a prima conditione Templi sub Salomone anno MLXXXVIII.

LXXVII. Josephus claruit.

LXXIX. Colossus erectus est, habens altitudinis pedes C & VII.

LXXX. Pestilentia Romæ accidit. Terræmotus tres civitates Cypri evertit.

LXXXI. Vespasianus ventris profluvio circa Sabinos periit.

LXXXII. Titus Vespasiani filius annis II regnavit, homo virtutis, ut deliciæ & amor humani generis diceretur.

LXXXIII. Cletus Papa sedit annis XII. Titus in ea, qua pater, villa obiit XLII ætatis anno.

LXXXIV. Domitianus frater Titi regnat. B Secunda persecutio Christianorum.

LXXXV. Titus decreto Senatus deificatur.

LXXXVI. Tres Virgines Vestæ ob stuprum damnantur.

LXXXVII. Amanus I. post Marcum Evangelistam Alexandriæ Episcopus obiit. Succedit Abilius.

LXXXIX. Domitianus se Deum & Dominum vocari fecit.

XCI. Quintilianus Rhetor Romæ claruit.

XCII. Hoc tempore hæreses Menandri magi, Hebionis, Nicolai, Cherinti oriuntur.

XCIII. Hoc tempore Romani multa mala ab hostibus, & a Domitiano pertulerunt.

XCIV. Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.

XCV. Clemens Papa sedit annis IX. Cornelia Vestalis Virgo ob stuprum viva defossa est. C

XCVI. Domitianus multos Nobilium occidit.

XCVII. Johannes in Pathmos exilio relegatus, scripsit Apocalypsim.

XCVIII. Domitianus Flaviam Domitillam cum aliis pro Christo in exilium misit.

XCIX. Domitianus post multa mala a suis occisus est.

C. Nerva senex jam succedit, & uno anno regnavit: exules exilio revocat, & Johannem Apostolum.

CI. Trajanus Hispanus succedit Imperio. Tertia persecutio Christianorum. Johannes Apostolus obiit.

CIII. Trajanus de Dacis & Scithis triumphat. D Evaristus Papa sedit annis VIII.

CIV. Trajanus multas gentes subjecit Imperio.

CV. Symeon Cleopæ filius, Jerosolimis Episcopus crucifigitur.

CVII. Terræ motus multas urbes subvertit. Aurea domus Neronis fulmine periit, & Pantheon crematum. Ignatius Antiochiæ Episcopus Romæ bestiis traditur: pro quo Oron.

CX. Post Justum Jerosolimorum Episcopum Zachæus, post quem Tobias, post hunc Beniamin, dein Johannes, cui succedit Philippus.

CXI. Alexander Papa sedit annis X.

CXII. IV. Alexandriæ Episcopus Primus sedit annis XII.

CXIII. Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam provincias facit.

CXV. Terræmotus pene totam Antiochiam subruit.

CXVII. Judæi commoti magnas cædes hominum faciunt.

CXVIII. Judæi Alexandriæ victi, ab omnibus ubique trucidantur.

CXIX. Trajanus profluvio ventris moritur, anno ætatis LXIV.

CXX. Adrianus Helius succedit. Hic per Quadratum Apostolorum discipulum, & Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus Christianis mitis efficitur. Dionysius patitur. Simphora cum filiis patitur.

CXXII. Syxtus Papa sedit annis X.

CXXIII. Adrianus iterum Judæos profligat.

CXXIV. Adrianus multa tributa relaxat.

CXXV. Terræmotus fit. Bellum contra Sauromatas gestum.

CXXVI. Adrianus in Lybiam, quæ a Judæis fuit vastata, colonias deducit.

CXCVII. Alexandriæ Justinus Episcopus sedit annos XI. Adrianus Athenienſibus legem dedit.

CXXIX. Hoc tempore Aquila interpres claruit.

CXXX. Jerosolimis post Philippum Episcopum Seneca, post hunc Justus, post hunc Levi.

CXXXI. Saturninus, Basilides, Carpocrates hæreses condiderunt.

CXXXII. Adrianus Pater Patriæ primus appellatur. Telesphorus Papa sedit annis XI.

CXXXIII. Cornelius Antiochiæ sedit Episcopus.

CXXXIV. Nicopolis & Cæsarea terræ motu corruerunt.

CXXXV. Adrianus Athenas ædificiis ampliavit.

CXXXVI. Judæi in arma versi Palæstinam populantur.

CXXXVII. Alexandriæ Eumenes sedit annis XIII.

CXXXVII. Judæi iterum commoti, magnis ubique cædibus enecantur.

CXXXIX. Jerusalem ab Adriano Helio reparata, Helia est dicta, & Judæis interdicta.

CXL. Primus ex gentibus Marcus Jerosolimis Episcopus eligitur.

CXLI. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major sexagenario.

CXLII. Antoninus, cognomento Pius succedit Imperio, clemens factus est nostris. Yginus Papa sedit annis IV.

CXLIII. Antoninus Pater Patriæ appellatur.

CXLIV. Valentinus & Cerdo, & post hos Marcus [1] hæresim impugnant.

CXLV. Justinus Philosophus pro Christianis apologeticum Antonino scripsit.

CXLVI. Antiochiæ Heros Episcopus sedit. Pius Papa sedit annis XV. sub hoc Hermes librum Pastoris scripsit.

CXLIX. Alexandriæ Marcus Episcopus sedit annis X.

[1] leg. hæresi Ecclesiam.

CLIII. Apollonius & Basilides Philosophi A claruerunt.

CLVI. Crescens Cinicus Philosophus Justino nostro Philosopho persecutionem movit, in qua ille pro Christo occubuit.

CLVIII. Alexandriæ Celadion Episcopus sedit annis XIV.

CLX. Jerosolimis post Marcum Cassianus Episcopus fit. Post quem hi: Publius, Maximus, Julianus, Gajanus.

CLXIII. Antoninus Pius obiit, anno ætatis LXVII.

CLXIV. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Commodo Aurelio regnat. Quarta persecutio.

CLXV. Lucio Commodo Cæsari Athenis sacrificanti ignis ab Oriente in Occidentem ferri videbatur.

CLXVI. Volejus Rex Parthorum quasdam provincias Romanas vastat.

CLXVII. Fronto Orator claruit. Seleucia a Romanis capitur.

CLXVIII. Cæsares de Parthis triumphant.

CLXIX. Multi Martyres Romæ, in Creta, in Syria, & Alexandriæ passi sunt: inter quos Anicetus Papa, Victor Papa, Felicitas cum VII. filiis. Cretæ Philippus Episcopus, Pergami Carpus Episcopus, Galliæ Hireneus Episcopus cum multis Lugduni, in Syria Victor & Corona.

CLXX. Hoc tempore lues multas provincias vastavit, & Romanam.

CLXXI. Sother Papa sedit annis VIII.

CLXXII. Theophilus vir sapiens Antiochiæ fit Episcopus.

CLXXIII. Alexandriæ Agrippinus Episcopus sedit. Lucius Cæsar apoplexia periit.

CLXXIV. Catafrigarum hæresis oritur.

CLXXVI. Ejesippus, & Dionisius Corinthiorum Episcopus claruerunt, & alii quamplures Doctores.

CLXXVII. Antoninus multa prælia per se, & per Duces suos contra Romanos inimicos exegit.

CLXXVIII. Tatianus hæresim Encratitarum condidit.

CLXXIX. Antoninus Verus Commodum filium regni consortem fecit. Eleutherus Papa sedit annis XIII.

CLXXX. Imperatores de hostibus triumphant, & debita plebi relaxant.

CLXXXI. Lucius Britanniæ Rex ab Eleutheto Papa, ut Christianus fiat, interpellatur.

CLXXXII. Antoninus in Pannonia moritur.

CLXXXIII. Commodus de Germanis triumphat. Alexandriæ Julianus Episcopus sedit.

CLXXXIV. Templum Serapis Alexandriæ incensum est.

CLXXXV. Pantenus & Clemens clari habentur in Alexandria.

CLXXXVI. Jerosolimis post Gajanum hi sunt Episcopi: Antonius, Valens, Dustianus, Narcissus, Dius, Germanus, Gordius, Narcissus.

CLXXXVII. Commodianæ thermæ Romæ sunt factæ.

CLXXXVIII. Origenes nascitur.

CXC. Hireneus Lugdunensis Episcopus, & alii Doctores clari habentur.

CXCI. Capitolium Romæ & Bibliotheca fulmine perierunt.

CXCII. Victor Papa sedit annis XIII.

CXCIII. Magna quæstio de Pascha agitur, & in Dominico die coli jubetur.

CXCIV. Serapion Antiochiæ sedit. Commodus multos Nobiles occidit.

CXCV. Commodus multis incommodus in domo Vestali strangulatur.

CXCVI. Helius Pertinax regnat mensibus VI. Hunc Julianus jurisperitus occidens, regnat mensibus VII.

CXCVII. Severus Pertinax regnat, Julianum civili prælio vicit, & se Pertinacem nominavit.

CXCIX. Narcissus, Theophilus, Policarpus B Episcopi claruerunt.

CC. Clemens Alexandrinus Presbyter claruit.

CCI. Judaicum & Sarmaticum bellum ortum est.

CCII. Severus Parthos, Adiabenos, Arabas superavit.

CCIV. Thermæ Severianæ Antiochiæ fiunt.

CCV. Zephirinus Papa sedit annis XVIII.

CCVI. Severus quintam persecutionem nostris movit, in qua Leonides pater Origenis patitur.

CCVIII. Perpetua & Felicitas in Kartagine patiuntur.

CCIX. Simachus & Theodotion Interpretes claruerunt.

CCX. Severus vallum apud Britannos per C. XXII. passuum a mari usque ad mare fecit.

CCXII. Tertullianus claruit.

CCXIII. Severus in Britannia obiit.

CCXIV. Antoninus Caracalla regnat. Antiochiæ Asclepiades Episcopus sedit.

CCXV. Alexander Cappadociæ Episcopus fit.

CCXVIII. Antoninus thermas Romæ facit.

CCXIX. Antoninus novercam duxit uxorem.

CCXX. Antoninus occiditur.

CCXXI. Ophinus. Macrinus. Antiochiæ Filetus sedit.

CCXXII. Macrinus cum filio occiditur: Marcus Antonius Aurelius succedit. Kalistus D Papa sedit annis V.

CCXXIV. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est.

CCXXV. Aurelius tumultu militari occiditur Romæ.

CCXXVI. Aurelius Alexander regnat. Hic in matrem suam unice pius fuit, Xerxen Regem vicit.

CCXXVII. Urbanus Papa sedit annis VIII. Hic multos nobilium convertit.

CCXXXII. Antiochiæ Zebennus sedit.

CCXXXIII. Mammea mater Alexandri Origenem ad se vocatum audire curavit.

CCXXXIV. Hoc tempore passi sunt Urbanus Papa, Cæcilia virgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius, & alii.

CCXXXV. Pontianus Papa sedit annis VI.

CCXXXVI.

CCXXXVI. Alexandriæ ſedit Eraclas.
CCXXXVIII. Alexandriæ [1] tumultu militari occiditur.
CCXXXIX. Maximinus regnat. Sexta perſecutio.
CCXL. Pamphilus & Maximus Cæſareæ coronantur Presbyteri.
CCXLI. Maximinus Aquilejæ occiditur. Fabianus Papa ſedit annis XIV.
CCXLII. Gordianus regnat.
CCXLVII. Gordianus Germanos, Parthos, Perſasque vicit.
CCXLVIII. Gordianus poſt victoriam juxta Romanos fines occiditur.
CCXLIX. Philippus cum Philippo filio regnat. Hic Primus Imperatorum Chriſtianus.
CCL. Alexandriæ Dyoniſius claruit.
CCLII. Milleſimus Urbis conditæ annus feſtive colitur.
CCLIII. Origenes Presbyter hoc tempore tanta ſcripſit, ut Hieronymus dicat quodam loco, ſe quinque milia librorum legiſſe.
CCLV. Philippus Senior Veronæ, Junior Romæ occiduntur.
CCLVI. Decius regnat, ſeptimo perſequitur Chriſtianos. Fabianus Papa, Sixtus Papa, Cornelius Papa, Laurentius, Ypolitus, Agatha, Martyres.
CCLVII. Decius cum filio in Thracia occiditur a Gothis. Antonius Monachus naſcitur. Origenes octogenarius obiit. Gallus & Voluſianus regnant. Novatus Presbyter hæreticus factus eſt. Alexander Jeroſolimis, Babda [2] Antiochiæ patiuntur: Mazabanus & Fabius ſuccedunt.
CCLVIII. Gallus & Voluſianus Interamnæ occiduntur.
CCLIX. Valerianus & Gallienus regnant. Octava perſecutio. Lucius Papa, Stephanus Papa .....
CCLXI. Cyprianus Carthaginenſis patitur. Sixtus Papa ſedit.
CCLXII. Valerianus a Rege Perſarum capitur. Gallienus territus Chriſtianis pacem reddidit.
CCLXIV. Antiochiæ Paulus conſtituitur Epiſcopus, poſtea hæreticus.
CCLXV. Germani Italiam, Alamanni Gallias invadunt.
CCLXVI. Græcia, Macedonia, Pontus & Aſia vaſtantur a Gothis.
CCLXVIII. Maximus Alexandriæ ſedit.
CCLXIX. Theodorus, qui & Gregorius, claruit. Himeneus Jeroſolimis claruit.
CCLXXI. Gallienus Mediolani occiditur. Dyoniſius Papa ſedit.
CCLXXII. Claudius regnat. Felix Papa patitur. Marius & Martha, Audifax & Abacuc, Quirinus filius Philippi patiuntur.
CCLXXIII. Claudius obiit. Quintillus frater ejus regnat dies XVII.
CCLXXIV. Aurelius regnat.
CCLXXV. Zenobia Regina Orientis vincitur.
CCLXXVI. Aurelianum Romæ triumphantem Dietricus & Zenobia præceſſerunt.
CCLXXVII. Nona perſecutio.
CCLXXVIII. Aurelianus occiditur, poſt quem Tacitus, & hic occiditur: Florianus poſt hunc, & hic occiditur.
CCLXXIX. Probus annis IV. regnavit.
CCLXXX. Manes quidam, genere Perſa, hæreſim Manichæorum condidit.
CCLXXXI. Antiochiæ Cirillus ſedit.
CCLXXXII. Probus occiditur. Euticianus Papa ſedit. *S. Maximilianus Laureacenſis Epiſcopus ſedit.*
CCLXXXIII. Carus cum Carino & Numeriano filiis regnat. Carus fulmine periit. Gajus Papa ſedit.
CCLXXXIV. Numerianus occiditur. Carinus a Diocletiano occiditur. Criſantus & Daria Martyres.
CCLXXXV. Diocletianus regnat.
CCLXXXVI. Diocletianus Herculeum Maximianum in conſortem regni aſſumit.
CCLXXXVII. Maximianus Amandum in Gallia cum ruſticis vicit.
CCXC. Diocletianus Conſtantium Conſtantini patrem Cæſarem facit.
CCXCI. Diocletianus Galerium Maximianum Cæſarem facit.
CCXCIV. Gajo Papa martyrizato, Marcellinus ſuccedit.
CCXCV. Diocletianus ſe ut Deum adorari juſſit.
CCXCIX. Conſtantius LX. milia Alamannorum occidit.
CCCII. Marcellino Papa martyrizato, Marcellus ſuccedit, poſt quem Euſebius.
CCCIII. Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente eccleſias ſubvertunt. Sub hac perſecutione coronantur Ciriacus Diaconus, Caſtulus, Pancratius, Sebaſtianus, Primus & Felicianus, Fauſtinus & Beatrix, Tiburtius & Suſanna, Felix & Adauctus, Lucia & Geminianus, Euſemia Virgo, Sergius & Bachus, Chriſogonus, IV. Coronati, Anaſtaſia, Julianus & Baſiliſſa, Pantaleon, Adrianus, Gorgonius, Vitus, Lucia, Aſra, Januarius cum ſociis, Mauritius cum ſociis, Gereon cum ſociis, Coſmas & Damianus, Criſpus & Criſpinianus, Mennas, Martyres.
CCCIV. Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani purpuras ſponte ob ſenectutem deponunt.
CCCV. Galerius Conſtantius anno uno regnat, Maximinus & Severus Cæſares eliguntur. Conſtantius Auguſtus vir bonus obiit.
CCCVI. Conſtantinus Conſtantii ex concubina Helena filius regnat. Meltiades Papa ſedit.
CCCVII. Maximianus Herculeus apud Maſſiliam turpiter interficitur.
CCCVIII. Quirinus Epiſcopus paſſus eſt. Severus occiditur: pro quo Licinius Cæſar efficitur. Maximianus quoque obiit.
CCCIX. Maximinus Cæſar perſecutionem reſtaurat. Meltiade paſſo, Silveſter Papa ſuccedit.
CCCXI. Conſtantinus Maxentium vicit. Petrus Alexandriæ Epiſcopus coronatur.

[1] *l.* Alexander. [2] *l.* Babylas.

CCCXII. Persecutio post decem annos finita est.

CCCXIV. Diocletianus obiit, & inter Deos refertur.

CCCXV. Plurimi magorum & persecutorum trucidantur.

CCCXVI. Crispus & Constantinus filii Constantini, & Licinius Cæsares appellantur. Lactantius claruit.

CCCXIX. Licinius Christianos persequitur.

CCCXXI. Alexandriæ Alexander [1] ordinatur, a quo Arrius ab Ecclesia ejicitur.

CCCXXII. In Nicæa Synodus habetur. Arrius condemnatur.

CCCXXIII. Licinius occiditur.

CCCXXIV. Ab Helena Crux Domini invenitur.

CCCXXVIII. Donatus hæresim fecit. B

CCCXXIX. Constantinus ex Bizantio Constantinopolim fecit, & sedem regni esse voluit.

CCCXXX. Nicolaus Mirænorum Episcopus claruit.

CCCXXXII. Constans filius Constantini Cæsar efficitur.

CCCXXXIII. Antonius Monachus claruit.

CCCXXXIV. Dalmatius Cæsar efficitur.

CCCXXXVI. Constantinus duin bellum in Persas parat, obiit.

CCCXXXVII. Constantius filius Constantini cum Constantino & Constante fratribus regnat.

CCCXXXVIII. Sapor Rex Persarum Mesopotamiam vastat, Christianos persequitur. C

CCCXXXIX. Constantius bellum fratri suo Constantino inferens, Aquilejæ occiditur.

CCCXL. Audeus Syrus Audianam hæresim fecit.

CCCXLI. Franci a Constante victi sunt.

CCCXLIII. Maximinus Treverorum Episcopus claruit, Athanasium Episcopum fovit.

CCCXLVI. Eclipsis solis, & terræ motus accidit.

CCCXLVII. Bellum contra Persas gravi Romanorum damno geritur.

CCCXLVIII. Romæ Liberius Papa ordinatur: quo ab Arrianis ejecto Felix sedem occupat annum unum. Sed Liberius hæresi subscribens rediit, & Felix ejicitur. Constans occiditur.

CCCXLIX. Magnentius, qui Constantem D occiderat, Romanos exturbat.

CCCL. Magnentio gravi civili prælio victo, Gallus Cæsar efficitur.

CCCLI. Magnentius Judæos afflixit.

CCCLII Magnentius seipsum occidit.

CCCLIII. Gallus a Constantio patrueli suo occiditur. Victorinus Rhetor, & Donatus Grammaticus claruerunt.

CCCLIV. Julianus frater Galli Cæsar efficitur. Antonius Monachus obiit, centesimo quinto ætatis anno.

CCCLV. Liberius Papa ab Arrianis expellitur. Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentarium perierunt.

CCCLVI. Ossa Andreæ & Lucæ & Timothei Constantinopolim venerunt. Julianus Reno Germanos vicit.

CCCLVII. Hilarius Pictavienſis [1] claruit.

CCCLIX. Constantius contra Julianum arma sumens, obiit.

CCCLX. Julianus Augusti nomen accepit.

CCCLXI. Pagani apud Sebasten sepulchrum Johannis Baptistæ invadunt.

CCCLXII. Julianus periit.

CCCLXIII. Jovinianus catholicus regnat: & eodem anno in nova domo ardore prunarum, & calcis odore suffocatur. S. Nicolaus obiit.

CCCLXIV. Valentinianus regnat.

CCCLXV. Terræ motus per totum orbem factus est.

CCCLXVI. Gratianus Valentiniani filius Imperator efficitur. Vera lana cum nive fluxit de nubibus.

CCCLXVII. Hilarius Episcopus obiit.

CCCLXVIII. Eusebius Vercellensis obiit.

CCCLXIX. Duo Macharii, Hilarion, Pachumius, Johannes, & alii Patres claruerunt.

CCCLXXI. Valentinianus Saxones domuit in regione Francorum. Didimus cæcus claruit.

CCCLXXII. LXXX. fere milia Burgundionum juxta Renum consederunt.

CCCLXXIII. Magnentia, quæ & Tecla, nobilissima Romanorum Jerosolimis claruit.

CCCLXXIV. Valentinianus obiit. Ambrosius Mediolani Episcopus ordinatur. Damasus Papa obiit.

CCCLXXV. Valens cum Gratiano & Valentiniano regnat. Martinus, Hieronymus claruerunt. Gratianus triginta millia Alamannorum occidit. Hunorum gens de Meotidis paludibus exiit. Ermiricus Rex Gothorum c & xx. anno vitæ suæ obiit.

CCCLXXVIII. Valens, a Gothis occiso exercitu, crematur in domo quadam. Priscillianus hæresim fecit.

CCCLXXIX. Gratianus cum Valentiniano regnat, & Theodosium, genere Hispanum, Imperatorem facit.

CCCLXXXI. Synodus CL. Episcoporum Constantinopoli contra Macedonium agregatur.

CCCLXXXII. Hoc tempore Theodosius Hunos & Alamannos multis prœliis vicit.

CCCLXXXIII. Archadius Theodosii filius Imperator efficitur.

CCCLXXXIV. Maximus regni usurpator Gratianum occidit.

CCCLXXXV. Theodosius cum Valentiniano regnat. Priscillianus, & alii hæretici gladio addicti sunt.

CCCLXXXVI. Martinus, Ambrosius, Hieronymus claruerunt, & Severinus Colonienſis.

CCCLXXXVII. Maximus tyrannus a Theodosio captus & occisus est.

[1] *Supple* Episcopus.

[1] *Sup.* Episcopus.

CCCLXXXIX. Siricius Papa obiit.
CCCXC. Anastasius Papa sedit.
CCCXCI. Augustinus Ippone Episcopus constituitur. Claudianus Poeta claruit.
CCCXCII. Valentinianus dolo Arbogastis Ducis laqueo periit.
CCCXCIII. Arbogastes Eugenium tyrannum Imperatorem fecit.
CCCXCIV. Johannes Heremita Theodosium victorem contra Eugenium fore prophetat.
CCCXCV. Theodosius Eugenium superat, & ipse Mediolani quievit. Johannes Chrysostomus claruit.
CCCXCVI. Archadius cum Honorio fratre regnat.
CCCXCVII. Martinus quievit.
CCCXCVIII. Ambrosius quievit. Innocentius Papa sedit.
CCCXCIX. Templa Idolorum destruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur.
CCCC. Gothi, Halarico & Radagaiso Regibus, Italiam ingrediuntur.
CCCCI. Corpora Abacuc & Micheæ revelantur.
CCCCII. Alexius Confessor obiit.
CCCCIII. Orosius Presbyter claruit. Carthaginense Concilium habetur contra Donatistas.
CCCCIV. Radagaisus crudelissimus cum cc. millibus Gothorum sine bello periit.
CCCCVI. Pelagius Britto gratiam Dei impugnat.
CCCCVIII. Archadius Imperator obiit.
CCCCIX. Honorius cum Theodosio fratris filio regnat.
CCCCX. Roma irrupta est a Gothis, Halarico Rege; sed quia Christianus erat, clementer usus est victoria.
CCCCXI. Ataulfus sororem Honorii Placidiam duxit uxorem.
CCCCXII. Gothi Athaulfo Rege Gallias intrant.
CCCCXIII. Burgundiones partem Galliæ Reno conjunctam tenuerunt.
CCCCXV. Corpora SS. Stephani Protomartyris, Gamalielis & Nichodemi revelantur.
CCCCXVI. Zosimus Papa sedit.
CCCCXVIII. Synodus Cartaginensis CCXVII. Episcoporum contra Pelagium habetur. Eclipsis solis facta est XIV. Kal. Aug.
CCCCXIX. Honorius Constantium sororis maritum in consortem regni assumpsit. Bonifacius Papa sedit.
CCCCXX. Hieronymus quievit.
CCCCXXI. Constantius Imperator obiit. Cœlestinus Papa sedit.
CCCCXXIII. Honorius Imperator obiit.
CCCCXXIV. Theodosius Minor Archadii filius regnat, & Valentinianum Placidiæ sororis suæ filium in regnum assumpsit.
CCCCXXVIII. Nestorius Constantinopolitanus hæresim fecit.
CCCCXXX. Augustinus in sua civitate Yppone a barbaris obsessa obiit.
CCCCXXXI. Ephesi Synodus cc. Episcoporum contra Nestorium habetur. Sixtus Papa sedit.
CCCCXXXVII. Gensericus Rex Wandalorum Arrianus Catholicos in Affrica persequitur.
CCCCXL. Gensericus dolo Cartaginem cepit. Leo Papa Doctor sedit.
CCCCXLIII. Brictius Turonensis quievit.
CCCCXLVII. Eutices Constantinopolitanus hæresim fecit.
CCCCXLIX. Theodosius Imperator obiit. Romani cum Attila Rege auxilio Alamannorum pugnantes vincunt, cæsis ibi CL. millibus.
CCCCL. Martianus cum Valentiniano regnat.
CCCCLI. Attila cepit Aquilegiam.
CCCCLII. Attila effluxione sanguinis sui de naribus dormiens suffocatus est.
CCCCLIII. Hoc tempore Severinus Monachus venit in Noricum.
CCCCLIV. Valentinianus occiditur: pro quo Maximus regnat menses II., & a militibus occiditur. Post quem Avitus, qui deponens Imperium successorem habuit Majorianum.
CCCCLVI. Martianus Imperator obiit.
CCCCLVII. Leo regnat. Majorianus movit exercitum in Affricam.
CCCCLX. Ricimer Majoriano occiso Severum fecit Imperatorem.
CCCCLXI. Leo Papa Doctor obiit, pro quo Hilarius.
CCCCLXIV. Severus veneno periit.
CCCCLXVI. Antemius a Leone Imperator Occidentis mittitur.
CCCCLXVII. Simplicius Papa sedit.
CCCCLXX. Remigius Remorum Episcopus ordinatur. Mamertus Viennensis claruit.
CCCCLXXI. Ricimer Patricius Antemium occidit, & Olibrium constituit, ipse periit.
CCCCLXXII. Olibrius VII. mense moritur. Leo Leonem consortem regni fecit.
CCCCLXXIII. Leo senior obiit.
CCCCLXXIV. Zenon regnat.
CCCCLXXV. Odoacer Rugorum Rex Romam obtinuit, Augustulum occidit, *ex contemptu ita vocatus, alias Augustus.*
CCCCLXXVI. Odoacer invito Zenone regnat Romæ.
CCCCLXXVII. Hoc tempore Odoacer cum Herulis Noricum transiens, ad Severinum venit Favianas.
CCCCLXXVIII. Corpus Barnabæ revelatur, & Evangelium Matthæi. Ad Sanctum Amandum Maximus Presbyter cum sociis suis plusquam L. passus est.
CCCCLXXX. *S. Benedictus nascitur.*
CCCCLXXXI. Theodericus Rex Ostrogothorum adhæsit Zenoni Imperatori.
CCCCLXXXII. Felix Papa sedit.
CCCCLXXXIII. Zenon Theodoricum Consulem & Magistrum militum fecit.
CCCCLXXXVIII. Theodericus Consul Odoacrum duobus prœliis superavit.
CCCCLXXXIX. Tertio bello eundem Ravennæ obsedit.

CCCCXC. Quarto bello nocte egressus A Odoacer vincitur a Theoderico.

CCCCXCI. Anastasius regnat. Severinus Monachus in Norico quievit. *Eugippius S. Severini discipulus vitam Sancti sui magistri scripsit agiographam.* Gelasius Papa sedit.

CCCCXCII. Theodericus Odoacrum occidit, & ipse regnat.

CCCCXCV. Anastasius Papa sedit.

CCCCXCVII. Boetius claruit. Simachus Papa sedit.

CCCCXCIX. Theodericus Romam venit, & multa ibi miranda construxit.

DV. Fulgentius Episcopus claruit.

DVI. Theodericus victis Francis Gallias subegit.

DVII. Lodwicus Rex Alamannorum Dei in- B vocans auxilium vicit.

DVIII. Hoc tempore Gens Noricorum prius expulsa revertitur ad patrias sedes Duce Theodone, Latinis ejectis. *Ita est.*

DXI. Ormisda Papa sedit. Benedictus claruit.

DXII. Theodericus Theodonem Ducem Anastasio subdere voluit.

DXVII. Anastasius Imperator hæresi favens, fulmine periit.

DXVIII. Justinus Major regnat.

DXIX. Johannes Papa & Martyr sedit.

DXX. Romanus exercitus apud Oetingin a Theodone prosternitur.

DXXI. Johannes Papa Constantinopolim veniens cæcum illuminavit. Theodericus C ipsum carceris afflictione peremit, Simachum Patricium occidit. Felix Papa sedit.

DXXII. Clodoveus, qui & Ludwicus, Rex Francorum obiit, Parisius sepelitur: pro quo quatuor ejus filii regnant. Theodericus Rex Gothorum subitanea morte periit: pro quo Athalaricus nepos ejus regnat.

DXXIV. Bonifacius Papa sedit.

DXXV. Justinus Justinianum regni consortem faciens, obiit.

DXXVI. Justinianus Parthos superat. Johannes Papa sedit.

DXXVIII. Agapitus Papa sedit. Parthi Romanum exercitum Sabbato Paschæ vincunt. *S. Benedictus fundat Monasterium Casinense.*

DXXIX. Mortuo Athalarico Theodealdus D regnat.

DXXX. Justinianus Templum Agyan Sophiam Constantinopoli fecit, & leges correxit.

DXXXI. Silverius Papa sedit.

DXXXII. Dyonisius Abbas Cyclum Paschalem inchoat.

DXXXIII. Vigilius Papa sedit.

DXXXIV. Cartago a Belesario Patricio recepta est.

DXXXV. Cassiodorus Senator Psalterium exponit. Priscianus ad Julianum Consulem Grammaticam scribit.

DXXXVI. S. Sigismundus Rex Burgundiæ occisus est a Rege Francorum Chodmer filio Clodovei.

DXXXVIII. Belesarius Theodepertum Regem Francorum vicit.

DXLII. *Obiit S. Benedictus.*

DXLIII. S. Remigius in Idibus Januarii obiit, anno Episcopatus sui LXXIV. Arator Subdiaconus librum suum Vigilio Papæ recitavit.

DXLIV. Theodericus Rex, Clodovei filius, obiit.

DLIII. Vigilius Papa obiit, Pelagius succedit.

DLIV. Totila Rex Gothorum in Italia tyrannizat.

DLVIII. Theodbertus Rex, filius Theoderici, obiit.

DLXI. Hildibertus filius Clodovei obiit.

DLXIII. Justinianus Imperator obiit.

DLXIV. Justinus regnat. Johannes Papa sedit.

DLXVI. Narses Patricius Totilam Regem B occidit.

DLXIX. S. Vedastus obiit.

DLXXIII. Lotharius filius Clodovei obiit, quatuor filii ejus succedunt: Gundram, Sigbert, Hilperich, Charbert.

CLXXIV. Justinus Imperator obiit.

DLXXV. Tiberius Constantinus regnat.

DLXXVI. Benedictus Papa sedit. Gregorius Moralia scripsit, Euticium Constantinopolitanum erroris arguit.

DLXXVIII. *Circa hæc tempora S. Rupertus in Bavariam venit.*

DLXXIX. Pelagius Papa sedit. Hic Hildiberto Regi Francorum super causis quibusdam scribit, sicut invenitur in Gratiano XXV. cap.

DLXXX. Hic Hildibertus Tassilonem Bawariæ præfecit, Gerbaldo quodam, & filio ejus ejectis. *Eodem anno S. Rudbertus, Wurmacia [1] claruit.*

DLXXXI. Tiberius Imperator obiit.

DLXXXII. Mauricius regnat. Levigildus Rex Gothorum Herminigildum filium pro fide Christi occidit. *Floruit Monasterium S. Petri.*

DLXXXVIII. Sigibertus filius Lotharii per insidias periit.

DXCI. Gregorius Doctor eximius sedem Romanam rexit.

DXCIV. Gregorius Papa Synodum Romæ collegit.

DXCV. S. Columba Confessor obiit. Gregorius Papa nuntiis suis Anglos convertit.

DXCVI. Helpericus Rex Lotharii filius obiit.

DXCVIII. Gerbaldus Bawariæ regnum accepit.

DC. Otharius Rex Lonbardorum Gerbaldi Regis filiam Theodelindam duxit, cui Gregorius Dialogum scribit.

DCII. Mauritius Imperator a Foca occiditur.

DCIII. Focas regnat.

DCIV. Gregorius Papa migravit ad Dominum. Sabinianus Papa successit.

DCV. Tunica, quæ in Passione Domini sublata est ei, invenitur, & Jerusalem portatur. Bonifacius Papa sedit.

[1] *NB. Manus sæculi* XVII. *supra vocem* Wurmacia *ponit hic* Salisburgi, *& supra* claruit, *expulsus ante annos* VI.

DCVII. Gundrammus Rex Lotharii filius A obiit.

DCVIII. Focas Pantheum Bonifacio Papæ dedit. Item alius Bonifacius ſedit.

DCIX. Perſæ Jeroſolimam prædantes, Crucem Domini auferunt.

DCX. Focas Imperator obiit. Hildibertus Rex filius Sigbertii obiit: Theodericus & Theodbertus filii ei ſuccedunt.

DCXI. Heraclius imperat. *Hic* [1] *expulſus eſt beatus Rudbertus a Wormaica, & in Juvavum receptus pro Epiſcopo.*

DCXII. Mahmet, quem Sarraceni adorant, ex ſtirpe Ismahelis naſcitur.

DCXIII. Anaſtaſius Monachus Perſa a Chosdroe Rege martyrizatur.

DCXVII. Deus dedit Papa ſedit. B

DCXVIII. Heraclius Imperator crucem Domini recepit.

DCXX. Bonifacius Papa ſedit.

DCXXII. Yſidorus Spalenſis [2] Epiſcopus claruit.

DCXXIII. S. Deſiderius lapidatus eſt juſſu Brunhildis. *Hoc anno obiit S. Rudbertus Epiſcopus & Abbas I. ad S. Petrum Salisburgi, in feſto Paſchatis, quod eo anno Martii 27. fuit.*

DCXXV. Honorius Papa ſedit.

DCXXVI. Theodebertus Rex conſilio Brunhildis tonſus eſt, & filii ejus a fratre Theoderico.

DCXXVII. Theodericus Rex veneficiis Brunhildis periit.

DCXXVIII. Tranſitus S. Ruberti ſub Honorio Papa, Heraclio Imperatore, Francorum C Rege Lothario patre Dagoberti: ſuccedit Vitalis Sancto Ruberto. *Hoc verum. Verius ſupra anno 623. Ita lapis ſepulchralis diu abſconditus, apertus ſub Paride Archiepiſcopo.*

DCXXIX. Columbano Confeſſore a Brigancio migrante, S. Gallus remanſit, & cellam ſuam conſtruxit.

DCXXXI. Brunhildis cum omni ſua progenie a Lothario occiditur.

DCXXXIII. Arnulfus tunc erat Majordomus in regno Lotharii, poſtea Metenſis Epiſcopus.

DCXXXV. Kilianus cum ſociis Wirziburch patitur. *Baronius ponit ad annum Domini 689. tom. 8.*

DCXXXVI. Heraclius Imperator obiit. D

DCXXXVII. Heraclonas regnat. Rex Perſarum cum uxore & LX. militibus Conſtantinopoli beptizatur.

DCXXXVIII. Severinus Papa ſedit. Heraclonas occiditur.

DCXXXIX. Conſtantinus hæreticus & Conſtans regnant.

DCXL. Johannes Papa ſedit. Lotharius Rex obiit. S. Oswaldus Rex occiditur.

DCXLI. Theodoras Papa ſedit.

DCXLVI. *Hoc anno vere S. Vitalis obiit. clarus miraculis ſuccedit Anſologus.*

DCXLIX. Martinus Papa ſedit. Obiit beatus Vitalis *Juvavenſis Abbas & Epiſcopus: cui ſuccedit Anſologus.*

DCLII. Mediterranei Angli Chriſtiani facti ſunt.

DCLIII. Gens Merciorum Chriſtiana facta eſt.

DCLIV. S. Martinus Papa a Conſtantino exiliatus obiit: Eugenius Papa ſuccedit.

DCLV. Dagobertus Rex miſit exercitum in Karinthiam contra Samonem Sclavum, qui negotiatores ejus occiderat.

DCLVI. Dagobertus Rex obiit.

DCLVIII. Vitalianus Papa ſedit.

DCLIX. S. Gerdrudis matertera Pipini claruit.

DCLXI. Conſtans Romam venit, S. Petro auream clamidem optulit.

DCLXII. Eclipſis ſolis facta eſt.

DCLXVI. Conſtans Imperator occiditur.

DCLXVII. Conſtantinus filius ejus ſuccedit.

DCLXX. Sarraceni Siciliam invadunt.

DCLXXII. Adeodatus Papa ſedit.

DCLXXIII. Ludwicus filius Dagoberti obiit.

DCLXXIV. *Mortuo Anſologo ſuccedit Saliburgi Savolus.*

DCLXXVI. Domnus Papa ſedit. Lotharius filius Ludwici obiit.

DCLXXVIII. Agatho Papa ſedit.

DCLXXIX. S. Lambertus Trajectenſis [3] claruit.

DCLXXX. Leo Papa ſedit. *Moritur Savolus, & ſuccedit Ezzius.* C

DCLXXXII. Benedictus Papa ſedit.

DCLXXXIII. Conſtantinus Imperator obiit.

DCLXXXIV. Juſtinianus filius Conſtantini regnat. Johannes Papa ſedit.

DCLXXXVI. Conon Papa ſedit. Pipinus filius Angiſi Majordomus & Dux Francorum. Ceadwalt Rex Occidentalium Saxonum Romam veniens baptizatur, & in Albis moritur. Sergius Papa ſedit.

DCLXXXVIII. Willibrordus, qui & Clemens, a Papa conſecratus Freſonum gentem convertit.

DCXCIV. Juſtinianus ob perfidiam naſo truncatus exiliatur.

DCXCV. Leo regnat. Sergius Papa capſam Dominicæ crucis invenit.

DCXCVII. Leo regnum dimiſit.

DCXCVIII. Tiberius regnat. Beda claruit. Synodus Aquilegiæ colligitur.

DCC. Johannes Papa ſedit.

DCCIII. Juſtinianus delapſatus auxilio Vulgarorum rediit, Leonem & Tiberium occidit, & ipſe cum filio Tiberio regnat. *Ezzius moritur, ſuccedit Plobargiſius.*

DCCV. Item Johannes Papa ſedit.

DCCVII. Siſinnius Papa ſedit, & poſt XX.

[1] *Hoc additamentum a manu Sæculi* XV. *adpoſitum, inducitur extat in MSto, cui alia Sæculi* XVII. *manus hæc verba ſubjunxit:* Vir bonus fruſtra non delevit. Supra tempora hæc notavi.

[2] *pro* Hiſpalenſem.

[3] *Integro huic additamento in MS. inducto, manus Sæculi* XVII. *ſequentia duo verba præfixit:* Non hoc, *linea quoque ab anno 649. ad annum 646. ducta.* [4] *Supp.* Episcopus.

dies obiit: Conſtantinus Papa ſucceſſit, ad quem Rex Merciorum cum filio venit, & Monachicam vitam ſuſcepit. Hildibertus Rex filius Theodorici obiit.

DCCIX. Pippinus Major domus obiit.

DCCX. Philippicus ab exercitu Imperator factus Juſtinianum occidit.

DCCXII. Anaſtaſius Philippicum cæcavit, & loco ejus regnat. S. Corbinianus claruit.

DCCXV. Gregorius Papa ſedit. Karolus ex concubina Alheid natus, quæ Miniſterialis cujusdam Diedonis ſoror erat, Major domus eſt factus.

DCCXVI. Theodo Dux Bawariæ Romam petiit.

DCCXVII. Theodoſius Anaſtaſium vicit, & eum Presbyterum conſecrari fecit: tum loco ejus regnat Leo.

DCCXVIII. Theodo Dux obiit. Winfridus, qui & Bonifacius, a Gregorio Papa Mogontiæ Epiſcopus ordinatur. Sarraceni triennio Conſtantinopolim tenuerunt.

DCCXIX. S. Othmarus cellæ S. Galli præficitur.

DCCXXI. Theodericus, filius Dagoberti, Rex efficitur.

DCCXXII. S. Auguſtinus Papiam translatus eſt.

DCCXXIII. S. Pirminius ad Augiam inſulam venit.

DCCXXIV. Karolus de Sarracenis triumphat.

DCCXXV. Hucusque Regnum Romanorum, exin Francorum ſupputatur. Karolus cum XII. annis Major domus fuiſſet, exinde XV. annos Principatum tenuit, Regibus tamen ibi, ſed ſine dignitate manentibus.

DCCXXIX. Item Gregorius Papa ſedit. Karolus Freſiam vaſtat. Poſt Grimoaldum Dux Bawariæ Hucbertus fuit.

DCCXXX. Beda Presbyter obiit.

DCCXXXI. Karolus cum Sarracenis pugnavit.

DCCXXXII. Item Karolus Sarracenos cum Rege eorum delevit.

DCCXXXIII. Karolus Freſiam vaſtat. Conſtantinus Eccleſiæ infeſtus regnat apud Conſtantinopolim.

DCCXXXIV. Karolus Waſconiam invadit.

DCCXXXVI. Karolus contra Sarracenos in Gothia pugnat.

DCCXXXVII. Karolus Saxoniam intrat.

DCCXXXVIII. Karolus Provinciam ſubicit. Zacharias Papa ſedit.

DCCXXXIX. Hucbertus Dux Bawariæ obiit: pro quo Odilo.

DCCXL. Karolus obiit.

DCCXLI. Pipinus, filius Karoli, cum fratre Karlomanno regnat: cum Odilone pugnaverunt, & vicerunt.

DCCXLIV. Vuldenſe Monaſterium cœpit Bonifacius conſtruere.

DCCXLV. Johannes (*Flobargiſus moritur, ei ſuccedit iſte Johannes*) Salzburgenſi, Ermbertus poſt fratrem ſuum Corbinianum Friſingenſi, Gaubaldus Ratisponenſi Eccleſiis a Bonifacio præficiuntur. Karlomannus Alamanniam ingreditur. S. Burchardus Wirziburgenſi, & Willibaldus Eiſtetenſi Eccleſiis a præfato Bonifacio præficiuntur.

DCCLI. Stephanus Papa ſedit. Karlomannus Romæ in monte Soracte ſe Monachum fecit.

DCCLII. Bonifacius in Freſia cum ſociis paſſus eſt. Pipinus conſecratus eſt Rex, auctoritate Papæ.

DCCLIII. Pipinus movit exercitum in Lonbardiam.

DCCLVI. Taſſilo hominium Pipino Regi fecit.

DCCLVII. Paulus Papa ſedit. Pipinus Saxoniam intrat.

DCCLVIII. Pipinus Waſconiam invadit.

DCCLIX. S. Othmarus obiit. Eclipſis ſolis facta eſt in Septembre.

DCCLXI. Leo filius Conſtantini regnat.

DCCLXII. Eclipſis ſolis facta eſt in Junio.

DCCLXIV. Johannes Saltzburgenſis Epiſcopus obiit: Virgilius Epiſcopatum Salzburgenſem ſuſcepit.

DCCLXV. Odilo Dux obiit.

DCCLXVI. Pipinus Taſſilonem Bawariæ præfecit, & ipſe eodem anno obiit.

DCCLXVII. Karolus Magnus pro patre regnat, cum fratre Karlomanno. Stephanus Papa ſedit. Virgilius Epiſcopus conſecratur, & Eccleſiam S. Ruberti conſtruere inchoat.

DCCLXX. Karlomannus Rex obiit.

DCCLXXI. Karolus Synodum collegit.

DCCLXXII. Adrianus Papa edit. Taſſilo Karinthiam ſubicit, & filius ejus Romæ baptizatus eſt.

DCCLXXIII. Karolus Lonbardiam ſubicit, & Romæ triumphavit.

DCCLXXIV. Virgilius Eccleſiam S. Ruberti dedicavit. Conſtantinus cum matre Hirene regnat, confœderatus Karolo.

DCCLXXV. Karolus in Italia pugnavit.

DCCLXXVI. Karolus in Saxonia pugnavit.

DCCLXXVII. Karolus Hiſpanias cepit.

DCCLXXVIII. Karolus item in Saxonia pugnavit.

DCCLXXX. Karolus Romam venit: a Papa filius ejus baptizatur.

DCCLXXXI. S. Willibaldus Epiſcopus obiit.

DCCLXXXII. Eccleſia in Kiemſe dedicatur. *NB. pro Monachis S. Benedicti.*

DCCLXXXIII. Sintbertus Epiſcopus Eccleſiam S. Emmerammi conſtruxit. Karolus Saxones vicit.

DCCLXXXIV. S. Virgilius obiit: pro quo Abbas Berhtricus eligitur. Elevati ſunt Gavinius & Idwinus. Bawari ad Pozanum cum Roberto Duce pugnantes, ipſum occiderunt. Arn Epiſcopus factus eſt. Eclipſis ſolis facta eſt.

DCCLXXXVI. Karolus in Bawariam cum exercitu venit.

DCCLXXXVII. Taſſilo fecit hominium Karolo,

Karolo, quem ipſe Rex poſtea detonſum truſit in monaſterium cum filio.

DCCLXXXVIII. Bawari cum Hunis pugnantes vincunt.

DCCXCI. Karolus ab Aneſi fluvio usque Raba Ungariam cepit.

DCCXCII. Albinus hoc tempore claret. *NB. Alcuinus Abbas S. Martini Turonenſis.*

DCCXCIII. Karolus Synodum Ratisponæ collegit.

DCCXCVI. Leo Papa ſedit. Hic Arnonem Juvavenſem pallio ſublimavit.

DCCXCVII. Romani Leonem in letania majori excæcant, & ejus linguam amputant.

DCCXCVIII. Gerolt ſignifer Karoli in pugna ab Hunis occiditur.

DCCXCIX. Leo Papa in die Natalis Domini viſum recepit. B

DCCC. Karolus propter Leonem Papam Romam veniens, in Natali Domini ab eo Imperator eſt conſecratus.

DCCCI. Græci cum Karolo pacem firmant.

DCCCII. Terræ motus accidit. Karolus Salzburc venit.

DCCCIII. Karolus Saxones rebellantes transfert in Franciam.

DCCCIV. Leo Papa Karolum adiens, Bavvariam tranſivit.

DCCCV. Imperator per filium ſuum Karolum Boemos ſubicit.

DCCCVI. Eclipſis ſolis facta eſt.

DCCCVII. Aaron Rex Perſarum Karolo munera miſit.

DCCCVIII. Karolus Synodum magnam congregat. C

DCCCIX. Eclipſis ſolis accidit in Junio. Eclipſis Solis accidit in Decembri.

DCCCX. Karolus, filius Karoli Magni, obiit.

DCCCXI. Bernhardus Rex a Karolo efficitur.

DCCCXII. Karolus Magnus obiit v. Kal. Februarii, anno ætatis LXXXI, ſexageſimus nonus ab Auguſto. Dania convertitur. Brema conſtruitur.

DCCCXIII. Ludwicus filius Karoli regnat.

DCCCXVI. Leo Papa obiit: Stephanus ſuccedit, & Ludwicum Imperatorem conſecrat.

DCCCXVII. Paſchalis Papa ſedit. Bernhardus Rex Ludwico Imperatori rebellat.

DCCCXVIII. Bernhardus Rex excæcatus interiit.

DCCCXXI. Arnprimus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit. Ammilon Abbas ſuccedit: deinde Alrammus ſuccedit, prius Archidiaconus. D

DCCCXXIV. Eugenius Papa ſedit. Lotharius Romam venit. Alrammus pallium a Papa ſuſcepit.

DCCCXXV. Ludwicus in Bawariam venit.

DCCCXXVII. Heroldus Rex Danorum Mogontiæ baptizatus eſt. Valentinus Papa ſedit poſt menſem obiit. Gregorius ſuccedit.

DCCCXXXI. Ludwicus conventum magnum habuit in Noviomago.

DCCCXXXIV. Ludwicus judicio Epiſcoporum arma depoſuit: & eodem anno relaxatus reſumpſit.

DCCCXXXVI. Alrammus Archiepiſcopus obiit. Liuprammus ſucceſſit, a Gregorio pallio honoratur.

DCCCXXXVIII. Exercitus Bawarorum contra Ratimarum colligitur.

DCCCXXXIX. Eclipſis ſolis accidit. Ludwicus Imperator obiit: Ludwicus filius ejus ſucceſſit, cum Lothario, Karolo, Pipino fratribus.

DCCCXLI. Bellum de participatione Regni inter fratres accidit. Ludwicus Germaniam, Lotharius Italiam cum nomine Imperatoris, Karolus Gallias dividentes accidunt. Rabanus Epiſcopus claruit.

DCCCXLIII. Sergius Papa ſedit.

DCCCXLV. Eccleſia S. Ruoberti exuſta eſt.

DCCCXLVII. Eccleſia S. Petri exuſta eſt. Leo IV. Papa ſedit.

DCCCL. Liuprammus Archiepiſcopus S. Hermetem Salzburc attulit. Pipinus & frater ejus Karolus a patruo Karolo comprehenſi & detonſi ſunt.

DCCCLV. Lotharius in Prumienſi monaſterio obiit: Ludwicus filius ejus imperat cum fratre Lothario.

DCCCLVI. Rabano Epiſcopo mortuo, Karolus Pipini Regis filius Mogontiæ conſecratur Epiſcopus. Benedictus Papa ſedit.

DCCCLVIII. Nicolaus Papa ſedit.

DCCCLIX. Liuprammus Archiepiſcopus Salzburgenſis obiit: Adlwinus ſuccedit, a Nicolao Papa pallio honoratur, corpora SS. Criſanti & Dariæ Roma detulit.

DCCCLXI. Ludwicus Rex feſtum S. Martini Salzburc celebravit. Pabo quidam a Karinthia per Karlomannum ejectus, Salzburgæ conſedit. Huni Chriſtiani fiunt.

DCCCLXIII. Ludwicus Paſcha Salzburgæ celebravit.

DCCLXVII. Terræmotus factus eſt. Adrianus Papa ſedit. Lotharius Rex Monachus factus eſt; ſed filio tyrannizante arma reſumpſit, & eum excæcavit.

DCCCLXVIII. Lotharius Rex obiit: Karolus regnum ejus invaſit.

DCCCLXX. Karolus filium Karlomannum excæcavit.

DCCCLXXII. Imperator a Duce Beneventano fraudulenter pene fuit occiſus.

DCCCLXXIII. Johannes Papa ſedit. Adlwinus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Albertus ſucceſſit.

DCCCLXXIV. Ludwicus Imperator obiit. Dietmarus Eccleſiam ad Petove Gozwizi Comitis conſecravit.

DCCCLXXV. Ludwicus Rex Germaniæ obiit.

DCCCLXXVI. Karolus cum fratribus Karlomanno & Ludwico regnat.

DCCCLXXVII. Karolus Rex Galliarum obiit.

DCCCLXXIX. Eclipſis ſolis facta eſt per tres horas.

DCCCLXXX. Dietmarus Archiepiſcopus, qui Alberto ſucceſſit, S. Vincentium Salzburc detulit. Karolus Imperator conſecratur.

f. partitione, *l.* accipiling,

DCCCLXXXII.

DCCCLXXXII. Ludwicus Rex obiit: frater ei Karlomannus succeſſit. Marinus Papa ſedit.

DCCCLXXXIII. Gotfridus Rex Nortmannorum in Cœna Domini Treveros irrumpit, Franciam vaſtat. Karolus ei Gislam ſororem ſuam dedit, & ad fidem convertit.

DCCCLXXXV. Adrianus Papa ſedit. Gotfridus Rex Nortmannorum a fidelibus Imperatoris occiditur.

DCCCLXXXVI. Stephanus Papa ſedit.

DCCCLXXXVII. Karolus Imperator ægeranimo & corpore regno privatur. Arnulfus filius Karlomanni de Carantano ad regnum invitatur.

DCCCLXXXVIII. Karolus poſt ſummam gloriam in ſumma egeſtate obiit.

DCCCLXXXIX. Ungari ex Scithia egreſſi Hunos eiciunt.

DCCCXC. Arnulfus Nortmannos delevit, Zuendeboldum de Moravia vicit.

DCCCXCII Formoſus Papa ſedit.

DCCCXCIV. Arnulfus Italiam & Burgundiam regno ſuo ſubicit. Tuto, Monachus S. Emmerammi, Epiſcopus Ratiſponenſis fit.

DCCCXCVI. Arnulfus Roma ſubjugata, a Formoſo Papa Imperator conſecratur. Bonifacius XV. dies Papa fuit: Stephanus Papa poſt eum ſedit.

DCCCXCVII. Dietmarus Archiepiſcopus, Otto & Zacharias Epiſcopi in bello Ungarico occiſi ſunt. Pilgrimus Archiepiſcopus ſucceſſit.

DCCCXCVIII. Stephano Papa digne ejecto propter effoſſum Formoſum, Romanus ſuccedit, poſt menſes v. Theodorus Papa ſedit, dies xx. Poſt quem Johannes IX. Venezlaus paſſus eſt.

DCCCC. Arnulfus Imperator obiit, in Ottingin, ubi & pater Karlomannus ſepelitur. Ungari Italiam vaſtant.

DCCCCI. Benedictus Papa ſedit. Ludwicus filius Arnulfi regnat. Ungari in Bawaria plus mille occiduntur.

DCCCCII. Ungari in Carinthia victi occiduntur.

DCCCCIV. Leo V. Papa ſedit menſes II. Chriſtophorus ſuccedit, & hic eicitur; Sergius poſt hunc ſedit.

DCCCCVII. Bawari ab Ungaris occiduntur, & Liuppoldus Dux, pater Arnolfi Ducis.

DCCCCVIII. Ungari Saxoniam & Turingiam vaſtant.

DCCCCIX. Ungari Alemanniam petunt. Bellum Francorum cum Ungaris.

DCCCCXI. Anaſtaſius Papa ſedit. Ludwicus Rex obiit.

DCCCCXII. Chunradus, filius Chunradi Principis, regnat. Arnoldus Dux Ungaros juxta Oenum occidit.

DCCCXIII. Pilgrimus Archiepiſcopus obiit. Uodelbertus ſuccedit. Landò Papa ſedit.

DCCCCXIV. Arnoldus Dux Regi rebellans in Ungariam pellitur. Leo VI. Papa ſedit.

DCCCCXV. Johannes X. Papa ſedit. Ungari Alemanniam vaſtant.

DCCCCXVI. Arnoldus Dux a Juvavo egreſſus, Ratiſponæ a Chunrado Rege obſeſſus eſt.

DCCCCXVII. Baſilea ab Ungaris deſtruitur. Burchardus Dux Alemanniæ conſtituitur.

DCCCCXVIII. Chunradus Rex obiit. Ex hinc Regnum Teutonicorum ſupputatur.

DCCCCXIX. Heinricus Comes Saxo, filius Ottonis Ducis, Rex efficitur. Burchardus Dux Rudolfum Burgundiæ Regem vicit.

DCCCCXXI. Heinricus Rex & Arnoldus Dux pacificantur.

DCCCCXXII. Heinricus Rex Lanceam ſacram a Rege Rudolfo Burgundiæ minis extorſit.

DCCCCXXIII. Arnoldus Dux in Boemiam cum exercitu vadit.

DCCCCXXIV. S. Uolricus Auguſtæ Epiſcopus conſecratur.

DCCCCXXVII. Ungari Alemanniam vaſtant, & Franciam, Alſatiam & Galliam. Burchardus Dux occiditur. Hermannus ei ſuccedit.

DCCCCXXIX. Stephanus Papa ſedit. Heinricus Rex & Arnoldus Dux Boemos vincunt.

DCCCCXXXI. Heinricus Rex Boemiam petit.

DCCCCXXXII. Johannes Papa ſedit. Heinricus Rex Abroditarum & Nortmannorem Reges Chriſtianos fecit.

DCCCCXXXIII. Heinricus Rex Ungaros occidit.

DCCCCXXXV. Uolbertus Salzburgenſis de invaſione Italiæ redieus, obiit. Egilolfus Archiepiſcopus ſuccedit. Leo Papa ſedit.

DCCCCXXXVI. Heinricus Rex obiit: Otto Magnus filius ejus ſuccedit.

DCCCCXXXVII. Arnoldus Dux ſubito obiit, percuſſus a Deo ob denudationem Eccleſiarum: Perhtoldus frater ejus ſuccedit.

DCCCCXXXVIII. Stephanus Papa ſedit. Meidiburch conſtruitur. Ungari Franciam, Alemanniam, Burgundiam, Gallias usque ad Occeanum vaſtant, per Italiam redeunt.

DCCCCXL. Egilolfus Archiepiſcopus Salzburgenſis obiit. Heroldus ſuccedit.

DCCCCXLI. Otto Rex Gallias petit.

DCCCCXLII. Marinus Papa ſedit. Ungari in Bawaria in Trungoeu a Pertholdo Duce occiſi ſunt.

DCCCCXLIII. Otto Rex & Ludwicus pacificantur.

DCCCCXLIV. Ungari cum Bawaris & Carantanis pugnantes vincuntur.

DCCCCXLV. Agapitus Papa ſedit. Terræ motus accidit.

DCCCCXLVI. Otto Rex Gallias intrat.

DCCCCXLVIII. Perhtoldus Bawariæ Dux obiit. Heinricus, frater Regis Ottonis, ſuccedit.

DCCCCLI. Otto Italiam per Bawaros ſubicit. Heinricus Dux Ungaros adgreditur.

DCCCCLIII. Berngerus Rex Italiæ Auguſtæ ſe tradit ad deditionem Ottoni Regi. Otto Rex Italiam intrat.

DCCCCLIV. Liutoldus Dux Ottoni Regi patri

patri ſuo rebellat, Heinricum Ducem patruum ſuum de Bawaria expellit.

DCCCCLV. Ungari Bawariam vaſtant, ducente eos Ottone Schirenſe Comite. Sed juxta Auguſtam ab Ottone Rege in die S. Laurentii, victi usque ad VII. omnes occiduntur. Johannes XII. Papa ſedit.

DCCCCLVI. Heroldus Archiepiſcopus a Duce Heinrico, qui expulſus erat, aput Muoldorf excæcatur: & ipſe Dux eo anno obiit.

DCCCCLVII. Fridericus Archiepiſcopus Juvavenſis conſecratur.

DCCCCLXI. Otto Rex Imperator Romæ conſecratur.

DCCCCLXIII. Otto Imperator, collecta Synodo Johannem Papam depoſuit, Leonem VIII. Papam ſubſtituit.

DCCCCLXIV. Imperator Natale Domini Romæ moratur, quam poſtea rebellem obſedit, & cepit. Johannes XIII. poſt Leonem ſedit.

DCCCCLXVI. Berngerus, olim Rex Italiæ, exul ad Babinberc obiit.

DCCCCLXVII. Nicephorus Rex Græcorum legatos & munera miſit Imperatori.

DCCCCLXVIII. Eclipſis ſolis accidit.

DCCCCLXXII. Benedictus Papa ſedit. S. Wolfgangus Ratisponæ ſedit.

DCCCCLXXIII. S. Uolricus Auguſtenſis obiit, feria VI. Epiſcopatus ſui anno LIV. Otto Imperator obiit. Benedictus VII. Papa ſedit.

DCCCCLXXIV. Otto Magni Ottonis filius regnat.

DCCCCLXXVI. Otto Imperator & Heinricus Dux Bawariæ diſſentiunt. Bærgenſe Monaſterium conſtruitur.

DCCCCLXXVIII. Otto Imperator Gallias adgreditur.

DCCCCLXXXI. Otto Imperator Neapolim venit.

DCCCCLXXXII. Otto Imperator aput Calabriam victus a Sarracenis natando fugit, ſociis occiſis.

DCCCCLXXXIII. Otto Imperator Romæ obiit. Johannes Papa ſedit.

DCCCCLXXXIV. Otto III., prioris filius, patri ſuccedit, adhuc puer. Item Johannes XV. Papa ſedit.

DCCCCLXXXVI. S. Albertus Pragenſis Epiſcopus a Brucis patitur.

DCCCCLXXXVII. Titus Præpoſitus S. Ruberti Monachus fit, & eo anno Abbas S. Petri.

DCCCCLXXXVIII. Reinoldus Eiſtetenſis Epiſcopus muſicus, qui S. Nikolai hiſtoriam edidit, obiit.

DCCCCXC. Fridericus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Hartwicus ſuccedit.

DCCCCXCI. Heinricus IV. Dux de Ungaris triumphat.

DCCCCXCIV. S. Wolfgangus Epiſcopus obiit.

DCCCCXCV. Heinricus IV. Dux Bawariæ obiit: Heinricus filius ejus ſuccedit.

DCCCCXCVI. Gregorius Papa, filius Ottonis Ducis, homo Francus, ſedit.

DCCCCXCVII. Heinricus V. Dux Bawariæ obiit.

DCCCCXCIX. Gregorius Papa obiit: Silveſter ſuccedit, qui & Gerbertus.

MI. Otto Imperator in Italia obiit: Heinricus Dux Bawariæ ſuccedit, patre Hezilone natus.

MII. Heinricus frater Chunigundis Imperatricis fit Dux Bawariæ. Nieuenburc Monaſterium Monialium Rex & Regina conſtruunt.

MIII. Gebehardus Ratisponenſis Epiſcopus Bruele Monaſterium fecit.

MIV. Heinricus Rex Italiam & Boemiam ſubicit. Johannes Papa ſedit.

MVI. Item Johannes Papa ſedit.

MVII. Epiſcopium Babinberch fundatur.

MIX. Heinricus Rex Gislam ſororem ſuam Stephano Regi Ungariæ dedit, & ipſum cum gente ſua convertit.

MX. Sergius Papa ſedit.

MXII. S. Cholmannus aput Stochærowe paſſus eſt.

MXIV. Heinricus Rex a Benedicto Papa Romæ Imperator conſecratur.

MXX. Benedictus Papa Babinberch veniens Eccleſia S. Stephani dedicavit.

MXXI. Terræ motus factus eſt.

MXXII. Heinricus Rex Novam Trojam cepit. Notkerus Magiſter obiit.

MXXIII. S. Hartwicus Archiepiſcopus obiit: Guntherius ſucceſſit.

MXXIV. S. Heinricus Imperator obiit. Johannes Papa ſedit.

MXXV. Chunradus Imperator regnat. Titus Abbas S. Petri obiit: Mazelinus ſuccedit.

MXXVI. Guntherius Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Dietmarus ſucceſſit. Spira conditur. Chunradus Heinricum filium ſuum Regem facit, & ipſe Romam veniens Imperator conſecratur. Heinricus V. Dux Bawariæ obiit: Heinricus VI. filius Regis ſuccedit.

MXXIX. Chunradus Imperator, in Poloniam ivit.

MXXX. Chunradus Imperator Stephanum Ungariæ Regem aggreſſus eſt bello.

MXXXI. Stephanus per legatos conciliavit ſe Imperatori.

MXXXII. Rudolfus Rex Burgundiæ moriens, diadema ſuum Imperatori miſit.

MXXXIII. Chunradus Burgundiam intrat, deinde Occidentalem Franciam.

MXXXIV. Benedictus Papa ſedit.

MXXXV. Imperator Burgundiam vaſtat, deinde paganos Saxonibus confines aggreditur.

MXXXVI Pagani prædicti Imperatori ſubiciuntur.

MXXXVII. Imperator Italiam cum exercitu petit, Mediolanenſem Epiſcopum capit.

MXXXVIII. Stephanus Ungarorum bonæ memoriæ Rex obiit: pro quo Petrus.

MXXXIX. Chunradus Imperator obiit: Heinricus filius ejus ſucceſſit.

MXL. Heinricus Rex Boemiam aggreditur. Ungari Regem ſuum Petrum expellunt, Ovonem conſtituunt.

MXLI. Dietmarus Salzburgenſis Archiepiſcopus

ſcopus obiit: Baldwinus ſuccedit. Heinricus Rex Ungariam vaſtat.

MXLII. Adilbertus Marchio, & filius ejus Liupoldus exercitum Ungarorum delent. Item Heinricus Rex Ungariam vaſtat, & item eos ſibi ſubjecit.

MXLIV. Heinricus Rex quarto Ovonem ſuperatum eicit, & Petrum Ungariæ reſtituit. Silveſter Papa ordinatus, mox eicitur.

MXLV. Romana ſedes ab invaſoribus occupatur, tandem Gratianus ſedit. Petrus Rex Heinricum Imperatorem magnifice in Pentecoſte ſuſcepit.

MXLVI. Idem ipſe ab Ungaris poſtea cæcatur: Andreas Rex efficitur.

MXLVII. Heinricus Rex collecto conventu Gratianum Papam depoſuit, Swidgerum Babinbergenſem in Papatu conſtituit in Natali Domini, & ipſe Imperator conſecratur: pro quo Poppo Aquilegenſis Patriarcha, qui Damaſus dicitur.

MXLIX. Chunradus, qui & Chuono, Dux fit Bawariæ. Andreas Rex Imperatori ſe ſubicit. Leo Papa, homo Teutonicus, ſedit.

MLII. S. Wolfgangus Epiſcopus a Leone Papa canonizatur.

MLIII. Heinricus Imperator Ungariam cum exercitu intravit, Leonem Papam ſecum ducens, & glorioſe rediit.

MLIV. Leo Papa cum Nortmannis in Apulia pugnans vincitur.

MLV. Victor Papa ſedit.

MLVI. Stephanus Papa ſedit. Albertus Marchio Auſtriæ obiit: Ernſt filius ei ſucceſſit.

MLVII. Heinricus Imperator obiit: Heinricus filius ei ſucceſſit. Benedictus Papa ſedit.

MLVIII. Nicolaus Papa ſedit.

MLX. Baldwinus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Gebhardus ſucceſſit.

MLXI. Alexander Papa ſedit.

MLXIII. Heinricus Rex exercitum in Ungariam movit, Salomonem Regem fecit, & magno honore rediit.

MLXIV. Cædes magna in Monaſterio Goslarenſi, præſente Rege, facta eſt, & multa mala tunc acciderunt in terra.

MLXV. Heinricus Rex accinctus eſt gladio, anno regni ſui IX. in Paſcha. Altmannus Epiſcopus Pataviæ ſedit.

MLXX. Otto Dux Bawariæ Regi rebellat.

MLXXI. Welfo Dux fit Bawariæ; expulſo Ottone.

MLXXII. Gebhardus Archiepiſcopus Gurcenſem fecit Epiſcopatum, II. Non. May.

MLXXIII. Gregorius Papa ſedit, qui & Hildbrandus, Cluniacenſis Monachus. Welfo Dux Bawariæ, Rudolfus Sueviæ, Pertoldus Carinthiæ conjurant adverſus Regem.

MLXXIV. Heinricus Rex contra Loitſconem patruelem Salomonis ivit, & Ungariam in deditionem accepit. Monaſterium Admuntenſe fundatur, Arnoldo Monacho S. Petri facto illic Abbate.

MLXXV. Ernſt Auſtriæ Marchio in Saxonia in bello occiditur, & Gebhardus Pater Lotharii, poſtea Imperatoris: Liupoldus Erneſto ſuccedit. Perhtoldus Salzburgenſis ſcismaticus ſedem occupat Nonis Maj. Reinwardus Abbas S. Petri tunc erat.

MLXXVI. Anno Colonienſis Epiſcopus obiit.

MLXXVII. Papa, & Rex diſcordant. Ruodolfus Rex eligitur apud Forcheim. Yrmpertus, Abbas S. Petri fit.

MLXXVIII. Bellum in Saxonia fit inter Heinricum & Rudolfum Reges.

MLXXIX. Gebhardus Archiepiſcopus in exilium vadit. Yrmbertus Abbatiam S. Petri præ infirmitate reſignat. Tiemo ſuccedit.

MLXXX. Papa Heinricum Regem excommunicat. Welfo Dux Bawariæ Auguſtam invadit & incendit.

MLXXXI. Rudolfus Rex occiditur. Altmannus Epiſcopus, & Liupoldus Marchio conjurant adverſus Regem. Tiemo Abbas, pro Perhtoldo ſcismatico Hirſove in Sueviam conceſſit.

MLXXXII. Bawari & Boemi pugnant ad Maurperc contra Liupoldum Marchionem, & vincunt.

MLXXXIII. Heinricus victor ingrediens Romam, Papam deponit, & Wicbertum ſcismaticum ſtatuit.

MLXXXV. Victor Papa ſedit. Petrus heremita cum aliis Jeroſolimam vadit.

MLXXXVI. Gebhardus Archiepiſcopus de exilio redit.

MLXXXVII. Urbanus Papa ſedit.

MLXXXVIII. Gebhardus Archiepiſcopus obiit.

MLXXXIX. Monachi in Medlic conſtituuntur.

MXC. Tiemo, Abbas S. Petri, Archiepiſcopus eligitur, VIII. Kal. Aprilis, VII. Idus ejusdem conſecratus, ab Urbano Papa pallio honoratur: Albertus in Abbatia ſuccedit.

MXCI. Altmannus Patavienſis Epiſcopus ob.

MXCIII. Eclipſis ſolis accidit.

MXCIV. Monachi in Kotwic conſtituuntur. S. Nicolaus a Mirea in Barim transfertur.

MXCV. Apud Halla Tiemo Archiepiſcopus dedicavit Eccleſiam.

MXCVI. Liupoldus Marchio obiit: Liupoldus Largus filius ei ſucceſſit.

MXCVII. Chuno advocatus cum multis aliis ad Saldorf occiditur, VIII. Id. Decembris.

MXCVIII. Chriſtiani Antiochiam obtinent.

MXCIX. Anno milleno centeno quo minus uno,
Jeruſalem Franci capiunt virtute potenti.

MC. Paſchalis Papa ſedit. *Ordo Ciſtercienſis incipit.*

MCI. Tiemo Archiepiſcopus, & Welfo Dux Jeruſalem pergunt, & Ira Auſtriæ Marchioniſſa, & Gislbertus Admuntenſis Abbas.

MCII. Gotfridus Dux Jeruſalem obiit: Baldwinus Rex, frater, ei ſucceſſit. Monaſterium Lavendenſe dedicatur. Tiemo Archiepiſcopus patitur.

MCIV. Sighardus Comes de Purchuſen Ratis-

Ratisponæ occiditur. Albertus Abbas S. Petri A obiit: Wezilinus ſuccedit.

MCV. Heinricus, Regis filius, Heinricum patrem capit. Baldwinus Rex cum quatuor milibus 50000. Sarracenos cum Rege ſuo occidit, & Aſcalonam cepit.

MCVI. Heinricus Imperator obiit. Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis conſtituitur, VII. Id. Jan.

MCVII. Heinricus Rex poſt patrem regnat. Monachi in Gærſte conſtituuntur.

MCX. Heinricus cum exercitu Italiam ingreſſus, Romæ Paſchalem Papam cepit; ſed poſtea ab eodem Imperator conſecratur.

MCXII. Sitanſtetenſe Cœnobium conſtruitur.

MCXVI. Reginbertus Abbas S. Petri eligitur, Wezelino defuncto. B

MCXVII. Terræ motus ſemel in die, ſemel in nocte accidit.

MCXVIII. Gelaſius Papa ſedit.

MCXIX. Kalixtus Papa ſedit. Welfo Dux Bawariæ obiit: Heinricus frater ei ſucceſſit.

MCXXI. Uolricus Patavienſis Epiſcopus obiit: Reginarus ſucceſſit.

MCXXII. Communis vita in Eccleſia S. Ruoberti a Chunrado Epiſcopo inſtituitur, XIII. Kal. Februarii. Otachir Marchio obiit, qui fratrem habuit Alberonem, cujus comitatus erat ab Enswald usque ad Geizerawald: Liupoldus filius Otachiri præfati ſuccedit patri.

MCXXV. Heinricus Imperator obiit: Lotharius Dux Saxonum ſuccedit in regnum. Honorius Papa ſedit. Reinbertus Abbas S. Petri, Brixinenſis fit Epiſcopus: Baldricus Abbas ſuccedit. C

MCXXVII. Eccleſia S. Ruberti exuſta eſt in Nonis Maj. Heinricus VIII. Dux Bawariæ obiit: Heinricus IX. filius ei ſuccedit.

MCXXIX. Liupoldus Fortis Marchio obiit: Otachir filius ejus ſuccedit.

MCXXX. Innocentius Papa ſedit. Baſilica S. Petri innovatur. Capella S. Mariæ a Chunone Ratisponenſi Epiſcopo conſecratur.

MCXXXI. Stephanus Rex Ungariæ obiit: Bela ſuccedit. Hildboldus Gurcenſis Epiſcopus obiit; Romanus ſuccedit.

MCXXXII. Lotharius cum exercitu Italiam tranſiens, Rogerium tyrannum de Apulia expulit, & ei alium ſubſtituit.

MCXXXIII. Eclipſis ſolis facta eſt, IV. Non. Aug. Uolricus Prior S. Petri, Abbas fit Elſinpacenſis. D

MCXXXVI. Liupoldus Marchio obiit. Lotharius in Italiam ſecundo vadit. Diemuot Abbatiſſa obiit.

MCXXXVII. Lotharius Imperator, Albertus Mogontienſis, Bruno & Hugo Colonienſes, Heinricus Friſingenſis Epiſcopi obierunt. Hermannus Præpoſitus Salzburgenſis obiit. Ludwicus Francorum, Heinricus Anglorum Reges obierunt.

MCXXXVIII. Chunradus regnat.

MCXXXIX. Innocentius Papa Synodum CCC. Epiſcoporum Romæ colligit. Heinricus Dux Bawariæ obiit.

MCXL. Reinbertus Brixinenſis Epiſcopus obiit; Hartmannus ſuccedit.

MCXLI. Eccleſia S. Amandi a Romano Gurcenſi Epiſcopo conſecratur. Liupoldus Dux & Marchio obiit: Heinricus frater ſuccedit.

MCXLII. Heinricus, Abbas Burenſis efficitur. *Raitenhaslach Cyſtercienſis fundatur a Chunrado Archiepiſcopo Salzburgenſi.*

MCXLIII. Cœleſtinus Papa ſedit. Altmannus Tridentinus Epiſcopus Eccleſiam S. Petri conſecravit. Sekove conſtruitur cœnobium.

MCXLIV. Lucius Papa ſedit. Kalo Johannes Rex Græcorum obiit: pro quo Manuel filius ejus.

MCXLV. Eugenius Papa ſedit. Chunradus Abbas de Mænſe occiditur.

MCXLVI. Gebno Præpoſitus Salzburgenſis obiit, & Lanzo primus Hallenſis Præpoſitus obiit.

MCXLVII. Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis obiit: pro quo Eberhardus Piburgenſis Abbas. Baldricus Abbas obiit: pro quo Heinricus. Expeditio Jeruſalem facta eſt.

MCXLVIII. Synodus Eugenii Papæ Remis habetur.

MCXLIX. Altmannus Tridentinus Epiſcopus obiit. Chunradus Rex de Jeroſolimorum expeditione rediens Salzburc venit.

MCL. Synodus V. Epiſcoporum ſub Eberhardo Salzburgenſi Epiſcopo habetur.

MCLII. Chunradus Rex obiit: Fridericus patruelis ejus ſuccedit. Admuntenſe Cœnobium exuritur. Terræ motus accidit.

MCLIII. Eclipſis ſolis accidit. Eugenius Papa obiit: Anaſtaſius ſuccedit, & eodem anno obiit. Bernhardus Abbas Clarevallenſis obiit.

MCLIV. Adrianus Papa ſedit.

MCLV. Hartwicus Salzburgenſis Canonicus, fit Epiſcopus Ratisponenſis. Fridericus Rex in Italia aliquot urbes diruit, & Romam veniens Imperator conſecratur.

MCLVI. Fridericus Imperator Roma rediens, Curiam Ratisponæ habuit, Beatricem Arelatenſem duxit uxorem. *Marchionatus Auſtriæ mutatur in Ducatum, & Ducatus Bohemiæ mutatur in Regnum.* Willhelmus Apulus cum Manuele Græco pugnans vicit. Cæſa ſunt ibi, ut ajunt, Quadraginta millia Græcorum.

MCLVII. Imperator Poloniam adit, & fit inter eum & Apoſtolicum diſſenſio.

MCLVIII. Imperator Mediolanum obſedit, & ad deditionem coëgit.

MCLIX. Adrianus Papa obiit: Octavianus Cardinalis a parte Cæſaris conſtitutus, Victor dicitur; ſed Rudlandus, qui & Alexander, ab Eccleſia eligitur.

MCLX. Cremam Imperator deſtruit. Arnoldus Epiſcopus Moguntinus in Eccleſia S. Jacobi a civibus occiditur.

MCLXI. Uolricus Elſinpacenſis Abbas obiit: Wernherus Prior S. Petri ſuccedit.

MCLXII. Imperator Mediolanum deſtru-

ſupp. Ordinis Monaſterium.

xit. Guotſco Rex Ungariæ obiit: Ladzlaus frater ejus ſuccedit.

MCLXIII. Imperator jam quarto Italiam adit. Imperator Moguntiæ muros & turres deſtruit. Ladzlaus obiit: Stephanus frater ſuccedit.

MCLXIV. Octavianus ſcismaticus obiit: Guido Paſchalis per Cæſarem ſubſtituitur. Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Chunradus Epiſcopus Patavienſis, patruus Imperatoris, ſuccedit. Hartmannus Brixinenſis, & Hartwicus Ratisponenſis Epiſcopi obierunt. Otachr Stiriæ Marchio, Gebhardus de Burchuſen, Sifridus de Liubnove, Liutoldus de Plein Milites obierunt.

MCLXV. Imperator in curia Wirziburch Principes regni Guidoni ſcismatico jurare compulit.

MCLXVI. Chriſtianus Mogontinus Chunrado ſuperponitur. Eo anno Imperator curiam Lofen habuit, Salzburgenſis Eccleſia ibi diſtrahitur.

MCLXVII. Imperator Italiam quinto adit. Romanus Gurcenſis Epiſcopus obiit: Heinricus Abbas S. Petri ei ſuccedit. Hug Præpoſitus obiit: Sibot ſuccedit. Juvavum incendio periit.

MCLXVIII. Chunradus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Albertus filius Regis Boemiæ ſuccedit. Paſchalis ſcismaticus, qui & Wido, obiit.

MCLXIX. Imperator ad Salzburchoven curiam celebrans, Epiſcopatum Salzburgenſem in deditionem accepit.

MCLXX. Imperator Salzburc XIV. Kal. Martii venit; ad Libniz cum Prælatis colloquium habuit. Rex Jeruſalem de Sarracenis triumphat.

MCLXXI. Thomas Cantuariæ patitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem.

MCLXXII. Imperator curiam Salzburc habuit, volens A. [1] Archiepiſcopo alium ſuperponere, ſed dilatum eſt tunc.

MCLXXIII. Imperator Regem Boemiæ depoſuit, & patruelem ejus illi ſuperpoſuit.

MCLXXIV. Imperator in curia Ratisponenſi Heinricum Præpoſitum Bertersgadenſem A. Archiepiſcopo ſuperpoſuit: & ipſe in Lombardiam pergens Alexandriam obſedit. Alexander Papa literis ſuis A. Archiepiſcopum confirmat. Heinricus Gurcenſis Epiſcopus obiit: Romanus ſuccedit.

MCLXXVI. Boemi Auſtriam invadunt. Soldanus de Yconia cum Rege Græcia pugnans vicit, cæſis ei centum milibus, ut ajunt, & S. Cruce ſublata.

MCLXXVII. Alexander Papa, & Imperator Venetiis pacificantur. Chunradus Mogontinus A. Archiepiſcopo ſubſtituitur. Heinricus Dux Auſtriæ obiit.

MCLXXVIII. *Hoc anno dedicata Capella S. Gertrudis a Chunrado, in monte noſtro ad S. Petrum.*

MCLXXVIIII. Alexander Synodum Romæ CCCC. Epiſcoporum [2]. Romanus [3] Gurcenſis Epiſcopus obiit: Chunradus Archiepiſcopus Dietricum ſubſtituit.

MCLXXX. Heinricus Dux Bawariæ ab Imperatore eicitur: Otto Palatinus ei ſubſtituitur. Manuel Græcorum Rex obiit: Andronicus ſuccedit.

MCLXXXI. Alexander Papa obit: Lucius ſuccedit. Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberhardus Epiſcopi Salzburgenſes ſignis claruerunt.

MCLXXXII. Uolricus Aquilegienſis Patriarcha obiit: Gotfridus ſuccedit.

MCLXXXIII. Terræ motus accidit II. Kal. Maj. Chriſtianus Mogontinus obiit. Chunradus Mogontiæ, Albertus Salzburgiæ Epiſcopi reſtituuntur. Otto Dux Bawariæ obiit: Ludwicus filius ei ſuccedit. Siboto Præpoſitus Salzburgenſis obiit: Gundaker ſuccedit.

MCLXXXIV. Filii Imperatoris, Heinricus Rex, & Fridericus Sueviæ Dux, Mogontiæ gladiis accinguntur. Imperator ſeptimo Italiam adit, cum Lucio Papa familiare colloquium habuit. Beatrix Imperatrix obiit. Albertus Friſingenſis Epiſcopus obiit.

MCLXXXV. Andronicus tyrannus Græciæ occiditur, Lucius Papa obiit: Urbanus ſuccedit. Chuono Ratisponenſis Epiſcopus obiit.

MCLXXXVI. Heinricus Rex, filius Imperatoris, duxit filiam Rogerii olim Regis Apuliæ. Cremam Imperator reſtaurat.

MCLXXXVII. Apoſtolicus & Imperator diſſentiunt. Saladinus Babylonicus terram Jeruſalem intravit; Tiberiadem, Cæſaream, Nazareth, Accaron, & plerasque alias civitates invaſit; Principes & populum in prælio cepit, & occidit (ut ajunt) fere ad triginta milia, circa Kalendas Julii. In menſe Septembri eclipſis ſolis accidit. In Idibus Octobris Urbanus Papa obiit: Gregorius, qui & Albertus, ſuccedit, poſt hunc Clemens.

MCLXXXVIII. Heinricus infirmitate preſſus, reſignat Abbatiam S. Petri, XIII. Kal. Aug. Wicpoto eadem die factus Prior, ſequenti fit Abbas, præſens Archiepiſcopus electionem liberrimam probavit, electum IV. die in domo S. Petri conſecravit.

MCLXXXIX. Imperator a terra & mari movit expeditionem adverſus Saladinum. Quem Rex Græciæ Yſaſchar primo miſſis legatis Nuirnberc juravit ſe honorifice ſuſceprurum, & ſecurum tranſitum ei præbiturum; ſed poſtea eo Græciam intrante mentitus eſt omnia, quæ promiſerat. Quem Imperator ad Sacramentum faciendum denuo de pace & concordia & ſecuro tranſitu compulit, accnptis ab eo electis obſidibus.

MCXC. Imperator, & Rex Græciæ, VIII. Kal. Martii, pacificantur. Imperator obiit. Exercitus ex magna parte interiit. Willehelmus Rex Apuliæ obiit. Tanchradus tyrannus regnum invadit. Walcherus Burenſis Abbas obiit. Heinricus Abbas Elſinpacenſis obiit: Wernherus ſubſtituitur. Heinricus Rex expeditionem in Apuliam movit.

MCXCI. Heinricus Rex Romæ Imperator ordinatur a Cœleſtino Papa, ſucceſſore Clementis

[1] Alberto. [2] *ſupp.* coëgit. [3] *leg.* Heinricus.

mentis. Fridericus Dux Sueviæ cum aliis Principibus & Episcopis in expeditione obiit. Rex Galliæ, & Rex Angliæ expeditionem Jerusalem per mare movent. Eclipsis solis accidit, IX. Kal. Junii, circa mediam diem.

MCXCII. Controversia facta inter Regem Galliæ, & Regem Angliæ, Rex Galliæ revertitur.

MCXCIII. Chuonradus Marchio, qui Rex Jerusalem fuerat creatus, jussu (ut ferunt) Regis Angliæ a duobus paganis insidiantibus occiditur apud Sydonem. Rex Angliæ pace cum Saladino composita, ab Jerusalem revertitur: & suorum destitutus comitatu, pedes apud Wienen civitatem a Duce Austriæ Liupoldo captus, Imperatori Heinrico traditur. Bauwari inter se dissidentes omnem regionem incendio devastant. Wicpoto Abbas S. Petri VI. Id. Octobris obiit. Pilgrimus V. Id. Octobris eligitur, præsente Archiepiscopo Alberto, & electionem liberrimam adprobante, atque ab eo in eadem domo, S. Petri scilicet, in Kalendis Novembris consecratur.

MCXCIV. Liupoldus Dux Austriæ excommunicatur a Cœlestino Papa, propter Regem Angliæ. Tanchradus tyrannus obiit. Dietricus Gurcensis Episcopus Episcopatum resignat: Wernherus Niwenburgensis Præpositus ab Alberto Salzburgensi Archiepiscopo institutus succedit.

MCXCV. Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ obiit. Heinricus Imperator de liberatione Jerusalem & S. Sepulchri omnimodis intendens, duas curias, unam Geilnhusen, alteram Wormatiæ celebravit: in quibus, ipso in tempore multum instigante, multi Episcoporum & Principum sibi Crucem affixerunt, & contra Sarracenorum gentem iter arripuerunt. Imperator secundam in Apuliam movens expeditionem, terrestri & navali fortissimo apparatu, totam Apuliam & Siciliam cum palatio Panormitano, & thesauris Regum antiquorum infinitis obtinuit: & Margaritam piratam cepit, & alios quamplures, qui contra conspiraverant, diversis suppliciis interemit, filium Tanchradi & uxorem ejus captivavit. Heinricus Dux aliquando Bauwariæ & Saxoniæ in Brunschwich obiit. In Hyspaniis cum Massimut male pugnatum a Christianis, multi eorum perierunt. Wernherus Gurcensis Episcopus moritur: pro quo Ekchardus Præpositus de Solio eligitur. Pilgrimus Abbas S. Petri Salzburgensis multis modis gravatus a Domino A. Archipiscopo, compulsus resignat Abbatiam.

MCXCVI. Gundacharus Salzburgensis Præpositus obiit: Perhtoldus ejusdem Ecclesiæ Canonicus succedit. Hallensis civitas ab Alberto Archiepiscopo exusta est: & castrum, quod Halburch dicitur, ab ipso constructum est. Chuonradus Abbas de Sitanstetin substituitur Pilgrimo Abbati.

MCXCVII. Christianorum exercitus quodam Gotefrido Duce de Brabant mare transivit: & civitates duas, videlicet Sydonem & Baruth, & alia quamplura castra, quæ possederant Sarraceni, occupaverunt. Heinricus Imperator adhuc in Apulia positus, mortuus est. Quo mortuo Philippus Dux Sweviæ, frater prædicti Imperatoris, & Otto, filius Heinrici aliquando Ducis Bauwariæ Saxoniæque, pro regno contenderunt.

MCXCVIII. Chuonradus resignat Abbatiam S. Petri: Pilgrimus restituitur.

MCXCIX. Cœlestinus Papa obiit: Innocentius, qui & Lotharius, Papa sedit. Episcopus Wolfkerus Pataviensis cum duobus Comitibus de Ortenburch Rapotone & Heinrico, qui Ecclesiam Pataviensem vastaverant, contendens, mirabiliter castellis eorum vastatis, eos contrivit, multis ibidem pereuntibus. Pilgrimus S. Petri Abbas obiit: pro quo Symon electus est. Apud Augustam corpus Domini in cruentam carnem versum est.

MCC. Nona Aprilis Juvavensis civitas maxima ex parte incendio periit. Adelbertus Archiepiscopus beatæ memoriæ V. Id. Aprilis, obiit: cui Eberhardus Brixinensis Episcopus successit, Perhtoldus Salzburgensis Præpositus Romam pro pallio ab ipso destinatus, infecto negotio Romæ mortuus est. Ipse vero Archiepiscopus per se vadens Romam multo labore & sudore, tandem ab Innocentio Papa pallio honoratur. Ekehardus Gurcensis Episcopus obiit. Chuonradus Moguntinus Archiepiscopus obiit.

MCCI. Terræ motus magnus in multis terrarum locis factus est, ita ut urbes & ecclesias destrueret, & mortes hominum multorum fierent. Duravit autem idem terræ motus in pago, qui dicitur Longou, anno & dimidio, ita ut homines illius provinciæ domos suas relinquerent, & sub udo aëris habitarent. Cæpit autem idem terræ motus IV. Non. Maj. Hoc quoque anno Wernhardus Præpositus Berthesgadensis fratri suo Domino Perhtoldo Romæ defuncto Nonis Octobris successit.

MCCII. Chunigundis Virgo & Regina, uxor Imperatoris Heinrici Pii, Bambenberch sepulta, multis fulgens miraculis, ab Innocentio Papa canonizata est, & multis convenientibus Episcopis & Archiepiscopis, inter quos affuit & Dominus Archiepiscopus Salzburgensis Eberhardus, ab eis est translata.

MCCIII. Discordia facta est inter Ducem Bawariæ Ludwicum, & Episcopum Ratisponensem Chounradum: cui confœderatus Dominus Eberhardus Salzburgensis Archiepiscopus, in manu valida venit in auxilium, nullo resistente. Et diruta sunt castra aliquanta ex utraque parte, factaque sunt incendia multa per universam Bawariam, villarum depræda-tiones & ecclesiarum, ita ut nec ab altaribus abstinerent, & Reliquias Sanctorum inde auferrent, aliqui quamplurima nefanda & inaudita perpetrarent. Hoc quoque anno Præpositus Wernhardus, V. Id. Aug. Domino Eberhardo apud Rastat Prælaturam resignavit, & deinde IX. Kal. Septemb. obiit. Successit autem ei Dominus Adelbertus Chimensis Præpositus, communi omnium voto electus. Reverso autem Domino Archiepiscopo a Ratispona, magna ex parte, VIII. Id. Nov. civitas concremata est,

MCCIV. Ludwicus Dux Bawariæ, & Dominus Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus; & Chuonradus Ratisponenſis Epiſcopus in concordiam redierunt. Eclipſis lunæ XVI. Kal. Aprilis facta eſt. Chuonradus Ratisponenſis Epiſcopus IX. Kal. Maj. obiit: cui Chuonradus Friſingenſis Præpoſitus ſuccedit. Infra Paſcha & Pentecoſten cœlum per totam noctem quaſi ab igne rubicundum apparuit. Eclipſis lunæ in ipſo ortu VI. Id. Octob. facta eſt. Pilgrimus Aquilegenſis Patriarcha obiit: Wolfkerus Patavienſis Epiſcopus ei ſuccedit, & eidem Poppo Aquilegenſis Præpoſitus in Epiſcopatum ſubſtituitur. *Lanczhuet conſtruitur.*

MCCVI. Poppo Epiſcopus Patavienſis obiit: Manigoldus Abbas de Tegirnſe ſuccedit. *Ordo Fratrum Minorum incipit.*

MCCVII. Conſtantinopolis a Latinis & Venezianis capta, fere tertia parte exuſta eſt, & univerſus ornatus & theſaurus S. Sophiæ ablatus.

MCCVIII. Philippus Rex cum Papa reconciliatus, Babenberch ab Ottone Palatino occiditur.

MCCIX. Otto filius Ducis Heinrici de Prunſwich in Regem eligitur, & ab Innocentio Papa conſecratur. Otto Palatinus occiditur pro homicidio commiſſo in Philippum. Eclipſis lunæ facta eſt.

MCCX. Otto a Domino Papa excommunicatur. Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis ab Ottone in Italiam vocatur, ibique ab eo contra Papam Innocentium conſpirare terrogatur. Quo renuente, ab eo capitur. Hugo Præpoſitus Berhtersgadenſis obiit.

MCCXI. Otto intravit Apuliam, ibidem Fridericum Regem Siciliæ expugnare voluit, & totam Apuliam ſibi ſubjugavit. Fridericus de Elingen in Præpoſitum Bertersgadenſem eligitur. Otto a multis Epiſcopis Alamanniæ excommunicatus, a Papa denuntiatur. Idem ab Apulia revertitur, curiam Nurinberch celebravit; & Lancravium Duringiæ expugnare cogitavit.

MCCXII. Albertus Salzburgenſem Præpoſituram coactus reſignavit: Cui Otto Præpoſitus ſucceſſit. In feſto S. Nycolai Fridericus Rex Siciliæ intravit regnum patris ſui, electus Franchenvurt. Chriſtiani de Sarracenis in Hiſpania fere centum milia occiderunt & captivaverunt miraculoſe. Plurima hominum utriusque ſexus & ætatis multitudo in expeditionem transmarinam per pſeudo-ductores incitatur: quæ jubente Papa Innocentio, miſſis Cardinalibus, apud Tarviſium Italiæ repellitur. Manegoldus Patavienſis Epiſcopus, & Rapoto Palatinus ſimul diſcordantes, clauſtra, monaſteria, Eccleſias unacum omni provincia incendio devaſtant.

MCCXIII. Waltherus Gurcenſis Epiſcopus obiit. Fridericus Rex conſecratus apud Maguntiam; curiam Ratisponæ celebravit in Purificatione; aliam curiam in Paſſione apud Conſtantiam celebravit; tertiam Mersburch celebravit. Regina Ungarorum, ſponſo expeditionem contra Rutherios movente, a Comite quodam Petro trucidatur: qui & ipſe ſubſequenti nocte in ultionem ſceleris cum aliis jugulatur.

MCCXIV. Otto majoris Eccleſiæ Præpoſitus in Epiſcopium Gurcenſe eligitur: pro quo Adalbero Canonicus ejusdem in Præpoſituram ſubrogatur. Otto Gurcenſis Electus obiit: Heinricus Præpoſitus de Solio ſuccedit.

MCCXV. Manigoldus Patavienſis Epiſcopus obiit: Ulricus ejusdem Eccleſiæ Canonicus ſuccedit. Univerſalis Synodus celebrata eſt Romæ, in qua fuerunt Epiſcopi CCCCXII. Inter quos extiterunt Conſtantinopolitanus, Jeroſolimitanus Patriarchæ; Primates autem & Metropolitani LXXI; Abbates & Priores ultra DCCC. In ipſa Synodo Kymenſis Epiſcopatus inſtituitur.

MCCXVI. Innocentius Papa III. ab urbe egreſſus, verbum crucis in Tuſcia prædicavit: & apud Peruſium civitatem, in Diviſione Apoſtolorum, obiit. Honorius Papa ſedit. Synodus Quatuor Epiſcoporum, ſub Eberhardo Archiepiſcopo, Salzburch habetur. Rex Ungariæ, Dux Auſtriæ, & Dux Navariæ [1], & multi Archiepiſcopi & Epiſcopi, multi Comites cum viris generoſis ac militia magna omnium regnorum Chriſtiani nominis ſignantes ſe cruce Chriſti contra Sarracenos, mare tranſierunt. Mons Thabor a Chriſtianis obſidetur. Templarii & Hoſpitalarii, & Domus Teutonica cum peregrinis caſtrum peregrinorum, quod Diſtrutum olim appellabatur, firmare cœperunt. *Ordo Prædicatorum incipit.*

MCCXVII. Exercitus Domini coram Damiata in ſabulo, Chriſto Duce Auxiliante, miraculoſe caſtra metati ſunt. Dux Auſtriæ & Hoſpitalarii contra turrim in Nilo flumine ſitam ſcalas direxerunt. Sed Sarracenis eam viriliter defendentibus, Hoſpitalariorum ſcala confracta cum malo cecidit, bellatores ſuos præcipitans, ſcala Ducis ſimili modo confracta. Eadem fere hora milites ſtrenuos & armatos, corpore deciduos, ſecundum animas levavit ad cœlum glorioſo martyrio coronatos. Tandem, in die S. Bartholomæi Apoſtoli, multo labore capta eſt turris, & a Chriſtianis firmata. Oliverius filius Regis Anglorum, Comes de Marchia, & Comes Barri, & filius ejus Magiſter militiæ Templi, & multi alii, equeſtris ordinis & plebei; apud Damiatam diem clauſerunt extremum. Albero majoris Eccleſiæ Præpoſitus obiit: Albertus ſuccedit.

MCCXVIII. Chriſtiani, tranſito Nilo flumine, Damiatam obſident. Multi Chriſtianorum elevatis velis receſſerunt, in ſabulo Damiatæ exercitu Chriſti in ſummo periculo relicto.

MCCXIX. Synodus IV. Epiſcoporum, ſub Eberhardo Archiepiſcopo, Salzpurch celebratur. Jeroſolima Regina civitatum deſtructa eſt a Coradino filio Saphadini, foris & intus muri ejus redacti ſunt cum turribus in acervos lapidum, præter templum Domini, & turrim David. Chriſtiani in Decollatione S. Johannis Baptiſtæ ineuntes certamen contra Sarracenos,

[1] *ſ.* Bavariæ.

veriti

veriti ſunt a facie eorum: & cecíderunt hinc inde multi, vulnerati & occiſi, & multi nobiles cum triginta Templáriis trucidati ſunt, & in captivitatem ducti. Damiata, Chriſtianorum ſpoliatrix, a Chriſtianis longa obſidione tandem capta, & firmata eſt: pereuntibus in ea octuaginta milibus hominum, a tempore quo perfecta eſt obſidio, præter eos, qui ad redemptionem captivorum Chriſtianorum reſervati ſunt. Otto Imperator apud Prunſwich obiit, per Legatum Apoſtolicæ Sedis a vinculo excommunicationis abſolutus.

MCCXX. Thomas Cantuwarienſis Epiſcopus & Martyr ab Honorio Papa: miſſis Cardinalibus, translatus eſt. Fridericus Romanorum Electus ab Honorio Papa ad Imperatorem Romæ ſolenniter conſecratur, Duce Bawariæ, aliisque Principibus & viris nobilibus præſentibus. Otto Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus obiit: Geroldus ejusdem Eccleſiæ Canonicus eligitur.

MCCXXI. Damiata multo labore & ſudore Chriſtianorum acquiſita, rurſus à Sarracenis poſſidetur: multa ſtrage hominum ab utraque parte facta. Ulricus Patavienſis Epiſcopus ab expeditione transmarina rediens, in via obiit: Gebehardus ejusdem Eccleſiæ Canonicus eligitur.

MCCXXII. XI. Kal. Junii poſt Veſperas, confuſo ſubito aëre, venit grando afferens lapides in modum ovi gallinæ, qui per magnam partem prata, campos, hortos, pomæria devaſtaverunt. Imperatrix obiit. Bozana civitas atque Milites vicini indixerant turnamentum. Et dum omnes, ac tota civitas eadem ad lætitiam moveretur, & militiam exercerent; ſubita Divina permiſſione penitus exuſta eſt: ubi etiam dum fugam caperent, quocunque modo, plus quam quingenti homines perierunt; & ſic judicante Deo gaudium eorum in luctum verſum eſt. Imperator in Sicilia manens, curiam tam Principibus Teutonicis, quam Italicis Nobilibus in feſto beati Martini Veronæ celebrandam indixerat. Ad quam cum plures convenìſſent, adventum Imperatoris expectantes, ipſe aliis negotiis præpeditus, in Sicilia remanſit.

MCCXXIII. Corpora SS. Viti & Modeſti ab Archiepiſcopo Eberhardo & Karolo Seccouwenſi Epiſcopo in Eccleſia S. Andreæ apud Lavent inventa, & in altari recondita, plurimis cœperunt coruſcare miraculis: & eorum Reliquiæ ad Eccleſiam Salzpurgenſem, præſentibus Patavienſi & Kyemenſi Epiſcopis, cum multa frequentia & tripudio populi ab Archiepiſcopo ſunt translatæ.

MCCXXIV. Peſtilentia animalium per totum fere mundum graviſſima facta eſt. Berhtoldus Brixienſis Epiſcopus obiit: Heinricus Archidiaconus Aquilegiæ eligitur.

MCCXXV. Chunradus Cardinalis, Portuenſis Epiſcopus, Romanæ Sedis Legatus per ſe & plures cooperatores per totam Alamanniam verbum crucis prædicavit, & quamplures cruce ſignantur. Imperator cum filia Regis Jeroſolimitani nuptias in Apulia celebravit: & Heinricus filius ejus, Rex declaratus, duxit filiam Ducis Auſtriæ, cum qua, Principibus quibusdam præſentibus, Nuptias apud Nurenberch ſolemniter celebravit. Ubi propter frequentiam populi circiter XL. perſonæ, inter quas quidam Prælati, Monachi, Clerici erant, & cum aliis oppreſſi occubuerunt. Engilbertus Colonienſis Epiſcopus, vir magnæ prudentiæ, & tutor Regis, a Comite Friderico de Alcenach, ſororio ſuo, occiditur.

MCCXXVI. Imperator condixerat ſolemnem curiam in Italia apud Cremonam, ad quam vocavit filium ſuum & Principes Alamanniæ: qui propter rebellionem Lombardorum non permittebantur intrare, unde infecto negotio Imperator cum indignatione in Apuliam ſe recepit. Inter Liupoldum Ducem Auſtriæ, & filium ſuum majorem guerra orta eſt ſuper hæreditate: quæ tandem mediantibus Majoribus terræ ad concordiam eſt revocata. Junior filius Ducis duxit uxorem ſororem Reginæ Ungariæ. Archiepiſcopus inſtituit ſedem Kathedralem apud S. Andream in Lavent; cui præfecit Ulricum Plebanum de Hus. Friſinga duabus vicibus exuſta eſt, tam civitas, quam ædificia montis & Eccleſiæ. Gwerra gravis orta eſt inter Rapotonem Comitem Palatinum Bawariæ, & Comitem de Bogen: in qua plures Eccleſiæ ſunt deſtructæ & ſpoliatæ. Chunradus Ratisponenſis Epiſcopus obiit: & Gotfridus Præpoſitus majoris Eccleſiæ a quibusdam eligitur, maxima parte Capituli contradicente. Gerdrudis Abbatiſſa in Nunneburch obiit: Willibirgis de Megelingen ejusdem loci Sanctimonialis eligitur. Heinricus filius Imperatoris, annuente patre, cum multis Principibus regni apud Aquisgrani curiam celebravit: in qua uxor ſua, filia Ducis Auſtriæ, honorifice coronatur. Fridericus Comes de Alcenach, interfector Epiſcopi Colonienſis, Romam veniens, pœnitentiam ſuper ſcelere commiſſo ab Honorio Papa ſuſcepit. Et inde rediens, in ipſa pœnitentia per quendam Canonicum Leodienſem proditur cuidam amico ſuo ſæculari & ab eodem traditur Coloniæ civibus: a quibus pœna conſumatur rotali. Imperator cum Lombardis in concordiam rediit.

MCCXXVII. Eccleſia S. Katherinæ ab Epiſcopo Rüdgero Chiemenſis Eccleſiæ dedicatur. Honorius Papa obiit: Gregorius ſedit. Magna copia cruce ſignatorum, ad exhortationem & mandatum Domini Papæ, iter peregrinationis arripuerunt; ſed circa maritima magna pars ipſorum mortua eſt, inter quos Auguſtenſis Epiſcopus, & Lantcravius Thuringiæ cum aliis nobilibus obierunt. Reliqua pars credens Imperatorem transfretaturum, mare tranſivit; Imperatore vero remanente, de licentia Domini Papæ, in continenti fere omnis illa peregrinatio rediit. Dominus Papa, pro eo quod votum peregrinationis non ſolverat, Imperatorem ſolemniter excommunicatum denuntiat. Electio Domini Gotfridi Ratisponenſis Epiſcopi a Domino Papa caſſatur: & in præſentia Domini Papæ Sifridus, Maguntienſis Eccleſiæ Cantor, in Ratisponenſem Epiſcopum eligitur, & a Papa Romæ conſecratur.

MCCXXVIII. Papa in Cœna Domini Impera-

peratorem excommunicatum publice denunciavit. Unde non parum turbati [1], ipſum Papam in ſecunda feria Paſcæ in Eccleſia S. Petri, etiam infra Miſſarum ſollemnia, quæ perſonaliter celebravit, contumeliis & blaſphemiis afficientes, ab injectione manuum vix continuerunt. Unde Papa in palatium apud S. Petrum ſe recipiens, poſt aliquot dies Urbem exivit; & in Tuſcia primo apud Reatum, poſtmodum apud Peruſium ſe recepit: ubi habito colloquio Principes Imperii a fidelitate Imperatoris abſolvit. Imperator, defuncta Imperatrice in puerperio transfretavit, & ad Cyprum usque Aconvenit: ubi in magna gloria fuit ſuſceptus, & poſt paucos dies legatos Soldani pacifice eum recipientes recepit. Electus Brichſinenſis in die Palmarum apud Venetias ab Archiepiſcopo Salzpurgenſe in Epiſcopum conſecratur: præſentibus Magdeburgenſe Archiepiſcopo, & Babenbergenſe Epiſcopo, & Duce Auſtriæ, qui ad occurrendum Imperatori Italiam intraverat. Otto filius Ducis Bawariæ apud Strubingen, præſente Rege & aliis multis Principibus, in feſto Pentecoſtes gladio accingitur: ubi Ulricus primus Laventenſis Epiſcopus ab Archiepiſcopo in Epiſcopum conſecratur.

MCCXXIX. Imperator in transmarinis partibus poſitus, civitatem ſanctam Jeruſalem, & majorem partem terræ ſanctæ a Saladino Babylonico recepit: & treugis inter ipſos firmatis, Imperator revertitur in Apuliam, & fines regni Apuliæ ab exercitu Domini Papæ occupatos recepit. Exercitus Domini Papæ, qui in tres partes diviſus erat, Teutonicis cruce ſignatis paſſagium impedivit. Longobardi & Tuſci cum Domino Papa contra Imperatorem conſpirant.

MCCXXX. Tyberis alveum ſuum egreſſus vicina loca occupavit, & in Urbe Roma usque ad gradus S. Petri aſcendit, unde Romani compulſi Papam ad Urbem revocarunt. Dominus Papa & Dominus Imperator, mediantibus Principibus Alemanniæ, videlicet Patriarcha Aquileienſi, Archiepiſcopo Salzpurgenſi, Epiſcopo Ratisponenſi, Auſtriæ & Meraniæ & Karinthiæ Ducibus & quibusdam aliis, in concordiam redierunt; & Dominus Imperator ab excommunicatione abſolvitur, & poſt abſolutionem in hoſpitio & menſa a Domino Papa excipitur. Liupoldus Dux Auſtriæ apud S. Germanum obiit. Cujus corpus in monte Caſſino in Monaſterio S. Benedicti a Cardinalibus ſepelitur: & oſſa ipſius delata in die S. Andreæ Apoſtoli apud Lirenvelde ab Archiepiſcopo ſepeliuntur, & eodem die dictum Monaſterium ab eodem conſecratur. Rex Boemiæ Auſtriam in manu valida intrans, magnam partem terræ incendio vaſtavit. Epiſcopus Ratisponenſis, Cancellarius Imperialis aulæ efficitur. Siefridus Mogontienſis, Archiepiſcopus moritur. Karolus primus Seccowenſis Epiſcopus moritur.

MCCXXXI. Geroldus Epiſopus Friſingenſis Epiſopatum reſignat: Chunradus Tolznare ejusdem Eccleſiæ Canonicus eligitur. Symon Abbatiam S. Petri ſponte reſignat: Magiſter Berhtoldus Abbas Agmuntenſis ſuccedit. Eccleſiæ S. Petri, & Agmuntenſis Abbates, & Eccleſiæ majoris Præpoſitus; obtinente Eberhardo Salzburgenſi Archiepiſcopo, ab Apoſtolico infulis honorantur. Heinricus Præpoſitus Berhtersgadenſis obiit. Imperator curiam apud Ravennis, quam de conſilio Domini Papæ indixerat, ſollemnem celebraturus Ravennis acceſſit; ſed Lombardis viam publicam intercludentibus, Principes Teutonici debita honeſtate ad eandem curiam accedere ſunt impediti. Ulscalcus aliquando Gurcenſis Epiſcopus obiit. Ludwicus Dux Bawariæ, præſente familia ſua, a quodam ignoto cultro percuſſus obiit. Rapoto Palatinus Bawariæ obiit.

MCCXXXII. Imperator Natale Domini apud Ravennis celebravit, & per Venetos transiens usque ad Aquilegiam & S. Julii proceſſit, Ubi Rex filius ſuus & quidam alii Principes, ſcilicet Fridericus Dux Auſtriæ, qui jam apud Wiennam gladio militari accinctus erat: cum quibus de pace Alamanniæ verbotenus ordinans, in Apuliam ſe recepit. Dominus Archiepiſcopus ab Imperatore reverſus, Chunradum Friſingenſem & Heinricum Secowenſem Electos apud Friſacum in Pentecoſten ordinavit. Gebhardus Patavienſem Epiſcopatum reſignavit. S. Antonius, de Ordine Minorum Fratrum, apud Paduam ſignis coruſcans, a Domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer poſt obitum ſuum eſſet elapſus. Epiſcopus Babenbergenſis cum Duce Karinthiæ movens bellum, plures ei munitiones deſtruxit, & terram pro magna parte vaſtavit.

MCCXXXIII. S. Virgilius a Papa Gregorio IX. canonizatus eſt IV. Id. Junii. Ruodgerus, primus Chiemenſis Eccleſiæ Epiſcopus auctoritate Papæ Patavienſi Eccleſiæ præficitur. Elyſabeth filia Regis Ungariæ, vidua Lantgravii, poſt obitum ſuum multis ſignis claruit. Magiſter Chunradus de Marchpurch cum alio fratre de Ordine Minorum occiditur, pro eo quod in partibus Rheni impugnabat hæreſim. Otto Dux Bawariæ curiam Ratisponæ celebrandam indixit, quam propter indignationem Regis, & aliorum quorundam Principum ſibi non faventibus, [2] apud Lantshuot celebravit. Sed poſtmodum Rex cum multis Pricipibus & magno exercitu Bawariam intravit, Ducem deſtructurus. Sed mediante Archiepiſcopo Salzpurgenſi in gratiam eum recepit, & filium ejus puerulum in obſidem Regi dedit, & tandem curiam ſollemnem Ratisponæ Dux celebravit: cui Archiepiſcopus Salzpurgenſis & omnes Epiſcopi Bawariæ interfuerunt. Dux Bawariæ cum exercitu fines Ducis Auſtriæ devaſtavit, & clauſtrum in Lambach exuſſit. Epiſcopus Babenbergenſis a miniſteriale Ducis Karinthiæ per totam Quadrageſimam in captivitate tenetur.

MCCXXXIV. Dux Bawariæ ſuper Monaſterium Vormpach repente irruens multos proſcriptos, qui ſe in eodem Monaſterio receperant, ejectis Monachis comprehendit: quorum quosdam ſuſpendi, alios capite plecti juſſit. Albertus Præpoſitus majoris Eccleſiæ in Epiſco-

[1] *Supp.* Romani. [2] *pro* faventium.

patum

patum Chiemenſem eligitur: Chuono Decanus ejusdem loci ſuccedit. Danubius alveum ſuum egreſſus, vicos quamplures & civitates muratas in Auſtria impetu glaciali deſtruxit.

MCCXXXV. S. Dominicus, Ordinis Prædicatorum inſtitutor, canonizatur. Diſcordia inter Papam & Romanos oritur. Qui collecto exercitu Romanos bello aggreſſus eſt, in quo plures Romanorum captivati ſunt: & ex parte Papæ multi occiſi, inter quos & Teutonici multi ceciderunt, quorum auxilio victoriam adeptus eſt. Imperator per canales filium ſuum ex Regina Jeroſolimatana ſecum ducens intravit Teutoniam, tempore maximæ famis. Et curiam ſollemnem apud Magontiam celebravit, cui interfuerunt ſeptuaginta Principes: & Regem filium ſuum, quem de conſpiratione adverſus imperium ſuſpectum habebat, a regia dignitate depoſitum in Apuliam miſit. Rex Ungariæ cum multo exercitu fines Auſtriæ intravit, & Ducem Auſtriæ in fugam convertit. Imperator colloquium in Auguſta celebrans multos malefactores Bawariæ & caſtra proſcripſit, & filiam Regis Angliæ uxorem duxit. Bela Rex Ungariæ moritur. Dux Auſtriæ conſilio Judæorum terram Auſtriæ clauſit, nec per terram vel aquam annonam in partes ſuperiores ire permiſit. Nec tamen minus eo civitas Salzeburgenſis & tota provincia illius, frumento de Suevia ſibi allato, vinoque Latino & Franconico abundavit. S. Elyſabet, filia Regis Ungariæ & uxor Lantgravii, canonizatur.

MCCXXXVI. S. Elyſabet de tumulo elevatur: ubi aderat Dominus Imperator cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, & aliis Principibus cum infinita populi multitudine. Rex Boemiæ ad mandatum Imperatoris vaſtavit Auſtriam. Et Dux Bawariæ & Epiſcopus Patavienſis obſederunt civitatem Linze, & infecto negotio receſſerunt. Et Patriarcha Aquilejenſis cum Epiſcopo Babenbergenſi Stiriam hoſtiliter intrantes Eccleſias ſpoliaverunt. Patavienſis & Friſingenſis Epiſcopi cum quibusdam Nobilibus & aliis a Duce Auſtriæ captivati ſunt. Imperator cum modica militia intravit Lombardiam, & multa caſtella cum Vincentia civitate occupavit, & in ipſis præſidia militum ordinavit, & per canales verſus Auſtriam in Decembri revertitur.

MCCXXXVII. Imperator Natale Domini apud Greze in Marchia celebravit, & apud Wiennam hiemavit, & circa Paſcha Auſtriam egrediens, Epiſcopum Babinbergenſem ad impugnandum Ducem apud Wiennam cum militibus dimiſit. Qui non multo poſt in eadem civitate defunctus eſt, unde Dux libere cœpit terram vaſtare. Imperator in partibus ſuperioribus milite collecto, præmiſſa Imperatrice Lombardiam intravit: & cum Mediolanenſibus congreſſus glorioſe triumphavit, ita ut poteſtatem ipſorum in Karrucio ligatum abduceret. Archiepiſcopus Salzeburgenſis Eccleſiam Brixinenſem dedicavit, & oſſa Beati Hartmanni a terra reverenter ſublevavit.

MCCXXXVIII. Imperator in Italia manens apud Veronam curiam celebravit, & poſtmodum Priſſianum cum multo exercitu, tam Teutonicorum quam Latinorum obſidione cinxit, nec tamen capere potuit. In Diœceſi Aquilegienſi hoſtia Corporis & Sanguinis Domini, celebrante quodam ſæculari Clerico, in veram ſpeciem Carnis & Sanguinis transformata eſt: & hoc in menſe Februario, in caſtro quod dicitur Stain ſuper Trahum fluvium. Et idem Clericus in brevi ad Ordinem Prædicatorum in Friſaco ſe transferens, cum in die S. Pentecoſtes Divina multis aſtantibus celebraret; ſecundo hoſtia Corporis & Sanguinis Chriſti in veram carnem & ſanguinem transformata eſt, quæ in criſtallo perſpicaci receptæ, a fidelibus devote celebrantur. III. Non. Junii eclipſis ſolis facta eſt, quæ duravit per duas horas vel amplius.

MCCXXXIX. Imperator in Marchia Terveſina hiemavit. Sed poſtmodum Imperatore a Terviſio exeunte, cives a fidelitate ejus recedentes, Archiepiſcopum Salzeburgenſem omni ſua ſupellectili ſpoliaverunt, & Imperator per totam æſtatem in manu valida fines Mediolani & Boloniæ devaſtavit. Dominus Papa in die Palmarum Dominum Imperatorem excommunicavit. Sarraceni Jeruſalem civitatem occupaverunt, præter turrim David, quam milites Imperatoris defendunt. Dux Auſtriæ ad gratiam Imperatoris rediit. Heinricus Brixinenſis Epiſcopus obiit: Egeno Comes & ejusdem Eccleſiæ Canonicus eligitur. III. Non. Junii eclypſis ſolis facta eſt, quæ duravit per duas horas.

MCCXL. Archiepiſcopus Salzburgenſis Concilium Epiſcoporum, & Dux Bawariæ curiam communi conſilio pro reformanda pace terræ apud Stroubingem indixerunt, ſed propter diſſenſionem Epiſcoporum & Laicorum non profecerunt.

MCCXLI. Imperator collecto multo exercitu in Apulia, Marchiam intravit, & receptis Ravenna & Ferraria, Faventiam gravi cinxit obſidione. Dux Auſtriæ præſentibus Patriarcha Aquilegienſi, Archiepiſcopo Salzburgenſi, Patavienſi & Sekowenſi Epiſcopis, conjugem ſuam cum magno recepit tripudio. Palatinus Comes de Chraiburch a captivitate Epiſcopi Ratisponenſis abſolutus, contra promiſſum fidelitatis caſtrum ipſius Epiſcopi Eberſpeunt dolo occupavit, & gwerram ipſi Epiſcopo indixit. Epiſcopus Friſingenſis poſt diutinam & gravem diſcordiam cum Duce Bawariæ confœderatus eſt. Electus Brixinenſis cum Comite de Tirol bellum pro defenſione ſuæ Eccleſiæ iniit.

MCCXLII. Imperator Faventiam in deditionem accepit, & poſt multas injurias in gratiam ſuam eos miſericorditer recepit. Quædam gens barbara, ſive Cumani, ſive Tatari dicantur, hoſtiliter occupavit Ungariam ultra Danubium. Et fugato Rege, & fratre ejus vulnerato, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Monachos, Clericos ſine differentia ordinum, ætatum, ſexuum occiderunt, Eccleſias, Monaſteria, Caſtella deſtruxerunt. Rex Bohemiæ cum Duce Auſtriæ concordatus, filiam fratris Ducis filio ſuo deſponſavit. Moguntinus & Colonienſis

Archiepiſcopi cum aliis Epiſcopis Reni & Baronibus terram Imperatoris hoſtiliter invadunt. Ratisponenſis Epiſcopus cum Palatino Comite Bawariæ bellum iniit. Eclipſis ſolis in die Dominico in Octava S. Michaelis tanta facta eſt, ut cœlum obtenebraretur, & ſtellæ apparerent in cœlo. Gregorius Papa IX. obiit: pro quo eligitur Dominus Gotfridus Cardinalis, natione Mediolanus, qui dictus eſt Cœleſtinus, qui ſimiliter poſt paucos dies obiit. Imperatrix defuncta eſt, ſoror Regis Angliæ. Magiſter Bertoldus Abbas S. Petri obiit: Petrus Richkerus ejusdem Eccleſiæ Prior eligitur. Chuono Præpoſitus Salzburgenſis obiit: Otto Canonicus ejusdem Eccleſiæ ſuccedit.

Imperator Romanis movens gwerram, vineta & oliveta civitati ipſorum circumiacentia extirpavit. Eccleſia univerſalis a morte Domini Gotfridi, qui dictus fuerat Cœleſtinus, Papa caruit hoc toto anno: & hoc tum propter captivos Cardinales, Epiſcopos & Abbates, quos tempore Gregorii Imperator captivaverat: tum etiam propter injuriam, quam curia paſſa fuerat in electione Domini Gotfridi a civibus Romanis. Hoc anno propter crudelem exterminationem & vaſtationem Tartarorum, ob nimiam rabiem famis, innumerabiles homines in Ungaria ſe mutuo comederunt, ita ut nec filii a parentibus nec parentes a filiis abſtinerent. Comes de Tirol, conſpiratione facta cum Miniſterialibus & quibusdam Canonicis Brixinenſibus, nec non Comite Ulrico uz der Alt, electum ſuum Egnonem caſtris & civitate penitus deſtituerunt. Dux Auſtriæ collecto exercitu copioſo Moraviam vaſtaturus intravit. Cui Rex Boemiæ manu valida occurrit, propter quam cauſam Dux infecto negotio in Auſtriam ſe recepit. Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi collecto exercitu Dominicalia Imperii vaſtaverunt, Imperatorem per terras ſuas, ad mandatum Apoſtolicum, excommunicatum denuntiantes. Quibus occurrerunt Comites, Barones & auxiliarii Imperatoris, conflictu cum ipſis inito, viciſſim multis interfectis. Quorum potior fuit Dux Walrab de Lintpurch, Archiepiſcopo Colonienſi in eadem congreſſione a Comite de Gulich captivato, & graviter vulnerato. Locuſtæ magna corporis quantitate Auſtriam intrantes in tanta multitudine, quod vineta & pomæria plurima conſumpſerunt, inſuper equos & animalia in campis paſcentia corroſerunt.

MCCXLIII. Innocentius, qui ante dictus Sinebaldus, Cardinalis, ſede Romana per biennium vacante, in Papam ab univerſis Cardinalibus eligitur. Nec tamen diſcordia inter Imperatorem & Sedem Romanam in bonum pacis eſt reducta, unde ſententias, quas tulerat Gregorius, Innocentius confirmavit. Dux Auſtriæ coram Archiepiſcopo Salzburgenſi, Patavienſi, Sekowenſi, Lavendenſi & multis Prælatis, tam Auſtriæ quam Marchiæ, divortium, oppoſitis uxori ſuæ quibusdam exceptionibus, obtinuit celebrari. Heinricus Sekowenſis obiit.

MCCXLIV. Cui Ulricus ſcriba Ducis Auſtriæ ſuccedit. Dominus Chyemenſis ad inſtantiam Domini Archiepiſcopi ob debilitatem corporis Epiſcopatum reſignavit. Dominus Dux Bawariæ curiam Ratisponæ, ipræſentibus Eberhardo Salzburgenſi Archiepiſcopo & aliis Principibus, celebravit: ubi pro reformatione terræ ſtatus aliqua inſtituta edita fuerunt. Domino Imperatore, & Apoſtolico ſimul in Italia demorantibus, & omnibus inter ipſos concordiam fieri ſperantibus, ſubito ſpe plurium fruſtrata, Papa ab Urbe regreſſus in Januam ſe recepit, & ſic forma pacis inter ipſos inventa penitus eſt turbata. Soldanus Damaſci, & Soldanus Nazzeæ, & Soldanus Tratti confœderati cum Templariis & omni militia transmarina chriſtiana ſub ea conditione, ut terra tota regni Jeroſolimitani redderetur poteſtati eorum, contra Soldanum Babyloniæ hoſtiliter proceſſerunt. Qui quandam gentem barbaram, dictos Crosminos, in auxilium ſui advocans, miſit eos ſubvertere civitatem ſanctam. Quam infra ſeptem dies obtinentes, omnes quos ibi repererunt utriusque ſexus, tam viros quam mulieres, gladio interemerunt, ita quod etiam (dictu eſt horrendum) ſepulchrum Dominicum prophanantes interfectorum ſanguine repleverunt. Unde tota Eccleſia transmarina acriter ingemiſcens ſtatuit, ut omnibus in unum convenientibus, campeſtri certamine dictos Crosminos, invocato Dei auxilio, adgrederentur. Die itaque ſtatuto omnibus collectis Chriſtianis, acies ſuas contra paganos direxerunt. Ubi dum acriter eſſet pugnatum ab utrisque, devicta fuit pars Chriſtianorum, adeo quod ex quingentis milibus Templariorum & Hoſpitalariorum vix xv. evaſiſſent, aliusque populus fere totaliter periſſet. Dominus Papa auxilio Comitis Saluue ad Lugdunum ſe tranſtulit.

MCCXLV. Papa de ſtatu & reformatione Terræ ſanctæ & repreſſione Tartarorum, ſimulque de reparatione Imperii Conſtantinopolitani tractare intendens, apud Lugdunum generale Concilium convocavit, ad quod etiam Dominum Imperatorem ſuper articulis, quos tam Papa quam alii ab ipſo læſi habebant proponere, citavit. Ubi cum dictus Imperator non per ſe, ſed per nuntios & procuratores comparuiſſet; intermiſſis aliis, ſuper quibus Concilium fuerat convocatum; ipſum Imperatorem ſine ſpe reſtitutionis depoſuit, omnes ei adhærentes gladio anathematis feriendo: mandans etiam Principibus, ut alium ſibi eligerent. Unde Imperator exacerbatus, litteras Principibus deſtinavit, in quibus conquerens de Apoſtolico, quod nimis propere & perperam contra ipſum proceſſiſſet: mandans etiam diſtricte, ut nullus ipſorum nuntios vel litteras Papales reciperet; ipſe vero Lambardiam intrans Mediolanum obſedit.

MCCXLVI. Principes circa Renum, ſcilicet Maguntinus, Colonienſis & alii quamplures, ad mandatum Domini Papæ, Langravium Duringiæ in Regem elegerunt: plures etiam militares & plebeji propter magnam indulgentiam, quam Papa dari juſſit in prædicationibus, contra Fridericum quondam Imperatorem cruce ſignantur, in auxilium electi Regis. Quatuor familiares dicti F. in necem ſuam de conſilio,

1 Friderici.

ut

ut asserebatur, Lombardorum conspirant. Quod A tamen ipse Rex ex proditione aliquorum comperiens, eosdem traditores captivatos diversis supplicijs interemit. Boemi Duce Karinthiæ juniore Capitaneo, Austriam vastant ex altera parte Danubii cum militibus quingentis. Quibus occurrens Dux Austriæ Fridericus cum minori comitatu, scilicet ducentis armatis, campestri conflictu cum ipsis habito totam aciem ipsorum devicit, ducentos milites cum dicto Capitaneo eorum captivando. Lanhgravius in Regem Romanorum electus, curiam apud Franchenfurte edixit. Cui occurrens Chunradus Rex, filius Friderici Imperatoris, conflictum cum ipso ibidem iniit: & a novo Rege devictus, suis aliquibus captivatis, ipse vix aufugit. Episcopus Sifridus Ratisponensis, & Fridericus Aistetensis obierunt. Rex Ungariæ collecta B magna multitudine pugnatorum, simul cum Bruscіæ & Ruscіæ Regibus confinia Austriæ invaserunt. Cui occurrens Dux Fridericus juxta Leitam fluvium, cum eo acriter dimicavit: ubi pluribus ex acie Regis Ungariæ interfectis & multis captivatis, ipse Dux Austriæ, vel a suis, vel ab hostibus (sicut dubitatur) fuit interemptus. Exercitus tamen ipsius accepta victoria ad propria est reversus. Mater Ducis ejusdem, nomine Theodora, audita morte filii, præ dolore transactis diebus modicis expiravit. Dux Bawariæ filiam suam Chunrado Regi, Friderici Imperatoris filio, dedit in uxorem, nuptiis apud Vohburch sollemniter celebratis. Lanhgravius Rex de novo creatus, curiam apud Nurinberch indixit, quam etiam, auxilio Nobilium & Comitum Sueviæ, contra voluntatem dicti Chunradi & suorum complicum, sollemniter celebravit. Filius Regis Boemiæ duxit fratruelem Ducis Austriæ tunc mortui in uxorem. Eberhardus Archiepiscopus Salzeburgensis obiit: pro quo Dominus Philippus, filius Ducis Karinthiæ, unanimi voto Canonicorum, & Ministerialium consensu eligitur. Austria toto anno caruit Principe, & propter hoc non permittebantur deduci victualia, vinum scilicet & fruges a terra.

MCCXLVII. Papa ignorans electionem in Ecclesia Salzburgensi esse factam, quendam Purchardum de Zigenhagen, nescientibus Canonicis & Ministerialibus, Archiepiscopatui præfecit, & consecravit. Qui post modicum tempus, non adepta potestate, vel introniza- tione, diem clausit extremum. Unde Papa ad petitionem & instantiam tam parentum quam D amicorum Domini Philippi, quam Capituli & Ministerialium, electionem de D. Philippo factam confirmavit. Heinricus Rex obiit: pro quo Comes Hollandiæ a Principibus quibusdam circa Coloniam eligitur. Albertus Comes de Petinkeu a legato Romanæ Ecclesiæ Ratisponensi Ecclesiæ præficitur. Fridericus quondam Imperator toto anno in obsidione civitatis Parmæ, quæ ab eo recesserat, demoratur. Ludewicus Dux Bawariæ junior, omnibus munitionibus Comitis de Wazzeburch obtentis, ipsum a terra expulit.

MCCXLVIII. Parmenses cives per circumventionem insultum in Dominum Fridericum Imperatorem & exercitum ejus facientes, civitatem quam ipse in obsidione construxerat, & Victoriam nuncupaverat, funditus destruxerunt: omni pecunia sua sublata, occisa & captivata maxima multitudine exercituum suorum, ipso cum paucis per fugam evadente. Willehalmus Rex, auxilio Colonienſis, Treverensis & aliorum Episcoporum, civitatem Aquisgrani obsedit, & tandem ad deditionem coegit. Rex Franciæ cum maxima multitudine nobilium & karorum suorum terræ suæ cruce signatorum mare transfretavit, & in Cypro hiemavit. Filius Regis Boemiæ consilio suorum patrem suum invasit, volens eum privare regno: qui auxilio quorundam Teutonicorum se viriliter defendit, & sic concertatio inter ipsos per totum annum habebatur. Terræ motus accidit in crepusculo noctis. Dux Meraniæ obiit. Majores terrarum Austriæ & Stiriæ pro Domino petendo ad Dominum F. Imperatorem Lombardiam intraverunt. Qui tandem ibi tota æstate in Verona manentes, nec Imperatorem videre volentes [2], infecto negotio sunt reversi: inter quos Leutoldus de Plaigen, Willehelmus de Heuneburch Comites post reditum obierunt. Dominus Dux Bawariæ, terræ Austriæ; Comes Meinhardus de Gorze [3], Stiriæ a Domino Imperatore pro Capitaneis deputantur. Propter nimias gewerras, & pessimum statum Austriæ, vinum & victualia non fuerunt clausſtris & civitatibus sive terris ab Austria deportata. Palatinus obiit, relicta tantum una filia pro hærede.

MCCXLIX. Archiepiscopus Maguntinus obiit. Rex Boemiæ & filius suus ad concordiam C redierunt. Rex Heinricus, filius Domini Friderici quondam Imperatoris, a Bolonienſibus in conflictu capitur. Comes Meinhardus Goritiæ Stiriam intrans, pro Capitaneo ibi recipitur. Concilium ad mandatum Domini Papæ Muldorf a Domino Electo Philippo celebratur, cui interfuerunt Frisingensis, Ratisponensis & Sekowensis Episcopi cum aliquantis Prælatis. Ubi Dux Bawariæ citatus, tam excommunicationis quam gladio materiali ad Romanam Ecclesiam redire, & ei contra Dominum Fridericum adhærere compelli debebat. Quod tamen quadam forma alia treugarum est intermissum. Rex Franciæ, transacta hyeme in Cypro, nuntios Regis Tartarorum recepit, qui tales ei litteras porrexerunt, scriptas lingua Persica & litteris Arabicis.

Per potentiam Dei excelsi missi a Rege terræ verba. Elcheltay Rege magno provinciarum multarum. Strenuo propugnatori orbis gladio, Christianitatis victoriæ, Religionis baptismalis coronæ, gentis Sacerdotis Defensori, Legis Evangelicæ filio Regi Francorum. Augeat Deus dominium suum, & conservet ei regnum annis plurimis, & impleat voluntates suas in lege & in mundo, nunc & in futurum, per virtutem Dominæ conditricis hominum, & omnium Prophetarum & Apostolorum Amen. Centum milia salutem [4] & benedictionem. Ex hoc hoc rogo, quod recipiat salutationes istas,

[1] Fridericum. [2] *f.* valentes. [3] Goritiæ. [4] *ita Cod.*

ut ſint gratæ apud ipſum. Faciat autem Deus, ut videam hunc Regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelſus claudat occurſum noſtrum in caritate, & facile faciat, ut congregemur in unum. Poſt hanc autem ſalutationem noverit, quod in hac epiſtola non eſt niſi intentio Chriſtianitatis, & corroboratio manus Regum Chriſtianorum Domino concedente: & peto a Deo, ut det victoriam exercitibus Regum Chriſtianitatis, & triumphet eos de adverſariis ſuis contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis ſublimis ſublimet eum Deus, videlicet de præſenti Cham; augeat Deus magnificentiam ſuam. Venimus cum poteſtate & mandato, ut omnes Chriſtiani ſint liberi a ſervitute & tributo, & angaria, & pedagiis & conſimilibus, & ſint in honore & reverentia, & nullus tangat poſſeſſiones eorum, & Eccleſiæ Dei deſtructæ reædificentur, & pulſentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere, ut ore [1] corde quieto & libenti pro regno noſtro. Iſta autem hora ad hoc venimus pro utilitate Chriſtianorum & cuſtodia, dante Deo excelſo. Miſimus autem hæc per nuntium fidelem noſtrum Virum venerabilem Salbotum Montfat, David, & per Marthynum, ut annuntient iſtos bonos rumores, & quæ ſunt circa nos, dicent ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum, & credat eis, & in litteris ſuis Rex terræ augeatur in magnificentia ſua. Ita præcipit, quod in lege Dei non ſit differentia inter Latinum, Græcum & Armenum, Neſtorium & Jacobinum, & omnes qui adorant crucem: omnes enim ſunt unum ad pugnas. Et ſic petimus, ut Rex magnificus non dividat inter ipſos Chriſtianos, duret autem pietas & clementia. Datum in fine Mecharon, & erit concedente Deo excelſo.

Prædicti etiam nuntii dixerunt Regi, quod Riothan Rex, qui nunc agit in ſceptris, matrem habuit Chriſtianam, filiam Regis, qui vocatur Priſter Johannes, & ad exhortationem matris, & cujusdam ſanctiſſimi Epiſcopi, qui Malachias vocatur, Baptiſmi ſuſceperit Sacramentum, in die Epiphaniarum cum XVIII. filiis Regum, & plures alii, & maxime Capitanei. VIII. Kal. Februarii dicti nuntii a Rege Franciæ licentiam acceperunt, & cum eis Fratres Prædicatores, quos Rex miſit ad Regem Tartarorum cum xeniis, videlicet quadam Cruce de ligno vivificæ Crucis, cum tentorio de ſcarleto, & quibusdam aliis ſpectantibus ad divinum cultum. Rex vero Franciæ vela ſua dirigens verſus Damiatam, ut obſideret eam: ubi tantum timorem per divinum auxilium incuſſit Sarracenis, ut civitatem incendio traderent & auffugerent; & ſic Deus dedit Damiatam Chriſtianis.

MCCL. Rex Franciæ egreſſus a Damiata cum infinita multitudine nobilium & ignobilium ad campos, volens congredi cum Soldano Babiloniæ & ſuis auxiliariis; occulta Dei permiſſione eſt devictus, & captivatus fere [2] tota multitudine, & fratre ſuo carnale dicto Rudberto, & pene tota militia Fratrum Templi, Hoſpitalariorum, & Domus Teutonicorum, contra quorum conſilium fuit dimicatum. Rex vero per redditionem Damiatæ, & aliarum munitionum quas ceperat, nec non per maximam ſummam pecuniæ a captivitate ſe abſolvit. Rex Ungariæ confinia Auſtriæ auxilio Comanorum usque ad medium terræ intrans, plurimam multitudinem Auſtralium in ultionem vaſtationis terræ ſuæ interemit, deſtructis aliquibus munitionibus. Marchio de Padem, qui duxerat Duciſſam Juniorem Auſtriæ, obiit. Dominus Electus Salzburgenſis Marchiam manu intrans hoſtili, poſſeſſiones quorundam Styrenſium rapinis & incendiis devaſtavit. Junior Dux Bawariæ circa Aneſum & Linzam quædam caſtra obſidens, Clauſtra ibidem jacentia plurimum damnificavit. Dominus R. [1] Patavienſis Epiſcopus a Domino Papa deponitur: & Pertholdus frater Epiſcopi Ratisponenſis ſibi ſubſtituitur. Ratisponenſis Epiſcopus inſultum faciens in cives Ratisponenſes, qui de civitate verſus caſtrum Stauf manu armata exierant, plures ex eis captivavit, quibusdam in congreſſu occiſis. Filia Ducis Saxonum Lanshutæ Duci Bawariæ aſſignatur, Domino F. Imperatori pro uxore aſſignanda. Epiſcopi circa Renum cum Chunrado Rege treugas per tempus inierunt. Unde Rex accepta opportunitate Ratisponam divertens, adverſarios ſuos volens ibidem coercere, dum Natalem Domini in civitate celebraſſet; in Clauſtro S. Emmerammi quiete in ſilentio noctis recubans, per Ch. miniſterialem de Hohevels, qui clam civitatem & clauſtrum cum armatis ad interficiendum Regem ingreſſus fuerat, pene ad ultimum ſtatum eſt deductus: quibusdam miniſterialibus ſuis in camera ſecum dormientibus occiſis, aliis vero captivatis, ipſe miraculoſe evaſit. Imperator in Apulia poſitus obiit.

MCCLI. Papa intellecta morte Imperatoris, convocatis quibusdam Archiepiſcopis & Epiſcopis Alamanniæ, & novo Rege, Paſcha Domini cum ipſis Lugdunæ celebravit: ubi ipſum Regem Epiſcopis recommendans a Lugduna receſſit, verſus Peruſium dirigens iter ſuum. Capitulum Salzburgenſe ſuper mutuo contracto per cuſtodem ipſius in Curia Romana, ſuper litteras & Sigillum ipſius Capituli pro negotiis Domini Philippi Electi eorum, cujus nuncius idem cuſtos fuerat, & in Curia Romana per quinquennium detentus, ad ſolvendum idem debitum a Domino Papa citatur. Unde Dominus O. Præpoſitus Capituli in ſe recipiens periculum, Lugduni Papæ ſe obtulit, ſecum abinde in Marſiliam, & a Marſilia in Genuam procedens, multis laboribus & expenſis. Ubi Dominus Papa cognoſcens de cauſa, & intelligens evidenter pecuniam mutuatam non in uſum Capituli, ſed Electi eſſe converſam; ſententiavit de redditibus Epiſcopatus eſſe ſolvendam: aſſignando ipſi Præpoſito quosdam redditus Epiſcopatus, per quos eadem pecunia cum omni integritate, damno & intereſſe abſolveretur. Hæc ita poſteris præſcribimus [2], ut ſibi in conſimilibus ſciant in poſterum præcavere. Chunradus Rex hæres Friderici, oc-

[1] *ita Cod. f.* orent. [2] *deeſt* cum.

[1] Rudigerus. [2] *al.* perſcribimus.

cupa-

cupatis & distractis per infeodationem sive obligationem possessionibus suis, missis pro eo nunciis sollemnibus, in Lombardiam se transtulit, inde iter in Apuliam & regnum patris sui ac hæreditatem per maritima statim arripiendo. Rex Wilhelmus quasdam munitiones circa Renum Auxilio Episcoporum suæ subjecit potestati. Filius Regis Boemiæ Austriam consilio & auxilio quorundam ministerialium ibidem occupavit, receptus a plerisque civitatibus in Dominum & defensorem. Patriarcha Aquilegiensis obiit: pro quo Dominus Gregorius tunc in Italia legatus a Papa substituitur.

MCCLII. Filius Regis Boemiæ duxit relictam quondam Heinrici Regis Sweviæ, filiam Ducis Austriæ Liupoldi, in uxorem. Rex Ungariæ Austriam & Stiriam sibi volens vendicare, cum maximo exercitu Ungarorum & Gumanorum Austriam intravit: multas ibi cædes hominum exercens, prædas maximas hominum & pecorum abegit. Gumani Moraviam intrantes, incendiis & rapinis eam plurimum vastaverunt; occidendo & captivando populum innumerabilem. Comites Tyrolensis & Goriciensis manu potenti Greisenberch castrum obsederunt. Quibus occurrit Dominus Electus Salzburgensis manu valida, inito cum eis campestri certamine ipsos devicit, captivando Tyrolensem, & de Eschelch Comites cum pluribus ministerialibus & auxiliariis eorum; qui postea magnis conditionibus & pecunia se absolverunt. Multi Theutunici, qui cum Chunrado Rege Sweviæ Apuliam intraverant, obierunt. Dominus Philippus Electus Salzburgensis Chimensem Episcopatum contulit fratri Heinrico de Ordine Prædicatorum. Quidam, dictus frater Petrus de Ordine Prædicatorum, impugnans hæresim apud Mediolanum, ipsis hæreticis procurantibus, occiditur cum alio fratre, qui subsequenter incœpit miraculis coruscare: unde Dominus Papa, ad cujus mandatum contra hæresim prædicaverat, ipsum statim canonizavit.

MCCLIII. Rex Ungariæ cum maximo exercitu, tam Ungarorum quam Chumanorum, Moraviam intravit, ipsam exceptis munitionibus penitus destruendo, & populum infinitum abducendo. Dux Bawariæ filios suos apud Otingam gladiis accinxit. Papa Urbem intravit. Ezilinus de Tervisio in Italia tyrannisat jam per annos XVII., innumerabilem populum occidendo. Rex Boemiæ, Dux Bawariæ, Comes Tyrolensis, Episcopus Gurzensis obierunt. Quidam rusticus missus a nuntio omnipotentis Dei, ut ipse cum Sacramento asseruit, apud Wolfstain Duci Bawariæ, nisi mores suos in melius breviter commutaret, & a tyrannide Ecclesiarum cessaret, mortem suam decem diebus antea prædixerat. Rex Chunradus Neapolim, quæ se post obitum patris ei opposuerat, expugnavit. Dominus Philippus Electus Salzburgensis quendam ex confratribus Gurzensis Ecclesiæ Episcopatui Gurzensi præfecit. Rex Wilhalmus Comitissam Flandriæ, quæ cum magna expeditione terram suam intraverat, volens eam vastare, devicit, occidendo & captivando nobiles & ignobiles supra modum.

MCCLIV. Perhtoldus Pataviensis Episcopus obiit, cui Otto ejusdem Ecclesiæ succedit: qui a Domino Philippo Salzburgense Electo confirmatus, apud Muldorf ipso præsente a Chunrado Frisingense Episcopo consecratur. Innocentius Papa IV. obiit, Alexander IV. sedit: qui sententiam de omnibus Kathedralibus Electis, qui tunc plures erant, ut infra annum munus consecrationis reciperent, dedit; unde graves discordiæ in Ecclesis ortæ sunt.

MCCLV. Wilhelmus Rex volens servituti suæ Frisones manu valida subjugare, ab ipsis occiditur. Meinhardus Comes Goriciæ, filiis suis pro Alberto quondam Comite Tyrolense in captivitate constitutis, obiit. [1] Dux Karinthiæ Bernhardus obiit. Dominus Philippus non obediens constitutioni Papali, per homines nefarios castra & civitates munivit, multa mala per incendia & rapinas in Dioceſi exercens. Capitulum Salzburgense nihilominus vocatis eis qui debebant, volebant, & poterant ad electionem commode vocari, ad Hællinum in præsentia quorundam Ministerialium, de consilio tamen omnium, Dominum Ulricum Sekovensem Episcopum sibi in Archiepiscopum postulaverunt, super eadem postulatione admittenda & confirmanda Dominum Ottonem Præpositum ejusdem Ecclesiæ ad Romanam Curiam transmittentes. Duo Canonici Salzburgenses, scilicet Ulricus filius Comitis Hermanni de Ortenburch, & quidam dictus Gregorius Sacerdos, non adtendentes quod binarius infamis est numerus, quia recedit ab unitate, ab unitate Capituli recedentes, Domino Philippo adhæserunt, pro negotio suo ante confirmationem Domini Ulrici iter ad Curiam Romanam arripientes. In quo itinere Gregorius miserabiliter obiit; alter ad curiam veniens, auditus a Papa satis despective ab eo dimissus, ab eo domum confusus revertitur. Dominus Philippus intelligens electionem celebratam, ascitis sibi auxiliariis a Boemia & Austria, armata manu terminos Episcopatus invasit, incendiis & rapinis, tam intra montes quam extra montana, omnia devastando: cui etiam Ministeriales obliti fidei & promissi, quod in electione fecerant, quidam ob timorem, quidam ob promissiones rerum & feudorum sibi adhærere cœperunt: res Capituli ad mandatum suum mobiles & immobiles sibi vendicantes, Præpositum etiam cum Canonicis, qui secum ad Curiam in negotio ierant, in periculo relinquentes. Papa dilationem faciens in negotio postulati, præfatum Philippum ad Curiam per fratrem Hainricum Chymensem Episcopum citari fecit, præcipiens ei similiter, ut castra & munitiones Ecclesiæ ipsi Chymensi medio tempore conservanda assignaret: addens talem pœnam, si non obediret, ut eum & fautores suos atque Consiliarius cum auxiliariis, & detentores munitionum Ecclesiastico mucrone percelleret, Clericos ab obedientia, Ministeriales & vasallos a fidelitate absolveret. Quæ omnia, cum dictus Philippus parere man-

[1] *Adponendus hic annus* MCCLVI, *qui deest in Cod.*

datis nollet Papalibus, Dominus Chymenſis eſt executus, Eccleſiam & Civitatem Salzburgenſem & totum diſtrictum, pro eo quod ipſi Domino Philippo adhuc adhæſit, tam ex iſta parte montium quam ex altera parte, ſupponens Eccleſiaſtico interdicto, id etiam fieri præcipiens ex mandato ſibi injuncto in omnibus Eccleſiis Suffraganeorum.

MCCLVII. Civitas Salzburgenſis hoc toto anno caruit Divinis, niſi quod parrochiales Eccleſiæ per quosdam nefarios Clericos ad mandatum Domini Philippi fuerunt inofficiatæ. [Similiter Monachi & Moniales per tempus ad ſuam malam ſuggeſtionem, & ob timorem ſui Divina reſumſerunt.] Dominus Papa poſtulationem Capituli de Domino Ulrico admiſit, ipſum confirmando. Quod intelligens Dominus Philippus magis in Capitulum cœpit tyrannizare, Canonicos & domeſticos pene omnes a civitate eiciendo, redditus & poſſeſſiones eorum funditus evertendo & diſtrahendo. Intrans etiam montana, omnia prædia Eccleſiarum & Miniſterialium jam vice altera devaſtavit incendio. Dominus Ulricus Archiepiſcopus, & Dominus Otto Præpoſitus unacum fratre [1] H. Epiſcopo Chymenſi, cujus Epiſcopatus a Domino Philippo totaliter eſt diſtractus, per annum & dimidium in Curia Romana moram traxerunt; unde propter tam diuturnam abſentiam eorum tanta mala Eccleſiæ increverunt. Ludwicus Comes Palatinus Reni, & Hainricus Dux Bawariæ frater ejus cum Epiſcopis Moguntino & Colonienſi fratrem Regis Angliæ in Regem Romanorum, accepta ab eo magna quantitate pecuniæ, elegerunt. Marchio Brandenburch cum cæteris Electoribus Imperii & Principibus ac Nobilibus totius Sweviæ, de conſilio Domini Papæ ac aliorum Principum Romano Imperio ſubjectorum, Regem Caſtelliæ de Hyſpania in Regem Romanorum elegerunt. Dux Auſtriæ collecta multa militia terrarum ſuarum, Boemiæ, Moraviæ & Auſtriæ terram Ducis Bawariæ verſus Landshuot intravit. Cui occurrens Dux Bawariæ cum fratre ſuo manu valida ipſum fugavit, ita quod per civitates Muldorf & Laufen eum fugere coëgit cum paucis: occiſis, ſubmerſis, & igne periclitatis de exercitu ſuo pene tribus millibus nobilium & ignobilium apud Muldorf, & obſeſſis melioribus terrarum Boemiæ & Moraviæ & Auſtriæ. Qui tamen ſub quadam forma compoſitionis permiſſi ſunt redire in terram ſuam, quam formam compoſitionis Dux Auſtriæ acceptavit, & ſic poſtea in concordiam redierunt. Hainricus Babenbergenſis [2] obiit. Multæ cædes hominum ubique locorum contingunt. Tempeſtate maris ſurgente, plurimæ naves cum hominibus ſunt ſubmerſæ. Puer prope Raſtat in montanis naſcitur cum duobus cornibus, cujus vox ploratus XIV. diebus antequam de ventre matris exiret, audita eſt. [Abbas S. Petri cum Conventu ſuo, & Monialium in monte Divina, quæ ad mandatum Domini Philippi malo uſi conſilio in ſcandalum Eccleſiæ & detrimentum plurimorum Clericorum eos ſubſequentium celebraverant, ad mandatum Domini Ulrici Archiepiſcopi dimiſerunt.]

MCCLVIII. Dominus Philippus intellecta ſua depoſitione, furiali modo contra Canonicos & Miniſteriales ingraſſatur, perſecutionem intolerabilem eis inferendo, terras eorum & redditus rapinis & incendiis devaſtavit. In tantum enim Dominicalia Capitula [1] diſtraxit, quod IV. Canonicis, qui ſolumodo in Eccleſia remanſerant, omnibus aliis de loco proturbatis & ejectis, non poterant neceſſaria miniſtrari. Dominus Ulricus Archiepiſcopus unacum Præpoſito & Epiſcopo Chymenſi a Curia reverſus, Regem Ungariæ, qui cum maximo exercitu Marchiam intraverat, & Petovienſem civitatem obſedit propter quosdam Miniſteriales ſibi rebelles, qui prius inſultum in ſuos fecerant, ſub quadam forma compoſitionis ab obſidione amovit, eandem civitatem ſibi pro quadam ſumma pecuniæ ſub magnis cautionibus & fidejuſſoribus obligando. Poſtmodum aſſumptis pluribus armatis verſus civitatem Salzburgenſem iter arripuit, & dum Raſtat veniſſet; Dux Ulricus Karinthiæ eum clam a tergo cum militia inſequitur, volens ipſi nocere: ubi in crepuſculo fuit a partibus utriusque graviter dimicatum, aliquantis ex utraque parte vulneratis & occiſis. Friſingenſis Epiſcopus Chunradus obiit: cui Comes, dictus Agreſtis, nepos Ducum Bawariæ, in electione ſuccedit. Epiſcopus Ratisponenſis a Canonicis ſuis in Curia ſuper multa infamia accuſatur, unde Dominus Papa motus, & tota curia inquiſitorem dedit contra ipſum. Epiſcopus Brixinenſis cum Miniſterialibus ſuis gravem habens guerram, eos ubi poterat læſit & vaſtavit: & ipſi verſa vice civitatem Brixinenſem igne totaliter cremaverunt. Ezelinus tyrannus vi & ſubdole civitatem Priſſianam cepit, plures in ea Clericos trucidando: Archiepiſcopum Ravennatem, qui tunc legatus erat in partibus illis, contra eum miſſus cum exercitu fuerat, devicit & captivavit. [Abbas S. Petri veſano uſus conſilio unacum Monialibus in monte mandatum tam Apoſtolicum, quam metropolicum jam vice altera contemnentes, in ſcandalum totius Cleri, & detrimentum clavium Eccleſiaſticarum, Divina reſumere temeritate propria præſumſerunt, Choro Salzpurgenſi in ſua obedientia permanente.]

MCCLIX. Maxima cariſtia orta eſt per omnes terras, quam ſequitur maxima peſtilentia hominum. Abbas S. Petri Richkerus moritur tempore ſcismatis: pro quo a Fratribus ejusdem Eccleſiæ Albertus Prior ejusdem Eccleſiæ eligitur. Dux Auſtriæ jam tertia vice miſit armatos Domino Philippo ad deſtruendam terram citra montes & ultra, ubi plurimi homines perierunt. Epiſcopus Ratisponenſis pro ſua iniquitate deponitur: Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ eidem ſuccedit. Ezelinus tyrannus occiditur in conflictu, qui jam per annos XXIII. tyrannizaverat, multa milia hominum occidendo. Præpoſitus Ratisponenſis voluntarie cedens electioni, & Dominus Papa provi-

[1] i. Heinrico. [2] *ſupple* Epiſcopus.

[1] i. Capituli.

det

det Ecclesiæ Ratisponensi per fratrem Albertum, Ordinis Prædicatorum. Ministeriales de Styria a dominio Regis Ungariæ recedentes, Regi Boemiæ adhæserunt. Exercitus Tartarorum Poloniam vastavit: alter exercitus eorum vastavit terram & regna transmarina.

MCCLX. Reges Boemiæ & Ungariæ dissidentes, collecto maximo exercitu alterutrum terras suas vastant, tandem ad campos procedentes; prima vice a Comitibus de Plæin & a quibusdam Ministerialibus Austriæ dimicatum est: qui omnes occisi sunt & captivati ab exercitu Ungarorum. Sed altera vice Rex Boemiæ producens exercitum suum glorioso triumphavit, & Ungaros fugavit, tandem in concordiam redierunt Reges tali pacto, ut tota terra Styriæ & omnes munitiones Regi Boemiæ redderentur. Quod & factum est. Duces Poloniæ & Fratres Domus Theutonicorum cum auxilio aliorum, quorum Deus corda tetigerat, congressi cum Tartaris in Polonia, ipsos vicerunt. Soldanus Babyloniæ associatis sibi Templariis, Hospitalariis & Fratribus Theutonicis ac omni Ecclesia transmarina, congressus est cum Tartaris, & Deo donante ipsos vicit. Dominus Ulricus Archiepiscopus transitum faciens per vallem Anasi, volens venire in Bawariam, apud Admunt de conscientia Monachorum ab hominibus Ducis Austriæ capitur, & in castro Wolchenstæin aliquamdiu detinetur, tandem ad mandatum Ducis relaxatur. In Sicilia quædam civitas (Traps nuncupatur) terræ motu funditus corruit. Quædam secta vel Religio ignota surrexit in Lombardia, ita quod homines nudi incesserunt, in Ecclesiis habentes capita velata lineis caputiis & circa femoralia operti lineis pannis, & semper se flagellis flagellabant, asserentes eam a quodam cæco incluso surrexisse: cui maxima multitudo hominum, tam Latinorum quam Theutonicorum adhæsit. Dominus Ulricus Archiepiscopus manens in Bawaria, licet possessionem Episcopatus non valeret adipisci, tamen a Nuntio Domini Papæ excommunicatur pro quatuor milibus marcarum, quas Papæ & Curiæ promiserat, & omnia jura Episcopalia ei interdicuntur. Ob quam causam ipse appellavit, & iter ad Curiam arripuit. Tartari collecta multitudine sua, pene omnibus Orientis regnis devictis, Baldach metropolim Sarracenorum cum Damasco atque Halapia, aliisque famosis regionibus eorum everterunt, & Kaliphum summum eorum Principem & Præceptorem interemerunt. Regnum etiam Armeniæ, quod fuit Christianorum, cum civitatibus Antiochia & Tripoli suo dominio subjugaverunt. Regnum Jerosolimitanum & Terram Sanctam etiam invaserunt cum Polonia & Ungaria & tota Europa, ob quam causam Papa Concilium indixit.

MCCLXI. Papa ante terminum indicti Concilii obiit, Patriarcha Jerosolimitanus, qui curiam Romanam pro consilio & auxilio contra ferocitatem Tartarorum, qui jam Terram sanctam vastabant, aderat[a] in Papam eligitur, nomenque Urbanus sortitur. Rex Boemiæ repudiata uxore quam duxerat, neptim Regis Ungariæ duxit in uxorem, vocatis multis Principibus volens sollemnes nuptias apud Pragam Natali Domini celebrare, ibidemque coronari, sed infirmitate (ut dicitur) prævenitus, festum suum revocatis Principibus tunc temporis fuit intermissum. Capitulum Salzburgense per vii annos multis tribulationibus & pressuris attritum & quasi destructum, ad exhortationem Inclytorum Regis Boemiæ & Ducis Karinthiæ, cum neminem propter imbecillitatem Domini Ulrici Archiepiscopi, qui nec seipsum tueri poterat, haberet assistentem, mediantibus dictis Principibus compositionem amicitiæ cum Domino Philippo iniit, salva tamen reverentia & obedientia Papali. Albertus Episcopus Ratisponensis vadens ad curiam Romanam, ibidem suum Episcopatum resignavit: cui succedit Magister Leo Decanus ejusdem Ecclesiæ, omnium voto electus.

MCCLXII. Dominus Ulricus Archiepiscopus reversus ab Italia, secum duxit quendam Episcopum Squillacensis Ecclesiæ, datum sibi a Curia pro reformatione Ecclesiæ Salzburgensis sub quibusdam conditionibus, ut in certis terminis solveret promissam pecuniam curiæ Romanæ: quod si non faceret, ab ipso Episcopo auctoritate Apostolica excommunicaretur. Dux Bawariæ Hainricus, qui per vim, fas & nefas octo munitiones & plurimas possessiones Episcopatus & Capituli in initio hujus dissensionis occupaverat, a scitis & coadunatis quibusdam Ministerialibus & aliis militaribus minoribus dictis de Wispach, qui prius adhæserant Domino Philippo, & ab eo ditati & exaltati fuerant, de consilio eorum insultum faciens in civitatem Salzburgensem sitam trans aquam, ipsam totaliter spoliavit, & postea præsentibus Domino Ulrico Archiepiscopo & Squillacensi Episcopo cremari jussit. Nec illo contentus, iterum consilio eorundem prævaricatorum cum multitudine armatorum salinam intrans, munitionem in detrimentum Ecclesiæ super ipsam civitatem erexit. Dominus Ulricus Archiepiscopus quia pecuniam non solvit Romanæ curiæ, ab Episcopo Squillacensi excommunicatur, & per totum Archiepiscopatum denunciatur. Cœlum in diversis hinc inde regionibus ab occidente contra septentrionem rubicundum, & quasi arderet apparuit.

MCCLXIII. Hainricus Dux Bawariæ obsedit civitatem Salzburgensem. Quam cum non posset obtinere, ictu fulminis circa meridiem, & cum maxima serenitas per totum firmamentum appareret, in oppugnatione ejusdem civitatis conterritus retrocessit, treugas cum civibus statuendo. Dominus Philippus a civitate & aliis munitionibus Episcopatus ejicitur. [Monachi & Moniales abstinent a Divinis jam tertio.] Dominus Papa tertio commisit Episcopatum Salzburgensem Regi Bohemiæ, & Episcopo Olomuncensi tuendum & reformandum, qui omnes munitiones transmontanas de facili obtinuerunt. Ministeriales Ecclesiæ Salzburgensis quidam adhæserunt Regi Bohemiæ, quidam Duci Bawariæ, hæredes eorum ab Ecclesia alienantes: qui etiam in istis tribulationibus

[a] *l.* adierat.

bus nunquam Capitulo vel Eccleſiæ fidem aliquam ſervaverunt, imo poſſeſſiones Epiſcopatus & Capituli ſibi adjacentes his temporibus omnimodo vendicarunt. Præterea quidam ex ipſis, dictus Gebhardus de Velwen, obſidem magnum, ſcilicet Comitem Goriziæ, qui fidei ſuæ commiſſus erat a Choro & Miniſterialibus, præter omne conſilium & ſcientiam eorundem pro DCCC. marcis argenti relaxavit, quas in uſus proprios convertit. Dux Brunwicenſis volens vaſtare Marchionem Miſnenſem, eandem terram intravit: Ubi habito conflictu ipſe Dux cum plurimis nobilibus captus eſt, plurimis interfectis. Eclipſis ſolis particularis facta eſt, eclipſis Lunæ bis. Nonis Decembris audita ſunt tonitrua, & coruſcationes viſæ. Soldanus Babyloniæ obſedit civitatem Accon, vaſtans omnes redditus Chriſtianorum; & Domorum Templi & Hoſpitalis & Fratrum Theutonicorum, pro eo quod intellexerat eos velle ferre auxilium Tartaris contra ipſum.

MCCLXIV. Dominus Ulricus Archiepiſcopus vocatus a Choro & Miniſterialibus & civibus, intravit civitatem Salzburgenſem unacum Duce Bawariæ: ubi per quatuor menſes demoratus, ſuam recognoſcens inſufficientiam, propter malitiam plebis propoſuit renuntiare oneri & honori. Et egreſſus a civitate in Marchia ſe recepit, ab inde dirigens litteras ceſſionis ad curiam Romanam; ſed Papa Urbanus jam obierat, unde negotium manſit in ſuſpenſo. [Monachi S. Petri, & Moniales in monte ad obedientiam & gratiam Capituli redierunt, facta aliqua recompenſatione damnorum, quæ Capitulum ex inobedientia eorum receperat.] Rex Franciæ fretus auxilio fratrum Regis Hyſpaniæ, Sybiliam civitatem cum parte terræ obtinuit. Otto Præpoſitus obiit; Fridericus de Walhen Canonicus ejusdem Eccleſiæ ſuccedit. Cometa viſa eſt per duos menſes, quam mortalitas hominum in plerisque locis, maxime in Ungaria ſubſecuta eſt. Principes Angliæ unacum civitate Lugdunenſi[1] Regem ipſorum, ac filium, & fratrem ipſius captivaverunt. Unde Rex Franciæ turbatus, unacum Rege Scotorum ac aliis magnatibus Angliam hoſtiliter intravit, & civitatem Lugdunenſem obſedit. Rex Boemiæ, vocatis pluribus Principibus & Nobilibus, in confiniis Auſtriæ & Ungariæ feſtum celebravit: ubi ſororem ſuam, filiam Marchionis de Brandenburch, Belæ filio Regis Ungariæ matrimonialiter copulavit.

MCCLXV. Urbanus Papa obiit: Dominus Gwido Cardinalis ſubſtituitur. Dominus Ulricus Archiepiſcopus ceſſit oneri & honori, ceſſionem ſuam Domino Papæ litteris transmittens, quam Papa & curia acceptavit. Dominus Otto Patavienſis Epiſcopus obiit. Papa ſibi reſervans proviſionem utriusq; Eccleſiæ, Dominum Wlodezlaum Ducem Poloniæ præfecit Eccleſiæ Salzburgenſi; & Magiſtrum Petrum, pædagogum Ducis, Eccleſiæ Patavienſi. Rex Angliæ & frater ſuus a captivitate liberantur, crudelem vindictam facientes in captivatores eorum. Grando ſæviſſima læſit Bawariam plurimis vicibus, & alias terras, vaſtans Dominicalia Ducum fora, & civitates Ducum. Rex Bohemiæ propter damna Salzburgenſi & Patavienſi Eccleſiis illata a Ducibus Bawariæ, grave prælium Ducibus ipſis movit.

MCCLXVI. Epiſcopus Olmuncenſis ex mandato Regis Bohemiæ veniens cum magno exercitu, deſtruxit civitatem Hallis per incendium. Princeps Apuliæ, qui iam a tempore mortis Regis Chunradi ibidem regnaverat, per Dominum Karolum fratrem Regis Franciæ, quem Papa ad expugnandum ipſum Principem vocaverat, campeſtri certamine devincitur & occiditur. Dominus noſter Electus unacum Epiſcopo Patavienſi Salzburc veniunt, & glorioſe recipiuntur. Rex Boemiæ collecto maximo exercitu, nemine ſibi reſiſtente, vaſtavit terram Ducum Bawariæ ex altera parte Danubii, obtentis & deſtructis pluribus munitionibus eorundem. Civitas Patavienſis a Duce Bawariæ H. per iniquam traditionem quorundam de civitate occupatur, & ex magna parte incendio vaſtatur: ſublatis aliquibus rebus etiam de Sacrario, & quibusdam civibus interfectis. Epiſcopatus Chymenſis per Dominum Electum fratri Hainrico, de Ordine Minorum, confertur, & confirmatur. Chuono Monachus S. Petri, quem Dominus Archiepiſcopus Ulricus præfecerat Abbatiæ, ipſam reſignavit: & Dominus Symon frater ejusdem Monaſterii pro eo eligitur, & a Domino electo confirmatur.

MCCLXVII. Terræ motus accidit circa horam diei tertiam, eclypſis vero Solis poſtmodum ſubſequenter. Ordines Clericorum celebrati ſunt in choro Salzburgenſi a Domino Petro Patavienſi Epiſcopo, cooperantibus ſibi Friſingenſi, Ratisponenſi & Chymenſi Epiſcopis, in Sabbato poſt feſtum Pentecoſtes: ubi Dominus noſter Archiepiſcopus recepit Ordinem Sacerdotalem, die ſequenti ab eisdem recepit conſecrationem Epiſcopalem, brevi facto intervallo a Domino Clemente Papa pallio honoratur. Patriarcha Aquilegienſis a Domino Al.[2] Comite Goritiæ captivatur, qui poſtea per Dominum Archiepiſcopum Salzburgenſem Wlodeslaum ſub quibusdam conditionibus abſolvitur. Chunradinus filius Chunradi fretus auxilio avunculi ſui Ducis Ludwici, una cum ipſo volentis intrare Apuliam, usque Veronam proceſſit. Hoc intellecto Dominus Clemens Papa in omnes & ſingulos cujuscunque dignitatis vel excellentiæ, Archiepiſcopalis, aut alterius Eccleſiaſticæ vel Sæcularis extiterit, cujuscunque etiam gradus, conditionis vel ordinis fuerit ſive ſexus, qui per tractatus publicos vel occultos, ſeu quoscunque alios modos procurabunt dicti Chunradini procurationem in Romanorum Regem vel Imperatorem, aut his tractatibus conſenſerint, vel hæc procurantibus dederint conſilium, auxilium vel favorem, & in omnes qui ad id procurandum vel agendum convenerint; excommunicationis ſententiam promulgavit, & anathematis vinculo innodatos, terras eorum Eccleſiaſtico ſubjecit interdicto. Si qui vero ad ad ipſius electionem

[1] *al.* Lundonenſi.

[2] *i.* Alberto.

pro-

proceſſerint, ſi Principes fuerint, eos & hæredes eorum perpetuo omnibus feudis & honoribus, quæ ab Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis obtinent, & tam eos quam poſteritatem eorum usque ad quartam generationem jure eligendi Romanorum Regem auctoritate Apoſtolica privavit: & inſuper eorundem filios Clericos usque ad quartam generationem reddidit prorſus inhabiles ad dignitates vel beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si vero electores hujusmodi Prælati fuerint, ipſo facto depoſiti & nudati remaneant omni dignitate, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & omni Eccleſiaſtico [1], ſine ſpe reſtitutionis aut gratiæ aliquo tempore obtinendæ. Omnes etiam, qui prædicto Chunradino aſtiterint, vel eidem impenderint conſilium, auxilium vel favorem contra Karolum verum Regem Siciliæ a Sede Apoſtolica conſtitutum, in quo novum & nobile opus Eccleſiæ favor Divinæ dexteræ ſignis evidentiſſimis comprobavit, excommunicationis ſententia innodavit. In omnes quoque, qui cum eodem Chunradino vel pro ipſo, aut in ejus auxilium contra Eccleſiam, vel præfatum Karolum Siciliæ Regem, in Regnum Siciliæ vel quæcunq; ipſius loca, vel in Italiam ſeu quascunque Italiæ regiones vel partes accedere, aut inibi dictum Chunradinum juvare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam proferens, terras ipſorum Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, contra eos gravius proceſſurus, prout exceſſus meruerit eorundem. Rex Boemiæ movit expeditionem contra Bruthenos.

MCCLXVIII. Dominus Ulricus Secovienſis [2] obiit: Magiſter Wernhardus Decanus Patavienſis ſubſtituitur. Rex Boemiæ infecto negotio a Pruſcia revertitur, & quosdam Styrienſes ſuſpectos habens de proditione captivavit. Dux Ludowicus relicto avunculo ſuo Chunradino a Verona revertitur. Chunradinus fretus auxilio Senatoris & quorundam civium Romanorum, nec non quarundam civitatum, proceſſit verſus Apuliam. Cui occurrit Karolus Rex Siciliæ, ipſum in die beati Bartholomæi campeſtri certamine vicit, occiſis ibidem multis milibus hominum, Chunradino & Marchione de Paden, & Senatore Romanorum fratre Regis Hiſpaniæ captivatis; Chunradino autem & prædicto Marchione apud Neapolim capite plexis. Soldanus Babilonicus Antiochiam cepit, occiſis in ea omnibus ibidem inventis. Clemens Papa obiit. Dux Karinthiæ pro multis damnis, quæ Eccleſiæ Salzburgenſi intulerat, ſatisfecit Eccleſiæ per civitates, fora & caſtra Sancti Viti, Chlagenwrt & S. Georii, dans proprietatem Eccleſiæ, & recipiens ea in feudo.

MCCLXIX. Hoc toto anno Eccleſia propter diſſenſionem Cardinalium caruit Papa. Patriarcha Aquilegienſis obiit: & Dominus Philippus, quondam Salzburgenſis Electus pro eo eligitur. Dux Karinthiæ Ulricus obiit, cujus Ducatum Rex Boemiæ unacum feudis, quæ ab Eccleſia Salzburgenſi tenuerat idem Dux, ſibi Rex indebite vendicavit. Dominus Symon Abbatiam S. Petri reſignavit.

[1] *Supp.* beneficio. [2] *Supp.* Epiſcopus.

MCCLXX. Hoc toto anno ſicut prioribus duobus Romana Eccleſia caruit Papa. Dominus Udislaus Archiepiſcopus obiit: pro [1] Dominus Fridericus Præpoſitus Majoris Eccleſiæ eligitur. Civitas Salzburgenſis maxima ex parte incendio periit. Magna cariſtia fuit hoc anno per circumiacentes terras. Bela Rex Ungariæ obiit. Rex Franciæ una cum ſuo filio & ſexcentis Optimatibus, in itinere transmarino, in Cartagine obiit. Rex Stephanus Ungariæ inter [2] factas treugas inter eum & Regem Boemiæ, per propria & aliorum Principum privilegia firmatas, ad ſpatium duorum annorum, ſubito ipſas vigilans [3] per Gummanos & Ungarios inſultum fecit in Auſtriam, occidendo & captivando Chriſtianorum plurima milia utriusque ſexus. Dietmarus Abbas S. Petri de Milſtat in Abbatem eligitur. Otakkerus Rex Boemiæ, conditionibus quibusdam mediantibus, fœda Principum Auſtriæ, Stiriæ & Karinthiæ Friſaci manualiter recepit a Domino Electo, homagium ſibi cum juramento faciens, & Eccleſiæ Salzburgenſi.

MCCLXXI. Rex Boemiæ Ungariam manu validiſſima intrans, injuriæ per Ungarios illatæ Auſtriæ & Stiriæ ſumere voluit ultionem, manens ibi a Quadrageſima usque ad Pentecoſten, in expeditione obtento Bozonio caſtro & aliis pluribus munitionibus; tandem mediantibus Epiſcopis Boemiæ & Ungariæ & Baronibus utrarumque terrarum, ad concordiam redierunt ſub quibusdam conditionibus. Dominus Philippus quondam Electus Salzburgenſis totum patrimonium ſuum Regi Boemiæ reſignavit. Inter hæc civitatem S. Viti cum aliis munitionibus ac foris, per quæ Dux Ulricus Karinthiæ ſatisfecerat Eccleſiæ Salzburgenſi de damnis multis, quæ eidem Eccleſiæ irrogarat, ſibi potentialiter vendicavit. In hoc etiam anno uxores Ducum Babariæ L. & H. obierunt. Univerſalis etiam Eccleſia Papa caruit propter diſſenſionem, quæ inter Cardinales fuerat tunc exorta. Cardinales convenientes in unum, invocata S. Spiritus gratia, elegerunt Dominum Theobaldum, natione Placentinum, & Archidiaconum Leodienſem, in Papam, qui prius morabatur cum Rege Angliæ in partibus transmarinis. Sed audita electione ſua rediit ad Urbem; & accepta electione ſua indixit Concilium poſt biennium celebrandum: in quo tractare voluit de reformatione Terræ ſanctæ, & qualiter Græci ad Romanam Sedem, a qua per inobedientiam receſſerant, revocarentur. Dominus Electus pro electione ſua iter arripuit ad Romanam Curiam. Rex Stephanus obiit, unde turbatio magna facta eſt in Ungaria. Rex Boemiæ pro interfectione conſobrini ſui, fratris uxoris ſuæ, quem quidam Comites Ungariæ interfecerunt, propoſuit hoſtiliter intrare Ungariam.

MCCLXXII. Rex Angliæ, & tota transmarina Eccleſia, treugas inierunt cum Soldano Babilonico annos decem, menſes decem, ebdomadas decem, dies decem. Sed quidam miſſus ad interficiendum eum, quosdam ſecum exi-

[1] *deeſt* quo. [2] *al.* poſt. [3] *l.* violans.

ſtentes nobiles interfecit, & eum metipſum graviter vulneravit; unde treugis violatis ad diſcordiam redierunt. Item ex inundationibus maximis quæ fuerunt, multi tam in Auſtria, quam in Babaria damna plurima receperunt.

MCCLXXIII. Dominus Fridericus Electus Salzburgenſis quondam Præpoſitus, a Papa Gregorio X. confirmatione recepta & conſecratione in Curia Romana, pallio honoratur. Quibus obtentis Dominus Papa ex plenitudine poteſtatis ſuæ, ad petitionem & inſtantiam Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi Chyemenſis, Prælaturam Salzburgenſem ejusdem Eccleſiæ Canonico Chunrado contulit. Eodem etiam tempore Capitulum Salzburgenſe a quibusdam creditoribus in curia Romana ſuper quibusdam debitis, quæ Dominus Ulricus Archiepiſcopus & Dominus Otto Præpoſitus contraxerant, convenitur; de quo contractu infra xv. annos nullam habuimus notitiam. Hæc omnia propterea ſcripta relinquimus, ut poſteri intelligant, & recogitent, & ſibi caveant, ne de cætero alicui hominum dent nudam membranam, & ne aliquem Præpoſitum eligant in Archiepiſcopum, ne utramque dignitatem contra voluntatem Capituli teneat, & ne inſtitutio Prælaturæ noſtræ ad Dominum Papam devolvatur, & ne de cætero aliquem in Canonicum accipiant defectum natalium patientem. Principes Alamanniæ, quorum intereſt, elegerunt Comitem Rudolfum de Hauspach [1] in Regem Romanorum. Rex Boemiæ, pro interfectione fratris uxoris ſuæ, expeditionem in Ungariam movit.

MCCLXXIV. Rudolffus Rex ad electionem Electorum Imperii ſibi viriliter aſſumens Imperium, ad exhortationem Domini Papæ & Principum, præter effuſionem [2] optimam ordinavit pacem per omnes terras. Concilium Domini Papæ indictum celebratur Lugduni, Kalendis May, venientibus illuc omnibus Principibus Spiritualibus, quibus erat indictum, & Sæcularibus, aut nuntiis eorum, atque Græcis, quorum numerus inveniri non poterat præ multitudine: inter quos accubuerunt in eodem Concilio exiſtentes, Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi atque Abbates mitrati CLXVI. Statuta ſunt hæc in eodem Concilio præcipue, ut Eccleſia Romana a morte Papæ poſt dies decem, non deberet vacare ulterius niſi poſt dies decem; & ubicunque eſſent Cardinales, deberent artari ad hoc, ut eligerent; ne diutius vacaret Sedes Romana, ſicut hactenus ſæpius erat factum. Inſuper ſtatutum erat ibi, ut omnes decimæ Clericorum aut Eccleſiarum ſolverentur VI. annis ad ſubventionem Terræ Sanctæ ad mandatum Papæ. Nuntii etiam Tartarorum erant ibi, ſubdentes ſe baptismati & Religioni Chriſtianæ: quos Dominus Papa juſſit baptizari, remittens cum eis Prædicatores, qui eos ad fidem Chriſtanam converterent. Dominus Rudolfus Rex Romanorum indixit Principibus, ſe Curiam apud Nurenberg in feſto beati Martini celebraturum, mandans omnibus Principibus, ut illic venirent, & ſe Majeſtati Imperatoriæ præſentarent. Ubi cum conveniſſet magna multitudo Principum & aliorum, Rex Boemiæ & H. Dux Babariæ ſe præſentare non curaverunt. Quare per ſententiam Principum indicta fuit alia apud Erbipolim celebranda. Dominus Fridericus Salzburgenſis Archiepiſcopus provinciale indixit Concilium, ubi convenerunt Friſingenſis, Patavienſis, Ratisponenſis, Brixinenſis, Chyemenſis, Secovienſis Epiſcopi & Prælati provinciæ: ubi diverſa & ſalubria ſtatuta promulgavit. Concilioque ipſo per Dei gratiam laudabiliter terminato, Eccleſiam Salzburgenſem in die Omnium Sanctorum, cooperantibus ſibi Epiſcopis prænotatis, honorifice conſecravit, celebritatem ipſam reddens inſignem largitione indulgentiæ Domini Alexandri Papæ, Patriarchæ Gradenſis, & Archiepiſcoporum Epiſcoporumque plurium, ſicut curioſus indagator in matricula ſuper hoc conſcripta colligit.

MCCLXXV. Rege Rudolffo cum pluribus Principibus, Comitibus & Magnatibus Erbipolim veniente, Rex Boemiæ & Dux H. Babariæ comparere non curaverunt. Sententialiter igitur a Principibus curia indicitur Auguſtæ celebranda circa Solſtitium, ubi convenerunt magni viri, ſed de Electoribus non niſi Dux Ludowicus. Ibi miſſi ſunt pro parte Regis Boemiæ Venerabilis Dominus Wernhardus Secovienſis Epiſcopus; ex parte H. Illuſtris Ducis Babariæ, H. Præpoſitus Ottingenſis cum honeſto comitatu. Et propoſitis quæſtionibus de jure electionis Imperii, nuntii Principum prædictorum ſi non diſcordes, tamen non pariter curiam exierunt, poſitis prius ſufficientibus allegationibus, ſuper juribus Imperii quoad electionem ex utraque parte. Et quia jam dudum nobiles viri Ludwicus & H. Duces Babariæ hæreditate paterna ſecreta, ad invicem de titulis, videlicet Comitiæ Palatii [1] Rheni & Ducatus Babariæ contendebant; gravis inter eos oritur diſcordia, quæ pluribus Principibus & nobilibus laborantibus ad concordiam non poterat revocari. Dominus Papa Gregorius venit Loſannam, ubi occurrit ſibi Rex Rudolfus, coronandus, ſicut decretum fuerat inter eos, Baſileæ; ſed Papa diverſis negotiis Eccleſiæ generalis, & ipſe Rex negotiis civitatum Italiæ præpediti, ipſam conſecrationem usque ad feſtum Purificationis diſtulerunt. Rex Boemiæ Salzburgenſem Eccleſiam hoſtiliter invadit, ad æſtimationem publicam ad quadraginta milia marcarum [2], & maxime in diſtractione & exuſtione prædiorum. Epiſcopus Eberhardus Laventinus moritur: cui Eberhardus Abbas S. Pauli ſubſtituitur. Pax inter Ungarios & Boemos pro tempore reformatur. Rex Rudolfus cum uxore ſua & multis Principibus & Nobilibus cruce ſignatur.

MCCLXXVI. Gregorius Papa VI. [3] Id. Januarii migravit ad Dominum, qui etiam eodem anno ſignis claruit & virtute. Poſt quem die tertia Petrus Hoſtienſis Cardinalis, de Ordine Prædicatorum, in Papam eligitur, vocatus

1. Habspurch.

2 *deeſt* ſanguinis.

1 *f.* Palatinæ *vel* Palatinatus.

2 *Supple ex Chronico alio MS. Salzburg.* ipſam damnificando.

3 *l.* iv. Id.

Inno-

Innocentius V. qui VI. Kal. Martii Romæ in summa Eccleſia Divinum officium celebravit, quod a tempore Innocentii IV. Papæ hucusque non eſt factum, videlicet per annos XXX. Item IX. Kal. Febr. infra Completorium & Veſperas Sol multum rubicundus aliquibus hominibus apparuit, dum vergit ad occaſum. Item Rex Marrocenſis aliquas partes Hiſpaniæ hoſtiliter occupavit. Item Domini Ludwicus & Heinricus Comites Palatini Rheni & Duces Babariæ, fratres carnales, ob occaſiones varias inimici erant ad invicem, annis duobus & menſibus ſex terras ſuas mutuo præda & incendio diſſipantes, tandem ad concordiam redierunt. Item Innocentius Papa V. VII. Kal. Junii moritur: pro quo eligitur Papa Adrianus V. Rex Rudolfus expeditionem movit, verſus Auſtriam cum exercitu non tam numeroſo quam valido, habens naves caſtellatas, quibus meatus Danubii obſtructos obtinere conatur. Sed mediante magnorum virorum conſilio ſine omni ſtrepitu belli ipſi meatus in Straubing & Pataviæ patefiunt, & ſic ipſe Rex; cooperantibus Dominis Ludwico & Heinrico Ducibus Babariæ, Auſtriam occupavit: deſtructaque multa parte terræ circa Anaſum, fame ibidem multi perierunt. Et cum Rex Rudolfus in obſidionem Wiennenſem ſe reciperet, civibus rebellantibus multa eorum pomæria ſunt ſucciſa. Rex Boemiæ nulli ſe audens committere, a Rege Romanorum Rudolfo in deditionem accipitur, atque ab ipſo Rudolfo juribus ſibi competentibus glorioſe inveſtitur, homagium ſibi faciens. Promiſit etiam præſtito Sacramento relaxare ſtatim poſt ſuum reditum ad propria obſides & captivos; ſed veniens Pragam nihil de his, quæ promiſerat, prætentis variis occaſionibus [1] effectui mancipavit. Adrianus Papa V. Kal. Nov. obiit: cui ſuccedit Johannes XXI. qui ante dicebatur Petrus Hoſtienſis, natione Hiſpanus.

MCCLXXVII. Rex Rudolfus Wiennæ dominatur, cui, rebellantibus pluribus nobilibus Boemis, Rex Boemiæ reconciliatur, Domino Brunone Olmucenſi Epiſcopo mediante, redditis obſidibus & captivis. Johannes Papa pridie Id. Maji corruente palatio Papali Viterbii, oppreſſus interiit: Ubi quidam frater Minor in ſtratu ſuo quieſcens ſubito miſerabiliter exclamavit. Fratribus accurrentibus, & occaſionem clamoris exquirentibus, reſpondit: Niger vir quidam grandi malleo palatium Papæ percutit, orate, ne concutiatur. Iterum clamavit: En ſecundo percutit; orate, ne corruat. Tertio videns plagam, quam niger vir intulit, exclamavit: Palatium corruit; videndum eſt, quomodo Papæ ſucceſſerit. Eadem hora conſiderato eventu rei, conſtitit palatium corruiſſe, Papamque oppreſſum. Hic Johannes conſtitutionem Domini Gregorii Decimi de electione Papæ factam in Concilio generali revocavit. Reges Romanorum & Ungariæ ad concordiam redierunt.

MCCLXXVIII. Nicolaus Papa ſedit, qui antea Dominus Johannes Kaietanus [2] dicebatur, natione Romanus. Otakkarus Rex Boemiæ, gravi corde ſufferens, ſe terras Auſtriæ & Styriæ, Karinthiæ, Carniolæ & Marchiæ ſine opere bellico reſignaſſe, Principes & alios ſubjectos Romani Imperii in diverſis mundi partibus ad conſpirationem ſollicitat, & pecunia mediante plurimi corrumpuntur. Quorum alii ſe Regi Romanorum manifeſte obiciunt; alii occultis inſidiis fidem frangunt. In Auſtria Hainricus de Chunringe Marſchalcus Auſtriæ, & Paltramus civis Wiennenſis a Romanorum Regis devotione recedunt, multosque nituntur corrumpere. Hos Romanorum Rex de læſæ majeſtatis crimine condemnavit. Rex Boemiæ partem Auſtriæ trans Danubium vaſtat incendiis & rapinis: & procurante Paltramo, induxit Ybanum Comitem Ungariæ ad aliam partem Auſtriæ & Styriæ devaſtandam. Romanus Rex cum Regina & liberis Wiennæ manens auxilium Principum invocat: quorum aliqui expreſſe negant auxilium; aliqui venturos ſeſe dixerunt, ſed male decipiunt ſuſpenſum pro adventu ipſorum animum expectantis. O quanti Principes & nobiles Imperii corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: & ſi liceret verum dicere expreſſis nominibus, Judæ filii proclamarentur, quorum nequitiam cœlum & cœlorum Dominus revelabunt. Sed quomodo multi vocati in Imperio Principes, ex quibus in hoc puncto pauciſſimi ſunt electi; expedit magis exprimere fidelium commendabilem paucitatem, quam membranas perfundere infidelibus infinitis. Romanorum Rex ut vidit ſuorum voluntariam tarditatem, vidit etiam Regem Boemiæ (quem non latuit, quod fiebat) in rebus bellicis pertinacem. Auxilium Regis Ungariæ invocat, & obtinet invocatum. Verum de partibus Reni & Franconiæ veniunt Baſilienſis Epiſcopus, & Fridericus Purgravius de Nuorburg [1] cum militibus centum, vel parum pluribus. Baſilienſis Epiſcopus Salzburgum, invito Domino H. Duce Babariæ, qui partem Regis Boemiæ adjuvabat; Purgravius terram peragrat Comitis Tyrolenſis. Rex Ungariæ venit cum exercitu; & in Poſonio tranſit Danubium, ac in vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis Rex Romanorum deſcendit Danubium in Haimburch, & ibi tranſiens in Marchek colligit exercitum Auſtralium & Styrienſium non quidem omnium, quia multi ex ipſis in lacum perfidiæ ceciderunt. Ungari ad inveſtigandum militiæ potentatum in exercitum Regis Boemorum miſerunt ex Ungaris circa duo milia in armis levibus: quorum inſultibus Rex Boemiæ provocatus ab oppido Zoe [2], quod obſederat [3], caſtra movit, ad Romanum exercitum faciem dirigendo. Reges Romanorum & Ungariæ XI. Kalendas [4] exercitus ſuos componunt in acies, & tractant de prælio committendo. Die ſequenti, Maram fluvium tranſeunt, & abinde compoſitis aciebus & ſignis extentis ad locum, ubi ſe locaverat Rex Boemiæ, lætanter accedunt; ſicque VIII. Kal. Septemb. ad locum, ubi poterant tentoria Boe-

[1] f. excuſationibus. [2] f. Cajetanus.

[1] l. Nurenberg [2] al. La[illegible] [3] al. poſſederat. [4] Supp. Septembris, ut habetur in alio Chron. MS. Salzburg.

morum plane perſpici, pervenerunt. Mane ſequenti, luceſcentibus ſolis radiis, ſigna militiæ radiantia producuntur. Ibi terribiles caſtrorum acies ordinatæ fulſerunt; ibi milites perſuaſibilibus blandimentis Romani Principis animantur ad bellum: qui ſtrenuitatem, quam verbo docuit, opere contractavit. O utinam datum eſſet Principibus Romani Imperii, ut ſaltem hoc neceſſitatis tempore aliqui, ſi non Regi met, regnum rempublicam & propriæ fidei debitum defendiſſent! Et (proch pudor,) tam Principes, quam conſanguinei & affines Regis, exceptis paucis, ſua & regni pericula aut improvide tractaverunt, aut improvide contemſerunt. Judicari etiam difficulter poteſt, utrum noſtra clara Germania triumphum tam nobilem & inſignem in proximo recitandum ſibi ad gloriam, vel magis ad ignominiam debeat computare? Nam tum pauci commendantur ſtrenui milites, multitudo reprehenditur perfidorum. Generaliter enim natio non peccavit, ſed Principes nationis, quibus illa famoſa victoria perpetuæ labem infamiæ derelinquet, ad laudem bonorum, vindictam vero malefactorum.

Verum exercitus Regis Romanorum tribus diſtinguitur aciebus & ſignis totidem. Nobiles Auſtriæ dividebantur in duas turbas; una portavit vexillum Romanæ Aquilæ ſub vexillo Auſtriæ; altera militavit; alia turba victorioſiſſimæ S. Crucis inſignia juxta morem Imperii ſequebatur. Sub hoc ſigno ſalvifico Rex Romanorum militat, nec triſti facie, nec fracto animo pro ſalvanda Republica; ſed læte ſe proicit in agonem. Rex etiam Ungariæ ſuum exercitum tribus diviſit aciebus. Gumani vero ſine ordine curſitabant, & aliis procedentibus ad caſtra hoſtium ordine bellicoſo, iſti per latera utriusque exercitus vagabantur. Hac parte taliter ordinata Rex Boemiæ copioſum exercitum, quem habebat collectum tam a Boemis & Polonis, quam Auſtralibus qui ſuum propoſitum promovebant, in totidem turmas dividit: animoſitate & facie in phalera militari & bellicoſo apparatu adventu militum Imperii ante tentoria ſua ſtrictis enſibus & extentis ſignis bellicis expectabat. Milites ſuos, quos ſæpe turbaverat, motivis eloquiis, quibus ultra conſuetudinem aliorum Principum quotiens hæc voluit abundavit, promittendo eis belli victoriam & gloriam triumphalem, multaque ſtipendia meritorum. Aſt Romanorum Regis impatiens in dilatione animus ulterius deliberandi conſilium non concedit: jam enim acies cominus ſigna ſua bellica mutuo conſpicantur. Nec mora, quaſi ictu fulminis jactarentur, ſe appetunt, & involvuntur invicem impetu furioſo. Ipſe vero Rex Boemiæ in ultima ſua acie, quæ majorem rei bellicæ fortitudinem formidabilem continebat, inſignis emicuit, ſeipſum & aciem illam conſervans pro Romani Regis cuneo conterendo. Sic fit, quod primis hinc inde pugnantibus aciebus, ambo Reges lentis progreſſibus ſe adventant, & tamen Rex Boemiæ amplius alio feſtinavit ad pugnam. Cum enim videret primam noſtræ partis aciem a ſuorum facie improbe declinantem, de victoria adeo confidebat, ut velocem ſuorum militum impetum moroſum crederet, & feſtinos nimium, ſe judice, deſides recenſeret: credidit enim ſe totam Romani Regis militiam excuſſiſſe. Cumque vicinius acceſſiſſet, hoc, quod ſperavit, non accidit, & quod credidit, non invenit. Tunc enim primo per medium pulveris in turbine revoluti vidit vexillum aſpectu terribile, in quo adventum Romani Principis inveſtigat. Quo viſo non parvo ſtupore concutitur; & tamen vir plenus audacia feſtinos ſuos milites hortatur amplius feſtinare, petens ex animo, ut in bello Romanus Rex vincendus, aut capiendus ſi fieri poſſet, occidendus ſuis manibus ſervaretur. Nec minus Romanus Princeps corde flammeo adverſus Regem Boemiæ exardeſcit, ipſum præ aliis appetit, ipſumque inter alios inveſtigans. O miſerabilis appetitus inter Principes Chriſtianos, inter Dominum, & Vaſallum! O crudelitas inaudita! hic primum in tanti ſtrepitus vehementia Regum, in aciebus longe diſtantibus, eorum animi convincuntur; ut hi, qui eminus rei exitum expectabant, arbitrarentur ſe vocem magni tonitrui audiviſſe. Hic planum fuit diſcernere probum ab improbo, & ſtrenuum a vecorde. Hic plures, qui cauſam diſcordiæ nutriebant, & ante bellum de prælio committendo altius acclamabant, ſe triſtius & timidius aliis habuerunt. Hic experimento diſcitur, quod raptores, & pacis publicæ turbatores, qui in pauperes ſæviunt, & adverſus eccleſias debachantur, tempore quo oportet, & expedit pro ſalute publica militare, modici ſunt momenti. Nec obmittendum, quod tam Teutunici, quam Ungarici & Gumani poſuerunt in ſuperiori veſte ſignum S. Crucis, ut per hoc ab hoſtibus diſtarent, & ſe mutuo adjuvarent. Pauci etiam ex parte Regis Romanorum fuerunt, qui Cruce ſignati non fuerint ad ſuccurrendum Terræ ſanctæ, ſi eos Dei Filius crucifixus ab inſtanti periculo, liberaret. Sic itaque cruce ſignati ſub vexillo S. Crucis ejusque ſignaculo omnes ſingulariter inſigniti, die S. Crucis honori ſpecialiter deputato, hoc eſt feria ſexta, hora quaſi ſexta; in qua Redemptor noſter Jeſus Chriſtus pro ſalute noſtra mortem ſubiit temporalem, ut nos redimeret ab æterna; ad bella proſiliunt, mortibus ſe exponunt, hoſtium cuneis commiſcentur, nec cogitant, quibus ſtudiis a mortis periculo ſe abſcondant; ſed potius quo ingenio conterant occurrentes, quibus etiam fuit in eodem propoſito par voluntas. In tantum enim Rex Boemiæ præſumebat de victoria, quod machinas fortes & maximas ſecum duxit, quibus Regem Romanorum belli pericula fugientem, & ad civitatem vel caſtrum aliquod divertentem extraheret expugnatum. Hic de belli victoria victrices Aquilæ diſputant cum Leone. Hic milites bellicoſi reſonantibus gladiis cœlos pulſant clangoribus, & ubi enſes & mallei, conti & bipennes criſtatis galeis inferuntur, ignis ad in-

[a] *ita Cod. f.* Regemmet *ſeu* Regem ipſum. [b] *al.* Cumani. [c] *deeſt* animavit *aut ſimile quid.* [d] *al.* appetens.

ſtar

ſtar fulminis reſultabat; ſicque ſanguine gladii rubricantur, & humana viſcera ſtudio inhumano ſolotenus effunduntur. Hic Martis gloria mortis periculo comparatur, & a multis, dum mundi gloria quæritur, lethalis exitus invenitur.

Interea Romanorum Rex Regem Boemiæ inveſtigat, quem facile fuit perquirere: quia ſe quærenti & ipſe perquirens ultroneum offerebat. Ac miles quidam prævius Regis Boemiæ Romani Regis dextrarium tranfixit gladio; qui ſtatim corruens obruit aſcenſorem, & tam gravi pondere ſubſtratum detinens, ut jacenti mortem equus moriens minaretur. Interim Rex Boemiæ ſub Leonis ſigno militans, ejusque audaciam fulmineis ictibus repræſentans, contendit non minus de victoria conſequenda, quam de vita ſalvanda. Tandem quidam nobilis Comes Berchtoldus videns Regem Romanum cadavere mortui dextrarii obvolutum, ad terram proſiliens erexit Romanum Principem ſemivivum: qui reſpirans modicum, aſcendit alium dextrarium, & dum reſumpta galea prompto quidem animo, ſed corpore fatigato, iterum ſe vibraret in hoſtes; ecce militia Regis Boemiæ imparem ſe perpendens, & viribus inæqualem, dum multos ex ſuis proſtratos cerneret, & vexilla Boemica conculcata, ad fugæ refugium adeo certatim & inordinabiliter ſe convertunt, quod in aquam Mara, quam tranſire oportuit, fugientes plures ſe per impetum ſubmerſerunt, quam in bello corruerint vulnerati. Adhuc fortiſſimus Rex Boemiæ cum modico comitatu reſiſtit victoriæ, & cum pro parte ſua ſalvanda militari gladio allegavit[1], præeligens cum occiſis gladio mortuus inveniri, quam in turba diſcedere profugorum, modici æſtimans vitam ſine victoria retinere; tunc poſt longas luctas & vulnera luctuoſa dextrarius Regis Boemiæ laſſus factus; & lectum ſe ſolo ponderis fixu fecit. Tunc quidam ex Auſtralibus Regem Boemiæ ſuimet non bene compotem circumdantes, capiti ſuo galeam multorum ictuum tunſionibus malleatam evellunt; & dum rogaret ſe capi, captus quaſi decem & ſeptem vulneratus vulneribus ad terram proſternitur, ſicque in manibus hoſtium exhalavit. O quam modica reverentia, imo quaſi gravis injuria Regi mortuo irrogatur! Armis enim exuitur, ſed & indecenter omnibus veſtibus corpus mortuum ſpoliatur, ut nec verendæ parti corporis femoralia remanerent. Ad hoc dirum ſpectaculum Victores læti confluunt; illudunt mortuo; inſultant illi in faciem, quem paulo ante longe a ſe poſitum trepidi formidabant. Demum in currum ponitur, Wiennam ducitur, ibique ſuſcipitur aliter, quam prius ſuſceptus fuerat, & quam tunc promiſerit ſibi ipſi dum de victoria confidebat. Quem dum quidam Epiſcopus cerneret, & ſtuperet extinctum, hos verſus compoſuit:

Quam brevis & triſtis inſtet mortalibus iſtis
Regnandi finis, nos docet iſte cinis.

Pars Regis Romani ſubintrat tentoria Boemorum, & inſequitur fugientes; in hoc tamen Ungari & Gumani plus quam Teutonici ſe exercent, iſti quidem præſia ſuſtinebant. Cumque nox proxima ſequens victoriæ adveniſſet, circa noctis medium dum milites feſſi tute quieſcerent; vigiles proclamabant ſe audire & videre multitudinem armatorum, ſicque totus exercitus rearmatur. Sed qui viſi fuerant & auditi, ab exercitu a latere diverterunt. Mane quidam dixerunt, ſpirituales fuiſſe nequitias, vexantes corpora mortuorum. Poſtea tamen inſonuit, quod Gumani fuerint: contra quos orta fuerit ſuſpicio ſatis notabilis, quod in exercituin Romanum irruiſſe; & Regem ac milites occidiſſe vólebant, ſi non eis dormientibus, ſuper eos Rex gloriæ vigilaſſet. Poſt tres dies Ungari & Gumani a Romano exercitu ſeparantur; Rex vero Romanorum caſtra movit verſus Moraviam; quam in deditionem accepit quaſi totam. Regina Boemiæ legatos ſuos mittit ad Romanorum Regem; offerens ſeipſam & pueros ſuos gratiæ Regiæ Majeſtatis; at Otto Marchio Brandenburgenſis hoc ipſum finaliter impedivit. Demum poſt multos tractatus, quia ſeveritas hyemis non ſuſtinuit, ut Romanus exercitus opus bellicum in campeſtribus exerceret; inter Regem & Marchionem compoſitio celebratur: Marchio filium & filiam quondam Regis Boemiæ ſub tutela ſua retinet, & conſtituitur adminiſtrator regni Boemiæ; Moravia vero remanet ſub Regis poteſtate. Frater quoque Marchionis filiam Regis Romanorum duxit in uxorem: filia etiam Romanorum Regis filio Regis Boemiæ deſponſatur, matrimonium inter ipſos eatenus contrahitur, quatenus minor ætas ſuſtinuit in utroque.

Dominus Hainricus Dux Babariæ per filium ſuum generum Regis Romanorum, laborat ad Regis gratiam; quam tandem conſequitur per reſignationem terræ inter Danubium & Anaſum poſitæ, quam ab ipſo Rege Romanorum receperat titulo hypothecæ propter hoc ſpecialiter, ut Romanum Imperium contra Regem Boemiæ adjuvaret. Sed Dominus Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis in hac concuſſione Romani Imperii ſic ſe habuit fide & animo inconcuſſo, ut dum de fidelibus agitur, ejus digne ſignanda mentio habeatur. Ipſe enim, & Dominus Petrus Patavienſis Epiſcopus recta devotione perſpicui, & velut Lampades inter alios Principes Imperii coruſcantes licet multo ingenio tentarentur ab hoſtibus Reipublicæ, qui eorum fidem horrendo ſtudio quaſi lenones ad lupanar perfidiæ provocabantur; velut duæ columnæ immobiles perſtiterunt, eligentes potius rerum & corporum ſuſtinere jacturam, quam Romanum Imperium deſolatum ſolum relinquere, & prophanis hoſtibus proſtituere fidem ſuam, qua in converſatione hominum nihil utilius invenitur. Quamvis autem in acie triumphante non fuerint, fuerunt tamen triumphantium & triumphi non ultimi, ſed quaſi præcipui promotores. Dominus Nicolaus Papa Dominum Philippum Firmatum[2] Epiſcopum mittit ad partes Ungariæ, ut pro ejus ſolertia terra illa, quæ fœdis ritibus Gumanorum

[1] *al.* allegaret, *ſed utrumque obſcure.*
[2] *l.* Firmanum.

puritatem fidei Christianæ fœdavit, novo Verbi Dominici semine fœcundaretur. Legatus quidem quantum in se esse potuit, ministerio suo prudenter invigilat; sed populus ille Ungaricus, qui jam didicit & consuevit sentinis & sentibus gentilium consentire, non adeo contradicit aperte Legato, sed ipsum subdole circumducit. Regina Boemiæ circa festum Paschæ corpus mariti sui mortui repetit, & obtinet repetitum: ducitur usque Znoymam, ibique relinquitur, oriturque inter Boemos de vita Regis sui communis dissensio. Et licet a multis milibus hominum mortuus visus fuerit; & diebus pluribus attractatus; adhuc tamen Boemi non minus de reditu suo referunt quam Britones faciant de Arturo; sicque fit illud miserabile, quod Regis corpori denegatur communis humanitas sepulturæ; & defuncti animæ nihil horum impendatur, per quæ fidelibus mortuis per suffragia matris Ecclesiæ misericorditer subvenitur. Principes & tyranni intelligant, hujus mundi qui terrenum inhabitant fundamentum, quis exitus, quæ vindicta, quæ memoria denique sit malorum: & in isto prospiciant exemplari, quod figura mundi hujus subito præterit, & præteriens obruit; & subvertit quod stabile videbatur. Sciant quoque verum esse verbum Propheticum: *Sicut deficit fumus, deficiant, & fluit cera a facie ignis; sic pereunt peccatores*, ut perditionem istam non solum ad corpus mortuum, sed etiam ad animam tribulatam, & ad deletam memoriam referamus.

MCCLXXIX. Regina relicta Regis quondam Boemiæ una cum melioribus terræ rebellat Ottoni Marchioni Brandenburgensi, qui procurationem sive administrationem susceperat a Rege Romanorum. Terræ motus in Romaniola plures urbes subruit. Dietricus Churcensis Episcopus obiit: cui succedit Dominus Johannes Chyemensis Episcopus: & eidem substituitur Dominus Chunradus de Himperch Canonicus Pataviensis. Romanorum Rex etiam hoc toto anno Wiennæ moratur. In Babaria ventus fuit adeo validus; quod multa ædificia subruit: præ frequenti etiam terræ motu homines in campis per Romaniolam, relictis domibus, noctibus accubabant, plurimæ etiam arbores præventorum impetu sunt evulsæ. Dominus Philippus Firmanus Episcopus adhuc in Ungaria existens, circa Regem nihil proficit; imo ipse Rex ad Gumanos se transferens, dimissa uxore sua filia Karuli Regis, avam[1] suam Reginam Gumanorum duxit uxorem. Ad complacendum etiam Regi Electus Strigoniensis unacum Præposito ejusdem Ecclesiæ se transferunt ad Gumanos: & subito cum Præpositus in stratu suo quiesceret, venit quidam, & transfodit eum gladio ad præcordia, & ipso mortuo vindex hujus evanuit. Electus vero acri morbo correptus Confessores advocat, & recognito errore injungit familiæ & amicis, ut cadaver ipsius ad Legati præsentiam deferant, non prohibituri, siquid de ipso idem Legatus decreverit faciendum. Allato itaque cadavere, & ad ostium Legati posito, cum pro sepultura intercederetur, dixit Legatus, non oportere eum sepeliri, qui vivus se absciderat ab Ecclesiæ unione, tandem admisit, ut infectus in fide sepeliretur in cimiterio leprosorum. Quo admisso sonus magnus per totam civitatem in qualibet contracta vocaliter intonuit, ut omnis, volens largam indulgentiam a legato consequi, super sepeliendum lapidem jaceret. quod & factum est. Nam omnis populus concurrens tantam congeriem lapidum super cadaver mortui jecit, ita quod ejus magnitudo excederet domus maximæ quantitatem. Obruto itaque cadavere amici Electi Legato imponunt, quod ejus exhortatione factum hujus sit commissum: qui, licet difficulter, tandem se constantissime excusavit. Archiepiscopi, Moguntinensis, Treverensis, Colonensis, Maidburgensis se uniunt, & invasores suos plures Comites Sueviæ bellando evincunt.

MCCLXXX. Tempore Ladizlai Regis Ungarii, filii Regis Stephani, Tartari in tanta multitudine intraverunt Ungariam, quod dicebantur cum exercitu suo XI. miliaria occupare: qui tandem non humano auxilio, sed Divino judicio perierunt. Supervenit enim grando, nix & pluvia in tanta quantitate, quod se de loco movere non poterant: & a Christianis in circuitu positis sunt occisi, & juste tulerunt spolia impiorum, multi etiam eorum evaserunt. Eodem anno Domina Katherina filia Regis Romanorum habuit per Dominum Ottonem, filium Heinrici Ducis Babariæ maritum suum, in Wienna successive duos filios, qui mortui sunt ibidem.

MCCLXXXI. Petrus Patavienſis Episcopus obiit, qui pontem Pataviæ trans Danubium prius fecit: cui succedit Wichardus ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Eodem anno uxor prædicti Rudolfi Romanorum Regis obiit. Eodem anno Albertus de Hals factus est Comes a Rege Rudolfo: & eodem anno ipse Rex exivit terram Austriæ & ipsum Ducatum Alberto filio suo primogenito commendavit; sed postmodum eundem Ducatum eidem filio Alberto & Rudolfo filiis suis in feudum contulit, coram Principibus suis super hoc Augustæ in Curia congregatis. Eodem anno Chunradus Comes de Mosburg moritur sine hæredibus, & Comitatus ad Hainrici Ducis Babariæ devolvitur potestatem. Item eodem anno a Friderico Salzburgensi Archiepiscopo apud Salzburgam Concilium celebratur.

MCCLXXXII. Petrus Rex Arragoniæ expulso Karulo Rege, regnum Siciliæ potenter occupavit, propter quod Papa Martinus excommunicationis sententiam protulit contra ipsum, sicut plenius patet in littera subsequenti.

Martinus Episcopus servus servorum Dei ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. Cogit Nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda sollicitat, ut infra scriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archivo conservantur Ecclesiæ, recensentes, ipsius provideri quieti cautius studeamus. Sane felicis recordationis Innocentius

[1] aviam.

tius Papa Quartus prædeceſſor noſter culpas graves, imo graviſſimas ac multiplices, ac manifeſtos exceſſus quondam Friderici olim Imperatoris Romani propenſi maturitate conſilii, recta judicii cenſura dijudicans, eique ſecundum prava ſua opera reddens ipſum honore Imperii regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ ac Principatu Capuæ, generali ſuper hoc congregato Lugdunenſi Concilio approbante, ac juſtitia exigente privavit, prout in univerſalem mundi notitiam non eſt dubium devenisſe. Nec ab eadem creditur veriſimiliter alienum, qualiter Fridericus ipſe aucto ſuperbiæ ſpiritu (quanquam ſit digne depoſitus, juſte privatus) ſententiæ privationis hujusmodi prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, regnum & Imperium ſupra dicta poſt ejusdem prolationem ſententiæ occupata detinere præſumſit. Qualiter autem poſt jam dicti Friderici obitum, quondam Chunradus natus ejus paternæ malitiæ imitator dictum regnum præſumptuoſis auſibus occupavit, & tandem prædicto Chunrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus olim Princeps Tarentinus, ejusdem ut dicitur Friderici filius, qui etiam absque privatione prædicta non injuſte legitimæ ſucceſſionis participium perdidit (quia ipſum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione ſuſceptum) ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Gravibus igitur & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem injuriis irrogatis Eccleſiæ, ipſique in ſuis afflictæ multipliciter fidelibus, reſpexit Altiſſimus Sponſam ſuam, & convertens illi nubilum in ſerenum, ſceleſtam prædicti Friderici domum, quæ conſueverat quamvis malis abundare perſonis, ſic pene redegit in nihilum, ſic illam tactura multimodæ diſſipationis oppreſſit, ut de ipſa non niſi ſcintilla unica remaneret, Chunradinus videlicet Chunradi filius ſupradicti. Qui, cum in eo malitia ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuorum curricula nequitia ſuperaret; progenitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac eorum profanas iniquitates amplectens, mentisque ambitioſæ vitio Imperium expetens ſibi regimen intitulando Siciliæ, ſe ipſius regni Regem denominare temere præſumebat: & cum nonnullis Eccleſiæ inimicis Lonbardis, Tuſcis, Marchionibus, & Apulis, præcipue de regno profugis prælibata fraudulentis & implicando commerciis, in Urbe, Lambardia, Tuſcia, & per alia diverſa loca ſua diſſeminare litteras præſumebat, ſub expreſſione proprii nominis & præmiſſæ intitulationis temere ſigillo Regiæ Majeſtatis impreſſas, per quas commovere populum, concitare gentes ac turbare pacem Eccleſiæ nitebatur, in ipſius Eccleſiæ, ac kariſſimi in Chriſto filii noſtri Karoli Siciliæ Regis Illuſtris grave præjudicium ac diſcrimen. Unde piæ memoriæ Clemens Papa prædeceſſor noſter, cum ſibi de his evidentius conſtitiſſet, diligentius attendens multam ipſius Chunradini malitiam, & ſuorum conatuum perverſorum volens obviare principiis, certum habuit contra eum in hac parte proceſſum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas perſuaſit. Demum præfato Chunradino ſublato de medio, eidem regno pax rediit, & aurora tranquillitatis illuxit, ſedatis turbationis fluctibus quos ipſius Chunradini prava ſtudia ſuſcitaverant. Sed ſicut nuper non ſine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proterviæ ſpiritum aſſumentes, ad noſtram, nec non Eccleſiæ, denique Regis turbationem & ſcandalum aſpirantes, in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id ſua ſtudia, inique congerunt, ad id virtutum ſuarum potentiam coacervant, manus præſumptuoſas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur. Teſtatur hoc inter cætera horrendi ſceleris feriales immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi ſic debachatus eſt gladius, ferrum infremuit, furor incanduit, rabies inſanivit, manus truculenta deſæviit, quod (ſicut mœſtus rumor enuntiat) non ſuffecerit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, niſi & his quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris necarentur, trucidarentur innati, & deliteſcentibus in viſceribus genitricum impiæ præfocationis exitium inferretur. Quia igitur præfatum regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam ſpectare dinoſcitur, ſuique juris & proprietatis exiſtit, ac propter hoc Nos (quia unacum Eccleſia ipſa medullitus in hac parte conjungimur, & quaſi cujusdam acerbæ punitionis aculeo excitamur) volentes tam gravibus hujus [1] malorum initiis prout poſſumus obviare, ne tam horrenda principia convaleſcant; præſente fidelium multitudine copioſa, de fratrum noſtrorum conſilio, univerſos & ſingulos cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus, monemus attente diſtricte præcipientes eisdem, ne in prædicti regni vel ejus parte Nos, & eandem Eccleſiam, & præfatum Siciliæ Regem, qui prædictum regnum ab eadem tenet Eccleſia, per ſe vel per alium, aut alios moleſtent, ſeu impetant, aut perturbent occupando vel invadendo hoſtiliter, ſeu occupari vel invadi hoſtiliter faciendo, regnum ipſum, vel aliquam partem ejus. Præcipimus inſuper univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ſpecialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, civitatibus, communitatibus & univerſitatibus caſtrorum, villarum & aliorum quorumcunque locorum Italiæ, & maxime jurisdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, ne prædictis in occupatione vel invaſione hujus prorſus intendant, & ne cum armis vel ſine armis ad turbandum pacem in prædicto regno eodem Eccleſiæ Romanæ ac præfati Regis Siciliæ in eadem præſtent eis occupatione vel invaſione prædictis conſilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, & ne ſuper hoc ſocietatem, conjurationem aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Siqui autem contra monitionem & præcepta noſtra præmiſſa per ſe vel per alium, aut alios quoscunque dolo, fraude, arte vel machinatione fecerint, cujuscunque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut

[1] *l.* his. [2] *f.* hujusmodi.

ſtatus

ſtatus exiſtant, excommunicationis ſententia, A quam ex nunc in illos proferimus, ipſo facto ſe noverint innodatos. Civitates quoque & communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta noſtra prædicta quocunque dolo, fraude, ingenio, arte vel machinatione venire præſumpſerint, Eccleſiaſticæ ſententiæ, Interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus ſubjacere. Aperte quoque prædicimus Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quod ſi contra monitiones & præcepta noſtra præmiſſa vel eorum aliquod venire tentaverint, Nos eos omni Eccleſiaſticæ dignitatis honore, cæteros autem Clericos non prælationis officium, ſed dignitatis forſitan vel perſonatus, aut alia quævis Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, & obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout Nobis facti qualitas ſuggeret, & juſtitia ſuadebit; Laicis vero cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus, & præcipue jurisdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſubjectis denuntiamus expreſſe, quod ſi contra monitiones & præcepta noſtra hujusmodi per ſe, per alium ſeu alios temere veniendo ea non curaverint obſervare, Nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipſos fœdis & aliis omnibus, quæ a prædicta & aliis Eccleſiis ac perſonis Eccleſiaſticis obtinere noſcuntur, privare, & vaſſallos eorum quos habent, a fidelitatis juramento quo tenentur eisdem, reddere penitus abſolutos, & perſonis eorum citra mortis & mutilationis periculum expoſitis ad expoſitionem bonorum eorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorundem culpæ exegerint, & videbimus expedire. Cæterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla caſtra ſeu villæ illarum partium contra præfatum Regem Karolum, qui regnum ipſum ab eadem tenet Eccleſia, rebellionis ſpiritum aſſumpſiſſe dicuntur, Nos circa illa nolentes in hoc juris rigorem obſervare, ſed uti potius manſuetudinis lenitate, quam in actibus noſtris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab hujusmodi erroris initio paternis ſtudiis revocare; comitatibus, civitatibus & caſtrorum ac villarum prædictarum diſtricte præcipimus, ut ſublato cujuslibet difficultatis & dilationis objectu, ad noſtra mandata & Eccleſiæ ac Regis prædictorum redire procurent, eisdemque comitatibus diſtricte præcipimus, ne prædictos moleſtatores, turbatores, occupatores ſeu etiam invaſores, aut dantes eisdem in prædictis auxilium, conſilium vel favorem, in civitatem, caſtra & villas ſeu diſtrictus eorum quovis modo recipiant vel receptent, nec ipſorum, nec alicujus eorum dominio vel regimini quomodolibet ſe ſubmittant, neque ipſis, vel eorum alicui contra Nos & eandem Eccleſiam ac Regem prædictum in ea impendant in prædictis auxilium, conſilium vel favorem, publicum vel occultum. Nos enim confœderationes ſeu colligationes quaslibet inter communitates easdem, vel ipſos & quoscunque alios initas ſive factas ſuper occupatione ſeu invaſione prædictis penitus diſſolventes, ac juramenta de illis ſervandis, vel alio quocunque modo pro prædictis hinc inde præſtita relaxantes, omnino comitatibus ipſis aperte prædicimus, quod niſi præmiſſa curaverint quantocitius adimplere, contra eas & civitatem & caſtra & villas earum ſpiritualiter & temporaliter auctore Domino procedemus, quod pœna docente cognoſcere poterunt, quam ſit temerarium & ſuperbum mandatis Apoſtolicis contraire. Ut autem &c. Datum apud Urbem Veterem, in platea dictæ Eccleſiæ Majoris, in die Aſcenſionis Domini, Pontificatus noſtri anno Secundo.

MCCLXXXIII. Quam excommunicationem cum prædictus Rex Arragoniæ contemneret, Papa excitavit contra eum Philippum Regem Franciæ, qui cum multis milibus militum intravit Arragoniam. Sed præ multitudine muſcarum illius terræ & inopiam alimentorum, quæ etiam pro pecunia haberi non poterant, multi equi & homines perierunt: & ipſe Rex mortuus ibidem, reductus eſt Pariſius; & apud S. Dionyſium eſt ſepultus; cor autem ipſius Regis eſt apud Prædicatores Pariſius tumulatum. De qua diviſione individui plures Clericorum & Laicorum contra eosdem fratres, qui dicuntur illud obtinuiſſe precibus & exhortationibus, ſcandalizati ſunt. B

MCCLXXXIV. Fridericus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit: cui ſucceſſit Rudolfus Romanorum Regis Vicecancellarius. Qui licet a principio contra adverſarios ſui Epiſcopatus ſe validum propugnatorem oſtenderet; tamen ultimo ad timorem, qui non debuerat in virum conſtantem cadere, ſtatuta ſui Concilii, quod celebravit Wiennæ, revocavit. Eodem anno cives Ratisponenſes cœperunt ædificare antemuralia civitatis ſuæ; opus decorum & forte munimentum, & a Clero civitatis ejusdem pro eodem opere contributionem cum multa inſtantia exigebant. Sed Rudolfus Rex Romanorum eodem tempore, videlicet infra Paſca & Pentecoſten veniens Ratisponam, & proponente ſibi Heinrico Epiſcopo Ratisponenſi hanc exactionem cognoſcens, eosdem cives per ſe ipſum & Conſiliarios ſuos exhortatus, eſt & monuit, ut nihil a Clero ratione hujus operis exigerent; ſed eum conſueta & conceſſa a Deo & Romanis Principibus gaudere permitterent libertate. Renovaverat ſiquidem eidem Clero ad petitionem ejusdem Heinrici Ratisponenſis Epiſcopi nuper ante ipſum Franchenfurt quoddam privilegium olim Friderici Romanorum Imperatoris, quod incipit: *Ad decus & decorem*; & fere de verbo ad verbum in libro uſus feodorum eſt expreſſum, quod multam & maximam libertatem Cleri continet, pœnasque infligit graviſſimas his, qui contrarium eidem privilegio auſi fuerint attentare, quod privilegium in præſentia ſua per Heinricum Brixinenſem Epiſcopum eisdem civibus legi fecit. Unde ipſi cives ab eadem exactione ceſſaverunt, & permiſerunt usque adhuc Clerum gaudere debita libertate. C D

MCCLXXXV. Gotfridus Patavienſis Epiſco-

Epiſcopus, natione de Beſtvalia [1] obiit: cui A
ſucceſſit Wernhardus, dictus de Pranpach, ejus-
dem Eccleſiæ Canonicus: qui Beatorum Va-
lentini & Maximiliani corpora in humili loco
repoſita, in tumba honorabili de novo in me-
dio Eccleſiæ Patavienſis erecta decentius collo-
cavit, & incœpit reædificare de novo & bono
opere Eccleſiam Patavienſem.

MCCLXXXVI. Facta eſt quædam viſio
mirabilis in Clauſtro Griſei Ordinis Tripolis.
Monachus quidam dixit Miſſam coram ſuo Ab-
bate, & uno miniſtro præſente, & infra ablutio-
nem & communionem Miſſæ apparuit quæ-
dam manus ſcribens ſuper corporali in altari, in
quo prædictus Monachus corpus Domini con-
fecerat: Cedrus alta Libani ſuccidetur, & Tri-
polis in brevi deſtruetur, & Accaron capietur, B
& Mars ſuperabit Saturnum, & Saturnus inſi-
diabitur Jovi, & veſpertilio fugabit Dominum
apum, infra xv. annos erit unus Deus & una fi-
des, & alter Deus evaneſcet, & filii Iſrael a capti-
vitate liberabuntur, gens quædam veniet quæ
vocatur ſine capite. Væ tunc Clero & tibi
Chriſtianitas! navicula Petri jactabitur in vali-
dis fluctibus, ſed evadet, & dominabitur in fine
dierum. In mundo erunt multa prælia & ſtra-
ges magna & fames valida, & hominum morta-
litas per loca, & regnorum mutationes. Terra
barbarorum convertetur, Ordines Mendican-
tium & aliæ ſectæ quamplures annihilabuntur,
beſtia occidentalis, & leo orientalis univerſum
mundum ſubjugabunt, & tunc pax erit in toto
orbe terrarum, & copia fructuum per xv. an-
nos. Tunc paſſagium erit ab omnibus fideli-
bus commune ultra aquas congregatas ad ter-
ram ſanctam, & vincent, & civitas Jeruſalem,
gloriabitur, & ſepulchrum Domini ab univer-
ſis honorabitur, & in tanta tranquillitate nova
audientur de Antichriſto, & cætera Dei mira-
bilia. Ergo vigilate.

MCCLXXXVII. Rudolfus Rex apud
Herbipolim ſollemnem curiam habuit cum
Principibus Alamanniæ. Et eodem tempore
Johannes Tuſculanus Epiſcopus A. S. L. ibidem
celebravit Concilium, & quia multa onera &
graves expenſas volebat Clero imponere, a qui-
busdam Epiſcopis adverſus eum extitit ad Se-
dem Apoſtolicam appellatio, & propter hoc
ſua intentio & Concilium deſideratum ab eo D
eventum non habuit, & ipſe ſubito ad pro-
pria eſt reverſus. Intellexerat enim prius ab aliis
de morte Domini Papæ Honorii, qui prius di-
cebatur Jacobus Sabello: cui ſucceſſit frater
Jeronimus de Ordine Minorum Fratrum, &
vocatus eſt Nicolaus, de quo ſupra dictum eſt.
De quo non intellexi, quod Fratribus quon-
dam ſui Ordinis aliquas fecerit gratias ſpiritua-
les: & tempore ſuo noluit diſcutere quæſtio-
nes, quas Fratres Prædicatores & Minores con-
tra Epiſcopos habuerunt, ut per ipſum neutra
partium gravaretur. Quo mortuo vacavit Se-
des Apoſtolica propter diſcordiam Cardinali-
um plusquam tribus annis, & tandem hi Cardi-
nales (ut creditur) divino nutu concordave-
runt in quendam virum rectum & religioſum,

[1] Weſtphalia.

qui in cella ſua per xl. annos & amplius ſub Re-
gula Beati Benedicti ſtrenue vixerat, qui electus
Celeſtinus eſt vocatus. Et cum educeretur e
cella, nullum equum tunc, & etiam poſtea
aſcendere voluit, ſed tantum [1], exemplo Do-
mini venientis Jeroſolimam, equitavit, in via
& transeundo Dominus per eum miracula mul-
ta fecit. Qui licet miræ ſanctitatis exiſteret,
tamen adeo ſimplex erat, quod petentibus con-
cedenda & non concedenda conceſſit: & cum
conſervaret conſuetum ſilentium & abſtinen-
tiam, quod in clauſtro ſervaverat, propter in-
tolerabilem rerum curam teneri non potuit in
Papatu. Renuntiare eidem Præſulatui cogita-
vit, & cum ſapientum eſſet opinio, quod Papa
non poſſet cedere; talem conſtitutionem edi-
dit, quod Papæ poſſint cedere, tam præſens
quam futuri, dicens, quod de plenitudine pote-
ſtatis eandem conſtitutionem facere bene pos-
ſet. Qua facta ſtatim ceſſit, & electus eſt poſt
ipſum Benedictus Cardinalis, qui vocatus eſt
Bonifacius: qui ſtatim poſt creationem ſuam
omnes gratias & conceſſiones, quas prædeces-
ſor ſuus fecerat, revocavit, & omnis populus
propter evidentem ſanctitatem prædictum Ce-
leſtinum libenter habuiſſet pro Papa; ſed Do-
minus Bonifacius ipſum recluſit, ne ſcisma fie-
ret, ſi a populo raperetur. Poſt duos autem
annos idem Celeſtinus mortuus eſt, & dicitur,
quod Dominus per eum multa miracula ope-
retur, & ſepultus eſt in quodam Monaſteriolo
inter Anagniam & Florentinum.

C MCCLXXXVIII. Dux Brabantiæ devi-
cit auxilio civium Colonienſium, Archiepi-
ſcopum Colonienſem & Comes [2] de Gelerr,
ipſosque captivavit, & in eodem conflictu mul-
ti ſtrenui milites ſunt amiſſi. Eodem anno Ru-
dolfus Romanorum Rex Comitis Burgundiæ
rebellantis ſibi terram ingreditur cum exercitu: & licet Comes idem multorum de Picardia
& Flandria juvaretur auxiliis, tamen cum præ-
dicto Rege congredi non audebat, ſed per Du-
cem Burgundiæ ad gratiam & concordiam re-
diit cum eodem. Item eodem anno mota eſt
diſcordia inter omnes Archiepiſcopos, Epiſco-
pos & Prælatos & totum Clerum regni Franciæ
ex una parte; & Fratres Prædicatores & Mino-
res ex altera ſuper privilegio dato eis a Domino
Papa Martino, cujus tenor talis eſt:

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei di-
lectis filiis Miniſtro generali, & Provincialibus
Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum ſalutem &
Apoſtolicam benedictionem. Ad fructus ube-
res, quos in agro Dominico prædicando pari-
ter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per
alia virtutum exercitia, ſatis Ordo veſter, & hu-
milis ipſius Ordinis profeſſores produxerunt
hactenus, & ſperantur in futurum Deo auſpice
producturi, attentæ conſiderationis aciem con-
vertentes, ut Fratres ejusdem Ordinis prædi-
cationis & audiendi confeſſiones officia eo li-
berius & efficacius exequi valeant, quo certius
de ipſorum cura circa eadem de auctoritate
Apoſtolica conſtabit; tibi fili, Miniſtro gene-

[1] *Supple ex alio Chron. MSto Sulzburg.* Aſellum.
[2] *ſ.* Comites de Geldria.

rali per te, nobis [1] vero Provincialibus, vestris Capitulis congregatis, committendi auctoritate Apostolica Fratribus ejusdem Ordinis sacra pagina eruditis, examinatis & approbatis a Vobis prædicationis officium; audiendi vero confessiones, absolvendi pœnitentes, injungendi eis pœnitentias salutares etiam fratribus alias idoneis concedendi, eisdem quoque sæpe fati Ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concessa seu commissa fuerint, quod eadem libere valeant exercere; plenam damus & concedimus auctoritate præsentium facultatem: districtius inhibentes, nequis Fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, sive etiam committenda, in exercitio, sive in executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem, quod hi, qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis parochialibus Presbyteris confiteri saltem in anno semel, prout generale Concilium statuit, teneantur; quodque idem Fratres eosdem adhoc diligenter & efficaciter secundum datam eis gratiam a Domino exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem IV. Id. Januarii, Pontificatus nostri anno I.

Dicebant enim ipsi Prædicatores & Minores, quod confessi ipsis non tenerentur suis parochialibus plebanis eadem peccata in numero iterum confiteri; cujus tamen contrarium Archiepiscopi & Episcopi asserebant, per idem privilegium & Decretalem Extravag. *de pœnitentiis & remissionibus: omnis utriusque*, cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæstio per Doctores seu Magistros Theologiæ & juris Canonici multipliciter fuit Parisius disputata, & validissimis ostensum fuit rationibus, præcipue tamen per Magistrum Heinricum de Gandavo, quod eadem peccata in numero, quæ aliquis confessus fuerit Prædicatori vel Minori, vel alias privilegiato, teneretur iterato confiteri semel saltem in anno suo proprio Sacerdoti. Cujus tamen contrarium cum Fratres multis niterentur ostendere rationibus, tale consilium dederunt Magistri & sapientes Parisius a scholaribus requisiti: quod quamdiu hæc quæstio esset dubia Parisius, ubi magis quam alibi in mundo esset copia peritorum, tamdiu deberent confiteri suis parrochialibus Presbyteris, de quorum certa auctoritate nulli Sacræ Scripturæ vel Canonum sapientes dubitaverunt hactenus, qui in locum septuaginta duorum Discipulorum, sicut Episcopi in locum Apostolorum, certissime successerunt. Tandem super eadem quæstione omnes Archiepiscopi, Episcopi & totus clerus regni Franciæ sollemnes nuntios cum aliis viris sapientibus ad Sedem Apostolicam transmiserunt, & quilibet eorum centesimam partem omnium reddituum & proventuum Ecclesiasticorum contribuit eisdem nuntiis pro expensis. Sed Dominus Nicolaus Papa, quamvis assumptus esset de Ordine Fratrum Minorum, quæstionem eandem pro neutra parte voluit terminare, unde remanet usque hodie, quod hæc scriptura sit in suspenso. Eodem etiam tempore venit quidam Parisius de Arabia homo provectæ ætatis, qui promittebat se per quasdam figuras non artis notoriæ brevi tempore omne scibile scholaribus traditurum. Qui cum a Magistris & Cancellario examinaretur, apparuit de quæstionibus cujusque scientiæ probabiliter respondere. Tamen quia in traditione suæ scientiæ modum Philosophicum non habuit, a scholaribus suis breviter est relictus, & sic suæ scientiæ evidens vestigium Parisius non reliquit.

Eodem anno & tempore Judæi in Pacharat, Diœcesis Herbipolensis, quendam bonum & devotum hominem, Christianum Wernherum [1] nomine, occulte occiderunt, ab eo sanguinem, quo mederi dicuntur, tanquam in torculari multa violentia expressérunt: qui tandem in eodem loco multis miraculis dicitur claruisse. Eodem anno Judæi in Monaco civitate, Frisingensis Diœcesis, puerum quendam pro simili causa occiderant: propter quod populus ejusdem civitatis non expectato judicio vel sententia, omnes Judæos illius civitatis in domum unam confugientes ignibus suppositis concremavit. Eodem etiam anno translatum est corpus beati Virgilii per Dominum Rudolfum Archiepiscopum Salzburgensem, VII. Id. Nov. in Concilio, quod eodem tempore per eum extitit celebratum, cooperantibus sibi Suffraganeis suis, videlicet Domino Emicho Frisingensi, D. Hainrico Ratisponensi, D. Wernhardo Pataviensi, D. Gurcensi Hertnido, D. Chunrado Chyemensi, D. Wernh. Seccoviensi, D. Chunrado Laventino.

MCCLXXXIX. Dominus Rudolfus Romanorum Rex iterato contra Comitem Burgundiæ triumphavit.

MCCXC. Cum Albertus Dux Austriæ cum Chunrado Salzburgensi Archiepiscopo discordaret, & ex utraque parte sibi damna gravia intulissent; idem Archiepiscopus confœderavit sibi Ottonem Ducem Babariæ, & una cum prædicto Duce Karinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere; sed tandem eos redire infecto negotio densitas nivium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Karinthiæ, cujus liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata: super qua reformatione Hainricus Ratisponensis Episcopus una cum Ludvico Duce Babariæ sollicite laboravit. Qua concordia durante vix ad tres annos vel paulo plus, Dux Austriæ obsedit opidum Rastat ad duos menses vel modicum amplius: a qua obsidione tandem propter inopiam victualium, quæ per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia Dux Otto cum exercitu usque in Salzburgam processerat contra ipsum. Eodem anno Dominus Hainricus Dux Babariæ

[1] *l.* vobis.

[1] *i.* Wernhero.

bono

bono fine & multa contritione moritur apud Purchauſen, & pro omnibus, in quibus ſe timuit Eccleſiaſticas perſonas ſeu Eccleſias, ſeu quoscunque alios indebite offendiſſe, conſtituit in præſentia & cum conſenſu filiorum ſuorum Dominum Hainricum Ratisponenſem Epiſcopum, & fratrem Wernherum Lectorem Fratrum Minorum Ratisponæ indemnitati læſorum & ſaluti ſuæ animæ providere. Sepultus eſt autem in Lantzhuot II Non. Februarii in clauſtro Dominarum. Ordinavit autem, quod duo filii ſui, videlicet Dominus Ludewicus, & Dominus Stephanus per quatuor annos continuos permitterent terram Babariæ ſubeſſe Dominio & ordinationi Domini Ottonis ſenioris fratris eorum, nec ad aliquam diviſionem vel partitionem terræ illis quatuor annis durantibus deberent procedere, & hoc confirmatum extitit ipſorum fratrum ac nobilium patriæ juramentis. Eodem anno III Non. Aug. mortuus eſt Dominus Rudolfus Salzburgenſis Archiepiſcopus: & Dominus Stephanus, filius Domini Heinrici Ducis Babariæ, eſt in Archiepiſcopum concorditer poſtulatus. Sed Dominus Papa hanc poſtulationem propter defectum ætatis ipſius, qui jam XXI annos habuit, non admiſit. Deputavit autem in Archiepiſcopum ejusdem Eccleſiæ Dominum Chunradum Laventinum Epiſcopum, qui una cum aliis nunciis in prædicta poſtulatione fuerat, ipſumque confirmavit, pallium ei, per quod notatur plenitudo Pontificalis officii, aſſignando.

MCCXCI. Civitas Akkaron, quam ſolam habebant Chriſtiani in terra Sancta, obſeſſa eſt per Soldanum Babyloniæ, & per XL dies & noctes ſine intermiſſione impugnata capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum milia & capta & occiſa ſunt, aliqui autem per navigium fugerunt. Et quia multorum erat opinio, quod ſi Fratres Domorum, ſcilicet Hoſpitii, Templi & Teutonicæ & reliquus populus omnino concordaſſet, civitas capta non fuiſſet; mandavit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Prælatis, ut Concilia provincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel conſilio eidem terræ poſſet ſubveniri. Et per concilium habitum Salzburgæ reſcriptum fuit Domino Papæ, & conſultum, ut prædicti tres Ordines counirentur ad unum Ordinem, melioribus eorum obſervantiis in unum redactis: & quod ad ſuccurſum ejusdem terræ ſanctæ Rex Romanus cum Principibus vocaretur. Qui nuntii antequam veniſſent ad curiam, Papa mortuus eſt, & ſic hoc negotium remanſit infectum. Eodem anno venit Dominus Chunradus Archiepiſcopus, datus per Papam de curia, in die Dedicationis Eccleſiæ Salzburgenſis. Eodem etiam anno obiit Wernherus Epiſcopus Seccovienſis, circa feſtum Nativitatis Domini. Eodem anno XVIII Kal. Auguſti mortuus eſt Rudolfus Romanorum Rex, & ſepultus eſt in Spirea, regnavitque annis XVII in Alemannia, & Italiam non intravit. Poſt quem infra tempus VI menſium electus eſt Adolffus Comes de Naſſawe in Romanorum Regem, miles militum ſtrenuus.

MCCXCII. Dominus Chunradus Epiſcopus Chyemenſis obiit Wiennæ, IV Id. Januarii, qui corpus ſuum in Salzburgam deduci fecit ad Concilium, quod Dominus Chunradus ibidem celebravit: in quo etiam per Epiſcopos, qui aderant, honorifice eſt ſepultus. Eodem anno Heinricus Præpoſitus Salzburgenſis, factus eſt Epiſcopus Secovienſis: cui ſucceſſit Fridericus Decanus ejusdem Eccleſiæ de Mitterchiren [1] per electionem, in vigilia Palmarum. Eodem etiam anno ad Eccleſiam Chyemenſem datus eſt Dominus Fridericus Præpoſitus Chyemenſis pro Epiſcopo.

MCCXCIV. Adolfus Romanus Rex terras Duringiæ & Mixinenſem rebellantes ſibi intravit: & duobus annis manens ibidem expugnavit easdem, & nepotes olim Friderici Imperatoris, perſecutoris Eccleſiæ, qui terras occupaverant, ejecit penitus ab eisdem. Poſtquam enim civitatem in Freiberg obtinuiſſet, caſtrum quod in eadem civitate extitit, ſubfodi latenter præcepit: & congregatis ibidem majoribus adverſariis Regis & fortioribus, muri ejusdem corruerunt. Et idem Rex cum ſuis eandem ruinam præſciens, ſubito impetu omnes, qui in caſtro fuerant, captivavit: inter quos ſexaginta viros, qui magis nocentes fuerant, proſcriptos antea ſicut hoſtes Imperii in continenti decapitari præcepit, aliis ad petitionem ſuorum Nobilium pro tempore reſervatis. Quod factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum deſertis caſtris fugierunt: & ipſe Marchio Mixinenſis, cui adhuc civitas & caſtrum in Mixina cum paucis caſtellis remanſerat, ſe ipſius Regis gratiæ ſubdidit; ut Rex illis parceret, quos de Servitoribus ſuis in ſuis vinculis detinebat. quod & factum eſt, & ſic pax eidem terræ rediit. Ipſe enim Marchio præter alia mala, quibus terram turbaverat, Epiſcopum & Canonicos Mixinenſes a ſuis habitaculis & rebus ejecerat, & horreum fæni pro equis ſuis fecerat de Eccleſia Kathedrali.

Eodem anno orta eſt diſcordia inter Regem Franciæ ex una parte, & Eduardum Regem Angliæ ex altera: & Adolfus Romanorum Rex plus favens Regi Angliæ repetivit a Rege Franciæ regnum Arelatenſe; & quasdam alias terras & provincias, quas dicebat eſſe Imperii, inſuper & ſpineam Coronam Domini: quas niſi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere, demandavit; & ob hoc multi nobiles, ſicut Comites Flandriæ, & de Bar, & alii ſe eidem Regi Franciæ oppoſuerunt, qui ei antea conſueverunt adhærere. Propter quod prædictus Rex Franciæ anno Domini MCCXCVII eduxit ſuper eosdem Comites adeo magnum exercitum, quod in eo præter Chriſtianos bellatores dicebantur plusquam triginta milia Judæorum, quos etiam primi belli auſpiciis exponere cogitabant. Eodem anno mortuus eſt Ludewicus Comes Palatinus Reni Dux Babariæ in partibus Reni apud Haideberch, pridie Kal. Februarii, in ea camera, ubi natus fuerat, ut dicitur, & reliquit duos filios, videlicet Rudolfum & Ludwicum; quorum primogenitus,

[1] *aliud Chron. Salzburg. MS.* Mitterchirchen.

ſcilicet Rudolfus duxit in uxorem filiam Adolfi Romanorum Regis.

MCCXCV. In die Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum obſeſſum fuit oppidum in Raſtat per Dominum Albertum Ducem Auſtriæ, poſt vero Regem Romanorum, qui poſtea in die Beatæ Margaretæ eodem anno a prædicto oppido infecto negotio retroceſſit.

MCCXCVI. VII Kal. Aug. Heinricus Ratisponenſis Epiſcopus, filius Comitis de Rotenek, moritur. Poſtquam enim in die beati Jacobi Apoſtoli, quem ſpeciali conſuevit venerari honore, cum multa devotione Miſſarum ſollemnia perſonaliter celebraſſet, & cum Clero [1] populo ſe in menſa refeciſſet; hora veſperarum incepit ſubito viribus corporis deſtitui, & ſic in die altera expiravit. Qui miræ providentiæ & ſagacitatis extitit, in tantum etiam quod anniverſarium ſuum vivus & ſanus plusquam ad XIIII annos ante mortem ſuam inſtituit, & ejusdem celebrationem [2] cum candelarum accenſione & pulſatione, quæ conſuevit fieri in funere Epiſcopi, vigiliis & Miſſis annis ſingulis interfuit. Et ſepulchrum ſimiliter ſibi longe ante ad XII annos fabricavit, & prævidit [3] juxta altare Beatæ Virginis, in majori, veteri tamen Eccleſia Ratisponenſi. Trucam etiam, in qua ſepeliri debuit, cum veſtibus funeralibus ibidem impoſitis, in memoriam continuam mortis ſuæ per eosdem annos habuit locatam a latere lecti ſui. Item in ſpiritualibus mirabiliter providus extitit, non ſolum vetera ſtatuta ſervando, imo & multa nova ſalubriter condendo. Muſicam primus in choro Ratisponenſi cantari ordinavit, libros ejusdem artis ſecundum cantum & chori conſuetudinem providendo. Eccleſiam Ratisponenſem etiam multis pretioſis decoravit ornamentis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis pretioſis inſertis, cappis, caſulis, Dalmaticis, vexillis, cortinis, libris, & aliis quibus fuit ante ſua tempora quodamodo omnimodis deſtituta. Item primus Latinum vinum Canonicis ad præbendam certis temporibus dari inſtituit, præbendam etiam eorum in multis auxit. Monaſteria Monachorum & Monialium ſæpe cum multa providentia viſitavit. Et invenire non poſſum quid ei in temporalibus & ſpiritualibus defuerit: qui tempore ſuo a Deo diſcordantium factus eſt reconciliatio, quod non ſolum Babaria, imo & vicinæ terræ per ſuam induſtriam & laborem pacis pulchritudine floruerunt. Rexit autem Ratisponenſem Eccleſiam XIX annis. Eodem anno in die beati Petri ad vincula electus eſt Ratisponæ in Epiſcopum Dominus Chunradus de Luppurch Vir ingenuus, tunc Ratisponenſis Præpoſitus, in manſuetudine & pietate etiam Moyſi coæqualis.

MCCXCVII. Navale bellum habitum eſt inter Venetos ex una parte, & Januenſes ex altera: & victis Venetis XXX milia perierunt, armis & mari, & captivi a Januenſibus ſunt abducti.

Item anno MCCXCVII. Adolfus Rex Romanus præparans ſe cum militia ad invadendum Regem Franciæ impeditur: quia Maguntinus Archiepiſcopus, Wentzeslaus Rex Boemiæ, Albertus Dux Auſtriæ & Stiriæ, duo Marchiones de Pramburg [1], & Dux Saxoniæ congregati in die Pentecoſtes, quo idem Rex Boemiæ per Dominum Maguntinum coronabatur Pragæ, condixerunt diem; quo apud Egram convenire deberent, ut contra prædictum Regem Romanorum conſpirationis ſuæ intentum perficerent. Sed per potentiam ipſius Regis impediti, in loco condicto non poterant convenire; ſed apud quoddam opidum Boemiæ, nomine Chadan, convenerunt prædicti ſine Archiepiſcopo Maguntino, qui per militiam Regis obſeſſus in quodam caſtro, eſt a ſuo itinere retardatus: & ob hoc eorum Principum, qui ſe dicebant alium Regem velle eligere, machinatio in ridiculum eſt converſa. Eodem anno Rex Franciæ congregatis quaſi omnibus viris ſuis, & exercitu magno valde, in quo dicebantur eſſe præter alios bellatores multa milia faleratorum equorum, intravit comitatum Flandriæ, & in odium Regis Angliæ, cujus filiam Comes Flandriæ habuit in uxorem, obſedit civitates ejusdem terræ, videlicet Prukk, quam etiam cepit, & quasdam alias. Eodem anno mortuus eſt Rimboto Eyſtetenſis Epiſcopus: cui ſucceſſit Chunradus, dictus de Peffenhauſen, Ratisponenſis Eccleſiæ Canonicus & Archidiaconus, vir multæ induſtriæ & ſagacitatis. Eodem anno civitas Ratisponenſis per Ottonem & Stephanum Duces Babariæ impugnatur, & prohibentur per eosdem ad eam deduci victualia, unde & cives forum in Abbach exuſſerunt, tandem per diligentiam Domini Chunradi Ratisponenſis Epiſcopi cum ipſis Dominis Ducibus ad gratiam & concordiam redierunt.

MCCXCVIII. Circa medium quadrageſimæ Albertus Dux Auſtriæ, filius quondam Rudolfi Romani Regis, cum favore Ottonis & Stephani Ducum tranſivit Babariam cum exercitu, habens ſecum quosdam Auſtrales, paucos tamen Ungaros, etiam Boemos: & ad partes Reni veniens per auxilium Maguntini Archiepiſcopi, & Argentinenſis & Conſtantienſis Epiſcoporum, & quorundam nobilium ibidem majorem fortitudinem collegit, & contra Adolfum Romanum Regem ad bella ſe expoſuit. Qui Rex illuſtrium Principum Ottonis prædicti, & Rudolfi Comitis Palatini Ducum Babariæ, & quarundam civitatum Imperii, utputa Spirea, Wurmacia, & [2] auxiliis juvabatur, eidem Alberto Duci Auſtriæ, qui jam ſibi nomen Regis aſſumſerat, poſt multos circuitus hinc inde habitos, in loco, qui dicitur Haſenprenhel [3], cum præpropera feſtinatione, quæ in rebus bellicis & magnis exercitibus non expedit, occurrit in die Proceſſi & Martiniani. Et prædictis Ducibus Babariæ dimicantibus in prima acie; per novum bellandi genus, ſcilicet gladios præacutos, omnes eorum dextrarii ſunt occiſi, adeo ut & ipſi Principes Babariæ unacum multis ſuis nobilibus equis privati, ſed adhuc animi virtute non fracti ſuper interfectorum hominum &

[1] *de eſſe videtur &* [2] *al.* celebrationi. [3] *f.* providit.

[1] *al.* Brandenburch. [2] *Supple* aliarum. [3] Haſenpuhel.

equo-

equorum ſtantes cadavera, longo tempore cum hoſtibus dimicarent: propter occiſorum enim equorum aggerem hoſtes equites quo ſ. accedere non valebant: quia & ipſi vice verſa per ſimilem ſtragem perdiderunt ſuos equos. Prima igitur ſic dimicante acie, ipſe Rex Adolfus volens cum ſua turba eis ſuccurrere, & præcedendo ſuam aciem ordinare, equo ſuo cadente ex infortunio ante ingreſſum ad bellum cecidit, & ab eodem equo graviſſime eſt concuſſus, adeo ut cum a ſuis reſtitueretur in equo, minime ſui compos eſſet; & ſic amens ad bellum veniens, quia & galeam præ debilitate recente ferre non potuit, & hoſtibus ſe expoſuit minus caute, ſubito eſt occiſus: prædictis adhuc Ducibus Babariæ locum ſuum tenentibus, ut eſt dictum, ſed Rege mortuo ipſi Duces ſe apud Haidelberch receperunt. Attamen Otto Dux erat tribus gravibus vulneribus ſauciatus, in tantum quod mortis periculum vix evaſit. Qui etiam Otto Dux ut [2] prædictum Regem ſequeretur ad partes Reni, & caſtra metatus eſt [3]; Comes Albertus de Hairloch, avunculus Alberti Ducis Auſtriæ, ipſum Ottonem Ducem improviſe invaſit cum longe majori equitum & peditum copia, quam idem Dux habuerit illa hora: de quo tamen idem Dux, ipſo Comite & fere cccc de ſuis occiſis, triumphavit. Dicitur etiam, quod in ipſo conflictu Regis & Ducis pauci homines, ſed mille cccc dextrarii ſunt occiſi. Poſtmodum vero Rege ſepulto apud Monaſterium Roſen [4], ejusque filio capto, Electores Imperii præfatum Albertum Ducem Auſtriæ in Regem Romanorum apud Franchenfurt unanimiter elegerunt.

Item MCCXCVIII. Civitas Patavienſis, ſe Domino ſuo Patavienſi Epiſcopo Wernhardo oppoſuit, & tam Epiſcopus quam Canonici civitatem exeuntes, eam per excommunicationem in certas perſonas, & interdictum in locum ſpiritualiter: & etiam per machinas a monte S. Georii, & aliis modis, licet non multum fortiter, eosdem cives civiliter impugnarunt. Volebant enim prædicti cives habere Magiſtrum civium, conſules & rectores civitatis a ſe electos, & ſigillum ſpeciale, & campanas jam erexerant ad eorum conſilium convocandum; & ſic intendebant more Regalium civitatum, utpote Ratisponenſis, non regi mandatis Epiſcopi, ſicut ante conſueverant, ſed propriis rectoribus & Magiſtro: Et ſuper prædicta diſcordia tam ipſe Epiſcopus, quam civis Albertum Regem in curiam, quam celebravit apud Nurenberch, acceſſerunt ſuas querimonias proponentes. Prædictus vero Rex non per formam judicii, ſed per arbitrium eosdem cives cum Epiſcopo concordavit, ita videlicet, quod Sigillum & campanas Domino Epiſcopo tradiderunt, quarum campanarum una etiam hodie in Eccleſia S. Stephani Pataviæ habetur. Promiſerunt autem Prædicti cives memorato Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, fideliter de cætero obedire, nec ſimilia attentare, & inſuper coacti ſunt dare duo milia librarum Patavienſium pro emenda. Eodem etiam anno exorta eſt fama quædam de Judæis, quod Corpus Dominicum in mortario contuderint, & ſanguis in multa quantitate emanaverit, qui poſtea a Judæis non potuit occultari: & ob hoc omnes Judæi in Herbipoli, Nurenberch, Rotenburch, & etiam per totam Franconiam per inſultum populi, & quosdam qui ſe in magna multitudine collegerant, & quendam, qui Rintflaeſch dicebatur, quem pro Principe elegerant volentium vindicare tam recentem injuriam Salvatoris, incendio ſunt cremati. Et adeo valida fuit perſecutio eorum, quod etiam caſtrum Regale in Nurenberch, caſtrum prope Novum Forum (ut de aliis opidis Franconiæ taceam, in quibus ſe Judæi cum armis defenſionis conjunctis Chriſtianis non pauci receperant.) ſint in brevi dierum ſpatio expugnata, & tam ipſa caſtra, quam Judæi & Chriſtiani ibidem incendio perierunt. Et (quod durum eſt dictu, licet durius ſit factu) Judæi ſeniores timentes, ne pueri & fœminæ baptiſmum, ut ignem evaderent, peterent; eos propriis manibus ante eos ignibus ſubjecerunt, & ipſimet poſtmodum inſiluerunt; in ignem: arma etiam & pecuniam, ne Chriſtianis cederent, prius, quam ſeipſos flammarum voragini tradiderunt. Et apud Babenberch, & etiam Emberch [1] contigit illud idem. Cives tamen Ratisponenſes ſuam volentes honorare civitatem, ipſos Judæos absque judicio occidi & deſtrui vetuerunt, dicentes, quod voluntati Dei in Judæorum interfectione nollent reſiſtere; ſed expectare, donec de hoc, quod hæc vindicta eſſet a Domino, eis fieret major fides: & ſic Judæi Ratisponenſes, licet cum multa difficultate, usque hodie incendium evaſerunt.

MCCXCVIII. Albertus Rex Romanus celebravit curiam ſollemnem cum Principibus Alemanniæ apud Nurenberch, cui interfuerunt Colonienſis, Treverenſis, Moguntinus & Salzburgenſis Archiepiſcopi, & Ratisponenſis, Patavienſis & Friſingenſis, & alii Epiſcopi multi: item Rex Boemiæ, Dux Babariæ, Rudolfus Comes Palatinus Reni, Duces Karinthiæ, & alii nobiles multi. Et in eadem curia edixit leges, quæ inferius continentur: & filium ſuum primogenitum Rudolfum pro Duce Auſtriæ deputavit, cui etiam poſtmodum, videlicet anno MCCCI filiam Philippi Regis Franciæ, nomine Blanza [2], natam ex filia Ducis Brabantiæ, uxorem copulavit, & ad terram Auſtriæ eſt deducta. Circa idem tempus Bonifacius Papa fecit, & ad generalia Studia ſub bulla transmiſit ſextum librum Decretalium, in quo multa, quæ antea erant in ſcholis & judiciis ambigua, declaravit, & duos Cardinales depoſuit, ut patet clarius in eodem. Item controverſias & materias quæſtionum inter Epiſcopos, Prælatos & Clerum ex una parte, & Fratres Prædicatores & Minores ex altera, quæ jam per plures annos ſuſcitatæ duraverant, & de quibus ſuperius dictum eſt, 3.

MCCC. v. Kal. Julii Otto & Stephanus Duces Babariæ fere cum cc nobilibus terræ apud

[2] *f.* eo. [3] *aliud Chron. MS. Salzburg.* cum [3] *l.* eſſet. [4] *al.* Roſental.

[1] *f.* Amberg. [2] *al.* Blanca. [3] *deeſt in Cod.* decidit, *aut hujusmodi.*

Lantzhuot gladiis militaribus accinguntur: & memoratus Stephanus Dux priori anno duxerat in uxorem Dominam Jeutam filiam Polconis Ducis Poloniæ. Eodem anno mortuus est Andreas Rex Ungariæ ſine hæredibus, & Bonifacius Papa deputavit pro Rege ibidem nepotem Karoli quondam Regis Siciliæ, natum ex filia Rudolffi quondam Romani Regis: qui etiam anno ſequenti eſt in Strigonia coronatus, licet Rex Boemiæ pro Wentzeslao filio ſuo [1] idem regnum, & etiam multi alii aſpirarent. Eodem anno Bonifacius Papa IV. [2] motus multorum querulantium clamoribus, pro bono pacis concordiæ Cleri ex una, & Fratrum Prædicatorum & Minorum ex altera parte, fecit conſtitutionem quándam, quæ incipit: *Super Kathedram*, & infra hoc libello cum aliis conſtitutionibus & litteris continetur. Unde cum hæc conſtitutio publicaretur per Salzburgenſem provinciam, & clerus & populus eam deſideraret in omnibus ſuis articulis obſervare; ipſi Prædicatores & Minores eandem conſtitutionem adtendere non curabant: propter quod Chunradus Salzburgenſis Archiepiſcopus, habito conſilio ſuorum Suffraganeorum, miſit nuntios ad Romanam curiam, qui tandem a Domino Papa obtinuerunt declarationem ejusdem conſtitutionis.

MCCCI. Orta eſt diſcordia inter Albertum Romanum Regem ex una parte, & Colonienſem, Treverenſem, & Maguntinum Archiepiſcopos, & Rudolfum Comitem Palatinum Reni ex altera; & tandem ad concordiam redierunt. Eodem anno Chunradus de Luppurch ſine liberis moritur, & caſtrum Luppurch cum pertinentiis ſuis ad Dominum Chunradum Ratisponenſem Epiſcopum, fratrem prædicti Chunradi, tanquam ad verum hæredem devolvitur, & ab eo Ratisponenſi Eccleſiæ perpetuo donatur. quod etiam caſtrum multis ſumptibus & laboribus eſt obtentum.

Eodem anno cum Rex Franciæ captivaſſet Comitem Flandriæ & filios ejus, & totam ſibi Flandriam ſubjugaſſet; iidem Flandrenſes poſt aliquod tempus, occiſis cuſtodibus eis deputatis, eidem Regi Franciæ rebellare cœperunt: propter quod Rex nobiliores & fortiores regni ſui miſit, ut de Flandrenſibus ſumeret ultionem. Ipſi autem Flandrenſes exeuntes eis obviam, in campo prope Brux [3] habuerunt victoriam de eisdem. Fecerant enim prædicti Flandrenſes quasdam foveas occultas in campo, ubi ambo exercitus congredi debebant, quas exercitus Regis Franciæ ignorabat: & ſic in paratum eis præcipitium corruerunt, & occiſa ſunt ex iis, & ſubmerſa plusquam XL Comites, & fere quingenti famoſi milites, præter mediocres alios bellatores. Duravit autem diſſenſio per quatuor annos & amplius, & Flandrenſibus proſpere ſucceſſit, & plures poſtmodum victorias habuerunt.

MCCCII. Papa Bonifacius miſit Regi Franciæ quasdam litteras & nuntios, monens eum, ut ab offenſione Cleri deſiſteret, & monetam, quam fabricari de novo in præjudicium regni fecerat, immutaret. Idem autem Rex prædictos nuntios Papæ infra XV dies mandavit exire terminos regni ſui; alioquin contra perſonas eorum procederet, nimis dure præcipiens per totum regnum ſuum ſub pœna capitis & omnium bonorum confiſcatione, ne aliqua perſona, parva vel magna, litteras Domini Papæ reciperet, publice vel occulte, ponens cuſtodes in omnibus finibus regni ſui, ne aliquis poſſet importare litteras vel mandatum Papæ, & ne aliquis Prælatorum exire poſſet, vel ad Papæ præſentiam litteras deſtinare. Papa Bonifacius tunc omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & majoribus Prælatis, & Magiſtris Theologiæ Juris Canonici & Civilis oriundis de regno Franciæ, ut ipſum Romæ accederent circa feſtum omnium Sanctorum, [1]. Sed ipſe Rex, volens eos ab hoc itinere retardari, fecit Pariſius in Eccleſia Beatæ Mariæ publicari Parlamentum, mandans, ne ad ipſum Papam aliquis Prælatorum vel Epiſcoporum accederet, cum equis, veſtibus vel pecunia, quo volebant (ut dixit) regni ſui terminos ſpoliare: dicens, quod Papa hanc collectionem fecerat lucri cauſa. Et ſuper his & aliis miſit ſex nuntios ad cætum Cardinalium, non ad Papam, ſignificans eis, quod ſecundum mandatum Papæ non poſſet facere: quia ſi omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos a regno permitteret recedere, non eſſet jam, tanquam concuſſis columnis Eccleſiæ, qui conſecraret chriſma, vel ordinaret Clericos, vel miniſtraret Eccleſiaſtica Sacramenta: & ſi Magiſtri Theologiæ a regno Franciæ recederent, jam non inveniretur aliquis, qui periculoſis hæreticorum quæſtionibus reſponderet: affirmans ſimiliter de Magiſtris Juris Canonici & Civilis, quod per eorum abſentiam indiſcuſſæ manerent omnium litigantium quæſtiones; & ex hoc nollet, quod regnum Franciæ tam pretioſis xeniis privaretur. Ad quæ omnia Papa reſponderi fecit, quod ipſe non intendebat eosdem Prælatos & Magiſtros in curia ſua perpetuo detinere; ſed habito eorum conſilio ſuper ſtatu regni Franciæ, eos eſſet in brevi tempore ad propria remiſſurus; & ſic ſine intento fine a Romana curia receſſerunt.

Eodem etiam anno venerunt ad Romanam curiam nuntii Regis Tartarorum, moribus & habitu nobis ſacra [2] diſſimiles; & primo certificaverunt Papam de legatione ſua; deinde articulos fidei pleni confeſſi ſunt per interpretem coram eo; poſtmodum vero petierunt nomine Regis ſui, ut, cum ipſe Rex vellet terram Sanctam a Soldano eripere propriis laboribus & expenſis, & eam reſtituere cultui Chriſtiano; ipſe Papa transmitteret ad eandem terram milites, qui defenſarent eam ab impugnationibus paganorum; & Epiſcopos & Clericos, ut prædicarent fidem & docerent, item agricolas, ut terram colerent ſupradictam. Cui petitioni Papa annuit, promittens, eos velle transmittere, cum primo ſibi adeſſet oportunitas: & Regi eorum auream crucem miſit, dans ei eandem Crucem in ſignum ſuſceptæ fidei; & in re-

[1] *Supp.* ad [2] *l.* VIII. [3] *f.* Brugg.

[1] *deeſt* mandavit. *aut ſimile quid.* [2] *in alio Chron. MS. Salzburg.* ſatis.

miſſio-

missionem peccatorum omnium, ut terram sanctam restitueret cultui Christiano.

MCCCIII. Prædicto Bonifacio Papa manente cum curia sua in Anagnia circa festum Beati Michaelis, quidam de Anagnia & Serra de Columna ipsum invaserunt. Capta domo sua, omnibus servitoribus suis fugientibus, irruerunt super eum, & unus ei dixit: Tu vilissime hæretice, modo tu es in potestate nostra, & de te quidquid voluerimus faciemus. Et ipse Papa sedens in sede sua cum Papali ornatu, tenensque in manu crucem, cui erat Dominica imago infixa, talia intrepide respondisse fertur: Ego non sum hæreticus, sed pater tuus fuit hæreticus, &, sicut constat, fuit & pro hæresi condemnatus. Et tandem idem Serra de Columna, & sui complices detinuerunt eundem Papam captum in camera sua per tres dies sine cibo & potu, & thesaurum Ecclesiæ abstulerunt. Sed postmodum per cives Anagnienses liberatus est, & veniens Romam parvo tempore supervixit, sicut hæc omnia clarius patent in quadam littera, quæ incipit: *Flagitiosum scelus*, & inferius continetur. De prædicto Bonifacio fecit quidam hos versus:

Nomina bina, bona, tibi sunt, præclarus amictus
Papa Bonifacius modo, sed quondam Benedictus.
Ex re nomen habe: benefac, benedic Benedicte;
Aut cito perverte: malefac, maledic maledicte.

Eodem anno mortuo Bonifacio Papa electus est in Summum Pontificem Frater Nicolaus de Ordine Prædicatorum Episcopus Hostiensis, & vocatus est Benedictus, qui favore Fratrum Ordinis sui multa, quæ prædictus Bonifacius Papa pro concordia Cleri ex parte una, & Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordinum ex altera statuerat, repentino consilio retractavit, ut patet infra: *Inter cunctas sollicitudines nostras* in littera, quæ inferius cum aliis litteris continetur. Eodem anno Albertus Romanorum Rex veniens ad impugandum Regem Boemiæ Wenzeslaum, castra metatus est prope Ratisponam, apud ripam Regem [1], & tandem transiens civitatem Ratisponensem, & de promissu [2] Ottonis Ducis Babariæ rapinis & incendiis non modica inibi damna fecit: & processit versus Austriam, euntibus secum in exercitu Salzburgensi Archiepiscopo, Frisingensi, Ratisponensi, Patavienſi, Augustensi, Spirienſi, Herbipolensi Episcopis; Ottone & Rudolfo Ducibus Babariæ; de Hirsperch, de Oetting, de Wirtenberg, de Hayerloch, de Hohenloch Comitibus, & aliis pluribus. Veniens igitur in Lintz per navigium, transivit cum toto exercitu Danubium, & intravit Boemiam, & in eadem terra processit hostiliter usque ad argentifodinam, quæ dicitur Chutten, intendens eundem locum, qui abundat divitiis, expugnare. Mansit autem in obsidione illius ad quatuor dies, & tandem ab inde recessit, nulla impugnatione ibi facta, & per aliam viam cum exercitu in Austriam est reversus. Traxerat enim moram in Boemia ad sex septimanas, vel paulo minus, & nullum castrum, imo nec civitatem aliquam expugnavit: quia Rex Boemiæ munitiones suas militum & bellatorum multitudine & alimentorum copia abunde munierat, ita quod sine multa strage non poterant obtineri: & Romanorum Rex expectans cottidie cum eodem Rege conflictum, noluit quasi ad promptum periculum suos milites exponere, sed incolomes suo conflictui reservare. Prædictus etiam Rex Boemiæ de terris Alamanniæ, Poloniæ, Saxoniæ, Mixnæ & Brandenburch multa militia juvabatur, ita quod dicebatur habere in exercitu x milia paganorum equorum cum militibus, & aliorum equestrium & pedestrium plus quam c milia bellatorum, & pro stipendiis expendit cc milia marcarum argenti. Prætera Rex Romanorum duxit secum Regem Ungariæ, qui habuit multos Ungarios, & insuper xx milia paganorum, qui in Moravia & Boemia fecerunt stragem miserabilem in populo Christiano, ita videlicet, quod abscissis manibus & pedibus puerorum Christianorum, & eis in salina confectis, eos inhumaniter comederunt, aliis viris & mulieribus crudeliter neci datis. Quos tamen prædictus Rex Romanorum in ipsorum inhumanitate nolens diutius sustinere, missis militibus eorundem paganorum x milia occiderunt [1], & alii per fugæ præsidium evaserunt. Præterea Rex Boemiæ de fæcibus, quæ supersunt in examinatione argenti, quasdam aquas Boemiæ infecit: unde homines & equi Regis Romanorum non pauci subito perierunt. Tandem prædictus Rex Romanorum in terra Austriæ hyemavit, & prædictus Rex Romanorum sperata stipendia non persolvit Principibus & militibus.

MCCCIV. Ipse etiam Wenzeslaus Rex Boemiæ ut obtineret regnum Ungariæ filio suo Wentzeslao, intravit Ungariam cum exercitu. Et coronato eodem filio suo a multis nobilibus Ungariorum acceptisque corona regni & obsidibus a prædictis nobilibus, qui eum in Regem elegerant, cum ipso filio suo in Boemiam est reversus: e contrario autem nepos Karuli quondam Regis Siciliæ ab aliis Ungariis, ut Rex eorum fieret, est assumptus. Eodem etiam anno cum aqua Danubii transiens per pontem Ratisponensem, omnino versus littus aquilonare declinasset, & littora prope civitatem sicca & arida reliquisset; cives Ratisponenses, artificiose, & multis laboribus & expensis ipsam aquam, ut iterum prope civitatem flueret, ad loca pristina per strues lignorum & congeries lapidum reduxerunt. Eodem anno mortuus est prædictus Papa Benedictus, in octava Apostolorum Petri & Pauli, anno Apostolicatus sui primo in civitate [2], & Cardinales inclusi sunt ibidem, secundum constitutionem Gregorii Papæ X, quæ incipit: *Ubi periculum*. Et cum aliquamdiu sic inclusi starent, nec ad electionem procederent; cives ejusdem civitatis tantum panem & aquam ipsis pro aliquo tempore ministrabant, & ipsam constitutionem Gregorii in ipsis strictissime servaverunt. Igitur in vigilia Pentecostes anno revoluto Pertrannum Burdegalensem Archiepiscopum in summum Pontificem elegerunt, qui vocatus est Clemens.

[1] *l.* Regen. [2] *f.* permissu.

[1] *l.* occidit. [2] *Supple ex alio Chron. MS. Salzburg.* Perusii.

Item

Item anno MCCCIV. Regnante Domino Papa Bonifacio VIII, imperante Domino Alberto, ab eodem in Regem Romanum apud Lateranum confirmato, Fratres Minores, Ordinis S. Franciſci, cupientes contra ſtatuta & Regulam ſui Ordinis exorbitare, volentes contra præceptum Apoſtoli quærere quæ ſua non ſunt, inhiantes ad poſſeſſiones & proprietates Clericorum & Laicorum, quas Auguſtinus quondam omnibus Clericis inhibuit, licet idem ſtatutum Auguſtini in factis Clericorum Sæcularium revocant. Sane prædicti Fratres inito concilio eorundem generali, volentes uti prædicta beati Auguſtini revocatione, videlicet uti propriis, prout fruuntur Cleri Sæculares, unanimiter Dominum Papam Bonifacium VIII adierunt, ſupplicando ſibi, ut, cum Aſſiſio, ubi beatus Franciſcus corporaliter requieſcit, non poſſent haberi pro ſupervenientibus Fratribus & peregrinis, qui ibidem ſolent frequenter ipſius Franciſci limina viſitare, victualia ſufficientia, nec etiam ipſa terra dictorum ſuperveniencium copiam pati poſſet; unde ante dicti Fratres præfato Domino Bonifacio ſupplicarunt, quod cum quædam Cometia [1] dicta a quodam Comite exponeretur venditioni, iidem Fratres memoratam Comeciam pro c. florenorum milibus compararunt: & adjecto hoc, quod idem contractus per Sedem Apoſtolicam confirmaretur. Poſtea vero confirmatione ab eisdem Fratribus a Domino Bonifacio petita, & expoſita diligenter, Bonifacius ſic reſpondit: Utinam talem viam eligeretis, & ſi in eadem via perſeveraretis (quam quidem viam multis retroactis temporibus cogitavimus) certo certius ſi ſummam aliquam pecuniæ comportaretis, quæcunque illa foret, ſtatim quartam partem ultra veſtram pecuniam adderemus, ſicut a nobis S. Franciſco ſæpius eſt promiſſum. Quam cum pecuniam, videlicet LXXX milia florenorum minus CC. prædicti Fratres comportaſſent, & apud quendam mercatorem, nomine Lucam, Romæ depoſuiſſent; Papa vocato mercatore, & cognito quod idem mercator haberet pecuniam ſupradictam, eandem pecuniam cum ducentis prædictis florenis, quos idem mercator de prædicta pecunia in uſus ſuos converterat, juſſit per Marſchalcum ſuum ad Cameram ſuam deportari. Qua deportata antedicti Fratres inſtiterunt, ut contractum dictæ Comeciæ dignaretur miſericorditer confirmare, & quartam partem, videlicet XX milia florenorum eis addere, ut promiſit. Quibus inſtantibus ſic reſpondit: Eatis maledicti, electi & deputati eſtis ad quærendum elemoſinam, & ad ſaccos portandum. Nunc vero quia occulte bona Clericorum furtive ſubtrahitis, eorundem poſſeſſiones, & patrimonium Crucifixi manifeſte proponitis uſurpare; & ſic a Papa detenta pecunia præfata, confuſe a Papæ camera ſunt rejecti. Eodem anno, & eisdem Dominis regnantibus, ex parte dicti Regis Romanorum ad prædictum Dominum Papam Bonifacium ſollemnes nuntii deſtinantur, inter quos erat quidam Prædicator, Ordinis S. Dominici. Et cum iidem nuntii ad oſculandum pedes Apoſtolicos more ſolito in cameram Papæ intromitterentur, dictus Prædicator una cum aliis nuntiis ad terram cecidit, pedes Papæ cum aliis nuntiis oſculando. Quem cum Papa Bonifacius VIII inter alios nuncios reperiſſet, & cum pedes oſculaturus accesſiſſet, opprobria multa ſibi dixit: O gyrovage, vis tu ſcire ſecreta magnorum Principum? quis te ad hoc elegit, traditor peſſime? Nunc enim ſi ſecreta ſcires Principum, omnia per te ſtatim tuo Ordini proderentur. Et protinus ipſum cum pede percuſſit ad faciem, quod tota ipſius facies Prædicatoris ſanguine erat reſperſa, & de camera Papæ ejectus confuſe fuit, & propter eum alii nuntii a Papa fuerunt mirabiliter repreheuſi: innuens, quod ad eum vel ſucceſſores ſuos propter proditiones factas ab eis, & impoſterum faciendas, Prædicatores, vel Minores, ſeu Mendicantes cujuscunque Ordinis fuerint, non deberent in ſecretis Principum ad Sedem Apoſtolicam deſtinari.

MCCCV. In vigilia Johannis Baptiſtæ Wentzeslaus Rex Boemiæ, devotus ad Deum, & clemens ad Clerum & populum, neminem opprimens, ſed per XXVIII annos regnum ſuum juſte regens mortuus eſt, & ſepultus in Bretzlab Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis, quod fundavit: & filius ſuus Rex Ungariæ cœpit regnare pro eo. Item anno Domini MCCCV circa feſtum Michaelis Otto Dux Babariæ intravit Boemiam, datis ſibi a Wentzeslao Rege Boemiæ inſigniis regni Ungariæ, ſcilicet Corona, tunica S. Stephani, Regis, diademate & ſceptro, contra voluntatem Regis Romani Alberti, & Ducis Auſtriæ Rudolfi: qui ſibi ponendo cuſtodias, ne Ungariam intraret, omnes vias per quas intrare poterat, obſtruxerant; ſed idem Dux hoc non obſtante Auſtriam cum ſuis, quos de Babaria ſecum duxerat, ſub forma mercatoris latenter tranſivit. Et cum veniſſet ad quendam locum, qui dicitur Vischamund, ubi Danubium transfretare voluit, & cum jam navim aſcenderet; quæſivit a quodam nobili dicto de..., cui coronam commiſerat portandam, ſi ipſam haberet? Qui eam in mantica quærens non invenit: & ob hoc tam præfatus Dux, quam qui ſecum aderant, ſtupefacti. Prædictus nobilis ad unum miliare, non per viam unde venerat, continuo eſt reverſus: & ibi corona, ſicut Domino placuit, eſt inventa in quadam palude. Qui ibidem annis duobus & amplius commorans nunquam regnum adipiſci potuit, ſed multa mala ab Ungaris eſt perpeſſus, & diu in captivitate ab eis detentus, & mortis periculum vix evaſit.

MCCCVI. II Non. Aug. Wentzeslaus Rex Boemiæ, de quo multa mala & turpia dicebantur, in Olmunſa in domo decani, cum poſt prandium excluſa tota familia, excepto quodam domicello & uno raſore, qui ſecum fuerant, & cum vellet ſe deponere dormitum, interfectus eſt; ſed quomodo, vel per quem, ignoratur, ſed & etiam domicello interfecto. Eodem anno Albertus Rex intravit Boemiam, ducens ſecum Dominum Chunradum Archiepiſcopum

[1] *videtur aliquid deeſſe.*

pum Salzburgenſem; & Rudolfum filium ſuum Ducem Auſtriæ. Et aſſerens ad Imperium collationem ipſius regni devolutam, præfatum Dominum Rudolfum Ducem Auſtriæ in Regem ſubſtituit, ipſum regnum ſibi & cæteris ſuis fratribus jure hæreditario conferendo: qui etiam Rex Boemiæ relictam Domini Wentzeslai devoti Regis, novercam prædeceſſoris, ſibi matrimonio copulavit. Eodem anno obiit Johannes Epiſcopus Brixinenſis: cui ſubſtitutus eſt per Dominum Archiepiſcopum Magiſter Johannes de Slokenwerd [1], qui fere XVIII menſibus in curia ſtetit, & ibi vix confirmationem obtinuit.

MCCCVII. Obiit Domina Elizabeth Abbatiſſa in Nunnburch: cui ſucceſſit Domina Margareta de Gebing Monialis S. Petri. Eodem anno obiit Rudolffius Rex Boemiæ, circa feſtum Beati Jacobi: cui ſucceſſit Dominus Hainricus Dux Karinthiæ, per electionem Boemorum, contra voluntatem Regis Romanorum Alberti. Unde ipſe Rex commotus, aſſociatis ſibi Epiſcopis, Moguntino, Argentinenſi, Conſtantienſi, & quamplurimis aliis Epiſcopis, nec non Domino Ludewico Palatino Comite, & aliis multis Comitibus, Baronibus ac Nobilibus de Reno & de Suevia, Boemiam per Egram intravit cum magno exercitu, ita quod dicebatur habere plusquam x milia dextrariorum. Et ex altera parte filius ſuus Fridericus Dux Auſtriæ intravit Boemiam per Auſtriam cum magna multitudine armatorum: & Rex Romanorum ibidem usque ad feſtum Simonis & Judæ moram faciens, nec argentifodinam in Chutten obtinuit, & munitiones & civitates pauciſſimas debellavit. Poſt hæc, quia propter frigus & inundationem nivium, & penuriam victualium ibi diutius ſtare non poterat, nec etiam per viam, quam intraverat, redire domum non potuit, per Auſtriam eſt reverſus. Et cum veniſſet Anaſum, rogavit Dominum Archiepiſcopum Salzburgenſium, ut ei per diſtrictum ſuum tranſitum indulgeret. Qui ad ipſum honeſtos ſuos nuncios mittens, ſibi bona fide conſuluit, quod propter artas vias nequaquam tranſiret: cujus conſiliis Rex aquieſcens per Pataviam tranſivit. Et cum præmonitus fuiſſet, quod Stephanus Dux Babariæ ſibi juxta caſtrum Neunburch inſidias poſuiſſet; ipſe non obſtante hoc pontem ibidem ultra flumen Eni [2] fugatis Babaris, & armis & gladiis, baliſtis & cuſpidibus projectis, cum manu valida & potenti ſine ulla impugnatione Babariam tranſivit.

Eodem anno Dominus Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis, circa Aſſumptionem Beatæ Mariæ, ad juſſum Regis Romanorum Alberti, Karinthiam intravit cum exercitu valido & forti: & ibidem per ſex hebdomadas moram faciens obtinuit civitates, videlicet ad S. Vitum, & Volkenmarcht, & Chlagenfurt, & alias munitiones munitas, & caſtrum Rabenſtain prope Friſacum expugnavit, ac funditus demolitus eſt, & in monte S. Thomæ quandam munitionem conſtruxit.

Eodem anno obiit Dominus Helerwicus Decanus Eccleſiæ Salzburgenſis: cui ſucceſſit Venerabilis Dominus Weichardus de Polhaim ejusdem Eccleſiæ Canonicus, circa feſtum B. Martini: qui ſupplevit ea, quæ neglecta fuerant in præſenti Cronica, a tempore interfectionis Regis Boemiæ Otakkeri. Eodem anno capti ſunt plusquam quingenti Fratres Templarii per Regem Franciæ, propter multa mala, videlicet hæreſim: quia non recipiebant aliquem ad profeſſionem, niſi prius negaret Chriſtum, & ſpueret in faciem Crucifixi, & adoraret idolum, quod portabatur coram eo, & tunc abjuravit omnes mulieres, & indulgebatur ſibi, ut abuteretur ſe cum aliis fratribus ejusdem Ordinis. Quæ omnia mala probata fuerant coram Papa, & per ſe confeſſi [3]: propter quod multi ex eis cremati ſunt, & quamplures in captivitate mortui ſunt, & Papa Ordinem eorum delevit per univerſum mundum.

MCCCVIII. Obiit Dominus Ulricus Epiſcopus Secovienſis, circa feſtum Epiphaniæ: cui ſubſtitutus eſt Dominus Fridericus de Mitterchirchen Præpoſitus Salzburgenſis, in Sabbato, quo cantatur: *Intret*, in capella dormitorii [3]: pro quo electus eſt Dominus Fridericus de Leuntz [4], Canonicus & Camerarius ejusdem Eccleſiæ, in vigilia Palmarum. Cujus electionem Dominus Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis, pro eo quod non fuit expectatus cum electione, licet ad eum minime jus eligendi pertineat, usque ad decem hebdomadas diſtulit confirmare. Eodem anno Dominus Otto Dux Babariæ clandeſtine, & cum maxima difficultate, a captivitate ſua liberatus, & cum pauciſſima comitiva circa feſtum beati Mathiæ Apoſtoli ab Ungaria in Babariam eſt reverſus; de quo tota terra quamplurimum eſt gavisa, & poſtea perturbata. Eodem anno Rex Romanorum Albertus, utique ſtrenuus, potens, bellicoſus, in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi, per filium fratris ſui, videlicet Johannem, dictum Ducem *Anlant*, adjunctis ſibi quibusdam complicibus, videlicet nobilibus, dictis de Palm, & de Eſelbach (qui omnes eadem die ſecum in menſa regia comederant, & cum eo Renum tranſierant) non minori perfidia, quam Cayn Abel fratrem ſuum necaverat, ab eis miſerabiliter eſt occiſus. Cauſa hæc fuit: quia cum terræ Auſtria & Stiria ipſis, ſcilicet Alberto jam dicto, & patri ipſius Johannis, per Rudolfum Regem Romanorum patrem ipſorum, in ſolidum collatæ fuiſſent, idem Albertus poſt mortem fratris præfatum Johannem fratruelem ſuum ad poſſeſſionem ipſarum terrarum non admiſit. Et eidem Alberto per electionem Principum ſucceſſit Dominus Heinricus Comes de Lutzelburg, circa feſtum beatæ Katherinæ Virginis: de quo multa bona, & maxime quod pacis amator & juſtus judex eſſet, quaſi per totam Alamanniam dicebatur.

MCCCIX. Dominus Otto Dux Babariæ traduxit uxorem ſuam de Glogawe in feſto Pentecoſtes, & celebravit nuptias ſollemnes

[1] *aliud Chron. MS. Salzburg.* Slankenwerd.
[2] *al.* Oeni.
[3] *al.* Helmwicus. [2] *deeſt* ſunt. [3] *in alio Chron. MS. Salz. additur* noſtri. [4] *al.* Leybenez.

apud Straubingam; quibus interfuerunt Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis, & Dominus Ratisponenſis & Chyemenſis Epiſcopi, & Dominus Rudolfus Comes Palatinus, & alii quamplures Comites & potentes. Eodem anno emanaverunt litteræ a Sede Apoſtolica de paſſagio generali, in quibus transfretare volentibus, vel elemoſinas ſuas elargientibus in ſubſidium terræ ſanctæ, multæ gratiæ & indulgentiæ maximæ conceduntur, prout in eisdem litteris pleniſſime continetur. Eodem etiam anno Dux Auſtriæ Fridericus aſcendens ad Regem pro regalibus recipiendis, venit in Salzburgam, in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, cum MCCCC equitaturis. Et cum veniſſet, ubi Rex erat, Rex ipſum videre renuit, tandem interveniente pecunia, videlicet marcarum milia quinquaginta, Rex eidem Duci & fratribus ſuis terram Auſtriæ & Styriæ & Maraniæ [1], tam feuda quæ eos reſpiciebant, quam ea quæ ad patruum [2] eorum, ſcilicet Ducem Johannem, interfectorem Regis Alberti, ſpectabant, in feudum contulit, & præfatum Johannem tanquam reum criminis læſæ majeſtatis proſcripſit, & ipſum bonis omnibus hæreditariis per ſententiam ſpoliavit. Idem etiam Dux Auſtriæ in Suevia per æſtatem moram faciens, multa caſtra & munitiones illorum, qui neci patris ſui, ſcilicet Regis Alberti, interfuerunt, expugnavit, & quamplures interfecit, alios vero tanquam profugos in exilium relegavit. Eodem etiam anno Rex Adolfus, & Rex Albertus ambo interfecti, procurantibus eorum filiis & relictis, præſente Rege Romano in Spirea cum Regibus honorifice ſunt ſepulti: nam antea caruerant regia ſepultura. Eodem etiam anno quidam Miniſteriales Auſtriæ, videlicet Domini de Potendorf, & de Zelching, ſe Duci Auſtriæ oppoſuerunt: ſed tamen expugnatis aliquibus eorum munitionibus per Dominum de Walſe, aliquibus etiam pactis interpoſitis, usque ad reditum Ducis Auſtriæ ad concordiam ſunt reverſi.

Eodem anno Papa Clemens V. indixit a feſto beati Remigii per annum generale in Wienna concilium celebrandum, ad quod tantum Archiepiſcopos & ſuperiores, & quosdam alios, nominatim Epiſcopos convocavit. Eodem etiam anno Dominus Archiepiſcopus Salzburgenſis, & Abbas S. Lamberti ad curiam Romanam ſuper proviſione facta de Monaſterio S. Lamberti, quod Papa immediate ad Sedem Apoſtolicam ſpectare dicebat, in perſonis propriis ſunt citati. Eodem etiam anno Domini Duces Babariæ Otto & Stephanus obſederunt caſtrum in Neunburch ſuper Enum fluvium in vigilia Matthæi Apoſtoli; quæ obſidio usque ad feſtum Epiphaniæ Domini perduravit: & miſſis per Regem ad eos ſollemnibus nuntiis, ac etiam Dominis Chunrado Salzburgenſi Archiepiſcopo, nec non Rudolfo patruo eorum pro concordia laborantibus, nunquam a præfato caſtro recedere voluerunt, donec potentialiter expugnarent.

MCCCX. Circa feſtum Epiphaniæ Domini Duces Babariæ expugnaverunt caſtrum Neunburch, perfodiendo montem ipſius caſtri, & deiciendo muros ejus & turrim ad terram, quod etiam poſtea per eos funditus eſt deſtructum: propter quod inter eos & Ducem Auſtriæ gravis diſcordia eſt ſuborta. Eodem anno eclipſis ſolis facta eſt circa meridiem, II Kal. Februarii. Eodem etiam anno Dominus Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis, ad mandatum Domini Papæ Clementis V. celebravit Concilium, ad quod convocati fuerunt omnes Prælati ſuæ provinciæ, tam exempti quam non exempti; ſed pauci venerunt propter gwerram Principum Babariæ & Auſtriæ. Interfuerunt eidem Concilio Venerabiles Patres, Wernhardus Patavienſis, Johannes Brixinenſis, Hainricus Gurcenſis, Albertus Chyemenſis, Fridericus Secovienſis, Ulricus Laventinenſis Eccleſiarum Epiſcopi cum quibusdam aliis Prælatis. In quo etiam lectæ fuerant litteræ Papales, continentes gratias factas volentibus transfretare, vel elemoſinas ſuas largientibus in ſubſidium terræ Sanctæ, & proceſſus habiti contra Templarios. Et Papa petivit decimam omnium proventuum Eccleſiaſticorum per biennium ſibi dari, quam petitionem Concilium admiſit. Eodem anno Clemens Papa V. terminum præfixit feriam ſecundam poſt Dominicam *Reminiſcere*, omnibus volentibus opponere contra Bonifacium Papam piæ memoriæ jam defunctum. quo termino veniente quidam, nomine Wilhelmus legiſta, qui etiam unacum Serra præfatum Bofacium captivaverat, pro parte Regis Franciæ, ad cujus inſtantiam præfatus terminus fuerat præfixus, comparuit, opponens multa & diverſa crimina & hæreſes contra ipſum Bonifacium jam defunctum, tandem per replicationes pro parte Bonifacii per quosdam ſuos amicos factas confuſus receſſit.

Eodem anno Concilium generale, quod Papa indixerat, usque ad annum ab eodem die, quo debuit celebrari, [3]. Eodem etiam anno Dux Auſtriæ circa feſtum beati Laurentii Babariam intravit cum exercitu copioſo, & caſtrum in Ried obſedit, quod etiam intra breve tempus ab incolis per incendium eſt deſtructum; & ſic ab eo latenter receſſerunt. Dux vero Auſtriæ ultra procedens Scherdingam obſedit, ubi etiam Dominus Chunradus Archiepiſcopus in auxilium ſibi venit: qui ibidem moram faciens usque poſt feſtum beati Michaelis, ut dicebatur, habebat quinque milia pugnatorum. Tandem cum propter debilitatem validam ipſius Ducis, tum etiam propter penuriam victualium, & propter quædam placita occulta ab ipſo caſtro receſſit: machinis & aliis inſtrumentis, quibus caſtrum expugnari debebat, quæ non modicum pretium conſtabant, per incendium devaſtatis. Eodem etiam anno Duces ſuperiores Rudolfus & Ludwicus fratres hæreditatem inter ſe diviſerunt, propter quod gravis inter eos diſcordia eſt ſuborta: aſſerente Duce Ludwico, quod ſecum Comitatum Palatinum condividere debebat, Duce Rudolfo ſibi hoc penitus denegante.

[1] *al.* Moraviæ. [2] *l.* patruelem. [3] *Supple ex alio MS. Chron. Salz.* extitit prorogatum.

Item

Item Dominus Hainricus Rex Romanorum circa festum Omnium Sanctorum Lombardiam intravit, ducens secum Leupoldum Ducem Austriæ, qui a Mediolanensibus honorifice est receptus: & eo ibidem moram faciente, quidam dictus de Turri, qui antea ibidem Capitaneus fuerat, dolens de sui honoris privatione, cum amicis suis ipsi Regi insidiatus, voluit ipsum interficere. Quod persentiens Dux Leupoldus cum exercitu suo, adjunctis sibi etiam quibusdam Fratribus de Domo Theutonica, occurrit: & bello cum eo in civitate commisso, ipsum in fugam convertit, Lombardis plurimis interfectis: plures etiam civitates Lombardiæ, Verona, Mantua, Janua ipsi Regi se subdiderunt. Item Rex Romanorum filium suum Regem Boemis præfecit, qui intrans Boemiam, adjunctis sibi Domino Moguntino, & Duce Rudolfo, Ducem Hainricum Karinthiæ ante ab ipsis in Regem suum electum expulit ab eadem. Item Stephanus Dux Babariæ obiit, in crastino Thomæ Apostoli. Item Dux Austriæ misit circa festum S. Martini Dominum Ulricum de Walse cum trecentis armatis in Titmaning contra Ducem Babariæ, qui adjunctis sibi hominibus Archiepiscopi Salzburgensis, tam districtum Salzburgensem quam etiam districtum Ducis Babariæ, spoliis & incendiis devastarunt, in tantum ut, propter frigus & famem tanta mortalitas hominum est secuta, ut a præfato festo usque ad festum Purificationis in uno cimiterio Titmaning plusquam duo milia & trecenta funera sint sepulta, & mortalitas hominum per totam Babariam fuit magna subsecuta.

MCCCXI. Dominus Clemens Papa V. habuit Concilium in Vienna, & duravit a festo Remigii ad XLII septimanas: & ibi cancellatus fuit Ordo Templariorum.

MCCCXII. In Annunciatione Beatæ Virginis Mariæ obiit Dominus Chunradus Archiepiscopus Salzburgensis, qui revolutis LVIII annis, eodem die natus fuit. Eodem anno, Kalendis Aprilis, electus fuit Dominus Weichardus de Polhaim Decanus Ecclesiæ Salzburgensis in Archiepiscopum ibidem: & eodem anno, Abdon & Sennen, per Clementem Papam V fuit consecratus, pallio fuit etiam eodem anno, in vigilia Augustini, decoratus. In vigilia S. Thomæ Apostoli a curia recessit, cum magnis laboribus, sumptibus & expensis. Item eodem anno, in festo S. Leonhardi, quædam Virgo, nomine Christina, infra Coloniam ad duas leucas de Stumbele, septuagenaria obiit, miræ sanctitatis. Item eodem anno obiit Dux Otto de Babaria, VII Id. Septembris, id est, in vigilia Nativitatis Mariæ gloriosæ Virginis.

MCCCXIII. Hainricus Imperator, Comes quondam de Lutzelburch, X Kal. Septembris obiit Pisis, præmortua uxore & fratre in Lombardia. Eodem anno conflictus fuit in Babaria, in Gameldorf prope Mosburgam, inter Dominum Ludwicum Palatinum Comitem Ducem Babariæ, & Australes: & Dominus Ludwicus glorioſe triumphavit, V. Id. Nov.

MCCCXIV. Clemens Papa V de Vasconia obiit in Provincia, XII Kal. Maji, & nunquam A tempore sui regiminis ad Ecclesiam S. Petri in Urbe pervenit. Eodem anno Dominus Ludwicus Palatinus Comes, Dux Babariæ, electus est in Regem Romanorum, in magna discordia Principum, contra Dominum Fridericum Ducem Austriæ, XV. Kal. Novembris, hoc est, Lucæ Ewangelistæ. Item eodem anno, in festo Andreæ, obiit Rex Franciæ Philippus Grassus, & Magnus, qui multa mala fecit circa monetas suas, & Flandrensibus diversas injurias irrogavit, & etiam suscepit, & sustinuit ab eisdem.

MCCCXV. Kalendis Augusti Dominus Weichardus Archiepiscopus Salzburgensis aperuit tumbam S. Rudberti, & invenit Reliquias ibi. Primo, Beati Rudberti cum capite. Item B. Martini in magna quantiate. Item B. Vincentii Martyris in magna quantitate. Item B. Hermetis Martyris. Item B. Crisanti & Dariæ & Gislarii. Et eodem anno ostendit populo easdem Reliquias, in festo Nativitatis B. Virginis Mariæ, & in sequenti proximo festo B. Rudberti, Translationis scilicet, dedicavit novum altare B. Rudberto, & prædictas Reliquias ibidem reposuit & recondidit. Item sequenti festo Translationis S. Virgilii consecravit altare S. Virgilii, constructum per suum antecessorem Dominum Chunradum de Vansdorf, alias dictum de Praitenfurt, & ibidem Reliquias ejusdem Sancti reposuit & recondidit. Post octavam vero S. Virgilii prædicti, hoc est, V. Non. Octobris, percussus generali Spasmo in toto corpore & gravissimo, & etiam letargia, & tandem pridie Non. ejusdem mensis obiit. Eodem anno, IX Kal. Novembris, Dominus Fridericus de Leybentz, Præpositus & Archidiaconus Ecclesiæ Salzburgensis, electus est in Archiepiscopum ibidem concorditer.

MCCCXVI. VII Kal. Augusti, hoc est, in die S. Afræ, fuit electus Dominus Jacobus in Papam, quondam Avinionensis Episcopus, natione de civitate Cadurcensi, provincialis, pusillus corpore, magnus in scientia & ætate, de progenie cerdonum. Eodem anno VIII Id. Octobris, prædictus Dominus Fridericus electus extitit in præfato Consistorio per Papam Johannem XXII confirmatus, & III Kal. Novembris idem Papa cum multis aliis eandem publicavit confirmationem. Et eodem anno VIII Kal. Decembris de mandato Papæ Dominus Berngarius Tusculanus Cardinalis ipsum & Patriarcham Gradensem, & Archiepiscopum Rossonensem Græcum barbatum cum quinque Episcopis & quatuor Abbatibus consecravit postea in Octava Martini juramentum Camerario pro communi obsequio præstitit, & sequenti die post Elizabeth pallium a Papa petitum fuit, & concessum, & in die Crisogoni per Dominum Neapolionem Cardinalem, assistentibus sibi Domino Jacobo Gagitano, & Domino Luca de Janua Cardinalibus, traditum, & cum juramento datum. Item eodem anno IV Kal. Junii obiit Rex Franciæ Ludwicus, & parum regnavit: quia parum voluit, sicut pater suus Philippus Grassus. Idem eodem anno, ante festum Johannis Baptistæ, & in vigilia ejusdem, & in vigilia Apostolorum Petri & Pauli,

triplex inundatio tanta aquarum facta fuit, quod quasi particulare Diluvium videretur.

MCCCXVII, vel XVIII. Dominus Fridericus de Leybentz venerabilis Archiepiscopus Ecclesiæ Salzburgensis unionem & societatem iniit cum Domino Friderico Electo de Austria & fratribus suis, ad vitam ipsorum, contra Inferiores Duces Babariæ, qui in multis ipsum & Ecclesiam suam gravaverant: & contra omnes (excepto Papa & Imperio, & prædicto Ludwico Electo, & Rudolfo fratre suo) ita quod se mutuo juvare deberent laboribus, sumptibus & expensis contra omnem hominem ipsis nocere vel obesse cupientem.

MCCCXIX. Dominus Fridericus Electus de Austria cum Domino Friderico Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, congregata magna copia galeatorum, per districtum suum, & terram Ecclesiæ Salzburgensis venit in Muldorf quasi ad pontem civitatis, & frater suus Dux Leupoldus cum bona societate armatorum venit in Muldorf. Dominus vero Electus Ludwicus, & Dominus Hainricus Dux Babariæ Inferioris cum multitudine copiosa galeatorum, armatorum & peditum venerunt ad montem supra civitatem & opidum Muldorf positum, & potenter ipsum, per aliquod modicum tamen tempus, tenuerunt, & finaliter nescio quo ducti spiritu in die S. Michaelis terga vertentes hostibus; confusi fugierunt, ipsorum tamen aliqui remanserunt. De post fætantes accepit autem eos, quia post eos intravit sæpedictus Electus Fridericus cum suis terram Ducum Inferiorum: & talem desolationem fecit per incendia, rapinas & destructiones, quod hactenus fuit, & est in Babaria inaudita, ita quod dicto Electo eunte, stante & redeunte nunquam aliquis defensor apparuit seu contradictor.

Anno MCCCXX, & XXI nullum factum signatum inveni.

MCCCXXII. Circa festum B. Matthæi Apostoli & Ewangelistæ Dominus Fridericus Electus de Austria, & Dominus H frater ipsius, ac Reverendi Patres Dominus Fridericus Venerabilis Archiepiscopus Salzburgensis, & Dominus Albertus Dux Saxoniæ Episcopus Patavivensis, & Dominus Dietricus Episcopus Laventinus, cum exercitu valido diversarum nationum, Babariam hostiliter intraverunt: & inter Oettingam & Muldorf castra metati sunt apud fluvium, qui Yser vulgariter nuncupatur. Quibus Dominus Ludwicus Electus de Babaria, Dominus Johannes Rex Boemiæ, & Dominus H Dux Babariæ Inferioris, cum magno exercitu & valido occurrentes IV Kal. Octobris, hoc est, in vigilia S. Michaelis, apud dictum fluvium sub monte Dornberg bellum pariter inierunt. Et interfectis ab utraque parte mille viris & amplius, Dominus Ludwicus, triumphavit: Domino Friderico, & Domino H fratre ipsius Ducibus prædictis cum omnibus suis, nec non omnibus Ministerialibus, militaribus, & aliis nobilibus Salzburgensis, Patavensis & Laventinensis Ecclesiarum captis, anno & die prænotatis. In eadem vero hora congressionis & conflictus Reverendi Patres & Domini, Dominus Fridericus Archiepiscopus Salzburgensis, Dominus Albertus Patavienſis, Dominus D Laventinus de consilio Domini F Electi de Austria in Muldorf se receperunt, & ibidem per aliquod tempus pausantes, tandem ad propria commode redierunt. Unde versus:

Anno Milleno CCC, *bis quoque deno,*
Et bino, sancto Wenetzlay quoque festo,
L. Rex prævaluit, F. Rex cito vincla subivit:
Sic quoque præclarus Dux Heinricus frater ejus,
Turbaque Baronum vinclatur magna suorum.
Multos prostravit ferus hostis, quos nece pavit.
F. Salzburgensis, Princeps Al. Patavienſis,
D. que Laventinus cesserunt, ut debuerunt.
Heu tamen hi proprios inibi victos reliquerunt,
L. Rex quod cepit, M, C, L, X *tibi dicunt.*
Conflictus habitus est sub Dornberg prope Muldorf

Anno Domini MCCCXXIII.

MCCCXXIV. In Octava Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, hoc est, XI Kal. Septembris [1], in Titmaning traditum & venditum, ac amissum est per dolum & fraudem eorum, qui in castro & opido fuerunt, & eorum qui fuerunt ante castrum & opidum, & illi principales traditores fuerunt servitores Ecclesiæ Salzburgensis. Tamen ad ordinationem Domini Ludwici Ducis Babariæ Superioris, qui electus fuerat in Romanorum Regem, & reprobatus per Papam Johannem XXII, demeritis suis exigentibus, hæc traditio fuit ordinata, & proscripsit Dominum F de Leybentz Archiepiscopum Salzburgensem, & in illa proscriptione tantam fraudem de amissione prædictorum procuravit.

MCCCXXVII. Supra dictum castrum & opidum in Titmaning post destructionem & desolationem magnam opidi, & Comitatus ad ipsum pertinentis, rehabitum fuit per modum emptionis, gravibus laboribus & expensis.

MCCCXXVIII. Leupoldus Dux Sueviæ obiit.

MCCCXXIX. Johannes Rex Bohemorum, & Rex Ungarorum cum infinita multitudine armatorum Austriam invadunt, civitates multas & munitiones plurimas potenter occupantes & expugnantes, tandem compositione inter eos facta ab invicem discedunt. Eodem anno Fridericus Dux Austriæ quondam Rex obiit, quondam electus in Regem Romanorum.

MCCCXXX. Ludwicus Imperator gentes [2], quæ in sua feritate confidebant; Dei auxilio vi sua subjugatis Imperio, ad terras Teutonicas revertitur. Heinricus Senior, Heinricus junior Duces Bawariæ, Alberto Comiti de Hals castrum in Ernekk, castrum in Haiburch & alia quinque castra funditus destruxerunt.

MCCCXXXI. Bawaria Inferior tribus Principibus, id est, Heinrico Seniori, Ottoni fratri suo, & Heinrico Juniori, Imperatore Ludwico suadente, quod prius nunquam contigit, est divisa. Alramus Comes de Hals junior obiit in Monaco, & ibidem sepultus est. Apostolicus & Imperator adhuc discordant.

[1] *ita Cod.*

[2] *Supple ex alio Chron. MS. Salzburg.* opidum.
[2] *l.* gentibus.

MCCCXXXIII.

MCCCXXXIII. Heinricus Dux Bawariæ junior obiit de Naternburch. Albertus Comes de Hals obiit Avione, & ibidem ſepultus eſt in vigilia S. Galli Confeſſoris.

MCCCXXXIV. Otto Dux Bawariæ obiit. Johannes Papa obiit.

MCCCXXXV. Benedictus Papa.

MCCCXXXVI. Karolus Ungarorum Rex, Johannes Bohemorum Rex inſimul confœderati, mirabiliter diſcordant, cum Alberto & Ottone Ducibus Auſtriæ: proterea tota fere Auſtralis provincia graviter eſt incendiis & rapinis devaſtata.

MCCCXXXVII. Ludwicus Imperator dum exercitum fortem & validum congregaſſet contra Johannem Bohemorum Regem & Heinricum Ducem Bawariæ, cujus numerus ad ſex milia virorum galeatorum, & ad bella doctiſſimorum B ſe extendebat; intravit terram Bawariæ potenter, incendium tale faciens & deſolationem, quod vix aut nunquam ſimile legitur a retroactis temporibus eveniſſe. Pertranſivit autem in multitudine gravi cum curribus & equitibus per civitatem Patavienſem, ex alia parte Eni fluminis; in aſcenſu eandem terram atrocibus incendiis & rapinis conturbavit. Peſtilentia hominum facta eſt magna.

MCCCXXXVIII. M. ter C. denis tribus X. tribus I. quoque quinque

Annis locuſtæ per Bawariam volavere.

MCCCXL. Ægidii circa horam veſperarum Heinricus Senior Dux Bawariæ obiit.

MCCCXLI. Thomæ Apoſtoli Johannes junior filius nuper nominati Ducis Henrici obiit: quapropter tota fere terra Bawariæ plangit, quia ſine legitimis Dominorum hæredibus extitit.

MCCCXLII. Obiit Albertus Epiſcopus Patavienſis Dux Saxoniæ, ac amator Eccleſiæ Matſeenſis.

MCCCXLIII. Fames facta eſt, ita ut menſura ſiliginis, unius videlicet metretæ, pro LX denariis venum daretur menſura mat; menſura vero avenæ pro XL. Heinricus Archiepiſcopus Salzburgenſis obiit: loco cujus Artolfus de Weyſenekk in Archiepiſcopum eligitur.

MCCCXLVI. Ingens bellum valde inivit laudabilis & adverſariis timendus Rex Angliæ cum copioſa multitudine armigerorum adverſus Regem Franciæ, qui innumerabili etiam turba peritorum belli Regem Angliæ invaſit: D & idem Rex Angliæ glorioſe triumphavit, & Johannem Cæcum Regem Bohemiæ miſera morte ſtravit, & quamplurimos Principes & multa milia hominum interfecit. Chunradus Abbas S. Petri Salzburgenſis obiit: pro quo primus Otto hujus nominis in Abbatem eligitur. Qui ſui regiminis tempore Monaſterium ſuum prædictum non ſolum a debitorum oneribus liberans & præſervans; verum etiam illud in refectorii, dormitorii, domorum & aliorum commodorum ædificiis & ſtructuris, aliisque fructuoſis impendiis adeo decenter & utiliter exaltavit: ſacrarium ſuum nihilominus pretioſis ornatibus ditavit, nec non Monaſterii & Prælatorum futurorum honores per impetrationem uſus Dalmaticæ, ſubtilis, & aliorum ſpecialium inſigniorum adeo augmentavit, unde ipſe pius pater, atque ſecundus Fundator non immerito eſſet nuncupandus.

MCCCXLVII. Sereniſſimus Imperator Ludwicus felicis memoriæ apud civitatem Monacum naturæ debitum reddidit, intoxicatus per Duciſſam Auſtriæ, Deo animam die S. Dionyſii Martyris reſignavit: qui multimodis potentatibus reſiſtebat, morti reſiſtere non valuit. Infraque octavam ſui obitus Karolus Rex Bohemiæ ſibi longo tempore contrarius, Bawariam a civitate Cambia usque in Ratisponam incendiis & rapinis devaſtavit: confuſa vindicta mortuum invadens, viventem tangere non præſumens.

MCCCXLVIII. Converſione S. Pauli, hora diei naturalis quaſi XIV, terræ motus grandis nimis evenit, nemine nociviori [1] recordante: civitatem enim in Karinthia, dictam Villach, violenter ſubvertit, & fere totus populus ejusdem civitatis præcipitatus eſt, & morte lamentabiliter proſtratus, multa etiam caſtra ſibi circumjacentia, Cœnobia & ſtructuræ inſignes corruerunt.

MCCCXLIX. Sævivit crudeliſſima peſtilentia, quæ interemit forſan tertiam partem hominum: quia in Wienna deceſſerunt qualibet die duæ vel tres libræ [2] hominum, & una die quatuor libræ, una die DCCCC & LX. In Patavia vero moriebantur qualibet die quinque vel ſex ſolidi, & una die IX ſolidi, una die CCC. minus XXX homines. Luſtrabat autem hæc peſtilentia totum orbem, non ſimul & ſemel, C ſed ſucceſſive. Cum itaque peſtis & deceſſus hominum, proh dolor! nimis atrociter luſtraſſet multos provinciarum fines; venit in Bawariam, videlicet in Muldorf: ubi, ut dicebatur, a feſto Michaelis præteriti anni deceſſerunt MCCCC de potioribus ibidem hominibus.

Item in Prawnau ſæpius uno die moriebantur XVI, & in Monaco, & in Lantzhuta, & in aliis quamplurimis civitatibus & oppidis in tantum ſævivit mors, quod ab effluxis temporum motibus enormiorem peſtem nemo cogitaret. Evolavit itaque tunc temporis rumor & fama univerſa, quæ totaliter nullatenus opinabatur ficta, quoniam ſecundum Ariſtotelem in Ethicis; *Fama, quam omnes famant, de toto non perit*, videlicet quod hic univerſalis deceſſus haberet originem, ſive rivaretur ex appellarum [3] veneficiis. Ob hanc nempe nefariam infamiam in Salzburg, & in Monaco & infinitis [4] civitatibus Judæi fuerant cremati, cæſi, ſecti, & quomodolibet aliter trucidati & occiſi. Et in Prawnau dicebatur etiam, quod Judæi redegerint fæculentiam venenoſorum animalium in pulveres, & impleverint ſacculos in longitudine ac latitudine duorum digitorum, & ſubmerſerint aquis puteorum, & etiam fontium ſcaturientium; & tales ſacculi pleni intoxicationibus a Chriſtanis per expurgationem fontium fuerunt inventi. Appretiabantur etiam Judæi Chriſtianos (ut dicebatur) ut tali veneno Con-

[1] *l. nociviorem.* [2] *ita Cod.* [3] *ita Cod.*
[4] *f. finitimis.*

Christianos interficerent & necarent; unde ob hujusmodi suspicionem multi etiam Christiani, licet innoxii, interempti sunt. Suspicabatur etiam hæc infectio & intoxicatio fieri a quibusdam generosis & honestis.

MCCCL. Post diem Nativitatis B. Mariæ proxima sexta feria, in nocte, fures surripiebant in sacristia in Aspach cuncta insignia Domini Abbatis, videlicet bacillum & torques & annulos & cannam ex magno calice, & unum pannum deauratum; & unum pannum bombicinum, & unam magnam crucem argenteam & deauratam, in cujus concavitate multæ fuere Reliquiæ Sanctorum.

MCCCLI. Edita est nova historia a Magistro Chunrado de Monte puellarum Canonico Ecclesiæ Ratisponensis de S. Matthæo Ewangelista.

MCCCLII. Dux Albertus Bawariæ circa festum Georii venit in Bawariam, cujus adventum machinabatur Ekkarius ob invidiam Ducis Stephani.

MCCCLIII. Eodem anno idem Stephanus & Albertus Duces diviserunt Bawariam Inferiorem.

MCCCLIV. Albertus Dux Austriæ post Pentecosten transivit cum magno exercitu Bawariam, sed cum favore Ducum & Marchionis, tendens in obsidionem civitatis dictæ Zurich. Eodem, Rex Bohemorum Karolus electus in Regem Romanorum circa Martini transivit civitatem Prawnau, proponens se transferre cum exercitu in Romam, volens ibidem confirmari. quod factum est in die ... [1]

MCCCLV. Karolus electus Rex Romanorum in die Paschæ in magna Roma a substituto Domini Papæ confirmatur, coronatur, Cæsar efficitur: & eodem anno rediit in Terotuniam [2], in quindena post solstitium æstivale, & in die confirmationis suæ voluit subtraxisse Veronicam Romæ. Eodem anno Albertus Dux Babariæ volens aggredi & visitare fratrem suum Wilhalmum Ducem Hollensem, in itinere captivatur a Domino de Gulich.

MCCCLVI. Dux Albertus rediit de captivitate de Gulich. Eodem anno obiit Imperatrix relicta Ludwici Imperatoris de Gulich, pia, discreta, provida: quæ multum dilexit Clerum, & totam terram Wabariæ.

Anno milleno tercenteno quoque seno
Et quinquageno denascenti bene Christo,
In Sancti Lucæ festo fit motio terræ,
Hac Basilea cadit, mortem gens acrius adit.

MCCCLVII. Obsessum est castrum in Naternberch a Ducibus Wabariæ, videlicet Stephano & Alberto, ante festum Paschæ; Cæsar vero Karolus Bohemus venit in subsidium Ekkario, qui fuit in dicto castro circumvallatus. Duces autem habentes copiosiorem populum Cæsare, volentes secum inire bellum, inducti sunt a nuntiis Ducis Austriæ, & a fautoribus Ekkarii, ut placitarentur cum Cæsare. Qui Cæsar placitum petivit, & bona placita Ducibus admisit, quoniam consideravit posse vinci, & nequaquam vincere. Ob cujus rei effectum tota Wabaria medullitus ingemiscebat, exceptis conspiratoribus Ekkarii: fraudulentus enim Cæsar Babariam dolosis nequitiis semper impugnavit. Constituerunt autem unanimiter Albertum Contractum Ducem Austriæ in sequestrem, assignantes diem, qua omnes, videlicet tam Cæsar, quam Duces Wiennæ comparerent, & Dux Austriæ litigium eorum discuteret. Sed venientes illac, Cæsar omnia placita cassavit, nec minimum ratum. Deinceps misit Monachum & Episcopum, cognominatum Gugelweit, ut Wabariam depopularetur: cui traditum fuit castrum Chamer a custodibus. Perpendens autem quoniam modicum proficeret, in Bohemiam revertitur. Tunc Petrus Chamerawarius fere ducentis iilis [1] seu iilatis strenuissimorum Wabarorum sibi assumptis, terram Cæsariis circa Flozz & oppidum Weiden incendiis & rapinis devastavit, & duo milia pecorum abegit; cui occurrentes adversarii copiosiori plebe pugnatorum præliabantur. Itaque dictus autem Petrus cum suis adjutorio Dei prævaluit, & plures adversariorum stravit, plerosq; Strawbingæ captivitati invexit, secum asserens prædam copiosam. Ob cujus rei effectum præfatus Gugelweit in Babariam rediit cum sexcentis iilis. Albertus vero Dux proponens secum committere bellum, rogatus constituit & firmavit trewgas usque in Purificationem Beatæ Virginis.

MCCCLVIII. Postea LVIII anno reformati sunt ipse & Cæsar: quia frater suus Wilhelmus Dux Hollensis cœpit insanire, quamvis sapientior fuerit cunctis fratribus & potentior; ideo ipse & Romanus de Brandeburga certatim festinantes, voluerunt sibi vendicare plures terras ipsius Wilhelmi. Eodem anno in Adventu Domini, in die Barbaræ Dux Stephanus adversabatur Metropolitano Salzburgensi, & fundavit castrum in Lichtentann; & castrum in Dornberch, & multa mala intulit suis hominibus. Tandem Metropolitanus cum fratre suo Episcopo Patavienſi se vindicavit in quantum potuit, Dornberch devastando expugnavit, & villas combussit. Item eodem anno circa finem autumni Junior Dux Stephanus & Dominus Heinricus Tuschlo concremaverunt hofmarchiam in Eringa, & fere omnia oppida & villas & allodia, quæ possedit Dominus de Abelnperch: qui de nocte equitans, de Abelnsperch usque in Lantzhut terram incendiis & rapinis depopulatus est.

MCCCLVIII [2]. Reconciliati sunt Episcopi & Duces Wabariæ in Patavia ante diem S. Viti, ubi convenerunt Dux Austriæ & Marchio, celebrantes nuptias cum pueris suis: quibus interfuerunt infiniti Domini & populi hastiludentes.

MCCCLXIII. Meinhardus juvenis Marchio, Tyrolensis Comes, filius ingenii & strenui Ludwici Marchionis Brandeburgensis ac Ducis Bawariæ felicis recordationis decessit, & reliquerat duas provincias, videlicet Comiciam Tyrolensem, & Superiorem Bawariam: matre & uxore, quæ etiam soror Ducis Rudolfi

[1] cætera desunt in Cod. [2] f. Teutoniam.

[1] ita Cod. [2] f. MCCCLIX.

Austriæ

Auſtriæ, ambabus ſuperſtitibus. Dux vero Wabariæ Stephanus patruus Meinhardi prædicti, & tres filii ſui, ſcilicet Stephanus, Fridericus & Johannes vendicaverunt ſibi ſuperiorem Wabariam, cum favore provincialium ejusdem terræ. Præfatus autem Dux Auſtriæ Rudolfus ſubrogavit ſibi terram Tyrolenſem per placita, favente ſibi antiqua Marchioniſſa, etiam pro dote ſororis ſuæ. Quod ægre ferentes Duces Wabariæ, affirmarant ſe fore veros hæredes fratruelis, & ambarum provinciarum. Quocirca juvenis Dux Stephanus venit ad terram Tyrolenſem, poſtulando ipſam: cui reſtitit Dux Auſtriæ, hinc pullulavit zizania inter ipſos. Mox Dux Auſtriæ recepit ſe Salzburgam ad Venerabilem Epiſcopum Ortolfum, qui fuit annoſus, ſed virtuoſus, benignus & locupletus: hunc ſuavibus placitis induxit, quod confeſtim de omnibus ſuis fortaliciis Bawaros infeſtavit, licet invitis Canonicis, & aliis quibusdam ſuis: quia Dux Auſtriæ Rudolfus fuit juvenis, & devaſtator Cleri. Retinuit enim omnia vina Bawarorum, tam clauſtralium quam civitatenſium, ſumma quorum extendebat ſe ad tria milia vaſorum ternariorum, ita quod hoc anno fuit æqualis defectus vini in Bawaria. Item in Auſtria, in Karinthia, & in Styria, & quali in cunctis finibus ſuis ipſos omnes Abbates, præpoſitos, Paſtores, Vicarios, aliosque Eccleſiarum rectores compulit ad inauditam exactionem: cujus ſumma extendebat ſe ad LXX milia librarum Wiennenſium; dicuntur etiam amplius. Quæ exactio nimirum præbuit viam deletionis Cleri & Eccleſiarum, ut inferius evidentius patebit. Medio tempore Bawarini Duces litigabant adverſus Salzburgenſem Archiepiſcopum, & Comitem Ulricum Schawbergarium, qui poſſedit Scherdingam; & Dominum Eberhardum de Walſe, poſſidentem Neunburch. Bawari vero captivarunt penes Otting LXX & plures de potioribus Auſtralibus & Salzburgenſibus, videlicet Stubenbergarium, Weiſenekkarium, Goldekarium, Hannawarium, & alios prædivites: de qua victoria crevit magna jubilatio in Bawaria.

MCCCLXIV. Primus hujus nominis Otto Abbas S. Petri Salzburgenſis obiit: pro quo Johannes eligitur in Abbatem, qui comparavit Sanctimonialibus Monaſterii ſui prædicti bona Muſicalia Gradualium & Antiphonariorum, easdemque de cantu Muſicæ in eisdem primo jubens informari: quæ a retroactis temporibus ſecundum uſuales libros Divinum Officium cum Horis Canonicis vociferabantur.

Eodem anno Albertus etiam Dux Wabariæ volens expugnare Scherdingam, ſuis intulit magnum periculum: nam multi ſauciati ſunt ſagittis, & ictibus videlicet obierunt, XLIII ſcandentes in cameram detenti ſunt. Duces etiam Bawariæ circumvallaverunt civitatem Muldorf circiter tres menſes cum civitatenſibus & copioſo populo: nec machinis, nec impugnationibus poterant quidquam proficere, quia Ulricus Weiſenekkarius vixmet quadrageſimus [1] armatus, Capitaneus dictæ civitatis, una-

[1] *f.* quadraginta.

cum belligeris civibus eis viriliter & animoſe repugnavit. Tunc Archiepiſcopus & Muldorfenſes continuo ſupplicabant Duci Auſtriæ, quatenus eis ſubveniret, ſicut ſpoponderat. Ipſe tamen opitulamen diſtulit, quousque Bawari devaſtarant terram a Muldorf usque in murum civitatis Salzburgæ, & circumquaque incendiis & rapinis. Chol autem de Saldenhofen Capitaneus Karinthianorum morans in Lauſſen, concremavit in Weilhardo, & captivavit fere XXX Bawaros honeſtos circa Trubenpach. Tunc major pars ruſticorum utriusque partis diu noctuque incendentes & rapientes, quaſi omnibus omnia aufferebant; ſic perſeveravit gwerra illa a feſto Martini usque ad feſtum Bartholomæi. Tunc primo aſcendit Dux Auſtriæ obſidens Ried, quod per placita ſibi tradebatur; at tamen Johannes, dictus Meiſſawer, Miniſterialis Auſtralis ante placita ibi ictibus interimebatur. Duces veruntamen Bawariæ ſuſpicabantur, Ducem Auſtriæ nullatenus auxiliaturum Muldorfenſibus, reliquerunt obſidionem, cives miſerunt ad ſua, aſſumentes ſibi tantum Nobiles, videlicet Rudpertum Palatinum Ducem Reni, & Purgravium de Nurnberch, & alios Comites & Barones Sweviæ, Polonos, Meichsnenſes, & alios infinitos doctorum ad prælia, quorum numerus extendebatur ad .... milia galeatorum, & ad alia milia armigerorum: accelerabant in Prawnau, cupientes in Ried dimicare contra Rudolfum Ducem Auſtriæ. Quo percepto Rudolfus Dux Auſtriæ, Dux Saxoniæ, & Dux de Prawnswerch [2], & alii Ungarii ſeu Bohemi, & omnes adjutores ipſorum terga vertebant, & tendebant verſus Auſtriam. Ecce tunc verificabatur proverbium Gallicorum: Male quæſiit, male perdiit [3]. Quidquid enim a Clero turpiter exegit, totum in expeditione ſeu rayſa confuſe amiſit & conſumpſit. Sic uterque non præliabantur, ſed fines ſive provinciæ, Bawarorum & Auſtralium, tam per amicos quam inimicos, ſpoliis & incendiis & rapinis proh dolor! nimium deſolabantur.

Georius, dictus Ahaimer, de Newnhaus cum ſociis ſuis multa mala fecit Auſtralibus in fuga de Ried, equos rapiendo plerosque captivavit; Duces vero Babarini, de conſilio Rudolfi Palatini, cum ſuis auxiliatoribus domum ad ſuas provincias properabant. Nec eſt ſub ſilentio transeundum, quomodo in die Sanctorum Martyrum Johannis & Pauli in prædicta diſſenſione Newnburgenſes & Scherdingenſes cum trecentis, quorum centum quinquaginta fuerant armati, octoginta thoracibus induti, equitabant in Vilshoven civitatem, facientes incendia & rapinas, & pecora ambigentes [4]. Heinricus, dictus Tuſchl, miles de Saldenaw adjunctis ſibi paucis viris de Ortenberch, ita quod univerſus comitatus continebat tantum LVI armatos absque ſcutiferis, inſequebatur eos, & in nemore apud Newnchirchen, in loco qui dicitur Chunglek, provocans ſuos ad prælium optimis ſermonibus, invocans auxilium de cœlo more Judæ Machabæi. Et invaſit adverſa-

[2] *l.* Praunſweig. [3] *ita Cod.* [4] *f.* ſuæ.
[4] *l.* abigentes.

rios;

rios; alios captivavit; alios ſauciavit; totam cohortem diſperſit, & fugando mirabiliter agitavit; quosdam in Newnburch; alios in Pataviam, quorum plerique captivati fuerant, unus apud valvam civitatis Pataviæ; alios in Eno. Alii fugerunt in Scherding; alii latentes apud S. Nicolaum in Clauſtro, & in nemore: poſt ſecundum, tertium & quartum diem more Auſtralium confuſe redierunt. Præfatus [1] Rudolfus Dux Auſtriæ etiam tyrannidem ſuam exercuit in Clero ante dictam gwerram, ut prædictum, & poſtea tanquam perſecutor Cleri. Dixit enim, ſi Principes eum vellent juvare, ipſe vellet utique omnes Clericos excoriare. Ipſe etiam contempſit mandatum Domini Apoſtolici Urbani V., dicens: Egomet volo eſſe Papa, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, Decanus in mea terra. Ipſe etiam Epiſcopatum Patavienſem voluit tranſtuliſſe in Wiennam. Idem voluit in Dominio ſuo Cœnobiis Prælatos inſtituere & deſtituere: & dixit ſe eſſe de ſtirpe Neronis, qui fuit primus perſecutor Cleri: qui & idem ſcripſit ſe *Archiducem* in Auſtria. Ipſe etenim abſtraxit in Eccleſiis & Monaſteriis Reliquias Sanctorum, quas poterat, cum conſenſu & absque conſenſu: & opinabatur ſeipſum ſapientem velut Imperator Fridericus, qui Dominicam Orationem voluit emendaſſe. Ipſe etiam fuit devaſtator paternæ fundationis, & multarum perpetuarum Miſſarum. Unde bene de eo dixit verſificator:

Sacras olim ædes pietas conſtruxit avorum,
Quas nunc hæredes devaſtant more luporum.

His etiam temporibus ex parte prædicti Rudolfi, & aliorum infidelium, Epiſcopi ſcilicet Friſingenſis, Patavienſis & Ratisponenſis infinita adhæſit inopia: nam Creditorum debitum exceſſit horum redditum [2]. Exiit tunc temporis commune proverbium: Judæorum infortunium excellere eventus Clericorum.

Deinde Duces Wabarini etiam non defendebant in ſua terra Clerum, Eccleſias & Cœnobia, imbuti ex Ducis Auſtriæ malivolentia. Clauſtrales namque & Clerici multa adverſa ſunt perpeſſi ex hoſpitum frequenti viſitatione; & Judicum & præconum in menſa aggravatione: fuerunt enim multi Prælati & alii Clerici, tam in Auſtria quam in Bawaria, detenti, captivati, depecuniati, & omnibus quæ poſſederant, fuerunt ſpoliati. Clauſtrum in Pawrn, Ordinis S. Benedicti, & aliæ Eccleſiæ ſunt concrematæ, quæ tamen ab hoſtibus fuerunt tutelatæ. Unde dicit quidam verſus ſic:

Sic cunctus Clerus Laicorum pondere læſus
Jam plus laſſatur, quam unquam commemoratur.

Licet multa eſſent ſcribenda alia, tamen hæc dicta ſufficiant, ne audientibus, vel legentibus tædium prolixitas parturiat.

MCCCLXV. Rudolfus Quartus, Archidux Auſtriæ, ſæpe dictus perſecutor Cleri obiit in Mediolano, VI Kal. Auguſti, anno ætatis ſuæ XXVI, relinquens ſuum pædagogum ſeu tyrannum Ulricum Comitem de Schawnberch in Diœceſi Patavienſi. Eodem anno Ortolfus de Weizzenek Archiepiſcopus Salzburgenſis ſupra dictus obiit: loco cujus Pilgrimus de Puechaim in Archiepiſcopum eligitur.

MCCCLXVI. Fuit idem Comes Ulricus de Schawnberch, qui tunc temporis reputabatur pro maximo tyranno. Invenit novas exactiones in Cleris [1] & pauperes: dixit enim manifeſte ſeu nuncupavit Dominum Urbanum Quintum tunc Papam pro patre ſpirituali vulgariter den Gaiſtleinein Vatter, & Clericos nominavit di geweichten Bawrn. Qui tenens unam hæreticam opinionem, dixit: Deum Omnipotentem eſſe & vivere; ſed corrupto ac mortuo homine, Spiritum ad ipſum ſive nudum, ſive labe infectum, & non ſimul opera hominum, regredere [2]. Accidit eodem tempore peſtilentia equorum ſuorum, ipſe conſiderans ait: O Deus, ſi omnes equi moriuntur, nunquam aſinam ſicut Tu equitarem; ſed ruſticos ſicut equos urgentes equitabo, ac alias multas malas opiniones tenuit contra fidem de nova baratria. Invenit etiam novas exactiones & inauditas, ſpoliando ſacerdotes, aut minando, aut placitando: & in ſua ditione extorſit a Plebanis ſeu Vicariis annuo bladum ab unoquoque x modios frumenti vel avenæ ſimul, quod ſibi placuit: & ſpoliavit Clerum in articulo mortis, in dotibus eorum, omnibus rebus tam mobilibus quam immobilibus, & remedia relicta per Clerum in parrochiis ſibi per ſuos præcones uſurpavit. Omnes ruſticos, colonos & pauperes novis exactionibus in blado & rebus eorum, ſeu mit wericharten ad ſtructuras oppidum [3] in Evriding & Pewerbach, & aliis caſtris ſuis omnino depauperavit, nulli parcens. Dixit ſe etiam in territorio ſuo Papam, Regem, Epiſcopum, Archidiaconum & Decanum. Similiter abſtrahebat Capitulo Patavienſi, Monaſterio S. Nicolai extra muros Pataviæ, & cæteris Clauſtris ſeu militibus curias, allodia, agros ſitos in dem Aſchawer-winchel, & ſibi ipſi ad caſtrum in Schawnberch ſine cauſa per potentiam uſurpavit, & alia multa mala omnibus hominibus impoſuit, quæ narrationis nimis eſſent prolixæ, nec per linguas explicabilia: non timens de hoc vindictam Dei, quæ Divina ordinatione evenit uxori ſuæ Comitiſſæ de Nurnberch, quæ peperit ex eo unum monſtrum, habens quatuor pedes & caput caninum. Et licet idem Ulricus Comes abundaret in temporalibus, tamen ipſe multas patiebatur infirmitates: & quia Clerum ſemper ſtuduit moleſtare, digne meruit eorum poſtremo ſolatio non gaudere: & obiit ſine omni confeſſione, contritione & ſancta Euchariſtia (dumodo [4] multi Sacerdotes fuerunt præſentes, ſeu ſibi in fine aſſiſtentes), anno Domini MCCCLXXIII, feria quinta poſt diem Cinerum: cui ſucceſſit in Comecia Heinricus Comes de Schawnberch, frater ſuus. Anna Abbatiſſa in Nunburg obiit.

MCCCLXVII. Urbanus Papa Quintus eſt creatus ab omnibus Cardinalibus, licet non fuerit Cardinalis, ſed Monachus de Ordine

[1] *Vide obſerv. præv. num.* 4. *in hoc Chronicon.*
[2] *f.* redditus.
[1] *l.* Clericos. [2] *l.* regredi. [3] *f.* oppidi.
[4] *f. pro* licet.

Sancti

Sancti Benedicti; de Marſiliæ partibus, Abbas Cœnobii S. Victoris. Eodem anno Stephanus Dux Bawariæ, deſponſavit ſibi filiam Domini Mediolanenſis. Quocirca exegit a Plebanis, ſeu ruſticis & colonis in terra Bawariæ avenam multam; ab uno x ſcaffas, ab uno quinque, ſecundum majus & minus, quod fuit inauditum apud antiquos Duces Bawariæ. Iſtam exactionem didicit a Comite Ulrico de Schawnberch. Eodem anno Dominus Papa Urbanus Quintus recepit ſe cum domo ſua de Avinione in Romam magnam, & in die Omnium Sanctorum celebravit Miſſam in ara S. Petri, in qua in LXXII annis non fuit celebratum: quia totidem annis Sedes Apoſtolicorum fuit Avinione.

Eodem anno ſeminavit Diabolus zizaniam inter Dominum Albertum, dictum Winchler, Epiſcopum Patavienſem, & inter ſuos cives. Patavienſes, ipſi cives gwerrantes cum ſuo Epiſcopo a feſto Georii usque poſt feſtum S. Michaelis. Exivit omnis Clerus a civitate, cives obtinuerunt caſtrum, quod dicitur Daz Niderhaws, deceptorie, & in monte caſtrum S. Georii multis machinis & pugnationibus ſeu ictibus lapidum moleſtaverunt. Iidem combuſſerunt ſeu cremarunt duo fora, ſcilicet Zell & Griespach, & unam Eccleſiam, in qua erat Sacramentum Corporis Chriſti. Ob quod nefas incurrerunt Dei vindictam: quia apud rivulum, Erlach occiſi ſunt ducenti; & multi vulnerati, plerique captivati, cæteri fugierunt. Tandem ſunt per Duces Auſtriæ ipſi cives Epiſcopo eorum reconciliati; ita quod ipſi dederunt Domino Epiſcopo x milia librarum denariorum Patavienſium, ut de cætero haberent Magiſtrum civium, & Conſules, & proprium ſigillum, electos ad nutum Epiſcopi. Ultimo Andreas, dictus Haller, judex civitatis contra voluntatem Domini Epiſcopi ... auctor gwerræ, capitaneus civitatis electus non a melioribus civibus, ſed a Communitate, ſemper invidens potioribus civibus: & ipſum Capitaneum, videlicet Andream Hallarium, auctorem gwerræ prædicti cives meliores jugulatum in ſacco ſubmerſerunt. Epiſcopus Patavienſis habuit adjutores Comitem de Hals & Barones potiores, quos conduxit multo ſtipendio, ipſos ditans; Diœceſim vero depauperans.

MCCCLXVIII. Chunradus Hartnidus, Eberhardus germani, dicti Cuchlarii, obtinuerunt per placita caſtrum in Matze nomine pignorio a Domino Alberto Epiſcopo prædicto, feria quarta poſt Ægidii, pro tribus milibus ſexcentis libris Wiennenſium denariorum: & idem caſtrum non debet redemi ab eis prædicta pecunia in XI annis, & talis obligatio caſtri prius eſt inaudita.

Eodem anno in æſtate Dominus Papa Urbanus & Karolus Cæſar gwerraverunt cum Domino Mediolanenſi: & idem Cæſar intravit Italiam in adjutorium Domini Papæ, & S. R. Eccleſiæ, impugnando prædictum Mediolanenſem; & ſi hoc fideliter fecit, Deus ſcit: quia hoſtiliter pugnando nihil profecit. Et Duces Bawarini etiam intraverunt; Stephanus juvenis Dux Mediolanum futurus ſocerum ſuum; Fridericus vero Dux frater compoſuit Mediolanenſem & Cæſarem, & pacavit Papam cum Mediolanenſi. Tunc Papa multos adverſarios ſuos interfecit diverſis necibus. Et infiniti Cæſarei Bohemi omnibus rebus deſtituti exiverunt Italiam, pauperini & famelici redeuntes Bohemiam, non promoti per ſtipendium ipſorum, ſed decepti per Cæſaris vel ſutiam. Eodem anno [1] poſt multa bellica acta & alia miranda, quæ de ipſo narrabantur, redivit de Roma in Avinionem.

MCCCLXIX. Rudbertus & Adolfus Duces Palentini [2], Fridericus & Stephanus Duces Bawarini, in navigio multo venerunt Ungariam ad Regem; qui ſimul ſunt confœderati, & multi cum eis, contra Karolum Imperatorem, quod habuit poſtea malum eventum. Sed tunc etiam in Wienna cum Ducibus Auſtralibus pro Comecia Tyrolenſi non ſunt plene reconciliati; præfixo tamen alio termino poſt Michaelis per ſequeſtres in Scherdinga ſunt penitus compoſiti, tali modo, quod Scherdinga & alia fortalitia cum infinita pecunia ceſſit Ducibus Bawariæ; & Ducibus Auſtralibus terra Tyrolenſis perpetuo poſſidenda. Eodem anno Caſtrum Valchenſtain Miles, dictus Leitwein Uſel, clandeſtine ſcandendo obtinuit contra Eberhardum de Walſe, cui obligatum fuit a Ducibus Auſtriæ, quod idem Uſel ſtatim Comiti de Hals reſignavit: quod idem Comes pro tribus milibus librarum denariorum Wiennenſium pro Stubenbergario Ducibus Auſtriæ aſſignavit.

Eodem anno tunc iterum ſævivit peſtilentia glandium ſatis ferociſſima in multis locis. Ut opinatur, ſingulis annis evenit a magna peſtilentia, quæ incœpit anno Domini MCCCXLIX. Eodem anno Imperator Græcorum cum Patriarcha Conſtantinopolitano viſitavit Dominum Papam [3] V, quando erat Romæ cum aliis Magiſtris de Græcia, diſputantes cum Magiſtris Theologiæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod Spiritus Sanctus non procederet ab utroque, ſcilicet Patre & Filio, & de aliis dubiis fidei. Tandem devicti ſunt ſive inſtructi a prædicto Papa, & a Magiſtris Theologiæ de prædictis dubiis; & converſi plene ad fidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad fidem Chriſtianitatis, & reverterunt, ad Græciam, glorificantes & laudantes Deum.

MCCCLXX. Beatus Urbanus Papa Quintus ſupra dictus obiit x Kal. Decembris in Avinione, cui ſucceſſit Gregorius XI in Papam: & idem Beatus Urbanus Papa intumulatus eſt in capella B. Virginis Mariæ Avinionenſis, in ſummo jacens ſuper ſepulchro a tempore mortis ſuæ usque ... In quo tempore infinitis emicuit ſignis & prodigiis. Unicum filiolum cujusdam Dominæ ob devotionem parentum cum aliis pluribus devotis reſuſcitavit defunctum. Et mutum mutilatione linguæ ex tyrannide Domini Mediolanenſis, cujus ſævitia multos necuit, mutilavit, torſit nequitia, ſermone reſtituto, florido ac expreſſivo decora-

[1] *Supple* Urbanus Papa. [2] *f.* Palatini. [3] *Supple* Urbanum.

vit, ac aliis mille & quingentis grandibus miraculis coruſcavit, ſcriptis a fide dignis exaratoribus ad hoc deputatis a Papa Gregorio XI, exceptis illis, quæ commorantes defuncto non ſcripſerunt. Unde verſus:

Tunc credam [1] ſignis, qui nolunt credere verbis.

MCCCLXXI. Dux Fridericus Wabariæ tranſiens Pataviam, Auſtriam, Ungariam, Cracoviam, non tranſiens per Bohemiam, timens Cæſaris aſtutiam, recepit ſe Brandeburgam, ob Marchiam vocatus poſſidendam. Sed Dux Stephanus junior frater ſuus, deprædatus eſt Lantzhutam. Tunc Archiepiſcopus Pilgrimus, dictus Puchaimer, neſcio quibus conſiliis conſpiravit cum Ducibus Bawariæ, ad dies ipſius dicti Pilgrimi; quod ſuis Nobilibus minime placuit, tamen fecit in bono Epiſcopus, ut haberet Duces pro adjutoribus contra æmulos ſuos. Ipſe vero in nullo apud Duces Bawarinos in hac conſpiratione minime profecit. Quæ conſpiratio non placuit Cæſari, dicens [2], quod talis unio eſſet contra jura regalia Romanorum: ſimiliter Duces Auſtriæ dixerunt, quod Eccleſia Salzburgenſis eſſet conſpirata cum eis perpetuo. Quare per Dominum Papam Gregorium, ad preces Karoli Imperatoris & Ducum Auſtriæ prædictus Epiſcopus coactus eſt recedere a dicta conſpiratione & unione; quod idem cum magna difficultate apud Duces Wabarinos obtinuit, propinando eis quatuor millia florenorum, & ſic rediit in gratiam prædicti Imperatoris: quem viſitavit Pragæ Bohemiæ, & Duces Auſtriæ Wiennæ, & hoc magnis ſumptibus & expenſis. MCCCLXXIIII°.

MCCCLXXII. Duces Wabariæ expugnaverunt caſtrum in Stokchenvels, & obſiderunt caſtrum in Rietenburch: & cum expugnaſſent præcurtem, Comites Purgravius de Nurnberch & Lantgravius reconciliaverunt Ducibus Wernherum, dictum Awer, poſſidentem prædicta caſtra, Cæſaris promiſſis deceptum. Tunc Duces Wabariæ properantes cum toto exercitu verſus Schonaw, quam cives Auguſtinenſes cum Capitaneo eorum Duce de Dekch circumvallaverunt, & ibi caſtra metati ſunt. Quo audito cives fugierunt. Poſtea iterum Auguſtinenſes exiverunt circiter ccc, quos pauci Ducani invaſerunt, eos occiderunt circa aquam, quæ dicitur Lech. Dominica ante Nativitatem Chriſti Reikkerus, dictus Rüdenberger, Miniſterialis, & Zacharias Hadrarius Miles cum eorum adjutoribus & amicis ſecrete nocturno tempore voluerunt obtinuiſſe caſtrum in Obernperig, quod tunc obligatum fuit Archiepiſcopo Salzburgenſi. Tunc Altmannus ... caſtellanus in Obernperig, & amicus ſuus Degenhardus Caſtellanus in monte S. Georii in Patavia cum fautoribus eorum obſidentes caſtrum in Rüdenberch, & Dominica *Adorate* per eos viriliter eſt expugnatum, deſtructum & crematum.

MCCCLXXIII. Zacharias, dictus Hadrar, idem miles obtinuit caſtriolum ligneum in Pirichach prope Altheim. Reikkerus Rudenberger recepit ſe in Lichtenburch: & hi ſpoliaverunt continue Archiepiſcopum Salzburgenſem, & Epiſcopum Patavienſem manifeſte & clandeſtine, diu noctuque, & tertia feria poſt Galli interfecerunt octo vulgares Obernperingenſes, & plures captivaverunt: Ducibus Babarinis indebite conſentientibus, quia tunc temporis fuerunt confœderati cum Epiſcopo Salzburgenſi, ut patet ſupra.

Eodem anno Fridericus Dux Wabariæ iterum recepit ſe in Marchiam Brandeburgenſem, timens Cæſaris Karoli Regis Bohemiæ fraudulentiam. Quo percepto Cæſar congregato ingenti exercitu impugnavit Fridericum Ducem, & volens habere Marchiam aut vi, aut pretio, licet fuerit Ducibus Wabariæ jure hæreditario: faciens quemadmodum Achab fecit Naboth Iſraelitæ; vi recipiens ſibi vineam ſuadente Jezabel. Poſt longum vero conflictum juvenis Dux Stephanus, frater Friderici, congregatis belligeris intravit Bohemiam penes Chamm, faciens in ea depopulationes & crematione ibidem. Tunc compoſiti ſunt Cæſar & Duces Wabariæ, qui vendiderunt Cæſari Marchiam Brandeburgenſem pro XII fortalitiis & civitatibus ſitis in Babaria, & pro innumerabili pecunia, & dederunt ſibi terram optimam & honorabilem (quia Dominus illius terræ Brandeburgenſis eſt unus de Electoribus Regis Romanorum,) pro exili pretio; & ſic vendiderunt & perdiderunt duas terras optimas in Comecia Tyrolenſi, & Marchiam Brandeburgenſem infra quatuor annos. Licet perceperint magnas pecunias & infinitas ex venditione & alienatione terrarum; tamen eodem anno impoſuerunt unam exactionem inconſuetam, Clauſtris, Cœnobiis, Plebanis, Vicariis pro expenſis canum, quæ vulgariter nominabatur Huntſtorar. [3]

Eodem anno Karolus exiſtens Rex Romanorum, nec non Rex Bohemiæ, dignitatem Imperialem volens poſt ſe relinquere filio ſuo, licet illud multo tempore antiquo non erat auditum, ut talis Dignitas Imperialis a patre proceſſum haberet in filium; eundem Wenczlaum in Regem Romanorum promovit: & hoc magnis ſumptibus apud Electores Regni Romanorum & circa alios Principes, ſicut tunc æſtimabatur, pro XVII. c. mille florenis obtinuit. Et idem Wenczlaus novus Rex Romanorum electus eodem anno Curiam apud Franchenfort edixit ac celebravit, & Principibus jura regalia & omagia contulit, ſicut decuit Regem Romanorum. Et Dominus Papa eandem electionem confirmavit; licet idem Wenczlaus Rex fuerit tunc temporis minorandus, & ſiniſtro modo electus. Neſcio, qua de cauſa hoc fecerit Dominus Papa. Prædictus Karolus Imperator & Rex Bohemiæ, qui tempore ſuo augmentavit regnum Bohemiæ cum multis terris, Poloniæ, Luſaciæ, & Marchia Brandeburgenſi, quæ terræ ſunt infeodatæ a regno Romanorum, uſurpando ſibi infeodationem ad regnum Bohemiæ, minorando regnum Romanorum, augmentando Bohemiam,

[1] *f.* credant. [2] dicenti. [3] Hundts ſteur.

miam, obiit, relinquens Wenczlaum Regem Romanorum, cum duobus aliis filiis.

Eodem anno Albertus Dux Austriæ volens celebrare nuptias Wiennæ Dominica *Esto mihi*, vocavit Dominum Albertum de Winchel Episcopum Patavienſem, ut ſibi copularet filiam Friderici Comitis de Nurnberch legitime in uxorem. Et idem Albertus Epiſcopus volens parere mandatis Alberti Ducis Auſtriæ, cum proficiſceretur in via tendens Wiennam, cum pervenit prope civitatem Sancti Ypoliti ſitam in Auſtria; contigit, ut ab Ottone & Heinrico, dicti Ernvelſer, Miniſteriales Stiriæ, cum ſuo exercitu eſt captivatus indebite, quia non ſuſpicabatur eos ſibi adverſari: & deductus in caſtrum, dictum Chamer, ſitum in Styria Diœceſis Salzburgenſis, incluſus fere per annum. Quapropter prout inſtitutum eſt a Matre Sancta Eccleſia, prædicti Ernvelſer cum ſuis complicibus in Diœceſibus Salzburgenſis & Patavienſis Eccleſiarum ſingulis feſtivitatibus ac Dominicis diebus ſunt excommunicati, & publice pronunciati, pulſatis campanis, & candelis accenſis. Tandem ultimo idem Albertus Epiſcopus Patavienſis cum ſuis familiaribus eſt per placita ab eorum captivitate liberatus. Et in prædictis nuptiis Wiennæ fuerunt multi Domini, ſcilicet Fridericus Dux Bawariæ, & Comites, ac infiniti Barones Bawarini &c.

Eodem anno Lanczhutenſes captivaverunt cives plures fautores juvenis Ducis Stephani, quorum quosdam occiderunt cum conſenſu antiqui Ducis. Et filii Johannis Ducis diſſentientes cum juvene Duce Stephano, ſed pacati usque ad adventum Friderici Ducis, poſtmodum obſiderunt caſtrum Parſperch in Norico. Dominus Papa Gregorius XI. adhuc gwerrat cum tyranno Mediolanenſi. Unde exigit magnam ſtewram, ſcilicet decimam partem omnium reddituum ab univerſo Clero, ſecundum ſtatutum Concilii Viennenſis, quo Clerus debet dare cuilibet Papæ ſtewram, ſi Sedi Apoſtolicæ incumbit neceſſitas.

MCCCLXXV. XIV. Kal. Februarii obiit Dominus Johannes Roſſes, Venerabilis Abbas hujus Monaſterii: poſt quem Dominus Otto Chalnperger, hujus nominis II, canonice & concorditer eligitur, Nonas Februarii. Hic invenit Monaſterium in magnis debitis, quorum ſumma tunc taxababatur ad VI milia florenorum, exceptis uſuris & damnis, quorum ſumma ſe extendebat plusquam ad mille florenos. Ipſe tamen per bonum regimen & bonam proviſionem Deo auxiliante præſcripta omnia in paucis annis plene & integraliter perſolvit. Inſuper & per ſucceſſum temporis multa & quaſi inenarrabilia bona pro Monaſterio fecit, videlicet conſtruendo clenodia & parando, & redditus Monaſterii augmentando &c. quæ omnia ſcribi non poſſunt; principaliora tamen digne ſcribenda ſunt, non jactantiæ cauſa, ſed ſucceſſoribus in exemplum.

Pro Sacriſtia infra ſcripta fecit.

Primo, comparavit magnam Crucem argenteam, habentem puri argenti marcas XXXII: quæ omnibus computatis, conſtetit CCCCC florenis.

Item imaginem Beatæ Virginis habentem argenti marcas IX; quæ conſtetit denariorum libris LXX.

Item duas Monſtrantias magnas; quarum unam emit pro denariorum libris XLVIII; alteram pro denariorum libris XXX. Item brachium argenteum, quod emit pro den. lib. XXX. Item curvaturam minoris baculi, quæ conſtetit den. lib. XLVIII. Item pro Miſſa publica comparavit Calicem, qui conſtat florenis XL.

Item procuravit indulgentias VII annorum perpetuas a Bonifacio IX. Item procuravit privilegium pro ſe & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum benedicendi calices, patenas, veſtimenta ſacerdotalia, aliaque ornamenta Eccleſiaſtica. Pro his duabus bullis expoſuit C. florenos. Hæc omnia cum multis aliis fecit pro Sacriſtia.

Infra ſcripta fecit pro Eccleſia.

Primo, emit tabulam ſuper altare S. Petri pro florenis LXXX. Item comparavit tabulam cum ſarcofago & imaginibus incluſis ſuper altare S. Crucis, & conſtat ſimul florenis LX. Item organum magnum ex novo fieri fecit. & conſtetit plus quam L libris denariorum. Item ædificavit turrim Eccleſiæ, quæ omnibus computatis conſtat plusquam ſeptingentis IX florenis. Hæc, & multa alia bona fecit pro Eccleſia & ejus ornatu.

Infra ſcripta fecit pro Conventu.

Primo, emit a turnario milite pro promptis pecuniis per induſtriam aquiſitis certa prædia, quorum redditus ſe extendunt ad XII libras denariorum vel ultra: quæ dedit Conventui ad oblayam pro ebdomadariis, qui prius nihil habuerunt: tali pacto & conditione adjectis, quod oblayarius, qui pro tempore fuerit, cuilibet ebdomadario in prima ſua ebdomada, qua ſcribitur ad publicam, teneatur cottidie dare tres denarios. Item in ſecunda ebdomada tantum, excepta ſecunda feria, quam tenetur expedire cuſtos Eccleſiæ. Item in tertia ebdomada tantum, præter quintam feriam, in qua tenetur dare quatuor propter Officium S. Ruperti.

Item inſtituit & dotavit.

Miſſam in dormitorio, quam ebdomadarius in ſexta feria quartæ ſuæ ebdomadæ legere tenetur, de qua habet denarios VIII, quos recipit ab oblayario. Ad hanc Miſſam, & anniverſarium ſuum dedit ad oblayam prædium in Witelswanchk, quod ſolvit redditum libras III, ſolidos V.

Item ad Miſſam Corporis Chriſti.

Quam ebdomadarius in quinta feria quartæ ſuæ ebdomadæ legere tenetur, habet denarios tres, quos legens recipit ab oblayario. Hæc Miſſa nihil prius habuit, quia prompta pecunia, cum qua inſtituta & dotata fuit, conſumpta fuit in lite pro Süffring. Pro præſcriptis vero celebrantes ad nihil aliud tenentur, niſi orare pro anima ejus, & habere ipſius memoriam.

Item dedit Conventui redditum denariorum libras duas pro quatuor minutionibus anni, quas amminiſtrare tenetur Conventui magiſter infirmariæ, qui pro tempore fuerit; pro

qualibet minutione libram mediam Conventui distribuendam, non obstante minutionibus, quas ab antiquo Conventui dare tenetur. Pro præscriptis vero duabus libris redditum Conventus ad nihil aliud tenetur, nisi in duabus sextis feriis cujuslibet minutionis in Capitulo habere memoriam ipsius cum uno Pater noster. Item dedit ad tres tricenarios anni pro Congregatione reddituum solidos IX, pro qualibet Missa denarios tres, quos legens recipit a Custode Ecclesiæ: & tenetur celebrans habere secundam collectam pro Abbate defuncto. Item melioravit & augmentavit Conventui præbendam in multis, ut in Breviario Chori invenitur. Hæc, & multa alia bona fecit pro Conventu.

Item pro remedio animæ suæ fecit infra scripta.

Primo, instituit anniversarium suum peragendum fore in perpetuum in Novembri, in die quatuor Coronatorum; in nocte cum vigiliis majoribus; & in die cum Missa sollemniter, ad oblayarium spectat. Redditus ad hoc dati patent superius in prædio Wittelswanchk: nec est curandum, quoad præscripta peragenda, quo tempore anni moriatur. Item Conventus tenetur expedire x Missas, scribendo eas secundum ordinem more solito, in die anniversarii ipsius incipiendo, & novem diebus sequentibus, & hoc ad ipsius sepulturam, videlicet in altari S. Trinitatis: & de qualibet istarum Missarum legens cottidie habet denarios XII, quos recipit a Custode Ecclesiæ. Item in die anniversarii ipsius Oblayarius, qui pro tempore fuerit, tenetur ex parte Conventus expedire balneum vænale in civitate pro pauperibus cum elemosina, cujus distributio patet in Breviario Chori: & tenetur Oblayarius procurare, ut in præcedenti Dominica præscripta omnia a Viceplebano in parrochia pronuntientur. Ad præscripta vero peragenda dedit Conventui reddituum libras quatuor super domum pellificis in salina, quæ vulgariter dicitur in der Wiß. Item quilibet Custos Ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, in perpetuum tenetur expedire lampadem diu noctuque ardentem ad sepulchrum ipsius. Item tenetur omnibus diebus Dominicis per circulum anni dare lumen de sepo [2] ad majestatem, & hoc in perpetuum. Pro his dedit ad custodiam reddituum solidos XVII denariorum.

Item pro Monialibus infra scripta fecit.

Primo, Claustrum ipsarum quasi de novo funditus construxit cum omnibus commodis in eo contentis. Item in Choro ipsarum Sarcofagum cum omnibus Reliquiis & Clenodiis in eo inclusis comparavit. Item sigillum argenteum ipsis habere concessit. Item oblayam & præbendam in vestibus & aliis ipsis multipliciter melioravit & augmentavit. Finaliter concludendo, pro Abbatia etiam multa bona fecit, ædificia construendo, Clenodia comparando, ac redditus Abbatiæ & Cameræ augmentando, ut in libris & litteris super præmissis confectis clare invenitur.

MCCCLXXVIII. Katherina Abbatissa in Nunburck diem suum clausit extremum. Item eodem anno circa medium quadragesimæ Gregorius Papa XI in Roma decessit. Post cujus sepulturam Cardinalibus Ecclesiæ de capite per electionem providere volentibus, Romanis satis importune ut Italicum eligerent instantibus, infra decendium Archiepiscopus Barovensis [1], tunc vice cancellarius, in Papam eligebatur, & Urbanus Quintus [2] nuncupabatur.

Item eodem anno post festum Pentecostes Cardinales (nescitur quo ducti, imo verius seducti spiritu) de Roma recesserunt: & non obstante quod a tempore electionis Domino Urbano adhæserunt, & ipsum per totum orbem terrarum suis scriptis Papam prædicaverunt, & sancte, juste, canonice electum asseruerunt; per metum & vim ipsis incussos se ad ipsius electionem compulsos dixerunt. Quapropter ipsius electione nulla & invalida ab ipsis reputata, ad electionem aliam processerunt, eligentes quendam Robertum Basilicæ XII Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui se Clementem VII nominare præsumpsit, cum quo transmeavit [3] Avinionem, & Rex Franciæ eidem cum pluribus aliis tanquam vero Papæ adhæsit. Dominus Urbanus Romæ permansit, & creavit novos Cardinales: cui tota Almania, Italia, Ungaria, Anglia & plures Reges & Principes adhæserunt. Et erat homo justissimus & in justitia firmus; imo Cardinalibus suis nimis justus fuit, quod ejus justitia, quam in ipsos exercuit, erat occasio secundæ electionis, & recessus ipsorum ab eo: quia pompis eorum & pomposæ dilapidationi patrimonii Crucifixi annuere noluit, nec consentire.

Item eodem anno Karolus Imperator Romanorum Rex & Bohemiæ obiit, qui tempore suæ vitæ per subornationem & corruptionem Electorum Imperii filium suum Wenczeslaum, annis & moribus nimis juvenem, in Regem Romanorum eligi ordinaverat: qui patri succedens, intrans ut vulpes, regnavit ut lupus ferociter tyrannisans.

MCCCLXXIX. Quædam controversia exorta fuit inter Abbatem Monasterii S. Petri Salzburgæ ex una, & Abbatissam de Nunburk [4], & per modum quæstionis in judicium coram Decano Ecclesiæ Salzburgensis & Officiali introducta, occasione cujusdam propria voluntate hoc, dum vixit, eligentis & petentis, apud S. Petrum sepulti: & quia idem erat proprius Monasterii Nunburgensis, prætendebat eum nec habuisse potestatem sepulturam eligendi, nec potestatem seu liberam voluntatem bona sua temporalia testandi seu legandi, & Abbatissa petivit tam corpus jam sepultum in sua Ecclesia sepeliendum, quam bona per eundem derelicta. Quæ quæstio coram judice præfato longo tempore agitata maximis fatigiis laborum & expensarum partis utriusque, tandem per viam arbitrii lis illa sopiebatur, & Abbas obtinuit corpus sepultum pariter & bona Monasterio suo testata & donata.

[1] obstantibus. [2] Sevo *seu* Sebo.

[1] *al.* Barensis. [2] Sextus. [3] *l.* transmeaverunt. [4] *Supp.* ex altera parte.

MCCCLXXX. Regnare cœpit epidimia A liter compoſiti ſunt, & prædicta duo caſtra Hafeu peſtilentia ſatis magna Salzburgæ, & circum circa, durans per annum vel ultra: tempore cujus obiit Domina Anna Abbatiſſa in Nunburga. Item anno eodem, circa feſtum S. Jacobi Dominus Pilgrimus Archiepiſcopus Salzburgenſis celebravit Concilium provinciale: vocatis & præſentibus ſuis Suffraganeis, & aliis pro tunc vocandis.

Anno MCCCLXXXI. Dominus Albertus Epiſcopus Patavienſis debitum naturæ exolvit: cui Johannes Præpoſitus ejusdem Patavienſis Eccleſiæ Canonica electione ſucceſſit. Item Rex Ungariæ moritur. Item Leupoldus Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus deceſſit: cui per Apoſtolicæ Sedis proviſionem Perchtoldus Wahinger ſucceſſit.

MCCCLXXXII. Die Mercurii poſt Dominicam *Quaſimodo geniti*, Fridericus Dux Bavariæ cum potentia intravit & maxima armatorum multitudine Contratam Perchtolczgaden, per quandam viam occultam, ubi non timebatur. Et omnes ejusdem territorii incolæ, Præpoſitus Eccleſiæ in Berchtolczgaden, omnes Canonici ac cives & coloni fugam ceperunt, una cum armigeris & nobilibus ad cuſtodiendum, & introitum prædicti Principis impediendum ibidem ab Archiepiſcopo Salzburgenſi miſſis & conſtitutis. Eandem vero Contratam prædicti devaſtaverunt, & multis bonis ibidem repertis ſpoliaverunt. Et præfatus Dux Bavariæ caſtrum de novo in loco, per quem intravit, erexit, ut amplius liberam intrandi facultatem & exeundi haberet, quod Wagenfels [1] nuncupavit. Cauſa vero & prædictorum occaſio hæc eſt: quia quidam, Ulricus Wulpp nomine, Bawarus natione, unanimiter & Canonice electus & confirmatus Præpoſituræ Præfectus, in quarto anno ſuæ dignitatis exiſtens, probus erat & multum honeſtus, ad utilitatem Monaſterii, & diſciplinam Eccleſiaſticam fideliter laborans. Propter cujus probitatem Canonici ſui & Conventuales eum perſecuti ſunt, & tandem Canonici, & etiam Laici ex ſuggeſtiva eorundem Canonicorum inductione præfatum ſuum Præpoſitum captivitati mancipaverunt: & Dominus Pilgrimus Archiepiſcopus Salzburgenſis ipſum depoſuit, & quendam Sighardum, dictum Wallar, Canonicum electione tali qualia ad ipſorum vota Canonicorum Præpoſituræ præfecit. Dominus vero Ulricus Wulpp metum eundem & coactionem reſignandi Præpoſituram Duci Bavariæ prædicto expoſuit, ſuæ protectioni ſe permittens, & ejus auxilium invocans. Qui quidem pluribus viis & modis de ipſo reſtituendo attentatis, videns ſe proficere non poſſe, manu armata, ut ſupra dictum eſt, ad ſui reſtitutionem laborando territorium intravit: propter quod gwerra maxima exorta eſt inter Duces Bavariæ ex una parte, & Archiepiſcopum Salzburgenſem & Duces Auſtriæ ex altera parte. Eodem anno ſæpe dictus Fridericus Bavariæ Dux caſtrum novum in Dornberg monte erexit, ædificavit & tenuit. Sed tandem habitis placitis amicabi-

[1] *al.* Hagenvels.

Hagenvels & Dornberg deſtructa, in præjudicium maximum Eccleſiæ Salzburgenſis conſtructa: ſed neuter dictorum Præpoſitorum nec Ulricus, nec Sighardus permanſerunt; ſed tertius quidam Conradus Torrer [1], nobilis de Bavaria, Canonicus Salzburgenſis Præpoſituræ præficiebatur.

MCCCLXXXIII. In nocte Dominicæ diei, qua canitur *Judica*, Eccleſia S. Rudberti cum vitris, organo & aliquibus ornatibus, & etiam Dormitorium cum quibusdam aliis ſtructuris & ædificiis prædictis annexis ignis incendio, & pars civitatis Salzburgenſis, quæ Ghay dicitur, ſunt deſtructa, & in ruinam & diſſolutionem converſa. Et poſt hoc infra ſpatium menſis unius trans pontem civitatis prædictæ B extra portam (porta Auſtralis vulgariter nominata) fere omnes domus ignis voragine ſunt deſtructæ. Eodem etiam anno plures civitates, opida & caſtra in Karinthia atque Stiria per ignem ſunt deſolata.

MCCCLXXXIV. Albertus Abbas Admontenſis obiit: pro quo Wihelmus Reyſperger ejusdem Monaſterii Conventualis eligitur. Item Johannes Vicedominus Friſacenſis moritur. Item Epiſcopus Ratisponenſis obiit: cui Magiſter Paulus Cholrar, per electionem ſucceſſit, qui ante ipſius electionis confirmationem obiit: & filius Ducis Stephani de Bavaria a Sede Apoſtolica, diſpenſatione ſuper natalium defectu comitata, præficitur.

MCCCLXXXV. Diſponente & opitulante Domino Pilgrimo Salzburgenſi Archiepiſcopo Eccleſia S. Rudperti cum turribus ejusdem præcedenti anno igne caſualiter exuſta, reformata eſt, & tegulis laterinis tecta & feneſtræ reparatæ & vitratæ: & campana quædam, Beatæ Virginis dicta, centum & decem æris continens centenarios, cum quadam alia LXVI centenarios continente per quendam ærarium Hermannum de Nurenberga fuſa, & multum bene & artificialiter facta eſt. Item eodem anno in die Walpurgæ Eberhardus Ovenſteter Præpoſitus Salzburgenſis obiit: & Gregorius Schench Canonicus dictæ Eccleſiæ a duobus tantum Concanonicis electus, contra Ortolfum Ovenſteter ejusdem Eccleſiæ Decanum a quatuor Concanonicis concorditer electum per Dominum Archiepiſcopum, præmiſſa quadam prætenſa declaratione ſuper juribus D prædictorum electorum, præficitur & confirmatur: a qua quidem declaratione & confirmatione dictus Dominus Ortolfus ad Sanctam Sedem Apoſtolicam appellavit una cum ſuis coëlectoribus, a Salzburga recedentes.

MCCCLXXXVI. Karolus Paris [2] venit ad Ungariam, & potenter de eodem regno expulit Sigismundum Margrafium, fratrem Wenczeslai Bohemiæ & Romanorum Regis: qui Karolus pauco tempore regnans a quodam Ungaro malitioſe eſt interfectus, & Sigismundus præfatus ad regnum Ungariæ eſt reaſſumptus. Item filius Ducis Auſtriæ Leupoldi, Wilhelmus nomine, de Cracovia eſt expulſus,

[1] *al.* Thocer. [2] *l.* Parvus.

& Regina Cracoviæ filia Regis Ungariæ, cum qua dictus Dux Wilhelmus matrimonium contraxerat, poſt ipſius expulſionem Regi Lituaniæ, prædicto matrimonio non obſtante, matrimonialiter eſt ſociata, ex diſpenſatione Domini Urbani Papæ Sexti: qui Rex occaſione ejusdem matrimonii ad fidem Katholicam converſus ſacrum baptiſma ſuſcepit, & in Cracovia potenter regnavit. Item in civitate Salzburgenſi per Dominum Pilgrimum Archiepiſcopum iterum celebratum eſt Concilium provinciale, & ſtatuta quædam provincialia propalata; præſentibus Epiſcopis, Gurcenſi, Seccovienſi, Chyemenſi, cæterisque provinciæ ejusdem Prælatis ad hoc convocatis.

Item circa feſtum Johannis Baptiſtæ tanta fuit inundatio aquarum in Karinthia & aliis partibus montanis prope Salzburgam, & etiam circa Danubium, ſic ut domus ac Villæ præcipitabantur, & pontes deportabantur violentia aquarum. Et de ſalina omnes fere lignorum congeries pro ſalis decoctione adaptatæ, plures quam patellæ quadraginte [1] defluxerunt. Et quidam miles, dictus Philippus Schalchdorffer, in Karinthia cum uxore, liberis & tota familia, arena per fluxum aquarum deportata in domo ſuo obrutus, poſt triduum effoſſus, ante canus totaliter exiſtens, niger crinibus repertus eſt. Item Patavienſis, & Capitaneus in Lintza Rempertus de Walſe, & aliarum civitatum Anaſi & Wels Burgenſes caſtrum Comitis de Schawmberg, Newnhaws nuncupatum obſidebant; ſed poſtea per placita receſſerunt.

Item Dux Auſtriæ Leupoldus bellavit contra Switenſes: ubi ipſe Dux ſuccubuit, & ipſe perſonaliter cum centum & octoginta Comitibus, Dominis ac Militibus Sweviæ & Athesis interfectus eſt; in parte victorum fere ſeptingenti gladio perierunt. Item Dominus Paduanus & Veronenſis litem quandam agitabant adverſus ſeipſos, & bella fecerunt, in quibus octingenti occubuerunt. Item bellum quoddam habuerunt Hiſpaniæ & Portugaliæ Reges, in quibus quadraginta milia & ultra proſtrati ſunt, ut fertur. Item uxor Regis Bohemiæ & Romanorum obiit, ſcilicet Wenczeslai, quæ fuit nata Domini Alberti Hollandiæ Comitis & Bavariæ Ducis, poſtquam deſponſavit ſibi filiam Domini Johannis Ducis Bavariæ juvenem & pulcherrimam.

MCCCLXXXVII. Dominus Johannes de Scherfenberg Epiſcopus Patavienſis in craſtino Purificationis Mariæ obiit: pro quo Dominus Hermannus ejusdem Eccleſiæ Decanus eligitur. Qua electione non obſtante Urbanus Papa VI Duci de Monte providit de eodem: cui proviſioni Canonici ſe oppoſuerunt, & civitas Patavienſis contra Canonicos ſibi adhæſit. Tandem prædictus Dominus Dux transferebatur ad Epiſcopatum Padenburgenſem [2], & conſenſu Canonicorum accedente Dominus Georius Comes de Hohenloch ad Epiſcopatum inſtituitur; & ſic incœpit quædam controverſia inter Dominum Ducem de Monte cui adhæſit civitas; & inter Dominum Georium de Hohenloch, cui adhæſerunt Canonici & Dux Auſtriæ, & ille dictus Dominus Georius poſt longas diſcordias & mutuas vexationes Epiſcopatum obtinuit.

Item Dominus Fridericus Chyemenſis moritur in die Blaſii: pro quo per Dominum Pilgrimum Salzburgenſem Archiepiſcopum Georius Neydperiger Eccleſiæ Salburgenſis Canonicus in Epiſcopum aſſumitur, & in Friſaco conſecratur. Item Dominus Heinricus Laventinus Epiſcopus ſubmergebatur in aqua, dicta Mur, prope Muraw. Item Dux Bavariæ Fridericus habens placitare cum Domino Pilgrimo Salzburgenſi Archiepiſcopo, utrimque data ac ſufficiente ſecuritate præſtita, in Raytenhaslach eundem Archiepiſcopum captivavit, & captivum eum aliquamdiu tenuit. Sed poſt ipſius evaſionem anno MCCCLXXXVIII expugnavit caſtrum Aptſe, quod erat Ducis prædicti Friderici. Sed poſtea dedit dictus Dominus Pilgrimus eidem Domino Duci milia florenorum XII, ut ſibi & Eccleſiæ Salzburgenſi caſtrum dimitteret. Item Katherina Abbatiſſa Nunburgenſis obiit, dicta de Pernek: loco cujus Diemudis Schonſtetarin concorditer eligitur, anno MCCC LXXXVIII prædicto.

MCCCLXXXIX. Dominus Urbanus Papa VI annum jubileum univerſalem anticipando Romæ dedit, & de novo eundem Papa anno triceſimo tertio in futurum perpetue celebrandum inſtituit. Item Papa Urbanus VI moritur, & Bonifacius IX præficitur.

MCCCXC. Abbas Oſſiacenſis obiit in reverſione ipſius de Janua, & Prior Eccleſiæ præfatæ.

MCCCXCI. Annus Jubileus per Dominum Bonifacium Papam Nonum Eccleſiæ Aquilegienſi conceditur. Item Conradus Abbas S. Pauli obiit, qui multa bona Eccleſiæ ſuæ procuravit, ſpiritualia pariter & temporalia, de Conventu S. Petri Salzburgenſis ad Abbatiam prædictam poſtulatus. Item Abbas Admontenſis Wilhelmus Reyſperger obiit. Item Præpoſitus Eccleſiæ Gurcenſis moritur eodem anno.

MCCCXCII. Annus Jubileus per Bonifacium Nonum in Monacum conceditur, ob reverentiam Reliquiarum multarum valde ibidem paulo ante repertarum. Item Sigismundus Ungariæ Rex multos de Turcis interfecit. Item Abbas in Pawrn obiit. Item Abbas Heinricus in Rot moritur. Item Dominus Gregorius de Neydperg Chyemenſis Epiſcopus debitum naturæ exſolvit: cui per proviſionem Domini Archiepiſcopi Salzburgenſis Ekhardus de Pernek Canonicus Salzburgenſis ſuccedit.

MCCCXCIII. Domina Dyemudis Abbatiſſa in Nunburg obiit, in peſtilentia quadam particulari Salzburgæ & circumcirca ſatis magna tunc temporis regnante: per electionem N. de Pernek ſuccedit. Item annus jubileus Eccleſiæ Pragenſi per D. Bonifacium Papam Nonum conceditur. Item Dux Auſtriæ Albertus opidum quoddam, Leybnicz nomine, in contemptum Domini Salzburgenſis juſſit ſpoliari & expugnari.

MCCCXCIV.

[1] *f.* quadringentæ. [2] *l.* Padèrbrunenſem.

MCCCXCIV. Dominus Fridericus Bavariæ Dux viam univerſæ carnis intravit, in Bohemia in civitate, Budweis nomine, de Rege Bohemiæ tranſiens, filium ſeptennem relinquens: cujus Duces Bavariæ Stephanus & Johannes, dicti Friderici germani, efficiuntur tutores. Item Dux Johannes Bavariæ ligam faciens contra fratrem ſuum Ducem Stephanum Duci Auſtriæ Alberto ſe confœderavit. Item annus jubileus iterato Pragenſi Eccleſiæ per D. Bonifacium IX. conceditur. Item Wenczeslaus Bohemiæ & Romanorum Rex per Barones ac Dominos ſui regni propter ipſius tyrannidem captivatur, & captivus in caſtro Pragenſi detinetur, tandem tamen intervenientibus placitis & pactis eum liberum dimiſerunt.

MCCCXCV. Annus Jubileus Eccleſiæ Colonienſi per Dominum Bonifacium Papam IX conceditur. Item Dux Bavariæ Johannes occaſione ligæ cum Duce Auſtriæ factæ, cujus Cancellarius erat Epiſcopus Friſingenſis intravit ſecrete civitatem Friſingenſem, a Duce Stephano fratre ipſius obſeſſam, defendens eandem contra fratrem ſuum. Propter quod prædictorum Ducum filii, Ludwicus Stephani, & Erneſtus Johannis, ſibi mutuo lites & prælia magna valde moventes, Bavariam Superiorem circa Monacum & Ingolſtat incendiis & rapinis pro magna parte devaſtaverunt. Item occaſione captivitatis Regis Romanorum prædictæ mota ſunt bella & lites maximæ in Bohemia per Regem & Margkrafium Moraviæ Procopium ex parte una; & Ducem Auſtriæ Albertum, & Margravium Judocum dicti Procopii fratrem, ac Dominum de Roſenberg cum cæteris Dominis & Miniſterialibus Bohemiæ parte ex altera. Item Huni & Turci intraverunt regnum Ungariæ, & Sigismundus Rex ipſis manu forti obvians, potenter ipſos expulit, & in fugam convertit & occidit.

Item in die Decollationis Johannis Baptiſtæ Albertus Dux Auſtriæ morte naturali expiravit in caſtro ſuo novo, Lachſenburck nominato, prope Wiennam, relinquens filium unicum ejusdem nominis ſibi ſuccedere volentem in Auſtria hæreditario jure. Sed Dominus Wilhelmus filius Ducis Leupoldi, ſuus fratruelis, ſuccedere ſe prætendit jure privilegiorum, & antiquæ præſcriptæ conſuetudinis, quod Senior Dux Auſtriæ regnare deberet; cui adhæſerunt cives & Commune Wiennenſe, & Barones & Miniſteriales Stiriæ, Karinthiæ &c; Duci vero Alberto prædicto adhæſerunt Barones Auſtriæ, & ſic diviſio maxima fuit inter eos de jure ſucceſſionis in Auſtria.

MCCCXCVI. In die Stephani Protomartyris eclipſis Lunæ viſa eſt, poſt meridiem horа decima vel quaſi, durans ad tempus trium horarum. Item eodem anno die Mercurii, quinta menſis Aprilis, Dominus Pilgrimus de Puchaim Archiepiſcopus Eccleſiæ Salzburgenſis diem vitæ ſuæ clauſit extremum. Die vero Lunæ, decima menſis præfati anni ejusdem, Venerabilis Pater & Dominus Dominus Gregorius Schenk de Oſtrabitz Præpoſitus & Archidiaconus Sanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ præfatæ ab omnibus & ſingulis in electione ipſa jus habentibus ſancte, juſte & canonice, conſenſu unanimi, nullo penitus renitente, in Archiepiſcopum Salzburgenſem eſt electus, & a Domino Bonifacio Papa Nono, ipſo Curiam Romanam in propria perſona non intrante, confirmatus, & die menſis Octobris prima in Eccleſia Salzburgenſi ſollemniter conſecratus: de cujus electione omnes homines utriusque ſexus, tam vulgus quam Clerus, intranei & forenſes cordicitus lætantes, Domino Deo glorioſe ac laudes multiformiter cecinerunt, de ipſius ſperantes virtutibus, quibus Præpoſituræ præſidens uberrime coruſcabat.

Anno eodem die Lunæ, xvi menſis Octobris prædicti, Dominus Eberhardus Newnhawſer Eccleſiæ Salzburgenſis præfatæ Decanus unanimiter ac canonice ab omnibus, quorum intererat, in Præpoſitum ejusdem Eccleſiæ eligitur, & ſequenti die a Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino Domino Gregorio Archiepiſcopo Salzburgenſis Eccleſiæ prædicto confirmatus, & in ipſius Præpoſituræ corporalem ac realem poſſeſſionem collocatur. Item eodem anno, die Martis, ultima Octobris prædicti, honorabilis Vir Dominus Engelmarus Chrel Canonicus Salzburgenſis, canonice unanimi voto in Decanum Eccleſiæ Salzburgenſis eligitur. Item anno eodem Dominus Bonifacius Papa Nonus dedit civitati Salzburgenſi, ut omnes infra octavas Trinitatis Eccleſiam Sancti Rudperti viſitantes, pleniſſimam omnium peccatorum remiſſionem conſequerentur in perpetuum tempore eodem, *revocatum eſt*.

Item anno eodem Rex Romanorum Wenczeslaus per ambaſiatam ſollemnem miſit Domino Gregorio Archiepiſcopo Salzburgenſi prædicto jura temporalia & Imperialia, ab eo in feudum recipienda, in Friſacum. Item anno eodem maxima Francorum, Anglicorum, Bavarorum, Stirienſium & aliarum terrarum multitudo cum potentia manu bellica contra Turcos, in adjutorium Regi Ungariæ, & intuitu fidei defendendæ tranſiverunt. Et propter fugam Regis Ungariæ Sigismundi cum ſuis Ungaris, & alias negligentias, Turci victoriam obtinentes Ducem Burgundiæ cum quampluribus aliis Baronibus, Dominis & Militibus captivaverunt, & plures ante & poſt captivitatem de Chriſtianis diverſarum regionum interfecerunt.

Item anno eodem Dominus Albertus Dux Bavariæ & filius Comitis Hollandiæ cum patre ſuo Domino Alberto contra Friſones manu fortiſſima tranſivit & bellavit: militari dignitate ibidem recepta ad propia rediens, paulo poſt anno MCCCXCVII mortuus eſt. Item anno eodem Dominus Johannes Dux Bavariæ Superioris moritur.

MCCCXCVIII. Erneſtus filius Johannis Ducis Bavariæ, mortuo patre, voluit habere æqualem ſuæ hæreditatis portionem; Dux vero Stephanus, frater patris ſui, voluit tempore vitæ ſuæ regnare, & omnes terras, caſtra & civitates in manu ſua tenere, & eſſe ſolus dominus univerſorum. Propter quod Dux Erneſtus

lites

lites & gwerras multas dicto ſuo patruo move- A & eſſe ſubjecti absque terrarum diviſione, ſic
bat: & ipſe Dux Stephanus cum filio ſuo Lud- tamen, quod Dux Stephanus regere deberet, &
wico ſibi potenter & fortiter reſiſtebat. Poſt expedire omnia eorum negotia, & tanquam
modicum vero Dominus Rudpertus Comes Dominus & Director ſuo tempore aliós interi-
Palatinus Reni, & Comes de Wiertenberg di- re. Omnibus aliis juxta dictum arbitrium
ctorum conſanguinei ſe interponentes, & per civitatibus & opidis, Dominis & Militibus ſuis
viam arbitrii Domino Duci Stephano & ejus jurantibus, civitas Monacenſis jurare recuſavit
filio Ludwico medietatem omnium proven- Domino Erneſto, niſi ſibi quandam litteram
tuum & reddituum aſſignandam pronunciave- per ipſos confectam de proſcriptione potio-
runt; & alteram medietatem Duci Erneſto & rum civium in perpetuum a Monaco per eos
ejus fratri juveni Wilhelmo tradi laudaverunt, expulſorum ſigillaret; quod dictus Dux Erne-
& quod omnes civitates, opida & provinciæ ſtus facere noluit.
& caſtra omnibus indifferenter jurare deberent,

[1] *deeſſe videtur aliquid.*

CHRONICON CLAUSTRO-NEOBURGENSE

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXVIII AD ANNUM EJUSDEM MCCCXLVIII, IIS CONSULTO RESECTIS, QUÆ ANTE ANNUM CHRISTI 988. IN EO REFERUNTUR, NEC AD HISTORIAM AUSTRIACAM QUIDQUAM ACCOMMODATUM CONTINENT,

Ab Anonymo vel Præpoſito vel Canonico Inclytæ Canoniæ Clauſtro-Neoburgenſis, Ord. Can. Reg. S. Auguſtini, vergente Sæculo Chriſti XII. conditum, & ſubinde ab aliis veriſimiliter ejusdem loci Canonicis contemporaneis ad medium fere Sæculum XIV deductum,

NUNC PRIMUM IN LUCEM DATUM EX CODICE (UT VIDETUR) AUTOGRAPHO, INCLYTÆ BIBLIOTHECÆ EPISCOPALIS VINDOBONENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. INclytum ac ampliſſimum, Ordinis Can. Reg. S. Auguſtini, Clauſtro-Neoburgenſe Collegium [1], quod Veteres *Nivvenburgenſe, Nuenburgenſe, Nevvburgenſe, Neunburgenſe, Neuburgam* quoque, *Neunburgam-Clauſtralem*, & *Novum-Clauſtriburgum* appellavere, duobus ſupra Vindobonam milliaribus ad Danubii ripam conſtitutum eſt, atque inter reliquas per Auſtriam Inferiorem ejusdem Ordinis Canonias facile principatum tenet. Conditum id fuit, teſte ſubjecto loci Chronico, a Leopoldo Pio ſeu Sancto Auſtriæ Marchione, anno Chriſti MCXIV, & ab eodem Canonicis Sæcularibus, quorum primus Præpoſitus Otto fuit, attributum. Qui cum *Divina negligenter* (verba Chronici ſunt) *nimisque remiſſe agere Pio Marchioni Liupoldo viſi fuiſſent*; eos inde amovit, & in eorum locum Canonicos Regulares S. Auguſtini ſubſtituit, dato eis primo Præpoſito Regulari Beato Hartmanno, antea Præpoſito Chiemenſi, & poſtea Epiſcopo Brixinenſi. Factum id anno MCXXXIII, Eberhardi Salzpurgenſis Archipræſulis, Regimari ſeu Reginmari Patavienſis, & Romani Gurcenſis Epiſcoporum conſiliis. Nec multo poſt, ſub annum nempe Domini MCXXXVI. XVII. Cal. Decemb. Leopoldus Pius Marchio vitam ſanctiſſime actam finivit, Eccleſiamque Clauſtro-Neoburgenſem, quam vivus tantis beneficiis ac muneribus cumulavit, mortuus longe illuſtriorem & auguſtiorem reddidit ſuo corpore innumeris pene ſignis ac prodigiis claro, quod, uti & Agnetis conjugis, Heinrici IV. Imperatoris filiæ, hic religioſiſſime adſervatur. De quibus omnibus diffuſe agendum erit, cum res Leopoldi Pii celebrandas ſumemus. Luſtravimus anno 1716. inſignis iſtius Præpoſituræ Bibliothecam cum excuſis, tum manuſcriptis libris inſtructiſſimam, plurimum Reverendo ac Clariſſimo Domino Gilberto Wallner loci Decano meritiſſimo, & Admodum Reverendo ac Religioſiſſimo Domino Eugenio Purckl-

[1] *vulgo* Cloſter-Neuburg.

bauer,

bauer, Bibliothecæ Religiosorumque tyronum Præfecto dignissimo benigne annuentibus, atque singulari nos amore & humanitate complectentibus. Nec dissimulamus, multa inde præclare in usum studiorum nostrorum nos retulisse, cum Antiquitatis Austriacæ studiosis a nobis in consequentibus communicanda.

II. Chronicon isthoc Claustro-Neoburgense, quod vetustioribus præstantioribusque Austriæ Chronicis merito accensendum est, extat in quodam Codice membraneo optimæ notæ, & perelegantер exarato, qui tamen non solum principio, sed quod acrius dolet, etiam fine mutilus est. Scribi Codex hic primum cœpit vergente sæculo Christi XII, ut veteres characteres, quibus exaratus est, fidem indubitatam faciunt. Hujus Chronici non unus fuit Auctor, sed plures Anonymi vel Præpositi vel Canonici Claustro-Neoburgenses, omnes illorum temporum, quarum res memoriæ prodiderunt, æquales. Id quod partim ex ipsius operis contextu, partim ex diversitate manuum, quæ Codicis scripturas efformarunt, manifestarium est. Ac eum quidem, qui Chronicon primus auspicatus est, fuisse Præpositum vel Canonicum quempiam Claustro-Neoburgensem, vel ea sola perspicuum reddunt, quæ ad annum MCXIV. de Hartmanno primo Regulari sæpe jam memoratæ Canoniæ Præposito refert in hunc modum: *Hic est ille*, inquit, *Hartmannus, primus in hac Domo regularis vitæ Præpositus. Hic est ille, qui consuetudinem nostram religioni omnino congruam scripsit, & scriptam nobis legendam & imitandam reliquit.* Tum illa, quæ paulo infra de Chunrado Archiepiscopo Salzpurgensi, sexto Sancti Leopoldi Marchionis filio, narrat his verbis: *Hic nos Nivvenburgenses circiter XXX. Clerici Frisacum advivimus, & ab eo Ordines nostros recepimus: quia in Patavienſe Episcopatu Antistitem Katholicum non habuimus.* Hæc Chronicon. Porro eundem primum hujus operis conditorem circa finem sæculi XII. vixisse inde colligas, quod ad prædictum annum MCXIV. Friderico primo Abbati Baumgartenbergensi coævum se fuisse ipse innuat. De Ottone enim, Quinto Divi Leopoldi filio, & postmodum Episcopo Frisingensi, ad mox dictum annum hæc habet: *Quintus Otto..... Paucis vero diebus domi denioratus, denuo ad scholas rediit. Ibi proposito tempore studii transacto, dum ad propria redire properat, in Cœnobio Morimundensi, ubi pernoctaverat, se Monachum fecit cum aliis quindecim, qui secum venerant, electissimis Clericis. Qui etiam, ut ab uno illorum audivi, Friderico nomine, qui & ipse in Abbatem Pomkartenperge, & deinde in Hungaria in Episcopum electus fuerat, omnes in diversas dignitates promoti sunt.* Constat autem tum ex Chronico Zwethalensi *Recentiori*, tum ex Notitia Abbatiarum Ordinis Cistertiensis edita a Jongelino, Monasterium Baumgartenbergense anno Domini 1142. fundatum fuisse: quo itidem anno Fridericum Abbatiale regimen capessivisse, eoque per plures annos gesto ad quendam Hungariæ Episcopatum evectum fuisse nemo dubitaverit. Ejusdem Chronographi ætatem discere licet ex Chronici istius anno 1166, ubi in eorum Clericorum Claustro-Neoburgensium numero se haud obscure collocat, quos apud Frisacum a Chunrado II. Archiepiscopo Salisburgensi sacris initiatos fuisse refert. Mitto, quæ ad annum 1114. de Rachwino seu Radevico, Ottonis Frisingensis de Gestis Friderici I. Imp. Continuatore, scribit.

III. Haud satis compertum habeo, præsens Chronicon diversumne sit nec ne ab eo Chronico Neuburgensi, quod ab anno 1114. ad 1310. pertingere, & in Augustissima Vindobonensi Bibliotheca extare, in Sciagraphia Magni

Corporis hiſtorici hactenus inediti nos docet Daniel Neſſelius. Non eſſe diverſum quis fortaſſe conjiciat ex rebus anni 1114. (qui primus eſt in Chronico Neuburgenſi, in mox laudata Bibliotheca Cæſarea aſſervato) iisdem pene verbis in utroque Chronico relatis, ut ex initio, ſeu Chronici Neuburgenſis ſpecimine a Neſſelio nobis exhibito intelligimus. Itaque recentiorum quidam Canonicorum Clauſtro-Neoburgenſium fuerit, qui omiſſis iis, quæ annum 1114. antecedunt, hoc ipſum Chronicon a Neſſelio delibatum ex noſtro exemplari deſcripſerit. Verum quantum huic conjecturæ tribuendum ſit, ſtatuent illi, quibus copia noſtrum Chronicon cum Vindebonenſi Cæſareo conferendi obtigerit: nobis enim hoc coram inſpicere hactenus non licuit.

IV. Illud præterea obſervare libuit, primum Chronici iſtius Auctorem in iis, quæ ab anno Chriſti CCXVIII. usque ad MCXIV. commemorat, pene ad verbum cum veteri noſtro Chronico Mellicenſi (additamenta a recentioribus adjecta ſi excipias, quippe quibus omnino vacat Chronicon Clauſtro-Neoburgenſe) convenire; adeo ut illud præ oculis habuiſſe, imo totidem verbis exſcripſiſſe videatur. Quæ cauſa fuit, ut reſectis illis, quæ poſt annum 218. narrat, ab anno 988. ubi res Auſtriacas propius attingit, editionem hujus Chronici inceperimus: retentis nihilo minus confirmationis cauſa illis, quæ a dicto anno 988. ad 1114. in litteras retulit. Denique vacuos annos, qui in hoc Chronico occurrerunt, hic quoque, ut in Salisburgenſi a nobis actitatum, penitus prætermittendos exiſtimavimus.

V. Cæterum ex hoc Clauſtro-Neoburgenſi Chronico alii Recentiores Auſtriaci Chronographi permulta hauſerunt. Inter quos primus ſine dubio fuit Vatzo, in conſequentibus a nobis primum in lucem proferendus, qui in ſuum Chronicon multas non raro atque integras ſententias, quæ in Chronico Clauſtro-Neoburgenſi leguntur, transtulit, ut ex utriusque facta diligenti collatione deprehendimus. De aliis vero, qui itidem hoc Chronico uſi ſunt, ſuis locis Lectorem monere non omittemus. Supereſt, ut nunc præſtantiſſimum hocce Clauſtro-Neoburgenſe Chronicon ex ipſo, ut quidem nobis videbatur, autographo Lectoris ob oculos ſtatuamus.

CHRONICON CLAUSTRO-NEOBURGENSE.

CCXVIII. Antonius [1] Romæ Thermas ſui nominis ædificavit &c....

DCCCCLXXVIII. His temporibus Marchiam Auſtriæ tenuit Hainricus, filius Liupoldi Marchionis eiusdem provinciæ, qui jam vitam exceſſerat.

DCCCCXCI. Theophanta [2] Græca Imperatrix, mater Ottonis Regis, anno IX. viduitatis obiit.

DCCCCXCIV. Chunrado Rege Burgundiæ mortuo, Rudolfus filius eius ignavus ſucceſſit.

DCCCCXCVII. Heinricus Dux Baowariæ filius Heinrici Ducis obiit. Chunradus Dux obiit: pro quo Hermannus.

MI. Otto Imperator in Italia x Kal. Februarii obiit, & inteſtina ejus Auguſtæ, & reliquum corpus Aquisgranis ſepelitur.

MII. Heinricus Dux Baowariæ Rex effectus regnavit annos viginti tres.

MIII. Heinricus Rex Hainricum Marchionem, & alios ſibi reſiſtentes cum exercitu petiit.

MIV. Heinricus Rex Italiam, Boemiam, & Bolizlaum Ducem Sclavorum cum tota gente ſua ſubjugavit. Hermannus Dux obiit: pro quo filius ejus puer Hermannus.

MV. Fames magna eſt facta.

MVII. Epiſcopium Babenberch ab Heinrico Rege conſtituitur, & Eberhardus ibi Epiſcopus ordinatur.

MVIII. Liutolfus Treverenſis Archiepiſcopus obiit, & Epiſcopatum ejus Albero frater Reginæ ſibi uſurpare, quibusdam contra Regem faventibus, molitur; ſed a Rege convicti Megengando Epiſcopatum reliquerunt.

MX. Wolfradus Comes obiit.

MXI. Billigiſus Maguntienſis Archiepiſcopus obiit: pro quo Erchinbardus. Theodoricus Dux a Lotharis captus eſt.

MXII. Sanctus Cholomannus martyrizatus eſt, & ſuſpenſus apud Stocharowe. Hermannus Dux obiit.

MXIII.

[1] *al.* Antoninus. [2] *al.* Theophania.

MXIII. Beatus Cholomannus ſepultus eſt in eodem loco.

MXIV. Beatus Cholomannus a Meingando, Eyhſtetenſi Epiſcopo in Medelich ſepultus eſt. Hainricus Rex Romæ Imperiali benedictione coronatur a [1] Bonifacio Papa.

MXV. Erneſt Dux in venatu ab Albertine [2] Comite ſagitta occiditur.

MXVI. Gotfridus Dux Gerhardum vicit.

MXVIII. Cunradus puer auxiliante patruele ſuo Chunrado, poſtea Imperatore, Alberonem Ducem pugna vincens fugavit.

MXX. Benedictus Papa Babenberch veniens Eccleſiam St. Stephani dedicavit. Wernharius, Argentinæ urbis Epiſcopus cum Alamannis contra Burgundiones pugnavit, & vicit.

MXXI. Terræ motus factus eſt magnus I v. id. May feria VI.

MXXII. Heinricus Novam Troyam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta eſt. Norgerus Magiſter obiit.

MXXIV. Heinricus Imperator III. id. Julii obiit, & in Babenbergenſi Epiſcopio a ſe facto in Monaſterio S. Petri ſepelitur.

MXXV. Chunradus Imperator pene annos XV regnavit. Magna diſſenſio in regno contra Chunradum efficitur.

MXXVI. Chunradus Rex primus filium ſuum Hainricum Regem fecit, & ipſe Romam veniens Imperator efficitur. Bruno Auguſtenſis Epiſcopus, Welfo Comes prædas & incendia inter ſe faciunt.

MXXVIII. Ernſto Dux, & Welfo Comes Chunrado Imperatori ad deditionem veniunt.

MXXIX. Chunradus Imperator perrexit Poloniam.

MXXX. Chunradus Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit. Interea in Alamannia Ernſto Dux, & Wernharius Comes occiduntur.

MXXXI. Stephanus Rex Pannoniæ miſſis legatis cum Imperatore Chunrado pacificatus eſt.

MXXXII. Rudolfus Rex Burgundiæ moriens, diadema ſuum Chunrado Imperatori commiſit.

MXXXIII. Chunradus hyeme Burgundiam [3] Eclipſis ſolis facta eſt, III. Kal. Julii, hora quaſi ſexta.

MXXXIV. Chunradus Occidentalem Franciam contra Ottonem petit.

MXXXVI. Chunradus item Burgundiam vaſtat. Pagani Saxoniæ confinia petunt. Pagani, qui Liutwici dicuntur, Wyrbinam caſtellum in confinio Saxoniæ, multis Chriſtianis occiſis & captis, obtinent: quos Chunradus Imperator cum exercitu petit.

MXXXVII. Italia civium diſcordia laborat. Nuptiæ Hainrici Regis. Pagani ſupra dicti Chunrado Imperatori vectigales facti ſunt.

MXXXVIII. Chunradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanenſem Archiepiſcopum in cuſtodiam miſit: qui fuga lapſus cum aliis quamplurimis eidem Imperatori rebellat.

MXXXIX. Elisdrut, quæ Chunigunt, Regina uxor Hainrici Regis XV. Kal. Auguſti, & Hermannus Dux V. Kal. Auguſti, in Italia cum multis aliis obierunt. Stephanus Ungarorum Rex obiit: pro quo Petrus Rex.

MXL. Chunradus Imperator II. Non. Julii obiit, & apud [1] quæ Spira vocatur, ſepelitur. Eclipſis ſolis facta eſt XI. Kal. Septembris.

MXLI. Hainricus filius Chunradi regnavit annos XVIII. Hainricus Rex Ducem Boemiæ bello petit; ſed multis proceribus & militibus in præſtructione ſilvæ citra & ultra occiſis, vel captis, nihil dignum efficere potuit.

MXLII. Ungari quendam Ovonem ſibi Regem eligentes, Petrum Regem ſuum expellunt. Hainricus Rex Ungariam cum exercitu ingreſſus, igne prædaque cuncta devaſtat.

MXLIII. Albertus Marchio Auſtriæ, & filius ejus Liupoldus maximam partem exercitus Ovonis delevit. Hainricus Rex iterum Ungariam ſibi ſubiecit.

MXLIV. Gyſila Imperatrix, mater Hainrici Regis, X VI Kal. Martii obiit. Hainricus Rex tertio Pannoniam petens, Ungaros per jusjurandum ſubjugavit. Liupoldus, qui Miles Fortis dicebatur, filius Adelberti Marchionis Auſtriæ, moritur V. id. Decembris.

MXLV. Hainricus Rex quarto Ovonem Regem rebellantem vicit, & Petrum regno ſuo reſtituit.

MXLVI. Petrus Rex Hainricum Regem in Pentecoſten magno apparatu ſuſcepit.

MXLVII. Petrus Rex excæcatus eſt ab Ungaris: & Andreas Rex efficitur.

MXLVIII. Swidigerus Babenbergenſis Epiſcopus in Natali Domini Papa conſecratur: & Hainricus Rex & ejus uxor Agnes ipſa die Imperiali benedictione ſublimantur.

MXLIX. Azarias piæ memoriæ clarus habetur. Andreas Rex Ungarorum per legatos Imperatori Hainrico ſubjectionem & annuum cenſum jurejurando promiſit.

ML. Agnes Imperatrix Imperatori filium peperit, nomine Hainricum.

MLI. Sanctus Bardo Archiepiſcopus obiit: & Andreas Rex, & Albertus Marchio Auſtriæ pacificantur.

MLIII. Hainricus Imperator Pannoniam cum exercitu petit, & glorioſiſſime rediit. Leo Papa, qui & Bruno, Natale Domini cum Imperatore Wormatiæ egit.

MLV. Leo Papa dormivit in Domino, III Kal. May: pro quo Victor, qui & Gebhardus Eyſtatenſis Epiſcopus, ordinatur.

MLVI. Albertus Marchio Auſtriæ obiit: Ernſto ſucceſſit. Chuono Dux Baowariæ ab Imperatore expulſus in Pannonia exul moritur.

MLVII. Hainricus Imperator obiit IV Non. Octobris: Hainricus filius ejus ſucceſſit.

MLVIII. Hainricus annos XLIX [2] Victor Papa obiit: pro quo Stephanus, qui & Frideri-

[1] *l.* Benedicto. [2] *l.* Adalberone, *vel* Alberone.
[3] *ſupple* petit.

[1] *ſupple* urbem. [2] *ſupple* regnavit.

cus, eligitur. Agnes Imperatrix ſuſcepit Ducatum Baowariæ.

MLXII. Hainricus Quartus Rex ſeparatus eſt a matre ſua, anno ſexto regni ejus, ætatis vero undecimo. Agnes Imperatrix & Guntharius Epiſcopus prædas & incendia invicem exagitant.

MLXIII. Heinricus Rex exercitum movit in Pannoniam, & Salomonem Regem conſtituit, fœderatisque omnibus cum ſummo honore revertitur.

MLXIV. Cædes magna facta eſt in Goslarenſi Monaſterio, præſente Rege & Principibus ejus. Multa mala tunc temporis facta ſunt in terra.

MLXV. Hainricus Rex accinctus eſt gladio, anno regni ſui IX, in Paſcha. Engelbertus Patavienſis Epiſcopus obiit, & Altmannus ſucceſſit.

MLXVII. Hainricus Imperator duxit Bertham, filiam Ottonis, uxorem.

MLXVIII. Multa & diverſa mala his temporibus in toto regno facta ſunt.

MLXX. Otto Dux Baowariæ Regi rebellavit.

MLXXI. Adelhaida Marchioniſſa obiit. Welfo Dux Baowariæ factus eſt, expulſo Ottone.

MLXXIII. Ruodolfus Dux Alamanniæ, & Welfo Dux Bawariæ, nec non Pertolfus Dux Carinthiorum in unum conjurant adverſus Regem Hainricum. Hildibrandus, qui & Gregorius, Papa ordinatur.

MLXXIV. Hainricus Rex in Ungariam adverſus Eotiſconem patruelem Salomonis profectus, incaſſum rediit.

MLXXV. Primum bellum Hainrici Regis cum Saxonibus juxta fluvium, qui vocatur Untroeſt, feria IV, V. id. Junii, in quo bello Ernſto Marchio Auſtriæ occiſus eſt, cui ſucceſſit filius ejus Liupoldus.

MLXXVI. Anno Colonienſis Epiſcopus obiit.

MLXXVII. Magna diſcordia inter Papam & Regem oritur. Hainricus Rex Italiam proficiſcitur: & Rudolfus eligitur in Regem apud Voricheim.

MLXXVIII. Bellum ſecundum inter duos Reges in Saxonia committitur, in quo Diepoldus Comes occiditur juxta rivum, qui dicitur Strewa, feria IV, VII. id. Aug.

MLXXX. Papa Gregorius, qui & Hildibrandus, Hainricum Regem excommunicavit. Tertium bellum Hainrici cum Saxonibus juxta villam, quæ dicitur Durloch, feria II, V. Kal. Februarii. Eodem anno Quartum bellum Hainrici Regis cum Saxonibus juxta fluvium, qui dicitur Elſter. Rudolfus Rex occiditur.

MLXXXI. Altmannus Patavienſis Epiſcopus Marchioque Liupoldus, aliique plures Principes jurabant in unum contra Regem Hainricum. Quintum bellum Hainrici Regis contra Suevos juxta fluvium, qui dicitur Danubius apud villam dictam Hohenſteten, feria IV, III id. Auguſti. Hermannus Rex conſtituitur.

1 *al.* Unſtruoth *vel* Unſtruth.

MLXXXII. Hoc anno IV Id. May feria VI, Chunradus Dux Boemorum, auxilio Bawarorum, cum Marchione Auſtriæ Liupoldo ad Mauriberch bellum iniit, & cum maxima orientalium hominum cæde terminavit, & Marchionem ad fugam compulit.

MLXXXIII. In monte Kotwigenſi Monaſterium S. Mariæ a Venerabili Altmanno Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopo conſecratur.

MLXXXIX. Conſtitutio Monachorum in loco Medelicenſi ſub Abbate Sigwoldo, in feſto S. Benedicti Abbatis.

MXCI. Altmannus Patavienſis Epiſcopus obiit.

MXCV. Petrus heremita, aliique plures tendunt Jeroſolimam.

MXCVI. Liupoldus Marchio obiit: & filius ejus Liupoldus ſucceſſit.

MXCVIII. Fundatum eſt Ciſtercium.

MXCIX.

Anno milleno Centeno quo minus uno,
Quindecies Julio jam Phœbi lumine tacto,
Jeruſalem Franci capiunt virtute potenti.

MC. Ita Marchioniſſa Auſtriæ, Liupoldi Marchionis defuncti relicta, Jeroſolimam ivit.

MCI. Dux Welfo Bawariæ profectus eſt Jeroſolimam, ſimiliter Tiemo Salzpurgenſis Archiepiſcopus.

MCIV. Sygardus Comes occiditur Ratisponæ. Liupoldus Marchio Auſtriæ accinctus eſt gladio.

MCV. Hainricus Rex filius Hainrici Imperatoris contra patrem in regnum ſurrexit.

MCVI. Hainricus IV Imperator obiit VI Id. Aug. Marchio Liupoldus Agnetem filiam Imperatoris duxit uxorem.

MCVII. Hainricus V regnavit poſt mortem patris decem & octo annis.

MCVIII. Hainricus Rex obſedit caſtrum Prespurch.

MCX. Hainricus Rex magnam expeditionem in Italiam movit, & Paſchalem Papam Romæ cepit; ſed poſtea eius gratiam & benedictionem Imperialem aſſecutus eſt.

MCXIII. S. Bernhardus Abbas Clarevallenſis claruit, qui etiam fuit ingreſſus Ciſtercium cum ſociis ferme XXX, ſcilicet fratribus, cognatis & amicis.

MCXIV. Hoc anno Dominicæ Incarnationis incœpta eſt fundari Niwenburgenſis Baſilica. Marchio Liupoldus ejusdem loci fundator, cum ab eo tanquam a fundatore cunctis coram aſtantibus exigeretur, ut in fundamento Monaſterii primum lapidem poneret; ipſe, ut erat Vir piiſſimus, omnino contra dixit, & hoc a Clerico debere fieri dignum & juſtum conſtanter affirmavit. Itaque ipſo jubente & præſtante Otto primus eiusdem loci Præpoſitus hoc anno Incarnationis II Id. Junii primum lapidem impoſuit, in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſæ Virginis Mariæ. Eadem die accidit feſtivitas Sanctorum Martyrum Baſilidis, Cirini, Naboris & Nazarii. Hic eſt ille Liupoldus Marchio Auſtriæ, qui cognominabatur Pius. Nec immerito: inſtinctu enim pietatis duo Clauſtra in Marchia ſua inſtituit;

pri-

primum & præcipuum, Niwenburch nomine A jam ſuperius dictum, Canonicis Sæcularibus, quibus Præpoſitum dedit ſupra memoratum Ottonem. Hunc etiam locum hoc modo extulit, quod, ſicut & factum eſt, ſe uxoremque ſuam ibi ſepeliri voluit. Secundum apud Sanctam Crucem griſeis Monachis, ſatis, ut apparet, magnificum, neutrum tamen morte præventus in ædificiis conſumare potuit, ad perficiendum vero prædia & villas utrique largiſſime tradidit. Tertium a progenitoribus ſuis conſtitutum, Medlich nomine, libertati donavit. Accedat ad hæc, quod hujus pietatis gratia Deus ſibi providit conjugem piiſſimam & æque bonam, de regia proſapia ortam, Agnetem nomine, Imperatoris Hainrici IV filiam, genuina virtute omnino claram. Deo enim favente Marchioni duobus minus quam viginti liberos genuit; B quorum ſeptem quidem tempeſtive de medio ſublati ſunt; undecim vero qui ſupervixerunt, ſex videlicet filii, & quinque filiæ ad honores temporalium rerum non modicos, ferme omnes promoti ſunt. Primogenitus enim, Adelbertus nomine, advocatus Niwenburgenſis Eccleſiæ factus eſt, & omnium Clauſtrorum ad advocatiam Marchionis pertinentium: qui mortuus, ſepultus eſt in clauſtro Niwenburgenſi, in Capitulo, cum patre ſuo & matre. Secundus Heinricus, qui & diutius omnibus vixit, & a patre minus diligebatur, de quo plenius in ſuo loco dicemus. Tertius Liupoldus, qui factus eſt Dux Baowariæ, & mortuus ſepultus eſt apud Sanctam Crucem. Quartus Ernſto, qui & in eodem loco ſepultus jacet. Quintus Otto, qui liberalibus ſtudiis appoſitus, ut in ſcriptis ſuis iam claret, & diu in poſterum clarebit, in egregium profecit Clericum. Quem, cum adhuc Scholaris eſſet, mortuo Ottone primo Niwenburgenſis Eccleſiæ Præpoſito, pater ſuus fecit eidem Eccleſiæ Præpoſitum, ſubſiſtens [1] ei Vicarium, Opoldum nomine. Deinde ex propria Camera, & ex redditibus Eccleſiæ, cui præerat, datis ei ſtipendiis, ſtudii cauſa miſit eum Pariſius. Unde dum poſt aliquos annos rediret, Eccleſiam ſuam, videlicet Niwenburgenſem veneratus, attulit ei Reliquias: quas feſtiva populi & Cleri proceſſione Marchio pater ejus ſuſcipiens, venerabiliter ſuper aram S. Mariæ, ut curatiſſime ſervarentur, deportari fecit. Ut autem eidem Eccleſiæ perpetuo manerent, nomen Reliquiarum, ut dicitur, prodere noluit. Paucis vero diebus domi demoratus denuo ad ſcholas rediit. Ibi propoſito tempore ſtudii transacto, dum ad propria redire properat, in Cœnobio Morimundenſi, ubi pernoctaverat, ſe Monachum fecit, cum aliis quindecim, qui ſecum venerant, electiſſimis Clericis. Qui etiam, ut ab uno illorum audivi, Friderico nomine, qui & ipſe in Abbatem Pomkartenperge, & deinde in Hungaria in Epiſcopum electus fuerat; omnes in diverſas dignitates promoti ſunt.

Quo audito Marchio pater ejus, cum jam videret locum filii vacare, & Eccleſiam Niwenburgenſem præter ſe proviſorem non habere, ſicut Vir providus & Deo devotus mittens invitavit in domum ſuam Venerabiles viros; Eberhardum Archiepiſcopum Salzburgenſem, Regimarum Epiſcopum Patavienſem, Romanum Gurcenſem, & alias quamplures Religioſas perſonas. Horum ordinatiſſimum ad Dei voluntatem conſilium ſecutus, Canonicos Sæculares, qui ſibi videbantur divina negligenter & nimis remiſſe agere, decentiſſime avertit, & Regularibus Beati Auguſtini viam regiam & optimam formam vitæ tenentibus, anno Incarnationis Domini MCXXXIII eundem locum perpetuo tenendum, potentiva manu tradidit: Præpoſitum eis præponens ex eorundem Venerabilium Virorum conſilio Præpoſitum Chymenſem, Hartmannum nomine, Virum Sanctiſſimæ vitæ, Virum Deo & hominibus acceptum; ſed peccatis noſtris exigentibus, poſt aliquos annos a nobis ablatum, in Brixenſem Epiſcopum aſſumptum. Hic eſt ille Hartmannus, primus in hac Domo Regularis vitæ Præpoſitus. Hic eſt ille, qui conſuetudinem noſtram Religioni omnino congruam ſcripſit; & ſcriptam nobis legendam & imitandam reliquit. Habet autem hoc initium: *Sub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ &c.* Igitur ipſe Dominus Otto de Morimundenſi Cœnobio ad Epiſcopatum Friſienſem [1] evocatus eſt. Ibi qualis ejus vita fuerit, & quomodo ejus gratia ſtudii floruerit, & quæ & quanta ſcripſerit, vel etiam quomodo Eccleſia illa per eum profecerit, Rachwynus [2] Notarius ejus plenius omnia ſcripſit. Ad extremum autem cum iter more C ſolito ad Ciſtercienſe Capitulum ageret, & ad Cœnobium ſuum Morimundenſe viſendi cauſa divertiſſet; gravi infirmitate preſſus, in habitu Monachili, quem nunquam in Epiſcopatu depoſuerat, omnibus fratribus coram poſitis, & ejulatu maximo perſtrepentibus, feliciſſime in Domino obiit, & ibi ſepultus quievit.

Sextus Chunradus, qui adultus factus eſt Epiſcopus Patavienſis, deinde evolutis non paucis annis, mortuo Epiſcopo Salzpurgenſe Eberhardo, tempore Alexandri III, promotus eſt in Epiſcopum Salzpurgenſem. Ubi ab Imperatore Friderico, qui tunc temporis in Sedem Apoſtolicam miro modo acceſſus fuerat (quia cum Apoſtolico Alexandro & Eccleſia ſenſit) valde eſt afflictus: & tandem poſt multas tribulationes, Domino noſtro Jeſu Chriſto illum vocante, de medio eſt ſublatus, & in Cœnobio Admontenſi eſt ſepultus in pace. Hic nos Niwenburgenſes circiter XXX Clerici Friſacum adivimus, & ab eo Ordines noſtros recepimus: quia in Patavienſe Epiſcopatu Antiſtitem Katholicum non habuimus. Qualiter autem & quam paterne nos receperit, & quomodo in oſcula ſingulorum irruerit, maxime in Domini Wernheri Decani noſtri, qui caput itineris illius erat, & adhuc Diaconus, ſed ab eo in Sacerdotem promotus, & quomodo Dominus Rudigerus Præpoſitus & Magiſter noſter gravi infirmitate preſſus, domi remanſerit, ſcriptis commendare neceſſe non erat. Hoc unum poſteris innoteſcere dignum duxi, quod in illo articulo temporis

[1] *l.* ſubſtituens.

[1] *l.* Friſingenſem. [2] *al.* Radevicus.

ſciſma maxime ſæviit, in tantum ut Imperatoris edictum primitus omnibus [1] Principibus juramento ſibi alligatos, Epiſcopos, & reliquos Patres Eccleſiarum inferioris ordinis ſciſma jurare, quod nunquam antefactum fuerat, compelleret, & nunc blanditiis, nunc minis & terroribus ad hoc facinus quam plurimos Patrum emolliret. Veruntamen Eccleſia Niwenburgenſis divæ memoriæ Eberhardum Salzpurgenſem Archiepiſcopum, & ejus ſucceſſorem Chunradum paulo ante memoratum, nec non Hartmannum Prixienſem Epiſcopum imitata, quantumcunque Imperialibus nunciis ad Dominum Ducem Auſtriæ Heinricum, ut eam averteret, directis quateretur, quantumcunque ab Epiſcopo Patavienſe Rudberto ſupra modum ſciſmatico vexaretur, a ſano capite, Alexandro videlicet Apoſtolico avelli non potuit; immo etiam ſtabilitate ſua totam Auſtriam ad idem Caput, ad eandem Sedem Deo favente ſecum traxit. Et hæc de his dicta ſufficiant. Quoto autem anno Incarnationis Domini vel filii ejus obierint, vel certe regnaverint, in ſequentibus annis. Incarnationis Domini colligere poteris.

Filiarum ejus primogenita fuit Perhta: hanc duxit uxorem Heinricus Purcravius Ratisponenſis. Secunda Agnes, quam accepit Polezlaus Dux de Polan. Tertia Gerdrudis, quæ copulata eſt Lazlau Duci Boëmiæ: qui ob meritum uxoris, & nobilium parentum ejus, ab Imperatore Friderico de Duce in Regem coronatus, vocatus eſt Rex Boemiæ omnibus diebus vitæ ſuæ. Quarta Elizabeth: hanc accepit Hermannus nobilis homo & dives, Lancravius Saxoniæ. Quinta Juta, quam duxit uxorem nobilis Marchio de Monte Phetran Regengerus. Habuit etiam idem Pius Liupoldus tres Sorores; quarum unam accepit Otakorus Marchio Styriæ; ſecundam Comes Liutoldus de Znoym; tertiam Dux Boemiæ, Pozwajus nomine, quem nequaquam putare debes patrem fuiſſe Lazlau Ducis Boemiæ, qui filiam Marchionis Liupoldi, ut paulo ſuperius memoravi, duxit uxorem. Denique hoc noſſe debes, quod hæc omnia de Marchione Liupoldo idcirco ſcripſerim, ut videas & intelligas, quantum Divina gratia ob meritum pietatis illi contulerit: & quantum antiqua illa Domini Creatoris benedictio, *créſcite, & multiplicamini*, in illo operata eſt. Nota, Heinricus Imperator Saxones juxta Welfolyf hoſtiliter invaſit, a quibus victus cum paucis evaſit.

MCXVI. Terræ motus factus eſt magnus per univerſam Teutoniam & Italicam regionem, IV Non. Jan. Sygiboldus Abbas obiit, & Engelſcalcus ſucceſſit.

MCXVIII. Ungari juxta Lytam Teutonicos vaſtaverunt.

MCXXI. Ulricus Patavienſis Epiſcopus obiit, & Reimarus ſucceſſit.

MCXXII. Medlicenſe Monaſterium [2] a Kalixto Papa conſecratur, VIII Id. Martii.

MCXXV. Heinricus Imperator obiit, X Kal. Junii. Lotharius Dux Saxonum in Regem eligitur. Adelbertus filius Marchionis Liupoldi cum aliis centum viginti accinctus eſt gladio.

MCXXVI. Valida nix fuit.

MCXXVII. Ava Incluſa obiit, VIII Id. Februarii.

MCXXVIII. Liupoldus Marchio Karintiorum obiit.

MCXXIX. Græci & Ungari diſcordantes, apud fluvium Sawa caſtra metati ſunt.

MCXXX. Honorius Papa obiit, & Innocentius eligitur Spiria a Lothario ob... [1] traditur.

MCXXXI. Stephanus Rex Ungarorum obiit: Beda [2] cæcus ſucceſſit.

MCXXXII. Lotharius Rex profectus in Italiam.

MCXXXIII. Eclypſis ſolis facta eſt, & tenebræ factæ ſunt IV Non. Aug. hora nona. Hoc anno Canonici Sæculares a loco Niwenburgenſi averſi ſunt, & Regulares Beati Auguſtini ſubſtituti.

MCXXXIV. Bela cæcus Rex Ungarorum triumphat de Policis [3], ſed dolo.

MCXXXV. Kalendis Aprilis Lotharius Imperator, & Friderícus Imperator pacificantur. Domus Sanctæ Crucis fundatur.

MCXXXVI. anno Dominicæ Incarnationis, Indictione quarta decima, hoc anno Hainricus & Rapoto ejus germanus, filii cujusdam ingenui viri, nomine Haidenrici, urbem propriam ſuam a parentibus ſibi traditam, Swarzenburch vocatam, quæ pridem antiquitus nomine alio Nezta vocabatur, cum omnibus redditibus & appendiciis ſuis, videlicet in villis, in mancipiis, in ſilvis, in agris, in pratis, cultum & incultum, longe vel prope, libera poteſtate tradiderunt Domino & Beatæ Mariæ, pro ſpe æterna & cœleſti remuneratione, in Cœnobio quod dicitur *Cella S. Mariæ*, poſt obitum ipſorum, vel ſi ipſi prius mutarent ſæculum, jure perenni cederent in uſus fratrum ibidem Deo & Sanctis ejus ſervientium. Et utrum legittimas uxores ducerent, an non ducerent, ſeu liberos haberent, an non haberent, ſicut jam diximus; eadem beneficia in ſupra dicto Cœnobio penitus inconvulſa manerent, videlicet duæ villæ apud Pulchauen, Dürrenbach & Adelprehteſtorf, & ea quæ apud Piugen eorum juris ſunt. Item aput Chambe, quæ Hainrici fuerunt cum Eccleſia Heiderichſtorf. Item quæ aput Potenbrunnen poſſident. Item quæ aput Willindorf, VII manſus. Item quidquid proprietatis aput Perendorf habent. Sed & alia nihilominus prædia ſupradicti germani eodem fervore, ſed ſub alia conditione: ut ſi forte hæredes legittimos procrearent, ipſi ea patrio jure poſſiderent; ſin alias, ea ut cætera ad ſupra dictam Cellam profecto ſine dubio pertinerent. Cum autem idem fratres de Oratorii Conſtructione jam dudum mente habita tractarent; Ego Liupoldus Marchio divinæ mercedis intuitu, conſilio cum meis habito hæſitantes præveni, ideoque Oratorium in meo jure fundavi,

[1] *l.* Omnes Principes. [2] *Imo Erchinfridus Monaſterii Medlicenſis Abbas, ut diſerte dicitur in Chron. Mellic. ad hunc annum.*

[1] *i.* obſeſſa. [2] *l.* Bela. [3] *f.* Polonis.

eo pacto, ut ego quo ad viverem, loci ipsius & omnium, quæ ad eum pertinent, advocatus existerem, sine omnii rerum exactione & personarum gravamine; post me vero, si quis de filiis & nepotibus meis in posterum principatum terræ istius obtineret.

Eodem anno dedicatum est Monasterium Niwenburgense ab Episcopis, Chunrado Salzpurgense, Reimaro Patavience, Romano Gurcense. Eodem anno Liupoldus Marchio Austriæ, ejusdem Monasterii fundator, ex hoc mundo migravit: cui filius ejus Liupoldus successit.

MCXXXVII. Lotharius Imperator obiit.

MCXXXVIII. Chunradus secundus, nepos Hainrici Imperatoris Quarti, frater Ducis Friderici de Suevia Rex efficitur. Filia Belæ Regis Ungariæ desponsata est filio Chunradi Regis. Liupoldus Marchio Austriæ duxit uxorem.

MCXXXIX. Innocentius Papa plusquam DC Episcoporum Synodum Romæ collegit, exceptis Patribus sanctis, quorum ibidem maxima multitudo convenit.

MCXLII. Liupoldus Dux Bawariæ & Marchio Austriæ obiit: Heinricus frater ejus successit.

MCXLIII. Heinricus Dux Bawariæ & Marchio Austriæ, filius Liupoldi Pii Marchionis, duxit uxorem Gerdrudem filiam Lotharii: & Saxones pacificantur cum Rege Chunrado.

MCXLIV. Innocentius Papa obiit, & Cœlestinus subrogatur. Eodem anno Cœlestinus obiit, Lucius eligitur.

MCXLV. Ministeriales præfati Ducis Heinrici Bawariæ & Marchionis Austriæ, & milites Marchionis Styriæ Otachori totam pene Austriam præda & incendiis devastaverunt.

MCXLVI. Ministeriales Ducis Heinrici castrum Regis Ungariæ, quod dicitur Bosonium, clanculo ceperunt; sed post pace facta reddiderunt. Eodem anno Rex Ungariæ cum præfato Duce juxta flumen, quod dicitur Lytha, bellum contulit, & victor heu! extitit.

MCXLVII. Monente Papa Eugenio exercitus Christianorum contra paganos versus Jerosolimam dirigitur cum Rege Romanorum Chunrado, & Rege Franciæ Ludwico. Reinbertus Episcopus obiit: Chunradus frater Heinrici successit.

MCLII. Chunradus Imperator obiit: cui successit Fridricus, filius Fridrici Ducis Sueviæ.

MCLIII. Eugenius Papa obiit: Athanasius [1] eligitur. Bernhardus Abbas Clarevallensis obiit. Athanasius Papa obiit, & Adrianus eligitur.

MCLV. Claustrum Scotorum in Wienna a Duce Austriæ Hainrico hoc anno fundatur.

MCLVI. Fridericus Imperator ordinatur Romæ ab Adriano Papa.

MCLVII. Urbs Boemorum Podwin igne combusta est a populo Austriæ. Hainrico Duci Austriæ filius nascitur, Liupoldus nomine.

MCLVIII. Fridericus Imperator Romanus secundo Italiam profectus, & Mediolanenses cum ipso pacificantur: eodem etiam anno rebelles existunt. Otto Frisingensis Episcopus, Liupoldi Pii Marchionis filius, obiit. Heinricus, frater Liupoldi, nascitur filius Heinrici Ducis Austriæ. Niwenburch claustrum combustum est.

MCLIX. Adrianus Papa obiit. Scisma in Ecclesia exoritur: Alexandro canonice electo, & Victore Scismatico pro primatu Romanæ Sedis contendentibus.

MCLX. Arnulfus Mogunciensis Archiepiscopus in templo S. Jacobi ab incendio occisus est.

MCLXI. Fridericus Romanorum Imperator in Kalendis Martii, prima die mensis, felicem & gloriosam de Mediolanensibus victoriam adeptus est. Eodem anno Geysa Rex Ungariæ obiit, cui successit filius ejus Stephanus: qui non multo post regno privatur, & Lazlaus frater defuncti regnum invadit.

MCLXII. Lazlaus obiit: cui Stephanus frater ejus in regnum succedit: & hic eodem anno cum dedecore regno pellitur, & Stephanus filius Geysæ regno suo honorifice restituitur.

MCLXIII. Otakorus Marchio Styriæ obiit.

MCLXV. Stephanus Rex Ungariæ duxit uxorem Agnem filiam Hainrici Ducis Austriæ.

MCLXVI. Fridricus Imperator Romam hostiliter invasit: unde nutu Divino multi Principes, tam Spirituales quam Sæculares, Episcopi, Duces, Comites in Comitatu suo perierunt. Marquardus Præpositus Niwenburgensis obiit: Rudgerus frater ejus successit. Niwenburgenses apud Frisacum a Domino Salzpurgensi Archiepiscopo Chunrado consecrati sunt. Fridricus Imperator Austriam intravit.

MCLXVII. Rudgerus Niwenburgensis Præpositus obiit: Wernherus successit. Chunradus Salzpurgensis Archiepiscopus obiit: Albertus sororis ejus filius & Regis Boemiæ successit.

MCLXVIII. Fratres Niwenburgenses xxx Clerici consecrati sunt a Venerabili Archiepiscopo Alberto.

MCLXX. Sanctus Thomas Cantuariorum Archiepiscopus martyrio coronatus est.

MCLXXI. In Nortica sylva multi homines luporum rabie dicuntur periisse.

MCLXXII. Inundatio magna, hyemali glacie recedente, facta est, ita ut aqua flueret super muros aliquos in castro Cremense.

MCLXXIII. Liupoldus, & Heinricus frater ejus, filii Heinrici Ducis Austriæ accincti sunt gladio: & eadem die Liupoldo copulata est uxor sua filia Regis Ungariæ. Fridricus Imperator tertio Italiam profectus est. Longobardi in deditionem veniunt; sed & eodem anno rebellaverunt. Imperator antequam proficisceretur, conventum Procerum Ratisponæ fecit, in quo Alberto Archiepiscopo Episcopatum Salzpurgensem, iniquo quorundam Episcoporum iudicio, abiudicavit: superposito sibi Heinrico Perhthersgadmensi Præposito.

MCLXXV. Dux Boemiæ terminos Austriæ ingreditur, & totam terram usque ad Danubium & Marchiam fluvium incendio & rapiniis

[1] *l.* Anastasius.

nis inhumane vastavit. Eodem anno filii Ducis Austriæ, Liupoldus & Heinricus, Moraviam ingressi sunt, omnia vastantes.

MCLXXVI. Heinricus Dux Austriæ Winnæ obiit, & in Monasterio Scotorum, quod ipse fundaverat, sepelitur. Liupoldus filius ejus successit.

MCLXXVII. Eodem anno terminatum est scisma pestilentium [1] inter Papam Alexandrum, & nobilissimum Imperatorem Fridricum. Ad valvas S. Marci Venetiis facta sunt hæc. Adelbertus Salzpurgensis Archiepiscopus ab Alexandro Papa ob gratiam & favorem Imperatoris Ecclesiasticis est privatus, & Chunradus Moguntinus illi est substitutus.

MCLXXVIII. Liupoldus Dux Austriæ contracto exercitu terminos Boemorum ingreditur, devastans omnia.

MCLXXIX. Alexander Papa Synodum generalem sexcentorum & eo amplius Episcoporum in urbe Roma media Quadragesima celebravit. Niwenburgenses a Domino Diepoldo Pataviense Episcopo consecrati sunt, in civitate Anasi, sub Wernhero Præposito.

MCLXXX. Hainricus Dux Bawariæ miro fastu contra Imperatorem Fridricum & totum Romanum Imperium sentiens, insperata velocitate & facilitate de summo culmine honorum & temporalium bonorum cecidit.

MCLXXXI. Alexander Papa obiit: pro quo Lucius. Manuel Græcorum Imperator obiit. Ludwicus Rex Franciæ obiit: cui filius ejus successit. Hermannus Dux Karinthiæ obiit. Salzpurch corpus beati Virgilii, ejusdem urbis Episcopi, multis miraculis claruit: in Patavia quoque sepulchrum sancti Peregrini [2], ejusdem Episcopi, signis claruit.

MCLXXXII. Liupoldus Dux Austriæ Jerosolimam ivit, & inde revertitur, afferens portionem Sanctæ Crucis, ad mensuram virilis manus.

MCLXXXIII. Dominus Christianus Moguntinus Archiepiscopus & Imperii Cancellarius obiit. Chunradus Salzpurgensis Episcopus ad Moguntiensem Ecclesiam, a qua tempore scismatis discesserat, revertitur: Adalbertus quoque similiter tempore scismatis a Salzpurgensi Ecclesia per violentiam Imperatoris pulsus, eandem sedem recepit. Otto Palatinus Comes obiit.

MCLXXXIV. Theodora Ducissa Heinrici Ducis Austriæ obiit.

MCLXXXV. Dyarmicius Rex ab Anglicis dolo occiditur: cui Domnoaldus filius eius succedens, Sifridum cum cæteris Anglicis, a quibus pater suus occisus fuerat, occidit.

MCLXXXVI. Lucius Papa obiit: Urbanus III successit. Wernherus Præpositus locum regiminis sui deserens, alio conversari cœpit: Gotscalcus in locum ejus successit.

MCLXXXVII. Jerusalem a paganis est expugnata VI Non. Octob. Urbanus Papa obiit, & Gregorius successit. Hoc anno dedicatum est Monasterium Sanctæ Crucis a Venerabili Cardinali Theobaldo, Ostiensis & Velletrensis Ecclesiæ Episcopo, sanctissimo sedis Apostolicæ Legato, II Kal. Februarii, prima hebdomada Septuagesimæ, in die Sabbati, cum maxima Cleri, & populi devotissima gloria. Eodem etiam tempore III Kal. Martii, altare S. Crucis, & S. Mauricii ab eodem Cardinali consecrata sunt, & altare S. Michaelis Kal. Februarii ab eodem. Gregorius Papa præcepto & monitis, ut Christiani milites Jerosolimam contra paganos armati pergerent, compellere studuit, Cardinales suos & Episcopos cum reliquis totius probitatis Nunciis transmittendo, Imperatori videlicet primo, deinde reliquis Ecclesiæ hominibus, & totius virtutis Principibus.

MCLXXXVIII. Fridricus Imperator fide Christi succensus, signo S. Crucis se signavit, generalem expeditionem adversus paganos indicens. Gregorius Papa obiit: cui Clemens subrogatur.

MCLXXXIX. Exercitus Christianorum cum Imperatore de diversis regionibus congregatus, viam Sancti sepulchri aggressus est.

MCXC. Fridricus Imperator III id. Junii, die Dominica, diem clausit extremum: vi Heinricus filius ejus successit in regnum. Liupoldus Dux Austriæ iterato Jerosolimam tendit: & Rex Franciæ, Rex quoque Angliæ, & Comes Flandrensis versus Jerosolimam expeditionem moverunt. Hainricus quoque Dux Baowariæ in regni gratiam receptus est.

MCXCI. Heinricus Rex Romæ Imperatoris & Augusti nomen adeptus est. Dux Sueviæ, filius Imperatoris Fridrici, in peregrinatione moritur. Clemens Papa obiit: cui Jacinctus, qui & Cœlestinus, successit. Rex Franciæ, & Dux Austriæ Liupoldus ab Jerosolimis redierunt. Imperator Hainricus de Apulia incassum rediit: Episcopus Coloniensis, Dux Boemiæ, Otto Cancellarius Imperatoris & alii Principes ibi mortui sunt.

MCXCII. Dux Karinthiæ [1] Otakorus obiit: cujus hæreditatem Dux Austriæ Liupoldus de manu Imperatoris sollemniter susceptit. Rex Angliæ ab Jerosolimis rediens, a Liupoldo Duce ob contemptum, in transmarinis partibus sibi illatum, in oppido Wiennæ capitur. Wolfkerus Patavienſis Episcopus eligitur. Hainricus Rex filius Fridrici Imperatoris cum expeditione in Italiam veniens, a Cœlestino Papa Imperator ordinatur.

MCXCIII. Rex Angliæ a Duce Liupoldo in potestatem & captivitatem Imperatoris traditur. Heinricus VI Imperator secundo in Italiam profectus prospere egit. Wernherus Niwenburgensis Præpositus in apicem Gurcensis Ecclesiæ Episcopus est electus, Ottonem successorem reliquit: quo in brevi mortuo, Rudolfus Decanus successit. Winna incendio flagrat. Danubius iam vice altera contra solitum inundans vicina loca occupat. Eodem anno piæ memoriæ Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ, sequenti die Natalis Domini, circa castrum Gratz equo lapsus, II Kal. Jan. moritur, & in Domo S. Crucis sepelitur: cui filii sui Fridricus & Liupoldus in Ducatum utriusque regionis succedunt.

MCXCIV. Fames valida est in Teutonia.

[1] *l.* pestilentissimum. [2] *al.* Pilgrimi, *seu* Pilegrini &c.

[1] *l.* Styriæ.

MCXCV. Wernherus Episcopus Gurcensis obiit. Rudolfo decedente Dietricus Niwenburgensis Præpositus eligitur. Fridricus Dux Austriæ, & multi Principes Teutonici regni cruces acceperunt. Multitudo paganorum Hispaniam intraverunt.

MCXCVI. Chunradus Moguntinus Archiepiscopus & multi Principes signo S. Crucis signantur. Bela Rex Ungariæ obiit: Eimricus filius ejus successit.

MCXCVII. Clemens Papa obiit: Innocentius successit. Hainricus Imperator in Apulia moritur: Philippus frater ejus regnum invasit, Ottone Saxone sibi resistente. Expeditio tertia Jerosolimam. Chunradus Moguntinus Archiepiscopus profectus est Jerosolimam circa Natale Domini. Eodem anno Wulfkerus Patavien- B sis Episcopus, & Dux Austriæ Fridricus & alii plures Jerosolimam profecti sunt.

MCXCVIII. Fridericus Dux Austriæ peregre moritur: Liupoldus Dux Styriæ frater ejus successit.

MCXCIX. Eimricus Rex Ungariæ expulsum fratrem persequens, terminos Austriæ præda & igne vastavit. Wolfkerus Patavienſis Episcopus quinquennii pace inter Christianos & Sarracenos composita, Jerosolima rediens hostes Episcopatus fortiter compescuit. Constantia Imperatrix obiit, & parvulum, quem in sceptra nutrierat, Fridricum hæredem reliquit. Helena Ducissa Austriæ obiit.

MCC. Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ, in die Pentecostes, ambitione magna accinctus est C gladio: præsente Chunrado Moguntino Archiepiscopo, Eberhardo Salzpurgense Archiepiscopo. Pax inter Regem Ungariæ, & Ducem Austriæ componitur, fratre in consortium regni recepto. Chunradus Moguntinus Archiepiscopus obiit. Monasterium S. Mariæ & S. Gregorii in Wienna ad Scotos a Wolfkero Patavienſe Episcopo consecratur.

MCCI. Terræ motus magnus factus est IV Non. May.

MCCII. Expeditio Quarta Jerosolimam. Hoc anno Liupoldus Dux Austriæ nuptias Wiennæ, multis Principibus ibidem convenientibus, pomposissime celebravit.

MCCIII. Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ Theodoram neptam Regis Græcorum duxit uxorem. Otakorus Rex Boemiæ terminos D regni Teutonicorum potenter intravit & in pace rediit. Chunradus Ratisponensis Episcopus, & Ludwicus Dux Bavariæ mutuis cladibus terram corruperunt. Constantinopolis capta & exusta, virtutem Gallorum mirari didicit. Eimricus Rex Ungariæ data fide per Religiosos viros, fratrem suum dolo captum, & catenis constrictum perpetualiter incarceravit; sed eodem anno divina ultione percussus in fata concessit. Quo defuncto frater de catenis eripitur, & sub nomine tutoris filii fratris sui, quem pater infantulum coronaverat, super regnum Ungariæ sublimatur.

MCCIV. Patriarcha Aquilegiensis obiit: cui Wolfkerus Patavienſis Episcopus successit, & ipse Popponem successorem habuit. Philippus Rex Boemorum exercitum secunda eruptione cum suo Rege fugavit, non minus præda quam victoria nobiliter potitur.

MCCV. Philippus Rex Romanorum, post bellicos septennii labores, tandem optatis pace & regno potitur. Eimricus Rex Ungariæ mirum! qua die dolo fratrem ceperat, revoluto tempore & ipse captus interitu, quem consortem habere noluit, hæredem reliquit. Græcia cum sua Constantinopoli, ob necem Regis Alexii, Porphyrogenitorum gente cæsim per viros ac fæminas delata [1], in ius exterorum devenit: direptisque opibus contigit, non parvam Dominicæ Crucis portionem cum aliis sacris Reliquiis Duci Austriæ Liupoldo perferri. Andreas Reginam uxorem fratris, & filium ejus hæredem regni persequens, terminos Austriæ usque Wiennam intrare coegit, ibique puer moritur, & Regina marito natoque orbata, auxilio Ducis ad terram suam Arragoniam proficiscitur. Expeditio Regis Philippi versus Coloniam, cui Dux Austriæ Liupoldus cum magno exercitu militum intravit.

MCCVI. Poppo Patavienſis Episcopus obiit: Manegoldus Abbas de Chremsmunster succeſſit. Fundata est Domus in Campo liliorum.

MCCVII. Liupoldo Duci Austriæ nascitur filius, Liupoldus nomine, VII Kal. Aprilis.

MCCVIII. Philippus Romanorum Rex dum expeditionem contra Prunswich parat, iniquo quorundam consilio Principum, Babenberch ab Episcopo ejusdem loci invitatur, & ab Ottone Palatino Comite dolo occiditur, & Regina morte ejus cognita præ dolore moritur. Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ zelo fidei accensus, cum pluribus nobilibus terræ suæ in Niwenburch signo S. Crucis insignitur.

MCCIX. Ottoni Regi ob concordiam regni filia Regis defuncti desponsatur. Otto Palatinus ob necem Regis Philippi capite truncatur.

MCCX. Otto de Prunswich, Heinrici Ducis Bavariæ quondam expulsi filius, in Regem eligitur: & ipse per Italiam cum expeditione pacifica securitate Romam usque profectus, ab Innocentio Papa promotus Imperator efficitur, Otto prosperis successibus mirabiliter elatus, adversus Fridericum Regem Siciliæ Apuliam ingreditur. Pestilens hæresis Paterinorum [2] cum plurimos Christiani nominis serpendo corrumperet, auctore Deo prodita est, & variis tormentis multi eorum necati sunt.

MCCXI. Otto Imperator dum possessionibus Apostolicis Ecclesiæ Romanæ jurejurando promissis, violenter postmodum; abutitur; ab Innocentio Papa tertio commonitus, nec correctus, anathematis animadversione percutitur. Eodem anno multi Principes Orientalium ex mandatis Domini Apostolici conjurant adversus Ottonem Imperatorem. Exercitus Sarracenorum de tota Affrica collectus, cum suo Rege mari transito fines aliquos Hispaniæ violenter occupavit, & Reges Christianos circumquaque positos, die quoque futuri conflictus expresso, superbe provocavit.

[1] *f* deleta. [2] *al.* Patarinorum.

Eclypſis lunæ facta eſt quaſi media nocte, x Kal. Nov.

MCCXII. Otto Imperator ab Apulia proſpere regreditur, regalibusque nuptiis Prunswich magnifice celebratis, filiam Regis Philippi duxit uxorem; ſed celebres nuptiæ proh dolor! in lugubres exequias Reginæ in brevi convertuntur. Otto poſt annum excommunicatus, non reſipiſcens Apoſtolica ſententia pronunciatur hæreticus, & Imperio deponitur omnino, Katholicis ab ejus reverentia & obſequiis cohibitis. Fridericus Rex Siciliæ Ottonem è veſtigio ſecutus, favore & auxilio Principum Romanorum regnum ingreſſus eſt, & ab omnibus glorioſe ſuſceptus. Fridricus Rex Ratisponæ celebrem curiam habuit, plurimis Principum ſibi jurejurando fœderatis.

MCCXIII. Liupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ cum magno comitatu ad terram S. Jacobi, ad debellandum paganos tranſierat.

MCCXV. Manegoldus Patavienſis Epiſcopus obiit: cui ſucceſſit Ulricus. Synodus celebrata eſt apud Eccleſiam S. Johannis Romæ.

MCCXVI. Innocentius Papa III obiit: cui ſucceſſit Honorius Papa II. Liupoldus Dux puer obiit, filius Ducis Liupoldi.

MCCXVII. Rex Ungariæ Andreas, & Liupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ cum aliis quamplurimis ad terram promiſſionis tendunt. Idem Dux Liupoldus transfretavit mare XVI diebus Deo protegente, quod antea valde inauditum erat.

MCCXVIII. In principio anni ipſius Andreas Rex Ungariæ exercitum Chriſti relinquens, diſceſſit non minima manu collecta: & in fine anni ipſius vix cum magno labore contumelioſe propriam terram ingreditur. Damiata civitas regalis in Egypto ſita auctore Duce Liupoldo & inſtigante, ab exercitu Chriſtianorum circumdatur. Pagani multas civitates proprias timore perterriti, vacuas dereliquerunt; inſuper & Caſtella plurima propria valde munita propria manu deſtruunt. Otto Imperator excommunicatus ab Innocentio Papa obiit.

MCCXIX. Civitas ſancta Jeruſalem ab ipſis paganis magna ex parte deſtruitur. Liupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ glorioſe ad propriam terram revertitur. Damiata civitas nocte furtive ac miraculoſe a Chriſtianis capitur, nullo tamen Chriſtiano pereunte.

MCCXX. Terra Boemiæ ab Honorio Papa excommunicatur. Fridericus filius Heinrici Imperatoris, nepos Fridrici Imperatoris, Rex Romanorum ac Rex Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, ac Dux Sweviæ, Cæſar & Imperator Romæ conſecratur ac ordinatur ab Honorio Papa, XIII Kal. Dec.

MCCXXI. Dux Bawariæ Ludwicus, & Epiſcopus Patavienſis Ulricus cum aliis multis heu malo noſtro! ad terram ſanctam tendunt. Damiatam civitatem, quam magna probitate Chriſtiani ceperunt, & per duos annos poſſederunt, hoc anno amiſerunt tali modo: Chriſtiani exierunt a Damiata circa centum milia hominum & plus; ut caperent pontem, qui diſtat per V vel IV raſtas a Damiata, tranſiens fluvium minorem, qui dividitur a majori, quem pagani, ne tranſiremus, deſtruxerunt. Chriſtiani vero, quia non habebant copiam navium; inter duo flumina tentoria ſua erexerunt, volentes expectare naves Domini Imperatoris, quæ venturæ erant: & fecerunt magnam & profundam foſſam circa ſe, nec pagani poterant irruere ſuper eos. In eodem vero tempore Nilus ſtagnavit, ſicut ſolet Egyptum irrigare quolibet anno; & ſic inundatione aquarum Nilus tranſivit ripas, & finitima loca replevit: implevit etiam foſſam illam, quam Chriſtiani fecerant circa ſe. Tunc pagani facientes foſſam de minori flumine in magnum flumen, quod circuit in Damiatam, per quam naves ſuas induxerunt: nec de Damiata victualia ad Chriſtianos per aquam portare permiſerunt. Chriſtiani fame coacti, conſilio Principum exierunt foſſam, volentes redire in Damiatam. Pagani vero circumdederunt eos, & ulterius eos ire prohibebant: ubi ſtrages ad Triginta quinque milia hominum facta eſt; & ſic pro omnibus Chriſtianis a captione Damiatæ comprehenſis, & pro vera cruce reddita eſt Damiata paganis. Eodem vero tempore piratæ paganorum combuſſerunt igne inextinguibili ſeptingentos, tam ſacerdotes quam alios Clericos, in una navi in flumine. In eodem anno obiit Ulricus Patavienſis Epiſcopus redeundo a Damiata. Dux prædictus Ludwicus confuſe revertitur.

MCCXXII. Sollemnitas magna in Wienna fit Duce auctore Liupoldo, cujus etiam filia Duci Saxonum nuptiali thalamo eſt copulata. Gebhardus conſecratur in Epiſcopum Patavienſem.

MCCXXIII. In Longobardia terræ motus factus eſt magnus, qualis nec antea aliquando. Civitas quædam, nomine Brixia, funditus eſt ſubverſa, & multi homines in ea perierunt. Romæ terra rubea pluit per diem integrum & noctem. Prædicatores Crucis miſſi ſunt in univerſum mundum. Andreas Rex Ungariæ cruce ſignatur cum multis aliis. Heinricus Dux de Medlico obiit. Nix nixit in Styria, quæ verſa eſt in ſanguinem. Rex Tharſis terram, quæ dicitur Valwin, penitus devaſtavit, & habitatores interemit, nec non & multos de Ruthenis interfecit, auxilium volentibus illis præſtare.

MCCXXIV. Magna peſtilentia & ante inaudita vaſtavit pene univerſum mundum. Andreas Pragenſis Epiſcopus obiit.

MCCXXV. Multi cruce ſignati ſunt per induſtriam Cardinalis Portuenſis, qui dicebatur, Chunradus, de Ordine Ciſtercienſi; & cujusdam de Ordine Prædicatorum, qui dicebatur Johannes. Heinricus Rex Romanorum, filius Friderici Imperatoris, duxit in uxorem filiam Ducis Auſtriæ. Heinricus filius Ducis Auſtriæ duxit in uxorem ſororem Lancravii Duringiæ; multi in ipſa ſollemnitate præ multitudine oppreſſi, perierunt apud Nurenberch.

* *Omiſſa ſunt hic conſulto quædam, quæ continenter ſubjunguntur ad hunc annum in MS. propterea quod eadem ad annum* MCCXXV, *& quidem rectius repetuntur.*

Engel-

Engelbertus Colocenſis [1] Archiepiſcopus occiſus eſt.

MCCXXVI. Heinricus filius Ducis Auſtriæ, ex conſilio & auxilio quorundam iniquorum, oppoſuit ſe patri ſuo, atque Caſtrum Haimburch præoccupavit, matremque ſuam inde ſatis contumelioſe eiciens, quod tamen caſtrum pater in brevi recepit. Deinde idem filius vitæ patris ſui multimodis inſidiatus eſt; ſed tamen Deo ſe protegente evaſit manus ejus. Fridricus Romanorum Imperator Prælatis Eccleſiæ & Principibus regni pro negotio Sanctæ Crucis curiam apud Cremonam indixit. Longobardi vero timentes inſidias Imperatoris, viam ubique inter montana venientibus obſtruxerunt. Unde valde commotus Imperator cum aliis Principibus, tamen ſine læſione ipſorum, in regnum Siciliæ ſe contulit, cæteri etiam ad propria ſunt reverſi. Fridricus filius Ducis Auſtriæ in Pruniswich nuptias celebravit. Chunradus Ratisponenſis Epiſcopus obiit.

MCCXXVII. Andreas Rex Ungariæ Ruſciam cum exercitu veniens, ab ipſis ſtatim fugatus receſſit, interfectis nonnullis de exercitu ſuo. Gens, quæ dicitur Valwyn, fidem Chriſti ſuſcepit: ex quibus baptizati ſunt fere x milia. Lancravius Turingiæ in paſſagio meſſis cum multis cruce ſignatis obiit: multis etiam retro aſpicientibus, ad propria reverſi ſunt; cæteri ſine rectore ad terram ſanctam proficiſcuntur, qui computati ſunt ad octoginta milia. Honorius Papa obiit. Heinricus Dux juvenis, filius Ducis Liupoldi, obiit: & Ludwicus Lancravius de Turingia in transmarinis partibus obiit.

MCCXXVIII. Heinricus filius Ducis Auſtriæ obiit. Imperator Fridricus excommunicatus a Gregorio Papa, mare transfretavit. Domnus Wernherus Abbas S. Crucis obiit. Dux Bawariæ, atque alii multi ex nobilibus per Bawariam Liupoldo Duci Auſtriæ & Styriæ inſidias mortis parabant, quas tamen per Dei gratiam ſine læſione evaſit. Papa Gregorius VIII in Cœna Domini Imperatorem Fridricum tertium excommunicatum publice denuntiavit. Unde non parum ipſi Romani turbati, ipſum Papam in ſecunda feria Paſchæ in Eccleſia S. Petri infra Miſſarum ſollemnia, quæ perſonaliter celebravit, contumeliis & blaſphemiis afficientes, ab injectione manuum vix abſtinuerunt. Unde Papa in palatium apud S. Petrum ſe recipiens, poſt aliquot dies urbem exivit, & in Tuſcia primo apud Reatum, poſtmodum apud Peruſium habitavit: ubi habito colloquio Principes Imperii a fidelitate Imperatoris abſolvit. Imperator defuncta Imperatrice in puerperio, ad Cyprum & usque Akaron pervenit. Ibi in magna gloria ſuſceptus, & poſt paucos dies legatus Soldani cum honorifice recipiens recepit.

MCCXXIX. Terram repromiſſionis Chriſtiani poſſederunt per Imperatorem Fridricum. Idem Imperator redit de transmarinis partibus in regnum ſuum Siciliæ, auxilio & conſilio Regis paganorum, ſcilicet Soldani. Fridricus filius Ducis Auſtriæ neptem Reginæ Ungariæ repudiavit, quæ copulata ei erat in conjugio: & filiam Ducis Moraviæ ſibi illicite copulavit, patre ſuo in omnibus his auctore. Imperator Fridricus in partibus exiſtens transmarinis, civitatem Sanctam Jeruſalem, & majorem partem terræ ſanctæ a Soldano Babylonico recepit: & treugis per decennium inter eos firmatis, Imperator revertitur in Apuliam, & fines regni Apuliæ ab exercitu Domini Papæ occupatos recepit. Exercitus Domini Papæ in tres partes diviſus, Teutonicis cruce ſignatis paſſagium impedivit. Longobardi & Tuſci cum Domino Papa contra Imperatorem conſpiraverunt.

MCCXXX. Boemi Auſtriam rapina & incendio, nullo reſiſtente, vaſtaverunt. Piæ memoriæ Dux Liupoldus apud Sanctum Germanum obiit: moxque Miniſteriales ejus fere omnes contra filium conjuraverunt, primo dolo privantes eum theſauro patris, ac poſtmodum totam fere Auſtriam incendio & rapina vaſtaverunt. Imperator Fridricus reconciliatus eſt Domino Papæ Gregorio, & ab excommunicatione abſolvitur. Otakorus Rex Boemiæ obiit. Tiberis alveum ſuum egreſſus vicina loca occupavit, & in urbe Roma usque ad gradus S. Petri aſcendit: unde Romani compulſi Papam revocaverunt. Dominus Papa & Dominus Imperator mediantibus Principibus Alamanniæ, videlicet Bertoldo Patriarcha Aquilejenſi, Eberhardo Archiepiſcopo Salzpurgenſi, Epiſcopo Ratisponenſi, Auſtriæ & Karinthiæ Ducibus, & quibusdam aliis, ad concordiam redierunt, & Dominus Imperator ab excommunicatione abſolvitur, & poſt abſolutionem hoſpitio & menſa a Domino Papa excipitur. Liupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ in reverſione apud Sanctum Germanum obiit. Cujus corpus in Monte Caſſino in Monaſterio S. Benedicti a Cardinalibus ſepelitur, & oſſa ipſius delata in clauſtrum ſuum, quod ipſe conſtruxit, Lyrenvelde, ibidem ſepulta ſunt in die S. Andreæ ab Archiepiſcopo Salzpurgenſe, & eodem die dictum Monaſterium ab eodem Archiepiſcopo Salzpurgenſe conſecratur: cui filius ejus Fridricus ſucceſſit. Idem Dux Fridricus duxit uxorem filiam Ducis Meranniæ, poſt repudiationem ſororis Reginæ Ungariæ. Rex Boemiæ manu valida Auſtriam intrans magnam partem terræ vaſtavit incendiis & rapina. Syfridus Mogunciensis Archiepiſcopus obiit.

MCCXXXI. Ludwicus Dux Bawariæ manifeſte cultello transforatus eſt. Facta eſt diſſenſio inter Fridricum Ducem Auſtriæ adhuc puerum, & Miniſteriales eius, tandem humiliati deferunt obſides. Item facta eſt cariſtia Pataviæ, dabatur modius frumenti pro quinque talentis. Epiſcopus Patavienſis & Canonici ſui cum Præpoſito ſunt reconciliati. Orta eſt diſſenſio inter Illuſtrem Ducem Auſtriæ & Styriæ Fridricum, & fratres de Chunringe, Hadmarum videlicet & Heinricum. Hadmarus moritur, in clauſtro ſuo Zwetel a Venerabili Patavienſi

[1] *l.* Colonienſis.

[1] *al.* Meraniæ.

Epiſcopo Gebhardo ſepelitur. Eberhardus de Lonsdorf Canonicus & Archidiaconus Patavienſis omnibus membris miſerabiliter mutilatur.

MCCXXXII. Fridricus Dux Auſtriæ & Styriæ apud Wiennam militavit, & accinctus eſt gladio in Monaſterio Scotorum in Wienna ab Gebhardo Patavienſi Epiſcopo. Wichardus de Zebinge Winnæ decollatur ab Orphano nocte in domo Smelzarii.

MCCXXXIII. Ungari intraverunt fines Styriæ; & vaſtaverunt eos rapina & incendio. Styrienſes vero congregati, ſine rectore perſecuti ſunt eos. Ungari vero longius eos trahentes a finibus ſuis, inſidias ponentes poſt eos convertebantur: ad ipſos accedebant ante & retro, multi ex utraque parte mortui ſunt, & multi vulneribus debilitati. Tandem Ungari victoria potiti, nobiliores ex eis captivaverunt: ex tanta multitudine vix quinquaginta fugierunt, reliqui omnes aut interierunt, aut captivi abducti ſunt. Sancta Eliſabeth multis miraculis claruit. Epiſcopus Babenbergenſis, & Dux Karinthiæ rapina & incendio ſe mutuo vaſtaverunt; ſed in omnibus Epiſcopus ſuperior ſemper extitit, civitates & caſtella Ducis combuſſit & deſtruxit. Poſtquam Venerabilis Patavienſis Epiſcopus Gebhardus Romæ ab Epiſcopatu ceſſiſſet, ſucceſſit ei Rudgerus, Venerabilis Chymenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Ekkebertus Babenbergenſis Epiſcopus poſtquam bellando vaſtavit Karinthiam, ab Heinrico de Vinchenſtain in dolo captivatur, & per Illuſtrem Ducem Auſtriæ Fridricum liberatur. Poſt octavam Johannis Baptiſtæ idem Dux F. Boëmiam exercitu maximo congregato intrare volens, proceſſit usque ad caſtrum Vetau: quod licet omnibus inexpugnabile videretur, expugnavit, & alia quædam caſtra poſt prædicti expugnationem ſibi fuerunt tradita. Audiens itaque Rex Boemiæ, quod tantam multitudinem exercitus haberet, & caſtrum prædictum expugnaſſet; feceſſit per ſilvam, licet propoſuiſſet ei in campo occurrere. Duci præfato Rex Ungariæ circa feſtum Omnium Sanctorum Auſtriam exercitu magno intrans, partem terræ incendio & rapinis devaſtavit, & usque ad Hovelin pervenit: & interfectis multis de ſuo exercitu, & nobilibus quibusdam captivatis, & civitate Teweyn exuſta & depopulata ulterius procedere non valens, pro concordia laboravit. Qua habita revertitur ad ſua. Et non poſt multum tempus idem Rex pacifice exeundo proceſſit usque ad Novam civitatem, & ibi a Duce honorifice ſuſceptus, firmam concordiam inierunt: ubi facta concordia idem Rex Ducem amicabiliter ad Ungariam invitavit. Quo facto cum magno comitatu Ungariam veniens, honorifice ſuſceptus rediit ad ſua.

MCCXXXIV. Fridricus Dux Auſtriæ & Styriæ cum magno exercitu & forti intravit fines Boemiæ, & caſtrum nomine Vetau cepit. Cumque ulterius vellet procedere nemine reſiſtente, infirmatus eſt usque ad mortem; & ſic omnipotens Deus conatum ejus malum reſtrinxit. Dominus Rudgerus Epiſcopus Patavienſis ordinatus eſt. Andreas Rex Ungariæ cum filio ſuo Bela partem Auſtriæ incendio & rapina devaſtavit. Fridricus Illuſtris Dux Auſtriæ & Styriæ, & Theodora Ducisſa mater ſua in Octavis Paſcæ ad feſtum Apoſtolorum Philippi & Jacobi nuptias ſollemnes celebrant, in campo juxta Stadlowe: ubi Marcravius de Meyſſen ſororem jam dicti Ducis, Conſtantiam nomine, duxit in uxorem: præſentibus Regibus Ungariæ & Boemiæ, & Archiepiſcopo Salzpurgenſe, Patavienſe, Babenbergenſe, Friſienſe [1], Saxoniæ & Karinthiæ Ducibus, & Lancravio Turingiæ mediantibus, & aliis quampluribus.

MCCXXXVI. Tota hyeme illa tanta aſperitas frigoris inhorruit, ut multi fluvii, qui ante large fluebant, a fundo usque ad ſummum ita indureſcerent præ frigore, ut fluere deſinerent. Circa tempus vero vernale cum ſolveretur glacies, Danubius ex multitudine glaciei & abundantia aquarum exceſſit terminos ſuos; turres, muros, domos, pomaria arboresque ſubvertit, hominesque multos extinxit; vineas & agros a ſe remotos vaſtavit, replensque omnia glacie immenſi ponderis: quæ glacies per magnum ipſius anni [2] duravit ibidem. Andreas Rex Ungariæ cum duobus filiis ſuis, Bela & Cholomanno, congregato exercitu magno, ut dicebatur, ducentis milibus, intravit fines Auſtriæ. Dux vero econtra veniens cum triginta milibus bene inſtructis, antequam ad rem veniret, exercitus Ducis fugam iniit cum Duce ipſorum, vix trecentis viris eos perſequentibus. Poſtea Rex vaſtavit rapina & incendio circumquaque usque ad civitatem Wiennæ, nemine ſibi reſiſtente. Quod videns rogabat ea quæ pacis ſunt, tandem pace firmata Dux recepit Reges in convivium, & exercitus Regis remeavit ad propria. Interea Rex Boemiæ ex altera parte Danubii vaſtavit Auſtriam rapina & incendio usque Stadlowe: ubi dum moraretur, tanta inundatio pluviæ erupit ſere per tres dies & noctes, per Auſtriam & Ungariam, quod ante per multos annos non eſt viſum, vel auditum. Item Danubius ex abundantia aquarum terminos ſuos excedens, agros, villas, ſegetes vaſtans: homines quoque, qui in inſulas confugerant cum jumentis ſuis & aliis rebus, extinxit. Andreas Rex Ungariæ obiit. In ipſo anno Fridricus Romanorum Imperator per Longobardiam intravit regnum Teutonicorum, filium ſuum Heinricum Regem Romanorum de regno depoſuit, & captivum in Inſulam marinam miſit: multisque bene diſpoſitis ſecundum juſtitiam ſæculi, & ordinatis, multa caſtra nociva deſtruxit; omnibus juſtitiam faciens, tam majores quam minores homines injuſtos morte damnavit. Qui etiam Imperator Ducem Auſtriæ multociens multis legatis ac litteris accerſivit; ſed ipſe velut ſuperbus & contumax venire contempſit: timens ſuam ſtultitiam, & ſapientiam Imperatoris, & eos qui querimoniam faciebant, propter res ſuas ſibi immerite ablatas. Mater etiam Ducis Theodora propter penuriam rerum, quam patiebatur, & propter timorem filii, ne ſe perpe-

[1] i. Friſingenſi.
[2] *ſupple* ſpatium.

tuo

tuo includeret, de Auſtria fugiens venit Boémiam.

MCCXXXVII. Fridricus Dux Auſtriæ & Styriæ vocatus ad curiam ab Imperatore Fridrico, & venire contemnens, tandem ſententiam proſcriptionis coram multis Principibus incurrit; tum propter contemptum, tum etiam querimoniam multorum Prælatorum, Eccleſiarum & Principum, ac diverſarum perſonarum Eccleſiaſtici ordinis, & potentiæ ſæcularis. Poſtea Imperator miſit Nuntium ſuum in Auſtriam, interdixit ei gratiam ſuam, & auxilium & conſilium: quem Nuntium ſui captivantes, & male tractantes, tandem ad juſſum Ducis eſt dimiſſus. Item idem Dux fecit omnia Clauſtra, quæ erant in principatu ſuo, uno die pariter irrumpi, & inquiri pecunias proprias & alienas, & inventas diripuit. Inſuper in toto principatu ſuo recepit de unoquoque manſo LX denarios. Initium dolorum fuerunt hæc, & cauſa deiectionis ſuæ. Poſtea propter multas inſolentias & enormitates ſuas Wiennenſes & aliæ civitates (præter Novam Civitatem) & Miniſteriales in utroque principatu cœperunt ſe opponere ei. Deinde ſecutæ ſunt rapinæ & incendia, & irruptiones Clauſtrorum, & Eccleſiarum & Caſtrorum. Deinde venerunt Rex Boemiæ, & Dux Bawariæ ex latere Imperatoris in Auſtriam, qui tamen nihil profecerunt, niſi quod terram rapina & incendio vaſtaverunt. Hi terram & civitatem Wiennenſem Burgravio de Nurenberch commendaverunt: qui collectis multis venit verſus Novam civitatem, locuturus Patriarchæ Aquilegienſi & Styrienſibus. In reverſione vero inſecutus eſt eos Dux cum Comite de Bogen, & fugavit eos, cum haberent decem contra unum: cepitque duos Epiſcopos, Patavienſem & Friſienſem, cæteri turpiter, & vix evaſerunt. Tandem Imperator per Longobardiam intravit Styriam; & ſubjugavit caſtra valde munita, multaque confregit, & uxorem Ducis abſtulit: quod ei maximum dedecus fuit.

MCCXXXVII. Imperator intravit Auſtriam, venitque cum multis Principibus Wiennam, ibique cum magno honore exceptus eſt: filiusque ejus Rex Chunradus per Danubium venit cum magno Comitatu Principum, ibique per tres menſes latitantes, comedentes & bibentes quæ apud ipſos erant, & nihil aliud utilitatis operantes. Deinde Imperator relinquens Auſtriam, ingreſſus eſt Bawariam, & vices ſuas commiſit Epiſcopo Babenbergenſi Ekkeberto. Poſt receſſum Dux in brevi quinque caſtra vi obtinuit. Deinde Styrienſes conducti ab Imperatore Auſtriam intraverunt, cum exercitu ad conſervationem terræ; ſed magis venerunt ad deſolationem: quia in brevi nonnullis ſuis interfectis & captis, cum confuſione ad propria ſunt reverſi. Interim Epiſcopus Babenbergenſis in Wienna diem ultimum clauſit. Imperator cum magno exercitu intravit Longobardiam, ibique fere per duos annos civitates ſibi rebelles impugnans, ſed non impugnans. [1] Circa vindemiam, quæ ſatis ſterilis erat ipſo anno, venit Comes de Eberſtayn cum aliis multis, ex præcepto Imperatoris: cui Dux occurrit circa Tulnam cum ſuis. Cui cum reſiſtere minime valeret, reverſus eſt ad caſtra ſua. Qui Comes in Wienna manens ſine effectu, quia nulli ſe committere audebat, propter infidelitatem, quæ tunc regnabit in terra.

MCCXXXIX. Rex Boemiæ ſe oppoſuit Imperatori, cujus conſilio & auxilio Dux cottidie creſcendo intolerabilis factus eſt de hoſtibus ſuis: civitates La & Ens, & multa caſtra obtinuit. Imperator interim manens in Longobardia, multos ex Mediolanenſibus cepit & occidit, & cum poteſtate eorum & carruca: ſimiliter multos de Bolonienſibus cepit & occidit, inſuper vineas & oliveta & ficeta ſuccidens & vaſtans. Eodem tempore idem Imperator a Domino Gregorio Papa IX excommunicatur.

B Hoc anno Dux Auſtriæ cum ſibi adhærentibus magnam copiam frumenti & vini collegit, & reſiſtentes ſibi in quantum potuit debellavit. Majores tam in Auſtria, quam in Styria, Miniſteriales ac civitates fortiter reſiſtebant ei: quia Ducis fidei ſe committere non audebant.

MCCXL. Civitas Wiennenſis ita cuſtodita eſt ab hominibus Ducis, ut vix parum aliquid deferretur ad manducandum & bibendum in ea manentibus: & inde factum eſt, ut modius frumenti venderetur pro ſeptem talentis; & multi homines in terra præ fame interierunt, & aliqui ad ſublevandam famis inopiam (ut dicebatur) canes comedebant. Vinum etiam valde carum fuit in ipſa civitate, & in tota terra, ut urna venderetur in aliquibus locis pro duodecim ſolidis. Eodem anno civitas Wiennenſis

C cum tota Auſtria reverſa eſt ad Dominum ſuum Ducem Fridricum.

MCCXLI. Obſcuratus eſt ſol in quibusdam locis, & factæ ſunt tenebræ, ita ut ſtellæ viderentur in cœlo, circa feſtum S. Michaelis hora nona. Inter Regem Boëmiæ, & Ducem Auſtriæ diſcordia ſatis intricata exorta eſt, & hæc fuit cauſa: Cum eſſet ipſe Dux fere excluſus a poteſtate Ducatus ſui, quæſivit conſilium & auxilium Regis, promittens ei totam terram ultra Danubium ſe daturum, ſi reſtitueretur honori ſuo. quod ipſe Rex ſatis competenter [1] in quantum licuit & potuit, offenſam Imperatoris vilipendit: inſuper La civitatem habuit in poteſtate ſua. Deinde [2] Dux reſtitutus eſſet honori ſuo per orationes Monachorum & Clericorum ac mulierum (ut creditur) quos ante minus dilexerat; his peractis quæſivit Rex a Duce

D id, quod promiſerat. Sed ipſe diſſimulabat promiſſa perſolvere, propter quod ex utraque [3] ſatis dura contentio exorta eſt, per rapinam & incendium & vaſtationem. Item Rex manu valida intravit fines Auſtriæ ad depopulandam terram; ſed propter imminens frigus & clamorem pauperum reverſus eſt ad propria; cives vero La civitatem tradiderunt Domino ſuo Duci, Rege ignorante. Tandem controverſia illa ſic terminata eſt, ut traderetur filia Ducis Heinrici, fratris Ducis Fridrici, filio Regis Boemiæ in conjugium. quod & factum eſt. Eodem Ko-

[1] *videtur deeſſe* præſtans, *aut hujusmodi.* [2] *Supple* cum. [3] *Supple* parte.

[1] *l.* expugnans.

mani (gens immundiſſima, quæ carnibus utebatur fere crudis pro cibo, & lacte equarum & ſanguine pro potu), hi miſerunt quosdam ex ſuis cum Rege, Gutan nomine, ad Regem Ungariæ, rogantes, ut collocaret eos in terra ſua, ſimulantes ſe fieri Chriſtianos. Qui ad ſuggeſtionem Prædicatorum, ſine conſilio Principum ſuorum, ſuſcipiens eos, heu malo ſuo! ſinebat habitare ſecum. at illi paullatim creſcebant & multiplicabantur ſuper numerum.

MCCXLII. Gregorius Papa obiit: [1] Innocentius eligitur. Chumani, gens ſupradicta & maledicta, intravit fines Ungariæ, & in die S. Paſcæ intrabant civitatem Rodnam: illis edentibus & bibentibus, & ſecure habitantibus, interfecerunt omnes Religioſos & irreligioſos, juvenes, virgines, ſenes cum junioribus, nemini parcentes. Deinde diffundebantur per totam provinciam illam ſicut locuſtæ, ſanguinem humanum ſitientes, & effundentes velut aquam. Illi vero, qui prius habitare cœperunt in terra, conjunxerunt ſe ſuis, & facta eſt turba innumerabilis: quorum Rex, nomine Gutan, ſe ipſum interfecit, prius interfectis duabus Reginis, & aliis qui ſecum convenerant, præ timore Ducis Auſtriæ, qui domum illam impugnabat, & tandem expugnabat. Rex autem Ungariæ collecta in unum multitudine copioſa, ut dicebatur, centum milibus occurrit illis circa Peſt. Illis ibi in caſtris quieſcentibus, Kumani ſummo diluculo inopinate ſupervenerunt: & primo incendebant caſtra, deinde interfecerunt omnes, Epiſcopos, Comites, ſenes & juvenes, nemine ſibi reſiſtente, ita quod ex tota multitudine vix pauci cum ipſo Rege ſalvarentur. His ipſa perpetratis ſecuta eſt alia gens, quæ dicuntur Tartari, venientes ab ortu ſolis, quæ multa regna & civitates & caſtra ſubverterat, ſcilicet Ruſciam, Poloniam cum Duce ſuo Hainrico, eo quod eſſet innumerabilis, cui nemo reſiſtere auderet. His adjuncti erant hæretici & falſi Chriſtiani, ut poſſent exercere malitiam ſuam in Chriſtianos, & delere nomen eorum de terra: quæ gens ſubjecit ſibi Chumanos, ut in omnibus parerent eis. Tunc primo multiplicata ſunt mala in terra, eo quod nemini parcerent: pacem aliquando quærentibus dabant, ſed non ſervabant. Rex illorum dicebat ſe ſolum Dominum eſſe in terra, ideo nullius auxilium vel conſilium vel legationem recipiebat, niſi qui vellet ſequi legem ejus, ſcilicet negare Deum Omnipotentem, & homines interficere. Idem quæſivit a Duce Auſtriæ per nuntios ſuos; ſed ille non conſenſit. Pars etiam exercitus illorum intravit fines Boemiæ & Auſtriæ, & multis interfectis ad ſuos remeabant. Horum omnium malorum auctores erant Comites, qui matrem Regis occiderant, eo quod filius eliminaſſet eos de ſedibus ſuis. Non erat gens, neque regnum, quod non timeret audito nomine eorum. Quod malum cum percepiſſet Papa Gregorius [2], tactus dolore, & volens ſuccurrere Sanctæ Eccleſiæ titubanti, ſed non deficienti; miſit legatos ſuos prædicare & dare Crucem in remiſſionem omnium peccatorum quod multi cum gaudio ſuſcipientes, Reges, Duces, Epiſcopi, nobiles & ignobiles, ſenes cum junioribus parabant vindictam facere in filios diffidentiæ. Sed Dominus Imperator hoc fieri prohibuit, eo quod Rex Ungariæ ab eo vocatus, venire contemſit, & loqui cum eo. Dominus Papa [1] Gregorius non reconciliatus Imperatori obiit.

MCCXLIII. Tartari & Comani nemine reſiſtente & occurrente, receſſerunt ab Ungaria cum infinita præda auri & argenti, veſtium, animalium, multos etiam captivos utriusque ſexus ducebant in opprobrium Chriſtianorum. Qui intrantes Græciam, totam terram illam depopulabant, exceptis caſtellis & civitatibus valde munitis. Rex vero Conſtantinopolitanus, nomine Waldwinus congreſſus eſt cum eis, a quo primi victi, in ſecunda congreſſione victus eſt ab eis. Interea fames horribilis & inaudita invaſit terram Ungariæ, & plures perierunt fame, quam antea a paganis. Canes edebant & cattos & homines, humana caro publice vendebatur in nundinis. Deinde lupi rapaces & infeſti, nemini parcentes prævaluerunt in terra, ita quod vix aliquis evaderet [2] de domo ſua inermis procedere. Deinde locuſta id, quod ſeminatum erat, corroſit. In quindecim dietis, in longitudine & latitudine, homo non inveniebatur in regno illo. A Nativitate Chriſti non eſt tanta plaga & miſeria viſa & audita in aliquo regno, ſicut in Ungaria, propter peccata eorum: in plaga, & poſt plagam tales erant, quales ante fuerunt. Interea Eccleſia Romana Pontifice carebat, & Imperator civitates & caſtella Romanæ Eccleſiæ ſibi ſubegit, & cæteri redditus ſibi parebant: nondum enim Longobardi ei ſubjecti erant. Fridricus Dux Auſtriæ & Styriæ cum magno exercitu occurrit Regi Ungariæ apud Lytam, ibique pacificati ſunt ſine congreſſione: moxque cum eodem exercitu tranſivit Danubium, & intravit fines Moraviæ, ſtatimque Rex Boemiæ ei inſperato occurrit cum multitudine magna. Quo Dux comperto fugam iniit, & dilapſus eſt exercitus ab ipſo.

MCCXLIV. Heinricus Rex Romanorum in captivitate patris ſui obiit, relictis duobus filiis. Multi Principes Alamanniæ oppoſuerunt ſe Imperatori, & filio ejus Chunrado Regi Romanorum propter excommunicationem, in qua jam diu duraverat. Fridricus Dux Auſtriæ & Styriæ uxorem ſuam, filiam Ducis de Meran, repudiavit, coram Eberhardo Archiepiſcopo Salzpurgenſi, & Epiſcopo Rudgero Patavienſi, & coram aliis multis, litteratis & illiteratis. Domnus Innocentius Papa III. [3] Pontifex ordinatur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Multæ civitates igne domeſtico conſumptæ ſunt, propter ſiccitatem & ſterilitatem, quæ hoc anno inhorruerat. Duci Auſtriæ erant duo adoleſcentes, quos a juventute nutrierat in curia ſua ſatis delicate: quos etiam tenero amore amavit. Contigit autem, ut in quodam conflictu ambo vulnerarentur usque ad mortem. Unde ipſe Dux nimis turbatus, compatiens miſe-

[1] *l.* Cœleſtinus IV. [2] Cœleſtinus.

[1] *l.* Cœleſtinus. [2] *l.* auderet. [3] *l.* IV.

riæ

riæ eorum & dolori, quia jam desperati erant a Medicis, & ab omnibus in supremo constituti; valde humiliter & cum lacrymis supplicabat fere omnibus Viris spiritualibus in suo Ducatu constitutis, ut Deum exorarent, quia omnia potest, ut restitueretur adolescentibus sanitas Corporis. Promisit etiam carnarium in Sancta Cruce perficere, & in ducentis talentis, & in manu potenti ire contra Prutenos, & justitiam facere omnibus, maxime viris spiritualibus, & omnia, quæ injuste possederat a morte patris sui, restituere Dominis suis. Quem Deus Omnipotens propter bonitatem suam, & devotionem Ducis exaudire dignatus est, restitutique sunt statim adolescentes sanitati. quod ipse pro magno miraculo habuit, deinde valde largam elemosinam multis largitus est.

A

MCCXLV. Innocentius Papa IV. Urbem reliquit, Lugdunum intravit propter dissensionem, quæ inter ipsum & Fridricum Imperatorem fuit.

B

MCCXLVI. Fridricus Dux Austriæ & Styriæ interfectus est in prælio, xvi Kal. Julii. Octava die mater ipsius Theodora, Ducissa Austriæ, obiit. Piæ memoriæ Eberhardus Venerabilis Archiepiscopus Salzpurgensis obiit.

MCCXLVII. Sanctus Edmundus claruit virtutibus multis.

MCCXLIX. Hermannus Marchio de Paden intravit Austriam auxilio Ducis Bawariæ, & duxit uxorem filiam Heinrici Ducis, qui fuit filius Ducis Liupoldi, qui est sepultus in Campo-liliorum. Hermannus Marchio de Paden voluit esse Dux Austriæ, sed non valuit.

MCCL. Eodem anno in die S. Jacobi combustum est Claustrum Cellæ S. Mariæ a Komanis & Ungaris. Venerabilis Pataviensis Episcopus Rudgerus depositus est de Sede Episcopatus sui: Bertholdus, frater Ratisponensis Episcopi, ordinatur pro eo. Fridricus Imperator obiit. Hermannus Marchio de Paden obiit.

C

MCCLI. Clerici interficiebantur a pastoribus Parisius. Otakorus filius Regis Boemiæ duxit uxorem Margaretam quondam Romanorum Reginam, filiam Liupoldi Ducis Austriæ, qui jacet in Campo-liliorum.

MCCLII. Supradictus Otakorus subjugavit sibi totam Austriam auxilio patris sui, & auxilio quorundam Nobilium de Austria. Ungari vastaverunt Austriam usque Tulnam rapina & incendio, nullo resistente; infantes, mulieres & viros in captivitatem duxerunt, & innumerabiles occiderunt; Claustra incendiis & rapina vastaverunt; Ecclesiam Medlich, quæ est in foro, incenderunt, in qua referunt periisse mille quingenti homines. Illo tempore fregerunt Ecclesiam in Walthersdorf, quam dolo ceperant, & multos interfecerunt. Tertia feria post Pascha libera civitas exusta est, ita ut nec una domus esset residua: multi homines interierunt incendio, plures vero oppressi a turba, atque conculcati pedibus fugientium mortui sunt. Fames prævaluit in terra, & in tota Austria frumentum valde carum fuit, ita ut modius frumenti venderetur pro undecim talentis; & in aliquibus locis sola metreta daretur pro tribus solidis, & multi homines fame interierunt. Ducissa de Medlich accepit maritum [1] Ruscіæ, in contumeliam amitæ suæ Ducissæ Austriæ.

D

MCCLIII. Rex Ruscіæ relicta uxore rediit ad terram suam. Rex Boemiæ Wenzeslaus obiit. Otto Dux Bawariæ obiit. Dominus Bertholdus Patavіensis Episcopus obiit: Dominus Otto de Lonstorf eligitur. Bela Rex Ungariæ, & Otakorus Dux Austriæ reconciliantur in Posonio post Pascha. Chunradus Rex, filius Imperatoris, obiit. Messis & vindemia satis mala fuerunt hoc anno. Otakorus Rex Boemiæ & Dux Austriæ cum magno Comitatu profectus est versus Prusciam, circa Nativitatem Domini. Qui superatis omnibus, & fidem Christi spondentibus, reversus est in terram suam. Eodem anno, idus Junii, Sabbato post festum S. Trinitatis, tempore vigiliarum facta est coruscatio magna in Pomkartenperg, & horreum unum, & domus utensilium vasorum, scilicet ad vinum aptorum, & alia ejusdem generis armamenta fulmine repentino consumpta sunt. Eodem anno Otakorus Dux Austriæ assignavit Belæ Regi Ungariæ Styriam. Item prædictus Dux captivavit quosdam nobiles ob ipsorum malitiam, ex quibus jussit duos decollari, scilicet illum de Ekkartsowe, & quendam nomine Eberanum [2]. Eodem anno fuit magna sterilitas per plures terras in vino & frumento.

MCCLV. Innocentius Papa IV obiit: cui successit Alexander Papa Quartus.

MCCLVI. Palatinus frater Ducis Bawariæ interfecit uxorem suam, nomine Margaretam.

MCCLVII. Canonici Salzpurgenses opposuerunt se Domino Philippo Electo ejusdem Ecclesiæ, filio Ducis Karintiæ, & Dominum Ulricum Sekowensem Episcopum postulaverunt. Item Heinricus Babenbergensis Episcopus obiit.

MCCLVIII. Dominus Chunradus Frisingensis Episcopus obiit. Dominus Rudgerus Patavіensis Episcopus depositus obiit. Item Dominus Nikolaus Pragensis Episcopus obiit: cui successit Dominus Johannes Episcopus Wiennæ consecratus. Eodem anno, in secunda Vespera Affræ in nocte, exusta est magna pars civitatis Wiennæ, ita quod Ecclesia parrochialis cum campanis, & Domus Teutonicorum, & domus S. Johannis in hospitali, & Prædicatorum ab igne consumarentur omnia.

MCCLIX. Stephanus juvenis Rex Ungariæ manu armata intravit Karintiam, & eam incendiis & homicidiis, heu! devastavit multosque captivos secum in Ungariam deduxit. Eodem anno consecratum est Monasterium Cellæ S. Mariæ a Venerabili Ottone Patavіensi Episcopo.

MCCLX. Factus est nocte terræ motus. Hoc anno Tartari multa mala fecerunt in Pruzia. Contra quos congregati sunt Fratres de Domo Teutonicorum: & in die S. Margaretæ simul pugnantibus, occisi sunt Fratres de Domo Teutonicorum plures quam C, & de familia eorum

[1] *Supp.* Regem. [2] *al.* Eberamnum.

rum plures; ſed tamen laudabiliter occiſi, quia Tartari ipſis ceſſerunt. Eodem anno commiſſum eſt prælium cum Tartaris in transmarinis partibus, & multi Tartari occiſi ſunt. Hoc anno intraverunt Ungari Auſtriam, & occurrerunt illis quidam de Auſtria. Sed heu! pugnantibus eis, occiſi ſunt duo fratres, Otto Comes de Hardek, & fratres [1] ejus Chunradus Comes de Playgen, & Dominus Chrafto de Sleunz, & Dominus Chadoldus Orphanus in die SS. Johannis & Pauli Martyrum. Poſtea venit cum exercitu magno Rex Ungariæ, & filius ejus Stephanus, juxta fluvium Marcham. Contra quem venit Otakorus Dux Auſtriæ, & in die S. Margaretæ, cum pax eſſet inter eos, die illo tranſivit exercitus Regis Ungariæ Marham fluvium, & commiſerunt prælium. Tunc adjutorio omnipotentis Dei, a quo eſt omnis victoria, fugit Rex Ungariæ, & omnis exercitus ejus: relictis tentoriis ſuis, quæ omnia abſtulit exercitus Ducis Auſtriæ. Illo tempore facta eſt pax inter Ducem Auſtriæ, & Regem Ungariæ: & terra Styriæ, quæ a Rege Ungariæ detenta fuerat, reddita eſt Duci Auſtriæ. Eodem tempore Rex Boemiæ militavit cum centum & octodecim militibus, tempore expeditionis juxta ripam Marham, videntibus Ungaris.

MCCLXI. Hoc anno orta eſt publica pœnitentia per multas provincias, quæ pro magno miraculo habebatur. Multi homines, pauperes & divites, Miniſteriales, milites, ruſtici, ſenes & juvenes ibant nudi a cingulo & ſupra, & caput totum texerant cum lineo panno, portantes ſecum vexilla, & ardentes candelas, & flagella in manibus, quibus ſe quidam percutiebant usque ad effuſionem ſanguinis, & cantabant devotos cantus, & ibant de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, de villa in villam, de Eccleſia ad Eccleſiam: quod videntes multi, compuncti ſunt, & flebant. Ponebant ſe etiam proſtrati toto corpore ad terram nudi vel in nivem, vel in lutum. In hac pœnitentia comparuit quisque triginta tribus [2], bis in die, mane & veſpere. Eodem anno facta eſt eclypſis ſolis circa horam tertiam, in Octava Annunciationis, quæ tunc ſexta feria habebatur. Obiit Alexander Papa Quartus: cui ſucceſſit Urbanus Papa IV, qui fuerat ante Patriarcha Jeroſolymitanus. Eodem anno Otakorus Rex Boemiæ & Dux Auſtriæ repudiavit uxorem ſuam Dominam Margaretam, filiam Liupoldi Ducis Auſtriæ, quæ prius fuerat uxor Regis Heinrici, qui erat filius Friderici Imperatoris. Poſt hæc præfatus Rex Boemiæ duxit aliam uxorem, neptem Belæ Regis Ungariæ.

MCCLXII. Fratres de Domo Teutonicorum & alii Chriſtiani congregati ſunt contra Prutenos, & [3] adiutorio victoriam obtinuerunt. Rex Stephanus oppoſuit ſe patri ſuo Regi Belæ Ungariæ. Facta eſt bis eclypſis So... [4] lunæ; prima eclypſis facta eſt in quadrageſima poſt ortum lunæ; cum adhuc parum diei ſupereſſet; ſecunda eclypſis lunæ facta eſt nocte illa, quæ præcedit vigiliam S. Ægidii, ſed & tunc in ortu diei recepit lucem amiſſam. Eodem anno conſumpta eſt Civitas Wiennenſis pro majori parte per incendium: ſed & in Moravia & in Auſtria per civitates & villas quasdam maximum damnum per incendium receperunt.

MCCLXIII. Facta eſt eclypſis lunæ VI Kal. Martii poſt ortum lunæ, cum adhuc pars diei ſupereſſet. Hoc anno fuit maxima fames per totam Auſtriam & Ungariam, & Boemiam & Moraviam, qualis ante raro viſa fuit, & duravit usque ad meſſem. Dux Karintiæ cum Domina Agnete, filia Hermanni Ducis Auſtriæ, [1] contraxit. Item eodem anno juvenes Marchiones de Miſſna in bello captivaverunt Ducem de Prunswich, & alios multos nobiles de Saxonia. Hoc anno Otakorus Dux Auſtriæ & Rex Boemiæ aſſignavit Conventui Sanctæ Crucis quendam locum in Boemia, convenienter aptum & ſpatioſum multum ad conſtruendam Abbatiam, quæ dicitur ad Sanctam Spineam Coronam. In diebus illis ad petitionem Regis, VI feria infra Octavam Paſcæ, quæ tunc habebatur VIII Id. Aprilis, miſſus eſt Conventus a S. Cruce ad prædictum locum cum Venerabili Viro Abbate Heinrico, qui fuerat quondam Abbas S. Crucis. Hoc anno fuit eclypſis ſolis, Dominici Confeſſoris poſt meridiem: & hoc anno fuit eclypſis lunæ, Bernardi Abbatis. Hoc anno fuerunt vindemia fertiliſſima.

MCCLXIV. Juvenis Rex Ungariæ Bela contraxit cum Domina filia Marchionis Brandenburgenſis. Ob cujus honorem Rex Boemiæ Otakorus, avunculus ſuus maximum feſtum in Campo, qui Vizze dicitur, celebravit: vocatis ad hoc multis Principibus de partibus diverſis, cum quibus expenſas fecit infinitas; Bela autem confirmato matrimonio Dominam ſecum abduxit. Item eodem anno viſa eſt Cometa, quæ bene octoginta diebus apparuit, a ſe proiciens radios tanquam ignis. Item eodem anno Barones Angliæ oppoſuerunt ſe Regi Angliæ Heinrico, & filiis ſuis Edewardo, Edmundo & Richardo Regi Romanorum, & ante Lundonas civitatem aſſumpto pro Capitaneo Comite de Monte forti Gallico, contra prædictos Reges victoriam obtinuerunt. Ubi mille & centum proborum virorum ſunt occiſi, & prædicti Reges captivati, & omnes hoſpites terræ ejecti, detenti, & etiam occiſi: & omnes Judæi, tam viri quam etiam mulieres & pueri, eo quod Regi in auxilium dederant magnam pecuniam, a Baronibus ſunt occiſi. Item eodem anno Urbanus Papa Quartus in Peruſio VI Non. Octob. obiit, & Sedes poſt ejus obitum decem & octo ſeptimanis vacavit; in die vero Beatæ Agathæ creatus eſt in Papam Archiepiſcopus Narbonenſis, nomine Clemens.

MCCLXV. Eodem anno mortuus eſt Dominus Otto Patavienſis Epiſcopus: pro quo electus Dominus Dux Poloniæ concorditer, Paduæ tunc exiſtens, cujus electionem Dominus Papa confirmavit. Item Dominus Rex Boemiæ eodem anno Myſſowariam [1], & Beneſium,

[1] *l.* frater. [2] *ſupp.* diebus. [3] *ſupp.* Dei *aut hujusmodi.* [4] *l.* Solis &.

[1] *ſupp.* matrimonium. [2] *al.* Miſſowariam.

&

& Dominum Mylotum fratrem ejusdem redegit in captivitatem, in qua Miſlowarius eſt mortuus: & illo anno idem Rex incœpit in Auſtria multa caſtra devaſtare.

MCCLXVI. Rex Karulus una cum uxore ſua ſollemniter Romæ, proxima poſt Epiphaniam Domini Dominica, coronatur. Deinde collecta multitudine innumerabili militum & aliorum, Metfridum Principem Apuliæ in bello campeſtri devicit: & eodem Metfrido perempto, Rex Karulus manu valida Apuliam invadit & occupat.

MCCLXVII. Miſſus eſt a latere Domini Clementis Papæ IV, Pontificatus ejusdem anno tertio, ad partes Daciæ & Alamanniæ Reverendus Pater Dominus Guido tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, ut ibidem legationis officio fungeretur. Qui ad civitatem Wiennenſem veniens, omnes Epiſcopos de provincia Salzpurgenſi & Prælatos evocavit. Feria tertia poſt feſtum S. Johannis ante portam latinam ſollemne concilium celebravit, renovans conſtitutiones diu abolitas de vita & converſatione Judæorum, quas præcepit firmiter obſervari. Eodem anno occiſus Hainricus Pruzelo per manum Stephani Regis Ungariæ, traditus perfidia & dolo nequiter Ungarorum.

MCCLXVIII. Chunradus, nepos Friderici Imperatoris, ad inſtantiam Baronum & Optimatum Apuliæ vocatus, collecta militia cum Ludwico avunculo ſuo Palatino Reni & Friderico filio Marchionis de Paden, pronepote Ducis Leupoldi, Veronam ingreditur, & ibidem cum magno plauſu excipitur. Sed Palatinus inde regreditur, Fridericus vero cum Chunrado Romam proficiſcitur, ibique collecto exercitu cum Karulo congreditur; ſed ab eo devincitur: poſtea per fraudem Karulo Chunradus & Fridericus cum aliis nobilibus traduntur, & ab eo decollantur. Clemens Papa miſerabiliter apud Witerwium moritur.

MCCXIX. Comites de Phanberg, & nobiliores Styriæ a Rege Bohemiæ captivantur, & eorum caſtra meliora deſtruuntur; ſed deſtructis caſtris a captivitate relaxantur.

MCCLXX. Hoc anno eclipſis ſolis facta eſt, x Kal. April. circa horam primam. Rex Ungariæ Bela moritur: pro quo filius ejus, nomine Stephanus, in regnum Ungariæ ſubſtituitur. Frater ejus Bela eodem anno moritur. Dux Karinthiæ, nomine Ulricus, absque liberis moritur: & Rex Bohemiæ, nomine Otacharus, eundem Ducatum ſibi violenter ſubjugavit. Philippus, frater ejusdem Ducis Karinthiæ, in Patriarcham Aquilejenſem eligitur. Archiepiſcopus Salzpurgenſis, filius Ducis Poloniæ moritur: pro quo tum Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ eligitur. Eodem anno factæ ſunt treugæ & firma compoſitio inter Illuſtrem Regem Boemiæ, nomine Ottacherum, & Regem Ungariæ, Stephanum nomine, in Hamburga, multorum in præſentia virorum nobilium, tam Clericorum quam Laicorum, qui prædictæ compoſitioni, cum fieret, interfuerunt. Quam poſtea jam dictus Rex Ungariæ zelo perfidiæ ductus violavit, collecta multitudine Ungarorum & Comanorum terram ingrediens, rapinis & incendiis & diverſis hominum interfectionibus eam depopulans.

MCCLXXI. Rex Boemiæ intravit Ungariam, per ebdomadas octo multas obtinuit munitiones, quas pace facta reddidit: interim Comanis Auſtriam ſubintrantibus, & magnam ſtragem hominum facientibus.

MCCLXXII. Stephanus Rex Ungariæ obiit. Gregorius Papa eligitur.

MCCLXXIII. Rex Boemiæ intravit Ungariam, per ebdomadas quatuordecim multas obtinens munitiones & civitates, & ſuis ibidem locatis, rediit. Eodem anno eligitur in Imperatorem Comes Rudolfus de Allatia, de caſtro quod dicitur Habſpurch.

MCCLXXIV. Celebratur ſollemne concilium Kal. May ſub Gregorio Papa X, in Lugduno, in quo Græci ad Romanam fidem revertuntur.

Item anno Domini MCCLXXV. in die Annunciationis audita ſunt tonitrua a parte Aquilonis. Et quia teſte Propheta, malignæ & frigidæ ſunt latera Aquilonis, ipſo anno tam pernicioſa ac continua facta eſt inundatio pluviarum, ut ſecundum illud Ettyci[1]: *Naturam curſus perderet unda ſui.* Propter raros namque ſolis radios & imbres aſſiduos vindemias in tantum vidimus ſerotinas, ut botri earum in nivibus colligerentur: vinumque earum tantæ acerbitatis tantæque acetoſitatis extitit, ut verbum illud Iſaiæ impletum videres: Expectavi, ut uvam faceres, & feciſti labruſcam. Sequenti vero anno cum omnes vineæ jam florerent, vinum anni præteriti adhuc ſcaturiendo ſuis in fæcibus requievit. Eodem anno Gregorius Papa obiit: Innocentius ſucceſſit.

MCCLXXVI. Innocentius Papa obiit: Adrianus ſuccedit, & ipſe obiit, Johannes eligitur. Civitas Wiennenſis incendio vaſtatur proprio fere tota: ventus etiam vehementiſſimus fuit, & tanta ſiccitas terræ, ut pecora multa perirent fame. Eodem anno Rudolfus Rex Romanorum intravit Auſtriam cum militia copioſa, & Principibus XVI: inter quos erant Epiſcopi & Comites, & nobiles liberi plures quam centum: & obſedit civitatem Wiennenſem plus quam menſem unum, ſpoliataque terra & ſuccisis pomeriis, civitas ultra ſe obtulit ei. Otakorus vero Rex Boemiæ cum eandem terram Auſtriæ una cum Styria 24 annis gubernaſſet, violenter coactus Regi Romanorum Rudolfo reſignavit, Boemiam & Moraviam ſecundum jura Imperialia ſuſcipiens a Rudolfo Rege Romanorum.

MCCLXXVII. Johannes Papa obiit: Nicolaus ſuccedit. Eodem anno Rex Otacharus omnes obſides, quos ante adventum Regis Romanorum ab Auſtralibus acceperat, remiſit Regi Romanorum. Hoc anno impoſuit Rudolfus Rex Romanorum exactiones graviſſimas toti Auſtriæ: exigens de curia 60 denarios, de area 12 den. de jugere vinearum 30. den. de manſo 30 den. de rota molendini 30. den.

[1] *l.* Ethnici.

MCCLXXVIII. Otachorus Rex Boemiæ oppoſuit ſe Regi Romanorum, & collectis exercitibus congreſſi ſunt ad pugnam Reges utrique juxta fluvium Marchiam VII Kal. Septembris: & heu! cecidit in die illa Otachorus Rex Boemiæ ſapiens & diſciplinatus, & honeſtiſſimis moribus ornatus; & multi de exercitu ejus interfecti ſunt & captivati & ſubmerſi. Pugnante Rege Boemiæ plures de exercitu ejus (ut referebant) receſſerunt ab eo; cui etiam inimici ejus dabant teſtimonium, quod in exercitu non fuerit ei ſimilis. Eodem anno civitate Aquisgranis interfectus eſt Comes Guliacenſis cum quingentis militibus, quorum unus non evaſit.

MCCLXXIX. Hoc anno in omni polo dro novitèr nato apparuerunt quatuor dentes equi antiqui. Item anno MCCLXXIX. Dominus Philippus Apoſtolicæ Sedis Legatus Ungariam venit, Ungaros Chriſtianos, qui Chriſtianam vitam fere obliti fuerant, & Comanos ſtuduit revocare. Sed Ladizlaus Rex eorum una cum ipſis paganis & Ungaris ſuis ſanis monitis Legati noluerunt obedire.

MCCLXXX. Saturnus planeta apparuit IV. Kal. Februarii, ab hora IX usque ad XI horam diei artificialis. Dominus Petrus Patavienſis Epiſcopus obiit Kal. May. Dominus Wichardus ſubſtituitur, & Dominus Ch. Hinpergarius in Epiſcopum Kiemenſem eligitur; qui ſimul ab Epiſcopo Tripolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, Viennæ conſecrantur III Non. May.

MCCLXXXI. Filia Regis Rudolfi ducitur verſus Apuliam, quæ nepoti Regis & Senatoris Karoli copulatur. Anna vero mater ejus dum ipſam transmiſſam nimium lugeret, moritur præ dolore XIV. Kal. May: cui celebratis ſolleniter Viennæ exequiis, verſus Baſileam ducitur ad ſepulturam. Item hyems multum aſpera fuit. In fine Februarii nix in multis terminis coacervatur, quod multæ villæ vix apparuerunt. Item Dominus Rudolfus Romanorum Rex Auſtriam egreditur, verſus Franconiam, & ad partes Reni procedens filium ſuum Albertum Auſtriæ & Stiriæ conſtituit proviſorem.

MCCLXXXII. Maxima mortalitas hominum fit per Bohemiam & Moraviam: nam defuncti velut fœnum in curribus ad agros ducebantur, & in una foſſa aliquando centum vel plures ſepeliebantur.

MCCLXXXIII. Rudolphus Romanorum Rex Auguſtæ curiam celebrat, ibique de conſilio & voluntate nobilium, qui aderant, Albertum filium ſuum Ducem Auſtriæ & Styriæ conſtituit. Item terræ motus factus circa Novam civitatem XV. Kal. Junii. Et ecce! mirum in modum ibidem quædam puella octo annorum concepit per ſervum decem annorum, & peperit; ſed in partu moritur.

MCCLXXXIV. Poſt Nativitatem Domini Ladizlaus Rex Ungariæ prope terminos Auſtriæ cum multis milibus Ungarorum & Comanorum caſtrum Pernſtain cujusdam Comitis ſui expugnare conabatur; ſed propter improbitatem ſuorum, nil profecit, & ſic reverſus eſt ad propria. Item Dux Auſtriæ Albertus, filius

1) pullo equino.

Rudolphi Romanorum Regis, tria caſtra Conradi Sumrowarii, infra paucos dies poſt Pentecoſten expugnavit. Eodem tempore maximi inſonuerunt rumores fere per totam Alemanniam de adventu quondam Friderici Imperatoris. Et cum fere omnes Renenſes ad ſe attraxiſſet, ita quod pro vero habebatur, tandem a Rudolfo Rege combuſtus eſt. Eodem anno in æſtate in partibus Auſtriæ circa Spanneberch in meridie facta ſunt fulgura & tonitrua horribilia, & coruſcationes & nubium diſruptiones ac pluviæ ingentes, in tantum quod aquæ de vicinis montibus defluentes in villis circumjacentibus cooperiebant domos & horrea, ſubmerſaque eſt ibi in quibusdam villis multitudo hominum cum parvulis & mulieribus, pecoribus & jumentis. Quidam qui evaſerunt, fugerunt ad montes & turres & Eccleſias, poſtmodum vero multa corpora hominum in campis & abruptis montium & petrarum ſub ſabulo & arena mortua ſunt inventa. Miſerum erat videre ſpectaculum, pueros ad mamillas matrum parvulos pendentes in cunis ſuper undas fluentes, & non erat qui adjuvaret.

MCCLXXXV. Poſt Nativitatem Domini Comani & Tartari cum innumerabili multitudine intraverunt Ungariam, & vaſtaverunt eam, & occiderunt, & deduxerunt ex ea innumerabiles viros & mulieres & parvulos eorum. Tandem vero ab incolis terræ circa Septem caſtra turpiter ſunt de terra fugati, occiſis ex eis innumerabili multitudine; reliqui vero qui evaſerunt, quamvis pauci, fugientes, latitantes inter montes & valles nemoroſas, Divino ibidem judicio fere omnes perierunt. Nam Dominus, qui ubique eſt protector in ſe ſperantium, miſit ſuper eos nives & pluvias ingentes: confractisque nubibus ſuper eos tanta inundatio aquarum irrupit, quod fere omnibus ſubmerſis pauci ex eis evaſerunt. Eodem anno poſt Paſcha Martinus Papa, Theutonicorum inimicus, mortuus eſt: cui ſucceſſit Honorius Quartus. Eodem tempore in octava Paſchæ obiit Magiſter Gotfridus Patavienſis Epiſcopus, quondam Notarius Domini Rudolfi Romanorum Regis: cui ſucceſſit Dominus Wernhardus Pranpeche, Plebanus Wiennenſis. Eodem tempore poſt feſtum Trinitatis Zæbiſch quidam Supanus Bohemus ſollemniter Pragæ celebravit nuptias ſuas cum Domina Chunegunde, relicta Domini Ottachari quondam Regis Bohemiæ. Item Ditricus Landgravius Duringiæ Wiennæ cum magna ſollemnitate duxit in uxorem Dominam Al. filiam Minhardi Comitis Tirolenſis, ſororem Duciſſæ Auſtriæ, præſentibus Epiſcopis Friſingenſi & Seccovienſi, ac Nobilibus & Miniſterialibus fere cunctis Auſtriæ & Styriæ. Eodem anno Dominus R. Romanorum Rex in Egra ſollemniter celebravit nuptias filiæ ſuæ, quam tradidit filio Domini Ottakari, piæ recordationis quondam Regis Boemiæ: quem etiam ibidem in Regem Boemiæ coronavit.

MCCLXXXVI. Per totam Auſtriam, & in quibusdam aliis provinciis contigit res prius inaudita, & a noſtris prædeceſſoribus inviſa.

Nam

Nam gallinæ præcipue, & in ſylvis innumerabiles aviculæ ſanæ jam exiſtentes, ſubito morie-
bantur; jamque aer & cælum ſpoliabantur ſuis
aviculis, in tantum quod picæ & coryi ac aliæ
aves raro videbantur.

MCCLXXXVII. In Quadrageſima, Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, Legatus quidam miſſus a Papa in Herbipoli convocavit omnes Archiepiſcopos, ac alios Prælatos totius Alemanniæ, & exigebat ab eis omnem decimationem Eccleſiarum ſuarum quinque annorum futurorum. Qui omnes uno anno contradixerunt ei, rebellantes contra eum, occiſo ibi in quodam tumultu filio ſororis ſuæ, ac alio quodam nobili Romano. Qui & ipſe vix evaſit, protectus a Domino Rege Romanorum Rudolfo, & ſic imperfecto negotio rediit ad propria; & in proxima Cœna Domini mortuus eſt Papa, qui eum miſerat. Eodem anno Albertus Dux Auſtriæ collecto exercitu cum Styrienſibus & Auſtralibus, intravit Ungariam, & obſedit Boſonium. Cives autem tradiderunt ei civitatem, caſtrum vero expugnatum ſuis hominibus collocavit.

MCCLXXXVIII. Dominica proxima poſt feſtum Omnium Sanctorum translatus eſt Sanctus Virgilius, ſanctæ Salzpurgenſis Eccleſiæ quondam Archiepiſcopus, a Venerabili Patre & Domino Rudolfo tunc temporis ejusdem civitatis Archiepiſcopo, ac Sanctæ Sedis Romanæ Legato, præſentibus octo Epiſcopis Suffraganeis ſuis, in maxima ſollemnitate cum innumerabili multitudine nobilium ac aliorum hominum utriusque ſexus, & religioſarum perſonarum: qui omnes cum magna devotione ad gratiam copioſæ indulgentiæ de diverſis provinciis ibi convenerant.

MCCLXXXIX. Poſt Nativitatem Domini exorta eſt quædam controverſia inter prædictum Salzpurgenſem Archiepiſcopum, & Dominum Albertum Illuſtrem Ducem Auſtriæ, pro quodam caſtro, quod ei prædictus Epiſcopus deſtruxerat. Pro qua indignatione Dux commotus collecto exercitu potenter contra Epiſcopum properavit, pulchrum caſtrum Epiſcopi cum quatuor turribus, Phanſtorf dictum, circa Judenburch ſitum, vallavit, breviter expugnavit, & deſtruxit. Pergens ultra, Civitatem Friſacenſem dicti Epiſcopi obſedit, obtinuit & ſuccendit: muros quoque confregit, multisque malis ibi præliis [2] & rapinis perpetratis, cum ſuis reverſus eſt ad propria. Eodem tempore & anno Comes quidam Ungarus, Ywanus nomine ſive Johannes, quod idem eſt, filius Comitis Heinrici, homo malignus & totus tyrannus, cum multis annis rebellaſſet contra Regem Ungariæ Dominum ſuum, nec eum idem Rex ſibi ſubjugare nec vincere poſſet, obſtinatus in ſua malitia etiam fines Ungariæ transgreſſus, Auſtriam prædis & rapinis devaſtabat: Styriam quoque, & undique circa metas Ungariæ velut lupus rapax deprædatus eſt. Invictiſſimus autem Dux Auſtriæ Albertus cum diutius diſſimulare non poſſet, collecto exercitu magno & forti contra eum, volens ipſum velut malum vicinum eliminare a finibus ſuis, potenter Ungariam intravit, & viriliter expugnavit, ac devicit civitates, caſtra, munitiones, & oppida armis diverſis & machinis, & victoriam obtinuit contra fautores & complices Comitis prædicti. Completa meſſe, Dux iterum collecto exercitu cum Auſtralibus, Stirienſibus, Carinthianis, quibus maxime præ cæteris ibi in ſtrage male ſuccеſſit, Suevis quoque ac Bawaris & Bohemis ſecundo intravit Ungariam, & potiorem civitatem Comitis Ywani ſæpe dicti, Gunſam nomine, potenter obſedit. Homines autem illius civitatis ad arma currentes, ſuper muros civitatis & in propugnaculis undique ſe viriliter defendebant. nam machinarum lapides, baliſtarum & arcuum ſagittas velut imbres ſuper eos volantes, pro nihilo reputabant; inſultus hoſtium minime curabant; muro civitatis interius vulneratorum undique ſanguine reſperſo: & quia Comes prædictus filios eorum obſides receperat, fortius dimicabant. Tandem machina quadam, priapus dicta, muro civitatis magna ex parte interrupto, cum exercitus Ducis per foramen violenter intraret, adhuc Ungari interius ſe fortiter defendebant, tandem Dux civitatem & caſtrum cepit. Eodem anno, procedente tempore circa Nativitatem Domini Dux Bawariæ Heinricus mortuus eſt, cui ſucceſſit Otto filius ſuus.

Eodem anno Rudolfus Romanorum Regis filius cum Pragæ vellet viſitare ſororem ſuam, Bohemorum Reginam, mortuus eſt. Eodem anno venerabilis Pater Dominus Rudolfus Salzpurgenſis Archiepiſcopus obiit: cui ſucceſſit Stephanus, filius Heinrici Ducis Bawariæ.

Eodem anno inveniebantur violæ in Nativitate Domini, & in circumciſione, & in Epiphania, & deinceps per totam Auſtriam, arbores produxerunt flores in hortis & pomæriis ſicut in Majo: & qui vidimus, teſtamur, quia inſolitum prius fuerat. Eodem anno Ladizlaus Rex Ungariæ a quodam Chomano occiſus eſt: & quidam, qui dicebat ſe, fratrem ſuum eſſe, & potenter volebat regnare, ſubmerſus eſt. Eodem anno Andreas Marchio de Eſte, Longobardus quidam, prius ab Ungaris repulſus & fugatus, iterum intravit Ungariam, & benigne ab eis receptus, in regem eſt coronatus. Eodem anno nobilis Dux Heinricus Prezlavienſis mortuus eſt.

Eodem anno Ludwicus, filius Ludwici Palatini, juvenis bonæ indolis, diſciplina & virtute, & poſitus in haſtiludio lancea per collum transfixus, mortuus eſt. Eodem anno Zabiſius Supanus, quidam nobilis & potens Bohemus, qui relictam Domini Ottakari, Bohemorum Regis, Reginam duxit in uxorem, & poſt mortem ejus, cognatam ipſius, Regis Ungariæ ſororem, de Ordine Prædicatorum receptam, duxit in conjugem, a Nicolao Duce Oppavienſi pro ſuis maleficiis decollatur.

Andreas Rex Ungariæ, de quo prius mentio facta eſt, collecto exercitu maximo & forti pugnatorum & ſagittariorum ad æſtimationem LXXX milium, Cozlonum, Walachonum, Ru-

[1] *l.* animo. [2] *f.* prædis.

thenorum, Cliomanorum, Ungarorum, Septem-castrorum Austriam, nemine sibi resistente, potenter intravit: per internuntios Comites & Episcopos castra sua & civitates, quas Dux Austriæ Albertus possidebat, humiliter & benigne repetens, & tanquam homo pacis, nec ipsum Ducem nec terram suam voluntarie offendens, si Dux admisisset, & suis petitionibus aquievisset. Duce vero in sua pertinacia permanente, terram Austriæ a flumine, dicto Leytha, usq; ad Wiennam, & a Wienna usque ad Novam Civitatem prædis, incendiis & rapinis penitus devastavit: quasdam etiam munitiones expugnavit, obtinuit & confregit; tandem per Archiepiscopos & Episcopos utriusque terræ pax inter eos & concordia est reformata.

Eodem anno & tempore mortuus est Rex Romanorum piæ recordationis Dominus Rudolfus, pater Ducis Austriæ, regni ejus xviii anno, in Spirea sepelitur. Eodem anno a paganis & & Soldano Babylonensi obsessa est Accaron, in transmarinis partibus civitas magna & fortis, & vallata innumerabili exercitu paganorum: suffossisque muris octavo decimo die mensis May feria sexta in illa parte civitatis, in qua erat defensio Regis Cypri, die oriente pugnare cœperunt, civitatem obtinuerunt, omnes viros & mulieres & parvulos occiderunt, tantaque strages ex utraque parte ibi fuit facta, quod corpora occisorum in fossatum civitatis projecta repleretur.

MCCXCII. Ministeriales quidam Styriæ potiores opposuerunt se, & rebellaverunt, & conspiraverunt contra Ducem Austriæ Albertum, invocato adversus eum adversarium [1] suum Ottonem Ducem Bavariæ: cui etiam promiserant tradere terram illam, & recipere eum in Dominum. Qui collecto exercitu copioso una cum C. Salzburgensi Archiepiscopo Styriam intraverunt, & multa mala fecerunt in terra. Quibus occurrens Dux Austriæ manu valida, cum magnis laboribus per vias gravissimas nivium, qui [2] eadem hyeme superabundabant, vix cum suis transiens, excepto quod plusquam sexcenti rustici exercituin præcedentes cum scopis aliis instrumentis, per nives & loca devia parabant ei viam. Qui cum venisset, turpiter & confuse fugavit & expulit Ducem Bavariæ cum suo Episcopo, & suis fautoribus de terra.

Eodem anno prædictus Dux Austriæ seductus a Suevis, per litteras & nuntios sollemnes vocatus & rogatus est, ascendere ad Renum: spondentes ei coronam regni, ac eligere eum in Regem Romanorum. Qui cum sollemniter ascendisset, & Electores Principes regni die statuta convenissent; uniformi consilio & consensu Adolfum, filium sororis Comitis Eberhardi de Chazenellebogen, elegerunt in Regem Romanorum. Sicque Dux Austriæ frustratus spe sua, tamen, exceptis sex septimanis, anno uno mansit ibi, cum diversis diversa exercens prælia: in quibus omnibus feliciter ac prospere succedens, receptis a Rege Romanorum feodis suis, reversus est cum triumpho ad Austriam. Procedente vero tempore supradicti Styrienses humiliati recommiserunt se gratiæ suæ, dantes ei munitiones suas, recepit eos ad satisfactionem condignam. Judæi in Chrems occiderunt Christianum.

MCCXCIII. Rex Ungariæ, & Rex Bohemiæ, Dux Austriæ & Dux Bavariæ, ac Archiepiscopus Salzpurgensis, quorum quidam diu discordes fuerant; de gratia Dei ad firmam concordiam reversi sunt; & gavisa est terra de pace inter Principes. Eodem tempore Dux Austriæ a Rege Bohemiæ rogatus ac invitatus visitare Reginam sororem suam, Bohemiam intravit, sollemniter a Rege, consobrino suo, ac omnibus nobilibus receptus, excellentissimis quoque xeniis & clenodiis a Rege excellenter honoratus, amicabiliter separati [1], reversus est ad terram suam. Simili modo Rex Bohemorum a Duce Austriæ invitatus Wiennam intravit, cum Regina uxore sua & copiosa turba nobilium honestissime receptus est a Duce, duodecim diebus ibi moram faciens in maxima jocunditate Nobilium & Episcoporum, qui ibi aderant: atque a Duce gloriossissimis clenodiis honoratus reversus est ad terram suam. Homines de pacis tranquillitate Salvatoris laudantes [2] clementiam.

MCCXCIV. Petrus quidam heremita, Papa creatur, qui & Cœlestinus. Hic cum a Karolo Rege Siciliæ Romam ductus est, signis diversis claruit: inter quæ hoc unum, quod vinum dum a Cardinalibus bibere cogeretur (quia in spelunca sua aquam tantum biberat) vinum convertit in aquam. Hic Cluniacensem, Cistercien sem Decanum, Cancellarium Parisienses [3] Cardinales constituit. Sed cum esset Vir nimiæ simplicitatis, per Benedictum Gaytanum Cardinalem, & per alios Cardinales potiores includitur: & præfatus Benedictus, qui & Bonifacius, subrogatur, & Cœlestinus ab eodem magna custodia propter signorum miracula quibus claruit, & propter tumultuantem populum ad eum confluentem, muralibus obstruitur: tantum sola fenestra admissa, qua alimenta modica poterant ministrari.

MCCXCV. Eodem anno, secunda Dominica post Pascha, consecratus est Chorus in Sancta Cruce, cum altariis circumstantibus & capella infirmorum, a Venerabilibus Werenhardo Patavien se. Secovien se Episcopis. Ad quam consecrationem tantus convenit populus, ut non solum totum Claustrum; sed & nemus circumquaque per dimidium miliare occuparet: patuit etiam introitus omnibus superyenientibus, tam viris quam mulieribus, per omnes officinas Claustri, per totam Octavam Dedicationis. Eodem tempore tanta fuit frigoris austeritas, ut nix & pluvia plurimos facerent deficere inibi venientes. Eodem anno mortuus est Magister Gotfridus Protonotarius Alberti Ducis Austriæ, feria secunda in Pentecostes, Patavien sis, Wormacien sis Canonicus, Wiennæ, in Mistelbach, Herrantstain, ad S. Vdalricum, in Nova Civitate Plebanus, ordinis Acolitatus, & sepultus est in Capitulo ad San-

[1] *l.* adversario suo Ottone Duce. [2] *l.* quæ.

[1] *ita MS.* [2] *l.* laudabant. [3] Parisien sem.

Sanctam Crucem. Eodem anno Magiſter Pentzo, Secretarius Alberti Ducis Auſtriæ, conſecratus eſt in Abbatem Sanctæ Crucis. Eodem anno tanta peſtilentia in Apulia & per totam Lombardiam facta eſt, ut in Curia Romana multi Epiſcopi & Prælati mortui jacerent; & Karulus Martellus, Rex Siciliæ & Ungariæ, una cum uxore ſua, ſorore Alberti Ducis Auſtriæ, infra quatuor decem dies mortuus eſſet. Eodem anno tanta inundatio aquarum facta eſt, ut aqua Wienna hoſpitale civium, & fontem ante hoſpitale ſitum tranſcenderet, ita ut infirmi in lectulis natare, & vix aufugere viderentur. Et rivus, qui Satelpach dicitur, ad Sanctam Crucem per totum Clauſtrum, & ante librariam usque ad gradum Eccleſiæ intravit. Eodem anno circa Nativitatem Beatæ Virginis tantus B fuit ventus in Auſtria, ut crucem de ſiniſtra turri ad S. Stephanum Eccleſiæ parrochialis in Wienna deiceret. Eodem anno terræ motus factus eſt tribus vicibus, in die S. Cyriaci Martyris. Eodem anno Albertus Dux Auſtriæ & Styriæ filiam ſuam ſeniorem dedit Marchioni de Prannburch [1] in Grætz.

Eodem anno mortuus eſt Meinhardus dux Karinthiæ, Socer Alberti Ducis Auſtriæ. Eodem anno Albertus Dux Auſtriæ & Styriæ dolore oculorum nimium aggravatus, immo uno oculo excæcatus, tandem morbis aliis accedentibus in die S. Martini Wiennæ mortuus eſſe dicebatur; ſed per Dei gratiam precibus adjutus pauperum, in brevi reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. Cum Miniſteriales tam Auſtriæ quam Styriæ reſiſtentes contra eum in Stochrau & in C Trebenſe ſimul convenerunt, ut, niſi conſiliis eorum annueret, & Swevos, quos nimium dilexit, de terra eiceret, eum pro Domino habere nollent.

MCCXCVI. Andreas Rex Ungariæ cum maxima ſollemnitate duxit in uxorem filiam Domini Alberti Ducis Auſtriæ. Eodem anno Abbas Agmundenſis, Capitaneus Styriæ, occiſus eſt.

MCCXCVII. Multi homines fulmine perierunt, quod prius inauditum erat, quia in uno campo octo fulminati interierunt; inſuper filius Comitis Ybani Ungari ictu fulminis mortuus eſt. Eodem anno Dominus Ebergerus piæ recordationis Abbas in Cella S. Mariæ mortuus eſt: cui ſucceſſit Dominus Herbordus magnæ diſcretionis ac procurationis homo, qui prædictum Cœnobium in multis ædificiis utilibus & honeſtis, videlicet Capella multis ornatibus decorata, Dormitorio, refectorio, hoſpitum domo, aquæductu ad lavatorium & piſcinam, atque aliis ſtructuris multimode melioravit. Eodem anno Rex Bohemorum Wenzelaus in Praga corona regali glorioſe in Regem coronatus eſt. Eodem anno uxor ejus nobilis Regina, Rudolfi Romanorum Regis filia, in puerperio corona inæſtimabili pretio coronata eſt; ſed proh dolor! quarta decima die coronationis ſuæ ex hac luce migravit.

MCCXCVIII. Poſt Octavam Purificationis Beatæ Virginis convenerunt in Wienna multi Principes ad Ducem Auſtriæ, Albertum nomine, conſpirantes, qualiter ſe Romanorum Regi Adolfo opponerent. Tandem prædictus Albertus Dux Auſtriæ habito conſilio & auxilio multorum Principum, collecto exercitu ad Renum properavit, & usque ad Argentinam pervenit: cujus Epiſcopus & cives eidem adhærentes ſibi auxiliari, & contra prædictum Regem Adolfum aſtare juraverunt. Deinde inter Cœnobia Munſtertraiſem & Roſental caſtra metatus eſt: illic ipſum Rex Adolfus cum magno exercitu inſequitur vehementer. Prædictus vero Albertus expeditus ad pugnam cum eo bellum iniit, & victoriam obtinuit: ubi Adolfus depoſitus occiditur. Eodem anno quidam humilis ruſticus, dictus Rintfleiſch, dicens ſe divinitus recepiſſe, Judæos perſequi (quod & fecit) in Nuernberch conſenſu civium omnes Judæos ibidem una cum urbe ſuccendit & peremit: quem tandem Rex Albertus depulit.

MCCXCIX. Albertus Rex Romanorum, & Rex Franciæ convenerunt apud Wadior, ubi Rex Franciæ ſororem ſuam Dominam Blancam filio Regis Romanorum Rudolfo copulavit in uxorem. Quæ deſponſatio Archiepiſcopis Maguntenenſi & Colonienſi minus placuit, & deinceps ipſum Regem Romanorum Albertum exoſum habuerunt.

MCCC. Albertus Romanorum Rex collecto exercitu de diverſis regni ſui terris, videlicet Auſtria, Swevia, Alſatia & Franconia, Archiepiſcopum Maguntenenſem hoſtiliter invadit, & munitiones ſuas vallavit: ex quibus duas civitates Pingam & Penshaim cepit, & in parte deſtruxit. Eodem anno Domina Elizabet Romanorum Regina cum filio ſuo Domino Rudolfo Duce Auſtriæ, & uxore ſua Domina Blanca Auſtriam intrat, & in Wienna ſollemniter ab omnibus Dominis & civibus recipitur, & plurimis muneribus honoratur.

MCCCI. Andreas Rex Ungariæ mortuus eſt. Poſt cujus mortem Marſchalcus Auſtriæ collecto exercitu, cooperante Ybano Comite Ungaro, caſtrum in Monte S. Martini obſedit & cepit: ac cum eisdem hominibus in Budam pergens Dominam Reginam relictam prædicti Domini Andreæ, filiam videlicet Domini Alberti Romanorum Regis, in Wiennam reduxit. Eodem anno quidam Ungari nobiliores cum civibus in Buda conſpirantes, filium Regis Bohemiæ pro Rege ſibi eligentes, terram ac in prædictam civitatem introduxerunt. Contra quem filius Regis Siciliæ in parte altera Ungariam ſimiliter ſubintravit. Igitur propter eorundem diſcordiam, & Ungarorum in utraque parte conſentientium, magna pars Ungariæ deſtruitur & vaſtatur.

MCCCII. Dominus Cardinalis, dictus Nicolaus, Oſtienſis Epiſcopus, Legatus Domini Papæ Bonifacii, in Auſtriam veniens Dominum Karolum puerum, filium Karoli Regis Siciliæ ex ſorore Alberti Regis Romanorum, Ungariæ Regem ex commiſſo Papæ volebat: hujusque rei opportunitatem in Wienna reſidendo expectans, Religioſis Clericisque exactiones mandavit per Auſtriam, tandemque in Ungariam in

[1] *Brandenburg.*

civitatem Oven veniens (quam Budam vocant) A commissum, sibi officium mancipare putabat. Sed Ungarorum nobilium ac civium pars major filio Regis Bohemiæ Wenzlao in Regem accepto, ipsi contrarii erant, muneribus patris inducti, spemque amplioris muneris suspensi. Interimque Karolus puer prædictus non omnino a spe sua diffidens, eventum rei in extremis Ungariæ partibus expectabat, potiorum de Ungaria Comitum consilio rectus, & auxilio roboratus. Hoc anno iterato Australes ad Regem ascenderunt. Ipse quoque Rex præfatus, invictissimus Romanorum Albertus Episcopos sibi rebelles, scilicet Coloniæ, Magunciæ & Treverensem vastatione & deprædatione bonorum urbium ac castrorum vallatione, ac multiplicium damnorum illatione, sibi subjugavit; ita ut B cum se sibi resistere non posse cernerent, tandem compositione amicabili ipsius gratiæ se restitui laborarent, quod & factum est. Eodem anno ex intemperie aëris vina Austriæ communiter in tanta sunt procreata amaritudine, ut nullus retroactis temporibus a quoquam subsimili acerbitate procreata tam generaliter recordaretur.

MCCCIII. Hoc anno Regina Romanorum Domina Elizabeth terram Austriæ secundario intravit. Ipse quoque Albertus Rex cunctis adversariis in partibus superioribus devictis, negotiisque regni strenue dispositis, ipsam Reginam secutus, circa Exaltationem S. Crucis terram Austriæ particulariter; visitavit. Dominus Nicolaus Cardinalis Ostiensis Episcopus in Ungaria non proficiens a Domino Papa C revocatur. & mortuo Papa in Papam eligitur ipse, de Prædicatorum Ordine; qui sequenti anno moritur, dicebatur autem Benedictus.

MCCCIV. Rex Bohemus Wencezlaus cum maxima multitudine armatorum Ungariam intrans, muneribus & calliditate, partim etiam potentia insignia regni Ungariæ, hoc est gladium & tunicam Beati Stephani Regis Ungariæ, & coronam obtinuit: ubi quamplures ex intemperie aëris mortui sunt. Et antequam ibidem negotia sua terminari [illegible], propter quæ venerat, ut de stabiliendo regno filii sui super Ungaros; Rex Romanorum Albertus, missis Duci Austriæ Rudolfo filio suo nuntiis, præcepit, ut pacis diffidationem ac contradictionem Regi Bohemiæ demandaret. Quo facto Rex Bohemiæ inconsummatis negotiis atque imperfectis, D propere exire parat in Ungariam, habens tamen regalia. Interim vero Dux Austriæ Bohemiam atque Moraviam ubicunque Austriæ contiguam rapinis vastat & incendiis. Inter hæc Regi Bohemiæ vix patet exitus de Ungaria, hominibus & equis supra modum consumptis & lassatis. Quibus regressis in sua, & statim Austriæ quæ poterant mala reddebant. Karolus vero filius Regis Siciliæ spe regni Ungariæ adipiscendi, regaliumque requirendorum, quorundam magnorum Comitum Ungariæ Comanorumque fultus auxilio, puer adhuc tenellus cum viginti & amplius milibus veniens, prope Znoimam se recepit. Qui in Bohemiam Moravi-

amque more suo cursantes, prædas hominum pecorumque abduxerunt maximas, & nec sexui nec ætati parcentes, in Christianos, & maxime in fœminas facinora impudentissima exercuerunt. Hi etiam in Austria mala fecerunt quamplurima, per homicidia, rapinas, incendia, blasphemias, in Sacramenta effractis Ecclesiis; quod tamen Deus inultum non dimisit. Nam circa Nativitatem Beatæ Mariæ Virginis Rege Romanorum a superioribus partibus veniente in Linczam, postquam omnes suos congregavit ibidem; cum validissimo exercitu prope liberam civitatem Bohemiæ fines aggreditur: occurrentibus ad eum Duce Austriæ, Domino Chunrado Episcopo, Archiepiscopo Salzpurgense cum aliquot Suffraganeis suis, Domino Karolo prædicto cum Ungaris & Comanis. Hi omnes inter Weitram & Gamundiam se congregantes, expensasque itineri suo in Bohemiam præparantes L milia pugnatorum habuisse dicuntur: ibidemque Comani & Ungari jam diuturnis spoliis & captivitate Christianorum, quæ Dux loco salarii ipsis indulsisse dicitur, nimis ditati, nullum reverentes insolescebant tam intolerabiliter contra omnes, quod clamor Christianorum validus usque ad hoc Regem Romanorum commovit, ut captivos ab ipsis postularet dimitti. Quod ipsi renuebant facere, & dilatione responsi tempus redimentes, pretium se pugnæ habere sufficiens arbitrati, nocte fugam ex ipsis VII milia inierunt. Dux vero fraude hac comperta expeditiores quosque ex suis ad IV milia post ipsos mittit, qui eos inter Vanuel & Altenburgam consecuti, circa quadringentos ex ipsis in die S. Leodegarii una sexta feria prostraverunt: persecutique eos alii alios, versus Egenburgam & Chunring, alii alios per diversa fugientes cædebant, totaque illa captivitas puerorum ac fœminarum, hominumque ac spoliorum innumerabilis circa Altenburch soluta remansit: ubi etiam cadavera occisorum hinc inde sparsa per agros, per Abbatem loci collecta, ac in foveam grandem, ne aërem corrumperent, sunt projecta; inter quos quidam nobilissimus Comes, qui dicebatur Dux ante Silvam, est occisus. Rex vero Romanorum, cœpto itinere Bohemiam intrans cum residuo exercitu, ante Chutnam castra metatur. Regem Bohemiæ sibi occursurum putabat, pugnæque aviditate festinans nullam, civitatem aut castrum oppugnare volebat: simulque sciens quod moram in Bohemia habere non posset, ob intemperiem hyemis jam instantis. Nam Chuttnam facile obtinuisset tunc adventus sui initio; sed Dux Wabariæ Otto, qui & ipse in Comitatu & auxilio suo erat, ipsum sub pietatis specie avertit, ne videlicet innumera milia hominum incendio, per quod solum aquirenda erat, perirent. Hoc autem Ducis consilium suspectum fuit per consequens factum. Rex itaque Romanorum factis ibi diebus pluribus confligendi desiderio, tandem frigore urgente & penuria, casso labore redire in Austriam cogitur: singulisque in sua redeuntibus ipse cum paucis Swevis ibidem usque ad Purificationem Beatæ Mariæ remansit: tuncque iterum in Sweviam ascendens, de

instau-

instaurando exercitu contra Bohemiam, donariis, & quibus potest modis toto laborat conamine. Quippe cum Rex Bohemus in nullam cum eo dignaretur quantumcunque rationabilem concordiam convenire, inter eos Duce Bawariæ Ottone hoc diligentius elaborante (ut æstimabatur,) & ipso Rege Romanorum in omnia, quæ digna erant ac rationabilia, consentaneum se exhibente. At Rex Bohemus etiam ipse causæ & justitiæ suæ fidens, aurique & argenti copiis, quas habet permaximas, & fortunatis ex hoc, ad quemcunque se verterat, successibus animatus, licet quidem ipse vix bellator esset; in venalium auxilio manuum, quas conducere poterat innumeras, confidebat. Ac de Polonia Wratislaviense, cujus hæredem filiæ suæ in maritum assumpserat, de Calisiense quoque regno, cujus hæredem Virginem ipse in conjugem duxerat, & Saxonia, atque hinc inde auxilia colligens sese in contrarium præparabat. Ducem præterea Bawariæ datis multis marcarum milibus sibi confœderat, loco sui Capitaneum belli constituit: cui omnes Barones Bohemiæ atque Moraviæ fidelitatis & obedientiæ sacramentum præstare oportuit. Marchiones quoque Hermannum de Brandenburch consanguineum suum (qui gener Regis Romanorum erat,) & Heinricum, qui cognominabatur cum telo, auxiliarios sibi jam ante habuerat astrictos: quod eis terram Misnensem in L. obligasset marcarum milibus, quam a Rege Romanorum pro XL milibus marcarum prius sibi obligatam acceperat, & nunc ipsam a Marchionibus occupatam, Regi Romanorum pecuniam debitam exhibenti reddere nolebat, nec quidem facile valebat. Marchionibus eum in contrarium animantibus; quam tamen ipse Romanorum Rex Duci Johanni, filio sororis Regis Bohemiæ ex fratre suo Rudolfo, communiter conferre voluerat. Propter quam terram inter eos stabat potissimum hoc discordiæ malum, in quo hoc anno ad triginta milia hominum cæde, incendio, inedia & variis angariarum modis perisse æstimabantur.

Eo etiam anno Danubius ariditate nimia ita inaruerat, ut inter Neunburgam & Chremsam in tribus locis vadabilem equis & curribus se præberet.

MCCCV. Domina Blancha Ducissa Austriæ obiit, soror Philippi Regis Franciæ ex patre, XIV Kal. Aprilis. Comes etiam de Hirzberg Gebhardus sine hærede obiit. Wenceslaus Rex Bohemorum VI, circa annum ætatis trigesimum quintum XI Kal. Julii obiit, amator Divini cultus, fundator Aulæ Regiæ, Monasterii scilicet Ordinis Cisterciensium, in Bohemia monetæ regalis in grossis Pragensibus initiator, in divitiis, gloria & temporalium successu (licet vir [1] in bellis) Crœso aut Salomoni non impar, solo incontinentiæ malo destructus interiit, regnum Wenceslao filio suo relinquens. Hic insignia regni Ungariæ Ottoni Duci Wabariæ resignavit, simulque regno Ungariæ abrenuntiavit. Regno Bohemiæ contentus ducta in uxorem ipso anno filia cujusdam de Polonia, dicti de Thesin, compositioneque omnimoda inter ipsum & alios de parte sua Principes, ac avunculum suum Regem Romanorum facta, eidem terram Misnensem resignavit. Eodem anno Dux Bawariæ prædictus in Regem Ungariæ ab Episcopis & Comitibus aliquot electus, cum regalibus insignibus venire captabat [2] in Ungariam. Sed cum obstante ac contradicente sibi Duce Austriæ, id publice cum exercitu expellere [3] non posset; post Omnium Sanctorum cum paucis, clam noctu intrans Austriam, a Brunna in Ordenburgam pertransiit, coronatusque pro Rege se gerebat. Ob hoc ipso anno inter Austriam & Ungariam plurima mala in cædibus hominum & spoliis perpetrantur. Moritur Papa Benedictus: eligitur Clemens Quintus, Burdegalensis Archiepiscopus.

MCCCVI. Wenczeslaus Rex Bohemiæ Septimus, & ultimus in illius gentis genealogia & idiomate, adolescens admodum pulcher, insequenti die, id est, Quinta feria post Inventionem S. Stephani Prothomartyris, quæ quarta feria præcesserat, propter insolentiam contra Optimates suos, in Olomuncz civitate Moraviæ a suis occiditur, idemque [3] sepultus est, habiturus viginti annos ætatis in Festo S. Michaelis; sicque contra vaticinium in gente illa ab antiquo vulgatum, Bohemiæ regnum exhæredatur. Et Rudolfus Dux Austriæ, Baronum quamplurimorum vocibus consentientibus, inibi in Regem assumitur: ducta in uxorem Regina Calisiæ, relicta Wenczeslai Sexti Bohemorum Regis; in Ducatum Austriæ Friderico fratre suo succedente; Alberto Romanorum Rege, patre utriusque, hæc omnia confirmante.

MCCCVII. Rudolfus Rex Bohemiæ cum jam vix in eum vota Baronum aliquorum, qui ei hactenus restiterant, concordassent; adhuc in castris expeditionis, qua contra eosdem exierat, infirmitate corripitur, & profluvio ventris circa XXVI annum ætatis obiit in Horawicz civitate, feria secunda in vigilia S. Udalrici in Praga sepelitur. Quo mortuo Heinricus Dux Karinthiæ avunculus ejusdem, ratione uxoris, quæ filia erat Wenceslai Sexti Bohemorum Regis, regnum occupat: Alberto Romanorum Rege una cum Duce Austriæ ipsum fortius impugnante, & Barones impetente super promisso, quo filios suos singulos, uno decedente sine hærede, proximum semper in Regem se promisserant assumpturos. Sed cum totam æstatem valida manu jacens in Bohemia, casso labore & absque conflictu publico non sine dispendio hominum utriusque partis exegisset, in Austriam rediit, & de hinc per Bawariam in Sweviam, bellum futura æstate toto conamine restauraturus. Eodem anno Hermannus Marchio obiit.

MCCCVIII. Dux Bawariæ Otto in Ungaria cum in regnum non proficeret, domum revertitur, hac sola potitus apud Ungaros felicitate, quod Rutenorum captivitates, in quas traditus fuerat, Deo miserante evasit. Regni tamen gloriam non usquequaque desperans, titulum sibi ejusdem in suis interim litteris ascri-

[1] *f.* vix. [2] *f.* tentabat. [3] *f.* obtinere. [3] *f.* ibidemque mulebat,

bebat, ducta filia Heinrici Ducis Glogoviæ in uxorem. Albertus Romanorum Rex, Vir fide in Deum & homines constans, nec non ad negotia belli prudens ac magnanimus, honorabilisque connubii, & thori immaculati continentissimus conservator ubique, in zelo autem juris Imperialis, & injuriarum retentione rigidus & gravis quampluribus Principibus, a magnatibus occiditur, causa & ordine infra scriptis, permittente Deo (quantum humanis sentire fas est judiciis: ex quo fortunæ ipsius gloria a fastigio, quo eatenus mirabiliter ascenderat, visa est declinare.) Nam [1] apud Sanctum Ypolitum inimici Crucis Christi Judæi comperti fuissent (ut antea pluries impune fecerant) alias blasphemiam & ludibrium Sacramento Dominici Corporis irrogasse; fideles fidei zelo accensi, commoto in eos impetu aliquos trucidaverunt: vulgo mobili, atque (ut semper improvido) aliquid de eorum substantiis rapiente. Ex qua re Dux Rudolfus occasionem [2], quam & Rex fortius aggravavit, civitatem crudelissima obsidione afflixit: eratque mussitatio, quod ipsam dirutam in locum alium in Potenprun, qui de fundo suo est, transferri mandasset. Venerabilis vero Pater Domnus Bernhardus Episcopus suos ac Clerum Yppolitensem ab hujus angustia diu liberare non voluit [3]. Sed inter hæc non solum ipse, verum omnis Clerus, totaque pene omnis Ecclesia fidelium per Austriam simul cum ipso improperium Christi portans scandalizata, devotione orandi pro Rege extincta apud quamplurimos sibi etiam fidelissimos, tabescebat: vixque tandem hoc malum, datis tribus milibus quingentis talentis, cum difficultate maxima complacatur. Hoc autem factum in rege ex consequentibus Domino displicuisse probatur, dum ab inde negotiorum ejus prosperitas omnis in deterius relabi videretur. Quia filius ejus Rudolfus prædictus Rex factus ab eo in Bohemia, dum parato sibi regno, prospere regnare deberet; moritur: rebellantibusque Baronibus ipse Romanorum Rex per æstatem cum copiosa multitudine armatorum in Bohemia demoratus, nilque proficiens non sine damno suorum exivit, & regnum Bohemiæ a filiis suis, in quos illud hæreditare ipso constituente jam cœperat, ac si promissum exhibitione nondum completa retraluitur, & Heinrico Duce Karinthiæ ignaviter illud occupante, usque nunc incerto dominio vacillat. Sed [4] in terra Misnensi, quam Imperio immediate subdendam recuperare disposuerat, quotiens contra Marchionem hi quos direxerat, aciem dirigerent, occidebantur, capiebantur, industria omni & viribus eorum penitus annullatis. Itaque Rex Albertus iterum per Bawariam in Sweviam regreditur, expeditionem contra Bohemos ad proximam paraturus æstatem. Cumque in die Apostolorum Philippi & Jacobi non longe a civitate Paden juxta fluvium, Aru dictum, cum Principibus & Optimatibus suis jocunde prandisset; Dux Johannes, quem germanus suus Rudolfus ex filia Ottakari Regis Bohemiæ genuerat, & alii tres liberiores genere, dicti de Eschenbach, de Palm, de Bart (quibus quoque capitis sui innitebatur custodibus securius) hi latus ejus, transituri aquam prædictam, stipantes; aliosque omnes a se ut onus navi regiæ noxium joco mortifero repellentes, ipsum sic seduxerunt. Quem desolatum a suis omnibus aqua intermedia desperabat [1]; Virum valde in Deo fidentem, & in multis conditionibus vere Virum virtutis. Qui nimis credebat semetipsum hominibus, quod tamen Dominus Jesus quandoque legitur non feciſſe; & ita eum, postquam equo insederat, & ipsi equites occiderunt: vulnera, ut furor dictabat, singulis infligentibus; sed Johanne patruum pugione primitus perforante. Qui hanc contra ipsum causam dicebatur habere, quod suum ei patrimonium detineret. In hanc mortem & infortunium propter prædictam Judæorum defensionem Dominus eum tradidisse videtur, ac si operibus proverbiis [2] illud ei [3], quod olim per Iheu Prophetam ad Josaphat dixerat, cum Achab auxiliaretur: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris.* Verum etiam ut ad Josaphat subditur: *iram merebaris quidem Domini; sed quia bona opera inventa sunt in te &c.;* ita & de ipso intendisse Dominum pie est sentiendum, quod videlicet hæc mors non in iram; sed ei a Domino in misericordiam fuerit, qua temporaliter correptus, æternæ mortis evadere sententiam mereretur. Quia confidenter ex devota Matris misericordiæ invocatione cum in sinu vilis servuli unius expirasset de suis, & ex aliarum virtutum ejus meritis, imo & certius ex revelationibus quibusdam de misericordia Dei, qui bis in idipsum non punit, sed omnes homines vult salvos fieri, præsumendum speratur. Super cujus morte ab his, quorum oculi imperfectum ejus diligentius, quam quas habuit bonarum virtutum gratiam, perviderunt, illum, quo David planxit ad [4] Joab olim occisum Abner, planctum mihi meisque pro consolatione canendum, indulgeri non utique inconvenienter exoro. Flens enim David super tumulum Abner ajebat: *Nequaquam ut solent mori ignavi est, mortuus Abner. Manus tuæ non sunt ligatæ, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Num ignoratis, quoniam Princeps, & maximus cecidit hodie in Israel?* Ipso anno Heinricus Comes de Luczelburch in Regem Romanorum electus coronatur, Vir, quem fama cominus zelatorem justitiæ & judicii prædicabat

MCCCIX. Quem nobilis Dux Austriæ, scilicet Domnus Fridericus, præfati Alberti piæ memoriæ filius, adiit cum satis magna potentia, suscipere ab eo in feodo Ducatus, scilicet Austriæ, Styriæ & Portum Naonis; & reverti. Cives autem ejus, scilicet Winnenses aliqui, oderant eum, & miserunt una cum Baronibus Austriæ aliquibus legationem post illum, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos.* Tali igitur spe decepti iidem Barones cum eisdem civibus

[1] *supple* cum. [2] *deest in MS.* accepit, *aut hujusmodi.* [3] *f* valuit. [4] *supple* &.

[1] *ita MS. fi* separabat. [2] *l.* pro verbis. [3] *supple* loqueretur, *aut simile quid.* [4] *l.* a.

con-

conſpiraverunt; illi publice terram ſpoliantes; illi ut incuſati, & poſtea puniti ſunt, civitatem Winnam tradere eis volentes, præfato Duci ſe taliter opponentes. Sed ordinante Deo factum eſt, ut rediret, contra ſpem illorum acceptis in feodo præfatis Ducatibus, & illos, qui ei aſtiterunt, diverſis donis remuneraret; inimicos autem ejus, qui nolebant eum regnare ſuper ſe, rigido judicio diverſis mortis generibus; alium equo ad caudam ligatum, & confuſe per civitatem tractum rotatur[1]; alios abſciſſis linguis, & oculis erutis truncavit: quorum unus, ſcilicet Johannes dictus Stadlauarius, dives & probus ſagaxque Civis Winnenſis, equitractionem & poſtea rotationem pertulit; Gotfridus autem, dictus Solſator, & Wilhelmus oculis privati ſunt & linguis. Barones autem caſtra, in quæ eos ante locaverat, confuſe reſignare, & ſe ei in poſterum ſervituros fideliter perpetue jurare compulſi ſunt, & ſic eis reconciliatur.

MCCCX. Quinto Idus Februarii Domnus Otto Dux Bawariæ Caſtrum Neunburch in ſua terra ſitum, & ſibi a multis annis infeſtum multis laboribus expugnavit. Poſtea aliud caſtrum Bernſtain obſedit, ſed non expugnavit. Tempore autem ejusdem anni, quo ſolent Reges ad bella procedere, Dux Fridericus Bawariam aſcendens caſtrum, quod Ried dicitur, expugnavit; & Scherding obſedit. Sed infirmitate valida detentus, ita ut in ſuo exercitu mortuus proclamaretur, redire ad propria eſt coactus. Eodem anno Imperator Heinricus Romam proficiſcitur in Cæſarem conſecrandus; filium autem ſuum Johannem, ad invitationem quorundam Baronum Bohemiæ, eidem præfecit, & eum cum quibusdam potentibus Epiſcopis in Bohemiam deſtinavit. Heinricus Dux Karinthiæ, qui tunc Bohemiam ſatis debiliter rexit, domum compellitur remeare.

MCCCXI. Imperator Heinricus intrans partes Lambardiæ, Romam profecturus cum magno exercitu, habens ſecum Dominum Leupoldum fratrem Ducis Auſtriæ Friderici in comitatu, plures civitates potentes Dei adjutorio expugnavit. Quod videntes Lambardi, ſe videlicet viribus non poſſe reſiſtere, campeſtria ſuburbana, fontes & gramina toxico inficientes[2]: quo hauſto equi & homines quamplurimi ſunt mortui. Dominus autem Leupoldus præfatus Dux pluribus amiſſis hominibus, vix ſemivivus ad propria remeavit; Uxor etiam Imperatoris eſt in itinere defuncta. Eodem anno circa feſtum Omnium Sanctorum Dominus Papa Clemens Quintus univerſale Concilium inchoans in Vienna Galliæ civitate, & terminatur poſt feſtum S. Trinitatis: cujus Concilii acta & inſtituta antequam in publicum promulgarentur, juſſu ejusdem Domini Papæ ignibus ſunt exuſta, excepto quod decima omnium Eccleſiarum proventuum ab omni Clero, id eſt tam Religioſis quam ſæcularibus, per octennium exigebatur.

MCCCXII. Metreta ſiliginis ante Paſcha pro LX denariis vendebatur. Eodem anno quia terra modicum quievit a prœliis, Dux Auſtriæ Fridericus ex inſtinctu Baronum terram volens mundare a furibus & ſpoliatoribus, quibus abundabat; Dominum Dyttricum Pilichtarfarium tunc ſuæ curiæ Marſchalcum ſua auctoritate miſit, hujuscemodi malefactores inquirendos, & auferendos a terra. quod etiam pro poſſe adimplevit. Nam perluſtrans totam terram, qui ſibi occulte a Nobilibus vel a civibus vel villanis, juramento prius præſtito, concorditer accuſabantur, hos decollatione vel ſuſpendio, vel alia morte peremit. Cæteros autem, quos comode invadere non potuit, intitulatos Duci detulit puniendos. Tale judicium vocabatur inquiſitio. Cariſtia autem a Paſcha usque ad nova tamen de die in diem crevit, quod demum metreta tritici pro dimidio talento vendebatur; metreta ſiliginis pro tribus ſolidis & XV denariis; hordei pro LXX; avenæ pro LX. Unde etiam contigit, ut multi homines in terra Auſtriæ, & præcipue ex altera parte nemoris, & in terra Bawariæ fame morerentur. Eodem anno quædam tempeſtas in Badovia & in Chremſa repente inundans, aliquos homines & domos quamplurimas ſubruens & abducens interemit, molendina multa & vineas deſtruxit.

MCCCXIII. Domnus Bernhardus venerabilis Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus obiit in die Pantaleonis Martyris. Poſt quem eligitur Dominus Gebhardus, nobilis vir, frater Miniſterialium de Walſe, qui tunc potentes erant in Auſtria. Sed perpaucis Canonicis in Dominum Albertum fratrem Ducis Auſtriæ, qui nec dum annos legittimos habebat, conſentientibus, contra ejusdem Gebhardi electionem ad Sedem Apoſtolicam appellatur. Quo idem Dominus Gebhardus veniens, & pene biennium manens, in Curia eſt defunctus. Eodem anno pius Dominus ſterilitatem prioris anni omnium victualium abundantia compenſans, in tantum terram fructificare fecit, ut tempore novorum metreta ſiliginis pro quatuor vel minus, hordei pro quatuor, avenæ pro duobus; vel ad majus pro tribus denariis venderetur. Inſuper carrata vini ſecundum qualitatem valoris ſui circa talentum vel infra vel paulo ſupra comparabatur, niſi eſſet egregium vinum. Tanta enim erat copia vini præſertim in Auſtria, ut vaſis deficientibus unum vas vini pro vaſe vacuo æqualiter traderetur: & quia tunc vindemia nimis erat ſerotina, contigit, ut fructus uvarum in vineis, & muſtum in torcularibus & in doliis congelaſceret: & circa feſtum S. Martini in Wienna & Neunburga vix eadem vindemia complebatur. Poma etiam & pira & omnes hujusmodi fructus in tanta copia, ſicut a longe retroactis temporibus contigerat, abundantius provenerunt. Sed his bonis duo mala magna, quorum unum particulare magnum, ad[1] univerſale maximum, ſucceſſerunt. Nam ille Inclytus ac Sereniſſimus, nec non Chriſtianiſſimus Cæſar Heinricus, multis terris ac civitatibus Romano Imperio rebellantibus viriliter expugnatis, demum in terram[2] contra Regem Rudbertum proficiſcens, civitatem quandam obſedit: ubi neſcio quo Dei judicio diſponente

[1] *l.* rotavit. [2] ita MS.

[1] *f.* alterum. [2] *deeſſe hic aliquid videtur in MS.*

vel conſentiente, a quibusdam impiis ac nefandis hominibus tam periculoſe veneno (ut dicitur) proch dolor! eſt peremptus, niſi quod mundum totum in maligno poſitum, tali Viro æſtimo, fuiſſe indignum. A tempore enim Karoli Regis Magni (ut in Chronicis legimus) non ſurrexit major eo, nec eſt inventus ſimilis illi, præſertim in Principibus, qui conſervaret legem Excelſi, maxime in Divino cultu, quem affectuoſiſſime honorando, & omni mente devotius, communicando ſtudioſiſſime coluit: nec non in zelo juſtitiæ, quam ſine perſonarum acceptione ferventiſſime exercuit, ac morum religioſitate ſeu virtutum actione, qua omnibus Regibus, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, nequaquam, ut æſtimo, minor fuit.

Statim ſequitur malum aliud. Nam Barones aliqui Wabariæ Inferioris opponunt ſe Duci Ludbico, Comiti Palatino (cui patruus ſuus Dux Otto decedens, eandem terram cum liberis ſuis commiſerat,) conducentes ſibi in adjutorium Ducem Fridericum Auſtriæ in hujus rebellationis defenſorem. Qui eis in auxilium mittens Marſchalcum ſuum Pilichtarfarium cum aliquibus Nobilibus Auſtriæ & Styriæ: & invaſi a prædicto Ludbico Duce, cum ſparſi eſſent, & non bene uniti, omnes hos Nobiles bene ad quinquaginta pariter captivavit. Qui tamen eodem anno, concordantibus prædictis Principibus, liberi ſunt dimiſſi &c. amen.

MCCCXIV. Clemens Papa, exactor prædictæ decimæ, tempore Paſchali moritur. Ludbicus Dux Bawariæ Comes Palatinus, & Dux Auſtriæ Fridericus, Electoribus diſſentientibus, in Regem Romanorum quilibet a parte ſua eligitur: de quorum diſcordia Eccleſia maxime perturbatur.

MCCCXV. Rex Fridricus decimam generalem de redditibus Religioſorum, tam de vineis Religioſorum quam civium ac aliorum, taxatis prout valere poterant, accepit.

MCCCXVI. Idem Rex Fridericus Steuram a civibus de omnibus quæ habebant, ſub jurejurando accepit: & inundatio maxima Danubii ac omnium fluviorum, tam ex pluviis, quam eruptione venarum terræ, quam nive maxima & nimis diuturna, omnia ſata deſtruxit.

MCCCXVII. Fames & ſterilitas inaudita, ex nive præteriti anni omnia ſata deſtruente. Unde ſiliginis quaſi nil ille annus habuit, tritici vero parum amplius, hordei vero & avenæ ac æſtivalium ſatorum mediocriter, & vini modicum, ita ut rarus eſſet panis triticeus & ſiligineus, hordaceus autem & aveniaceus quaſi communiter comedebatur.

MCCCXIX. Rex Fridericus cum Domino Fridrico Archiepiſcopo Salczpurgenſe Enum in Muldorf per pontem tranſiens, cæteris fluviis ubique, Danubio etiam apud Ratisponam vadatis, totam Bawariam incendiis & rapina vaſtavit, nullo ſibi reſiſtente. Sed nec Rege Ludbico, qui poſtquam caſtra metatus expoſito[1] contra Muldorf cum meliori militia, quam pars adverſa ad certum diem etiam bellum conduxiſſet[2], terga vertit, inferiores Bawaros de infidelitate accuſans.

MCCCXX. Rex Ludbicus cum Johanne Rege Bohemiæ, & Epiſcopo Treverenſe, & Comite Gulicenſe, & cum pluribus auxiliariis, fortibus ad tria milia galeatorum, Alſatiam ingreſſus ipſam pervadendo, & Sweviam redeundo, in odium Ducis Leupoldi, vaſtare volebat. Cui Dux Leupoldus non multam quidem militiam equitum, plurimam vero peditum acerrimorum de Sweicz habens multitudinem, occurrit cum Argutinenſi[3] Epiſcopo. Ipſe quoque equo deſcendens, pedeſter cum peditibus in fugam ipſum ſolus primo, ſequenti vero die, Rege Friderico jam conjuncto ſibi, in fugam ſecundo convertit: cum tamen jam vexillo erecto contra ſe, & ſtrictis gladiis galeati conſtitiſſent vice utraque, ſicque usque ad diem quartum ipſum ſunt pugnæ deſiderio proſecuti. Eodem anno Dominus Albertus Dux Saxoniæ, Plebanus Winnenſis, in Epiſcopum Patavienſem a Sede Apoſtolica datur, & confirmatur; & in Sabbato quatuor temporum Septembris Winnæ Ordinem Subdiaconatus accepit.

MCCCXXI. Domnus Albertus prædictus Patavienſis Epiſcopus Diaconatus & Sacerdotii, atque Epiſcopatus in Salczpurga a Metropolitano ordinatione percepta, Miſſam primam Winnæ apud Prædicatores in Octava Pentecoſtes, Rege Fridrico cum Alberto, Heinrico, Ottone Ducibus, nec non Regina Miniſterialibusque & omnium Ordinum Prælatis quamplurimis aſtantibus, ſolemniter celebravit.

MCCCXXII. Qui fuit annus nonus a contentioſa electione duorum Imperatorum, Fridrici Ducis Auſtriæ, & Ludbici Palatini Bawariæ. Volens idem Fridricus finem huic liti imponere, congregato non valido exercitu de Auſtria & Styria, parcens ſtipendiis aliquos Barones de nobilioribus Auſtriæ non conduxit: ſperans ſe in multitudine Ungarorum & paganorum, quos ſibi Karolus Rex Ungariæ, avunculus ſuus, ad milia in adjutorium miſit, nec non in fratre ſuo Duce Leupoldo a partibus Elſatiæ ſibi cum magno exercitu occurſuro, contra Ludbicum pugnaturus in quodam campo inter civitatem Muldorf & caſtrum, quod dicitur Dornberch, in diſtrictu Salzpurgenſis Epiſcopi, caſtra metatus eſt. Ibique Ducem Leupoldum nimis diu expectans, antequam veniret, a Ludbico præfato, & a Johanne Rege Bohemiæ in die S. Wenczeslai bello invaditur: paucisque ex noſtra parte, pluribus vero ex altera parte occiſis, Ungaris primo terga vertentibus. Rex Fridricus cum ſtrenuiſſime pugnaſſet, & (ſicut dicitur) ad quinquaginta homines manu ſua peremiſſet; tandem una cum fratre ſuo Duce Heinrico, & omnibus Baronibus ſuis capitur, & in caſtro, quod Trauſeinicht dicitur, firmiſſimæ cuſtodiæ mancipatur. Heinricus vero Dux a Rege Bohemiæ captus, in Bohemia ſub diſtrictiſſima cuſtodia vinculis tenebatur. Barones vero cum cæteris minus nobilibus ſub fide pro tempore ſunt dimiſſi ad propria. Conſtitutis terminis ſe denuo ſuis captivatoribus præſentabant,

[1] *f.* ex oppoſito. [2] *f.* condixiſſet. [3] *l.* Argentinenſi.

bant, qui & ipſi ferro & aliis diverſis generibus A compediti, ſub arctiori cuſtodia tenebantur. Nec immerito: proficiſcentes enim ad bellum terram propriam, Auſtriam videlicet ſpoliantes, & hoſtilius quam pagani perſequuntur quaſi nunquam reverſuri: alterutrum non parcentes, ſed ruſticorum, civium & nobilium etiam bona ubicunque poterant rapiebant: colonos quorumcunque dominorum captos, niſi ſe pecunia redimerent, circa ignem aſſando, vel aliis pœnis diverſimode afficiendo: vaſa ſimiliter, dolia & alia ſupellectilia frangendo, aut comburendo: & (quod peſſimum fuit) annonam & vinum, quod ſecum ducere nequibant, ad lutum platearum, vel ad aquam fluentem, niſi redimerentur ſpecialiter, effundendo; caſtella quoque minorum nobilium (quod antea inauditum erat) niſi cum eis paciſcerentur pro pecunia, manu armata, B ſicut ſagittis vel incendiis, hoſtiliter impugnando. Simili etiam modo Ungari & pagani exaltera parte Danubii perpetraverunt, ædificia pauperum incendendo; matronas, viduas & virgines opprimendo; Eccleſiis irruptis & ſacrilege ſpoliatis, Reliquias Sanctorum & Sacramentum Euchariſtiam in contemptum fidei Chriſtianæ ſuper terram manibus ſacrilegis proiciendo, & multa talia alia. Pejora tam pagani, quam qui dicebantur Chriſtiani Auſtrales, poſtpoſito Dei timore, commiſerunt: non parcentes ſexui, nec ætati, nec perſonis Religioſis vel Eccleſiaſticis, nec perſonis cujuscunque conditionis. Ideo juſtiſſime Dei judicio perſonali captivitate, corporali duriſſima caſtigatione, rerum ſuarum ſpoliatione, contumeliarum affectione, puniti ſunt: quia per hæc omnia nequiſſime peccaverunt.

MCCCXXIII. Dux Heinricus, qui captivus fuit Regis Bohemiæ, conſilio Karoli Regis Ungariæ, liber dimittitur cum omnibus Nobilibus Auſtriæ, qui ſecum capti fuerant. Sed ob hoc civitas Znoyma & Choſtel & Luczelburch a Ducibus Auſtriæ, quorum pignora fuerunt, Regi Bohemiæ reſtituta ſunt: ſuper hæc omnia civitas La[1], & caſtrum Weitra eidem Regi Bohemiæ pro novem milibus marcarum obligantur.

MCCCXXIV. Domnus Johannes Papa volens[1], Ludbicum Principem Bavariæ, Regem eſſe Romanorum, eo quod poſt captivitatem Fridrici Ducis Auſtriæ ſe ſine conſenſu Apoſtolici de Romano Imperio intromiſerit, D & poteſtative Imperii alia negotia gereret, ſicut de infeodatione terrarum hæredibus orbatarum, & hujusmodi, præſertim cum non fuerit ab omnibus Principibus, ad quos electio ſpectabat, electus. Ob quod idem Ludbicus offenſus & motus Domino Papæ iniurioſa verba obloquebatur, dicens, eum non poſſe eſſe Papam, & hujusmodi, de quibus melius eſt tacere, quam loqui. Quod Papa percipiens, juſſit eum, in terris ſuperioribus publice excommunicari, eligens ſibi pro advocato Ducem Leupoldum, fratrem prædicti Ducis Fridrici Auſtriæ in captivitate detenti. Qui Leupoldus Apoſtolica auctoritate fretus, prædictum Ludbicum ſpoliis & incendiis ſtrenuiſſime perſequitur, & in rapinis valde proſperabatur: quia in terra Elſatiæ, Sweciæ[1], & Sweviæ pro majori parte Dominium exercebat.

MCCCXXV. Ludbicus ſe pro Imperatore gerebat, volens ſibi ſubjugare Ducem Leupoldum, obſedit quandam ejus civitatem caſtellum habentem, nomine Purgau, contiguam terræ Bavariæ; quatenus illa expugnata, ad alias ipſius civitates & munitiones expugnandas liberius ſe transferret. Cui obvius fuit idem Dux Leupoldus cum exercitu valido, ipſum de obſidione ſuæ civitatis propulit & amovit, ulterius ipſum & ſua perſequens usquequaque. Ludbicus autem reſiſtere non valens, cogitansque ſe contra Domnum Apoſtolicum verbis graviter deliquiſſe, conſilio ſano invento, imo (ut traditur) divinitus miſſo, Fridricum Ducem Auſtriæ jam tertio anno a feſto S. Wenczeslai captum, ſine omni fidejuſſoria cautione & omni pecunia liberum dimittit tempore Paſchali; ſperans ſe per ipſum gratiam Domini Papæ & favorem Ducis Leupoldi, fratris ejusdem Fridrici, eo melius adepturum. Qui ſcilicet Ludbicus & Fridricus poſtea ita in Karitate non ficta uniti ſunt, ut Ludbicus terram ſuam exiturus, & filio ſuo in Brandburch[2] obſeſſo ſubventurus prædicto Duci tandem terram cum omnibus ſuis committeret: ne eam Dux Leupoldus ob reverentiam fratris in ejus abſentia vaſtaret. Eodem anno Dux Otto una cum conſenſu ſuorum fratrum Clauſtrum Ordinis Ciſtercienſis prope civitatem Novam fundavit, quod Novum Montem vocavit.

MCCCXXVI. Dux Leupoldus apud Dominum Papam Johannem decimas ab omni Clero & ab omnibus Religioſis per provinciam Salzpurgenſem obtinuit, cum eadem pecunia contra Ludbicum, cui Papa propter multas detractiones & infamias, quas in eum contumelioſe vomuerat, infenſus erat, dimicaturus. Sed jam litteris cum bullis Papalibus expeditis, idem Dux Leupoldus apoplexia percuſſus ſubito moritur, & Clerus a tali exactione Dei miſericordia liberatur.

MCCCXXVII. Ludbicus poſtea nullum timens, defuncto Duce Leupoldo, fratre Fridrici Ducis Auſtriæ, proficiſcitur Galliam, a Romanis honorifice ſuſcipitur, varia loca ibidem transiens, usque ad tertium annum *inibi* commorabatur. Sed Dominus Papa Johannes ipſum Avinione, & in omnibus Dioceſibus plurium terrarum excommunicavit, eum fautorem hæreticorum, & per conſequens manifeſtum hæreticum pronuntiando, nihilominus ille profectus ad Italiam pro Cæſare re & nomine ſe gerebat. Eo anno Dux Auſtriæ Heinricus moritur.

MCCCXXVIII. Rex Ungariæ Karolus, & Johannes Rex Bohemiæ una cum Duce Auſtriæ Ottone conſpirantes contra Regem Fridricum, fratrem ejusdem Ottonis Ducis Auſtriæ, qui quidem Fridricus una cum Ludbico antea congrediens pro Imperio captivatus fuerat, & tamen poſt ſuam liberationem Rex dici volebat. Nunc hi duo Principes una cum fra-

[1] *l.* nolens. [1] *i.* Helvetiæ. [2] *l.* Brandenburg.

tre ſuo [1] ſubplantare volentes, Auſtriam in manu fortiſſima intraverunt, rapinis & incendiis vaſtaverunt, & has munitiones, ſcilicet Veldſperch, Rabenſpurch & Ureichschirichen, Egenburgam expugnaverunt.

MCCCXXIX. Otto Dux Auſtriæ, & Fundator Novi-montis Monaſterii, ad Sweviam cum magna potentia pervenit, & Ludbicum de Bawaria contra ſe bellantem effugavit. Tandem compoſitione facta Ludbicus civitates optimas pro pecunia magna, quam Dux Otto pro ſtipendio expoſuerat, obligavit: non ſolum ipſum devicit, ſed omnibus reſiſtentibus Dux Otto exiſtens in Swevia, viriliter terrorem incuſſit.

MCCXXX. Rex Fridricus, quondam Dux Auſtriæ, in caſtro Guettenſtain moritur, in Octava Epiphaniæ, & in Maurberbach [2] Monaſterio Kartuſienſium, quod ipſe fundaverat, ſuſpenſus in ſarcophago ſervabatur. Eodem anno Ludbicus Bawarus de Galliis revertitur in Monacùm. Domina Eliſabet, Conthoralis Ducis Ottonis, obiit, & in Novo-monte ſepelitur.

MCCCXXXI. Albertus Dux Auſtriæ licet debilis bajolabatur, tamen ſapientia a Deo ſibi præſtita Reges & Principes de circumjacentibus regnis ſuperabat, & ad ipſum pro negotiis ſuis terminandis, conſilio & auxilio requirendo, confluebant. Fratrem ſuum Ducem Ottonem in Swevia commorantem [3] magnam victoriam & gloriam ibidem adeptam, revocavit. Qui veniens, terras ſuas cum potentia & induſtria regebat, nec non a magnatibus & a cuncto populo honore condigno venerabatur.

MCCCXXXII. Dux Otto collecta non modica multitudine de terris ſuis, convento etiam Rege Ungariæ Karolo, congreſſusque adverſus Regem Bohemiæ ipſum de campo die condicto potenter effugavit: & ſi hyems valida non obſtitiſſet, terram Bohemiæ armata manu invaſiſſet.

MCCCXXXIII. Dominus Heinricus, primus Abbas Novi-montis, poſt labores & fatigationes, quas indeſinenter pro novella fundatione patienter ſuſtinuit, percuſſus apoplexia occubuit. Fundator ejusdem loci Dux Otto una cum Viſitatore Abbate S. Crucis orbatum Monaſterium patre Spiritali viſitantes, Dominum Simonem communi conſenſu elegerunt: & eodem die, ſcilicet idus Maj. contulit Monaſterio ſuo Caſtrum Reichenau gloriosum perpetue habendum.

MCCCXXXIV. Copulata fuit Domina Anna, filia Regis Bohemiæ, Duci Ottoni, & mutuo reconciliantur, ſolemnitasque nuptiarum in Znoyma cum tripudio conventus utriusque celebratur.

MCCCXXXV. Ludbicus de Bawaria ob prævaricationes quamplurimas maxima ſententia excommunicationis a Papa Johanne irretitur: tum quia contumaciter Sedi ſe oppoſuit, tum quia ſibi Papam, cum perveniſſet Romam, ſpecialem creaverat, Cardinales & Epiſcopos eidem ſubſtituerat, Eccleſiam Sanctam variis erroribus implicaverat. Inſuper ipſum Imperium fraudulenter uſurpavit ſibi, ſcribendo & pronuntiando ſe eſſe Imperatorem, Apoſtolico non conſentiente; ideo ipſum anathematizatum publice pronuntiavit, terrasque, quas ſibi indebite ſubjugaverat, ſub interdicto anathematis conſtrinxit. Eodem anno Heinricus Dux Karinthiæ moritur: & Ducibus Auſtriæ & Styriæ Alberto & Ottoni eadem terra a ſupradicto Ludbico ſecundum jura Imperialia confertur. Johannes Rex Bohemiæ hoc ægre ferens, ſucceſſionis abdicationem juſtitia ſibi dictante non ſuſtinens, & oppoſuit ſe Ducibus Auſtriæ contradicendo.

MCCCXXXVI. Otto Dux Auſtriæ, Styriæ, Karinthiæ provocatus a Rege Bohemiæ adunato ſibi exercitu, electamque militiam ducens ad obſidionem fervide accingitur contra ipſum, & decrevit de ſingulis. Johannes Papa obiit: cui ſucceſſit Benedictus, Ordinis Ciſterciensis qui inſtituit Ordini quasdam novas inſtitutiones firmiter obſervari.

MCCCXXXVIII. Judæi in pluribus regionibus Chriſtianis perſequendo & interimendo crucialiter trucidantur: quia Corpus Dominicum & fidem Chriſtianam diverſis malis & infidelitatibus machinando corruperant pernicioſe, exceptis his, qui in civitatibus, ſicut in Winna & in Nova civitate ſitæ [1] in Auſtria, a Ducibus & Baronibus ſunt protecti. Eodem anno locuſtæ ſævientes generalem in omnibus finibus fecerunt in agris & paſcuis conſumptionem, præcipue in diſtrictu noſtro & ultra Danubium ſævierunt tempore meſſis; ſed fructus vinearum non læſerunt. Et habebant capita galeata; & quatuor alas, ſex pedes, duos dentes duros & crudeles, in volatu turmatim incedentes & congruenter, & præ multitudine privabantur homines lumine ſolari, & ſpatium diurni itineris, quando non obſiſtebat tempeſtas vel pluvia, ſe extendebant ad unum vel duo miliaria; & ubi quieſcebant, ſive in pratis ſive in ſilvis, in campis & in agris quæ fuerant viridia, rodendo, evellendo, annihilando conſumpſerunt; & tamen poſt iſtam ſævam plagam locuſtarum non fuit ſecuta cariſtia.

MCCCXXXIX. Mitiſſimus Otto Dux Auſtriæ, Styriæ, Karinthiæ devoto & optimo fine de hoc ſæculo migravit, humatusque fuit in Winna apud Auguſtinenſes. Albertus vero Dux ſolus inter fratres ſupervixit, quamvis eſſet debilis in corpore; terras ſuas nihilominus prudentia & induſtria, qua excellenter pollebat, rationabiliter regebat. Et [2] pluribus negotiis intentus corpus Fundatoris Novimontis Ducis Ottonis piæ memoriæ prædictus frater ſuus Dux Albertus ad eundem locum, quem adhuc vivens elegerat, deferre tardaret; ammonitus per revelationem & viſionem ſomniorum, ſic tandem compulſus [3], & cum ſumma reverentia transductum fuit funus in Novum-montem. Interfuerunt exequiis Venerabiles Prælati numero XXVI cum Miniſterialibus non paucis. Reliquit autem duos hæredes,

[1] *deeſt in MS.* Fridericum. [2] *al.* Maurbach.
[3] *deeſt in MS.* poſt, *aut ſimile quid.*

[1] *l.* ſitis. [2] *ſupple* cum. [3] *deſunt hic aliqua in MS.*

Fridri-

Fridricum & Leupoldum Duces, & bonæ indolis. Præfuit ipsis Dux Albertus patruus eorum more paterno, & Fridricum adolescentem industrium direxit in Sweviam. Qui dum contra Sweincenses dimicaret, nec valeret ipsos superare; ex utraque bellantium multi interierunt. Eodem anno Nonis Julii circa horam Vesperarum facta fuit eclipsis Solis universalis; nec non locustæ fortiori numero, quam transacto anno iterum tempore messis districtum, nostrum invaserunt; damnumque permaximum intulerunt. Hyems fuit prolixa & asperrima.

MCCCXL. Post Nativitatem Christi fuit tantus calor & serenitas, sicut solet evenire circa Solstitium Johannis Baptistæ. Sed in Kathedra Petri tanta acerbitas frigoris sequebatur, quod tam homines, quam jumenta pene deficerent, & hæc inclementia quinque septimanis duravit; deinde inundatio aquarum secuta est, & villas cum vineis destruxit. In Monasterio S. Crucis ex improviso tanta venit inundatio, quod libri cum aliis rebus erant annihilati. Locustæ vero usque ad alpes jam tertio nostris temporibus advenerant; sed in die S. Laurentii propter pluviam imminentem recesserunt. Chorus in Winna ad S. Stephanum a pluribus Episcopis fuit solemniter consecratus.

MCCCXLI. Hyems fuit tranquilla usque ad Aprilem, tunc supervenit tanta asperitas & importunitas frigoris, ut omnes desperarent, & durabat usque ad Majum.

MCCCXLII. In toto universo in quatuor elementis diversis temporibus fuit confusio & disturbium; per ignem vero multæ civitates & prædia ad nihilum sunt redactæ; per ventum importunum arbores & segetes & ædificia dissipata sunt; per inundationem aquarum diversa dispendia provenerunt; terræmotus in pluribus locis emergebatur. Dominus Benedictus Papa obiit: cui successit Clemens.

MCCCXLIII. Magna fuit caristia ubique, ut metreta tritici pro media libra venderetur; frumenti pro quatuor solidis. Gravis exactio in terra Austriæ de omnibus substantiis fuit imposita, & sub juramento se tantum habere unusquisque [2], & sic de libra una daret duos denarios.

MCCCXLIV. Fridricus & Leupoldus Duces in adolescentia sua obierunt, vix in quarta parte ejusdem anni, & sepulti sunt in Novomonte. De eclipsatione Solis, nec non & aliorum multorum terribilium in mundo eventorum fuit delusa & frustrata [3]: quia die, qua (ut asserebant) illa miracula deberent secundum relationem eorum illucescere, nihil omnino apparuit.

MCCCXLV. Filius Regis de Ungaria dum gereret dominatum, & die condicto in Regem deberet coronari; nocte eadem malitiose strangulatur, conjuge sua procurante.

MCCCXLVI. Rex Franciæ egressus ad pugnam adversus Regem de Anglia, uterque cum innumerabili exercitu, Regibus, Baronibus, & Ducibus conductis: & tanta fuit ibi multitudo fortium qui convenerant ad pugnam, ut nullus sufficeret admirari. Eodem anno Karolus Rex Ungariæ collecto exercitu copioso, venit expugnare civitatem Zaders firmissimam, & opulentam. Sed Venecii impedierunt, sese viriliter opponentes, & subtilitate sua & agilitate, machinas Regis noctis tempore cremaverunt; Ungaros, qui ibi aderant, præter paucos, evadentes, omnes feroci gladio interfecerunt. Rex hoc comperto cum Thetunicis sibi pro tunc adhæretibus, cum difficultate ab obsidione clam recessit.

MCCCXLVII. Ludbicus Bawarus, qui pro Cæsare tunc temporis regnavit indebite, in venatione dum se occuparet, in festo Beati Dionisii de equo corruit, & subito expiravit. Karolus Rex Bohemiæ in Regem Romanorum eligitur, & coronatur.

MCCCXLVIII. In die Conversionis Beati Pauli universalis terræmotus hora Vesperarum emersit, sed in aliquibus locis vehementior ac crudelior, quemadmodum in Villaco evidentius est ostensum. Nam cum in Ecclesia causa devotionis homines ibidem convenissent; eadem hora, uno impetu mota est terra, structurisque corruentibus simul interierunt, & muros civitatis & firma ædificia illa concussio subvertit. Homines vero absque numero, qui non poterant celeriter a ruina fugere, eodem momento sunt extincti, firmas etiam circumadjacentes munitiones & villas præcipitanter absorbuit. Item eodem anno infinita disturbia in diversis regionibus apparuerunt, quemadmodum principaliter orta fuit sæva pestilentia ultra in partibus Orientalibus, & per diversos effectus immanissime omnes ibidem interficiebat, ex maligna impressione superiorum causa efficiente. Nam sicut ex relatione veridica didicimus, homines & jumenta in illis temporibus quemadmodum erant in labore & loco qualicunque constituti, per validam aeris corruptionem in lapides transmutati sunt. Insuper in partibus ubi cinciber nascitur, letalis pluvia roravit, mixta cum serpentibus pestiferis & vermibus diversis, cunctosque, super quos inundavit, penitus extinxit. Non longe etiam ab illa regione accidit, quod terribilis ignis de cœlo fulminavit, & cuncta quæ erant in superficie terræ, consumpsit; lapides vero virtute illius ignis ita ardebant, ac si naturaliter in arida ligna fuissent transmutati; fumus etiam inde procedens fuit valde contagiosus, ita ut mercatores ipsum a longe intuentes continuo inficerentur, nonnulli etiam ex eis ibidem finierunt vitam. Qui autem fortuitu evaserunt, pestilentiam quam arripuerant, secum deportaverunt: & cuncta loca, ad quæ cum mercimoniis applicuerunt, quemadmodum in Græciam, Italiam, Romam, infecerunt, & vicinas regiones per quas transierunt. Unde perterriti timore statuerunt, ut in finibus illis nullus advena in hospitiis colligeretur, & sic mercatores, a quibus pestilentia in cæteros se diffundebat, compulsi sunt a terra celeriter exire. Cum autem ubique regnaret mortifera

[1] *supp.* parte. [2] *deest hic aliquid in MS.* [3] *desunt hic iterum quædam in MS.*

pestis, civitates, quæ usque populosæ extiterant, ex eo quod habitatores essent extincti, clausis portis firmissime custodiebantur; ne quis res mortuorum raperet violenter. Sed & Veneciis tanta fuit tribulatio ex repentina morte, ut vix quarta pars hominum remanserit. Demum pestilentia serpendo pervenit ad Karinthiam, demum Styriam vehementer occupavit, ita ut jam homines desperati incederent & amentes: & nemo subtilium Magistrorum poterat investigare, an ex errore planetarum, vel ex intemperie aëris evenisset talis letalis annus. Denuo omnes intermittentes [1] Divinæ ordinationi, ob hanc causam, ut Deus misericorditer intueretur genus humanum, inchoata fuit pœnitentia manifesta ubique. Et viri congregati de civitatibus & villis simul in una Societate, sicut & in processione bini & bini incedentes nudo corpore, excepto quod femorale cum mundo panno albo extenso usque ad talos reverenter velabant; Ecclesiasque cum magna devotione visitabant; canentes materna lingua de Passione Domini dulces ac devotas cantilenas; verberantes se nodosis flagellis, & tam dure, quod sanguis guttatim super pavimentum spargeretur. Mulieres vero clausis oratoriis post Vesperas se humiliter cum pueris afflixerunt. Consuetudo hujus castigationis duravit a festo S. Michaëlis usque ad Pascha. Insuper Ecclesias Religiosi & Sæculares Sacerdotes propter cladem imminentem eodem tempore cum Reliquiis & letania & diversis supplicationibus circuibant, corde lugubri, & mente devota. Super hoc Dominus Papa speciales in universo instituit precationes, de quibus specialiter mentionem facere, esset tædiosum. Sed cum nulla intervenerunt suffragia, verum cum miseria, qualis nunquam legitur ab initio mundi facta, cottidie valide augmentaretur, & Physici omni industria nequibant consulere, & dolores mitigare.... *Desinit hic Codex manuscriptus.*

[1] *f.* committentes se.

EXCERPTA EX PERVETUSTO NECROLOGIO CLAUSTRO-NEOBURGENSI.

OBSERVATIO PRÆVIA.

INter cæteros præstantes veteres Codices manuscriptos, quos insignis Bibliotheca Claustro-Neoburgensis servat, est pervetus Inclytæ ejusdem Canoniæ Necrologium, ante annos quingentos in membrana elegantissime manu exaratum, & a posteriorum temporum Auctoribus continuatum. In eo cum veterum Austriæ Marchionum, Ducum, Regum, Imperatorum, aliorumque illustrium sexus utriusque hominum dies, & annos nonnunquam emortuales designatos legeremus, multum lucis Historiam Austriacam accepturam facile videbamus, si id integrum, aut certe ejus Excerpta aliqua vulgaremus. Itaque cum per eos dies, quibus lustrandorum codicum MSS. causa in sæpe laudatæ Claustro-Neoburgensis Præposituræ Bibliotheca demorati sumus, prædictum Necrologium ob temporis angustias integrum describere nobis minime liceret; Admodum Reverendum ac doctissimum Dominum Eugenium Purcklbauer, loci Bibliothecarium veteremque amicum nostrum, literis peramice convenimus, ut quæ in eo notatu digniora reperiret, excerpere & nobiscum communicare ne gravaretur. Et vero fecit Vir humanissimus petitioni nostræ satis, eaque quæ sequuntur, ex sæpe memorato Necrologio summa fide transcripta nobis benigne ac in tempore submisit. Quod te, mi lector, nescire noluimus, ut unicuique sua gratia constaret.

Januarius.

IV. Non. Januarii. Theodora, uxor Heinrici Ducis, obiit.

II. Id. Jan. Fridericus Rex Romanorum anno Domini MCCCXXX.

Id. Jan. Heinricus Dux Austriæ.

X. Kal. Ernestus, filius Marchionis Austriæ Lwpoldi.

VIII. Kal. Agnes Ducissa Polaniæ.

VII. Kal. Adelheid Marchionissa.

Februarius.

XVI. Kal. Martii. Chunradus Romanorum Rex, filius Agnetis Marchionissæ. Hic dedit nobis mansum unum regii juris Chems. Poppo Archiepiscopus Treverensis.

XIII. Kal. Mart. Fruoza Marchionissa.

Martius.

III. Non. Martii. Pertha, filia Liupoldi Ducis.

XIV. Kal. Aprilis. Blanka, filia Regis Franciæ, Ducissa Austriæ & Styriæ, obiit MCCCV.

VIII. Kal. April. Chunradus Salzpurgenſis Archiepiſcopus. Adelheidis Marchioniſſa. Hæc tradidit Gœtzendorf.

Aprilis.

III. Non. April. Guntherus Marchio.

V. Id. April. Pertha, filia Lwpoldi Marchionis Auſtriæ.

XVI. Kal. May. Fridericus Dux Auſtriæ.

XIV. Kal. May. Gerdrudis Duciſſa, Heinrici Ducis Auſtriæ uxor.

XIII. Kal. May. Reihtza, filia Regis L. Bohemorum. Hæc tradidit Roreinwiſen cum omnibus appendiciis ſuis.

VIII. Kal. May. Gerdrudis Duciſſa Auſtriæ, filia Ducis Heinrici, & neptа Leupoldi Ducis obiit.

VII. Kal. May. Belá Rex Ungariæ.

II. Kal. May. Adelbertus Romanorum Rex B obiit anno MCCCVIII, & Elizabet Regina uxor, & conſtruxerunt, & dotaverunt altare Corporis Domini.

Majus.

IV. Id. May. Memoria occiſorum in Mowerberg.

XIV. Kal. Junii. Heinricus, filius Lwpoldi Ducis Auſtriæ, dedit duos manſus.

XIII. Kal. Jun. Elizabet, filia Marchionis.

XI. Kal. Jun. Heinricus Dux de Medlico. Tradidit Koglbrun.

X. Kal. Jun. Heinricus Imperator, frater Agnetis Marchioniſſæ Auſtriæ.

VII. Kal. Jun. Adelbertus, Marchio, filius Heinrici Marchionis.

II. Kal. Jun. Jouotſa Rex Ungariæ.

Junius.

V. Id. Junii. Ernſto Marchio.

IV. Id. Jun. Fridericus Romanorum Imperator.

XVII. Kal. Julii. Fridericus Dux Auſtriæ, Styriæ, & Dominus Carniolæ obiit anno MCCXLVI.

IX. Kal. Jul. Theodora, ſoror noſtra, Duciſſa Auſtriæ & Styriæ. Heinricus Marchio.

VI. Kal. Jul. Otto & Chunradus Comites de Hardeck, Chadoldus Orphanus, Chrafto de Sleuntz occiſi cum aliis multis circa Steutz, obierunt anno MCCLX.

Julius.

IV. Id. Julii. Memoria mortuorum circa Marchiam, inter quos Heinricus de Houſek, D Hermannus de Chranchperg, Lwdwicus de Neinſtorff, obierunt anno NB. MCCLX.

II. Id. Jul. anno Domini MCCXCI. obiit Rudolfus Rex Romanorum, pater Alberti Ducis Auſtriæ.

V. Kal. Auguſti. Lwpoldus, frater noſter, Dux Auſtriæ & Stiriæ, obiit anno MCCXXX.

neptis.

Auguſtus.

II. Non. Auguſti. Agnes, filia Ducis Lwpoldi.

Non. Aug. Gerdrudis Duciſſa Bohemiæ.

VII. Id. Aug. Heinricus Quartus Imperator obiit anno MCVI.

Id. Aug. Lwpoldus, frater noſter, Lwpoldi Ducis Auſtriæ filius. Hic ſepultus eſt ad caput Marchionis; & dicitur *Placebo* tantum & Miſſa defunctorum.

XIII. Kal. Septembris. Heinricus Dux obiit.

VII. Kal. Septemb. Otakarus Rex Bohemiæ. Albero de Chunering, Heinricus de Hauspach occiſi anno MCCLXXVIII.

IV. Kal. Septemb. Agnes Duciſſa Saxoniæ, filia Lwpoldi Ducis Auſtriæ.

September.

XVIII. Kal. Octobris. Anno Domini MCCCCIV. obiit Illuſtriſſimus Princeps & Dux Auſtriæ Albertus piæ memoriæ.

XIII. Kal. Octob. Heinricus Dux Medlicenſis obiit.

X. Kal. Octob. Otto, Lwpoldi Marchionis Auſtriæ filius, Friſingenſis Epiſcopus obiit anno MCLVIII.

VIII. Kal. Octob. Agnes Marchioniſſa, Fundatrix hujus Eccleſiæ.

IV. Kal. Octob. Chunradus, Lwpoldi Marchionis filius, Salzpurgenſis Archiepiſcopus, obiit anno MCLXVIII. Berhta Imperatrix Græcorum.

October.

IV. Non. Octobris. Hermannus Dux Auſtriæ, & Comes de Paden.

C IV. Id. Octob. Lwpoldus prior Marchio.

XV. Kal. Novembris. Lwpoldus, Lwpoldi Marchionis filius, Dux Bowariæ. Tradidit Pirchenwarth.

XIII. Kal. Nov. Heinricus Dux Bowariæ.

VI. Kal. Nov. Lwpoldus Marchio.

IV. Kal. Nov. Margareta, filia Ducis Lwpoldi, Regina Romanorum, Duciſſa Auſtriæ & Stiriæ.

November.

V. Id. Novembris. Adelbertus, Lwpoldi Marchionis filius, advocatus noſter.

XVII. Kal. Decembris. Lwpoldus, frater noſter, Marchio, Fundator hujus templi, obiit anno MCXXXVI.

December.

II. Non. Decembris. Lotharius Rex Romanorum.

Id. Decembris. Fridericus Romanorum Imperator.

VIII. Kal. Januarii. Helena Duciſſa Auſtriæ.

VI. Kal. Jan. Heinricus, Lwpoldi Ducis Auſtriæ filius.

III. Kal. Jan. Otakarus Marchio Stirienſis.

II. Kal. Januar. Liupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ.

VITA BEATI HARTMANNI,

EX

PRÆPOSITO CLAUSTRO-NEOBURGENSI,

ORDINIS CAN. REG. S. AUGUSTINI,

EPISCOPI BRIXINENSIS,

AUCTORE ANONYMO CANONICO CLAUSTRO-NEOBURGENSI,

NUNC PRIMUM EVULGATA, EX COD. MS. CELEB. PRÆPOSITURÆ TIRNSTEINENSIS, ORDINIS ITIDEM CAN. REG. S. AUG.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. HArtmannus honestis parentibus in agro Patavienſi ſeu Paſſavienſi ortus, Inſtituto D. Auguſtini apud Canonicos Regulares S. Nicolai prope Paſſavium ſe mancipavit. Hic cum in litterarum virtutumque ſtudio egregie profeciſſet, a Chunrado I. Archiepiſcopo Salisburgenſi, qui ſub annum 1121. Canonicos ſuos cathedrales deinceps communem vitam ſecundum regulam S. Auguſtini vivere voluit, e domicilio S. Nicolai evocatus, eisque Decanus præfectus fuit. Anno ſubinde 1131, ut eſt in Metropoli Salisburgenſi tom. 2. pag. 239, prædicti Archipræſulis ejusque Canonicorum auctoritate, ad regendam Præpoſituram Chiemenſem promovetur. Quo ex munere, triennio fere adminiſtrato, ubi Hartmannus eximiam laudem collegiſſet; inde rurſus a Leopoldo Pio Auſtriæ Marchione Clauſtro-Neoburgum expetitus fuit, ut Canonicorum ad S. Auguſtini leges vitam exigentium, quos, ejectis inde ob ſolutiorem vivendi morem Canonicis Sæcularibus, iſthuc Leopoldus induxerat, præfecturam capeſſeret. Id quod anno 1133. accidiſſe, ex Chronico Clauſtro-Neoburgenſi, quod ſuperius exhibuimus, liquet. Porro Hartmannus cum novem annorum intervallo hic mira vitæ Sanctimonia floruiſſet, iterum migrare, & Reinberto Epiſcopo Brixinenſi anno 1142. extincto, in Epiſcopatu ſuccedere juſſus eſt. Demum anno MCLXV. X. Cal. Januarii feliciter ad ſuperos conceſſit, poſtquam Pontificatum Brixinenſem tribus & viginti annis ſumma cum laude ac ſanctitatis fama inter atroces Eccleſiæ procellas geſſiſſet.

II. Nactus eſt Hartmannus Vitæ Scriptorem Anonymum, hic primum a nobis in lucem efferendum, quem Clauſtro-Neoburgenſem Canonicum Regularem extitiſſe, ex vitæ ſubjectæ numero 9. certum eſt. Florentes enim, Hartmanno Præpoſito, Eccleſiæ Clauſtro-Neoburgenſis res deſcripturus, ibidem ita differit: *Cum itaque*, inquit, *iſta noſtra Neuburgenſis Eccleſia ſicut Paradiſus delitiarum multis virtutum floribus ornata, & fluentis doctrinæ Viri Dei quaſi Paradiſi fluminibus irrigata, ſupra montem Eccleſiis aliis in exemplum poſita, in optimo ſtatu eſſet; contigit mori Brixinenſem Epiſcopum Reinbertum* &c. Jam vero eundem Anonymum Clauſtro-Neoburgenſem non longe a temporibus B. Hartmanni abfuiſſe, itidem ſcire licet tum ex Prologo, tum etiam ex Vitæ num. 15. Ac verba quidem, quæ hac de re ſub medium fere Prologum affert, ſic habent: *Quæ autem*, ait, *ſcribo vobis, ecce coram Deo, quoniam non mentior. Nam quæ per viventem facta ſunt, didici relatione probatiſſimorum virorum, quorum alii, videlicet Clerici religione & profeſſione venerabiles; Laici autem morum probabilitate laudabiles extiterunt, & per quotidiana obſequia (quia de ejus curia fuerunt) ita familiares ei erant, ut eorum aſſertioni merito credi debeat.* Hæc ibi. Initio vero prædicti numeri decimi quinti ſcribit

bit hunc in modum: *Tria miracula, quæ uno loco & uno tempore Dominus per eum operari dignatus est, referente nobis Venerabili Abbate Sancti-Lamberti didicimus, quæ sic se habent: Invitatus fuerat Beatus Pontifex ad dedicandam Ecclesiam Beati Lamberti &c.* Abbas iste, cujus invitatu Hartmannus Ecclesiam San-Lambertinam consecraverat, *Berengerus* sine dubio fuit, qui Abbatis San-Lambertini munus ab anno 1181. ad 1208. exsecutus fuisse dicitur in *Fundatione* Amplissimi hujus in Styriâ Benedictini Cœnobii, edita a Georgio Ulrico Chemnicensi anno 1604.

III. Unicum exemplum manu Sæculi XV. exaratum, ex quo præsentem B. Hartmanni Vitam Admodum Reverendi Sodales mei Gerardus Eineder & Godefridus Tepilz exscripserunt, supersest in codice chartaceo Bibliothecæ Tirnsteinensis: quem inde a Reverendissimo Domino Hieronymo Ybelpacher, Amplissimo Regularis Canoniæ Tirnsteinensis Præsule, & insigni studiorum nostrorum Fautore, opera Admodum Reverendi fratris mei germani consecutus sum. Porro codicem mox memoratum, mancum aliquot in locis, vitioseque nonnunquam scriptum deprehendimus: cui malo medelam, quoad ejus fieri potuit, fecimus, cætera eorum studio relicturi, in quorum manus apographum auctius emendatiusque aliquando pervenerit.

IV. Anonymus Vitæ Beati Hartmanni Scriptor passim eum *Beatum* & *Sanctum* appellat. Quin & Chronographus Claustro-Neoburgensis ad annum 1114. scribens, eundem *Virum Sanctissimæ Vitæ, Virum Deo & hominibus acceptum* nuncupat. Illustri quoque elogio Hartmannum exornavit Radevicus, Ottonis Frisingensis Continuator, lib. 1. de Gestis Friderici I. Imperatoris cap. 14, quod totidem Auctoris verbis hic reddere operæ pretium visum fuit. Sic autem ille: *His in Bajoaria peractis, Fridericus* (Imperator ejus nominis I.) *Ribuariorum fines ingreditur..... Instabat jam tempus, quo Reges ad bella proficisci solent, ipseque in proximo ad Transalpina exercitum ducturus, primo omnium in Deo spem suam reponens, adscitis religiosis & probatis in Sanctitate Viris, tanquam Divinum eos oraculum consultabat .. quibus in negotiis specialem habebat Præceptorem, & salutis animæ suæ fidum Secretarium Hartemannum Brixinorensium Episcopum, Virum qui tunc inter Germaniæ Episcopos singularis sanctitatis opinione, & austerioris vitæ conversatione præeminebat. Hoc ad se adscito, de secretis suis pii se Pontificis submisit devote consiliis, religiosi ac Christianissimi Principis officium exercens; quatenus iturus ad bellum, spiritalibus armis ante muniret animam quam corpus* &c. Hæc de B. Hartmanno Radevicus. Quibus egregie suffragatur anonymus Discipulus B. Eberhardi (ex Abbate Biburgensi Ord. S. Bened. Archiepiscopi Salisburgensis) in ejusdem Eberhardi Vita edita ab Henrico Canisio tom. 6. Lect. Antiq. a pag. 1194. ad 1214. ubi pag. 1201. prædictus Auctor Eberhardum & Hartmannum *Episcopos cunctorum mortalium*, quos quidem ipse tum noverit, *Sanctissimos* compellat. Beatum Hartmannum præterea commendant Chronicon Salisburgense, a nobis superius luce publica donatum. Hundius Metropol. Salisburg. Tom I. de Episcopis Brixinensibus pag. 444. Cæsar Baronius Tom. 12. Annal. Eccles. Matthæus Raderus Bavariæ S. Vol. 2. pag. 262. & seqq. Quorum laudes quam merito tribuantur Hartmanno, ex genuinis vetustisque ejusdem Beati Pontificis actis, quæ nunc in scenam producimus, Lector ipse cognoscet.

PROLOGUS AUTHORIS.

FEcit Moyſes labrum æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in hoc tabernaculo, quod plenum aqua poſuit in introitu tabernaculi; ut introeuntes Aaron & filii ejus, & conſiderantes vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, ſi quid fœditatis forte in eis appareret, primo abluerent, ut mundi ingrederentur ad Sancta Sanctorum. Sicut tabernaculum illud manufactum ſanctius erat in ſignificatione futurorum, quam in re præſentium (ſignificavit enim aliud tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis, in quo, teſte Pſalmiſta, non habitabit niſi qui ingreditur & operatur Juſtitiam ſine macula:) ita etiam illa ablutio corporalis, figura erat ablutionis ſpiritualis longe dignioris, quæ futura erat in electis, per quam loti gratia compunctionis, mundi corde digni eſſent ingredi in Sancta Sanctorum, & videre Deum Deorum in Sion. Omnipotentia itaque Creatoris & Redemptoris noſtri conſulere volens ſæculo pereunti, in qualibet ætate in Eccleſia conſtituit perſonas vitæ munditia & morum honeſtate tam ſpectabiles; ut quilibet peccatores diabolica fraude decepti, conſiderata in eis tanquam in ſpeculo vitæ innocentia & morum probabilium maturitate, facile deprehendere poſſent, quam longe ab eis ſalus eſſet. Hoc a tempore Abel juſti per ſuccedentia tempora Patriarcharum ac Prophetarum, Regum & Judicum, usque ad tempora Apoſtolorum, & ſucceſſorum eorum facere non deſiit miſericordia cuncta diſponentis. Noviſſime vero diebus iſtis ſuper candelabrum Eccleſiæ velut in introitum tabernaculi poſuit lucidiſſimum ſpeculum, Beatum dico Hartmannum Epiſcopum, quem radius æterni Solis ita penetravit, ut non ſolum gratia compunctionis, ſed etiam omnium virtutum decore replevit: ut quilibet intendens in eum tamquam in ſpeculum, comparatione vitæ ipſius facile cognoſcat, quid in ſe æterno Regi placeat vel diſpliceat. Nam (ſicut in ſequentibus apparebit) ita in ſingulis virtutibus eminebat, ita quamlibet earum ſingulariter poſſidebat, ut cuilibet earum ſoli intentus eſſe videretur. Ut ergo noverint univerſi, quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum, hominem ſubtractum mundo, quoniam eo dignus non erat mundus, quodam modo revoco ad vitam, ut per eum vivi abſorpti a morte, ſuſcitentur ad vitam. Igitur ante omnia ad laudem & gloriam nominis ejus, qui Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne, ad interceſſionem etiam ipſius promerendam, quamvis inculta loquacitate ſervabo in memoria hominum Hominem, cujus memoria coram Deo & hominibus in æterna benedictione erit immortalis ſiquidem eſt memoria ejus, quia apud Deum nota eſt & apud homines. Et licet impar meritis depingam pulchrum hominem pictor fœdus, operam autem [1] dabo magis narrandæ veritati, quam ſervando ordini miraculorum, & de plurimis, quæ per eum Dominus ſive in vita ſive poſt mortem ejus operatus eſt, pauca narrabo: quia etiam pauca, maxime eorum, quæ per viventem Dominus fecit, ad veram notitiam pervenerunt. Sancto Dei cum ſummo ſtudio id agente, ut ſoli Deo cognitus laudes hominum declinaret. Sed ne tam excellens materia, & tanti viri memoria decolorari poſſit indocta garrulitate ſcribentis, non ad hoc, ut in Eccleſia publice legatur, ſcripſi; ſed ne ipſa materia, & hominis memoria ſimul cum homine moriatur, eam ſcribendo ſervare volui alicui urbanæ eloquentiæ viro, qui de exiguis eximia cogitare, & de eximiis ſciat præclara narrare. Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quoniam non mentior. Nam quæ per viventem facta ſunt, didici relatione probatiſſimorum virorum, quorum alii, videlicet Clerici religione & profeſſione venerabiles; laici autem morum probabilitate laudabiles extiterunt, & per quotidiana obſequia, quia de ejus curia fuerunt, ita familiares ei erant, ut eorum aſſertioni merito credi debeat. Non enim oportet mendoſis laudum præconiis eum extollere, quem veritas ipſa laudabilem fecit, nec eget veritatis præco falſo laudari teſtimonio: quia ſecundum beatum Job, Deus non eget noſtro mendacio, ut pro eo dolos loquamur. Quamquam quidquid in ejus laudem dixerim, quantum ad meritorum ejus prærogativam, tale eſt, ac ſi velim ſplendorem Solis facibus adjuvare, vel acervum unius tritici grani adiectione augmentare, vel mare ipſum unius guttæ infuſione redundare.

Superest videre, an præter Romani Pontificis authoritatem liceat in Miſſarum ſolemniis, & aliis divinis officiis honorem Sanctis cum Chriſto regnantibus debitum, quibus ſimilem fecit illum Dominus in gloria, ei velut uni Sanctorum Pontificum publice exhibere, & ejus auxilium flagitare? an exſpectare, donec mandato Domini Papæ canonizatus catalogo Sanctorum annumeretur? Ubi interponendum videretur hoc, quod in Eccleſiaſtica Hiſtoria legitur: videlicet quod cum de Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliis mirabilibus ejus, & quod a quamplurimis eſſe Deus crederetur, Tiberio Cæſari Pilatus inſinuaſſet; Tiberius quod compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem ſpreviſſe dicitur, pro eo quod non ſibi prius hujus rei judicium fuerat delatum, ſed authoritatem ſuam prævenit vulgi ſententia: lex enim erat antiquitus deſignata, ne quis apud Romanos Deus habeatur, niſi Senatus decreto & ſententia confirmatus. Quod ſi verum eſt, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit; & jam non Deus homini, ſed homo Deo propitius eſſe debebit, & merita Sanctorum, quos Deus per miraculorum frequentiam glorioſos fecit, adhuc de examine pendebunt humani judicii. Sic ergo ordine retrogrado per quandam reciprocationem, ſicut Deus fecit hominem; ita homo faciet Deum, & fiet homo creator Creatoris. Nos tamen pro reverentia Romanæ Sedi debita, ejusdem Sacroſanctæ Eccleſiæ judicium exſpectemus, non dubitantes aliquo modo de meritis Sancti, quem Dominus mirificavit, & in quo mirabilis apparuerit; ſed ne permiſſum eſſe videatur alicui perſonæ vel Eccleſiæ propter turpia lucra oblationum ſibi, cum voluerit, Sanctum creare.

[1] *f.* tamen.

Multa

Multa ſunt enim millia Sanctorum cum Chriſto regnantium, quorum nulla fit in Eccleſia ſpecialis memoria: quorum (quia pro confeſſione Nominis Chriſti, vel in confeſſione Chriſti Nominis mortuis [1]) ſicut in conſpectu ejus mors eſt pretioſa, ita apud ipſum interceſſio neceſſaria eſt & glorioſa. Interim vero nos, qui ſpeciali ejus gloria ſpecialiter gloriamur, tamen clauſo oſtio Patrem invocamus [2], auxilium noſtri Patroni nequaquam poſtponamus; ſed ſicut neceſſarium, ita & utile nobis & promptum, devotis precibus obtineamus.

VITA INCIPIT.

1. Beatus igitur Hartmannus in territorio Patavienſi ſicut lilium inter ſpinas ortus eſt parentibus quamvis non valde magnis juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra, Catholicis tamen & honeſtis. Hartmannus autem in noſtro eloquio *durus Vir* dicitur, non pro duritia vel auſteritate mentis, ſed pro quadam morum gravitate: quia inflexibilis erat in obſervantia mandatorum Dei, ita ut non facile ad dexteram vel ad ſiniſtram declinaret extra ſemitam juſtitiæ exorbitando. *Vir* autem dicebatur: quia viriliter agebat, viriliter vitiis reſiſtebat, in ſe nihil de mollitie retinens muliebris levitatis. Quod ſi forte quemquam ſcandalizat, quod ille, quem nos tantis laudum præconiis extollere conamur, non fuerit de alto ſanguine parentum natus; attendat, quod Deus Pater futuram Incarnationem Filii ſui non poteſtatibus hujus mundi, ſed paſtoribus, Patriarchis videlicet & Prophetis primo revelavit, & eandem jam factam non Imperatoribus, ſed paſtoribus per Angelum nuntiavit. Eccleſiam etiam, quam pretioſo ſanguine Filii ſui redemit de manu inimici, non ſapientibus hujus mundi, non potentibus, non nobilibus, ſed piſcatoribus commiſit; ne forte, ſi per illos profeciſſet, non attribueretur credulitas illa virtuti Fidei, ſed illorum ſapientiæ & majeſtati. Verumtamen ſi de nobilitate gloriari oportet, licet non expediat, non puto aliquem nobiliorem eſſe filiis Regum. Cum ergo iſte filius ſit Regis Regum, qui poteſtatem dedit hominibus filios Dei fieri his, qui credunt in Nomine ejus; non putamus aliquem nobiliorem eſſe iſto, qui merito ſupernæ gratiæ factus eſt hæres Dei, cohæres autem Chriſti. Licet autem natus & educatus fuerit in populo duræ cervicis, & indomitæ ferocitatis, ita tamen ſpiritu manſuetudinis plenus, & ab omni ferocitate fuit alienus, ſicut lilium caret omni aſperitate ſpinarum, & ſicut piſces marini nihil ſapiunt de ſale marino, ita ut ei convenienter aptari poſſit illud de libro Sapientiæ: Modeſtia enim ejus nota facta eſt omnibus hominibus.

2. Infantia teneriori decurſa, parentum oblatione traditus eſt Monaſterio Sancti Nicolai in Patavienſi Civitate literis erudiendus, ſecundum regularem [3] Canonicorum profeſſionem Domino ibi famulaturus. O mirandam & laudandam divinæ diſpenſationis Providentiam, per quam parvulus noſter in ejus Monaſterio traditus educandus, cujus vitam imitaturus erat & mores! Nam ſicut Beatus Nicolaus, ita & ſæpe dictus, & ſæpiſſime dicendus Sanctus ille, pius, prudens, ſobrius, caſtus fuit & quietus: & ſicut Beatus Nicolaus in tenera ætate conſtitutus Deum timere cœpit, & bis in hebdomada inſolita abſtinentia mamillas matris recuſavit; ita Sanctus ille dies ſuos non dimidiavit, ſed ſicut luna plena in diebus ſuis lucens, totam noctem illuminat; ita & iſte Sanctus primo mane vineam Domini ingreſſus, & in ea fideliter laborans, a primis infantiæ rudimentis usque ad diem vocationis ſuæ in univerſorum morum honeſtate omniumque virtutum titulis ſingulariter clarus effulſit, quamquam in hac noſtra tempeſtate dies dimidiare glorioſum valde reputaretur, quando optimus prædicatur, qui non fuit peſſimus. Puer autem noſter puerilia vitia tranſcendens adoleſcere cœpit, proficiens ætate & ſapientia & gratia coram Deo & hominibus, & gratia Dei in eo vacua non fuit. Sed quamvis omnis ætas ab adoleſcentia in malum pervaſit, in iſto tamen adoleſcentia quodammodo jus ſuum perdidit: diſſimiliter enim cæteris adoleſcentibus vanitatibus & voluptatibus ſæculi valefaciens, gloriam mundi ſprevit cum ſuis oblectationibus. Deſideria carnis cum tanta animi virtute calcavit, ut quamvis [1], tamen præter carnem viveret, & lex Dei ejus in corde ipſius. Hanc meditabatur die ac nocte, & ideo tanquam lignum fructiferum pretioſum fructum dedit in tempore ſuo, dedit, dicam, an recepit? igitur utrumque ſi dixero, non me pœnitebit, veritatem enim dicam: dedit enim fructum omnibus virtutum ſuarum veſtigia imitando proficientibus: recepit etiam fructum laborum ſuorum, denarium ſcilicet diurnum, pro quo in vinea Domini laboravit, introivit enim in potentias Domini, videt Dominum ſicuti eſt, gaudet cum Chriſto in æternum. In omnibus itaque regularis diſciplinæ inſtitutionibus, & bonorum morum informationibus talem ſe exhibuit, ut multum ſe profeciſſe gauderet, qui ſimilis eſſe potuiſſet in terra.

3. Interea Chunradus magnus Salzburgenſis Archiepiſcopus, cujus meritis omnis laus inferior eſt, dum in Eccleſia Dei Religionem plantare & dilatare intenderet, in Eccleſia Salzburgenſi Apoſtolicam vitam ſecundum Regulam Beati Auguſtini inſtituit, & ad perficiendum deſiderium ſuum perſonas huic operi neceſſarias & idoneas undique collegit. Comperta autem fama Beati Viri, poſtulavit a Præpoſito & Fratribus Sancti Nicolai ſibi eum concedi: quem tandem diu negatum, magna precum inſtantia, interventu etiam Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopi, magis autem ordinante Divina Clementia, vix impetravit, & in Eccleſia Salzburgenſi Decanum ordinavit. Itaque in Decanatu conſtitutus, in inceſſu, in habitu, in omnibus motibus & moribus ſuis maturitatem perfectæ mentis exhibens, Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem, & Apoſtolicæ vitæ perfectionem, ſicut noverat, verbo & opere fovit & promovit, arguendo, increpando, maxime tamen in ſpiritu manſuetudinis, quo ita repletus erat, quaſi iraſci neſciret. De ipſo enim veraciter

[1] *l.* mortui ſunt. [2] *f.* invocantes. [3] *f.* Regularium.

[1] *videtur deeſſe* in carne viveret.

dici poteſt: *Vir iſte in populo ſuo mitiſſimus apparuit.* Felix Juvavia, talis ac tanti Viri imbuta magiſterio! Sed longe feliciorem dicerem, ſi non tam ſubito ei libellum repudii dediſſet. Ubi enim nunc vel veſtigium aliquod cernitur religionis per eum plantatæ? Miramur hanc, non imitamur; & tamen juſtum eſt, ut quam in nobis ipſis non habemus, in aliis veneremur. Abundante ſiquidem iniquitate, in tantum refrigeſcit charitas multorum, vix pauciſſimis veſtigia ejus imitantibus, ut cum Propheta proclamare poſſimus: *Salvum me fac, quoniam defecit Sanctus.*

4. Lapſo autem aliquo tempore, electus eſt homo Dei Præpoſitus in Kiemeſſenſi [1] Eccleſia, & translatus auctoritate Archiepiſcopi, & conſenſu Salzburgenſis Capituli. O quam mira & occulta judicia diſpenſationis Dei, qui dilectum ſibi famulum in uno loco diutius morari non ſuſtinens, tranſire ſecum de gente in gentem, de populo ad populum alterum [2]; ut notum faceret filiis hominum ſanctitatem ſuam, & multis notum faceret, per quem multis conſulere disponebat. Ipſe tamen homo Dei inter hujusmodi mutationes immobilis manens, nec tædio ſuper his afficiebatur, nec inaniter ſuper ſe rapiebatur; ſed omnem cogitatum ſuum in Domino projiciens, totum ſe Divinæ Diſpoſitioni commiſit, ſciens, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. In Kiemeſenſi Eccleſia ſicut & in cæteris, in quibus ante converſatus fuerat, ſobrie & pie & juſte vivendo, cœpit facere & docere, & omnia virtutum genera, quæ aliis faciendo prædicabat, ipſe prius opere perficiebat.

5. Per idem tempus Leopoldus Illuſtris Marchio Auſtriæ, cui benedixerat Deus in multa rerum abundantia, volens largiſſimo ſumptu juxta magnificentiam gloriæ ſuæ ſuper ripam Danubii conſtruere Monaſterium Regularium Canonicorum, cum abundaret omnibus rebus ad id neceſſariis perficiendum; carebat tamen perſonis ad opus illud idoneis, & maxime illa, in quam reſpicere debebant oculi omnium, & cui committenda erat totius domus cura, & qui ſicut Moyſes fidelis eſſet in tota domo, in teſtimonium eorum, quæ dicenda & facienda erant. Facta igitur diligentiſſima inquiſitione per multas Eccleſias, non eſt inventus ſimilis illi, qui ita obſervaret legem Excelſi in promovenda regularis vitæ diſciplina. Sed quia de Jure Canonico non poterat de priore ad novam eligi Præpoſituram, quod de jure non potuit, devotis ſupplicationibus poſtulavit a Domino Archiepiſcopo concedi eum ſuæ novellæ plantationi. Archiepiſcopus autem, ut erat vir magni conſilii, attendens non eſſe otioſum, quod tamen videbatur inſolitum, videlicet quod tam ſubito & totiens transferretur de loco ad locum, ne videretur obviare Divinæ Diſpoſitioni, volens etiam complere in bonis deſiderium prædicti Marchionis; ſtatuit acquieſcere ejus petitioni. Et quadam rationabili diſpenſatione non ſolum permiſit, ſed etiam præcepit eum tranſire de iſta Præpoſitura jam olim proplantata & bene radicata, ut in illa de novo plantanda faceret novale Domino. Inclitus autem Marchio voti ſui cum magno gaudio compos effectus, Virum Dei cum debita veneratione ſuſcepit, benedicens Deum, qui quod ei inſpiraverat, adjuvando proſequebatur. Volens autem Eccleſiam illam abundare de pinguedine terræ, obtulit Beato Viro plures Eccleſias, in quibus jus præſentandi habebat; ut abundaret in opus bonum, & haberet unde tribueret neceſſitatem patientibus. Vir autem Domini, ſicut voluntariæ paupertatis amator, omnino recuſavit, dicens: Non ſibi tutum fore curam ſuſcipere tot animarum, ſatisque periculoſum eſſe de his rationem reddere, qui ſecum in Monaſterio converſari debebant, & quorum regimini per ſe ipſum paſtorali ſolicitudine intendere poſſet. Tandem cum poſt multa conſilia nullo modo poſſet eum inducere nobilis Marchio, ut Eccleſias illas omnes reciperet; providere volens in poſterum ſuæ novæ fundationi, perſuaſit ei, ut ſaltem illam non recuſaret, in qua illa nova Eccleſia fundata erat, dicens nullo pacto ſe pacem habere poſſe cum plebano, ſi alter illi plebeſanæ [1] Eccleſiæ præeſſe deberet. Hac ratione victus ſuccubuit, & Eccleſiam illam licet cum magno timore, tamen pro bono pacis ſuſcepit. Quid dicemus ad hæc? Quis eſt hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia & inſolita in vita ſua. Quis noſtrum eam, non dico de multis ſibi oblatis Eccleſiis vel ultimam recuſaret; imo ut eam adipiſci poſſet, non anxie laboraret? In hac parte non eſt opus calcaribus, ſed fræno.

6. Suſcepta itaque adminiſtratione præfatæ Eccleſiæ, ſicut bonus agricola cœpit frutices errorum extirpare, & virtutum fruges inſerere, & quod ab infantia ſive per hominem ſive per occultam inſpirationem didicerat, fratribus & ſororibus prædicabat. Quamvis auctoritate regiminis omnibus prælatus eſſet, ſollicitudine tamen omnibus ſe ſervum exhibebat. Nemo ibi quidquam eſſe dicebat proprium, ſed erant omnia communia. Non facile licebat alicui extra Monaſterium egredi, niſi forte quem adminiſtrationis injunctæ neceſſitas extrahebat. Rara erant fratribus cum ſororibus ſalutationes & colloquia, niſi pro rationabili neceſſitate, & cum probabili teſtimonio. Orationibus & lectionibus cum ſumma diligentia inſtabant temporibus conſtitutis. Quid dicam, quod lites & contentiones ibi non erant, ubi etiam licita loqui non omni tempore licebat? Divinum Officium in voce exultationis cum quadam moroſa jubilatione, & valido clamore tam vocis quam cordis, devotiſſime celebrabant juxta illud Apoſtoli: Pſalmis Hymnis, Canticis ſpiritualibus in gratia cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, ſperantes venire illuc, ubi ſine labore laudatur, & ſine tædio deſideratur Deus.

7. Quadam itaque die cum ipſe ſecundum conſuetudinem Monaſterii ad lectionem cum fratribus conſediſſet, & alii, quibus exterior cura commiſſa erat, in quadam domo commiſſa diſponerent; Vir Dei de lectione ſurrexit, & contra morem feſtinando egreſſus, perveniens

[1] *al.* Chyemenſi. [2] *deeſt* voluit, *aut hujusmodi.*

[1] *i.* parochiali.

ad

ad fores Domus illius quaſi comminando dixit: Exite cito, exite. Illis autem cum magna velocitate egreſſis, ſtatim corruit domus illa. Fratres autem illi gaudentes, & Deo gratias agentes ſe evaſiſſe periculum illius ruinæ, intellexerunt, quod idcirco evocaverit eos ne cum cadente domo ipſi pariter caderent. Spiritum prophetiæ in eo mirati ſunt, & venerati.

8. Alio tempore cum deſcenderet navis per alveum Danubii, & ibi tranſitum, ſicut moris eſt, facere deberet; appulſa eſt cuidam periculoſo loco, unde de facili liberari non poſſet: & cum jam prope eſſet, ut mergeretur, nautæ deſperantes clamaverunt. Accurrerunt, qui in ripa fluminis erant, & ipſi quidem clamantes, ſed auxilium ferre non volentes. Audito autem clamore accurrit etiam Vir Dei, & videns eos impetu fluminis ferri in profundum, exclamavit dicens: Adjuvet vos Deus, & Beata Virgo Maria. Ad vocem itaque Viri Dei ſubſiſtit navis, & contra procellas undarum regreſſa, liberata eſt ſimul cum nautis de periculo mortis. Factum eſt autem gaudium magnum in loco illo iis, qui aderant, & viderant, benedicentibus Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Per merita ergo Beati Viri eduxit Dominus populum ſuum in exultatione.

9. Cum itaque iſta noſtra Neuburgenſis Eccleſia ſicut Paradiſus deliciarum multis virtutum floribus ornata, & fluentis doctrinæ Dei Viri quaſi Paradiſi fluminibus irrigata, ſupra montem Eccleſiis aliis in exemplum poſita in optimo ſtatu eſſet; contigit mori Brixinenſem Epiſcopum Reinbertum. Clericis itaque illius Eccleſiæ & Miniſterialibus ad eligendum novum Pontificem convenientibus, cum multa inter ſe tractaſſent, licet paucis eſſet notus; tandem neceſſe erat eligere illum, Beatum dico Hartmannum: quem prælegerat ille, qui elegit nos ante mundi conſtitutionem. Auditum eſt, & celebri ſermone vulgatum; Neunburgenſem Præpoſitum electum eſſe Epiſcopum in Brixinenſi Eccleſia. Et ecce ſubito moleſto rumore turbata ſunt gaudia, fratribus & ſororibus ſuis contriſtatis pro iſta inſperata mutatione. Quid putamus animi tunc habuiſſe Virum Dei, dum videret ſe nondum inveniſſe locum, in quo requieſceret pes ejus; ſed iterum vocari ſe ad novos & majores labores, & ad non affectatos honores? Non eſt putandum, fortuitas & caſuales fuiſſe mutationes illas, quæ toties circa ipſum factæ ſunt, ſed per hæc exercitia præparavit eum Deus illi Eccleſiæ; in qua elegit Deus habitationem illi, & ubi ſecure poſſet dicere: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Sicut autem exteriori homine movebatur transeundo de loco ad locum, ita interiori homine ibat proficiendo de virtute in virtutem. Usque ad illud tempus nusquam ſe civem & domeſticum, ſed ubique advenam & peregrinum, & quaſi unius noctis viatorem ſe fuiſſe intellexit. Quid plura? Verbum quod egreſſum erat ex ore Domini de electione ipſius, non poterat vacuum reverti ad eum, qui miſerat illud, ſed proſperatum eſt in his, ad quæ miſſum fuit.

10. Venerabilis itaque Archiepiſcopus, cujus ſuperius mentionem fecimus, qui primo vocaverat eum de Monaſterio Sancti Nicolai, ſpirituali jocunditate gaudebat de profectibus filii ſui, & quod in omnibus translationibus ſuis aliquid accreverat ſemper Eccleſiaſticæ Religioni & ſaluti fidelium, quodque per eum ſupremam unctionem ſuſceperat, & quod ad ſummum Sacerdotii gradum pervenerat. Gaudebat etiam filius de paterna benedictione ſibi collata, ſicut Jacob Patriarcha, ne paterna benedictione careret, fratrem prævenies bono dolo eam ſurripuit, quod iſti facere neceſſe non fuit. Licet autem dicatur in Lege: *Non aſcendes per gradus ad altare meum* (ubi intelligitur non eſſe faciendos gradus in Trinitate, ut dicatur Patre minor Filius.); tamen quia hæreditas, ad quam feſtinatur a principio, in noviſſimis benedictione carebit, voluit Iſtum Dominus gradatim aſcendere, videlicet ut in ſingulis gradibus diſceret, qualiter in Eccleſia Dei gradus diſtribuere deberet. In hac itaque translatione paſſa eſt Eccleſia illa eclipſin, Altare etiam majus motum eſt: quia recedente eo tam ab illa, quam ab aliis Eccleſiis, in quibus antea Prælatus fuerat & converſatus, religio pariter receſſiſſe videtur; quod ex eo apparet, quod nulla earum, quantumcumq; laboraverit, ad illum cumulum perfectionis redire potuit, in quo ſub ejus regimine conſtituta fuit. Veniente autem eo ad Eccleſiam, cui ad Deo donatus fuerat, ſuſcipitur exultatione univerſæ terræ, ſuſcipit etiam ipſe principatum tam ſæcularem quam ſpiritualem. In eminenti itaque Brixinenſis Eccleſiæ ſpecula poſitus, juxta debitum officii ſui ſtuduit evellere & deſtruere, & diſperdere & diſturbare, & ædificare & plantare. Ad honores autem inſolitos & inopinatos ſibi exhibitos cœpit expaveſcere, & mirari, quis fuerit, & quis eſſe cœperit: nec illa gloriæ magnificentia glorioſum eum fecit, ſed magis ſollicitum reddidit. Eadem in victu parcitas, eadem in veſtitu humilitas fuit, & quadam decenti temperantia talis in habitu apparebat, ut nec de vilitate notari poſſet, nec de ſuperfluitate. Hactenus ſicut carbo vivus quosdam circa ſe poſitos igne divini amoris accenderat, nunc vero ſicut lucerna ardens & lucens multos longe poſitos ſplendore ſuperni luminis illuſtrabat: in omnibus enim præbebat ſe ipſum exemplum bonorum operum.

11. Quamvis autem dicatur, & verum ſit, quod Eccleſia habeat in pace lilia, in bello roſas; Iſte tamen utrumque exhibuit ſimul ſanctæ Dei Eccleſiæ. Ab infantia enim, ſicut lilium candidiſſimum per vitæ nunditiam adeo ſe ab omni laſcivia immunem, & monte & corpore virginem exhibuit, & tale fœdus cum oculis ſuis pepegit, ut nec cogitaret quidem de virgine: ſciebat enim non debere intueri, quod non debet concupiſci. Roſa etiam fuit propter paſſionem, quam in corpore ſuo ſuſtinuit, carnem ſuam quotidie cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo. Odore etiam floris utriusque non caruit: quia fama virtutum ſuarum tam in vita quam in morte ipſius multos reſpexit[1]. Licet autem corpore in ſæculo poſitus videretur,

[1] *f.* reſperſit.

mente tamen a quiete Monasterii non recede- A bat; cujus omnia instituta etiam in Episcopatu positus cum tanta diligentia servabat, ut paucos in Monasteriis imitatores ejus recipiamus [1]. Talem sibi Dominus vivendi regulam præscripsit, ut singulis diebus, præter dies Dominicos & summas solennitates, nonnisi semel reficeretur, & tantum cibis quadragesimalibus, donec mandante Domino Eberhardo beatæ recordationis Salzburgensi Archiepiscopo coactus, ovis & caseo vesceretur. Ad carnem vero non vestiebatur nisi cilicio, tam tunica quam femoralibus, donec superveniente quadam grandi infirmitate, scabiei scilicet insolitæ, cogente etiam fratrum sollicitudine pia, lumbare cilicinum mutavit in lineum. Tunicam autem lineam non nisi cum tunica carnis deposuit. Caligis truncatis utebatur, quas de nocte non depo- B nebat, sicut nec tunicam cilicinam, qua vestiebatur. Dorsum suum quotidie ad flagella posuit, confessionem peccatorum cum magna humilitate faciendo: & non pro suis tantum, sed & jam pro aliorum culpis se flagellari non tantum permisit, sed præcepit, adeo quod si in placitis coram eo aliquid, quod non deceret, fieret vel diceretur, illud peccatis suis attribuens, sequenti mane per susceptionem flagellorum in se ipso vindicavit. Missarum solemnia non gravi ægritudine impediente quotidie devotissime celebravit, & holocaustum suum per multam lacrymarum abundantiam de rore cœli pinguefaciebat. Seminabat assidue in lacrymis, quod modo cum gaudio metit, veniet quando- C que cum exultatione portans manipulos. Talento lucratus est Domino suo, & ideo merito credendum est, intrasse eum in gaudium Domini sui. Non solum a noxio, sed etiam ab otioso sermone ita se cautum servabat, ut horis constitutis silentium nullo modo solveret: solebat enim in mansuetudine moderatum habere sermonem & amico subinde frui silentio, non ignorans quod cultus Justitiæ silentium esset, & quod bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Orationibus pene semper intentus puras manus levabat ad Dominum cor suum, effundens coram Deo, quia oculi ejus semper ad Dominum. In vigiliis supra modum laborabat. In turbis constitutus solus erat: quia cogitationes suas, ne per illicita vagaretur, apud se retinens quodam disciplinæ magisterio coërce- D bat. Ipse jejunus & esuriens, aliis largus, sibi parcus, alios pascebat corpore, seipsum autem per lectionem Sacrarum Scripturarum reficiebat mente. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil lascivum, nihil vanum coram se dici vel fieri permittebat, sed omnia coram eo ordinate fiebant. Visceribus misericordiæ & compassionis affectu repletus, pauperibus necessaria devote præbebat. Pater orphanis, maritus viduis, domus refugii oppressis erat. Rachelis amplexibus cum tanta amoris dulcedine frui solitus erat, ut non sine molestia sustineret, quotiens ei Lia supponeretur. Cum tamen ad exteriora negotia trahebatur, sciebat otium suum interrumpere, non abrumpere. Ut autem liberius posset divinæ vacare contemplationi, tribuit ei Deus desiderium animæ suæ, dando ei adjutorium simile sibi, Chunradum Capellanum, virum strenuum fidelem & prudentem, per quem exteriora disponeret, ipse vero per interiora sollicitudinem suam exerceret. Idem ergo Chunradus officium sibi injunctum ita sollicite procuravit, ut & Beatum Virum ab hujusmodi impedimento exoneraret, & Ecclesiasticis utilitatibus nihil deperiret: qui etiam post mortem ipsius in Pollingensi Præpositura devote Deo serviens, religiosam vitam beato fine concluſit.

12. Cum autem Vir Dei tumultibus sæcularium negotiorum inquietaretur, cœpit ingemiscere suspirans ad illam quietem, quam in Monasterio positus habere consuevit. Et quia non habebat, ubi caput suum reclinaret (tunc quippe circa Brixinam nullus locus religiosus erat) sollicitavit Reinbertum Sabionensem Castellanum, qui tunc in possessionibus rerum mobilium & immobilium omnes alios præcedebat, quorum plurimi de facultatibus suis postea ditati sunt, ut de his quæ sibi larga Dei manus contulerat, ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ aliquam religiosam domum construeret, per quam, cum ipse deficeret, in æterna tabernacula reciperetur. Quamvis autem idem Reinbertus inter cætera dona sibi divinitus collata & Spiritum pietatis accepisset, tamen propter unicum filium parvulum, quem habebat & unice diligebat, ab hujusmodi retardabatur proposito, dicens se non sufficere ad Monasterium construendum, satisque esse patrimonio suo, si vel parvam domum hospitalem cum ipsius Episcopi adjutorio ædificare posset & promovere. Interea cum quadam vice dilectum filium suum tenens in ulnis amplecteretur, sic oravit ad Dominum: O Deus, cui nihil est futurum, qui præscius es futurorum, si puerulus iste futurus est vir bonus & fidelis & timens Deum, conserva eum per multa tempora; alioquin subtrahe eum de hac vita, antequam privetur æterna vita. Sic oravit, & sic factum est. Nam post modicum tempus raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: placita enim Domino erat anima illius, idcirco properavit educere illum de medio iniquitatum. Sublato itaque tali impedimento, facta sunt aspera in vias planas, & quod antea difficile & impossibile videbatur, planum factum est & possibile: quia non erat impossibile apud Deum omne verbum. Igitur exhortante Episcopo, magis autem Divina inspirante gratia, ad honorem Dei & Beatæ Virginis Mariæ construxit Ecclesiam, quæ vocata est Nova Cella: quæ etiam Dei adjutorio & per Beati Viri merita, tam in Religione quam in personis Ecclesiasticis, & in rebus temporalibus, in brevi adeo profecit, ut antiquis Ecclesiis æquiparata de thesauro suo nova proferre posset & vetera. Eidem Ecclesiæ Reinbertus necessaria devote providebat, Episcopus autem eam, in Divinis & spiritali disciplina pia sollicitudine regebat. In hac Ecclesia Reinbertus distributis omnibus suis renuntians sæculo, Religionis habitum suscepit, & post hujus vitæ curricula consummatis etiam

[1] *l.* conspiciamus.

etiam omnibus, quæ etiam circa ipſam Eccleſiam facere decreverat, felici fine quievit.

13. Hanc igitur Eccleſiam quaſi primitias adminiſtrationibus [1] offerens Domino Beatus Hartmannus, tanquam unicam filiam diligebat, & cum requieſcere deſideraret, ad eam velut ad portum quietis declinabat. Sæpiſſime rigabat eam multa pluvia lacrimarum, primogenitum laborum ſuorum ſecundum mandatum legis Domino offerendo. Deus autem incrementum dedit, ut fructum faceret, in quibusdam triceſimum, in aliis ſexageſimum, in nonnullis centeſimum. In prædicta Eccleſia tale quid accidit Beato Viro: Quidam nobilis & potens & dives de diœceſi ſua deceſſit conſtitutus in excommunicatione; frater vero defuncti accedens ad Epiſcopum, & offerens ei cifum [2] argenteum, Eccleſiaſticam ſepulturam fratri ſuo poſtulavit, & impetravit. Eadem nocte cum Vir Dei eſſet in lecto, vigilans tamen; vidit introire viros ad ſe quosdam quaſi ad miniſterium aliquod deputatos, qui accedentes ad lectum copioſum ignem fecerunt, unde tam maximum ſenſit calorem. Et cum diu ita ureretur, dixerunt illi: tempus eſt, mittamus eum in ignem. Qui autem inter eos major videbatur, dixit ei: quid eſt hoc? quid feciſti? Officium tuum & Religionem tuam commodo honoraſti? Propterea itaque mittendus es in ignem, verumtamen ſi factum iſtud emendare [3], liberaberis ab igne. Illo itaque firmiter promittente evanuit ignis, & miniſtri qui eum incenderant; calor tamen in eo accenſus non recedebat. Surgens itaque de lecto, acceſſit ad feneſtram, tentans, ſi per auram aliquid refrigerii invenire poſſit; & nihil proficiebat. Evigilans autem ſupradictus Chunradus Capellanus, mirabatur, quare contra conſuetudinem ſuam ita deambularet: & ingreſſi capellam Sancti Nicolai, xv gradus dixerunt. Epiſcopus autem ardorem illum diutius ferre non ſuſtinens, contra legem ſilentii præcepit Chunrado, quatinus ſcyphum illum remitteret illi, qui eum dederat: & fratribus, apud quos tumulandus erat, in virtute Obedientiæ præciperet, ne eum aliquo modo ſepelirent. Recedente igitur nuncio, receſſit pariter & calor, & ſic liberatus eſt homo Dei de periculo incendii. O inſigne ſignum inſignis dilectionis, qua Chriſtus dilexit famulum ſuum! Quia enim Salvatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, & quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, ne propter maculam iſtam diſſimilis eſſet Agno ſine macula; voluit Dominus per terrorem & ardorem incendii purgare famulum ſuum, & ut tam eum, quam paſtores per huius modi diſciplinam cautos faceret in ſimilibus ſimilia cavendi. Legitur de Beato Jeronimo, qui propterea quod libros Ciceronis legebat, verberibus correptus fuit ab Angelo; ne ſi Vir tam utilis & tam neceſſarius Eccleſiæ detineretur in lectione librorum gentilium, minus diligens eſſet in translatione & expoſitione Divinorum librorum. Non diſſimiliter per miniſtros ſuos corripuit Dominus hunc famulum ſuum, ne importunitate precum & oblatione munerum corrumperetur, ut Juſtitiam deſereret.

14. Dum quadam vice juxta conſuetudinem, quam ſibi legem fecerat, ibidem flagella cum omni devotione ſuſciperet; contigit ſupervenire Richeum [1] piæ memoriæ, poſt eum Brixinenſem Epiſcopum, Virum in Religione & omnium morum honeſtate, in ſancta converſatione, in Eccleſiaſticæ diſciplinæ magiſterio, in divini officii ſtudio, in eleemoſynarum largitione incomparabilem: & quia adhuc rara erant ibi ædificia, nec poterant hujusmodi officia ſub ſilentio fieri, cum audiret ſonum flagellorum, cœpit cantare: Innocens hujus ſanguis ſine cauſa damnatur. Authoritate etiam ejus Domus hoſpitalis, quæ hodie Brixinæ cernitur in inſula, per jam dictum Richeum initiata & conſumata, & Eccleſia per Beatum Virum ibidem dedicata eſt. Quadam die dum Beatus Vir Miſſarum ſolemnia devotiſſime celebrans, ſicut facere ſemper conſuevit, in canone conſtitutus eſſet, & cum ſe ipſum hoſtia illa, quæ pro nobis in ara crucis oblata eſt, hoſtiam vivam Deo Patri offerret; ſubito inter uberrimos fletus gaudere, & quaſi ridere cœpit. Sed quæ hujus repentinæ mutationis cauſa fuerit, poſt mortem ejus quibusdam per ſæpedictum Chunradum innotuit, cui ipſe confeſſus fuerat, quod tunc ei Dominus viſibiliter apparuerit.

15. Tria miracula, quæ uno loco & in uno tempore Dominus per eum operari dignatus eſt, referente nobis Venerabili Abbate [2] Sancti Lamberti didicimus, quæ ſic ſe habent: Invitatus fuerat Beatus Pontifex ad dedicandam Eccleſiam Beati Lamberti, & cum conveniſſet ibi magna multitudo hominum diverſi ſexus, ætatis & ordinis, homo Dei declinare volens tumultum popularem, ne cuiquam ſcandalum faceret, & ne opere vanæ laudis appetitor fieret; petiit ab Abbate & fratribus locum ſibi concedi privatum, in quo ipſe hora refectionis recumberet. Quod cum obtinuiſſet, & intellexiſſet, quod Prædictus, qui tunc miniſter erat Abbatis, ſibi pincerna deputatus eſſet; cum multis precibus ſupplicavit ei, ut ſibi pro vino aquam propinaret. Quod cum ille recuſaret cum magna atteſtatione, & hoc ipſum fideliter celaret. [3] Ille vero ſatisfacere volens homini Dei, accepto ſcypho vitreo propriis manibus hauſit aquam in lavatorio: & ut piam fraudem facilius occultare poſſet, rutam & ſalviam ſuperpoſuit, & ſic Viro Dei propinavit. Poſt modicum tempus cum ſibi recentem aquam, in qua magis delectari poſſet, ferre vellet, ſcyphum exportavit, & quaſi pro benedictione de aqua illa, quam Epiſcopus biberat, bibere cœpit: & cum guſtaſſet, invenit aquam factam vinum, & non qualecunque, ſed optimum. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vehementer itaque expaveſcens anxiari cœpit, quid faceret, angustiæ undique erant ei. Si gloriam Dei celarer, Judicium Dei metuebat: ſi factum Beati Viri pa-

[1] *f.* adminiſtrationis. [2] ſcyphum. [3] *deeſt* voluerit *aut ſimile quid.*

[1] *al.* Richerum. [2] Berengero. [3] *videtur hic aliquid deeſſe in MS.*

tefa-

teſaceret, maledictionem incurrere formidabat. A Quid tandem faceret? per medium periculorum ſecurus tranſivit. Advocavit enim quemdam Monachum, cui cum ſcyphum porrexiſſet, & ille bibiſſet; quæſivit ab eo, qualiter ſibi tale vinum placeret? Ille autem iratus quærere cœpit, unde tale vinum habuiſſet, quia ſimile ei non biberat? Prædictus itaque per terrorem divini [1] officii, & reverentiam Beati Viri adjurans eum, ne cuiquam notum faceret, factum ei expoſuit, & modicum factum. [2] Sic itaque renovato antiquo miraculo, ille qui in Cana Galileæ in nuptiis carnalibus ex aqua facto vino convivas lætificavit, etiam in iſtis ſpiritualibus nuptiis ejusdem clementi mutatione ſamuli ſui merita declaravit. Item ibidem Altare majus ita diſpoſitum erat, quod in anteriori parte Altaris B oſtium factum fuerat, in quo Reliquiæ reponendæ erant; & lapis quidam ita diligentia artificum politus erat, ut poſt impoſitionem Reliquiarum foramen illud impleretur, & quod de ipſo lapide nihil abundaret. Impoſitis autem Reliquiis cum lapis imponi deberet, ita ex omni parte excedebat, quod nullo ingenio imponi poterat. Turbati ſunt omnes, & vocati ſunt lapicidæ, ut lapidem illum cum ſumma diligentia ita aptarent, ut imponi poſſet. Sed cum opus accelerari non poſſet, acceſſit homo Dei, & cum manum ſanctam appoſuiſſet, tam veloci facilitate impoſitus eſt, ut & foramen ex omni parte impleret, & nusquam aliquid excederet. Utrum autem illud per errorem artificum factum fuerit, an Divina Providentia pro gloria Dei ad de- C claranda merita Dilecti ſui ita ordinaverit, non eſt noſtrum judicare. Hoc tamen certum eſt, quod ita factum eſt, & quod omnis plebs, quæ vidit, dedit laudem Deo. Miraculum iſtud revocat nobis ad memoriam ſimile miraculum factum per Beatum Nicolaum, ubi legitur, quod cum lapis quidam in ſtructuram cujusdam ædificii ponendus eſſet, & pro magnitudine ſua a multis hominibus moveri non poſſet; apponente manum Beato Nicolao, ſine omni difficultate motus eſt, & in locum optatum repoſitus. Licet autem facta iſta diverſa ſint, factorum tamen eorum unus eſt Dominus, qui operatur omnia in omnibus.

16. Ad prædictam Dedicationem venerat quidam, qui occiderat fratrem Tholonis de D Truchſen, quem etiam idem Tholo in placitis, in colloquiis, in nundinis, in feſtivitatibus perquirere ſolebat; ut inventum, ſi poſſet, occideret. Iſte itaque non dubitans ſe ibi ſimiliter perquirendum eſſe, ... [3] ut ubi Epiſcopus reſidebat, ipſe ſe ad pedes Epiſcopi ponebat, ut ibi quaſi in tuto eſſet. Tholo autem cognoſcens eum illic eſſe, acceſſit ad locum, præcipiens militibus ſuis, ut etiam ſi in gremio Epiſcopi eum inveniſſent, non ſibi parcerent, ſed potius occiderent. Cum autem introiſſent domum, in qua ſedebat Epiſcopus, & illum ad pedes Epiſcopi ſedentem cernerent; talis & tantus metus invaſit Tholonem, & ita contremuerunt omnia oſſa ejus, quod ipſe nimio terrore correptus præcepit ſuis, ut illum nullo modo offenderent. Et ita egreſſus eſt. Admirantibus autem ſuis, & quærentibus, quare illi pepercisſet, quem tam diu quæſitum in loco opportuno inveniſſent; reſpondit tacite: Nunquam in talibus anguſtiis fui, ſi iſtum Sanctum Epiſcopum offendiſſem, omnes mortui eſſemus. Ne ergo Sancti violarentur obtutus per effuſionem ſanguinis, & ne contriſtaretur Chriſti electus, liberavit Dominus interfectorem illum a periculo mortis: qui tamen alio tempore & alio loco per ſupradictum Tholonem occiſus eſt, ut manifeſtius appareret, [1] hic per merita beati Viri periculum mortis evaſerit, quam in ejus abſentia evadere non potuit. Huic miraculo poteſt aptari hoc, quod cum Attila Rex Hunorum deſtructis multis urbibus & caſtellis, depopulatis provinciis & urbibus Italiæ, ſicut diu propoſuerat, cum magno apparatu & exercitu copioſo ad capiendam Romanam Urbem properaret; Venerabilis Papa in occurſum veniens devote ſupplicavit, quatenus pro honore & amore Dei, & pro reverentia Sanctorum Apoſtolorum, Romanæ Urbi parceret, & ulterius non procederet. Ille autem tam promptum & benignum ſe exhibuit in exaudiendis precibus ſupplicantis, tanquam urgeretur imperio præcipientis: ipſe enim Papa Sanctus, factus erat quaſi Rex Regis. Ibi ergo ſubſtitit, & ultra non proceſſit Princeps ergo Hunorum, & nobiles, & Barones ſic intendentes admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, dicentes Regi ſuo: Quidnam C eſt hoc? per multa terrarum ſpatia, venimus magnem ſtragem hominum, multa incendia, multas rapinas fecimus, multa pericula ſuſtinuimus, ut ad urbem Romanam, quæ caput eſt orbis, & domina gentium, & principatus Imperii, ſecundum deſiderium tuum & noſtrum pervenire poſſemus, & glorioſum triumphum non ſolum de Romana Urbe, ſed etiam de toto orbe in patriam noſtram reportaremus. Nunc vero (neſcimus prece vel metu iſtius inveterati Senis victus) ſuccubuiſti, & a tam honeſto propoſito deſtitiſti: & cui multa regna reſiſtere non potuerunt, illum deliramenta iſtius decrepti vicerunt. Ille autem cum modeſtia reſpondens eis dicens [2]: O commilitones & ſocii noſtri laboris, ſic eſt, ut proponitis, ad hoc de terra noſtra egreſſi ſumus, ad hoc jam longo tempore ſuſpiravimus, ut thronum gloriæ noſtræ in capite omnium regnorum ponere poſſemus. Non pro metu iſtius Senis reſipuimus, ſed quendam in latere ejus evaginato gladio ſtantem vidimus, qui nos per medium ſcidiſſet, ſi iſti Seni in aliquo contradixiſſemus. Taliter ergo mitigatis eorum animis, ab itinere cœpto ceſſavit, & Romanæ Vrbi pepercit. Similem terrorem Dominus Tholoni incuſſit, ut in præſentia Beati Viri, interfectori fratris ſui parceret, cui tamen poſtea in abſentia ejus non pepercit.

17. Heinricus, qui in Nova-Cella officii Cellarii longo tempore fungebatur, & in eo fideliter miniſtravit, vir religioſus & timens Deum referre ſolitus erat, quod cum ipſe adhuc laicus

[1] *f.* judicii. [2] *videtur hic aliquid deeſſe in MS.*
[3] *deſunt hoc quædam in Cod.*

[1] *ſuppl.* quod, [2] *f.* dixit.

con-

constitutus esset in obsequio Beati Viri, si quandoque coram eo stans immunda desideria in corde suo concepisset, & in eis delectaretur; statim Homo Dei, quasi conscius cogitationum suarum, cum tanta indignatione & iracundia eum respiciebat, quod necesse erat, ut vel cogitationes illas desereret, vel a conspectu ejus abscederet.

18. Discordia satis odiosa fuit orta inter ministeriales Ecclesiæ, quæ longo tempore duravit. Una autem partium habebat capellam Sancti Georgii in Teisten invictam sicut castellum, & ibi reliquerat milites, & alios armatos ad defendendam Ecclesiam. Altera autem parte existente ibi in obsidione capellæ, supervenit Beatus Pontifex, ut & istos revocaret ab obsidione, & illos liberaret ab inclusione. Cum autem ibi esset diversi generis frugum magna copia, quam pro pabulo equorum collegerant raptores armigeri; nullus tamen equorum, qui in comitatu Episcopi venerat (quod mirabile dictu est) quamvis sufficienter coram se positam haberet, de illa rapina gustare voluit. Voluit autem Dominus tale miraculum facere ad laudem & gloriam famuli sui, & ad confusionem raptorum, videlicet quod bruta animalia sibimetipsis legem abstinentiæ imponendo, rapinam execrabantur; homines autem ratione utentes, & a rapina non cessantes, in ea delectantur. Huic simile est, quod de Beato Blasio legitur: videlicet quod cum lupus porcum viduæ [1] lupo præcepit, ut porcum reportaret; lupus autem ad præceptum Beati Martyris, quamvis jejunus & esuriens, porcum in ore reportavit, & innoxium viduæ restituit. O mira virtus & potentia Servorum Dei! O detestanda dementia hominum! Bestiæ obediunt Deo, homines contemnunt, & ad confusionem gulæ nostræ; cum illæ non habeant legem a licitis abstinendi, sibi ipsis lex fiunt; nos vero contra beneficia, quæ recepimus, & cottidie recipimus, contra salutem etiam, quam speramus, prævaricatores legis existendo, licitis & illicitis illicite utimur, vel magis abutimur; illæ pleno ore jejunant; nos vero jejunantes in deliciis sumus.

19. Sanctus iste plenus bona voluntate pacem, quam in Nativitate Christi Angeli hominibus annuntiaverunt, sibi & aliis optando, & cum his, qui oderant pacem, erat pacificus. Summo enim studio inter discordes pacem facere solebat, adeo quod plerumque etiam coram humilibus personis in terra prostratus jacebat, ut pacem impetraret his, quos oderunt. Unde contigit, quod dum quadam vice inter Comites de Treol [2] & Eppan pacem facere laboraret, & in monte Ridano pransurus esset; quædam mulier habens vultum tumidum & lividum accessit ad ministrum Pontificis, qui ei abluendis manibus aquam præparabat, supplicans, ut post ablutionem manuum Episcopi eandem aquam sibi porrigeret. Ille vero indignando repulit eam, mulier vero fidem non fictam & spem firmam habens in Domino, & in meritis Beati Viri, a longe stabat expectans: & cum post ablutionem manuum Episcopi minister ille aquam projicere vellet, illa parata erat cum vase suo, & eam recepit. Sed cum Episcopus ad Comites prædictos pervenisset, & cum omni humilitate pacem ab utraque parte postularet, Tirolenses ad preces Episcopi pacem dare & recipere parati erant; Comites vero de Eppan nullo modo poterant [1], ut in facienda pace Beati Viri precibus acquiescerent, quia tunc majores vires habere videbantur. Propterea ad ultionem istius contemptus Divino Judicio factum est, ut ex eo tempore in bello illo semper inferiores existerent, qui antea superiores esse consueverant: nec priores vires resumere poterant, quas justo judicio perdiderant. Cum autem in reditu suo Beatus Pontifex iterum esset in [2] Adano in eodem loco, in quo prius fuerat, videlicet apud Legenscome; prædicta mulier accessit ad ministrum, cujus superius mentionem fecimus, dicens ei: Quid vestræ utilitati deperiit in hoc, quod per ablutionem illius aquæ, quam mihi negastis, cæleste beneficium sensi, & sanitatem recuperavi? Ille vero cum interrogasset, quæ esset (non enim poterat cognoscere eam propter subitam mutationem in ea factam) & cum cognovisset, non sine magna admiratione considerabat in ea mutationem Dexteræ excelsi, videlicet quod tam velociter de tam fœda in tam pulchram mutata fuerat. Tua sunt, Christe, hæc opera, qui Sanctos tuos ita glorificas, ut de tam vili materia tam gloriosa miracula per eos facias. Libet fidem mulieris hujus comparare fidei mulieris Chananææ, quæ rogatura pro salute filiæ accessit ad Dominum, & primo non responsum aliquod ob eo recipere meruit, deinde etiam supplicantibus Discipulis, & ista in prece perstitit: illa autem perseverante in prece, canibus etiam comparata est. Quam sententiam Domini illa non solum patienter, sed etiam approbando suscipiens, non solum filiæ suæ ..... [3], laudem a Domino audire meruit. Similiter mulier ista a ministro illo cum indignatione repulsa, nec tædio affecta, nec in iram accensa, aquam desideratam expectavit, donec tandem Domino largiente, per eandem aquam meritis Beati Viri optatam sanitatem percepit.

20. Quidam de Domicellis Beati Viri, nomine Gebehardus, frater Lodewici de Ropen, dum quadam vice pullum comederet, os pulli gutturi ejus inhæsit. Ille autem cum sicut puer pueriliter agens, periculum sibi imminens non attenderet; guttur & collum adeo intumuit, quod nec loqui potuit, nec aliquid glutire præter aquam, vel aliquid liquidum. Pervenit verbum illud ad aures Episcopi. Ille autem sine mora accedens ad lectum ipsius monuit eum de emendatione vitæ, & de his quæ ad salutem pertinebant. Licet autem ei respondere non posset, nutibus tamen quibus poterat, hoc promittebat. Præcepit etiam Beatus Vir afferri candelam, & stringi circa collum ejus, & sequenti die accendi in Ecclesia, puerum etiam

[1] *deest* rapuisset *aut simile quid.* [2] *al.* Tirol.

[1] *deest* induci, *aut hujusmodi.* [2] *f.* Ridano *ut supra.* [3] *deest v.g.* sanitatem impetrare, sed etiam.

ibi adesse præcepit. Sequenti vero die cum Beatus Pontifex Missam celebraret, puero prostrato ibidem in oratione, candela etiam accensa juxta mandatum Viri Dei, cum in Canone ventum esset ad locum illum, ubi fit memoria vivorum; subito cum quodam impetu os illud erupit de ore pueri, & multa sanie sequente liberatus est puer, & officio pristino restitutus. Admirantibus his qui aderant, & Deo gratias referentibus, Beatus Pontifex dixit, nihil in hoc facto sibi attribuendum esse, sed meritis Beati Blasii, qui in hac vita positus, simile miraculum patraverat, & quem in curatione hujus ægroti adjutorem invocaverat.

21. Quamvis autem omni nisu occupationes sæcularium negotiorum evitaret, tamen ubi aliquod grande negotium emergebat, quod sæpe dictus Cunradus & alii fideles ejus expedire non poterant, ipse laborem subire non recusabat. Multas siquidem possessiones Ecclesiæ, quas alii violenter invaserant, & longo tempore possederant, ipse sua diligentia sine armis recuperabat. Magnificaverat enim eum Deus in conspectu Principum, ita ut quilibet se felicem reputaret, qui ejus benedictionem percipere meruisset. In capiendis castris, quæ suæ Ecclesiæ de jure erant, vel in quibus rapina fiebat, adeo strenuum se exhibebat, quod ipse signo Christi, non clypeo protectus aut galea, nec etiam manu, sed cum clericis & familia sua ad illa accedens, Cathedram suam ante portam castri poni præcepit, dicens, se nullo pacto recessurum, nisi sibi castrum redderetur. Stabat autem sicut Moyses non armis, sed precibus pugnaturus, & auxilium non de terra, sed de cœlo postulabat. Quantumcunque autem munitum esset castrum, & quamtumlibet animosi essent castellani, tamen Divino metu territi, ita pusillanimes & quasi inermes facti sunt, ut nullam fiduciam in fortitudine castri haberent, vel in viribus suis habentes se una cum castro Beato Viro redderent. Sicque factum est, ut castrum, quod copioso exercitu, patratis multis incommodis & rapinis & homicidiis, ab alio capi non posset, meritis Beati Viri resistere non valeret. In isto, quia vere Israhelita erat, completum est, quod Dominus filiis Israhel permiserat: *Videlicet nullus stabit contra vos, terrorem vestrum & formidinem dabo super omnem terram, quam calcaturus est pes vester.*

22. In diebus illis ortum est Scisma in Romana Ecclesia. Mortuo namque Adriano Papa, facta est dissensio inter Cardinales de eligendo Romano Pontifice; quibusdam eligentibus Octavianum Cardinalem, quem vocaverunt Victorem; aliis eligentibus Rulandum Cancellarium, quem vocaverunt Alexandrum. Inclitæ autem recordationis Fridericus Imperator, qui tunc temporis potenter imperabat in Italia, habito consilio cum viris prudentibus & religiosis, tam Latinis quam Teutonicis, consensit in partem Octaviani, & eum recepit in Papam & patrem spiritualem; omnes autem aliæ Ecclesiæ declinabant in partem Rulandi. Imperator itaque putans obsequium se præstare Deo, quoscunque potuit tam minis quam precibus in partem suam traxit: & (quod videre miseria erat) tam Episcopi quam alii Clerici & Religiosi compulsi etiam sunt, juramento præstito promittere obedientiam Victori. Ferventi interim immani persecutionis sævitia, cum propter potentiam Imperialem Alexander Papa nec in Urbe Romana, nec in tota Italia inveniret locum, ubi securum posset habere refugium; transtulit se ad pium Regem Francorum Ludwicum, ut in umbra alarum suarum expectaret; donec transiret iniquitas. In Alemania autem pauciſſimi inventi sunt, in quibus adeo fervebat charitas, qui neglecto metu Imperiali publice auderent profiteri obedientiam Alexandri Papæ; in privatis orationibus clauso ostio invocabant Patrem. Interdum aliqui dicebant: *Domine vim patior, responde pro me.* Et: *Fac judicium injuriam patientibus* &c.

23. In illo tempore erant in firmamento Ecclesiæ duo luminaria; in Salzpurgensi Ecclesia majus, videlicet Eberhardus; in terra autem Brixinensi minus, Beatus, scilicet Hartmannus. Majus autem & minus dicimus, non quantum ad differentiam meritorum, sed quantum ad dignitatem Sedium (Brixinensis enim Ecclesia suffraganea est Salzburgensi) solus siquidem Retributor præmiorum, Discretor & Cognitor est meritorum Deus. Isti ergo duo ex fortissimis Israhel, qui ambiunt lectum Salomonis, quos comedit zelus Domus Dei, posuerunt se murum pro Domo Israhel, & postposito Regali metu æmulatores legis facti, quasi voce Mathathiæ dixerunt: Et si omnes gentes obedirent Imperatori, ut discedat unusquisque ab obedientia Romanæ Sedis; Nos obedientiam Romanæ Ecclesiæ inconcussam debitam servabimus. Et quoniam sicut Thobias memores fuerunt Domini Dei sui in toto corde suo, sicut ille nolebat contaminari cibis gentilium; ita nec isti communione Scismaticorum; & ideo dedit illis Deus gratiam in conspectu Principis, in tantum quod cum alios & Prælatos & subditos sine miseratione cogeret, istis tamen propter vitæ sanctitatem & mentis constantiam, quam in eis noverat, cum magna reverentia parcebat Imperator. Qui etiam, antequam gubernacula Regni suscepisset, adhuc in juvenili ætate constitutus etsi in aliis delinqueret; Clericos tamen & Religiosos semper honorare & venerari consuevit, & in signum magnæ humilitatis, cum Sacerdotes in Missa offerrent, pedes eorum osculari non erubuit. Nostrum vero ter quaterque Beatum Hartmannum præ cunctis aliis filiali dilectione tanquam patrem colebat; & ei in omnibus deferebat, adeo quod cum aliis Episcopis vectigalia, & alia onera fiscalia ratione Regalium imponerentur; iste immunis ab his existebat. Et quoties Imperator sui copiam habere potuit, confessionem peccatorum cum omni humilitate faciens, orationibus suis se suppliciter commendavit. Prædicti itaque duo, videlicet Beatus Eberhardus, & Sanctus Hartmannus, facti sunt duæ Olivæ, & duo Candelabra lucentia ante Dominum, habentes potestatem, sicut a Domino acceperant, meritis suis & intercessione claudere cœlum & aperire, ligare

ligare & ſolvere: quarum folia in Sanctitatis exempla nunquam defluent, nunquam marcescent, ſed in perpetuo virore florebunt in æternum ante Dominum. Iſtarum Olivarum fructus oleum exultationis fuit. Sicut autem oleum quatuor præclaras virtutes habet, videlicet quod ardet & lucet, paſcit & ungit, ita ardebant charitate, coruſcabant miraculis, paſcebant prædicatione, ungebant conſolatione. Et ita ſe invicem honore præveniebant, ut quidquid honoris & reverentiæ ſubditus Metropolitano impenderet ex devotione, ipſe ei verſa vice rependeret ex dignatione. Item illi tanquam candelabra lucidiſſima lucent meritis, lucent exemplis, lucent interceſſione, lucent exauditione, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. O quam bonum & quam jocundum habitare Fratres iſtos in unum, inter quos nec de dignitate, nec de ſanctitate ullus patuit invidiæ locus! O beata nimium & Deo noſtro grata ſocietas, ubi ſiquid alteruter eorum ex his quæ deſiderabat, in ſeipſo minus deprehendebat, hoc ſe in altero inveniſſe gaudebat. Quantum autem, cum ſimul eſſent, conſolabatur eos dulce conſortium; ita cum ex neceſſitate utriusque ab invicem ſeparārentur, affligebat eos triſte divortium. Igitur glorioſi Principes terræ quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita poſt mortem, ut credimus, in cœleſti gloria non ſunt ſeparati.

24. Contigit aliquando Beatum Virum veniſſe ad ſæpe dictum Imperatorem apud Lintern. Piſcatores autem pro capiendum piſcibus aſcenderant in piſcinam, quam magnam ſicut lacum fecerat ibi Imperator: & cum magnæ quantitatis lucium cepiſſent (neſcimus utrum caſu, an Divina Ordinatione factum fuerit) idem lucius exiliens de navi, & elapſus manibus eorum, recepit ſe in priſtinam libertatem. Piſcatores vero conturbati & conterriti, dixerunt ad invicem: Projiciamus rete in nomine illius Epiſcopi, de cujus ſanctitate tam præclara narrantur, ad capiendum eundem piſcem, qui fuga elapſus eſt, & videamus, ſi ſermones illorum veri ſunt, qui hæc de eo prædicant: & ſi eſt vere Dilectus Chriſti, reſtituat nobis piſcem fugitivum. His dictis laxaverunt rete, & ecce Dextera Domini fecit virtutem & comprehenderunt eundem piſcem. Quem cum obtuliſſent Imperatori, & ei factum narraſſent, dixit: Non eſt noſter, portate ei, cujus eſt: ejus enim eſt, in cujus nomine captus eſt. Ad mandatum itaque Imperatoris eundem piſcem obtulerunt Beato Pontifici. Quid vobis videtur? nonne hic innovatum videtur fuiſſe miraculum illud Evangelicum, videlicet quod cum Diſcipuli per totam noctem laborantes nihil cepiſſent, poſtea in verbo Domini laxantes rete, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam? Similiter iſti piſcatores, cum in captione illius piſcis, quem amiſerant, in vanum laboraſſent, projicientes rete in nomine Beati Viri, eundem piſcem comprehenderunt. Et (quod mirabile eſt dictu) bellua, quæ antea in ſicco poſita, de parva navicula elapſa ſecura evaſerat, poſtea ad invocationem hujus Nominis in tam ſpatioſo lacu, & in tanta aquarum collectione nusquam ſe abſcondere, nec capturam illam evadere poterat.

25. Imperator aliquando, tranſitum faciens per terram noſtram rogavit Beatum Virum, ut ſibi tabulam itinerariam conſecraret. Illo autem dicente, ſe ad hoc promptum exiſtere, ſi ſub obedientia Alexandri Papæ eam conſecrare deberet; Imperator reſpondit: ſe æquanimiter ſuſtinere, ſub cujuscunque obedientia eam conſecraret, dumodo ipſe benedictionem ejus accipere meruiſſet. Igitur altare illud mobile ſub obedientia Alexandri Papæ devote conſecravit. Imperator, quamvis Alexandro contrarius, gratanter recepit, & benedictione paterna a Beato Viro percepta, cum gaudio & gratiarum actione receſſit. Quis Epiſcoporum facere hoc præſumpſiſſet, quod tantæ Majeſtati in faciem diceret, quod illi obediret, quem ipſe tam hoſtiliter impugnabat? Sed iſte hoc ſecure facere potuit, quia Dominus conſtituerat eum Deum Pharaonis. Hactenus nos inſtitutionem ejus ab infantia, & ſanctam converſationem ejus, & virtutes, quas Deus per eum fecit, deſcripſiſſe ſufficiat.

26. De cætero ad felicem ejus obitum tranſeamus. Oliva iſta martu Domini plantata & bene radicata fronduerat, floruerat, & fructus fecerat; tandem Domino ſecurim imponente ad radicem arboris, exciſa eſt a noſtræ mortalitatis tenebris in hunc modum. Proxima die ante Vigiliam Nativitatis Domini, cum confeſſionem peccatorum ſuorum, ſicut ſemper ſolebat, cum magna contritione feciſſet, & in multa patientia flagellatus fuiſſet, Miſſarum ſolemnia devote celebravit, & balneum aquarum, quo tamen nonniſi pro neceſſitate infirmitatis uti conſueverat, ſibi præparari fecit. Cuſtode igitur ad oſtium poſito, cum raſus & tonſus fuiſſet, ipſe ſolus ingreſſus eſt æſtuarium, in quo poſitum fuerat vas cum aqua: non enim permittebat quenquam quantumcumque familiarem, nudum ſe videre. Ergo ante Diem Feſtum, cum appropinquaſſet hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, de aquis illis calidis vocatus a Domino, plenus virtutibus obdormivit in pace. Cum autem in balneando ſolitam moram excederet, cuſtos oſtii ſuſpectum habens, nec tamen intrare præſumens, vocavit quemdam Sacerdotem: & ipſi ambo ingreſſi invenerunt eum jam migrantem, ita tamen quod aquis non fuerat ſuffocatus, ſed caput ſuppoſita manu ſuper vas reclinaverat. Quod ſi forte quenquam ſcandalizat, ſicut & tunc aliquem ſcandalizaverat, quod taliter a Domino vocatus fuit tanquam repentina morte præventus, ſcire debet, quod ipſe ſemper in memoria habens amaram diſſolutionem corporis & animæ, a Domino poſtulaſſe dicitur, ut ſibi placidam & quietam ſuæ carnis abſolutionem tribuere dignaretur. Beatus autem Eberhardus, ut dicitur, petiit a Domino, ut eum per longam agoniam, & difficilem tranſitum plenius purgaret. O Chriſti pietas omni proſequenda laude! nam utrumque pro deſiderio ſuo exaudivit; iſtum in mortem quaſi in ſomni-

a l. capiendis.

ium resolvit; illum autem prolixa morte morientem a peccati fœce mundavit. Quod si aliquis humani rationis judicii dixerit: Non est æqua via Domini; quod cum isti tam pari devotione Deum dilexerint, & ambo justi essent ante Dominum, incedentes in justificationibus & mandatis Domini sine querela; eos tamen tam dissimiliter ex hac luce subtraxit, ut alterum longo cruciatu examinaret, alterum vero quieto & subito transitu a vinculis carnis laxaret; moveri debet vocatione Apostolorum Sanctorum Andreæ & Johannis. Nec enim minus diligebat Andream, quem etiam prius ad Apostolatum vocaverat, & quem in passione sua cruci alligatum biduo pendentem conservabat, ut potius longo cruciatu affligeretur, quam in pœnis deficeret, quam Johannem, qui vivus sepulchrum est ingressus, & ita in mortem sicut in soporem est resolutus. Non est autem sine divina Providentia factum, ut uterque circa Solstitium, & x Calendas ante moreretur; alter, videlicet Beatus Eberhardus circa Solstitium æstivale, x Calendas Julii; alter vero, hoc est, Beatus Hartmannus circa Solstitium hyemale x Calendas Januarii. Sed per hoc datur intelligi, quod propter observationem Decalogi ab eo vocati sunt, & ad eum transierunt, qui est Sol Justitiæ Christus Deus noster, qui post Resurrectionem suam stetit in medio Discipulorum dicens: *Pax vobis.* Et sicut Beato Stephano apparuit in passione sua stans a dextris virtutis Dei; sic & istis in migratione sua non transivit, sed stetit ad recipiendos eos in visione æternæ pacis. Beatus autem Hartmannus eo tempore migravit ad Dominum, quo nox defectum, & dies reciperet incrementum: quia ipse de caligine hujus tenebrosæ noctis transivit ad illum verum diem, cui nulla nox succedit, & qui nescit occasum, ita ut ipse in transitu suo cum Psalmista A dicere posset: *Nox sicut dies illuminabitur.* Et cum Beato Laurentio: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Sanctus autem Eberhardus eo tempore de carnis ergastulo liberatus est, quando nox crescit, & dies decrescit; quia ipse tunc ad occasum tendebat, qui dies erat his, quos verbo & exemplo illuminabat; de quo Psalmista dicit: *Dies diei eructat verbum.* Et sicut Joseph Hebræus Beato Basilio ad mortem propinquanti dicebat: *Sol cum Sole occidet.*

27. Mirabile autem & memoria dignum est, quod cum Beatus Hartmannus de hac luce migrasset ad Dominum, & corpus exanime reservatum fuisset tumulandum usque in diem quintum, nullam tamen senserat corruptionem; sed ita læta facie & vultu rubicundo, ore etiam B quasi ad loquendum disposito, tanquam in specie futuræ gloriæ potius viventi, quam mortuo similis appareret. Fertur quod cum ipse viri die ante tumulationem suam celebraret exequias cujusdam Ministerialis mortui in civitate Brixiensi, & cum populum moneret, ut oraret pro illo, & pro aliis fidelibus defunctis, inter cætera dixerit: Quis scit, si ego octavo die hic tumulabor? Utrum autem hoc per revelationem cognoverit, an forte humano more sic locutus fuerit, ignoramus; hoc tamen certum est, quod ita factum est. Nam octavo die conveniente ibi magna populi multitudine, cum magno luctu devote sepultus est, ut ibi resurrectionem sui corporis exspecter in requie, ubi gloriam Dominicæ Resurrectionis sæpe prædicaverat in Missarum celebratione: & ubi ipse debitam devotionem Sanctis cum Christo regnantibus exhibuerat, ibi ipse cum cæteris Sanctis ac fidelibus Christi dignam reverentiam recipiat. Amen. C

CHRONICON ZWETLENSE VETUSTIUS,

AB ANNO CHRISTI MLXXV. AD MCLXXIX.

AUCTORIBUS DUOBUS ANONYMIS COENOBITIS ZWETLENSIBUS, ORDINIS CISTERCIENSIS.

NUNC PRIMUM PRODIT EX CODICE AUTOGRAPHO EJUSDEM COENOBII.

OBSERVATIO PRÆVIA.

I. INsigne Cœnobium Zwethalense seu rectius Zwetlense, Ordinis Cisterciensis, in Austria Inferiori trans-danubiana ad Campium annem situm, originem suam acceptam refert Hadmaro de Cuopharn seu Chuffarn, (ut scribitur in Diplomate ab Henrico I. Austriæ Duce Monasterio Seittenstettensi anno 1155. concesso), nobilissimo quondam, & eo Austriæ tractu amplissimarum rerum Dynastæ. Is Leopoldi Pii Austriæ Marchionis in sacrum Ordinem Cisterciensem studia æmulatus, & ipse ejusdem Instituti Monasterium in sua ditione excitare constituit: nova colonia petita a Godeschalco primo

Sanctæ-

Sanctæ Crucis Præsule, qui Hermannum Abbatem cum duodecim Sociis eum in finem Hadmaro submisit. Annum & diem, quibus fundamenta Monasterii Zwetlensis jacta sunt, intelligimus ex Codice membraneo ejusdem Cœnobii ante annos quingentos scripto, in quo sequentia eadem manu adscripta notantur:

Anno Domini MXCVIII. XII. *Kal. April. fundatum est Cistercium.*
MCXXXV. III. *Id. Septemb. Domus Sanctæ Crucis.*
MCXXXVIII. II. *Kal. Jan. Zwetel, Monasterium vero dedicatum est* MCLIX.
MCXLII. *Poungartenberge.*

Eundem annum 1138, omissa tamen die, præfert Chronicon Zwetlense *Recentius*, cujus hæc verba: MCXXXVIII. *Domus Sanctæ Mariæ in Zwetl a piissimo & devotissimo Hadmaro de Chunring* (malim *de Cuopharn*, nam *Chunringii* cognomentum serius aliquanto istius Hadmari posteris adhæsit) *fundatur.* Porro Hadmarus cum inchoatam a se Monasterii Zwetlensis fundationem morte præventus perficere non potuisset, eidem subinde Albero de Chunring, ejus patruelis, & Hadmarus II. itidem de Chunring appellatus, ac Alberonis Chunringii filius summam manum imposuerunt. Plura de percelebri isthoc Cœnobio Zwetlensi videsis in Casp. Jongelini *Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis* lib. 4. a pag. 21. ad 27. Ubi tamen corrigendus est annus obitus Hadmari, primi Fundatoris Zwetlensis, cum anno Domini 1148. male compositus. Cum enim hic Hadmarus de Cuopharn diplomati Henrici I. Austriæ Ducis anno 1155. Monasterio Seittenstettensi dato, cujus supra meminimus, inter cæteros testes subscripserit, ejus obitus ante annum quintum supra millesimum centesimum quinquagesimum evenire non potuit. Ob eandem rationem emendandum est Chronicon Zwetlense *Recentius*, in quo mors sæpe jam dicti Hadmari anno Domini 1147. consignatur.

II. In hujus Monasterii Bibliotheca, quam ob selectam veterum Codicum manuscriptorum supellectilem jam alias commendavimus, antiqua duo Chronica antehac inedita deteximus, quæ non solum istius loci, sed & universæ gentis nostræ historiam permultum illustrant. Horum alterum *Zwetlense Vetustius*; alterum *Zwetlense Recentius* inscribere visum nobis fuit, quo Lector utraque inter se rite internosceret discerneretque. De priori, quod primo loco hic damus, nunc videndum; quæ de posteriori notatu digna occurrent, infra suo loco exponemus.

III. Itaque Chronicon Zwetlense *Vetustius* extat ad calcem Vasti cujusdam Voluminis membranacei, quo Gregorii Magni *Expositio* in Ezechielem, & Origenis *Homeliæ* in Genesim concluduntur. Scriptitatum id fuisse a duobus anonymis Cœnobitis Zwetlensibus post medium sæculum duodecimum, evincit tum forma literarum, quibus exaratum est, tum anni, quibus ordines, ut vocant, Majores a se receptos uterque commemorat; quemadmodum videre est ex annis 1145, 1147, & 1169. Auctor antiquior, qui anno 1140. tyrocinium religiosæ vitæ fecisse se dicit, Chronicon suum ab anno Christi 1075. cœptum ad annum 1159. perduxit; recentior vero idem ad annum usque 1169. persecutus est. Cæterum vix dubitem, primum Chronici scriptorem, cum suum condere institueret, Vetus nostrum Mellicense Chronicon ante oculos habuisse, ex eoque permulta in rem suam transtulisse. Siquidem ad complures annos temporum gesta iisdem omnino verbis, quibus

eadem in noſtro efferuntur, conveſtit. Id quod ex utriusque inter ſe Operis comparatione multo amplius cuique perſpicuum fiet.

IV. Utrumque Zwetlenſe Chronicon, *Vetuſtius* inquam, quod hic repræſentatum imus, & *Recentius*, quod *Vetuſtiori*, interpoſitis nonnullis, ſubjungemus, beneficio Reverendiſſimi Domini Melchioris Zaunagg Abbatis Zwetlenſis habemus: qui humaniſſimus Præſul pro ſingulari ſua in nos benevolentia in præclara Aſceterii ſui Bibliotheca liberrimum ſimul ac jucundiſſimum ſtudiis noſtris campum anno 1716. aperuit, nosque illic diebus aliquot litterariæ rei cauſa detentos omni gratiarum genere cumulavit. Nec ſua fraudandus eſt meritiſſima laude Admodum Reverendus ac Religioſus D. P. Bertrandus Gſenger, Vir rerum Zwetlenſium longe peritiſſimus: qui in pervolutandis excerpendisque libris manuſcriptis operam ſuam impigre nobis commodavit, eosque codices, quos tempore excluſi exſcribere ipſi tum non poteramus, magna cura, ſtudio & amore ad nos Mellicium transmiſit. Sed jam ipſum Chronicon ex autographo noſtris manibus accurate tranſcriptum, omiſsis qui in eo vacabant annis, ſub Lectoris oculos inferamus.

CHRONICON ZWETLENSE VETUSTIUS.

ANno ab Incarnatione Domini MLXXV. Ernisto Marchio in Saxonia occiſus eſt. Liupoldus filius ejus ſucceſſit.

MLXXVI. Anno Colonienſis Epiſcopus obiit.

MLXXVII. Magna diſcordia inter Papam & Regem oritur.

MLXXVIII. Bellum inter duos Reges committitur in Saxonia, in quo Dietbaldus occiditur.

MLXXX. Papa Gregorius (qui & Hitebrandus) Heinricum Regem excommunicavit. Welfo Dux hoſtiliter Auguſtam civitatem invaſit, & deprædavit atque incendit.

MLXXXI. Altmannus Antiſtes, Marchioque Lupoldus, aliique Principes jurabant contra Regem Heinricum.

MLXXXII. Bawarii & Boëmii cum Lupoldo Marchione dimicaverunt, & vicerunt. Moreberge.

MLXXXIX. Conſtitutio Monachorum in loco Medilicenſi ſub Abbate Siegeboldo, in feſto Sancti Benedicti Abbatis.

MXCI. Altmannus Patavienſis Epiſcopus obiit.

MXCV. Petrus heremita, aliique plures tendunt Jeroſolymam.

MXCVI. Lupoldus Marchio obiit: filius ejus Lupoldus ſucceſſit.

MXCVIII. Heinricus Epiſcopus eligitur Friſingenſis.

MXCIX. Anno milleno centeno cum minus uno, Hieruſalem Franci capiunt virtute potenti.

MCI. Dux Welfo profectus eſt Jeroſolymam, & Ita Marchioniſſa.

MCIV. Sigehardus Comes occiditur Ratisbonæ.

MCV. Heinricus Rex, filius Heinrici Imperatoris, contra patrem ſuum in regnum ſurrexit.

MCVI. Heinricus IV. Imperator obiit VIII. Id. Aug. Lupoldus Marchio Agnetem filiam ejus duxit uxorem.

MCVII. Heinricus regnavit poſt mortem patris XIX. annis.

MCVIII. Heinricus Rex obſedit caſtrum Bresburc.

MCX. Heinricus Rex magnam expeditionem in Italiam movit, & Paſchalem Papam Romæ cepit.

MCXIV. Heinricus Imperator Saxones juxta Welfoni [1] hoſtiliter invaſit, a quibus victus cum paucis evaſit.

MCXVI. Sigeboldus Abbas obiit. Engilscalcus ſucceſſit. Terræmotus magnus factus eſt per univerſam terram.

MCXVIII. Ungari juxta fluvium Lithæ nos vaſtaverunt.

MCXX. Peregrinatur.

MCXXI. Uodalricus Patavienſis Epiſcopus obiit: Reinmarus ſucceſſit. Erchenfridus Abbas eligitur.

MCXXII. Hoc anno ab Apoſtolico Caliſto conſecratur [2] VIII. Id. Martii, & privilegium aquiſivit ab Apoſtolico.

MCXXV. Heinricus Imperator obiit X. Kal. Jun. Lotharius Dux Saxonum in regnum eligitur. Nanzo Abbas eligitur.

MCXXVI. Nix valida facta eſt.

MCXXVII. Ava Incluſa obiit, VIII. Id. Feb.

MCXXVIII. Helmbertus Abbas Lambacenſis obiit VIII. Id. Feb.

MCXXIX. Græci & Ungari diſcordantes apud fluvium Sowa caſtra metati ſunt.

MCXXX. Spira a Lothario Rege obſeſſa traditur. Honorius obiit XVI. Kal. Nov.

MCXXXI. Stephanus Rex Ungarorum obiit:

[1] Hildebrandus. [1] *al.* Welfolt. [2] *i.* Erchenfridus Abbas Mellicenſis.

obiit: Bela cæcus ſucceſſit. Fridericus Colonienſis Epiſcopus obiit.

MCXXXII. Lotharius Rex eſt profectus in Italiam.

MCXXXIII. Eclipſis ſolis facta eſt IV. Non. Aug. hora nona.

MCXXXIV. Bela cæcus Rex Ungarorum triumphavit de Polonicis, ſed in dolo.

MCXXXV. Lotharius Imperator & Dux Fridericus Babenberc pacificantur.

MCXXXVI. Dedicatum eſt Monaſterium Nuenburc ab Archiepiſcopo Cuonrado, Reinmaro, Romano. Lotharius Imperator ſecundo profectus eſt in Italiam. Lupoldus Marchio obiit XVII. Kal. Dec.

MCXXXVII. Lotharius Imperator obiit. Heinricus Epiſcopus Friſingenſis obiit.

MCXXXVIII. Reinmarus Epiſcopus obiit: Reinbertus Epiſcopus eligitur. Lupoldus Marchio duxit uxorem. Cuonradus Rex efficitur. Filia Ungarici Regis Belæ deſponſata eſt filio Regis H. Romanorum. Lupoldus Marchio Ducatum ſuſcepit Bawariæ.

MCXXXIX. Synodus Romæ facta eſt ſub Innocentio Papa.

MCXL. Bellum factum eſt juxta caſtellum Valeia inter Ducem Lupoldum & Welfonem. Novitius.

MCXLI. Lupoldus Dux & Marchio obiit, & frater ejus Heinricus ſucceſſit.

MCXLII. Heinricus Marchio duxit uxorem Gerdrudam, Viduam Ducis Heinrici.

MCXLIII. Heinricus Marchio Ducatum ſuſcepit, & uxor ejus Gerdrudis obiit.

MCXLV. Diaconus.

MCXLVII. Ordinatio Presbyteratus mei. Caſtrum Presburc a noſtris in dolo capitur, & pro pecunia redditur. Ungari ea cauſa ex utraque parte Danubii terram noſtram devaſtaverunt. Cædes facta eſt juxta Litha III. Id. Sept. Hermannus Abbas primus in Zwetl obiit V. Kal. Januarii: Rukerus eligitur.

MCXLVIII. Cuonradus & Luodewicus Reges, & cæteri Principes, Epiſcopi & Duces, & A magna multitudo populorum Hieruſalem perguntur. Cuonradus Epiſcopus eligitur Patauiæ.

MCXLIX. Rukerus Abbas obiit: Poto eligitur.

MCL. Cuonradus Rex, & Heinricus Dux & Marchio de Hieruſalem redierunt. Fames valida cœpit eſſe per biennium.

MCLII. Cuonradus Rex obiit: Fridericus ei ſucceſſit. Græci devaſtaverunt terram Ungarorum.

MCLIV. Aſcalona civitas Sarracenorum a Chriſtianis potenter capta eſt.

MCLVI. Fridericus Rex, Imperator ordinatur. Seditio Romanorum contra Papam Adrianum. Potto Abbas obiit: Rapoto eligitur.

MCLVII. Heinricus Marchiæ ſuæ Dux præficitur, & Heinricus Dux Saxoniæ Ducatum Bawariæ accipit IV. Id. Sept.

MCLIX. Fridericus Imperator Mediolanum ſubegit. Comes Ekebertus ibidem occiditur. Otto Friſingenſis Epiſcopus ad Galliam præfectus, ibidem moritur. Dedicatur Monaſterium in Zwetl a Chunrado Patavienſi, poſtea Archiepiſcopo facto.

MCLXIV. Mediolanum ab Imperatore Friderico deſtruitur.

MCLXVI. Heinricus Dux Auſtriæ in Græciam profectus, & filiam ſuam Regi Ungarorum in uxorem dedit.

MCLXVII. Mediolanum a Longobardis reconſtruitur. Mortalitas magna Romæ facta eſt in exercitu Imperatoris, & multi Principes mortui ſunt. Heinricus Dux Auſtriæ in Ungriam profectus in auxilium eorum adverſus Græcos.

MCLXVIII. Cunradus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit.

MCLXIX. Seditio inter Patavienſes & Epiſcopum Albanum oritur, ac ipſe Epiſcopatus honore privatur: Albertus Bohemiæ Regis filius eligitur, ſed ab ipſis poſtmodum repudiatur. Ordinatio Subdiaconatus mei.

FRAGMENTUM HISTORICUM DE FUNDATORIBUS MONASTERII ZWETLENSIS.

AUCTORE ANONYMO ZWETLENSI.

EX MEMBRANEO COD. MS. EJUSDEM COENOBII.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CHronico Zwetlenſi *Vetuſtiori* fragmentum hocce hiſtoricum de Fundatoribus Monaſterii Zwetlenſis attexere juvat, ut inde nonnihil acceſſionis capiant fontes hiſtoriæ Zwetlenſis, ſuppleanturque, quæ in utroque loci Chronico deſiderantur. Ejus Auctorem anonymum fuiſſe Cœnobitam Zwetlenſem, ipſa narrationis ſeries ſatis aperte demonſtrat, tametſi de ejus ætate vix quidquam certi auſim ſtatuere. Manus, qua id perſcriptum eſt, ſæculum quartum decimum refert, extatque hoc Fragmentum bis uno eodemque exemplo, ſcilicet

ſcilicet ad caput & ad calcem codicis cujusdam membranei in ſæpius laudata Bibliotheca Zwetlenſi. En illud!

SCire volentibus, quis aut unde fuerit Fundator Domus hujus [1], legant hos verſus, in quibus ad liquidum patebit eis perſona, tempus & genus. Eo namque tempore, quo Hainricus malus Imperium gubernabat, Poppo Archiepiſcopus, Vir religioſus & Sanctus, Dacorum Apoſtolus, Treverenſem Sedem regebat, cujus frater Leupoldus Marchiam Orientalem (quæ *Auſtria* dicitur,) contra Barbarorum incurſus viriliter defendebat. Sub iſtis erat Vir unus, nomine Azzo, nobilis & dives, ac miles ſtrenuus, & in omni opere militari ſæpius exercitatus. Hic, Deo revelante, dum eſſet in terra Belgica in territorio Treverenſi, viſionem horribilem vidit, quam expergefactus graviter pertimuit: nec tamen ab aliquo conjecturam, ſomnii, quam ſollicitus quæſivit, invenire potuit. Viſio talis fuit: Cum ſe ſopori dediſſet, vidit in viſione, quaſi in Auſtria eſſet, quam terram, ut ei videbatur, apri frendentes cooperuerant ſubvertentes eam: ſed ipſe omnes potenti manu expulit, & terram a tali ſubverſione liberaravit. Cumque evigilaſſet a ſomno, ait: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quam oſtendit mihi Deus. Sed plurimis hoc diſſuadentibus, & dicentibus, Somnia ne cures, non aquievit, perrexit, Auſtriam intravit, Principem adiit, cauſam itineris ſomniumque, quod viderat, expoſuit. Recipitur ab ipſo Principe honorifice, quia Principem neceſſitas urgebat: feritas namque Sclavorum & Barbarorum ro- A tam terram ſubvertendo occupaverat. Unde memorandus Vir Azzo a Leupoldo Marchione feodatur, Signifer efficitur. Nec mora: ſubſequente eum Domino ſuo cum exercitu, ad pugnam contra Barbaros egreditur, vincit, revertitur, & honorificentius quam antea a Domino prudens & velut manu fortis laudatur, locatur in terra, fit Pincerna, genuitque filios tres, & filias: quorum unus Anſelmus, alter Albero, Nitzo tertius nomina ſortiti ſunt. Ex his exiit radix dulciſſima Hademarus, Nitzonis filius, cum fratre Pilgrimo Presbytero: Vir bellandi gnarus, Chriſtum portans ſub chlamyde, quod tempore accepto manifeſtum fecit in opere. Ut putatur, Vir iſte caſtus & continens erat, & quia ex uxore bona & devota Gerdrudi prolem non habebat, Chriſtum ſibi B hæredem conſtituit, conventumque Monachorum Ciſtercienſis Ordinis ad *Locum-Clarum*, quod lingua Sclavica *Zwetela* dicitur, convocavit, quos etiam rebus mobilibus & immobilibus ſufficienter ditavit. Sed heu! filios filiorum non vidit. Quorum incepto opere, uxore præmiſſa, feliciter ad Dominum migravit, locumque ſepulturæ in Kotewico, metuens caſum imperfecti operis, ſibi invitus elegit. Porro filius Azzonis Albero Alberonem genuit, qui etiam locum noſtrum quaſi pater fovens filium unice diligebat, quod multis operibus comprobabat. Huic ſucceſſit filius ejus Hademarus nomine, in re non primus, ſed alter Fundator loci noſtri piiſſimus.

[1] Zwetlenſis.

CHRONICON ZWETLENSE RECENTIUS,

A CHRISTO NATO AD ANNUM USQUE MCCCXLIX.

AUCTORE ANONYMO VEL ABBATE VEL COENOBITA MONASTERII ZWETLENSIS.

NUNC PRIMUM LUCI DONATUM EX CODICE (UT VIDETUR) AUTOGRAPHO BIBLIOTHECÆ ZWETLENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. QUod nunc primum e tenebris vetuſtatis in lucem educimus Cœnobii Zwetlenſis Chronicon, *Recentius* nuncupari voluimus, neutiquam ideo, quod inter heſterni Scriptoris manus, qui vulgatus hujus vocabuli uſus eſt, enatum ſit: ſed propterea, quod *Vetuſtiori* ejusdem Monaſterii Chronico paulo ſupra a nobis edito tribus fere ſæculis ſerius conſcriptum fuerit: ſimulque ut hoc modo Viris eruditis, qui ex geminis hiſce Chronicis teſtimonia deinceps deprompturi eſſent, citandi, & omnia accuratius pertractandi rationem faciliorem expeditioremque redderemus. Porro Codex MS, ex quo id in noſtra ſcripta transtulimus, totus membraneus, &, ut apparet, autographus eſt, a principio usque ad illud Anni MCCCXLVIII. mi comma:

Eodem

Eodem anno XII. *Kal. Martii. obiit Dominus, Johannes de Chunring &c.* una eademque ſæculi quarti decimi manu perſcriptus: cum adductorum mox verborum usque ad Chronici finem ſcriptura aliam quidem, æquævam tamen manum redoleat. Nomen Auctoris, qui Chronicon iſtud, ſi quod aliud, luculentum ſcriptis mandavit, nusquam exprimitur; Abbatibus tamen vel Cœnobitis cum Zwetlenſibus, quibus benignum Codicis uſum debemus, accenſendi varii hujus operis loci certiſſimum argumentum præbent. Ex his inſignior extat ad annum 1147, ubi Auctor Hadmarum Cœnobii ſui *Fundatorem* appellat. Cum enim ad annum 1138. primordia Zwetlenſis Aſceterii paucis hiſce verbis retuliſſet: MCXXXVIII. *Domus S. Mariæ in Zvvetl a piiſſimo & devotiſſimo Hadmaro de Chunring fundatur;* tum ad annum 1147. hæc ſubjungit: MCXLVII. *Profectio peregrinorum ad Jeruſalem, in qua profectione mortuus eſt Fundator noſter Hadmarus.* Nec obſcurior eſt locus ad annum 1343, ubi *novi Chori* exſtructionem ita tradit: *Incœptus eſt*, inquit, *chorus noſter novus in Zvvetl a Domino Ottone tunc Abbate, in vigilia S. Ambroſii Epiſcopi* &c. Idem ex annis 1159. 1336. & 1341. intelligere cuivis proclive fuerit. Ex quibus una haud difficulter colligas, Recentiorem hunc Zwetlenſem Chronographum ſæculo decimo quarto non ſuperiorem extitiſſe.

II. Extare quoque in Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca quoddam Monaſterii Zwetlenſis Chronicon, V. Cl. Daniel Neſſelius in Sciagraphia ſua Magni Corporis hiſtorici hactenus inediti annotavit, quippe quod Idem una cum cæteris, quæ ibidem recenſet, Veterum Monumentis necdum vulgatis ſe in publicum emiſſurum receperit. Quin & eandem hiſtoricam lucubrationem in membranis exaratam videre ſe commeminit germanus meus P. Bernardus Pezius, eamque in Bibliotheca Inclyti Senatus Urbis Viennenſis adſervari mihi aſſeveravit. Quæ quantum a noſtro diſcrepet Zwetlenſi Chronico, aut cum eodem conſentiat, aut utrum noſtrum ſit, an aliud, certo affirmare non auſim: cum neutrum Chronici exemplar mihi coram inſpicere, diligenterque eorum inter ſe collationem inſtituere conceſſum unquam fuerit. Verum quidquid ſit de eo Chronico Zwetlenſi, quod in Bibliotheca jam laudati Senatus Viennenſis haberi diximus; ab eo tamen, quod Cæſarea Vindobonenſis ſervat, Noſtrum iſtud differre hæc ſuadeant. Primo, quod aliud ſit annorum initium in Chronico noſtro, quam in eo, quod Cæſareo Codice continetur. Noſtrum enim initium ducit a Chriſto nato, & in anno 1349. finit; id vero, quod in mox memorato Cæſareo Manuſcripto ineſt, orditur (teſte Daniele Neſſelio) ab anno æræ vulgaris 928, deſinitque in anno 1362. Secundo, Noſtro præfigitur Prologus, his verbis incipiens: *Tempus eſt menſura rerum mutabilium* &c; at vero Codex Cæſareus omni Prologo deſtituitur, ejusque initium (eodem Neſſelio auctore) ſe habet in hunc modum: *Incipit Chronica. Anno ab incarnatione Domini* DCCCCXXVIII. *Leupoldus primus Marchio in Auſtria poſt Rudgerum de Bechleren* &c. Quæ omnia abſunt a noſtro Chronico, quod hic damus: cum neque Leupoldi primi in Auſtria Marchionis, nec qui eum præceſſerit, Rudgeri de Bechleren ulla in eo mentio inferatur. Sed hæc eorum judicio permiſſa ſunto, qui prædicta duo Chronici Zwetlenſis exemplaria MSS. vel penes ſe habent, vel quibus eadem contuendi, & cum Noſtro comparandi contendendique facultas aliquando ſuppetet.

III. Chronico huic mantiſſæ loco *Additamenta* hiſtorica ab anno MCCCXLIX. ad MCCCCLVII. porrecta ſubjunximus; quæ Veteri cuidam Monaſterii Zwetlenſis Necrologio ſparſim inſerta reperimus. Horum diverſos Auctores (Cœnobitas ſine dubio Zwetlenſes) fuiſſe, ex manuum, quibus quæque adſcripta erant, diverſitate: eademque de cauſa temporum illorum, quorum acta litterarum monumentis conſignarunt, æquales extitiſſe, facile conjicere potuimus. Quædam in dicto Necrologio ita detrita erant, ut nullum ſat firmum & certum ea oculis aſſequendi veſtigium ſupereſſet. Id quod perpetuo uſui, quo ejusmodi libros inter chori officia Cœnobitæ quot diebus evolvunt, haud dubium attribuas. Quæ tamen noſtris ſe oculis non penitus ſubduxere, utut pauca ſint, & ſtylo rudi compoſita; mirum tamen eſt, quantum lucis obſcuræ temporum illorum hiſtoriæ concilient, illuſtrentque illum Auſtriæ tractum, qui a Danubio longius recedens Moraviam Bohemiamque contingit. Reſtat, ut nunc utraque ex Codicum MSS. fide cum erudito Lectore communicemus, inprimisque Chronicon Zwetlenſe *Recentius*, quod totidem verbis ſic habet.

PROLOGUS IN CHRONICON ZWETLENSE RECENTIUS.

TEmpus eſt menſura rerum mutabilium. Ex hoc patet, quod hic eſt tempus, & non in cœlo, ſecundum ſuam ſubſtantiam: quia hiic mutantur omnia, & non ibi. Hic enim nunc eſt hyemps, nunc æſtas, nunc pax; nunc diſcordia, nunc tranquillitas, nunc tempeſtas. Mutabilitas etiam rerum oſtenditur in hoc, quod ea, quæ mundus præcipue amplectitur, ſcilicet ſapientia & potentia, in Oriente cœperunt, & omnem terram habitabilem percurrerunt usque in Occidentem, in ſignum, quod omnia tendunt ad occaſum. Nam ſtudium ſapientiæ cœpit in Ægypto, poſt fuit in Græcia, poſt Romæ, deinde in Francia & Anglia. Similiter Regna primo fuerunt in Oriente, poſt in Græcia, poſt apud Romanos: nunc poteſtas regni & imperii reſidet in Germania. Differentia eſt inter tempus, & ævum, & æternitatem. Nam tempus habet principium & finem; ævum caret fine, ſed non principio; æternitas caret utroque termino: quia eſt menſura increata.

Iſtæ ſunt ætates mundi: Prima eſt ab Adam usque ad Noë, habens annos ſecundum Hebræos MDLVI; ſecundum LXX. Interpretes MMCCXLII. Secunda ætas a Noë usque ad Abraham habens annos juxta Hebræos CCXXII; ſed ſecundum LXX. Interpretes MLXXII. Tertia ætas ab Abraham usque ad David annos habens ſecundum Hebræos DCCCCXLII; ſed ſecundum LXX. Interpretes MMMCXX. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis habens annos ſecundum Hebræos CCCCLXXIII; ſed ſecundum LXX. Interpretes DLXX. Quinta ætas a transmigratione Babylonis usque ad Chriſtum habens annos ſecundum Hebræos DC. minus uno; ſed ſecundum LXX. Interpretes DLXXX. Igitur ab exordio mundi usque ad Chriſtum habemus annos ſecundum Hebræos, proſequente beato Jeronimo MMMDCCCCLII; ſed ſecundum LXX. Interpretes, quos Græci ſequuntur, V. millia D, & VIII. Euſebius quoque, quem Oroſius ſecutus eſt, inter utrosque incedens, numerat annos V. millia CC. minus uno. Unde verſus: *Unum tolle, datis, ſunt millia quinque ducenti:* hos pene omnes Latini ſequuntur. Sexta ætas eſt a Chriſto usque ad finem mundi. Septima eſt quieſcentium. Octava reſurgentium. Porro ſecundum Hebræos in prima ætate mundi ſunt generationes X; in ſecunda X; in tertia IX in quarta XVII. quas tamen Matthæus gratia myſterii XIV. ponit; in quinta XIV. Ætates autem hominis ſunt: prima infantia usque ad annos VII; ſecunda pueritia usque ad annos XIV; Tertia adoleſcentia usque ad annos XXVIII; quarta juventus usque ad annos L; quinta ſenectus usque ad annos LXXX; ſexta decrepita usque ad finem vitæ. Has itaque ætates hominis comparat Auguſtinus ætatibus mundi, videlicet ut infantia ſit ab Adam usque ad Noë, pueritia a Noë usque ad Abraham: qui articuli evidentiſſimi & notiſſimi ſunt. Adoleſcentia ab Abraham usque ad David; ſic enim Ewangel. Matthæus partitur. Juventus a David usque ad transmigrationem Babylonis; Senectus a transmigratione usque ad adventum Domini; decrepita ab adventu Domini usque ad finem mundi; inde requies ſempiterna, quæ per Sabbathum figuratur. Senectus tamen ſolet aliquando tantum tenere temporis, quantum aliæ omnes ætates. Nam cum a L. anno ſenectus dicatur incipere, & poſſit humana vita usque ad C. & XX. annos pervenire; manifeſtum eſt, ſolam ſenectutem poſſe tam longam eſſe, quam omnes ætates priores. Ætas igitur ultima generis humani, quæ incipit ab adventu Domini usque in finem ſæculi, quibus generationibus computetur, incertum eſt: & hoc utiliter Deus latere voluit, ſicut ſcriptum eſt: *Dies Domini* [1] *ſur in nocte venit.*

Primus annus Incarnationis Jheſu Chriſti, filii Dei.

Jheſus Chriſtus, Dominus noſter, in Bethle-

[1] *deeſt* ut.

hem

Iſem naſcitur anno XL. ſecundo Octaviani Auguſti Cæſaris, transactis ab initio mundi v. millibus cc. minus uno annis; ab urbe condita DCCLII. annis.

III. Herodes occidit infantes.

VI. Herodes Rex cum magno moritur cruciatu.

XXX. Dominus noſter Jheſus Chriſtus a Johanne baptizatur XXX. ſuæ ætatis anno ſecundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.

XXXI. Johannes ab Herode decollatur.

XXXIII. Jeſus Chriſtus, Dominus noſter, Jeroſolimis paſſus eſt, & reſurrexit. Eodem anno Stephanus lapidatur.

XXXIV. Paulus de cœlo vocatur. Jacobus, qui dicitur frater Domini, Jeroſolimis epiſcopus ordinatur, & ſedit annis XXX.

XLI. Pylatus ſeipſum interfecit.

XLII. Matthæus Ewangelium ſcripſit.

XLIV. Petrus Romam venit, ibique XXV. annis, menſibus II. diebus tribus epiſcopatum tenuit.

XLV. Herodes Agrippa ab angelo percuſſus expiravit. Marcus Ewangelium ſcripſit.

XLVIII. Cives Romani a Claudio Imperatore numerati, inventi ſunt ſexagies novies c. millia, & XLIV. millia.

LVII. Nero regnavit, & primus perſecutionem in Chriſtianos exercuit.

LVIII. Paulus Apoſtolus a Feſto Præſide Romam mittitur.

LIX. Lucas hucusque librum Actus Apoſtolorum perduxit, continentem a Paſſione Domini XXVII. annos.

LXIII. Jacobus, frater Domini, a Judæis lapidatur. Nero matrem & ſororem occidit.

LXIV. Marcus Evangeliſta apud Alexandriam paſſus eſt.

LXVI. Nero, ut ſimilitudinem Trojæ ardentis videret, Romam incendit.

LXVII. Nero Magiſtrum ſuum Senecam interfecit.

LXVIII. Petrus Apoſtolus crucifigitur, Paulus decollatur.

LXX. Nero ſeipſum interfecit.

LXXIII. Titus inenarrabili cruciatu Judæos expugnat.

LXXIV. Jeruſalem a Tito expugnata deſtruitur anno a Paſſione Domini XLII; a prima autem conditione templi a Salomone MXXXIX.

LXXVII. Joſephus illuſtris hiſtoriographus tunc claruit.

LXXIX. Coloſſus Romæ erectus eſt, habens altitudinis pedes C. & VII.

LXXXIV. Domitianus frater Titi, hic infectus omnibus ſceleribus, ſecundo perſequitur Chriſtianos.

XCVII. Johannes in Pathmos inſulam in exilium mittitur, Apocalypſim ſcripſit.

C. Johannes Apoſtolus ab exilio revocatus, Ewangelium ſcripſit.

CI. Trajanus genere Hiſpanus tertio perſequitur Chriſtianos. Sanctus Johannes apud Epheſum dormivit in pace anno a Paſſione Domini LXVIII.

CXXI. Dionyſius Ariopagita Pariſius martyrizatur.

CLXIV. Marcus Antoninus Verus regnavit cum fratre Lucio: hi perſequuntur Chriſtianos.

CLXXXVIII. Origenes apud Alexandriam naſcitur.

CCLX. Symachus & Theodocion claruerunt.

CCXXXIX. Maximinus poſt Neronem perſequitur Chriſtianos, & maxime rectores.

CCLII. Milleſimus annus ab Urbe condita feſtive colitur.

CCLIII. Origenes hoc tempore tanta ſcripſit, ut Jeronimus quodam loco v. millia librorum ſuorum ſe legiſſe dicat.

CCLVI. Decius Imperator ſexto perſequitur Chriſtianos.

CCLVIII. Origenes obiit anno ætatis ſuæ LXX.

CCLIX. Valerius Imperator regnavit: iſte ſeptimo perſequitur Chriſtianos.

CCLXXVII. Aurelianus Imperator octava vice perſequitur Chriſtianos.

CCCIII. Diocletianus & Maximianus in oriente & occidente eccleſias ſubvertunt, & libros Divinos exurunt, & Chriſtianos perſequuntur nona vice.

CCCVI. Conſtantinus Conſtantii filius ex Helena concubina: hic primus Imperator, excepto Philippo, Chriſtianus fuit.

CCCXXIV. Crux Dominica ab Helena Jeruſalem reperitur ſub Machario ejusdem urbis Epiſcopo.

CCCXXXIII. Antonius monachus clarus habetur.

CCCLXII. Julianus in bello a Mercurio quodam hoſte & martyre occiditur.

CCCLXXXVI. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, & cæteri fideles in Thracia diffunduntur. Valens legem dedit, ut monachi militarent, nolentes occidi juſſit. Hucusque Cronicam Ewſebii Jeronimus perduxit.

CCCLXXXVII. S. Ambroſius, S. Martinus, S. Jeronimus clari habentur.

CCCXCI. Auguſtinus, Doctor facundiſſimus Ypponereco [1] Affricæ Epiſcopus ordinatur.

CCCXCVII. S. Martinus Thuronorum Epiſcopus poſt multas virtutes migravit ad Dominum anno ætatis ſuæ LXXXI. Epiſcopatus vero XXIII.

CCCXCVIII. S. Ambroſius migravit ad Dominum.

CCCCXV. Corpora SS. Stephani Prothomartyris, Gamalielis, Nychodemi a Luciano presbytero revelantur.

Deeſt in MS. annus Chriſti. Jeronimus Doctor incomparabilis obiit anno ætatis XCI.

CCCCXXX. Auguſtinus Ypponenſis Epiſcopus & Doctor facundiſſimus in civitate ſua a barbaris obſeſſus, obiit anno ætatis LXXVI. Epiſcopatus anno XL.

CCCC. *Deeſt alter numerus in MS.* Corpus Barnabæ Apoſtoli, & Matthæi ewangelium ſtylo ejus ſcriptum, ipſo revelante, reperitur.

[1] *leg.* Hippone-Regio.

CCCCXCVII. Boëtius Conſul Romæ plurimi ingenii ſui monumenta præclara conſcripſit. Fulgentius Epiſcopus clarus habetur.

DXXIV. S. Benedictus, Pater virtutum, clarus habetur.

DLXXVI. S. Gregorius, tunc Apocriſiarius, Moralia ſuper Job ſcripſit.

DXCI. S. Gregorius in Papam Romæ eligitur: ubi ſedit annis XIII.

DCIV. S. Gregorius migravit ad Dominum Indictione VIII.

DCVIII. Focas Pantheon. i. domum omnium ydolorum, Eccleſiæ dedit.

DCCXXX. Beda Venerabilis, Anglorum presbyter, obiit indictione XIII.

DCCXLIV. Fuldenſe cœnobium fundatur a S. Bonifacio papa.

MXII. S. Cholomannus martyrizatur, & ſuſpenditur in Stokoraw.

MXIV. S. Cholomannus in Medlico ſepelitur.

MLXXVI. Heinricus [1] Marchio Auſtriæ obiit: cui ſucceſſit frater ejus Leupoldus. Hi habuerunt fratrem nomine Popponem, Epiſcopum Treverenſem, & cognatum nomine Atzonem, quorum auxilio vicit Babaros, Ungaros & Bohemos.

MLXXXVI. Atzo iſte genuit tres filios, Anshelmum, Nytzonem & Adalberonem.

MLXXXIX. Conſtitutio Monachorum in Medlico.

MXCVIII. Ordo Ciſtercienſis inchoatur XII. Kal. Aprilis.

MCXIII. Fundatur Firmitas.

MCXIV. Fundatur Pontiniacus.

MCXV. Fundatur Clara-Vallis, & Morimundus.

MCXX. Medlicenſe monaſterium a Kalixto Papa conſecratur.

MCXXXV. Domus S. Crucis fundatur XV. Kal. Aprilis.

MCXXXVI. Dedicatum eſt monaſterium in Neunburga.

MCXXXVIII. Domus S. Mariæ in Zwetl a piiſſimo & devotiſſimo Hadmaro de Chunring fundatur.

MCXLII. Domus S. Mariæ in Paumgarteuperg conſtruitur.

MCXLVII. Profectio peregrinorum ad Jeruſalem: in qua profectione mortuus eſt fundator noſter Hadmarus.

MCLIII. Obiit Sanctiſſimus Pater & Abbas Wernhardus, Abbas Claræ-Vallis.

MCLIX. Dominus Albero de Chunring Dominum Chunradum Epiſcopum Patavienſem duxit ad monaſterium conſecrandum.

MCCVI. Monaſterium in campo-liliorum a Duce Leupoldo conſtruitur.

MCCXII. Rex Angliæ capitur in Erpurch prope Wiennam a Duce Leupoldo, & traditur A. Domino Hadmaro de Chunring, in Tyernſtayn, reſervandus.

MCCXVII. Innocentius Papa III. moritur.

MCCXLVII. Fridericus Dux Auſtriæ contra Ungaros pugnans, juxta fluvium Leyta occubuit; Auſtrales tamen & Styrienſes victoria potiti ſunt.

MCCLIII. Hermannus Dux Auſtriæ moritur, cui ſucceſſit Ottakarus, filius Regis Bohemiæ: Dominam Margaretam, quondam Romanorum Reginam, & germanam Ducis Friderici, duxit in uxorem; ex qua copula rexit terram XXIV. annis.

MCCLX. Dux Ottakarus Auſtriæ contra Ungaros proceſſit ad bellum; ſed antequam vera pugna eſſet, duo fratres nobiles, Comites de B Hardek, cum pluribus nobilibus perierunt.

MCCLXI. Hoc anno quaſi per totum mundum quadraginta, vel ſexaginta, vel centum ſimul congregati currebant per eccleſias, ſe ipſos flagellis percutientes: qui Pœnitentes dicebantur.

MCCLXII. Ottakarus Dux Auſtriæ, dominam Margaretam repudiavit, & neptem Regis Ungariæ in uxorem duxit.

MCCLXVI. Obiit Domina Margareta, verus hæres terræ; & ſic terra vero hærede orbata.

MCCLXXIII. Comes Rudolfus de Alſatia, & caſtro Habspurch eligitur in Imperium.

MCCLXXVI. Rex Rudolfus Omnium Sanctorum intravit Auſtriam, quam videlicet terram Rex Bohemiæ cum Karinthia & Styria C Romanæ Sedi cum XXIV. annis gubernaſſet; violenter coactus reſignavit, ſuſcipiens ſuper jura Imperialia terras ſuas a Rege Romanorum.

MCCLXXVIII. Rex Ottakarus oppoſuit ſe Rudolfo Regi Romanorum, & collectis ex utraque parte exercitibus, congreſſi ſunt juxta fluvium Marchiam VII. Kal. Decembris: ibique cecidit Illuſtris Rex Bohemiæ Ottakarus cum multis.

MCCLXXXIII. Dux Albertus, primogenitus Regis Romanorum, Ducatum Auſtriæ & Styriæ eſt adeptus.

MCCLVIII. Translatum eſt Corpus S. Virgilii Saltzpurgæ, ejuſdem eccleſiæ quondam Epiſcopi.

MCCXC. Dux Albertus, miſſis chatmeariis in Zwetlam, juſſit mineras quærere in Macra curia; ſed Domino providente nihil inve- D nerunt. Eodem anno terra Sancta perditur, occiſis in Akkaron LXXX millibus Chriſtianorum, & juxta Sophoniæ vaticinium funditus eradicata.

MCCXCI. Obiit Illuſtris Princeps Rudolfus, Rex Romanorum. Eodem anno Andreas Rex Ungariæ cum innumera multitudine Ungarorum & gentium intravit Auſtriam, & ſex continuis ſeptimanis Wiennam impugnavit & obſedit; Barones autem terræ nihil contra eum fecerunt; tandem reverſus eſt in terram ſuam. Eodem etiam anno Comes Adulfus de Naſſaw eligitur in Imperium.

[1] *Manifeſtus hic error corrigendus eſt ex Chronico Zwetlenſi Vetuſtiori, quod ſic habet:* Anno ab Incarnatione Domini MLXXV. Erniſto Marchio in Saxonia occiſus eſt: Liupoldus filius ejus ſucceſſit.

[1] *ſupple num.* XXX.

MCCXCVI. Albertus Dux Auſtriæ filiam ſuam Katherinam Regi Ungariæ copulavit. Eodem anno Barones terræ meliores adverſus Ducem conſpiraverunt, habentes ſpem in Adulfo Rege Romanorum, ut eis in auxilium ſubveniret; ſed fruſtrati a ſpe ſua, a Duce ſunt oppreſſi valde. Alii de terra ejecti; alii a poſſeſſionibus ſuis & obligationibus projecti; inter quos Dominus de Sumeraw omnino eſt deſtructus.

MCCXCVIII. Albertus Dux Auſtriæ invitavit in Wiennam Regem Ungariæ, Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, duos Duces Karinthiæ, Ducem Opuliæ, Marchionem cum telo, duos Marchiones de Brannburch & alios plures Principes, ſpiritales & ſæculares; factæque ſunt nuptiæ magnæ. Nam Rex Bohemiæ filium ſuum filiæ Regis Ungariæ copulavit; ſed & ipſe Dux Albertus filiam de Brannburch tradidit Marchioni. Finitis nuptiis cum lætitia & exultatione, omnes ſupra dicti Principes Duci Alberto contra Regem Adulfum jurejurando fideliter juraverunt. Dux igitur Albertus cum adjutorio prædictorum Principum Sweviam potenter aſcendens, in vigilia Johannis Baptiſtæ a Domino Maguntino Epiſcopo & aliis Principibus apud Maguntiam in Imperatorem eſt electus, vivente Rege Adulfo: ubi congregatis ex utraque parte exercitibus ſuis, parvo poſt tempore ſimul ad bellum ambo proceſſerunt. In ipſo igitur belli congreſſu Adulfus Rex interfectus eſt. Quo interfecto, Albertus in imperio confirmatus, Bartholomæi Apoſtoli Aquisgrani coronatur; Ducatum Auſtriæ filio ſuo primogenito Rudolfo aſſignavit.

MCCC minus I. Rudolfus Dux Auſtriæ caſtrum Valchenberch Michaelis obſedit, jactisque in illud VII millibus octingentis magnis machinarum lapidibus, poſt diem Cinerum ſine omni gratia datur in manus obſidentium: quod etiam ſtatim deſtruitur, & terræ coæquatur.

MCCC. Dominus Leutoldus de Chunring poſt Nativitatem Domini duxit Dominam Agnetam de Swevia, comitiſſam de Habspurch. Eodem anno, videlicet centenario tanquam olim in Jubileo mira indulgentia & remiſſio peccatorum Romam venientibus promittitur; fitque tam generalis illuc fidelium concurſus mulierum & virorum, qualem noſtra ætas non meminit contigiſſe.

MCCCI. Andreas Rex Ungariæ obiit; & duo Reges, videlicet Karolus, hæres Siciliæ, per Papam miſſus, & Wenzezlaus, filius Regis Bohemiæ, filii duarum ſororum; tamen ultimo Karolus prævaluit. Eodem anno tres Epiſcopi, Colonienſis, Maguntinus, Treverenſis ſe Regi Romanorum oppoſuerunt: propter quod Domini terræ Sweviam aſcenderunt.

MCCCII. Hoc anno iterum Domini terræ Sweviam aſcenderunt in ſubſidium Regis Romanorum contra prædictos Epiſcopos, quos etiam devaſtatione, deprædatione urbium & caſtrorum, & aliis multis malis illatis, imperio ſubjugarunt. Eodem anno per nimiam intemperiem æſtatis & autumpni & frigus ita acria ſunt vina facta, ut non meminit aliquis homo.

MCCCIV. Rex Bohemiæ Wenzeslaus cum potenti manu Ungariam intrans, muneribus & potentia, inſignia regni Ungariæ obtinuit, hoc eſt, gladium & tunicam & Coronam S. Stephani Regis Ungariæ. Karolus vero filius Regis Siciliæ, ſpe adipiſcendi regni Ungariæ, non multo tempore poſt, regalium repetendorum cauſa, cum Comanis & Ungaris, bene XX. millibus, una cum Rege Romanorum de Swevia ſibi in auxilium veniente, & Duce Auſtriæ bene cum X. millibus pugnatorum Bohemiam intraverunt, ipſamque terram rapinis, ſpoliis & incendiis vaſtaverunt. Comani autem mira & inaudita perpetraverunt: nam rapinas hominum & jumentorum maximas abduxerunt, & nec ſexui, nec ætati parcentes, in Chriſtianos & maxime in fœminas facinora impudentiſſima exercuerunt: in Sacramenta etiam Eccleſiæ, eccleſiis effractis, blaſphemias intulerunt. Cumque clamor nimius de eis ad Regem Romanorum deveniſſet, Rex ab eis captivos poſtulavit, quod illi facere contempſerunt. Videntesque ſe jam rapinis & ſpoliis ditatos, noctu ex eis VII millia Ungarorum & Comanorum fugam inierunt: quod Rex audiens, quatuor millia virorum bene expeditorum poſt eos miſit; qui eos inter Vanveld & Altenburgam comprehendentes, ex eis & quadringentos occiderunt; alii fugientes evaſerunt; maxima autem præda hominum & jumentorum & armorum ibi ſoluta remanſit. Facta eſt autem hæc ſtrages in die S. Leodegarii Martyris.

MCCCV. Obiit Wenceslaus, Rex Bohemiæ VI, XI. Kal. Julii, amator Clericorum & Divini cultus, fundator aulæ regiæ in Bohemia.

MCCCVI. Wenceslaus Secundus, & VII. Rex Bohemiæ, adoleſcens in craſtino Inventionis S. Stephani in Olmuntz civitate Moraviæ a ſuis peſſime occiditur, & Rudolfus Dux Auſtriæ ibi in Regem ſublimatur.

MCCCVII. Rudolfus Rex Bohemiæ, cum vix adhuc cum aliquibus Baronibus concordaſſet, adhuc in caſtris contra rebelles pugnans maneret, obiit in vigilia S. Udalrici. Rex vero Albertus cum magna potentia Bohemiam intravit, volens ſecundum filium ſuum in Regem conſtituere, ſicut ſibi ab aliquibus Baronibus fuit promiſſum, per totam æſtatem terram incendiis & rapinis vaſtans, caſſo labore fatigatus, & ſpe fruſtratus, in Auſtriam eſt reverſus.

MCCCVIII. Rex Albertus iterum expeditionem inſtruens contra Bohemiam, in die SS. Philippi & Jacobi, cum jocunde cum ſuis Principibus & optimatibus, juxta civitatem Paden pertranſiſſet, a Duce Johanne, filio fratris ſui, & aliis tribus nobilioribus genere, quos tamen quaſi cuſtodes capitis ſui habebat, nequiter jugulatur, & ſic terra a prœliis aliquo tempore requievit. Hoc anno & hoc tempore occiſionis Regis Romanorum natus eſt Leutoldus de Chunring.

MCCCIX. Comes Heinricus de Lutzelburch in Regem eligitur Romanorum: quem Dux Fridericus adiit, poſtulans Auſtriæ & Styriæ ſibi & fratribus ſuis conferri principatum, quod Rex pro tempore diſtulit. Quod audientes

Barones terræ, cum aliquibus civibus oppoſuerunt ſe, vaſtantes & deprædantes terram, mittentesque nuntios Regi Romanorum, dixerunt: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

MCCCX. Dux Fridericus cum duobus fratribus ſuis, Leupoldo & Ottone, cum magno apparatu iterum venit ad Regem Romanorum: qui inclinatus contra eos, honorifice ſuſcepit eos, & conferens eis terras ſuas, & bene promittens eis, in pace dimiſit abire. Dux vero Fridericus reverſus ad ſuos, eos qui fidem in eo ſervaverant, bene remunerat, & gratias agit; rebelles vero Cives diverſis pœnis cruciat: nam illis linguas, aliis oculos eruit & abſcidit, alius rotatur, Barones caſtris & obligationibus privat, & alios exilio dampnat; ſicque vindictam de adverſariis ſuis recipit competentem. Eodem anno Dux Otto de Wabaria caſtrum in terra ſua, dictum Newnburch, cum multis laboribus expugnavit; ſed ſequenti anno a Duce Friderico cogitur reædificare. Eodem etiam anno Rex Heinricus Romam proficiſcitur, filium ſuum Dominum Johannem cum quibusdam potentibus Epiſcopis Bohemiam miſit, & terræ Bohemiæ commiſit principatum.

MCCCXI. Rex Heinricus cum adjutorio Ducis Leupoldi, fratris Ducis Auſtriæ, multas potentes civitates in Gallia expugnavit. Videntes autem Gallici, ſe non poſſe bene reſiſtere, toxico fontes & flumina & gramina infecerunt, & ſic hominum & jumentorum magnam multitudinem peremerunt. Eodem anno Omnium Sanctorum Clemens Papa univerſale Concilium civitate Vienna inchoavit, cujus Concilii acta & inſtituta antequam promulgarentur, juſſu ejusdem Papæ ignibus ſunt exuſta.

MCCCXII. Cariſtia tanta fuit, ut ante nova metreta tritici pro x. talentis venderetur: & ſimiliter alia annona gravi foro oportuit comparari. Obiit Dominus Leutoldus de Chunring Viti Martyris.

MCCCXIII. Hoc anno omnipotens & miſericors Dominus ſterilitatem terræ prioris anni omnium victualium abundantia compenſans, in tantum terram fructificare fecit, ut tempore novorum metreta tritici pro VI. denariis, & ſiligo pro IV. denariis venderetur: de vino etiam tantum provenit, ut unum vas pro alio repleretur. Eodem anno Chriſtianiſſimus Imperator Heinricus in partibus Galliæ a nefandis hominibus veneno eſt peremptus. Eodem anno Sereniſſima Domina Elizabet, relicta Regis Alberti, obiit in die Apoſtolorum Simonis & Judæ. Eodem etiam anno obiit Dominus Hadmarus de Valchenburch Kalixti. Eodem etiam anno Barones Wabariæ inferiores oppoſuerunt ſe Duci Ludwico, quibus Dux Auſtriæ Fridericus miſit in adjutorium dominum Ditricum de Pylichdorf cum aliquibus nobilibus terræ: quos etiam Ludwicus omnes captivavit: tamen eodem anno, concordantibus eisdem Principibus, omnes liberos dimiſit.

MCCCXIV. Duce Auſtriæ Friderico, & Ludwico Duce Wabariæ pro Imperio certantibus, & Electoribus diſcordantibus, quilibet a parte ſua in Imperatorem proclamatur: de quorum diſcordia tota Eccleſia perturbatur.

MCCCXV. Rex Fridericus decimam generalem de redditibus Religioſorum, & de vineis tam Religioſorum quam ſæcularium accepit. Eodem anno occiſus eſt Rapoto de Valchenberch.

MCCCXVI. Rex Fridericus Stiwram a civibus, videlicet decimam partem omnium, quæ habebant, ſub jurejurando recepit.

MCCCXVII. Hoc anno fames & ſterilitas inaudita facta eſt ex nive præteriti anni omnia ſata ſuffocante, & etiam ex inundatione Danubii & omnium fluminum, tam ex pluviis quam eruptione terræ venarum: quæ omnia ſata deſtruxit, ut raro panis triticeus, vel ſiligineus, ſed tantum avenacius haberetur.

MCCCXVIII. Obiit domina Agnes, uxor domini Alberonis de Seveld, in Paſcha. Obiit eodem anno Dominus Fridericus de Walſe Mariæ Magdaleniæ.

MCCCXIX. Rex Fridericus cum Epiſcopo Saltzpurgenſi, cum valido exercitu Wabariam aſcenderunt, ſe contra Ludwicum ad bellum præparantes. Cumque tertium diem belandi condixiſſent, Dux Ludwicus terga vertit Wabaros ſuos de infidelitate & perfidia accuſando.

MCCCXX. Rex Ludwicus cum Rege Bohemiæ Johanne Alſatiam aſcenderunt, in odium Ducis Leupoldi, bona ſua deprædantes: quibus occurrit Dux Leupoldus cum parva militia peditum, & magna multitudine [1] ambos Reges in fugam convertens. Sequenti vero die cum Rex Fridericus ad fratrem veniſſet, & ſe iterum ad bellum præparaſſent, iterum ſecundo fugiunt. Rex vero Fridericus cum fratre Duce Leupoldo usque ad quartum diem deſiderio pugnæ ſunt ſecuti. Obiit eodem anno domina Maria, uxor Domini Eberhardi de Walſe de Lintza.

MCCCXXI. Dominus Albertus Epiſcopus Patavienſis de Saxonia, primam Miſſam ſuam Wiennæ in octava Pentecoſtes ad Prædicatores ſollemniter celebravit.

MCCCXXII. Anno nono a contentioſa electione duorum Imperatorum, videlicet Ducis Friderici, & Ducis Wabariæ Ludwici, volens Dominus Fridericus finem huic liti bello facere, cum paucis de terra, parcens ſtipendiis, ſperansque in fratrem ſuum Ducem Leupoldum cum manu valida ſibi occurſurum, aſcendit Wabariam; ſed priusquam Dominus Leupoldus veniret, invaſus eſt a Ludwico Wabariæ, & Rege Bohemiæ. Commiſſumque eſt prælium, & victus eſt, & captus cum omnibus ſuis. Ipſe quidem Dominus Fridericus in Trawſeinnicht caſtro firmiſſimæ cuſtodiæ traditur; frater autem ejus Dux Heinricus a Rege Bohemiæ ſub firma cuſtodia cuſtoditur.

MCCCXXIII. Dux Heinricus, captivus Regis Bohemiæ, conſilio Regis Ungariæ Karoli dimittitur cum omnibus, qui ſecum fuerant captivati.

MCCCXXIV. Dominus Johannes Papa

[1] *deeſt forte in MS.* equitum.

nolens

nolens Ludwicum esse Imperatorem, eo quod A sine suo consensu de Imperio se intromisisset, & negotia Imperialia exerceret, & quia etiam ab omnibus Electoribus electus non esset. Ob quod prædictus Ludwicus offensus, Domino Papæ injuriosa verba oblocutus est, dicens, eum nec esse, nec posse esse Papam, & alia plura, de quibus melius est tacere quam loqui. Quod Papa percipiens, per omnes terras & ecclesias, accensis luminibus, & campanis pulsatis, eum sententia excommunicationis innodavit.

MCCCXXV. Rex Ludwicus, volens sibi subigere Ducem Leupoldum, obsedit civitatem Purgaw cum castro: quatenus illa expugnata, ad alias munitiones facilius se transferret. Quem Dux Leupoldus de eadem obsidione cum validо exercitu repulit violenter. Eodem anno Rex Ludwicus volens placare Papam: quia gravitèr contra eum deliquerat, Regem Fridericum, jam tertio anno captivum habentem, absque omni pecunia & exactione liberum dimisit & absolvit. Eodem etiam anno Dominus Johannes & Leutoldus de Chunring videntes se violenter a judicio civitatis Zwetl, quod de jure ad eos pertinet, omnino amotos; congregatis amicis suis, cum maxima multitudine a quinta feria Paschæ usque ad Dominicam *Misericordia Domini* prædictam civitatem violenter obsederunt. Cives vero civitatis videntes se a Domino suo de Liechtenstayn desolatos, licet inviti, se dominis de Chunring tradiderunt. Eodem etiam anno Dux Otto de consensu fratrum suorum, Ducum Austriæ, Claustrum Ordinis Cisterciensis fundavit, quod & Novum-Montem nominavit.

MCCCXXVI. Dux Leupoldus a Papa Johanne Decimas ab omni Clero & Religiosis per provinciam Salzpurgensem obtinuit, cum ea [2] contra Ludwicum ex parte Domini Papæ pugnaturus; sed jam literis scriptis & bullatis, idem Dominus Leupoldus apoplexia percussus moritur, & Clerus a tali vexatione liberatur.

MCCCXXVII. Duce Leupoldo mortuo, Ludwicus jam nullum timens, Romam proficiscitur, a Romanis honorificè susciptur, varia loca pertransiit, ibique per triennium moratur, Cæsarem se facit, antipapam creat, novos Cardinales instituit, alia etiam plura, quæ contra Papam & jura Ecclesiæ fuerant, ordinat & disponit: propter quod Dominus Papa ipsum Avinionis [3] & Diocesibus plurium terrarum excommunicat & anathematizat, & hæreticum atque fautorem hæreticorum appellat. Eodem anno Dux Heinricus Austriæ obiit, & in Chunigsveld sepelitur.

MCCCXXVIII. Karolus Rex Ungariæ, Johannes Rex Bohemiæ cum Duce Austriæ Ottone conspiraverunt contra Fridericum Ducem Austriæ cum aliquibus Baronibus de terra, volentes eum supplantare de terra, Austriam manu valida intrantes, spoliis, rapinis, incendiis omnia devastabant, has quoque munitiones expugnaverunt: videlicet Marchek, Velsperch, Rabenspurch, Ulreichschirchen, Egenburgam; Waythofen exusserunt igni. Ultimo cum non proficerent, & conatum suum perficere non valerent, Rex Bohemiæ Drosendorf civitatem obsedit, eam vi continuis septimanis machinis, fossoribus & aliis instrumentis impugnando: tandem sub quadam conditione se Regi Bohemiæ tradiderunt.

MCCCXXIX. Obiit Domina Gueta Comitissa de Oeting, soror Dominorum & Ducum Austriæ, vigilia Matthiæ Apostoli.

MCCCXXX. Obiit Nobilissimus Rex Fridericus in octava Epiphaniæ, & in Maurbach, quod ipse fundavit, monasterio, in sarcofago suspensus, reservatur. Obiit eodem anno Inclyta Domina Elizabet, uxor Domini Ottonis Ducis Austriæ, & filia Ducis Stephani de Wabaria in Annunciatione Beatæ Virginis.

MCCCXXXI. Johannes Rex Bohemiæ, & Karolus Rex Ungariæ secunda vice, accepta occasione, & in unum congregati, post festum S. Cholomanni Austriam iterum vastaverunt. Dux vero Albertus cum propter infirmitatem pugnare non posset, Ducem Ottonem, fratrem suum, Ducem belli constituit: qui, congregato exercitu, occurrit Regi Bohemiæ prope La. Cumque in crastinum pugnaturi essent, Rex Bohemiæ fugit; Dux vero Otto cum suis civitatem La obsedit. Factum est autem in vigilia S. Andreæ, ut tantum frigus & vis algoris veniret, ut nec homines, nec equi in castris possent permanere. Unde nostri necessitate compulsi, ad propria sunt reversi. Rex autem Bohemiæ festinato Sweviam ascendens, contentionem dominis suis commendavit: qui ad castra sua juxtà metas se locantes, per totam hyemem terram spoliis & incendiis vastaverunt, nemine resistente, præter Comites de Retz, & Dominis de Meissaw. Duravit autem hæc contentio usque ad quadragesimam anni sequentis.

MCCCXXXII. In qua quadragesima uno die venerunt ante Pulkam, ibique ad cccc. pauperes & inermes occiderunt, & multos pauperes captivaverunt. Post hoc in media quadragesima iterum Bohemi ratione prædandi juxta Mawrperg intraverunt terram: quibus Dominus de Hals cum aliis nobilibus ibi congregatis obvius fuit. Irrueruntque in eos, & plures ex eis occiderunt: inter quos unus de nobilioribus occisus est, reliqui captivati: inter quos etiam duo de Lyppa, videlicet Heinricus Ferreus, & Johannes frater ejus detenti sunt cum aliis, qui gladium evaserunt. Post quorum captivitatem terra a præliis pro tempore requievit.

MCCCXXXIII. Obiit Domina Katherina, Ducissa Kalabriæ, soror Ducum Austriæ vigilia S. Matthiæ, & sepulta Neapolis. Eodem anno Abbas Ditricus a colonis Monasterii per totam terram stiuram magnam comportavit.

MCCCXXXIV. Dominus Otto Dux Austriæ duxit Dominam Annam, filiam Regis Bogis Bohemiæ, in uxorem circà Carnis-privium. Eodem anno Dux Karinthiæ obiit, & Karinthia nostris Ducibus confertur.

[1] *leg.* habens. [2] *pro* iis. [3] Avenione vel Avinione.

[1] *deest in MS. num.* X.

MCCCXXXV.

MCCCXXXV. Obiit Dominus Abbas Ditricus Zwetlenſis in die Paſcæ.

MCCCXXXVI. Johannes Rex Bohemiæ iterum jam tertia vice, accepta occaſione, collecto exercitu, volebat Auſtriam intrare. Rex vero Ludwicus, congregato exercitu magno, Duces noſtros juvando, volebat ſuperius de Wabaria Bohemiam intrare: cui Rex Bohemiæ primo cum ſuo exercitu occurrit. Cumque vidiſſet fortitudinem adverſariorum, fugit, non valens faciem Regis Ludwici ſuſtinere, deſcenditque per terram ſuam, caſtra metatus eſt juxta Znoymam. Dux autem Otto cum maxima multitudine equitum, & infinita multitudine peditum, venit in occurſum ejus. Cumque in craſtino eſſent pugnaturi, neſcio quo conſilio occulto inter ſe decreto, factum eſt, ut Rex Bohemiæ retro ſe in Bohemiam fugeret [1]; Dux autem noſter cum omnibus fugit, ſuis non retro reſpicientes [2], ſed feſtinantes, donec unusquisque in ſua perveniret. Videns igitur Rex Bohemiæ neminem rebellantem, revertitur in Auſtriam, & obſedit Guntharſtorf, & expugnavit illud, & cepit in eo Eberhardum de Walſe de Lintza, & alios bene x. Miniſteriales. Similiter expugnavit Mawerperg & Weigerwerch, poſuitque in eis Michſenenſes, qui per totam æſtatem terram vexaverunt. Ipſe vero Rex obſedit cum reliquo exercitu caſtrum Seveld, quod etiam IV. ſeptimanis cum foſſoribus & machinis impugnavit. Dominus autem Albertus de Chunring timens periculum hominum in caſtro obſeſſorum, licet omnem habuerint copiam expenſarum & armorum, caſtrum prædictum Regi Bohemiæ conditionaliter reſignavit. Rex igitur Bohemiæ feſtinus aſcendens per terminos monaſterii, Sweviam feſtinavit: cui Abbas monaſterii feſtinus occurrit, expenſas, vinum videlicet & panem & alia, quæ habere potuit, toti exercitui, in quantum potuit, miniſtravit. Deinde ne nos & noſtros offenderet, Regi XL. ternarios vini promiſit.

MCCCXXXVII. Dux Albertus Stiwram maximam de vineis Monachorum, Clericorum & Civium ſuorum per totam Auſtriam tulit, vineas ſingulas taxans ſecundum montium & locorum qualitatem.

MCCCXXXVIII. Hoc anno Paſca Chriſtianorum cum Paſca Judæorum convenit, propter quod maximum exterminium factum eſt Judæorum. Nam poſt feſtum Paſcæ reperta eſt in Pulka in domo cujusdam Judæi hoſtia tota cruentata, & multis miraculis approbata, & non ſolum ab indigenis, verum etiam ab omnibus circumquaque terrarum populis humiliter viſitata, & devote venerata. Propter quod factum Chriſtiani zelo Divino permoti, circa feſtum S. Georii omnes Judæos in Pulka, Retz, Znoyma, Horn, Egenburga, Neunburga, Zwetl occiderunt, & combuſſerunt, & in pulverem redegerunt. Eodem anno obiit Inclyta Domina Anna, uxor Ducis Ottonis, & filia Regis Bohemiæ, III. Non. Septembris, & ſepulta in Novo-Monte. Eodem anno tempore meſſis de partibus marinis venerunt locuſtæ cum tanta multitudine & tot turmis, & ita ſpiſſæ volabant, quod etiam terræ obumbrabant, & ſplendor ſolis non poterat eas penetrare: quæ omnes ſegetes tritici, ſiliginis, avenæ, & omnia prata depaſtæ ſunt, & maximum terræ dampnum intulerunt. Eodem etiam anno ſpecialis amicus Monaſterii Fridericus Gnemhertl obiit, qui monaſterio multa bona fecit, XVII. Kal. Januarii.

MCCCXXXIX. Obiit Illuſtris Princeps Dominus Otto Dux Auſtriæ, & ſepultus in Novo-Monte, quod ipſe fundavit, XIV. Kal. Martii. Hic reliquit duos filios, videlicet Ducem Fridericum, & Ducem Leupoldum. Eodem anno Dux Albertus tulit Stiwram de omnibus Colonis tam Monachorum, quam Clericorum, de ſingulis ſingulos groſſos denariorum vel VII. Wiennenſium, & hoc tam de viris quam mulieribus, magnis & parvis: huic etiam vexationi pueri in cunis ſubjacebant.

MCCCXL. Tempore iſto fuit ruſtica pauper juxta Egenburgam, habens filiam unam, quæ una vice importune panem petiit a matre: cui mater (ſicut amararum mulierum mos eſt) cum ira & imprecatione panem dedit, dicens & imprecans: Accipe, quod Deus adjuvet me, quod de cætero nunquam plus comedas. Quod & factum eſt. Nam de cætero nunquam plus comedit, vivens ſine cibo plusquam x. annis, nihil guſtans niſi ſolam aquam, & hoc valde raro: mirantibus multis & non credentibus, donec probaſſent, & inveniſſent veritatem.

MCCCXLI. Illuſtris Dux Auſtriæ Albertus unacum conjuge ſua Duciſſa Monaſterium Zwetl viſitare dignatus eſt viſisque officinis & diverſis monaſterii ædificiis, magis autem ob Divinum cultum & perſonarum devotionem multum ædificatus & conſolatus, cum magna devotione receſſit, ipſumque monaſterium cum habitatoribus ſuis ſuper omnia monaſteria, quæ viderat, approbans & collaudans.

MCCCXLII. Obiit honeſtus Vir dictus Hermannus de Nuernberch, qui dedit Monaſterio bonam vineam, quæ dicitur Subenſtokkel.

MCCCXLIII. Inceptus eſt chorus noſter novus in Zwetl a Domino Ottone tunc Abbate, in vigilia S. Ambroſii Epiſcopi, primumque lapidem in perſona Domini Ducis Alberti poſuit nobilis Dominus Comes Rudolfus de Oetinga, ſororius Dominorum & Ducum Auſtriæ.

MCCCXLIV. Obiit Illuſtris Princeps Dux Leupoldus, filius Ducis Ottonis Ducis Auſtriæ, junior filius, in die S. Laurentii M. Eodem anno obiit Illuſtris Princeps Dux Fridericus, etiam filius Domini Ottonis Auſtriæ Ducis, ſenior filius, ambo nepotes Ducis Wabariæ; obiit autem III. Idus Decembris.

MCCCXLVI. In Converſione S. Pauli Ludwicus Rex Wabariæ, Illuſtris Marchio Bohemiæ, Karolus Rex Ungariæ convenerunt in Wiennam ad Nobiliſſimum Ducem Auſtriæ Albertum ratione conſilii, & de pace terrarum pertractandum. Eodem anno circa feſtum Bar-

[1] *leg.* reciperent. [2] *leg.* reſpicientibus, ſed feſtinantibus.

Bartholomæi Apostoli factum est prælium inter Regem Angliæ, & Regem Franciæ, sed Rex Angliæ gloriose triumphavit; tamen, sicut fertur ab his qui interfuerunt, quod in eodem bello ad L. millia hominum ex utraque parte ceciderunt: inter quos etiam Rex Bohemiæ Johannes Cæcus, Vir belligerosus; & pace [1] impatiens occubuit, filio suo Marchione semivivo vix evadente, ibique cecidit Heinricus de Chlingwerch cum pluribus aliis de terra. Eodem anno obiit Inclytus & Nobilis Comes Dominus Ludwicus de Oeting, aliquando sororius & semper intimus amicus Dominorum Ducum Austriæ, & sepultus in monasterio Zwetl in novo Choro; obiit autem Michaelis.

MCCCXLVII. Obiit Dominus Johannes Parisiensis Plebanus in Hoslein, qui testatus est monasterio ad novum chorum c. talenta, & bonos libros ad bibliothecam pro ædificatione & consolatione Monachorum; obiit autem III. Id. Januarii. Eodem anno in crastino S. Dionysii Ludwicus Rex Wabariæ, qui se multis annis Imperatorem & Cæsarem gessit, in venatione subito de equo & cum equo, cui insidebat, corruens, extinctus est: & sic in excommunicatione Apostolicorum quatuor tali subita morte est præventus. Eodem anno tota æstas ita frigida fuit & pluviosa, ut omnes fructus terræ tardius provenirent & colligerentur, & per consequens omnes fructus immaturi. Nam & fructus vinearum, videlicet botri ita duri erant, ut non solum non comedere; sed & vix quis gustare posset. Similiter & vina ita acria fuerunt, sicut [2] meminit aliquis homo, fuitque annus iste similis anno Jubileum [3]: in quo etiam tunc talia vina acria, & tardi fructus & immaturi provenerunt.

MCCCXLVIII. In Conversione S. Pauli factus est terræ motus ita magnus, quem nostra ætas non meminit. Nam Carinthia, Styria, Carniola usque ad mare plusquam XL. firmissima castra & civitates subvertit, & mirum in modum montem magnum super altum montem projecit, & ibi aquam fluentem obstruxit, quæ etiam plures villas submersit. Eodem anno XII. Kal. Martii obiit Dominus Johannes de Chunring. Eodem etiam anno XII. Kal. Septembris obiit Dominus Leutholdus de Chunring, frater ejus, in crastino S. Bernhardi Abbatis. Eodem etiam anno facta est pax & concordia inter Regem Bohemiæ (qui & Imperator est electus a Papa) & Ducem Austriæ Albertum, ita ut filius Ducis Alberti Rudolfus duxit filiam Regis Bohemiæ. Præterea Dux Albertus sumpsit terras suas more solito a Rege & Imperatore Bohemiæ. Hæc acta sunt in castro Seveld Dominorum de Chunring. Eodem anno consecrata sunt quatuor altaria in novo choro in Zwetl a Venerabili Domino Gotfrido Pataviensi Episcopo XVIII. Kal. Decembris.

MCCCXLIX. Obiit Dominus Johannes de Chunring, filius Domini Alberonis de Seveld, VII. Kal. Februarii, hoc est in crastino Conversionis S. Pauli. Eodem anno IV. Non. Februarii, hoc est, in die Purificationis Beatæ Virginis, factus est terræ motus magnus hora nona.

[1] *l.* pacis. [2] *supp.* non. [3] *f.* Jubilei.

ADDITAMENTA AD PRÆDICTUM CHRONICON ZWETLENSE,

AB ANNO MCCCXLIX. AD MCCCCLVII.

NUNC PRIMUM IN LUCEM ERUTA EX COD. MS. EJUSDEM MONASTERII.

ANno Domini MCCCXLIX. Incœpit pestilentia heu! post terræ motum: & pestilentiam quidam prævenientes, per ecclesiam nudati usque ad cingulum acutis flagellis usque ad effusionem sanguinis se flagellantes, decurrebant cum cantu de Passione Domini, plurimos aspicientes in lachrymas commovebant. Plurimi etiam scandalizati, cavillantes hanc pœnitentiam juri esse contrariam, cum dicat scriptura: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Mox circa festum Johannis Baptistæ facta est pestilentia, qualis nunquam audita, vel visa est; ita ut in civitate Wiennensi una die quingenta funera haberentur: & tamen omnes rite Sacramentalibus procurati, per triduum, & quasi dormiendo, & cum magno fœtore leniter decesserunt; ulcera habentes quidam circa genitalia sicca; quidam, vesicas in cute. De quibus suspicati sunt quidam, Judæos hoc in ultionem inter Christianos effecisse: quidam, pulveres, fontes & omnes aquas per nuntios etiam Christianos infecisse: de quibus plurimi sunt exusti, & in superioribus partibus omnes Judæi occisi, & jugulati sunt: etiam in Chrems circa festum S. Michaëlis omnes Judæorum domus adustæ sunt paucis Judæis evadentibus. Quapropter Dux Albertus, fautor Judæorum, omnes adiacentes villas jussit spoliare. Hiems nebulosa, ver optimum & floridum. Tunc Cordialis legatus Domini Papæ in Austria cum Rege Ungariæ colloquium habuit, & multis gratiam fecit.

Anno D. MCCCLI. Factum est magnum disturbium in Dominis de Walse, & Dominis de Nova Domo, ita quod tota Austria fere vastata fuerit. Tandem Dominus de Nova Domo capitur, & pax redintegratur.

Anno D. MCCCLII. Circa festum Pentecostes Dux Austriæ Albertus accepit exactiones ab omnibus monasteriis Religiosorum, Nigrorum, Griseorum, Regularium, cruciferorum, Templariorum, Parochianorum, & omnium qui in Austria prædia habebant, quamvis in alienis terris & provinciis sint morati. De quolibet laneo unum aureum, & medium florenum de area, cum qua pecunia eodem tempore ascendit versus Sueviam, conducendo de iisdem suis pro comitiis stipendiariis, pugnaturus

contra provinciam, quæ dicitur Sweintz, qui obsessi fortissime se & sua defendentes, ac viriliter resistentes per tres menses. Dux Albertus tristis secessit, dimissis exercitibus: ex quibus aliqui occisi de Austria fuerunt. Interea Ducissa Joanna, uxor Alberti, acerbissima morte præventa etiam partum abortivit; & sic cum maxima phrenesi extincta est. Quod Dux percipiens, maxime condoluit, & ad exequias ejus descendendo, festinavit, atque in Gemnik, præsentibus multis Abbatibus & Prælatis, sepulta est.

Anno Domini MCCCLIII. Karolus Rex Bohemiæ, eo quod clenodia Imperialia habebat, & Rex Ungariæ, gener ejusdem Regis, & Marchio de Branburch & alii Comites quamplures circa mediam Quadragesimam Wiennam ad Ducem Albertum causa consilii venientes, secreto inter se mutuæ amicitiæ renovationem facientes, ac post Pascha in Pragam iidem Principes congregati duos pueros conjunxerunt. In die Pentecostes Dux Albertus Austriæ cum septingentis equis apud nos in monasterio pernoctans, transiit ad congregatos Principes & Regem Karolum in Witra, per septem dies ibi morando propter consilia & auxilia contra Zurcenses: & postea Albertus Dux cum Rege Karolo, & filio suo Rudolfo ad monasterium sunt reversi; qui Karolus tanquam strenuissimus Augustus ac Cæsar excellentissimus, & gener ejus Rudolfus, filius Alberti tanquam Rex Romanorum, cum Reliquiis omnes [1] induti sacerdotalibus sunt suscepti; & refecti copiose. Karolus igitur ad Danubium versus Ungariam properans, quid ibi acturus sit, noverit ipse.

Anno Domini MCCCLIV. Dux Austriæ Albertus circa Pentecosten ascendit cum Australibus & Stiriensibus quasi mille galeatis secum assumptis contra Zurchensium civitatem .... promeria & vineta vastantes, & civitatem expugnare volentes. Dux Albertus cum filio suo Rudolfo .... versus Wiennam tendendo, quatenus tertiam exactionem .... & Religiosis extorquere possit. Interea Karolus Rex Bohemiæ transire parat.

Anno Domini MCCCLVI. Rex Ungariæ, assumptis secum militibus ab Alberto Duce Austriæ, contra Venecias pergens, quem Dux Albertus subsequens, in pace omnia redegit. Interea Australes circa festum S. Michaelis magnam prædam Moravia abducentes, licet Albertus Dux adhuc absens esset. Quapropter motus Comes Moraviæ, frater Karoli Imperatoris, collecta militia Austriam intravit, & rapinis & incendiis omnia vastabat. Quod Dux Albertus audiens, versus Wiennam properat, omnes cives ad expeditionem destinare disponit. Interea ducentos armatos in Waidhoven a Duce Alberto ad custodiendas metas asserunt transmissos, & sibi expensas a Monasterio per litteram Ducis per 14. dies imperant abundantius ministrare; sed hyeme interveniente pax reformatur usque Georgii Martyris.

Anno Domini MCCCLVII. Circa Purificationem Rex Ungariæ cum Regina sua Wiennam ad Ducem Albertum causa solatii adveniunt, carnisbrivium ibi cum cæteris Nobilibus peragentes, & interim iidem Principes secreta negotia inter se tractantes.

Anno Domini MCCCLX. Rudolfus Dux Austriæ movit validum exercitum, & ascendit in Bavariam, & expugnavit castrum Ried: ubi ictu lapidis machinæ, Deo volente & Virgine gloriosa, interemptus est Q.... de Meisslaw.

Anno Domini MCCCLXXII. Prædictus Albertus obsedit castrum prope Leybs, scilicet Schönberkch. Tandem Dominus Schonberckarus, bonus fautor Monasterii, obtulit se Duci in gratiam. Eodem anno idem Albertus obsedit castrum Grueb 4. hebdomadibus. Tandem Dominus illius castri, scilicet Dapifer obtulit se prædicto Duci in gratiam.

Anno Domini MCCCLXXV. Idem Albertus obsedit castrum Schawnberch, in quo fuit Heinricus Comes: in idem castrum injecta in parvulis vasis multa stercora hominum de machinis, id est antberich; sed prædictus Dux nihil profecit. Nam aliqui Barones sui fuerunt proditores, id est Holbanger, scilicet Dominus Haidenreich de Meisslaw, & quamplures Domini receperunt florenos in fiasculis a prædicto Comite, & salvaverunt sibi castrum; & sic prædictus Albertus Dux Austriæ confuse recessit ab obsidione castri, & repatriavit. Unde valde offensus aliquos illorum Dominorum, qui fuerunt proditores, interemit. Nam (ut dicitur a quibusdam) istum Heidenreich de Meisslaw trusit ad unum saccum, & submersit eum in aquis. Et alios spoliavit bonis suis, præcipue Johannem de Liechtenstain, qui fuit eodem tempore Magister curiæ, captivavit in civitate Gamunden juxta lacum, & vinculavit eum, & posuit eum captivum in castro, quod dicitur Pernstain prope Kirichdorf, & abstulit ei omne aurum & argentum, & omnia castra & villas, & Wiennæ in curia, quæ dicitur Sau-Marckh, & scutellas argenteas & scyphos & flascones, qui fuerunt inventi in cista magnæ æstimationis, & nihil sibi dimisit, & dicitur a quibusdam, quod eum tandem in aquis submerserit.

Anno Domini MCCCLXXXI. Facta est mortalitas hominum in tota terra Austriæ, ita quod in civitate Zwethlensi una die aliquando funera 14, aliquando 23, aliquando 20 [1] qui tantum ad tres vel quatuor dies in infirmitate positi sunt.

Anno Domini MCCCLXXXIII. Dominica post Jacobi Pillung, qui tunc præsidebat castrum in Rappotenstain, veniens mane cum triginta septem equis, vel quasi, & recepit in grangia nostra Retschen 1300. oves.

Anno Domini MCCCXC. Idem Albertus obsedit castrum scilicet Lenstayn tribus mensibus, quod fuit Wilhelmi Rörer: tandem cepit castrum, & funditus destruxit. Eodem anno destruxit castrum Gruenenpürch situm prope Lantstayn.

Anno Domini MCCCXCV. Obiit Albertus Dux inclytus Lauchsenwurch, & in Wienna sepultus. Requiescat in pace.

[1] leg. ab omnibus, (scilicet Monachis Zwetlensibus) indutis &c.

[1] deest in MS. forte numerata fuerint:

Anno

Anno Domini MCCCCII. Hainricus A Dürntewfel de Geiſpicz fecit contra jusjurandum, quod ſpopondit literis & ſigillis, & cœpit rebellare cum ſuis ſupra dictis ſociis, ſcilicet Alberto de Vetaw &c. Et cepit doloſe & nequiter & furtive, de nocte ſcandendo caſtrum in Cznaym, quod emerat parvo pretio a quodam vigili: qui avaritia ductus, tradidit ei caſtrum in ſilentio noctis, & ſic furtive cœpit ſcandere ad caſtrum cum ſuis ſatellitibus. Cives vero urbis de mane valde perterriti ſunt de amiſſione caſtri, & cœperunt ſe viriliter defendere: ſed tandem non valentes reſiſtere, obtulerunt ei civitatem, quam tenuit cum caſtro tres annos; ſed tandem ab ea doloſe expellitur a Marchione Jodoco Moraviæ, ut poſtea patebit. Ipſe etiam Dürntewfel multa mala exercuit in Auſtria, capiendo doloſe & ſpoliando civitates & villas, ſcilicet Cyſterſtorf & Aſparn & alia multa oppida. Unde valde offenſus inclytus Dux Auſtriæ, ſcilicet Albertus, collegit validum exercitum; & intravit Moraviam, & obſedit civitatem Cznaym ſcilicet A. D. 1403 circa feſtum Margarethæ Virginis usque ad feſtum Exaltationis S. Crucis: & heu! nihil profecit, nam aliqui magnates ſui, ſcilicet aliqui Domini Auſtriæ acceperunt florenos in flaſculis & in ſaccu-lis a ſupra dicto Hainrico Durentewfel, & defenderunt ſibi civitatem. Videns vero inclytus Dux, quod nihil proficeret propter proditores, id eſt Holbanger, receſſit ab obſidione Cznaymenſi, & venit in Newnburgam: ibi veneno a proditoribus extinctus eſt. Eodem anno, quo prædictus Dux Albertus confuſe receſſit ab obſidione urbis, capta eſt urbs a Jodoco Marchione Moraviæ; ſed doloſe per proditores, & iſte Hainricus Dürentewfel per fugam elapſus eſt.

Anno Domini MCCCCIII. Captus fuit Illuſtris Rex Wenceslaus Bohemiæ a fratre ſuo Sigismundo Rege Ungarorum, non in prælio, ſed in civitate ſua Praga, & Marchio Moraviæ. Iſti ambo captivati fuerunt a Rege Ungarorum Sigismundo in caſtro, quod dicitur Schawnberch. Tandem Wenceslaus Rex Bohemiæ ductus fuit Wiennam, & poſitus in cuſtodiam circa feſtum Marcellini Martyris, & per integrum annum usque Martini per fugam occulte rurpiter elapſus eſt. Sed prædictus Marchio de Moravia, qui dicitur Proco [1], qui multas lites ſuſcitavit, captivus ductus fuit a ſupradicto Rege Sigismundo Ungarorum in Presburch, & ibi poſitus in carcerem, ubi miſerabiliter defunctus eſt poſt duos ſuæ captivitatis annos. Item A. D. MCCCCIII. Facta eſt ſuſuratio [2] in Gerewn in Auſtria: ubi multi Nobiles & ignobiles ſuſpenſi & decollati ſunt, & multa caſtra deſtructa ſunt.

Anno Domini MCCCCV. Wilhelmus Dux Auſtriæ, & Albertus Dux Auſtriæ avunculi ſimul regnantes, moverunt validum exercitum, & intraverunt Moraviam, & obſederunt caſtrum Weicherslag, quod ipſi Bohemi doloſe abſtulerant. Tandem ceperunt, & habitantes in caſtro ſuſpenderunt, & plurima caſtra obſederunt, & tandem Deo adjuvante ceperunt. Videntes vero Domini Moraviæ, ſcilicet Heinricus de Nova domo, Heinricus de Geiſpicz, dictus Durentewfel, cum fratribus ſuis, & Albertus de Vetaw, ſe non poſſe reſiſtere prædictis Ducibus Auſtriæ; obtulerunt ſe unanimiter prædictis Ducibus ad gratiam: & caſtra, quæ eis Duces per vim abſtulerunt, reddiderunt ipſis, & ſpoponderunt ſe prædicti Domini Moraviæ cum litteris ſigillatis, prædictis Ducibus fore ſemper obedientes, & eis apparere, quocunque eos vocaverint. Quæ omnia non tenuerunt ratum, & mentierunt, & fecerunt contra proprias litteras ſuas & trewgas: ipſi non una vice apparuerunt in Bohemia, ſcilicet eodem anno: quo fuerunt coacti a ſupra dictis Ducibus Auſtriæ.

Item Anno Domini MCCCCV. Albertus de Vettaw cepit doloſe ſcilicet de nocte civitatem Droſendarf, & cœpit fortiter caſtrum in eadem civitate impugnare. Sed inclytus miles Dominus Zacharias Häderer cœpit ſe de caſtro cum lapidibus & ſagittis viriliter defendere, mittens ad Ducem Auſtriæ Wilhelmum pro auxilio: qui miſit ſibi ſtatim in auxilium magnam multitudinem ruſticorum & civium & Baronum, qui intrepidi intraverunt per caſtrum & civitatem, & cœperunt fortiter Bohemos impugnare, & per portam vi ruſtici intraverunt, & etiam portam fregerunt, & civitatem intraverunt. Videns vero prædictus Albertus de Vetaw iram ruſticorum Auſtriæ non poſſe evadere, ſimulavit ſe eſſe unum civem de Lewbs. Sed quidam terribilis ruſticus eum novit, dixitque ad eum: Tu es ille peſſimus Albertus de Vetaw, nam loquela tua manifeſtum te facit. Et arripiens cuſpidem, percuſſit eum ad caput, quod cecidit de equo. At vero alii ruſtici concurrentes, cœperunt eum lanceis, gladiis & cuſpidibus perforare; & ſic idem in continenti miſerabiliter a ruſticis interemptus eſt. Sed aliqui Barones Auſtriæ ipſum libenter eripuiſſent de manibus ruſticorum, ſed non valuerunt. Item cum corpus ejusdem Alberti de Vetaw exueretur ad lavandum (uti mos eſt Dominorum) apparuerunt 36. fixuræ in corpore, exceptis vulneribus & plagis, quæ ſibi omnia illata fuerant a ruſticis; nam ipſe eos ſæpe ſpoliavit & vinculavit, unde ipſi ſe in eo vindicaverunt. Sed ſui ſatellites aliqui furtive fugam dederunt de civitate, & multi ſubmerſi ſunt in flumine, alii interfecti; & ſic prædicta civitas Droſendarf erepta eſt de manibus Bohemorum: nam ruſtici in uno cellario invenerunt 52. Bohemos latitantes, quos ſtatim ſine omni miſericordia interfecerunt.

Anno Domini MCCCCLVII. In die S. Clementis Nobilis & Inclytus Ladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ, Dux Auſtriæ & Marchio in Moravia, interfectus eſt a perverſis & neſandis hæreticis in civitate ſua Pragenſi, non in prælio, ſed doloſe & in occulto, in cubiculo ſuo. Unus magnus planctus factus fuit in univerſis regnis: unde factum eſt ſequenti anno, quod quaſi tota terra Auſtriæ devaſtata eſt per Bohemos, & multa caſtra ſunt deſtructa, & villæ ſuccenſæ ſunt igni, & magna Kariſtia ſubſecuta eſt per totam Auſtriam, ita quod una metreta ſiliginis vendebatur, pro ſex ſolidis denariorum, & magna perſecutio facta fuit in Clero, & præſertim Monaſteriorum.

[1] Procopius. [2] Conſpiratio.

AUCTORIS INCERTI CHRONICON AUSTRIACUM

AB

ANNO PRIMO ÆRÆ CHRISTI AD ANNUM EJUSDEM MCLXXXIX.

Secluſis vulgaribus & inutilibus, quæ annum Chriſti 1012. præcedunt, minimeque ad Hiſtoriam noſtratem ſpectant,

NUNC PRIMUM IN VULGUS EDITUM EX AUTHENTICO MEMBRANEO CODICE MS. BIBLIOTHECÆ ZWETLENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. CHronographus iſte quis fuerit, mihi penitus incompertum. Ex brevibus illis annotationibus, quæ huic Chronico ad annum 1138. interſeruntur in hæc verba: *Monaſterium Virginis glorioſæ in Czvvettla fundatur a Chunringariis*; itemque ad annum 1159. *Conſecratum eſt Monaſterium Virginis Mariæ in Czvvettla*; ex brevibus, inquam, his annotationibus nonnemo ſuſpicetur Chronici Scriptorem fuiſſe quempiam ex Cœnobitis Zwettlenſibus. At eæ minoris momenti ſunt ac ponderis, quam ut id ſimile vero reddant, nedum perſuadeant. Præterquam enim quod nullam toto opere mentionem Monaſterii Zwettlenſis, aliorumve ad id ſpectantium faciat hic Auctor, etiam prædictæ annotationes tribus fere poſt ſæculis, quam Chronicon perfectum eſt, attextæ fuere, id quod ipſum codicem MS. conſulturi quique manifeſto comperient. Sed quanquam de Auctoris nomine fortunave certi nihil habeamus, dubitari tamen nequit, hominem gente fuiſſe Auſtriacum, aut certe, cum lucubrationi ſuæ daret operam, in Auſtria ætatem egiſſe, ut qui non uno loco nec ſimplici vice Auſtriam *Provinciam noſtram* vocet. *Rex Ungarorum* (inquit ad annum 1112.) *de terra ſua egreſſus manubias ac prædam magnam de Auſtria, provincia noſtra, abduxit.* Plura in hanc rem teſtimonia videſis ad annos 1118. & 1147. Ad ætatem ejus quod attinet, ſatis conſtare poteſt ex iis, quæ ad annum 1187. denarrat, eum vergente ad finem ſæculo Chriſti duodecimo animum ad ſcribendum adpuliſſe. Siquidem captam a Saladino Hieroſolymorum urbem iis verbis, eoque leſſuum & lamentorum apparatu anno Chriſti 1187, quo ea Chriſtianis clades evenit, conſignat, quæ hominem recentis ſtragis imagine plenum, & tantum non ſpectatorem arguant. Adde, quod ad inſequentem annum 1188, quo Comitia generalia Moguntiæ ſub Friderico I. Imperatore pro recuperanda Terra Sancta a Germaniæ Principibus agitata ſunt, Heinricum Cardinalem Albanenſem, & Legatum Gregorii Papæ Octavi (*Urbano* [1] *recenter mortuo*, ut diſerte ſcribit idem Auctor) mox memoratis Comitiis præſentem interfuiſſe narret. Quæ verba: *Urbano recenter mortuo*, facilem, ut equidem opinor, fidem faciunt, Chronographum noſtrum tum Urbano III, tum Gregorio VIII, qui duo Romani Pontifices ab anno Chriſti 1185. ad 1187. ex ordine Eccleſiæ præfuerunt, contemporaneum extitiſſe. Ad ultimum vel una ſcripturæ forma, qua totum Chronicon ab una eademque manu in membranis deſcriptum eſt, penitus efficit, ejus Auctorem Sæculo Chriſti duodecimo inferiorem eſſe haud poſſe, utpote quod ſcripturæ genus certa prædicti Sæculi XII. veſtigia conſervat, ut de ejus ætate nemo niſi harum rerum omnino ignarus dubitare queat.

II. Hic quidem Anonymus operis ſui initium in primo naſcentis Ser-

[1] *ejus nominis III. P.R.*

vatoris

vatoris anno ponit, finem autem in anno æræ Chriſtianæ Milleſimo centeſimo octoageſimo nono; ſed conſultum nobis viſum eſt, demptis iis omnibus, quæ annum 1012. antevertunt, editionem Chronici præſentis a jam memorato anno, a quo primum Res Auſtriacæ attinguntur, ordiri. Ea enim, quibus tempora Chriſti, ſæpe dictum annum 1012. præcedentia, Scriptor exornavit, ex vulgatis Hermanni Contracti Chronicis fere totidem verbis adoptavit: quæ cum in Chronico Mellicenſi, aliisque vulgatis Auctoribus jam paſſim habeantur, hic recudere otioſum & incommodum duximus. Hunc porro Chronographum in perſcribendis rebus Auſtriacis, quæ annum Chriſti 1012. usque ad ejusdem annum 1174. conſequuntur, ex laudato quoque Chronico Mellicenſi multa verbotenus deprompſiſſe, paulo accuratior utriusque operis collatio demonſtrabit; tametſi non minus certum ſit, in conſignandis rerum geſtarum annis non leve ſubinde inter utrumque diſcrimen intercedere.

III. Neque illud obſervare ſupervacaneum viſum eſt, ab Anonymo noſtro Auctore ea omnia, quæ ab anno Chriſti 1160 ad annum 1170. in litteras retulit, ex Incerto illo vetuſto Scriptore, qui apud Chriſtianum Urſtiſium Radevici Libro II. de Geſtis Friderici I. Imperatoris ſubjungitur, tantum non exſcripta fuiſſe: una duntaxat Epiſtola, quæ ad memorati Veteris Auctoris calcem annectitur, excepta. Serius id quidem animadverti, cum ſcilicet Chronico hocce ex codice MS. Cœnobii Zwetlenſis jam pridem deſcripto, Urſtiſianum Germanicorum aliquot Scriptorum Syntagma diligentius evolviſſem. Verum id minime tamen impediit, quo minus ſupra dictum antiquum Chronographum ad mox nominati codicis Zwetlenſis fidem ſtudioſe exactum, denuo typis committendum exiſtimarem; maxime cum inſignes aliquot loci, qui apud Urſtiſium mendoſi corruptique extant, ex altera hac editione multum emendari reſtituique poſſint, quemadmodum id ex variante ſcriptura, quam adpoſitis aſtericis ad oram conjecimus, Lector perſpiciet. Interim nemo inficiabit, rerum illarum hiſtoriam, quæ ab anno Sæculi duodecimi ſeptuageſimo ad annum ejusdem undenonageſimum, ipſa ſcilicet Auctoris ætate, in Auſtria, Hungaria & Bohemia geſtæ ſunt, ex ſubjuncto noſtro Scriptore plurimum illuſtrari: cum, quæ cæteri Scriptores de rebus eo ævo per has terras geſtis vel penitus ſcribere prætermiſerunt, vel certe paucis delibarunt, hic non exhibeat modo, ſed multo etiam uberius copioſiusque exponat. Ut adeo luculentum in Republica litteraria meritum poſuerit Admodum Reverendus ac Religioſus Dominus P. Bertrandus Gſenger Cœnobita Zwetlenſis, qui authenticum codicem ex opulenta Monaſterii ſui Bibliotheca, cui cum laude præeſt, nobis benigne ſubmiſit & accommodavit: ex quo Chronicon iſtoc noſtra manu bona fide expreſſum, annis qui in eo vacui apparebant expunctis, Tibi, erudite Lector, proferre jam libet.

INCERTI AUCTORIS CHRONICON AUSTRIACUM.

ANnus I. Jeſus Chriſtus, Dominus noſter, in Bethleheim naſcitur anno quadrageſimo ſecundo Octaviani Auguſti Cæſaris &c. .....

MXII. Beatus Cholomannus martyrizatus eſt, & ſuſpenſus apud Stocherowe[1]. Hermannus Dux junior obiit. Chunradus Dux, filius Ottonis, obiit.

MXIII. Hoc anno S. Cholomannus ſepultus eſt in eodem loco [1].

MXIV. Hoc anno S. Cholomannus a Megingaudo Heiheſtenenſi [2] Epiſcopo in Medilicca ſepultus eſt. Heinricus Romæ Imperiali benedictione coronatur a Benedicto Papa.

[1] *puta* Stocherowe. [2] *i.* Eyſtetenſi.

MXV. Erniſt Dux ab Alberone Comite in venatu ſagitta occiditur.

MXVII. Gotifridus Dux vicit Gerhardum.

MXIX. Chunradus puer, auxiliante patruele ſuo, Imperator efficitur. Chunradus poſtea Imperator Alberonem Ducem pugna vincens, fugavit.

MXX. Benedictus Papa Babenberch veniens, Eccleſiam S. Stephani dedicavit. Werinharius, Argentinæ Urbis Epiſcopus, cum Alamannis contra Burgundiones pugnavit, & vicit.

MXXI. Terræmotus factus eſt magnus IV. Id. Maji.

MXXII. Heinricus novam Trojam cepit: & magna in exercitu mortalitas facta eſt. Nothgerus Magiſter obiit.

MXXIV. Heinricus Imperator III Id. Julii ſine hærede in Saxonia obiit; cujus corpus inde ductum in Babenberch, Epiſcopio a ſe facto, in Monaſterio S. Petri ſepelitur.

MXXV. Chunradus Imperator, natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cujus tamen gratia ſemper carebat, uxorem Giſilam de Karolorum genere habens de Limpurch (de qua genuit Heinricum, qui ſibi ſucceſſit) pene annos XV. regnavit. Magna diſſenſio in Regno contra Chunradum efficitur. Heinricus II, invaleſcente infirmitate, III. Id. Julii hanc vitam exceſſit: cujus corpus de Saxonia ad ſepeliendum Babenberch Epiſcopatum, quem ipſe fundaverat, ducitur. Poſt cujus obitum Imperatrix Chunigunda, quamvis maritali jugo tunc eſſet deſtituta, conſilio tamen fratrum ſuorum, Theodrici Metenſis Epiſcopi, & Hezilonis Ducis Bawariæ, Reipublicæ & Imperii honori ſollicite providebat. Nam cum Imperator ſine filiis obiiſſet, quilibet primus fieri appetebat; unde diſſenſio magna in Imperio orta, cædes, incendia & rapinas excitavit, niſi illuſtrium virorum coërcerentur providentia. Erant tunc in Regno primi Eccleſiaſticæ Religionis viri, Arbo Moguntinus Archiepiſcopus, natione Noricus, Colonienſis Pilgrimus, conſanguineus Arbonis, Treverenſis Poppo, frater Erneſti Ducis (qui eodem tempore filium fratris ſui, Ducem Erneſtum, cum Ducatu Alamannorum ſub tutela habuit) Metenſis Theodricus, Argentinenſis Wernharius, Wirzpurgenſis Mazelinus, Babenbergenſis Heberhardus, Conſtantienſis Heimo, Auguſtæ Vindelicæ Bruno, frater Heinrici Imperatoris (clarus in Regno, ſi fraterno odio, quo Imperatori oberat, non obſcuraretur) Juvavenſis Guntharius, frater Hermanni & Erkenhardi Comitum, Ratisponenſis Gebehardus, Friſingenſis Eigilbertus, & multi alii in electione Romani Principis convenerant. Italiæ Principes, qui in brevi ad Regiam electionem Romani Principis convenire nequiverant, cum Archiepiſcopo Mediolanenſi in urbe Conſtantienſi ad Regem electum convenerunt. Duces etiam ſupradictis his viris contemporanei fuerunt: Penno Dux Saxoniæ, Albero Dux Hiſtriæ, Hezil Dux Bawariæ, Erneſt Dux Alamanniæ, Liutharingorum Dux Fridericus, Ribariorum Dux Cozelo, Chuno Wormatienſis Dux Francorum, Udalricus Dux Boemiæ. Burgundia enim nondum Romanorum Imperio ita aclinis fuerat, quod autem modo ſubjecta eſt, trium Regum gloriæ adſcribitur. Secundus Heinricus Imperator primum eam ſubjicere tentavit, & bene in hoc ſtudio perſeveravit. Deinde Chunradus Imperator Francos & Latinos ex illa ejecit, & eam bello ſubjugavit. Ad extremum Rex Heinricus III Pius, Pacificus, *Linea juſtitiæ*, bello & pace eandem Burgundiam adtentavit. Statutus itaque eſt inter Principes Imperii dies & locus inter confinia Moguntiæ & Wormatiæ, locus amplitudinis & planitiei, cura [1] multitudinis receptabilis, ad res Imperii tractandas tutus & habilis. Ubi cum diu certaretur, quis regnare deberet, cumque alium ætas vel nimis immatura, [2] provecta, alium utriusque inexperta, quosdam inſolentiæ manifeſta cauſa recuſaret inter multos duo tantum electi ſunt. Erant ſiquidem ibi duo Chunones, quorum unus Major pro ætate majore; alter Minor dicebatur: ambo in Francia Theutonica nobiliſſimi ex duobus fratribus nati, quorum alter Hezil, & alter Chuno dictus eſt. Ipſos vero ab Ottone accepimus cum duobus aliis, Brunone & Willehelmo: ex quibus Bruno Papa effectus, Gregorius eſt appellatus; Willehelmus factus Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, miro modo eam ſublimavit. Qui duo Juvenes cum eſſent nobiliſſimi ex paterno genere, ex materno genere non minus claruerant. Junioris, Chunonis mater Mathilda, de filia Chunradi Regis Burgundiæ nata fuit; Majoris Chunonis mater Adelheida ex nobiliſſima gente Lotharingorum oriunda fuit. Hæc erat ſoror Comitum Gerhardi & Adalberti, qui ſemper cum Regibus & Ducibus confligentes, ad extremum cauſa propinqui ſui, Chunradi Regis, vix quieſcebant: quorum parentes (ut fertur) de antiquo genere Trojanorum Regum venerant, qui ſub Beato Remigio Confeſſore Chriſti jugo fidei colla ſupponebant. In his duobus tota pendebat electio Principum. Ad extremum ubi Divina providentia contigit, ut ipſi inter ſe convenirent, hoc pacto inter ſe laudato: quod ſi quem major pars populi laudaret, alter ei pie cederet, & ita, pluribus videntibus, in ſignum ſtabiliendi condicti ſe invicem ſunt oſculati, unde deprehenſum eſt, eos unanimiter aquieviſſe. Deinde communi aſſenſu omnium Electus Moguntiæ unctus, Ottonem quendam omnium Principum interceſſione, in gratiam recepit.

MXXVI. Ipſe Rex Hainricus [3], filio ſuo petitione Principum in Regem aſſignato, & Brunoni Auguſtenſis Eccleſiæ [4], avunculo ſuo in tutelam commendato, Italiam petiit: in qua expeditione Erneſtus Dux Alamanniæ aliquantulum militans Regi, Campidonenſem Abbatiam, licet contra jus, in beneficium ab ipſo accepit, & ad tutandam patriam honorifice remiſſus eſt. Rex vero Italiam ingreſſus per Veronam inter Mediolanum & Papiam Vercellis venit, ibique Sanctum Paſcha celebravit: ubi Leo, ejusdem civitatis Antiſtes moriens, Haderico Mediolanenſi Canonico locum dedit. Ea æſtate maximus calor Italiam vexavit. Rex vero

[1] *f.* curia. [2] *ſupple* vel. [3] *l.* Chunradus. [4] *ſupple* Epiſcopo.

ultra

ultra Atheſim fluvium in montana propter opaca loca ſeceſſit: ubi a Mediolanenſibus per duos menſes paſtus eſt. Inde pertranſiens Italiam, Romam veniens

Anno Incarnationis Chriſti MXXVII, Indictione X, a Papa Johanne & univerſis Romanis honorificè receptus eſt, & in die Sancto Paſcæ, qui eo anno VII. Kal. Aprilis fuit, Imperialem benedictionem ſuſcepit, & Giſila Imperatrix ibi facta & uncta eſt in præſentia duorum Regum, Arnulfi Regis Burgundiæ, & Chnitonis Regis Anglorum: inter quos ad cubiculum ſuum & aulam regiam deductus, poſt completum officium honeſtiſſimè eſt reverſus cum his, quos etiam ſecum illuc adduxerat. Inde in Apuliam proceſſit, & Beneventum, & Capuam, & reliquas civitates cepit, & Nortmannis, qui de patria ſua in Apuliam confluxerant ad defendendos terminos Regni ſui adverſus verſutias Græcorum, ibi habitare licentiam dedit. Reverſus B itaque Imperator Romam præteriit, & iterum Italiam pertranſiit, ubi Taſſilhardum quendam tyrannum, qui tempore Heinrici Imperatoris multa facinora cominiſit in regno; ſed per marinos receſſus & munitiones, quas habuit ultra modum turas, Heinrici Cæſaris perſecutionem evaſerat (erat enim nobilis genere, deſpicabilis in perſona, turpis in moribus, magnus prædator Eccleſiarum & viduarum) hunc Imperator Chunradus diligentiſſimè inſequens, tandem cepit, & patibulo ſuſpendit.

MXXVIII. Erniſt Dux Alamanniæ, & Welf Comes Chunrado Imperatori ad deditionem veniunt.

MXXX. Chunradus Imperator Stephanum Regem Ungariæ cum exercitu petit. Interea in C Alemannia Dux Erniſt & Wernharius Comes contra Manegoldum Comitem convenientes, & invicem acriter pugnantes, occiduntur XVI. Kal. Septembris.

MXXXI. Stephanus Rex, miſſis legatis, cum Imperatore Chunrado pacificatus eſt.

MXXXII. Rudolfus Rex Burgundiæ, avunculus Giſilæ Imperatricis, moriens diadema ſuum Chunrado Imperatori commiſit.

MXXXIII. Chunradus hyeme Burgundiam petit. Eclipſis ſolis facta eſt III. Kal. Julii hora quaſi VI. Chunradus Occidentalem Franciam contra Ottonem petit, qui regnum Rudolfi, eo quod filius ſororis ſuæ eſſet, invaſit, & caſtra munitiſſima ceperat: qui etiam regnum dimittere noluit, nec tamen Regem ſe auſus eſt D profiteri.

MXXXV. Chunradus, item Burgundiam vaſtat. Pagani Saxoniæ confinia petunt. Pagani (qui & Liutici dicuntur) Wirbinam caſtellum in confinio Saxoniæ, multis Chriſtianis occiſis & captis, obtinent: quos Chunradus Imperator cum exercitu petit.

MXXXVI. Italia civium diſcordia laborat. Nuptiæ Heinrici Regis, [1] Chnitonis Regis Anglorum filiam, nomine Chunhildem, in Reginam conſecratam, regalibus nuptiis in conjugem duxit. Pagani ſupra dicti Chunrado Imperatori vectigales facti ſunt.

[1] *ſupple* qui.

A MXXXVII. Chunradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Heribertum Mediolanenſem Archiepiſcopum in cuſtodiam miſit, & Popponi Patriarchæ Aquilegiæ, & Chunoni Duci Karinthianorum eum cuſtodiendum dedit: qui fuga lapſus, dolo cujusdam ſui Clerici, cum aliis quamplurimis eidem Imperatori rebellat.

MXXXVIII. Elisdrut (quæ & Chunigunt) Regina, uxor Heinrici Regis, XV. Kal. Aug., & Herimannus Dux V. Kal. Aug. cum aliis multis in Italia obierunt. Stephanus Rex Ungarorum, bonæ memoriæ, obiit: pro quo Petrus regnavit.

MXXXIX. Chunradus Imperator II. Non. Junii obiit apud Nebdunam (quæ & Spira vocatur) inteſtina ejus in Trajecto Superiori Freſiæ urbe, reliquum corpus in Spira ſepelitur. Chunradus Dux, & Albero Dux obierunt. Eclipſis ſolis XI. Kal. Septembris. B

MXL. Heinricus III. Rex, Pius, Pacificus, *Linea juſtitiæ* dictus, filius Chunradi regnavit annis XVIII. Heinricus Rex Boemiæ Ducem bello petit, Stratizlaum nomine, ſed multis Proceribus & militibus in præſtructione ſylvæ citra & ultra occiſis, vel captis, nihil dignum efficere potuit. Petrus quoque Ungariæ Rex eidem Duci auxilium contra Regem mittit.

MXLI. Ungari quendam Ovonem ſibi Regem eligentes, Petrum Regem ſuum expellunt: qui profugus & exul Heinrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quærit, & invenit. Heinricus Rex Ungariam ingreſſus cum exercitu, igne prædaque cuncta devaſtat.

MXLII. Adalbertus Marchio, & filius ejus Liupoldus maximam partem exercitus Ovonis delevit, Heinricus Rex iterum Ungariam ſibi ſubjecit. Poppo Patriarcha obiit.

MXLIII. Giſila Imperatrix, mater Heinrici Regis, XV. Kal. Maji obiit, & Spiræ ſepelitur. Heinricus Rex tertio Pannoniam petens, Ungaros per jusjurandum ſubjugavit. Miles Fortis Liupoldus, filius Adalberti Marchionis, obiit V. Id. Decembris.

MXLIV. Heinricus Rex quarto Ovonem rebellantem vicit, & Petrum regno ſuo reſtituit.

MXLV. Petrus Rex Heinricum Regem in Pentecoſten magno apparatu ſuſcepit. Bruno Wirziburgenſis Epiſcopus obiit: Adalbero ſucceſſit.

MXLVI. Swidigerus Babenbergenſis Epiſcopus in Nativitate Domini Papa conſecratur: & Heinricus Rex, & ejus conjux Agnes ipſa die Imperiali benedictione ſublimantur.

MXLVII. Petrus Rex excæcatus eſt ab Ungaris, & Andreas Rex efficitur.

MXLIX. Andreas Rex Ungarorum per legatos Imperatori Heinrico ſubjectionem & annuum cenſum jurejurando promiſit. Heimburch reædificatur ab Alberto Marchione, Gebehardo Ratisponenſi Epiſcopo, Chunrado Bawariæ Duce cum aliis Epiſcopis & Principibus Bawariæ.

ML. Agnes Imperatrix, filia Willihelmi Pictavi-

ctavienſis Comitis, Imperatori filium peperit, nomine Heinricum.

MLI. Sanctus Bardo Archiepiſcopus obiit. Andreas Rex & Adalbertus Marchio pacificantur.

MLII. Imperator Natalem Domini Goslariæ agens, hæreticos de Manichæorum ſecta, eſum animalium execrantes, cunctorum conſenſu, ne hæretica contagio plures inficeret, patibulo ſuſpendi juſſit.

MLIII. Heinricus Imperator Pannoniam cum exercitu petit, & glorioſiſſime redit. Papa Leo (qui & Bruno) Natalem Chriſti cum Imperatore Wormatiæ egit.

MLIV. Eberhardus Neuburgenſis Epiſcopus, & Willelmus Marchio miſſi a Rege Heinrico in Pannoniam ad pacificandum Regem Andream cum fratre ſuo Belone, non valuerunt; ſed magis, creſcente diſcordia bellum inierunt, magnaque cæde hinc inde patrata, Belo fratrem ſuum Andream Regem, jam grandævum, ignominioſe expulit, & ad mortem perduxit, ipſosque legatos cuſtodiæ tradidit. Fames valida Bawariam, Alemanniam, Franciam, Thoringam, Orientalem Saxoniam occupat. Eberhardus Epiſcopus & Willelmus Marchio a captivitate dimiſſi, redierunt ad propria.

MLV. Beatus Leo Papa dormivit in Domino XIII. Kal. Maji: pro quo Victor (qui Gebehardus) Heichſtetenſis Epiſcopus ordinatur.

MLVI. Adalbertus Marchio [1] filius ejus Erniſt ſucceſſit. Chuno Dux Bawariæ ab Imperatore expulſus, in Pannonia exul moritur.

MLVII. Heinricus III. Imperator obiit III. Non. Octobris: filius ejus Heinricus Quartus ſucceſſit.

MLVIII. Heinricus, qui inter Reges Quartus, inter Imperatores Tertius hujus nominis invenitur, imperium rexit, & parte maxima Principum ſibi rebellante, Regni totius ambitus ferro & flamma fædatur. Gregorius VII. (qui & Hiltibrandus) tunc Urbis Romanæ Pontificatum tenens, eundem Imperatorem anathematis gladio feriendum decrevit. De qua re univerſi Principes indignati, licet gravati contra Imperatorem exiſterent, contra Romanæ tamen Eccleſiæ inſolitam & promulgatam ſententiam acrius commovebantur, & electio Hiltibrandi caſſanda judicatur, & ab ipſis pſeudo-monachus appellatus, exſufflatur, Wicbertusque Ravennatenſium Archiepiſcopus, Clemens vocatus, Urbis Epiſcopus creatur. Poſt hæc Imperator Romam veniens, Wicbertum in ſede poſuit, a quo Imperatoris nomen & Auguſti ſortitur. Hiltibrandus autem fugiens, Salerni diem mortis expectavit. Saxonibus deinde ſuo Principi ſe opponentibus, terram cum valido exercitu intrat. Fuerunt autem in Comitatu ejus quatuor magni Duces, ſinguli cum ſingulis legionibus: Zwentiboldus Dux Boemorum, Welfo Dux Noricorum, Rudolfus Dux Suevorum, Gotefridus Dux Lotharingorum, & alii Principes & Nobiles multi; ita juxta fluvium Unſtrut publico bello commiſſo, cruenta Rex victoria potitus rediit. Non multo poſt tempore duo præfati Duces, Welfo & Rudolfus (qua occaſione, dubium) Principi rebellantes, Saxonibus junguntur. Gotfridus Dux Lotharingorum orientalem expeditionem aggreſſus, Jeroſolymis Ducatum populi Dei tenens, ibidem in pace quievit. At Romanus Pontifex Gregorius Principes adverſus Imperatorem concitans, omnibus, ut alium crearent, latenter & manifeſte ſcribebat. Igitur Rudolfus Dux Suevorum ab eis Rex factus, diadema a Romana Eccleſia accepiſſe traditur, cum hujusmodi ſcripto: *Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.* Hujus Rudolfi filiam quidam ex Nobiliſſimis Regni optimatibus Berhtolfus de Caſtro Zaringen habuit. Poſtea Rudolfus in publico bello a fidelibus Imperatoris necatur, & in Eccleſia Mersburch regio cultu ſepelitur. Poſt cujus mortem gener ejus Berhtolfus Ducatum Sueviæ, tanquam a ſocero ſibi commiſſum, uſurpat. Quem Imperator cum filia in matrimonio juncta cuidam Nobiliſſimo Comiti Friderico de Stouphe, ſtrenuiſſimo & conſilio provido dedit, ita inter ipſos pace facta: ut Perhtolfus exfeſtucaret Ducatum, ſic tamen, quod Turegum, nobiliſſimum Sueviæ oppidum, a manu Imperatoris ſibi tenendum remaneret; Fridericus autem Ducatum Alamanniæ ex hinc ſine contradictione habuit, ſtrenue etiam diebus non paucis rexit. Suſcepit vero ex nobiliſſima compare ſua Agnete duos filios, Fridericum & Chunradum, & ipſe poſt multa virtutum ſuarum inſignia in ſenectute bona diem ultimum claudens, in Monaſterio Laureenſi, in proprio fundo conſtructo, humatus eſt. Mortue Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipſo viduatam frater ſuus Heinricus; Imperatoris Heinrici filius, in ſua ſuſcepit, eamque Liupoldo Orientali Marchioni uxorem dedit: filiis ipſius, Friderico quindecim, Chunrado duodecim annos habentibus. Porro Fridericus, qui major natu erat, patri in Ducatum ſucceſſerat. Circa idem tempus Imperator Heinricus apud Leodium urbem obiit, ſepultisque ibidem inteſtinis, corpus ejus in Galliæ civitate Spira deportatum, humatur.

MLXI. Adalbertus Archiepiſcopus pacificatur cum Rege, adhuc puero, & matre Agnete, in Mersburch in Pentecoſten.

MLXII. Heinricus Rex ſeparatus eſt a matre ſua, hoc faciente Annone Colonienſi Archiepiſcopo. Agnes Imperatrix, & Gunthardus [1] Epiſcopus Babenbergenſis prædas & incendia invicem exagitant.

MLXIII. Heinricus Rex exercitum movit in Pannoniam, & Salomonem Regem conſtituit, filium Andreæ Regis, quem Belo frater jam a regno cum uxore & filiis nimis pernitioſe expulit. Mortuo Belone, & filio in fugam lapſo, fœderatisque omnibus, cum ſummo honore revertitur.

MLXIV. Cædes magna facta eſt in Goslarienſi monaſterio, præſente Rege & Principibus ejus. Multa mala tunc temporis facta ſunt in terra.

MLXV. Heinricus Rex accinctus eſt gladio,

[1] *ſuppl.* obiit.

[1] *al.* Guntharius.

anno

anno regni ſui nono, in Paſcha. Eodem anno Eigibertus Patavienſis Epiſcopus obiit: Altmannus ſucceſſit. Sigifridus Moguntienſis Epiſcopus, & Guntharius Babenbergenſis Epiſcopus Jeroſolymis tendunt.

MLXVI. Meginhardus Comes occiditur.

MLXVII. Heinricus Imperator duxit Berhtam, filiam Ottonis Comitis, uxorem.

MLXVIII. Multa & diverſa mala in toto Regno his temporibus facta ſunt.

MLXX. Otto Dux Bawariæ Regi rebellavit.

MLXXI. Adelheida Marchioniſſa obiit. Welfo Dux Bavariæ factus eſt, expulſo Ottone.

MLXXIII. Rudolfus Dux Alamanniæ, & Welfo Dux Bawariæ, & Perhtolfus Dux Carinthiorum in unum conjurant adverſus Regem Heinricum. Hiltibrandus Papa ordinatur, & Gregorius dicitur.

MLXXIV. Heinricus Rex Ungariam adverſus Loitſchonem, patruelem Salomonis, profectus, incaſſum rediit.

MLXXV. Ernſt Marchio occiſus eſt in Saxonia in bello juxta fluvium, qui dicitur Unſtrut, feria III. v. Id. Junii, quod fuit primum bellum Heinrici Regis.

MLXXVI. Colonienſis Archiepiſcopus obiit.

MLXXVII. Magna diſſenſio inter Papam Hiltiprandum & Regem oritur. Heinricus Rex Italiam proficiſcitur, & Rudolfus Dux in Regem pro eo eligitur apud Vorcheim.

MLXXVIII. Bellum ſecundum in Saxonia inter duos Reges committitur, in quo Diepoldus Comes occiditur juxta rivum, qui dicitur Strewa, feria IV. VII. Id. Auguſti.

MLXXX. Gregorius Papa Heinricum Regem excommunicavit. Tertium bellum Heinrici Regis cum Saxonibus juxta villam, quæ dicitur Durloch, feria II. V. Kal. Februarii. Eodem anno Quartum bellum Heinrici Regis cum Saxonibus, juxta fluvium, qui dicitur Elſter, feria V. Id. Octob. Rudolfus Rex occiditur.

MLXXXI. Quintum bellum Heinrici Regis contra Suevos juxta Danubium apud villam, quæ dicitur Hochenſtein [1], feria IV. III. Id. Aug. Hermannus Rex conſtituitur. Altmannus Epiſcopus, & Marchio Liupoldus, aliique Principes conjurant contra Regem.

MLXXXII. Hoc anno IV. Id. Maji feria V. bellum ad Mauriberch eſt actum, & cum noſtratium excidio terminatum.

MLXXXV. Synodus Chittelnburch tempore Gregorii VII. habita eſt, cui præfuit Otto Archiepiſcopus Oſtienſis contra Guezelonem Moguntinum, dicentem, quemlibet rebus ſuis expoliatum, quidquid interim peccaverit, impune habiturum: cum ad Synodum nec poſſit vocari, nec lege Canonica judicari.

MLXXXVI. Sextum bellum Heinrici Regis cum Suevis & Saxonibus juxta villam, quæ dicitur Pleicvelt: ubi Hermannus Rex occiditur.

MLXXXVII. Aliud bellum juxta Glicho oppidum inter Heinricum Regem, & Ekkebertum Marchionem.

MLXXXVIII. Eclipſis ſolis facta eſt.

[1] *al.* Hoheſtetin.

A Chunradus [1] filius Heinrici Rex conſtituitur, & patri rebellat.

MLXXXIX. Conſtitutio Monachorum in loco Medilicenſi ſub Abbate Sigiboldo, in feſto S. Benedicti.

MXCI. Altmannus Patavienſis Epiſcopus obiit: Udalricus Patavienſis Epiſcopus conſtituitur.

MXCV. Expeditio in Jeroſolymam. Dux Gotfridus & alii multi Nobilium cum eo.

MXCVI. Liupoldus Marchio obiit: filius ejus Liupoldus ſucceſſit.

MXCVIII. Chriſtiani obtinuerunt Jeroſolymam.

MCI. Welf Dux Bawarorum, & Tiemo Salzpurgenſis Epiſcopus, & Ita Marchioniſſa Jeroſolymam pergunt, & cæteri quamplures.

B MCIV. Sigihardus Comes occiditur Ratisponæ. Heinricus Junior eligitur Pataviæ in Regnum, & patri rebellat, Coloniam obſidet.

MCVI. Heinricus Quartus Imperator obiit Id. Aug. Spiræ ſepelitur. Marchio Liupoldus Agnetem, filiam Imperatoris, duxit uxorem.

MCVII. Heinricus Quintus regnavit poſt mortem patris XIX. annis, cum annis, quos cum patre regnavit, XXIII.

MCVIII. Heinricus Rex obſedit caſtrum Presburch. Hujus capulus mucronis in Goslarienſi oppido in conventu tactus ut cera liqueſcens evanuit, & pictura clipei eius deleta eſt, cum tempeſtas ſubita, & fulgurum ac tonitruum horribilis coruſcatio omnes perterruit.

C MCX. Heinricus Rex magnam expeditionem in Italiam movit, & Paſchalem Papam Romæ cepit; ſed poſtea gratiam & benedictionem ab eo conſecutus eſt.

MCXII. Rex Ungarorum de terra ſua egreſſus, manubias ac prædam magnam de Auſtria, provincia noſtra, abduxit. In cujus ultionem Liupoldus Marchio cum valida manu quasdam ejusdem Regis provincias invaſit; & cæde magna perpetrata, ac quadam civitate deprædata atque combuſta, ſic cum pace remeavit ad propria.

MCXIV. Heinricus Imperator Saxones juxta Welfolt hoſtiliter invaſit, a quibus victus, cum paucis evaſit.

MCXVI. Terræ motus factus eſt magnus per univerſam Theutoniam, & Italicam terram

D III. Non. Januarii bis; unus poſt tertium Galli cantum; alter die eodem hora quaſi decima.

MCXVIII. Ungari juxta fluvium Litahe nos vaſtaverunt. Per plurimas partes mundi magna inundatio aquarum facta eſt.

MCXIX. Welf Dux Bawariæ obiit: cui ſucceſſit Heinricus frater ejus.

MCXXI. Udalricus Patavienſis Epiſcopus obiit: Reimarus ſucceſſit. Erchinfridus Abbas eligitur in Mediliche.

MCXXII. Ottaker Marchio obiit: filius ejus Liupoldus ſucceſſit.

MCXXIV. Kaliſtus Papa obiit: Honorius ſucceſſit.

MCXXV. Heinricus Imperator, qui patrem a regno ejecit, obiit: cui Lotharius in re-

[1] *l.* Heinricus.

gno ſuccedit. Econtra ab aliis Chunradus eligitur, & ab Epiſcopo Mediolanenſium, qui eum foverat, conſecratur; unde etiam ab Honorio deponitur. Hic Lotharius per omnia progeniem Imperatoris Heinrici humiliavit: & ideo Fridericus & Chunradus, ſororii Imperatoris, ſe ſibi opponunt. Nix valida fuit.

MCXXVII. Ava Incluſa obiit. Heinricus Dux Bawarorum obiit: pro quo filius ejus Heinricus.

MCXXVIII. Hertwicus Ratisponenſis Epiſcopus obiit: Chuno ſucceſſit. Wlfhilt Ductrix obiit.

MCXXIX. Leupoldus Marchio de Styra obiit. Græci & Ungari diſcordantes, apud fluvium Sowe caſtra metati ſunt.

MCXXX. Spira a Lothario obſeſſa traditur. Honorius Papa obiit: Innocentius ſucceſſit per Lotharium.

MCXXXI. Stephanus Rex Ungariæ obiit: Bela cæcus ſucceſſit. Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus obiit.

MCXXXII. Chuno Ratisponenſis Epiſcopus obiit, & urbs Ratispona pene tota incendio periit, nec non per totum Regnum improviſum incendium bachatur. Heinricus de Diezzin Ratisponenſis Epiſcopus conſtituitur. Lotharius Rex Italiam petit.

MCXXXIII. Eclipſis ſolis facta eſt horribilis IV. Non. Aug. hora quaſi nona, feria IV. luna XXVI. Eodem anno Lotharius Imperator ordinatus eſt Lateranis ab Innocentio Papa.

MCXXXIV. Bela Cæcus, Rex Ungarorum triumphavit de Polonis, ſed in dolo.

MCXXXV. Lotharius Imperator & Dux Fridericus pacificantur Babinbero XV. Kal. Aprilis.

MCXXXVI. Illuſtris, Pius & Nobilis Marchio Liupaldus XVII. Kal. Decembris obiit. Dedicatum eſt Monaſterium Niwinburch ab Archiepiſcopo C[1], Reimaro Patavienſi, & Romano Gurrcenſi. Lotharius Imperator ſecundo profectus eſt in Italiam.

MCXXXVII. Lotharius Imperator, victor Rudgerii tyranni de Apulia rediens, moritur in itinere, & reductus, in Monaſterio Lutre, quod in ejus proprio fundo ſitum eſt, humatur. Heinricus Friſingenſis Epiſcopus, pluresque Epiſcoporum, Principum, Nobilium vita decedunt.

MCXXXVIII. Chunradus Dux, ſororius Heinrici Imperatoris, a Cardinalibus miſſis ab Apoſtolico, & ſummis Principibus Regni eligitur in Regem. Leupoldus Marchio duxit uxorem. Filia Regis Ungarorum Belæ deſponſata eſt filio Regis Romanorum. Reinmarus Epiſcopus obiit. Reinbertus eligitur. Petrus ſchiſmaticus, filius Petri Leonis, diu Eccleſiam impugnans, moritur.

MCXXXIX. Synodus magna ſub Innocentio Papa Lateranis in Quadrageſima celebratur, ubi quingentorum & eo plus Epiſcoporum & Abbatum conventus congregatur. Leupoldus Marchio Ducatum Bawariæ ſuſcepit, & Heinricum Ducem expulit.

MCXL. Bellum factum eſt juxta Caſtellum Valeia inter Ducem Liupoldum & Welfonem.

MCXLI. Liupoldus Dux Bawariæ & Marchio, filius Liupoldi Marchionis, obiit XV. Kal. Novembris: & frater ejus Heinricus ſucceſſit.

MCXLII. Marchio Heinricus Gerdrudam, filiam Lotharii Imperatoris, duxit uxorem, viduam Ducis Heinrici: & Saxones pacificantur cum Chunrado Rege. Hugo Magiſter, piæ memoriæ, obiit.

MCXLIII. Innocentius Papa obiit: Cæleſtinus ſucceſſit. Gerdrudis uxor Heinrici Ducis obiit.

MCXLIV. Cœleſtinus Papa obiit: Lucius ſucceſſit, qui & Gerhardus.

MCXLV. Lucius obiit: Eugenius ſucceſſit. Ventus validus ab occidente irruens, Galliam, Franciam, Bawariam totamque Theutonicam terram pertranſiens, multas eccleſias plurimaque ædificia ſubruit, arborum etiam & vinearum partem quandam delevit. Fames valida totum Theutonicum Regnum devaſtavit duobus annis.

MCXLVI. Nobilis Dux Heinricus cum Rege Ungarorum Geyſa apud Litahe nobili bello conflixit.

MCXLVII. Expeditio infinita populi Chriſtiani cum Chunrado Tertio Rege Francorum, & Ludwico Rege Galliæ ſimul in exercitu ſuo illo iter agente, Jeroſolymam facta eſt. Chunradus Salzpurgenſis Epiſcopus obiit: Eberhardus ſucceſſit. Reimbertus Patavienſis obiit, cui ſucceſſit Chunradus. Caſtrum Prespurch a noſtris in dolo capitur, & pro pecunia redditur. Ungari ex utraque parte Danubii terram noſtram devaſtaverunt.

MCXLVIII. Synodus magna ſub Eugenio Papa Remis celebratur contra Magiſtrum Giſilbertum, Epiſcopum Pictavienſem, in Quadrageſima: ubi quadringentorum & eo amplius Epiſcoporum & Abbatum multitudo convenerat.

MCXLIX. Chunradus Rex & Ludwicus Rex Galliarum, ſepulchro Jeſu Chriſti Domini noſtri adorato, ad ſua Imperia reverſi ſunt. Cum quibus frater Chunradi Regis Dux Heinricus, filius Liupoldi Illuſtriſſimi Marchionis, Vir bonus, & militari virtute præcipuus, ſimul adveniens, filiam cujusdam Clariſſimi Ducis, ſcilicet fratris Regis Græcorum, nomine Theodoram, uxore accepta [1], ſecum abduxit. Fames valida duravit per biennium.

MCL. Welfo, filius Heinrici Ducis, cum aliis Principibus Chunrado Regi in deditionem venerunt.

MCLII. Chunradus egregius Rex Romanorum obiit, & Babenberch ſepelitur. Itaque univerſi Principes Theutoniæ & Barones Italiæ Frankenvurt coadunati, Fridericum Ducem Suevorum, Nobilis Ducis Friderici filium, in Regem elegerunt: nam id juris Romani Imperii apex habere dicitur, ut non per ſanguinis

propa-

[1] Chunrado. [2] *Adduntur hic in MS. manu ſæculi XIV. ſequentia:* Monaſterium Virginis glorioſæ in Zwettla fundatur a Chunringariis.

[1] *ita* MS.

propaginem, ſed per Principum electionem A Reges creentur.

MCLIII. Eugenius Papa obiit, pro quo Anaſtaſius [1]. Bernhardus Clarevallenſis Abbas obiit.

MCLIV. In Circumciſione Domini prima veſpera eclipſis lunæ a crepuſculo usque ad mediam noctem facta eſt. Sophya Ducisſa de Scala defuncta eſt.

MCLV. Fridericus Rex Italiam, ſeditione Romanorum orta contra Adrianum Papam, proficiſcitur, & Imperator ordinatur XIV. Kal. Junii.

MCLVI. Heinrico Duci Saxoniæ Ducatus Bawariæ reſtituitur. Heinricus Dux Marchiæ ſuæ Auſtriæ præficitur IV. Id. Septembris. Ladezlaus Dux Boemiæ, mutato ab Imperatore B dignitatis nomine, in Regem præficitur.

MCLVII. Conjuratio Principum facta eſt ſub Rege Friderico in Italiam proficiſcente. Fridericus Imperator Poloniam obtinuit, & ſuæ ditioni ſubjecit.

MCLVIII. Munitiſſimum Boemiæ oppidum, Podwin dictum, abſente Duce Heinrico, a Miniſterialibus ipſius potenter expugnatum, & incendio vaſtatum eſt, pluribus igne conſumptis.

MCLIX. Expeditio Italica ab Imperatore Friderico facta eſt. Adriano Papa mortuo, ſchiſma ortum eſt in Romana Sede. Et famoſiſſima civitas Italiæ Mediolanum, datis trecentis obſidibus, capta eſt, & pacem fecerunt, quam eodem anno infregerunt: ubi & Ekkebertus C Comes occiſus eſt; [2] Tietemar de Spilberch occiſus eſt. Otto Friſingenſis Epiſcopus moritur: Adalbertus eligitur. [3]

MCLX. Mediolanenſes contra Imperatorem arma ſumpſerunt; ſed caſtrum Grimma, quod ipſis conſenſit, ab ipſo funditus deſtruitur. Apud oppidum, quod Carcer vocatur, ab Imperatore contra Mediolanenſes grave bellum habitum eſt: & cum jam Latinis qui ſecum erant fugientibus, victus videretur, ſtrenue vicit. Cæſi pene quingenti ex parte adverſa, de noſtris tantum quinque.

MCLXI. [4] Arnoldus vir grandævus & prudens, Archicancellarius & Moguntinus Epiſcopus, de eccleſia S. Jacobi Apoſtoli per incendium exire coactus, a ſuis Miniſterialibus crudeliter necatus eſt. D

MCLXII. Mediolanum denuo novo genere obſidionis clauſum eſt, caſtris in gyro ejus conſtructis. [5] Geitſa Rex Ungariæ obiit.

MCLXIII. Mediolanum captum, & funditus everſum eſt.

MCLXIV. Diſſidentibus inter ſe fratribus Geizi, [6] & filio ejus parvulo, puer Imperatorem, datis quinque millibus marcarum, ſuæ parti adjungit. Veronenſes, Vicentini, Paduani, Tarviſini rebellant. Octavianus moritur: Guido ſubſtituitur. Eberhardus Salzpurgenſis Archiepiſcopus venerabilis obiit: Chunradus Patavienſis Epiſcopus ſubſtituitur.

MCLXVI. Apud Wirziburch in Pentecoſten Curia celebratur: ubi conjuratio Principum [1] ab Imperatore fit, qui aderant, tam ſæcularis quam Eccleſiaſtici ordinis, quod Paſchalis, ſemper Papa habeatur, & eo mortuo, nullus niſi de ſua parte eligatur. Similiter poſt mortem Imperatoris nemo ſibi ſubſtituatur, niſi juraverit, ſe eandem partem defenſurum. Solus Albertus Friſingenſis Epiſcopus tunc jurare noluit, nam Chunradus Moguntinus jam ut hoſtis præjudicatus fuerat. Eodem anno Albertus Friſingenſis, diu renitens, coactus juravit obedire Paſchali pro conſcientia, quamdiu Imperium partem ejus foveret, & quamdiu regalia habere vellet. Ipſo itidem anno Imperator, circa feſtum S. Petri deſcendens in Auſtriam, Ungaros, qui ante promiſſam pecuniam ex majori parte mentiti ſunt, denuo jurare coegit: ubi Rex Boemorum quendam de Ruthenis Regulis ſuæ præſentiæ obtulit, ejusque illum ditioni ſubdidit. Fames valida per totam terram invaluit.

MCLXVII. Imperator circa autumnum Italiam intravit, ibique cooperante Cancellario ſuo Chriſtiano, Paſchalem per iterata ſacramenta confirmavit: hoc ejusdem inſtinctu Cancellarii appoſito, quod nullus eorum [2] ejus abſolutionem juramenti expeteret, & oblatam nunquam reciperet. Eodem anno Dux Auſtriæ H. [3] & O. [4] palatii Comes Major in Græciam deſtinati, ſine effectu, præter quod magnifice donati ſunt, revertuntur. Heinricus filiam ſuam Regi Ungariæ conjugio copulavit. Inter Saxones & Ducem Bawariæ [5] H. grave bellum agitatur. Imperator in Papia, quæ & Ticinum dicitur, cum paucis reſedit.

MCLXVIII. Imperator Ravennates, Fagenſes, [6] Bononienſes graviter attritos ad deditionem coegit. Chriſtianus apud Moguntiam Domino Chunrado ſuperponitur. Juvavia jamdudum, propter Alexandrum ab Imperatore proſcripta, crematur: dubium an hoſtium patratu, an proprio caſu. Chunradus, filius [7] fratris Imperatoris, pro recuperanda gratia, quam dudum inepte amiſerat, Italiam intrat, ſed ſine effectu revertitur. Welfo Senior, & Heinricus Burgravius, & Fridericus Palatinus Comes Jeroſolymam petunt.

MCLXIX. Ungarus, auxilium ſibi præſtante H. Duce Auſtriæ ſocero ſuo, bellum movet Græcorum Imperatori, pro eo quod fratrem ſuum regnum affectantem ſuſcepit & fovit: quem [8] etiam conjugio filiæ ditavit. Eodem anno Imperator Anchonam obſidet & capit: intereaque Romam præmittit Reinaldum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum cum copiis. Quibus inter Tuſculanum & Urbem Ro-

1 *l.* Adrianus. 2 *ſupp.* &. 3 *In MS. manus ſæculi XIV. hæc adjecit:* Conſecratum eſt Monaſterium Virginis Mariæ in Czwettla. 4 *Editio Urſtis.* Eodem anno vel proximo. 5 *Urſtis. perperam* Goizo. 6 *al.* Geitſæ *ſeu* Geyſæ. *Urſtis.* Goizi.

1 *Urſtis.* Ubi conjuratio fit ab Imperatore & Principibus qui aderant &c. 2 *Urſtis. addit* unquam. 3 *i.* Heinricus. 4 *i.* Otto. 5 *i.* Heinricum. 6 *Rectius Urſtis.* Faventes *ſeu* Faventinos. 7 *Rectius Urſtis.* frater Imperatoris, *ſcilicet Comes Palatinus Rheni, ut conſtat ex Ottone Friſing. lib. I. de Geſtis Friderici I. Imp.* 8 *deeſt apud Urſtis.* quem etiam.

mani cum exercitu occurrunt, bellum [1] committunt, convincuntur, & ad internecionem cæduntur. Ceciderunt ibi de Romanis fere novem millia, capti fere tria. Subsequitur eos Imperator, Leoninam urbem & porticus S. Petri cremat, ecclesiam a Romanis incastellatam capit, & evertisset, si non religionis intuitu pepercisset. Post hæc in Longobardiam iter flectit. Cremonenses, Brixienses, Mediolanenses ad locum suum sunt reversi. Laudunenses, Pergamenses, Mantuani, hostibus Imperatoris confœderati rebellant. Eodem tempore pestilentia gravis exercitum invasit, & ex maxima parte extinxit. Mortui tunc sunt de Principibus: Reinaldus Colonienſis, Daniel Bragensis, Eberhardus Ratisponensis, Chunradus Augustensis, Gotfridus Spirensis, Hermannus Verdensis, N. Cicensis Episcopi. Fridericus filius Regis Chunradi, Welfo junior, Berengarius de Sulzbach. De Baronibus innumerabiles. Imperator cladem suorum, rebellionem Italorum, litteris per omnem Imperii latitudinem declamat. Ratisponensi Episcopo Chuno succedit, Augustensi Hartwicus. Non minus autem & in Urbe pestis eadem desævit, adeo ut dicebatur, quod viduatæ mulieres maritis, ab externis civitatibus expetere connubia cogerentur. Rulandus (qui & Alexander) Papa denuo Urbe cedit: nam hoc eodem anno de Francia reversus, fretus quibusdam de nobilioribus Romanis, & Gwilhelmo Siculo, sedem Lateranensis Patriarchii insederat. Imperator periculoso itinere de Italia revertitur. Non multo post Gwido quoque a fidelibus Imperatoris Romæ collocatur. Chunradus Juvavensis constanter cum Rulando perseverans, defunctus est: eique Adalbertus, filius Regis Boemici, & filius [2] sororis ejus, subrogatur. Inter hæc noviter electi Episcopi, ut consecrationem suam a Christiano Moguntino recipiant, ab Imperatore compelluntur. Qwido (qui & Paschalis) moritur, & in Basilica S. Petri Romæ sepelitur. A Romanis præter cæteros [3] Johannes Arumensis [4] Abbas eligitur, & *Calistus III.* nuncupatur. Lodwicus Rex Franciæ, & Heinricus Rex Angliæ invicem gwerrant, ab Imperatore de pace inter se facienda conveniuntur, adjunctis minis ex parte Regis Francorum: nam inter Imperatorem & Regem Angliæ fœdus & amicitia fuit, data filia sua in uxorem Heinrico Duci Bawariæ & Saxoniæ. Hartwicus Augustensis a Christiano consecratus, ordines celebrat. Albertus Frisingensis jam quasi liber & liberatus a schismate per mortem Gwidonis. Similiter eodem anno Rex Jerosolymorum de Sarracenis glorioſe triumphat. [5] Imperator Natalem Domini in Alsatia egit, Norinberch curiam celebrat: ibi Regem Boemiæ, qui offenderat, de facili in gratiam recepit: Albanum Patavienſem Electum, a suis ab Episcopio proturbatum, specie tantum in Episcopatum resti[illegible]it, effectu minime. Nam offensus erat ei, propterea quod a Christiano consecrari noluit. Ob hanc etiam causam Chunonem Ratisponensem Electum graviter ibidem tractavit, & curiam ei de hoc verbo usque in proximam Pentecosten præsignavit, quatinus aut ordines a Christiano reciperet, aut Episcopatum dimitteret. Intrante quadragesima Cistercienſis & Clarevallensis Abbates Imperatorem conveniunt super schismate, eique suggerunt, ut Babenbergensem Episcopum cum eis Romam destinet, quod factum est. Sed propter Longobardorum insolentiam negotium ipsum tunc effectu caruit, nam Episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est. Circa idem tempus Salzpurgensis Episcopus Albertus ab Ulrico Patriarcha Aquilegiensi consecratus est, invito Imperatore. Pascha in Alsatia celebratum est.

MCLXX. Thomas Cantuariensis Episcopus martyrio coronatur a Rege Angliæ.

MCLXXI. Rex Francorum Ludwicus Regem Angliæ bello vicit.

MCLXXIII. Adalberto Archiepiscopo Ratisponæ injuste destituto, Heinricus Præpositus de Perhtersgademe substituitur.

MCLXXIV. Liupoldus, & frater ejus Heinricus, filii Ducis H. de Austria, arma sumpserunt. Idem Liupoldus eadem die duxit Helenam, sororem Belæ Regis Avarorum. Fridericus Imperator iterum cum expeditione Italiam ingressus, civitatem nuper ædificatam Alexandriam, quæ & Palea dicta est, obsedit.

MCLXXV. Dux Boemiæ Zebezlaus, & Ministeriales Marchionis de Styria cum ipso Domino suo Otakaro, adhuc puero, contra Ducem Austriæ Heinricum conspirant, & conjurati Boemorum fiunt. In vigilia Paschæ multi Nobiles de exercitu Imperatoris dum Paleam (quæ & Alexandria) potenter intrare vellent, suffocati miserabiliter interierunt.

MCLXXVI. Boemi assumptis Ungaris, Polonis, Saxonibus coadunati contra Ducem Heinricum, terram sua ex parte Septentrionali usque ad Danubium incendio vastaverunt, ecclesias, manubias & prædam infinitam deduxerunt. Tunc & multæ civitates & villæ incendio deflagraverunt. Rursus Boemi, assumptis eisdem coadjutoribus suis, quidquid priori devastationi residuum fuit, desolaverunt, Zwettl combusserunt.

MCLXXVII. Heinricus Dux Austriæ, Vir Inclytæ recordationis, Divini cultus & cultorum amator, obiit: Cui Liupoldus, filius ejus major, successit. Heinricus frater ipsius Richzam, filiam Wazlay Regis Boemorum, duxit uxorem. Fridericus filius ejus terram [1] patris, quam Zebezlaus occupaverat, ab Imperatore in Italia reinvestitus est. Similiter Liupoldus, filius Pii Ducis Austriæ Heinrici, terram patris, quam prius vivo patre de manu Imperatoris susceperat, iterum suscepit Imperiali investitura coram Principibus, juxta Pesauriam in montanis ad castrum, quondam Candalare, nomine: præsente Patriarcha Aquilegiense Udalrico, Archiepiscopo Treverense Arnoldo, Episcopo

[1] bellum *non habet Urstis.* [2] *Urstis. mendose* Sororius ejus. [3] *al.* Strumensis. [4] *Urstis. vitiose:* præter Centios Johannes Albanensis Episcopus &c. [5] *quæ ab hac* voce Imperator *usque ad finem præsentis anno* 1169. *hic referuntur, apud Urstisium anno insequente* 1170. *consignantur.*

[1] *pro* terra.

ſcopo Babenbergenſe, Epiſcopo Patavienſe A Diepoldo & cæteris. Synodus Venetiis colligitur, ubi Imperator Fridericus & Apoſtolicus Alexander in pacis unitate conveniunt: ubi, Adalbertus Archiepiſcopus Salzpurgenſis deſtituitur, & Chunradus ſubſtituitur, qui Moguntinus prius Epiſcopus fuit: Heinricus etiam per diſpenſationem eccleſiaſticæ pacis fit Epiſcopus Brixienſis.

MCLXXVIII. Liupoldus Dux ultus injuriam patris, manu forti Moraviam intravit, & civitatem Olmunz obſedit, viciniam totam incendio & prædis devaſtavit. Fridericus Imperator de Italia rediit. Fridericus Dux, expulſo Duce Zebezlao, ſuæ ſedi reſtituitur.

MCLXXIX. Fridericus cum Zebezlao pugnans, prius vincitur, poſt reſumptis viribus nobiliter triumphat. Synodus Romæ ab Alexan- B dro Papa celebratur in Paſcha.

MCLXXX. Heinrico Duci Bawariæ ducatus ejus abjudicantur ab Imperatore Friderico. Manuel Imperator Græcorum cum jam fere omnes civitates Italiæ ſibi pecunia adſtrinxiſſet, Lombardos etiam contra Dominum ſuum Imperatorem Fridericum concitaſſet, obiit. Palatinus Senior Otto Ducatum Bawariæ ſuſcepit, cui tamen Comites, & aliqui de liberis hominium facere renuerunt. Otakarus Styrenſis nomen Marchionis in Ducis dignitatem commutavit, & ab Imperatore eam ſuſcepit. Marchio Bernhardus Dux Saxoniæ efficitur. Zebezlaus obiit. Imperator Romanorum & Rex Ungariæ per liberorum ſuorum contractum utrobique laudatum confœderantur.

MCLXXXI. Alexander Papa obiit: cui Lucius, qui & Hubaldus Oſtienſis, ſucceſſit. Hainricus, Dux prius Bawariæ & Saxoniæ, in poteſtatem Imperatoris Friderici cum omnibus, quæ poſt magnum diſpendium tam honoris quam rerum ſuſtinens, habere adhuc potuit, cum munitionibus & cæteris ſe reddidit, in curia ſolemni Erbfordiæ; multum tamen prius humiliatus; & fines Romani Imperii abjuravit. Hermannus Dux Karinthiæ obiit: cujus filius, & filius Liupoldi Ducis Auſtriæ, Ducatibus patrum ſuorum in præfata curia ab Imperatore inveſtiuntur.

MCLXXXII. Liupoldus Dux Auſtriæ per Ungariam a Bela Rege, & per Græciam ab Alexio, filio Manuelis Imperatoris Græcorum, qui patri in Regno ſucceſſerat, honorifice conductus, Jeroſolymam vadit. Richza, uxor Heinrici Ducis, obiit. Patriarcha Aquilegienſis Udalricus obiit. Andronicus fratruelis Imperatoris, & ab ipſo de regno Græcorum expulſus, Conſtantinopolim valida manu Turcorum, cum quibus etiam converſatus, nomen Chriſtianitatis abnegaverat, cepit, & infinitam multitudinem tam Latinorum, quam Græcorum occidit, & Sanctuaria prophanavit, Principes, cæcavit, & uxores eorum, & in exilium miſit. Dux Liupoldus per Apuliam toto anno illo moratus, Jeroſolymis circa Natalem Domini revertitur. Otto Moravienſis fraude Boemorum Ducem Fridericum terra ſua privare conatur, ſed per Imperatorem Fridericum eſt prohibitus, Boemi Wadzlaum, fratrem Zebezlai ſeditioſi, ad repetendam terram fratris de Ungaria revocant. Rex Ungariæ Bela Græcorum caſtra & civitates in Bulgaria obtinuit.

MCLXXXIII. Lombardi per legatos ſuos, miſſos de ſingulis civitatibus ad gratiam Imperatoris Friderici, quem prius ſæpius provocaverant, revertuntur, recognito ſibi jure debito. Dux Bawariæ Otto obiit. Item Rex Ungariæ Bela terram Græcorum valida manu vaſtat. Criſtianus Cancellarius Moguntinus Archiepiſcopus in Thuſcia obiit, & Chunradus illuc revertitur. Albertus etiam Sedi Salzpurgenſi reſtituitur. Imperatrix Beatrix obiit, & Epiſcopus Friſingenſis Albertus obiit: cui Otto ſucceſſit, & Petrus Magiſter Vir adprime eruditus obiit.

MCLXXXIV. Theodora Nobiliſſima Ducciſſa Auſtriæ, uxor Pii Ducis Heinrici, obiit IV. Non. Jan. Filii Imperatoris Friderici arma ſumpſerunt in Pentecoſte, Rex videlicet H. & Dux Sueviæ Fridericus. Moguntiæ, ubi dum univerſi Principes Imperii conveniunt, ſequenti die Pentecoſten circa Veſperas Eccleſia miræ magnitudinis de lignis compoſita corruit, & plurimos oppreſſit, qui repentinus caſus aliorum ſequentium malorum præſagus multos terruit. Subſequenter itaque, dum idem Rex Heinricus, filius Imperatoris, armis militiæ indutus ad expeditionem contra Polonos ſe parans commoveret, & ſacramentis ſibi faciendis aſtringeret, ſubito Erfordiæ domus palatii, ubi convenerant, corruit, & infinita multitudo tam Comitum quam Liberorum, quam etiam C diverſarum conditionum hominum cadens in cloaca, quæ de ſubtus fuit, miſerabiliter interiit, ita quod alii in Gera fluvio, quæ latrinam tranſivit, vix inventi ſunt; alii etiam in ſterquilinio reperti, ſignis exterioribus vix agniti ſunt; inter quos fuit ſatis commendatæ virtutis Comes Fridericus de Habenberch, & cæteri, de quibus referre ſuperfluum æſtimamus. Vix tamen Rex præfatus, & Archiepiſcopus Moguntinus Chunradus, & Lantgravius Thuringiæ, qui præſentes erant, in feneſtris muri ſedentes, & ad columnas ſe applicantes, eidem cladi & ruinæ ſuperſtites remanſerunt. Imperator invitatus in Italiam a Lucio Romano Pontifice & Lombardis honeſte ſuſcipitur, & filio ſuo Regi Heinrico in Theutonia remanenti, Cognata Regis Siculi, datis in arrham quadraginta millibus marcarum, deſponſatur: ubi etiam ipſe & Pontifex Romanus, hæreticos diverſarum ſectarum, Arnoldinos, Paterinos, Publicanos, Humiliatos pauperes delevit. Et Catzarios praviſſimi dogmatis ſecundum gradus Religionis ſuæ, quorum alii *Credentes*, alii *Perfecti* nuncupantur, qui totam Italiam commaculaverant, perſequuntur, & Papa eos excommunicavit; Imperator vero tam res quam perſonas ipſorum Imperiali banno ſubjecit. Ibi etiam Patriarcha Jeroſolymitanus, & Magiſter Hoſpitalis ac Templi occurrerunt Imperatori, petentes, ut ſubveniret Eccleſiæ Orientali, quod ipſe, precibus iſtorum & exhortatione Summi Pontificis inductus, facere promiſit.

MCLXXXV. Fridericus Dux Boemiæ expulsus, per Liupoldum Ducem Austriæ, cujus auxilium imploraverat; & ad quem confugerat, suæ dignitati valida manu restituitur. Chuno Episcopus Ratisponensis obiit. Lucius Papa obiit, & Hubertus Mediolanensis Archiepiscopus, *Urbanus* dictus, successit: qui Marscalcum Imperatoris Heinricum excommunicavit, quod quendam de suis denasaverat.

MCLXXXVI. Dux Styrensis omnem hæreditatem suam testatus est Liupoldo Duci Austriæ: Imperator etiam terram & Ducatum sibi ipsius contradidit. Andronicus, hostis humani generis, & crudelis tyrannus Græcorum, a quodam privato milite de Regno ejicitur, & singulis membris sigillatim desectis, quasi truncus in furca suspenditur: qui etiam Ysachius dictus, Regnum arripuit.

MCLXXXVII. Saladinus cum multitudine armatorum v. Non. Julii terram Jerusalem ingressus, occurrente sibi Rege, Episcopis, Templariis, Hospitalariis cum militibus & populo terræ, & Cruce Dominica (quæ contra hostiles nequitias solebat esse certum tutamen Christianorum, & contra paganorum incursus desiderata defensio) facta est inter eos congressio: & superata parte nostrorum, capta est Crux Domini, captus est & Rex, trucidati Episcopi, & universi fere aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita ut pauciſſimi per fugam sint elapsi, ipsi quoque Templarii & Hospitalarii in ejus oculis decollati. Superato autem exercitu, subsequenter totam terram invaserunt, & universa crudeliter diripiunt. Accon (quæ & [1] Phytolomayda) ac deinde Ascalonam, unam de quinque Palæstinis nobiliſſimam urbem ceperunt, non diu in obsidione ejus immorati. Nec adhuc immaniſſimus tyrannus crudelitati suæ finem imponens, eodem anno Tyrum, quæ remanserat ad præsidium superstitum Christianorum (quam Marchio Chunradus de Monte-Ferrato, cum paucis retinuit) attentat expugnare. Sed cum se perficere non speraret, transiens inde, adhibitis machinis & variis instrumentorum bellicorum generibus, civitatem Regis Regum omnium obsidione circumcinxit. Et quia non tantum ipsa civitas Domini, sed etiam tota terra defensoribus caruit, ab eo miserabiliter est capta, & juxta vaticinium Jeremiæ, Princeps provinciarum & Domina gentium, tributaria facta est. Cujus doloris universalem molestiam, & toti mundo lamentabilem sol nuntius tantæ contritionis & calamitatis, sicut in morte Christi, sic & in captione suæ civitatis radios suos abscondens, per subtractionem sui luminis quantum nobis & universo dolendum sit populo Christiano de profanatione locorum, ubi salutem est operatus in medio terræ, evidenter nuntiavit. Capta vero est Jerusalem VI. Non. Octobris.

MCLXXXVIII. Celebrata est curia generalis ab universis Christianæ fidei cultoribus Moguntiæ in media Quadragesima, Dominica *Lætare Jerusalem:* ubi non loco imperantis, sed ad subveniendum Christianitati exhortantis affuit, non præfuit Imperator Fridericus cum filiis suis, glorioso videlicet Rege Romanorum Heinrico, & Duce Sueviæ Friderico qui etiam cum patre eandem viam aggressus est: cui etiam vice Gregorii Papæ (Urbano recenter mortuo) Legatus ejus [1] H. Cardinalis Albanensis, prius Clarevallensis Abbas, Vir religione & scientia perspicuus, interfuit. Ubi omnes unanimi voto tam Principes, quam inferiores zelo recuperandæ hæreditatis Domini, & Divinæ charitatis ardore succensi, sigillo Dominicæ Passionis insigniti, de via sua disponunt, & a proximo Pascha usque ad subsequens se ad viam parant. Non solum autem ex Romano Imperio, sed etiam ex aliis regnis, occidentali videlicet Francia & Anglia cum Regibus ipsarum terrarum, & universis populis ac nationibus hujus expeditionis celeberrima fama ad sumendam crucem universaliter omnes commonuit. Verum inimicus humani generis laudabilis propositi executionem impedire volens, semina dissensionis inter Regem Angliæ & Franciæ seminavit, ita ut causam propriæ victoriæ, victoriæ Domini, qua contra hostes fidei triumphare debebant, prætulerint.

MCLXXXIX. Imperator Fridericus omnium Christianorum causam tractans, curiam sollemnem Ratisponæ in Kalendis Maji celebrans, ad Divini certaminis conflictum accinctus, Dominicæ expeditionis viam arripit, ibique naves intrans per alveum Danubii usque ad terminos Pannoniæ procedit. Ubi in disterminio terrarum, Austriæ scilicet & Ungariæ, tentoria sua fixit, aliis navigantibus, aliis per terram procedentibus: ibidem etiam Sanctam Pentecosten celebriter egit. Fuerunt autem in comitatu ejus Principes, Episcopi Leodiensis, Basiliensis, Biſuntinus, Misſinensis, Tullensis, Herbipolensis, Ratisponensis, Patavienſis, & Illustris Dux Sueviæ, filius Imperatoris F. & eiusdem nominis Dux Meraniæ, & Comes Hollandiæ. De ordine quoque Comitum & Nobilium ac Illustrium Virorum innumerabiles. Episcopum autem Monasterienſem, & Comitem de Nassowe, Viros prudentes & magni consilii Principes, præmiserat ad Regem Græcorum Ysachium, ad præparandam viam & mercatum; sicut promiserat per Cancellarium suum, & juraverat per ipsum Nurinberch in castro Imperiali. Idem enim Rex Græcorum non per successionem regiæ propaginis, sed per casum, immo occasum Andronici tyranni ab ipso occisi, regnum adeptus, instabilitatem fortunæ timuit tanto amplius, quanto ea, qua exaltatus fuerat, deponi verebatur levitate. Et quia hæc sollicitudo de singulis investigandis anxium eum fecerat, eundem Cancellarium, sicut dictum est, miserat. Nuntii itaque prædicti venientes ad Regem Græcorum, ab ipso in osculo recepti, licet pacem de omnibus prius (sicut dictum est) per nuntios suos fecisset, & juraſſet; capti tamen & incarcerati, & secus reverentiam eorum tractati sunt. Rex etiam Bela Ungariæ, gener noviter Græciæ Regis factus (dubium, an ob reverentiam Romanæ Majestatis, an ob con-

[1] Ptolemais.

[1] Henricus.

tracti

tracti matrimonii inter alteram filiarum & Ducem Sueviæ poſt reditum ſuum vinculum uniendum fecerit, ſeu etiam celando propoſitum aliud intenderit) Imperatorem magnifice receptum, usque ad introitum Bulgariæ cum omni comitatu ſuo in propria perſona conducit. Erat etiam Liupoldus Illuſtris Dux Auſtriæ ardentiſſimo deſiderio, ut in hac militia Domini arma contra inimicos crucis Chriſti cum cæteris Principibus ferret, cum tamen recenter inde reverſus fuerit. Sed gravis diſſenſio de terra, quam Styrenſis Dux, Nepos ejus Otakarus elephantica ægritudine percuſſus, aſſignaverat, & coram Imperio ſibi tradiderat, inter ipſum & eundem Regem verſabatur de diſterminio terræ ſuæ: quam Imperator ſumma diligentia conatus, extirpare non potuit. Ipſe vero Dux imperterritus ad tuitionem terræ ſuæ remanens, ſumptus, quos ad eandem expendere propoſuit viam, in omnium peregrinorum uſus diſtribuit.

* * * * * *

NARRATIO DE ELECTIONE LOTHARII DUCIS SAXONIÆ IN IMPERATOREM ROMANORUM,

HABITA MOGUNTIÆ ANNO CHRISTI 1125.

UBI DE SANCTO LEOPOLDO AUSTRIÆ MARCHIONE, DELATAM SIBI IMPERII DIGNITATEM RECUSANTE.

AUCTORE ANONYMO, SED ÆQUALI,

NUNC PRIMUM PUBLICATA EX MEMBRANEO CODICE MS. CELEBERRIMI MONASTERII GOTTWICENSIS, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. TEmpus & locus admonent, ut jam nunc ea omnia Vetuſtatis Monumenta, quæ Pientiſſimi *Leopoldi* id nominis Quarti, ordine Sexti Auſtriæ Marchionis res præclare ac ſancte geſtas præcipue uniceque ſpectant, hic junctim prodire jubeamus. Id enim cum Inſtituti noſtri ratio, tum inprimis ampliſſima Religioſiſſimi Principis iſtius in Monaſterium noſtrum Mellicenſe, quippe quod ejus liberalitati & munificentiæ omnia fere ſua accepta refert, merita optimo jure poſtulabant. Quo pridem animo in noſtris itineribus litterariis, quæ adornandi Operis iſtius gratia ſuſcepimus, id magnopere ſtuduimus, ut quæcunque ornandis amplificandisque *Sancti Leopoldi* geſtis poſſent conducere, ſumma diligentia & contentione conquireremus. Verum (quod non ſine acerbiſſimo dolore fateri cogimur) ea fuit ſæculo duodecimo vel in iis ex profeſſo conſignandis, & ab oblivione vindicandis hominum negligentia; vel, ſiqua etiam eorum in litteras relata fuerunt, inferiorum temporum infelicitas, ut vix quidquam hodie nobis ſuppetat, quod immortalem tanti Principis memoriam, ingentiaque in Eccleſiam omnemque Auſtriacorum gentem benefacta exæquet. Quam enim pauca ſint, quæ tum Vetuſtioris tum ſequioris ætatis Scriptores Auſtriaci, ſive hactenus a nobis prolati, ſive deinceps proferendi de hoc *Leopoldo* ad nos transmiſerunt, nemo, qui eos pervolutare dignabitur, non deprehendet. Neque Auctorum typis editorum ea in digerendis ejus rebus aut ubertas aut diligentia extitit, quin multo plura exactioraque quisquam in iis deſideret. Nam quanta, quæſo, ſunt illa, quæ de nobiliſſimis ejus factis Cuſpinianus in Auſtria, Surius tom. 6. de SS. Balthaſar Polzmannus in ejus Vitæ Miraculorumque Compendio, Baronius tom. 12. Annal. Eccleſ. & in Martyrologio Rom. ad diem 15. Novembris, Raderus Vol. 3. Bavariæ Sanctæ, denique Adamus Scharrerus in libro de rebus a Marchionibus Auſtriacis geſtis commentati ſunt? Quo humanius neceſſe eſt ferat eruditus Lector, ſi Leopoldinorum Monu-

Monumentorum non pinguem meſſem, qualem laudatiſſimi Principis hujus dignitas rectèque facta ſpondere poterant, ſed tenue admodum ſpicilegium apud nos hic reperiat: quibus aliunde decretum eſt, non cujuscunque commatis, ſed genuinas authenticasque Veterum lucubrationes colligere. Cæterum, ut iſthæc ita ſe habeant, fidenter tamen edicimus, eruditum lectorem nullibi antiquiora, uberiora certioraque Leopoldinæ Pietatis argumenta reperturum quam hic apud nos, ut qui & præclara quædam hucusque a nemine viſa primi luce donaverimus, & ante nos publicata ad fidem codicum manuſcriptorum, veterumque editionum exacta locupletioraque reddiderimus.

II. Inter hæc porro Monumenta primum locum obtinet Anonymi cujusdam Auctoris luculenta *Narratio* de electione Lotharii II in Imperatorem Romanorum, habita Moguntiæ anno æræ Chriſtianæ 1125: ex qua diſcimus Leopoldum VI. Auſtriæ Marchionem, cognomento *Pium*, non ſolum unum ex eorum numero fuiſſe, quos Imperii Romani Optimates, Moguntiæ anno 1125. deligendi novi Imperatoris cauſa congregati, ad capeſſendos Regni Germanici faſces deſignarunt; verum etiam eundem Leopoldum noſtrum delatum ſibi ſummum illum Imperii honorem ſemel atque iterum ſponte ſua recuſaſſe. Ac de primo quidem audire juverit Anonymum ipſum Narrationis mox edendæ Scriptorem, ſub numeri ſecundi principium ita loquentem: *Convenientes igitur, præter ipſum* (Fridericum Sueviæ Ducem) *& ſuos, omnes Regni Principes ..... primo decem ex ſingulis Bavvariæ, Svveviæ, Franconiæ, Saxoniæ provinciis Principes conſilio utiliores propoſuerunt, quorum electioni cæteri omnes aſſenſum præbere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus, tam divitiis quam virtute animi præſtantiores; ſcilicet Ducem F.* (Fridericum) *Marchionem L.* (Liupoldum) *Ducem Loth.* (Lotharium) *in concione deſignantes, unum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt.* Hæc Anonymus. Quibus egregie adſtipulatur Otto Friſingenſis Epiſcopus, Leopoldi noſtri filius, Chron. lib. 7. cap. 17: ubi tribus Regni Optimatibus, quos a decem illis Imperii Principibus ad Imperium nominatos Anonymus noſter commemorat, quartum, ſcilicet Carolum, Flandriæ Comitem adjungit. Sic vero Otto: *Anno ab Incarnatione Domini* MCXXV. *defuncto absque hærede Henrico Quinto Principes Moguntiæ conveniunt, ibique habito de ſucceſſore conſilio, quatuor Regni optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopaldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriæ ad Regnum deſignantur.* Eadem ad verbum habet Chronici ſui Parte XVII. col. 509. Gotfridus Viterbienſis, Conradi III, Friderici I, ejusque filii Henrici VI. Capellanus & Notarius, a Johanne Piſtorio Scriptorum Germanicorum Tomo II vulgatus. Quod vero ſæpe laudatus Auſtriæ Marchio Leopoldus oblatam ſibi in Comitiis Moguntinis Imperatoriam Coronam altera quoque vice rejecerit deprecatusque ſit, ex ejusdem Auctoris anonymi verbis, num. 2. afferendis, itidem conſtat. *Abſente autem*, inquit, *Duce Friderico, reliqui duo qui aderant* (Lotharius nempe & Liupoldus) *oblatum ſibi regii nomen Imperii profuſis lacrimis, genibusque terræ defixis humiliter renuebant.* Itemque inſequente num. 3. poſtquam Auctor retuliſſet, Lotharium Saxoniæ Ducem obſequium ſpopondiſſe, qui demumcunque Rex crearetur, demiſſeque ab Alberto Archipræſule Moguntino petiiſſe, ut ne ipſe in Imperatorem eligeretur, tum de Leopoldo Auſtriæ Marchione hæc ſubjungit: *Idem de ſe Marchio Liupoldus publice profeſſus, & Regni ambitionem, & futuri Regis æmulationem Sacramento a ſe removere volebat.* Quocirca mirari ſubit, hæc

ab

ab Ottone Frisingensi, uti & Gotfrido Viterbiensi, aliisque posteriorum temporum Scriptoribus fuisse prætermissa. Quod ignoratione, an dissimulatione factum ab iis fuerit, in medio reliquerim. Interim ex hoc illustri facto egregie elucet singularis prorsus & admiranda Sancti Marchionis Leopoldi modestia, rara sane in Viro principe Virtus: ut qui, teste Anonymo nostro, præstantioribus tum divitiis, tum animi virtute Germanicis id ætatis Principibus accensitus, ultro tamen Imperio parere, quam præesse, cum facile posset, maluerit. Sed de Leopoldo Marchione satis; de *Narrationis*, quam hic primum e tenebris situque in lucem proferemus, Auctore nunc videndum.

III. Ad nomen conditionemque hujus Auctoris quod attinet, ea clam nos esse voluit Antiquorum mos, quo in innumeris tum historiæ, tum doctrinæ disciplinarumque monumentis contigit, ut de aliis omnibus, quam de nominibus fatisque eorum, qui isthæc condiderunt, Auctorum certiores jam simus. Verum id æquiori animo ferre licet, dum saltem de eorum ætate satis constet. Id quod ad conciliandam rebus relatis fidem, quæ in hisce scriptionibus præcipue spectatur, longe amplius graviusque pondus affert, quam quorumcunque aliorum cognitio. Ast ætas hujus Relatoris neutiquam dubia esse potest. Ex ipsius enim verbis accuratius paulo expensis nihil explicatius est, quam eum sub idem omnino tempus floruisse, quo hic Principum in Regem Romanorum delectus in urbe Moguntina institutus fuit, puta, Christi anno 1125. Vel ipsum *Narrationis* initium planissimum facit, eum temporum illorum, quorum illustriorem eventum litteris commendandum suscepit, æqualem extitisse. *In Curia*, inquit, *nuper Moguntiæ celebrata quid dignum memoria gestum fuerit, qualiter electio Regis processerit, breviter cartæ mandavimus.* Tum vero paulo infra frequentiam eorum, qui ad Comitia Moguntina eligendi novi Regis Romanorum causa confluxerunt, exponens, eos tot tantosque fuisse testatur, *quot & quantos*, ait, *nulla tempore nostro Curia ceperat.* Denique sub finem numeri 2. ubi Imperii Romani dignitatem Lothario Saxoniæ Duci, & Liupoldo Austriæ Marchioni a cæteris Imperii Principibus oblatam quidem, sed ab utroque mira modestia repudiatam fuisse memorasset; tum singularem utriusque virtutem commendaturus, *Hoc itaque*, inquit, *magnum decus & memorabile, nec prius auditum, jam nostro tempore Dominus suæ concessit Ecclesiæ, ut laicorum, scilicet illiteratorum humilitas sanctissima ostenderit in majoribus non ambiendis, quam pernicioso Clericorum, & litteratorum in minoribus, magis tamen spiritualibus, ambitio damnosa deliquerit.* Quibus verbis quid luculentius optari possit ad evincendum, Anonymum istius scriptionis Auctorem rebus a se relatis Synchronum, atque adeo fide longe dignissimum esse?

IV. Cæterum Anonymi nostri *Narrationem*, quam mox subjiciemus, eruimus ex insigni Cœnobii Gottwicensis, ordinis nostri, Bibliotheca, cujus Codices MSS. anno 1716. uti alias jam indicavimus, multo labore & industria perlustravimus, concessu & humanitate Reverendissimi Domini Godefridi Besselii, ejusdem celeberrimi Monasterii Præsulis spectatissimi, olim in Electorali Moguntina Curia Officialis & Consiliarii meritissimi. Extabat vero præclarum hocce Germanicæ Antiquitatis Monumentum ad calcem Codicis cujusdam membranei, manu sæculi duodecimi (ut ex scripturæ genere conjecimus) eleganter exaratum: ex quo id manibus nostris accurate fideliterque descriptum Tibi nunc tandem, amice lector, repræsentamus.

NARRATIO DE ELECTIONE LOTHARII SAXONIÆ DUCIS IN IMPERATOREM ROMANORUM.

1. IN curia nuper Mogontiæ celebrata quid dignum memoria geſtum fuerit, qualiter Electio Regis proceſſerit, breviter cartæ mandavimus. Congregatis igitur hinc inde Principibus, Legatis ſcilicet Domni Apoſtolici, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Clericis, Monachis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus cæterisque Nobilibus, quot & quantos nulla tempore noſtro curia ceperat (utpote quos non Imperialis, ut ante, poteſtas, ſed communis maximi negotii neceſſitas aſciverat) prima die Brixinenſis Electus, diſcuſſa electione ſua & confirmata ab omnibus, ab Epiſcopis quampluribus in Epiſcopatum ſollenniter eſt ordinatus. Saxonum vero Principes ultra Renum, diſpoſitis in ripa fluminis ſine numero caſtris, honorifice conſederunt, & ſupra eos Liupoldus Marchio cum Duce Bawarico cum magno militum collegio. Dux autem Fridericus, adjuncto ſibi Epiſcopo Baſilenſi, cæterisque Sweviæ Principibus ac quibusque Nobilibus, e regione ex altera Reni parte conſederant. Et facta ſeorſum Principum collectione non modica, utpote qui animum jam in regnum intenderat, & quaſi ſpe certa præoccupaverat, fingens timorem Mogontinienſium, diſtulit ad Principum venire colloquium: & paratus in Regem eligi, ſed non in Regem eligere, prius explorare volebat, quem ex omnibus Principum aſſenſus promovere pararet.

2. Convenientes igitur, præter ipſum & ſuos, omnes regni Principes gratiam S. Spiritus hortatu Domini Cardinalis per antiphonam *Veni S. Spiritus* invocantes, primo decem ex ſingulis Bawariæ, Sueviæ, Franconiæ, Saxoniæ provinciis Principes conſilio utiliores propoſuerunt, quorum electioni cæteri omnes aſſenſum præbere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus tam divitiis, quam virtute animi præſtantiores, ſcilicet Ducem F. [1], Marchionem L. [2], Ducem Loth. [3] in concione deſignantes, unum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt. Abſente autem Duce F. reliqui duo, qui aderant, oblatum ſibi regii nomen Imperii profuſis lacrimis, genibusque terræ defixis humiliter renuebant. Hoc itaque magnum decus & memorabile, nec prius auditum, jam noſtro tempore Dominus ſuæ conceſſit Eccleſiæ, ut Laicorum ſcilicet illiteratorum humilitas ſanctiſſima oſtenderit in majoribus non ambiendis, quam pernicioſe Clericorum & Litteratorum in minoribus, magis tamen ſpiritalibus, ambitio damnoſa deliquerit.

3. Porro Dux F. ambitione cæcatus, ſperans ſibi conſequenter reſervatum, & quaſi indubitanter conferendum, quod a duobus vidit humiliter refutatum; jam ſine conductu urbem, quam prius cum conductu ingredi metuebat, ingreſſus eſt, & Principum conventui ſociatus, in Regem eligi paratus aſtabat. Surgens vero Mogontinus Archiepiſcopus conſulto requiſivit a tribus præfatis Principibus: utrum ſine contradictione, ſine retractione & invidia, ſinguli quoque tertio communiter a Principibus electo vellent obedire? Ad quæ verba Dux Lotharius ſicut & pridie, ne ipſe ullatenus eligeretur, humiliter expetiit, & eligendo cuicunque ſe ut Domino & Imperatori Romano obedire promiſit. Idem de ſe Marchio Liupoldus publice profeſſus, & regni ambitionem, & futuri Regis æmulationem Sacramento a ſe removere volebat. Requiſitus igitur Dux F, utrum ipſe quoque, ſicut & cæteri, ad totius Eccleſiæ regnique honorem, & liberæ electionis commendationem perpetuam, idem quod cæteri fecerant, facere vellet? Sine conſilio ſuorum in caſtris relictorum ſe reſpondere nec velle, nec poſſe aſſeruit: & quia ad ſe exaltandum Principum animos nequicquam unanimes usquequaque perſenſit, conſilium ſuum & aſpectum curiæ jam exinde ſubtraxit.

4. Videntes ergo Principes tantam Ducis ambitionem, tamque violentam quaſi debitæ ſibi poteſtatis exactionem, quam ante ſublimationem adeo efferri dominarique videbant, nequando ſibi præficeretur, unanimiter refellebant. Poſtera vero die, congregatis in idipſum Principibus, cum abeſſet Dux F, & cum eo Dux Bawaricus; requiſivit Mogontinus Archiepiſcopus: utrum uterque nominatorum in electione Principum qui aderant, refutata a ſe deſignatione præmiſſa, concorditer & benigne in eligenda quacunque perſona Principum voluntati vellent præbere conſenſum? Quod humiliter & devote ſimul utrique laudabant, & quaſi non amplius ſollicitandi, ſed de alio quopiam eligendo ſolliciti ſimul in una ſede conſidebant. Proinde cum dimiſſis jam prænominatis Principes admonerentur, ut communicato conſilio diligenti ratione perſonam quærerent, quam ſecundum Deum & honorem Eccleſiæ Regno præficerent, ſubito a Laicis quampluribus: Lotharius Rex ſit, clamor exoritur. Lotharius rapitur, Lotharius humeris imponitur, & regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur.

5. Principes vero quamplurimi, maximeque Bawariæ provinciæ Epiſcopi rem tantam inconſulte & impetuoſe factam abhorrentes, & de ſedibus ſuis ſe perturbatos debita cum indignatione conquerentes, ab aliis irati ſecedere, & prorſus a curia infecto negotio recedere parabant. Mogontinus vero cum aliis quibusdam Principibus oſtium, ne quis egrederetur vel ingrederetur, obſervari [1] præcepit; iſtis Regem ſuum de intus concrepando circumferentibus illis ad laudem Regis, quem ignorabant, deforis cum ſummo clamore currentibus. Tandem cum Principum diſſenſio jam eousque procederet, ut & Lotharius de ſua comprehenſione vehementer iratus vindictam peteret, & Epiſcopi pro ſua diſturbatione dolentes erumpere quærerent; Domnus Cardinalis cæterique Senioris [2] conſilii Principes tumultum illum

1 Fridericum. 2 Liupoldum. 3 Lotharium.

1 *f.* obſerari. 2 *f.* ſanioris.

vix

vix tandem voce manuque ſedantes, univerſos ad ſedes ſuas conſiliumque redire perfecerant. Hic Domnus Cardinalis gratia Domini præventus Epiſcopos ſeorſum conveniens, diſceſſionis culpam in ipſos graviter intorſit: & niſi ad pacem & concordiam & ipſi redirent, & alios minus doctos ſua informatione reducerent, prædam, ſtrages, & incendia, & quæcunque mala per hanc diſceſſionem ſuboritura ipſis adſcripſit. Data demum opportunitate loquendi, Salzburgenſis Archiepiſcopus cum Epiſcopo Ratisponenſi pro ſe & honore regni honeſtiſſime diſſerentes, ad concordiam partes transferre laborabant, & ſine Duce Bawarico, qui aberat, nihil de Rege ſe diffinire dicebant. Præterea de inconſulta raptorum vehementia, tam ſibi quam rapto pro majeſtatis honore non indebitæ graviſſima, debitam a primatibus juſtitiam exigebant. Unde factum eſt, ut præmiſſa debitæ ſatisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui præcipitationis ſuæ culpa concitavere diſcordiam.

6. Accito igitur Duce Bawarico, jam S. Spiritus gratia ad unum idemque ſtudium animos omnium unire curabat, & unanimi conſenſu ac petitione Principum jam primum Lotharius Rex Deo placitus ſublimatur in regnum. Concordantibus itaque in electione Regis univerſis regni Principibus, quid juris regiæ dignitatis Imperium, quid libertatis Reginæ cœleſtis, id eſt Eccleſiæ, Sacerdotium habere deberet, ſtabili ratione præſcribitur, & cœptus utrique honoris modus Spiritu Sancto dictante præfigitur. Habeat Eccleſia libertatem, quam ſemper optaverat: habeat & Regnum juſtam in omnibus potentiam; quam ſibi per karitatem quæcunque ſunt Cæſaris ſine cæde ſubiciat. Habeat Eccleſia liberam in ſpiritalibus electionem, nec regio metu extortam, nec præſentia Principis ut ante coartatam, vel ulla petitione reſtrictam: habeat Imperatoria dignitas Electum libere, conſecratum canonice regalibus per ſceptrum (ſine pretio tamen) inveſtire ſolenniter, & in fidei ſuæ ac juſti favoris obſequium (ſalvo quidem ordinis ſui propoſito) ſacramentis obligare ſtabiliter.

7. Denique Rex L. electus ab omnibus, expetitus ab omnibus ſequenti die in Principum concione conſedit. Et primo ab Epiſcopis univerſis, ſcilicet XXIV. qui tunc aderant, & Abbatibus quamplurimis pro Imperii reverentia, pro confirmanda Regni ac Sacerdotii unanimi concordia & pace perpetua, fidelitatem non indebitam de more ſuſcepit; a nullo tamen ſpiritalium, ut moris erat, hominum [1] vel accepit, vel coëgit. Deinde confluebant hinc inde Regni Principes, fidelitatem ſuam tam in hominio, quam Sacramento Regi Domino firmaverunt, & debitum Regi honorem deferentes, quæ Regni fuerunt, a Rege ſuſceperunt. Videns itaque Dux F. contra Dominum non eſſe conſilium vel potentiam hominum, qui tot tantorumque Principum animos contra ſpem omnium collegit in unum, tertia demum die, Ratisponenſis Epiſcopi cæterorumque Principum conſilio precibusque correctus ad curiam rediit: & ducentas marcas, quibus eum Rex prius inbeneficiare promiſerat, ſatis honeſte refutans, debitam Regi jam Domino ſuo reverentiam exhibuit, & cum eo ſic in gratiam & amicitiam tanto ſtabilius, quanto liberius rediit. Tandem compoſitis omnibus, Rex prædictus ſub Regiæ Majeſtatis obtentu pacem firmam in omni Regno Teutonico usque ad Nativitatem Domini, & ab inde ad annum usquequaque communiter indixit: quam ſi quis infregerit, juxta cujusque provinciæ legem atque juſtitiam ſeveriſſime vindicta exſolvere debebit.

[1] *l.* hominium, *i.* homagium.

NARRATIO GENEALOGICA POSTERORUM S. LEOPOLDI AUSTRIÆ MARCHIONIS,

AUCTORE ANONYMO COENOBITA (UT VIDETUR) MONASTERII S. CRUCIS, ORD. CISTERT. IN AUSTRIA.

ERUTA NUNC PRIMUM EX VETERIBUS MEMBRANIS BIBLIOTHECÆ NOSTRÆ MELLICENSIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. EN tibi, erudite Lector, alterum antiquitatis Monumentum, quod in tantis tenebris oblivionis & obſcuritatis haud parum lucis Leopoldinis rebus accendit, ſcilicet *Narrationem Genealogicam Poſterorum S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis* usque ad Fridericum II. eo nomine Auſtriæ Ducem dictum *Bellicoſum*, ultimum ſtirpis Babenbergenſis Auſtriæ Principem, qui anno 1246. in prælio apud Leytham fluvium cum Ungaris habito occubuit. Hæc lucubratio ea ipſa eſt, quæ in *Additionibus* ad Chronicon Mellicenſe ſub finem anni 1105. citatur his verbis: *Iſte Leupoldus Marchio extitit Fundator duorum Clauſtrorum, ſcilicet in Newvburch, & Sanctæ-Crucis prope VViennam, ut melius invenies*

in principio hujus libri, & quomodo uxor ejus Agnes peperit ſibi XVIII. *pueros, & alia utilia ibidem invenies poſt Kalendarium.* Nomine *libri hujus* Auctor mox dictarum *Additionum* integrum illum MS. Codicem Bibliothecæ Mellicenſis deſignavit, quo primo Kalendarium cum Necrologio, deinde pervetuſtus Romanorum Pontificum Catalogus, tum hæc Narratio genealogica Poſterorum S. Leopoldi ἀνεπιγράφη, denique Chronicon Mellicenſe cum aliis nonnullis continentur. Porro Narrationis iſtius genealogicæ Auctorem, Cœnobitam quendam incerti nominis San-Crucenſem, qui ſæculo tertio decimo vixerit, fuiſſe, id firmat & docet, quod prædia quædam & dona, quibus Auſtriæ Duces ſtirpis Leopoldinæ Monaſterium Sanctæ-Crucis ampliter auxerunt, ſpeciatim appellet: quam curam & diligentiam in recenſendis aliorum Monaſteriorum, ab ejusdem ſtemmatis Auſtriacis Principibus conditorum, fundationibus & dotationibus haudquaquam præſtat. Deinde nullus ex Ducibus Auſtriæ, quorum genealogiam texit, ſæculo decimo tertio poſterior fuit. Ad ultimum ipſi characteres, quibus hæc Narratio genealogica ſcripta eſt, ſæculum tertium decimum, aut certe inſequentis initium ſapiunt.

II. Haud ſcio, ſatisne operæ pretium facturus ſim, ſi eruditum lectorem commonuero, Chronicon quoddam (ut quidem appellare viſum eſt Lambecio) Florianenſis in Auſtria Superiore Canoniæ Ord. S. Auguſtini, quod inter alios Rerum Auſtriacarum Scriptores nondum editos Daniel Neſſelius in Sciagraphia Magni Corporis hiſtorici collocat, partem aliquam ex hoc ipſo noſtro, quod præ manibus habemus, opuſculo conſarcinatum videri. Initium prædicti Chronici Florianenſis apud laudatum Neſſelium pag. 22. hujusmodi eſt:

Generatio Leupoldi Marchionis Auſtriæ.

Leupoldus Marchio, cognomonte Pius, extitit fundator duorum Monaſteriorum in Auſtria, Neunburg & Sanctæ Crucis; tertium vero a progenitoribus ſuis fundatum, Medlich nomine, libertati donavit; quartum in Cella Sanctæ Mariæ, quod tamen ipſe non fundavit, ſed, habito ſuorum conſilio, hæſitantes fundatores prævenit, & Oratorium in ſuo jure fundavit. Iſte Leupoldus Marchio duxit uxorem Agnetem nomine, filiam Heinrici Imperatoris Quarti, per quam habuit decem & octo pueros &c.

Atqui hæc ipſa ſunt verba, quibus Auctor Narrationis Poſteritatis S. Leopoldi ſuam telam orditur. Cæterum quousque progreſſum fuerit Chronographi Florianenſis plagium, ii comperient, in quorum manus id fortuna aliquando intulerit. Nobis eo nunquam viſo, divinare non lubet; quin potius ad exhibendam ipſam Anonymi noſtri San-Crucenſis lucubrationem, quæ in Codice Cæſareo *Generatio Leupoldi Marchionis Auſtriæ* teſte Neſſelio, melius *Narratio Genealogica Poſterorum S. Leopoldi* a nobis inſcribitur, conferre nos jam juvat.

NARRATIO GENEALOGICA POSTERORUM SANCTI LEOPOLDI AUSTRIÆ MARCHIONIS.

LEupoldus Marchio, cognomento *Pius*, extitit fundator duorum Monaſteriorum, Neumburch, & Sanctæ Crucis in Auſtria; tertium vero a progenitoribus ſuis [1], nomine Medlich, libertati donavit; quartum in Cella S. Mariæ, quod tamen ipſe non fundavit, ſed habito ſuorum conſilio, hæſitantes fundatores prævenit, & oratorium in ſuo jure fundavit. Iſte Leupoldus Marchio duxit uxorem, Agnetem nomine, filiam Hainrici Imperatoris Quarti, per quam habuit XVIII. pueros; quorum ſeptem tempore infantiæ de medio ſublati ſunt; undecim vero qui ſupervixerunt, ſex videlicet filii, & quinque filiæ, ad honores temporalium rerum non modicos omnes promoti ſunt.

Primogenitus, Adalbertus, qui factus eſt advocatus omnium clauſtrorum ad advocatiam Marchionis pertinentium. Qui, poſtquam obiit, ſepultus eſt cum patre & matre in Clauſtro Neumburgenſi.

[1] *deeſt in MS.* fundatum.

Secun-

Secundus, Hainricus, qui & diutius omnibus vixit, & a patre minus diligebatur. Hic Monaſterium Sanctæ Crucis ab Abbate Hainrico inchoatum, in ædificio pro majori parte juvit ædificare. Dedit etiam Sanctæ Cruci villam, quæ dicitur Minchendorf. Iſte Hainricus dictus eſt *Dux* Auſtriæ, nam ante erant Marchiones. Extitit etiam fundator Monaſterii S. Mariæ Virginis Scotorum Viennæ, genuitque duos filios; Leupoldum, qui ſucceſſit patri in Ducatu; & Hainricum fratrem ejus, qui poſtea dictus eſt Hainricus Dux de Medlico. Qui ſupra dictus Hainricus, poſtquam obiit, ſepultus eſt in Monaſterio Scotorum in Wienna, quod ipſe fundavit.

Tertius, Leupoldus, qui factus eſt Dux Bawariæ, deditque Drumawe & Talarn. Qui cum cognoviſſet ſe moriturum, nobiles ſecum manentes adjuravit, ut ipſum mortuum in Auſtriam deducerent ad Sanctam Crucem, ibique ſepelirent. Quod & factum eſt.

Quartus, Herneſtus, qui & ſepultus eſt in Sancta Cruce.

Quintus, Otto, qui profecit in egregium Clericum. Qui factus eſt Mormundenſis Monachus cum quindecim, qui ſecum venerant electiſſimis Clericis: venerat enim a ſtudio Pariſienſi. Deinde ad iſtius Ottonis petitionem Leupoldus Marchio pater ſuus cœpit fundare Sanctam Crucem. Hic factus eſt poſt hæc Epiſcopus Friſingenſis. Qui cum viſitaret Domum Mormundenſem, mortuus eſt, illic jacet ſepultus in eodem loco.

Sextus, Chunradus, qui factus eſt Epiſcopus Patavienſis, deinde Salzpurgenſis, & in Cœnobio Agmuntenſi ſepultus.

Primogenita filiarum fuit Perhta, quam duxit Hainricus Purcravius Ratisponenſis.

Secunda, Agnes, quam accepit Polezlaus Dux de Polan.

Tertia, Gerdrudis, quæ copulata eſt Lazlao Duci Bohemiæ.

Quarta, Elizabet, hanc accepit Hermannus Lancravius de Saxonia.

Quinta, Judita, quam duxit nobilis Regengerus, Marchio de Monte Phetran. Mortuisque omnibus filiis fundatoris Sanctæ Crucis, Leupoldus, filius Hainrici Ducis, ſuſcepit Ducatum.

Iſte Leupoldus fuit primus, qui poſſedit Stiriam cum Auſtria, dictusque eſt Dux Auſtriæ & Stiriæ: erat enim valde virtuoſus, dilexitque viros religioſos. Sed heu! lapſus de equo, fractoque crure apparuit veſica venenoſa in crure. Unde amputato crure indutoque habitu Monachi dixit: Utinam cum mea ſtipula contingat me paſcere oves Sanctæ Crucis. Hic habuit duos filios, Fridericum, & Leupoldum fratrem ejus. Qui, poſtquam obiit, ſepultus eſt in Sancta Cruce.

Mortuo patre primogenitus, hoc eſt Fridericus, ſuſcepit Ducatum. Hic erat valde virtuoſus, qui mortuus ſine liberis, ſepultus eſt in Sancta Cruce.

Deinde Leupoldus frater ejus factus eſt Dux Auſtriæ & Stiriæ. Iſte Leupoldus extitit fundator Campililiorum. Qui, poſtquam obiit, ſepultus eſt in Campoliliorum. Hic habuit tres filios, & quatuor filias.

Primus, Leupoldus, qui vivente patre cum frequentaret ſcholas, Neumburch mortuus eſt, & ſepultus in eodem loco.

Secundus, Hainricus, qui non habuit filios, ſed unicam filiam. Deinde mortuus eſt, & ſepultus in Neumburch.

Tertius, Fridericus. Hic patre mortuo ſuſcepit Ducatum, factus eſt etiam Dominus Carniolæ: erat enim animoſus nimis, & probiſſimus miles. Qui duxit exercitum contra Belam Regem Ungariæ, victoque exercitu Belæ Regis Ungariæ, ac in fugam omnibus cum Rege converſis, eadem die interfectus eſt Dux Fridericus, & ſepultus in Sancta Cruce. Quo mortuo non erat Dux in Auſtria & Stiria, ortaque ſunt mala in Auſtria & Stiria innumerabilia. Filia vero Hainrici Ducis Gerdrudis contraxit cum ſeniore filio Regis Bohemiæ, qui breviter mortuus eſt ſine liberis.

Prædicta vero Gerdrudis, filia Ducis Hainrici, duxit alium maritum Hermannum, nobilem virum Marchionem de Paden: genuitque filium, nomine Fridericum, & filiam. Qui Hermannus breviter mortuus ſepultusque eſt Neumburch in Clauſtro. Quo mortuo non erat Dux in Auſtria & Stiria. Item Gerdrudis, filia Ducis Hainrici, duxit tertium maritum, nomine Romanum, Regem Ruſciæ: qui poſtquam genuit filiam per eam, reverſus eſt in terram ſuam, nec ultra vidit eam.

Regina Margareta & uxor Regis Hainrici, qui fuit filius Imperatoris Friderici, reverſa eſt in Auſtriam: erat enim ſoror Ducis Friderici. Quæ contraxit cum Ottakero, filio Regis Bohemiæ, qui potenter obtinuit Auſtriam & Stiriam. Sed cum videret, quod filios non poſſet per eam generare, ipſam repudiavit; Auſtriam vero & Stiriam potenti manu tenuit, & neptem Belæ Regis Ungariæ in uxorem duxit.

† † †

ORATIO DE SANCTO LEOPOLDO AUSTRIÆ MARCHIONE,

SEDENTE INNOCENTIO OCTAVO PONTIFICE MAXIMO, FRIDERICO TERTIO IMPERATORE SUADENTE, AB FRANCISCO APPELLATO *PATAVO* JURISCONSULTO ATQVE ADVOCATO CONSISTORIALI ET PAUPERUM, EQUITE ET COMITE, ORATORE, HABITA DIE DUODECIMA KAL. DECEMBRIS, ANNO SALUTIS MILLESIMO QUADRINGENTESIMO OCTOGESIMO QUARTO, PUBLICO CONSISTORIO.

EX COD. MS. BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS, SURIO, ET POLZMANNO.

OBSERVATIO PRÆVIA.

HÆc Oratio, qua Franciſcus Patavus coram Senatu Eccleſiaſtico ab Innocentio VIII. P. M. contendit, ut Leopoldus *Pius* Auſtriæ Marchio in Sanctorum numerum ſollenni ritu referretur, extat in Chartaceo Cod. MS. Mellicenſi formæ majoris, eodem titulo & inſcriptione, quam ei præfiximus, ſcriptaque fuit anno Chriſti 1487. Servatur apud nos & alius liber, typis quos vocant Gothicis ſæculo XV. exeunte excuſus, in quo eadem Oratio habetur, & ex quo fortaſſis eam Surius recudi fecit, ſuoque Novembri ad diem 15. a pag. 354. ad 359. inſeruit. Quin etiam Balthaſar Polzmannus Præpoſitus Clauſtro-Neoburgenſis in opuſculo ſuo, cui titulum fecit: *Compendium Vitæ & Miraculorum S. Leopoldi*, anno 1591. publicos eandem typos ſubire juſſit. Nos trinis hiſce editionibus quartam adjungimus, ad fidem MS. Codicis Mellicenſis ſtudioſe recognitam: adjectis ad oram, ſicubi viſium eſt, operæ pretium, variis lectionibus notulisque. Cæterum ex hac Oratione, quam mox proferemus, tum ex *Summario* ſeu Actis Canonizationis Divi Leopoldi, quam eidem ſubjungemus, illuſtria S. Leopoldi geſta, ejusdemque ampliſſima in Auſtriam merita, præclaras denique virtutes, vimque maximam Miraculorum, quibus inſignem ejus ſanctimoniam Deus teſtatam fecit, Lector uberius cognoſcet.

INCIPIT ORATIO.

SI quam dicendi facultatem, ſi quod humanum ingenium poſſe ſatis exequi laudes Divi Leopoldi exiſtimarem, Pater ſanctiſſime, Reverendiſſimi Domini; non ego apud vos adeo auderem, ut Viri tanti virtutes exiguis dicendi viribus vellem attingere, & debilis in re tanti ponderis, inexercitatusque athleta certamen hoc inire perarduum. Sed quoniam nemo tam eloquens, tam felici ingenio præditus eſt, ut ejus magnitudini virtutum orationem æquare valeat; imo cujusvis diſertiſſimorum eloquentia, ſtudium, opera, facultas, ingenium, longe ſuperatur & deficit, cum vel cogitare, vel expromere verbis conatur, quantum moribus, quantum denique tota vita claruerit: hinc ergo [1] etſi in hoc mihi inuſitato genere dicendi parum vehemens orator videar, tamen pro meatum in eum ipſum pietate, tum in univerſam Chriſtiani ritus religionem obſervantia dicendum vel id mihi pro viribus cenſeo. Neque enim id alienum ſive officium ſive [2] patrocinium a quolibet puto homine Chriſtiano, quando omnes debiliores ſunt, quam ut de tanta re ſatis dicere queant.

A Accedo igitur ad veſtrum venerandum & plane Divinum conſpectum, veſtra utor liberius dignitate, fretus videlicet pietatis quo fungor officio, certusque apud vos plus valere loquentis animum in cauſa pia, honeſta, religioſa, ſancta, quam orationis copiam, & ornamenta vacua negotio rerum & auctoritate. Et ſi manſuetudo ſanctitatis veſtræ ſæpe numero mihi pias humanasque cauſas, & pro pauperibus peroranti faciles porrexit aures: quanto faciliores in præſentia ſperare poſſum illas mihi porrigi? Cum hic de religione vera, de ſancta republica, de fide agatur catholica: dum virum inſignem pietate laudamus, eumque ipſum referendum B in Sanctorum numero ducimus. Leopoldum dico, quem ſolum in terris Deus ipſe immortalis nobis præcipuo exemplo conſtituit, Alios namque ad beatam vitam liberius evexit ſolitudo, atque ab humanis negotiis ſeparatio, remotaque vita, & a ſæculi curis penitus expedita. Unum hunc inter pauciſſimos mortales humanis implicitum rebus humana contempſiſſe, & inter ipſarum humanarum rerum impedimenta ſemper Divinis inhæſiſſe conſtat. Rarum profecto & memorabile ſanctitatis exemplum, qui dum in cætu vixerit humanarum minime

[1] *Surius & Polzmannus* ego. [2] ſive patrocinium *non habet Surius, legitur tamen etiam apud Polzmannum.*

nime curarum expers, inter Divina adeo sit versatus, quod non nisi arbitrandum sit, ipsum cælestem gloriam consecutum: & cum hic maxime status, ea vitæ conditio distrahere soleat; in eo potissimum sanctitas quæsita, & inventa sit. Nam etsi plurima sit dignum laude, tamen perdifficile majores nostri judicarunt, in magna videlicet peccandi licentia juste vixisse. Accedit & rei uxoriæ & liberorum cura, quod quidem (ut cum Apostolo dicamus) a cælestium cogitatione maxime dividit.

Aggredior igitur his munitus præsidiis, Redemptoris implorato Numine, sine quo nihil incipere fas, vitam Beati Leopoldi ab omnibus plane imitandam, ac ejus probatissimos mores, frequentissimam deinde miraculorum multitudinem explicaturus; ut in actis constat, super ea re, de cujus agitur canonizatione, productis B coram Reverendissimis in Christo Patribus, Roderico Portuensi Episcopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, Marco Episcopo Prænestino, Francisco Sancti Eustachii Diacono Cardinali, ad talia obeunda deputatis. In quorum enarratione, compensata rerum magnitudine cum tempore, quo illa recensebo, paucissime percurrisse vos judicaturos non dubito. Illud inprimis rerum natura vel lata lege fixit, ut a robore robur generetur, ab aquila similis avis, & a forti ac constanti idem nascatur, & contra nil existimamus posse fieri. Leopoldus cognomento *Pius*, patre Leopoldo, Marchione Austriæ natus est, familia utriusque parentis illustri; & tota divini cultus; & in qua duo præcipue claruere, religio & populorum regimen. C Cui omnia pietatis munera adjunxit, & in eo tenore perseveravit, ut animi moderatione & misericordia reliquos anteiret: majoresque suos orthodoxos tanto antecelluit, quanto *Pii* cognomen, quo Leopoldus meruit insigniri, cæteris præstat. Leopoldus enim *Pius* ubique inscribitur, hocque ei cognomen viventi inditum est, quod post trecentos & quinquaginta fere annos, quibus in Domino quievit, adhuc inconcussum inextinctumque manet, & æternum servat per sæcula nomen. Hic ab infantia non se delitiis aut voluptatibus, quibus ætas illa permaxime irretiri solet, neque his, quæ omnes faciunt pueri, accommodavit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus opesque innumeras: ab omnibus enim hujusmodi se abdicavit. D Et quod jam Dei nutu fas est credi, inter tot rerum omnium delitias, sobrium, continentem, abstemium, & in carne quodamodo viventem præter carnem cerneres: & eo usque, ut qui illius temporis res gestas, & hujus incorrupti viri vitam conscribunt (qui quidem plurimi sunt dignissimi scriptores) unum hunc pleno commendant ore, admirantur, extollunt, solumque adolescentem dicunt earum rerum expertem, quas fert adolescentia. Huic non equi, non canes præcipuum fuere studium; sed Divina eloquia, veræque fidei cultus assiduus, cognitioque studiosissima placuere: sæpius enim sacros codices intentum erat videre, nec a Divinarum rerum contemplatione seu operatione vacuum invenire facile fuisset. Genitore vita functo, regni habenis hæreditario jure susceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernavit, ut eis non præesse sed prodesse curaret, & se rectorem & exemplum ad bene beateque vivendum subditis præberet. Quippe qui non eorum opibus (ut nonnullis regnantium mos est) inhiaret, sed populum sibi a Deo commissum recte, quiete, sancte ac æqua lance conservare studeret, horumque animas una cum sua innoxias, mundas, & Deo gratas reddere, bonos propositis præmiis meliores efficere, summisque honoribus afficere gauderet. In jure erga sontes administrando ita se habuit, ut nunquam misericordiæ fuerit immemor, juxta illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Ita ut, cum scelera coërceret, a tormentis aut cæde semper abstineret, ut verus imitator Salvatoris haberetur. Uxori ei pari sanctitate ac moribus, Deoque Maximo ita jubente, anno MCVI. oblata Agnes Imperatoris filia, pudicitia insignis, & quæ viro sponte ad bona opera properanti calcaria subderet. Et quod præcipuum munus mulierum dicit jurisconsultus, fœcundissima liberos duodeviginti enixa est, ita quod ex ipsa fœcunditate intelligi potest, verum Dei cultum, quo vir & uxor ducebantur, ipsis viventibus hæc beatitudinis pignora non denegasse; ut illud vere testari possit: *Uxor mea sicut vitis abundans in lateribus domus meæ: filii mei sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ meæ: ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Inerat enim illi fœcunditati juncta continentia quædam, & ita quod (ut diceret Hieronymus) Non voluptatis impetu, nec præceps ad ipsius ferebatur affectum. Quoniam qui de genitura sunt auctores, illud inprimis adstringunt, ut longum post intervallum & cum sobrietate fiat commixtio: alias quo ad impotentiam aliter se copulantes, ebriis, decrepitis & infantibus eos comparari non est dubium, Avicenna teste & aliis auctoribus medicæ artis. Quo fit, ut cum hic Leopoldus suum vas, juxta dictum Apostoli, cum omni sanctitate custodiret, non voluptatis, sed procurandæ sobolis gratia, & non aliter congrediebatur uxori. Hi ergo sic sanctissimo copulati matrimonio, mira cum essent ambo prædita bonitate, ambo in Redemptorem nostrum pientissimi, nilque indies cogitarent, nisi quo maxime pacto placere ac summo Deo gratificari possent; concordes animi & uno spiritu arbitrati rem gratam altissimo fore, si quam ære proprio sacram construerent ædem, cui quæque commoda & ministeria præsto essent: Beatæ Mariæ templum condere, in eoque sanctæ approbatæ religionis viros collocare decreverunt, quorum precibus, beata Dei Genitrice intercedente, salutis eorum æternæ felicitas impetraretur. Et cum de loco ædis construendæ cogitarent, miraculo datum est (ut in urbe Roma de nive scribitur) Divina quasi voluntate ventus coortus, flammeolum Agnetis capite leviter sublatum procul ab oculis, in remota detulit loca: quod nono post anno, cum relaxandi animi gratia vir Dei deambularet, oculosque ad vepres verteret, suspectum

1 *ita & Sur. & Polzman. videtur deesse præpositio in.*

ctum [1] ſuper frutice illæſum & inviolatum læ- A tabundus accepit. Deinde velut Deo jubente, ædificatum templum, eſt Beatæ Mariæ Virgini dicatum, conſpicuum & opulentum, ſitum in ripa Danubii octavo a Vienna lapide, duratque adhuc, *Novum-Clauſtriburgum* cognominatum. Sed cum ejus templi fundamenta jacienda eſſent, Proceres & Magnates, qui cum eo aderant, illud monebant, ut ipſe primum in fundamentis poneret in lapidem. Verum ipſe ſtudioſus humilitatis, eorum inanibus monitis ſubridens, ſacerdotum id eſſe muneris perſeveranter affirmavit. Nimirum accerſitus Otto loci ejus Præpoſitus, primus lapidem jecit, poſt alii ſubſecuti ſunt. Finito opere dotem dedit, privilegio ſanxit, ibique Canonicos, quos Sæculares vocant, ſacris præeſſe voluit. Ubi cum negligentius miniſtrarent, Canonicos Regulares Beati Augu- B ſtini, ſanctimonia vitæ præditos, & fidelibus gratos, qui adhuc præſunt, ſubſtituit: convocatis prius ad id opus Conrado Salzburgenſi tunc Epiſcopo Rainaſio [2] Epiſcopo Patavienſi, & Romano Gurcenſi Epiſcopo, aliisque non ſpernendis conſultoribus.

Deinde, ut fortius omnia tenerentur, ab Innocentio ſecundo Pontifice Maximo, ſine cujus auctoritate omnia irrita exiſtimamus, Leopoldo per nuntium poſcente confirmata ſunt. Extant Pontificis illius litteræ, quibus ob præclarum hoc facinus, Leopoldi bonitatem ac fidem commendans, etiam [3] beati Petri filium reverenter ac religioſe appellavit. Extat Pontificale privilegium, quo Canonibus [4] multæ conceduntur immunitates. Eugenius etiam Tertius Pontifex Maximus Viterbii, & Urba- C nus Quartus ſucceſſor Veronæ, litteris Apoſtolicis, privilegiis ac monumentis, pro confirmatis & bene geſtis rebus pro Leopoldi meritis poſt ejus obitum habuere. Ita & Innocentius Sextus cum referre Leopoldum ob ſingulariſſima ejus in Deum benemerita in numerum Sanctorum decreviſſet, & jam ſuper ea re legatos in Germaniam miſiſſet; increſcentibus bellis, efficere quod vehementer optabat non potuit: vel, ut veriſimile fit, pullulante etiam Bohemica hæreſi, coactus ab incepto deſtitit. Is enim patria Levionenſis inter maximos utriusque juris conſultos, advocatus celeberrimus fuit; & cujus virtute Eccleſiæ patrimonium recuperatum eſt, medio Ægidio Cardinali Hiſpano: cujus opera & ingenio quamplura [5] facinora tempore ſuo peracta fuerunt. Sed ad rem D redeo. Alterum Monaſterium ordinis ſancti Bernardi ædificavit ſub titulo ſalutiferæ Crucis in valle nemoroſa, duodecimo a Vienna lapide, in quo quamplurimi Monachi & miniſtri abunde aluntur. Inſtauravit & a majoribus ſuis ante conditum, ſed relictum Monaſterium Medlicenſe [6], vi atque hoſtili metu procul abactis, & deletis hoſtium viribus atque incurſionibus, ampliori etiam fructu dotavit. Hæc Leopoldus, beatiſſime Pater, inter tot regni occupationes ad theſauri cæleſtis reconditoria vivens poſuit, hanc ſibi voluntatem delegit, his veris delitiis uſus eſt, hoc ſibi ad futuram vitam iter aperuit, & in tam laudabili bene vivendi tenore, & tam præclaris monumentis, MCXXXVI. ſalutis anno orbe ceſſit, cælosque migravit. Poſt cujus obitum idem Innocentius ſecundus Pontifex Maximus, non unis litteris, paterna ut decet charitate tanti viri uxorem & filios honeſtavit: & collato eidem Leopoldo benedictionis ac abſolutionis munere, non exiguis laudibus ipſius ſanctitatem proſecutus eſt. Acceſſit hoc amplum teſtimonium, atque pro dignitate Vicarii omnipotentis Dei prædeceſſoris tui ad augendum Leopoldi gloriam & ſanctitatem. Poſcebant id inſignia ejus merita, poſcebant id curæ, labores & vigiliæ, omni tempore pro incorruptæ religionis metu: non enim aliter eſſe potuiſſet de tam integro & conſumato erga Deum viro. Non indiget profecto laudatore atque enarratore geſtarum rerum is, qui ita ſe geſſit, ut opera ab ſe palam edita multis locis teſtimonio ſunt, & cujus vitæ rumor in exemplar venerit.

Refero vera, Pater ſanctiſſime, non vana loquor, non utor carmine ficto: adſunt enim præclara & non vulgaria monimenta, & ſic res ipſa fidem verbis præſtat. Singulare monumentum Reguberti [1] de probatiſſima Leopoldi vita, de ſanctiſſimis moribus exſtat: nec non in Cœnobio Clauſtriburgenſi vetuſtus inſpicitur codex, in quo Leopoldorum familia ſumma cum veneratione, & præcipue præſentis Leopoldi natalis dies tenorque vitæ legitur. Et in Monaſterio Novi-montis altero Martini codice Prædicatorum Ordinis, per temporum digeſtionem confecto, plurima de Leopoldo commemorantur. Idem teſtatur Andreas annalium Chriſtianorum conditor. Sic & in alio Codice Monaſterii Novi-Burgenſis Heroico hexametro, & carmine dactylico multa hujusmodi referuntur. Sic & in Cœnobio Celinenſi Ciſtercienſis Ordinis liber ſervatur, in quo miracula inclyti iſtius Viri leguntur. Idem non præterit Honorius non vulgaris auctor in monumentis Monaſterii Cellæ Mariæ. Quid referam de libro temporum, quem de rebus Auſtriæ Haſelbach theologus non mediocris digeſſit? Quid de vetuſto codice nuperrime reperto in bibliotheca Poſonienſis Præpoſiti? cujus locupletiſſimus teſtis accedit Reverendiſſimus Dominus Cardinalis ſancti Marci, cui cum tempore Sixti prædeceſſoris, Sanctitatis veſtræ legatus Pannoniis præſideret, Leopoldi vitam ejusque mores integerrimos inſpiciendi cura demandata. Quid de Pii Secundi prædeceſſoris etiam Sanctitatis veſtræ ſummæ doctrinæ, veri hiſtoriarum auctoris, & vetuſtarum rerum indagatoris acerrimi, hiſtoria de Principibus Auſtriæ, eo veriore, quo ab homine ultimæ dignitatis, & pene in terris Divinæ conſcripta dicam? Multa ille equidem de eodem Leopoldo graviter, ornate & accumulatiſſime, ut ſui moris erat, conſcripſit.

[1] *Surius* conſpectum. [2] *Sur. cum Polzman.* Raimario; *rectius* Regimaro *ſeu* Reginmaro. [3] *Polzman.* eum. [4] *ita MS. Mellic. cum Surio; ſed indubie legendum* Canonicis, *uti etiam legit Polzmannus.* [5] *Sur. & Polzman. addunt* præclara. [6] Medlicenſe *non habet Surius, nec habet in ipſo contextu Cod. noſter, ſed ad oram, alia ſat videtur, manu adjectum eſt. Polzman.* Melicenſe.

[1] *Surius & Polzman.* Regumberti.

Jam

Jam habes, Beatiſſime Pater, de vita Leopoldi, moribus ac ſanctiſſimis inſtitutis, & gubernandi ſuos probatiſſima ratione; quæ non ſine magna laude vivens exegit: & quanti Pontifices prædeceſſores tui eum fecerint, Innocentius maxime ſecundus munere benedictionis & abſolutionis poſt mortem condonato, talia, tanta, tam præclara ſanctitatem omnia ſpectantia de eo prædicavit exempla, quibus non ſolum perſuadere nobis poſſumus, imo credere cogamur Innocentium ſecundum non niſi pro Sancto Leopoldum habuiſſe. Reſtat, ut ſacratiſſimæ vitæ poſt [1] jam memorata non leve teſtimonium adducam. Magna quidem res eſt, quæ ſolum in catalogum ſanctorum ſcribere compellit. Animadverte obſecro, Pater Sancte: hæc enim ſilentio prætereunda non ſunt, cum ſcilicet incitamentum ſint cæteris ad bene beateque vivendum. Labor enim faſtidium afferre non debet, quando laudabile & certum exſpectatur præmium. Majus æterna gloria dari non poteſt, & quidem rebus ſupernaturalibus ſe aſſerit. De miraculis loquor, & præcipue Leopoldi, ut annalibus Germanorum late & copioſe narratur. Referre non piget, ut quæ illic latent, nobis aperta, & velut ante oculos poſita conſpici & intueri poſſint. Et in eorum monumentis ſervata hæc leguntur.

Mulier quædam Carinthia immundo vexata ſpiritu, Leopoldi ope liberatur.

Puer mutus novem annis ex Herzogemburga, vocalis fit.

Alius contractus manibus & pedibus convaluit.

Presbyter Herbipolenſis cæcus, relictis tenebris diem vidit.

Virgo icta fulmine revixit.

Altera lapillo obcæcata, Leopoldi tumulo porrectis precibus recuperat viſum.

Puer chiragra laborans, & officio manuum penitus carens, ejusdem ope ſalutem recepit.

Sic & mulier podagra uno pede, & alter duobus, ejusdem ope liberi fiunt.

Eques quidam gutture tumefacto, oſſibus creſcentibus, ita ejus miraculo liberatur, ut ſine cicatrice vel alio ſigno liber factus fuerit.

Alia mulier ære alieno gravis, cum a creditoribus vehementiſſime urgeretur, deſtituta ſolvendi ſpe, Leopoldi tumulum adiit, ibique non ſine magno dolore ingemuit, Numini ſe commendans. Auditæ fuerunt preces, & vox auribus quieſcentis intonuit, ut domum repeteret, & ſcrinium aperiret, quo inventura erat ſatisfactionis debiti ſchedulas: quod ubi invenit, domos creditorum, qui & Judæi & Chriſtiani erant, petiit, ut chartas obligationis redderent. Qui reſponderunt, ſe dediſſe cuidam veſtibus cæleſtibus induto, qui & debita ſolverit. Tunc ſtatim exhilarata mulier apertiſſime intellexit, Leopoldum fuiſſe, a quo mortales plurima miraculorum beneficia & aſſidue accipiunt. Sed longe majora multaque præclariora feciſſe conſtat Leopoldum, quæ omnia litterarum monumentis mandata tunc interiere, cum Monaſterium Novumburgæ incendio conflagravit. Circa quorum ſolennia, etſi plura in medium adduci poſſint, loco & rei quam ſum explicaturus forte non inconvenientia, potiſſimum in iis, quæ ad fidem, ad gravitatem, ad conſtantiam, ad concordiam teſtium ſpectant: cum ſint accurate diligenterque diſcuſſa ab his, qui ſummæ rei præfuerunt, pro præpoſitis [2] conſulto præterire ſtatui. In his etenim adſunt Leopoldi miracula, non a levibus mulierculis, non a ſenibus deliris, non corruptis, non inconſtantibus; ſed ab hominibus fama & integritate præditis: non gratia, non amore, non prece, non pretio, non vi, non metu, nec denique ulla ſpe, pro veris comprobata. Accedit ad hæc teſtium multitudo in unum idemque conſentiens, quæ vulgata fama Leopoldi mores, fidem, juſtitiam, religionem, pietatem, conſtantiam, integritatem, ſanctimoniam vitæ teſtantur abunde. Quæ cum ita ſint, abſque prædictorum in ſingulis repetitione, ad enarrationem veniam miraculorum, ex quibus ſanctitas hominis facillime percipi poteſt. Et cum illa recentiſſima ſint, & quæ noſtra vidit ætas, centum & nonaginta miraculis corroborata; Reverendiſſimo Domino ſancti Marci tunc ut ſupra legato, paucis abſolvam, præclariora duntaxat explicans; reliquorum numerum in medium afferens, nec ea penitus exhauriam, ſed deguſtantis more percurram.

Agnes uxor Joannis Auſman, annos nata ſexaginta, quintus teſtis, ab infantia poſt quartumdecimum annum immenſo capitis dolore tribus diebus excruciata, medicorum, & omni humana ſpe deſtituta, precibus emiſſis, nuncupato ad Leopoldum voto, ſoluto, libera fit: & ſtatim ac ſi nunquam adverſa laboraſſet valetudine, nec amplius tali morbo affecta eſt. Hoc teſtatur ipſa ſuper XIX. articulo, quod poſt mortem Leopoldi variis claruit miraculis, exiſtimans id alio modo accidere non potuiſſe. Et hoc anno MCCCCLXVI. circa Pentecoſten.

Alia mulier, quadrageſimus octavus teſtis, ingenti capitis dolore vexata, & cui jam portio ſiniſtræ partis oris maxima cum deformitate defecerat, quatuor menſibus deſtituta ſpe medicorum, nuncupato voto convaleſcere cœpit, ſoluto libera fit. Hoc teſtatur & ipſa eodem anno.

Wolffgangus Patavienſis, LXXVI. teſtis, dolore dentium XX. annis affectus, ita quod ſingulis annis, quamquam viginti continuos dies non ſine magno gemitu præteriret, audita fama Leopoldi, voto emiſſo ſtatim liberatur, nec unquam amplius tali morbo laboravit, & hoc anno LXVII. in die Cinerum, qua die increſcente dolore, completo voto ſanum ſe vidit.

Valentinus Patavienſis diœceſis teſtis CXXII. annis duobus laborans ingenti capitis dolore, & cum ſeptem hebdomadibus ſomno caruiſſet, adhibitis quibuscunque & non ſine impenſa medicis Chriſtianis & Hebræis, quos adire potuit, tandem precibus porrectis ad Leopoldum liber fit. Hoc teſtatur ipſe, in medium adducens quamplures conteſtes, & affirmans, nullo

1 poſt *deeſt apud Polzman.*

2 *ita MS. Mellic. cum Surio & Polzmanno.* Sur. & Polzman. *addunt* illa.

modo ſe liberari aliter potuiſſe, & hoc anno A LXVIII. circa Reſurrectionem.

Wolffgangus Patavienſis, LXXVI. teſtis, infantem filium quatuordecim diebus laborantem dolore tumefactionis inguinum & ruptura, indies languore excreſcente, voto nuncupato, ſtatim liberum vidit, circa Nativitatem Domini anno LXVIII. Sic deponit ipſe, addens, ſe non manifeſtantem citatum ad hoc a Commiſſariis, puerum vidiſſe flentem, & ſe torquentem dolore vehementiſſimo, perſuadensque ſibi hæc accidiſſe, quod non manifeſtaſſet, Commiſſariis retulit, domum dein rediens lætum ac ridentem puerum vidit.

Alius dimidio anno paſſus rupturam a die Nativitatis (quod indicium eſt morbi incurabilis) mater decurrens ad bene merita Leopoldi, ſanum puerum vidit. Hoc teſtatur eodem anno mater fuiſſe, conteſtem habet unum.

Anna uxor Stephani, puerum habens annorum ſeptem, in quartum menſem ſuæ nativitatis fractura inguinum laborantem, quatuor vero menſibus excreſcente dolore, ita quod niger quandoque ut mortuus videbatur, nuncupato voto in die Simonis & Judæ anno LXIX. dum arbitraretur filium mori, ſanum & ſtatim liberum conſpexit. B

Mulier non valens mediam acus partem manu ſiniſtra extrahere, vehementiſſimo dolore cruciata, eodem anno invocatione ſola libera fit. Hoc teſtatur & ipſa.

Eliſabeth ejusdem Diœceſis, viginti annis menſtruis prope exanimata, meritis Leopoldi libera fit anno ſexageſimo nono.

Mulier octo annos ſanguinis fluxu cruciata, expertis variis medicorum curis, ad tumulum C Leopoldi proficiſcitur: ubi ſtatim ceſſat fluxus, & ab ea hora teſtatur ipſa neſciſſe morbum illum.

Duos alios ſimiliter morbo laborantes ope Leopoldi liberatos, teſtibus comprobatur.

Magdalena Georgii Patavienſis uxor gravida, LIV. teſtis, cum ob tumorem nimium ventris ingenti dolore vexaretur, ſupervenientibus & menſtruis, jam & a medicis & obſtetricibus ſalute deſperata, implorata ope Divi Leopoldi, nuncupatoque voto, marem peperit, ſtatimque & tumore & dolore liberata eſt, anno ſexageſimo ſexto circa Nativitatem. Hæc conteſtes habet duos.

Sic & aliæ duæ in partu nimium laborantes: eodem morbo liberantur, & [1] felices enixæ D ſunt.

Eliſabeth Stephani uxor, dolore ilium excruciata, jam menſes ſex variis medicorum remediis fruſtra expertis, ad Leopoldum confugiens, ejusque Numini ſe commendans, quod tam diu a medicis nequiverat, poſt tres dies, quam ſeſe commendaverat, a Divo ſanitatem recepit.

Martha Patavienſis ex colica laborans jam biennii intervallo, manibus ita imbecillibus ac prope ſtupidis, ut earum uti miniſterio non poſſet, ab eodem Divo Lepoldo, ad cujus auxilium opemque confugerat, ſit incolumis.

[1] *Pelaman.* faciles.

Thomas Patavienſis, ſexageſimus quartus teſtis, vir & nobilis & prudens, novem menſibus manibus ac pedibus ſtupidis, quos contractos vulgo vocant, quam neque apud medicos, neque apud balnea potuit, apud Divum Leopoldum medicinam ſalutis invenit, anno ſexageſimo.

Mulier per ſedecim annos lecto decumbens, manibus pedibusque contracta, cum nulla poſſet medela ſanari, omni humano auxilio deſperata, ad tumulum Leopoldi deducta illico ſoſpes evaſit.

Anna Johannis Patavienſis uxor, CXV. teſtis, manibus item pedibusque morbo implicitis, ad ſepulchrum Divi Leopoldi delata, factis precibus, ſaluteque impetrata, paucis poſt diebus omnem morbum doloremque depoſuit, anno ſexageſimo ſecundo.

Eodem modo Dorothea Joannis uxor, ita B phreneſi acta, ut ſuorum neminem agnoſceret, vincta manibus pedibusque, ne quid eo furore impulſa mali committeret, ad ſepulchrum Leopoldi delata, quod ut faceret in ſomnis admonita erat, voti rea facta eſt. Hoc de ſe ipſa teſtatur.

Ludovica proba mulier, poſt editum infantem mente capta eſt, poſtque menſes quatuor ad ejusdem Divi ſepulchrum cum delata eſſet, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati.

Mulier pedibus podagra laborans, nuncupato voto convaleſcere cœpit: completo, ſalutem recepit.

Alterius ab eodem morbo affecti XI annos, modo tribus menſibus, modo ſex excruciati lecto ſe continentis, emiſſo voto ceſſat dolor, completo nullus fuit, ita ut quid podagra eſſet neſciret. Teſtis eſt ipſe.

Urſula quartus teſtis vidiſſe ſe olim dicebat, novem annos puellam natam, cui nomen eſſet Eliſabeth, ita epilentico [1] affectam morbo, ut decies, ſæpe duodecies in die corrueret, eam deinde ad ſepulchrum Leopoldi curru evectam, habitis de more precibus orationibusque, & convaluiſſe, & viro traditam, puerosque aliquot peperiſſe. Sex conteſtibus hoc probatur, anno ſexageſimo nono, etſi legum auctoritate optimis rationibus ad probationem miraculorum teſtis de ſe ipſo quis eſſe poſſit, nullo etiam conteſte adhibito.

Anna quoque mulier, uxor Stephani, vicinam ſe habere dicebat, cujus filius ſupra dicto morbo cum jam per annum laboraſſet, auxilio Leopoldi ſanatus eſt.

Alios item ſex eodem morbo implicitos, eodemque modo ſanatos, memoriæ proditum eſt.

Dorothea Patavienſis continua vexata febre atque hydropiſi menſes quinque, non ſine ingenti dolore brachii, apud ſepulchrum Leopoldi ſalutem invenit.

Georgius Patavienſis febre implicitus, & jam ictericus, atque adeo pauper, ut quotidiano labore indies ſibi victum compararet, ope Leopoldi liber factus eſt: quod uxor Barbara primæ

[1] *al.* epileptico.

operæ

operæ mercedem Divo voviſſet, idque Georgius comprobaſſet. A

Dorothea Pauli uxor febre oppreſſa, idque menſes octo, cum ſe ad Leopoldi ſepulchrum voti ſuſcipiendi gratia contuliſſet; primo die magna parte morbi levata domum rediit, poſtero die majore virium robore, tertio nullo omnino affecta morbo, omnibusque viribus recuperatis vota perſolvit. Eadem poſt aliquot annos cum in graviſſimum morbum incidiſſet, omnibus membris manca atque contracta trium menſium intervallo, Divi Leopoldi Numine invocato, in priſtinam rediit ſanitatem.

Holfringus quartana correptus, cum menſes ſex tædio morbi affectus non ſolum medicorum opem imploraſſet, ſed etiam ad nonnullorum Divorum Numen confugiſſet auxilii gratia; poſtremo a circumſtantibus admonitus ut ſeſe Divo Leopoldo commendaret, voto nuncupato quartanam fugavit, isque inpoſterum quid febris eſſet, non amplius ſe ſciſſe affirmavit. B

Michaëlem idem Leopoldus non ſolum febre, ſed etiam multis aliis morbis invocatus liberavit.

Mulier anno continuo exagitata febre, modo bis, modo ter, modo quater in eam incidens valitudinem, tumefactam [1] paralyſi, eodem liberatur Numine. Sic teſtatur & ipſa.

Alios ſex diverſis febrium generibus implicatos, a Leopoldo liberatos memoriæ traditur.

Mulier quædam peſtilenti morbo affecta tribus partibus corporis, octo dies per inediam cum duxiſſet, pro mortuaque haberetur, viſo per ſomnium Leopoldo, ſalutem recepit. C

Alii item quinque eodem affecti morbo, ejusdem Divi auxilio ſe curatos eſſe teſtantur.

Adoleſcentem aqua ferventi in faciem perfuſum, cui maxima deformitas perpetuo duratura videbatur, liberavit Leopoldus.

Quidam per belli tempora conſeſſa [2] navi profecti ad cremandum monaſterium Noviburgenſe una cum oppido, ſubita tempeſtate acti cum jam perituros ſe intelligerent; facti pœnitentes, invocatoque Leopoldo, navi ad litus appulſa, ſtatimque ceſſante procella, liberati ſunt.

Mathias Furberger Patavienſis diœceſis, cum ad perſolvendum votum, quod pro recuperata ſalute filiolæ ſuæ Beato Leopoldo emiſerat, cum uxore filiisque duobus & eadem filia ſanitati reſtituta, qui curru vehebantur, ſecus Danubii ripam pergeret; everſo curru præcipites equos, ipſamque familiam per declivium montis eo impetu ruentem vidit, ut ab his etiam qui aderant colliſa omnia eorum membra tum a curru, tum ab ipſis equis exiſtimarentur. Ille vero, qui jam ſemel in ſalute filiæ Divi auxilium expertus fuerat, idem pro uxore totaque familia ſalvanda Numen imploravit. Voto emiſſo, in vallem quo quadriga ruerat deſcendit, ſuosque omnes reduces [3], contra omnes naturæ vires, non niſi Numinis favore gratulabundus amplexus eſt. Sic & Matthias ipſe ſextus teſtis, & Florianus famulus aſſeverarunt. D

Joannes ſcholaſticus, Patavienſis diœceſis, annos quadraginta natus, pedibus manibusque ligatus & catenis, equidem & [1] hoſtibus unoque pede ad currum adſtricto, adeo quod non ſine ingenti dolore pedum & carnium ruptura, decurrens ad bene merita Leopoldi, liber a carceribus, a gemitu & catena fit. Jurejurando firmat, hoc non niſi miraculoſe potuiſſe fieri.

Catharina uxor Nicolai Patavienſis, LXXXXIX. teſtis, non niſi adjuta baculo valens pedibus ſe movere, abſoluto voto, ſana absque aliquo præſidio domum rediit, anno LXX. Et hoc miraculoſe factum teſtatur & ipſa, conteſtem habens unum.

Joannes Fracher Patavienſis, CXLII. teſtis, duobus annis non valens ambulare, pede ſiniſtro laborans nimio dolore, nuncupato voto & completo, ſanus fit anno LXX. in quadrageſima.

Joannes Patavienſis, annos natus LX, filium habens claudum a nativitate, caſu accedens ad tumulum Leopoldi, precibus & lachrymis nuncupato & completo voto, ſanum vidit filium anno LXXI. ſic atteſtatur & ipſe, addens hoc, & non niſi miraculo adſcribens.

Eliſabeth teſtis accita ad miracula Leopoldi, cum rem negligeret, nec ſe jurejurando pateretur adſtringi; ſubitum dolorem ſenſit, colore amiſſo; ſtatimque pœnitens, & Divo ſe commendans, pulſo dolore ſana facta eſt.

Presbyter cum laicis quatuor vi tempeſtatis acti, ab eodem Divo, cujus numen ſupplices invocarant, periculo excepti ſunt.

Item tres alii idem paſſi, eodem modo liberati Divo vota perſolverunt.

Anna Patavienſis per triennium paralytica, ad tumulum provecta Leopoldi, ſanatur.

Item Michaelem quendam per triennium in lecto cubantem: Item Matthæum eodem morbo laborantem, inſuper & lumine captum, cum ceræ imagunculam voviſſet, reddidit incolumem.

Margaretha uxor Stephani eodem morbo implicita, ab eodem Divo liberatur.

Lucas annos natus ſexaginta luminibus captus, idque per annos quatuor, ductus ad tumulum Leopoldi, recuperato viſu domum rediit.

Mulier quædam per quatuor hebdomadas excæcata, cum nulla poſſet medicorum ope curari, voto completo, quod ad Leopoldum emiſerat, viſum recepit.

Infans præ dolore oculorum per octo dies excæcatus, ſi quando oculos aperire tentabat, e palpebris ejus ſanguis exibat, pluribusque per parentes ejus remediis fruſtra expertis, tandem Divi Leopoldi auxilium implorantes filii ſalutem impetrarunt. Hoc Eliſabeth mater teſtatur, conteſtem habens unum.

Pari modo Joanni per octo dies nihil videnti idem Divus ſanitatem lucemque reſtituit.

Item puerum, cui tuberculum carnis ſiniſtro oculo erat innatum, deſperata ſalute ab omnibus, invocatus Leopoldus ſanavit.

Mulier quædam triennio dolore oculorum afflicta, poſtremo cæca facta, a Leopoldo liberatur.

[1] *Polzman.* tumefacta. [2] *f.* conſcenſa *ut etiam legit Polzman.* [3] *Polzmann.* reducens.

[1] *ſupple ex Polzman.* ab.

Item quatuordecim alii diversis oculorum morbis afflicti, ab omni penitus morbo fiunt immunes.

Stephanus puer septem annorum, nec audiens, nec ingrediens eodem Numine [1] invocato sanitatem recepit.

Mulier ob infirmitatem, quam in ore perpessa fuerat per sex annos, nullum recte ut intelligi posset, proferens verbum, voto completo, examussim vocalis evasit.

Adolescentula per integrum annum muta, surda, & cæca jacens, Divo Leopoldo se commendans pristinæ restituta est sanitati.

Alius a natali die mutus, delatus ad tumulum Leopoldi loqui cœpit.

Barbara duobus mensibus muta surdaque, pristinæ saluti a Leopoldo restituitur.

Alium decem annos mutum liberavit Leopoldus.

Georgius Hister per mensem surdus; item Thomas; item duo alii a Divo Leopoldo auditum receperunt.

Quidam cum auditu per mensem caruisset, nec humano remedio curari valeret, ad merita decurrens Leopoldi votum emisit: sanusque effectus, spreto voto in eundem incidit morbum, reiterato voto convaluit.

Joannes Ruperger Mirbergaforensis in carcerem conjectus, vinculis implicitus manibus pedibusque, invocato Leopoldo miro modo carcerem egreditur, loco ita angusto, qua exeundum fuit, ut capax hominis non esset, triplicem murum transit, lacunam aquæ superat, nulla arte, nullo humano ingenio superabilem. Liberatus, numinisque oblitus, voto non persoluto, anno post in eundem carcerem conjicitur, iisdemque vinculis vincitur: in quibus mensibus quatuor habitus, iterato quod neglexerat voto, iterum liberatur. Tanta est Dei omnipotentis [2] maximi clementia, ut ne spretus quidem spernentem deserat.

Idem Leopoldus alium in carcerem conjectum, arctissimis vinculis liberavit.

Puer parvulus decem & octo ferme mensium, cum in scapham semiplenam aquæ cecidisset, atque in ea dimidiæ horæ spatio permansisset, pedibus cælum versus directis; a matre Barbara & Petri uxore inventus, ac domum Annæ vicinæ relatus, dum pro mortuo deploraretur, afflicta mater Leopoldi opem atque auxilium imploravit. Cui cum pro salute filii imaginem ceream vovisset, puer confestim quasi a morte ad vitam revocatus, movere se atque ad matrem respicere cœpit. Deinde consurgens ad persolvendum Divo votum mater cum filio profecta est. Testis est Barbara mater, contestem habens unum.

Catharina filium Petrum habuit, duos natum annos. Is in adversam incidens valetudinem, quatuordecim ferme dies duxit inedia, nullo neque cibo neque lacte gustato. Itaque cum ejus salute desperata, jam quæ ad funus necessaria erant, pararentur; miraculorum Divi Leopoldi mater recordata, numen ejus invocavit: quo facto delatus puer ad sepulchrum Divi, & risit, & cibum cepit.

Alius item puer annorum duorum vi ingentis morbi pro mortuo deploratus invocato a patre Joanne Vianense [1] Divi Leopoldi Numine statim revixit.

Eodem modo puer alius pro mortuo habitus, a Divo Leopoldo vitam recepisse affirmatur.

Infantula quædam, ob ægritudinem per tres dies amissa loquela, semimortua decumbens, cum jam parentes brevi eam morituram crederent; voto a matre emisso (quod ut faceret in somnis fuerat admonita) quamprimum loqui cœpit, ab omni penitus ægritudine liberata.

Puer gravissima correptus infirmitate, ad extremum ita debilitatus, ut mori crederetur; cum oblationem quamdam pro salute filii Divo Leopoldo vovisset mater, ab ægritudine liber fit. Matre vero non offerente quod promiserat, idem puer iterum in acutissimas incidit febres: reiterato voto, perfecteque adimpleto, peroptime convaluit.

Idem Leopoldus mulierem quamdam a lepra liberavit.

Adolescens a se ipso vulneratus, incisis ut judicabatur venis, repertus in lecto, mortuusque ab omnibus judicatus, cum ultra horam nullum vitæ signum in eo appareret; emisso a matre voto; orationibus pristinam adeptus est sanitatem. Hoc de se ipso testatur, contestes sunt parentes.

Sic & alios XIII. morituros ad pristinam bonam valetudinem redactos, monumentis traditur.

Sed quid de morituris dicam? quando etiam defuncti vita raro mirabilique Dei omnipotentis maximi experimento, positis Leopoldo votis, restituuntur?

Elisabeth LXXXI. testis super XIX. articulo, quo quæritur, quid de Leopoldi miraculis noscatur; se vidisse affirmat puerum super altare positum ante monumentum Leopoldi, ubi aderat magnus gentium tumultus, nigrum, & omni judicio exanguem exanimemque & precibus porrectis a nonnullis Numini, vivum vidisse. Hoc & alii sex ejusdem loci indigenæ, addentes eum vidisse, dum puteo extraheretur, nigrum ut supra & in Ecclesia, etsi diversis verbis, eadem tamen sententia confirmarunt. Testes in hoc deposuerunt omni exceptione majores.

Puer alius trimus, Wolffgangus nomine, ejusdem loci flumine lapsus, ubi aderant molenæ, [2] perquisitus inventus est, semotus a loco unde ceciderat, quantum bis emissa valido arcu sagitta spatii complet, nullo vivacitatis in eo apparente signo. Mater versa ad Leopoldi benemerita, nuncupatis votis restitutum puerum ad primam vitam conspexit. Historia hæc non caret testibus. Nam & pueri parens Fridericus, super dicto articulo se vidisse testatur; & interfuisse dum rueret, multis & clericis & laicis videntibus, prout supra, & hoc anno milleno quadringentesimo septuagesimo, septembri mense. Sic & alii duo super cir-

[1] *f.* ejusdem numine. *Polzman.* nomine. [2] *Polzman.* optimi.

[1] *f.* Viennensi, *ut habet Polzman.* [2] *sic & Polzman. f.* molendina.

cum-

cumſtantiis & interrogatoriis legitime reſpon- A derunt.

Puer pro mortuo habitus, cum ad ſepulchrum beati Leopoldi delatus eſſet, ſubitò miraculo vitam recepit. Hoc Barbara quinquaginta annos nata fœmina gravis teſtatur.

Alius puer trimus, Fridericus nomine, cum in puteum decidiſſet, ac per horam prope mediam manſiſſet ſub aquis; eductus e puteo frigidus & niger, nullumque indicium vitæ toto corpore præſeferens, tandem effuſis a matre precibus ad omnipotentem Deum beatumque Leopoldum, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Bonreuerſer uxor Joannis, & altera uxor Laurentii, Salzeburgenſis diœceſis, hoc fuiſſe & vidiſſe teſtantur.

Alius in ipſo partu per horam, poſt partum B vero plus pro mortuo deploratus, cum nulla jam de eo ſpes eſſet; precibus porrectis a matre ad Leopoldum, timente furorem viri, ne crederet negligentia ſua hoc peractum, repente & ſpirare & vivere cœpit. Hoc Dorothea Guilermi Patavienſis uxor firmat.

Dorothea uxor Guilermi Patavienſis diœceſis, non ſine ingenti dolore omnibus videntibus eam fere mortuam, & puerum peperiſſe mortuum, eodem Numine liberatur. Infans ſe movere cœpit, & liber fit. Hoc mater, obſtetrices duæ, & aliæ conteſtantur vicinæ.

Puer quidam ſeptem annos natus in profluentem cadens, ac per duas ferme horas in aquis jacens, nullis occurrentibus, cum ea die ludis feſtivis fere totus populus concurreret; C perquiſitus tandem haſta, ſub ponte repertus eſt. Extractus, & ad domum portatus, nullo vitæ ſigno apparente, cum feretrum jam luminibus accenſis paratum eſſet, ad Leopoldum per matrem voto emiſſo, ilico mortem cum vita commutavit, multis videntibus, ac Deo & beato Leopoldo gratias agentibus. Hoc Margaretha Friderici Patavienſis, annos quinquaginta nata teſtatur.

Alius puer Vianenſis [1] ſtatim editus, plus quam hora media mortuus jacens, cum pro ejus ſalute ad beatum Leopoldum factæ preces eſſent, quaſi tum primum anima in corpus infuſa, datam iterum vitam ad multam perduxit ætatem. Vitus Vianenſis opidanus ætatis annorum quinquaginta, hoc firmat cum circumſtan- D tiis requiſitis ut ſupra.

O gratiam homini bene merito gratis datam! o Divinæ potentiæ munus inæquabile! quo noſtra quoque ſæcula in poſteriorem felicem recordationem non ſine religioſa admiratione venire poterunt. Nihil enim tantum ab oculis hominum natura removit, nihilque tantum ab animis prudentium alienum eſſe conſtituit, ut aliquando Divina favente gratia in mentes oculosque omnium redire non poſſint.

Quidam uxori iraſcens, quod ad monaſterium Clauſtri-Noviburgenſis [2] venerationem beati Leopoldi, Martis poſt Palmarum diem quotannis eleemoſynam panis, vini, & trium obulorum accepturis obtuliſſet, in hæc verba prorupit: Utinam eleemoſyna viveres, ne quod auf- A ferres habuiſſes. Raptisque continuo, quæ pauperibus deſtinaverat illa, domum revertens, eo pane deguſtato, mandendo aſſumptum neque deglutire potens; in lectum ſe contulit: ubi hac illac diu circumvolutus, præcluſo ſpiritu occubuit. Ut facile intelligamus, etiam otioſa verba vindicem habere Deum, neque impune in illos qui de ſe bene meriti ſint admitti, nefarios ſine animadverſione contumaciter permiſiſſe. Atque ejus rei teſtis ejusdem filia eſt.

Sed jam habes, Pater ſancte, quid ſedente Sixto Pontifice maximo prædeceſſore tuo, ab Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus in tam pium opus deputatis ſit relatum [1], Domino Vice-Cancellario referente: cujus rei minime, ut opinor, Sanctitas Tua oblita eſt, cum unus e ſacro Conſiſtorio tunc eſſet. Idque jam omnes accepiſſe reor, quibus parentibus ortus Leopoldus ſit, quam præclari, quamque illuſtres: quantum Divinis incubuerit: quonam pacto, extincto patre, ſe geſſerit: quemadmodum leges juſtitiamque coluerit, matrimonii ſervarit jura, quas ædes conſtruxerit ſacras: quanti eum fecerint prædeceſſores tui, & dum vixit, & poſtquam e vita migravit. Habes miracula, teſtimonia vitæ, tum magna, tum maxima, & quæ prior, & quæ noſtra vidit ætas: quibus quam ſanctus, quamque Deo fuerit acceptus, demonſtratur aperte; & quæ ad obſervandam æternitatem Vir magnus, & totus Dei exegerit. Poſcebat hominis altitudo longiorem orationem, materia ſuppeditabat quam ingentia implere volumina. Ego vero morem illorum, qui paucis calculis innumerabilium ferme rerum ſummam complectuntur, his paucis exegi. Defeciſſent aliter latera, & lingua compreſſa obmutuiſſet: obſervantiaque bene meritorum tanta apud Te eſt, ut cum intelligis quempiam æternitatem promereri, illico tua bonitate id confirmes. Jam virtutes ipſius Leopoldi, quas creator omnium etiam miraculis comprobavit, ab Dei Vicario, qui ſolus in terris es, adſcribere in numero Sanctorum jure meritoque expoſcunt, exſpectantque. Ad quæcunque enim loca Leopoldi nomen pervenerit, pro ſacroſancto veneratur & colitur, idque non ſimpliciter, prout a nonnullis fieri conſuevit, ſed indelebili atque inviolabili titulo ſanctus Leopoldus appellatur, & pro ſancto habetur. Quæritur tamen pro laudabili conſuetudine ſolemnitateque a ſacroſancta Eccleſia introducta, Sanctitatis tuæ nutus, quo absque nil tutum, nil ſtabile, nil denique ſanctum creditur, idque exigi mea oratione non exiſtimes velim. Nam imprimis Chriſtianiſſimus fidei noſtræ totiusque religionis orthodoxæ verus, legitimus, indubitatus defenſor Fridericus Imperator Auguſtus, a quo ejus bonitate nihil adhuc perperam peti audivimus: nec vero idcirco tantum, quod ex ſanctiſſimi Leopoldi familia Auſtrali ducat originem, verum etiam ut Deus in ſuis glorietur creaturis, cujus filius Maximilianus Auſtriæ ac Burgundiæ Archi-Dux invictiſſimus patrem ſortitus eſt Cæſarem. Sic inclytus Hungarorum Rex, cæterique Principes Catholici illa-

[1] *ſ.* Viennenſis. [2] *Polzmau.* Clauſtroneoburgenſe.

[1] *vox* relatum *deeſt apud Polzman.*

rum Provinciarum & denique omnes eorum populi nutum vocemque Sanctitatis tuæ ſitibundi cupiunt, præſtolantur, exſpectantque. Quid enim his teſtibus magis in mundo dari poſſit non video. Magna profecto res eſt, ut mortales (Deo propitio & favente) glorioſiſſimos & cæleſtes titulos benefaciendo ſibi quærant. Jam tempus eſt, jam te ſic velle conſpicimus; & tenemus omnes, & tua videlicet hac cæleſti voce Leopoldum, qui cum jam in cælis ſanctus ſit, etiam in terris ſanctum eſſe declares, ſanctiſſimo tuo decreto longa hominum exſpectatione optato. Diu mortales hoc in augmentum fidei, in monimenta Romani & Eccleſiaſtici ritus, in gloriam æternitatis quam nimio ardore expoſcunt, & ut bene factis longo labore quæſita jam præmia declarentur. Dixi.

SUMMARIUM CANONIZATIONIS SANCTI LEOPOLDI MARCHIONIS AUSTRIÆ,

AUCTORE JOHANNE FRANCISCO DE PAVINIS DE PADUA, SACRÆ THEOLOGIÆ ET JURIS UTRIUSQUE DOCTORE, ET CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI AUDITORE &c.

EX CHARTACEO COD. MS. BIBLIOTHECÆ MELLICENSIS, ET EDITIONE POLZMANNI, QUATENUS EA PERTINGIT, INTER SESE COLLATIS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. PRæſens Summarium Canonizationis S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis (hanc enim inſcriptionem diſerte præfert Codex Chartaceus Bibliothecæ noſtræ Mellicenſis anno 1487. calamo exaratus) haud dubie *Liber* ille Laurentio Surio fuit, de quo ſub finem Orationis de eodem Sancto ad diem 15. Novembris a ſe vulgatæ, & a nobis quoque proximo ſuperiore loco exhibitæ, ſequentia idem Auctor commemorat. *Extat*, inquit, *alius liber de innumeris miraculis & Canonizatione ejus, per Reverendum Patrem Dominum Johannem Franciſcum de Pavinis conſcriptus, ad quem lectorem remittimus.* Eadem de hac lucubratione Eminentiſſimus Cardinalis Baronius ad diem prædictum in Notis ad Martyrologium Romanum obſervavit. Verum ex Surii verbis haud ſatis liquet, fuerit ne *Liber* ille, id eſt Summarium hocce Canonizationis S. Leopoldi, jam typis publicis, cum hæc ſcriberet, commiſſus; an vero in libris manu deſcriptis adhuc dum delituerit. Nobis certe antiquiorem ipſius editionem præter eam, quam Balthaſar Polzmannus Præpoſitus Clauſtro-Neoburgenſis anno 1591. adornavit, videre necdum licuit. Et vero hæc ipſa Polzmanniana editio ejusmodi eſt, ut eam rurſus ad incudem revocare omnino neceſſarium duxerimus. Etenim & initio caret, nec niſi unam totius Summarii (quod tamen decem omnino conſtat) partem, ſeu Fundamentum, idque non ſemel mutilum complectitur; ut ex codice noſtro Mellicenſi, ad quem eam ſtudioſe contulimus, manifeſte deprehendere potuimus, & ſuis quæque locis annotare ſtuduimus. At vero defectum hunc omnem copioſe reſarcivimus ope laudati MSti. noſtri Mellicenſis, quippe in quo integrum ſummarium proceſſus Canonizationis S. Leopoldi continebatur, quodque unicum erat, ex quo mox memoratæ Canonizationis acta ſincere noſtra manu deſcripta hic Tibi, erudite Lector, proferimus. Locos autem quod attinet, quos Auctor Summarii tum ex Canonico, tum Civili Jure, aliisque vetuſtis ſcriptoribus depromptos frequenter adducit, ea qua in ſæpedicto noſtro codice reperimus, fide expreſſimus, haud ſatis accuratam citandi rationem, qualis nonnunquam hic videri queat, non admodum morati. Neque enim nobis ad alia properantibus proprios ſingulorum fontes moroſius conſulere vacabat.

II. Auctor

II. Auctor porro, qui Summarium iſtud condidit, *Johannes Franciſcus de Pavinis de Padua* in codice noſtro diſertis verbis appellatur, quemadmodum id videre eſt ex ultimis verbis, quæ ibidem ad calcem prædicti ſummarii ſubjunguntur. Ex iis quoque, quæ ſub medium Fundamenti Quarti ejusdem ſummarii referuntur, aperte colligere licet, id a Johanne Franciſco de Pavinis anno 1483. compoſitum, eodemque tempore Sixto Quarto Pontifici Romano, qui anno 1484. die 12. Auguſti defunctus Innocentio Octavo locum fecit, oblatum fuiſſe. Cæterum in hoc Summario non pauca inſunt, quæ prolixioribus obſervationibus fortaſſis egeant; ſed ne lectorem diutius moraremur, viſum eſt iis penitus ſuperſedere, eidemque præclarum iſthoc Monumentum, quod ad illuſtranda Piiſſimi Auſtriæ noſtræ Principis Leopoldi geſta permultum conducit, genuinis Codicis noſtri Mellicenſis verbis jam nunc repræſentare. Id vero hujusmodi eſt.

SUMMARIUM CANONIZATIONIS S. LEOPOLDI.

Emitte lucem tuam & veritatem tuam Domine &c.

ETſi quamplurima, Beatiſſime Pater, in veram commendationem beatitudinis & Sanctitatis Beati LEOPOLDI, Viri utique juſti, pii, Illuſtriſſimi atque glorioſi quondam Auſtriæ Principis, plene in proceſſibus omnibus ſuper ejus futura ſolemni Canoniſatione celebratis, canonice deducta & probata exiſtant; veruntamen ut compendioſe, clare, & in ſumma brevitate omniaque clarius elucidentur, & ſingula cunctis palam facilius innoteſcant, illa ſub decem infra ſcriptis præcipuis fundamentis magiſtralibus concludere ſtatui, juxta ordinem compendioſum conſuetum: ſubjiciens tamen ea omnia emendationi & cenſuræ Veſtræ excelſæ Beatitudinis, ac Reverendiſſimorum Dominorum & Patrum omnium, quorum quomodolibet intereſt &c; ſupplicans humiliter, devote ac pie, ut rem hanc equidem juſtiſſimam dignentur ſuſcipere non vulgariter commendatam.

Primum igitur fundamentum per me conſideratum & notatum eſt, multiplex & ſuperabundans inſtantia ſupplicantium.

Maxima temporum mora ſtudioſe expectata.

Solemnis inquiſitio generalis canonice commiſſa & præhabita.

Diligentiſſima ſpecialis Inquiſitio ſubſecuta.

Præclariſſima continua hujus Beati Leopoldi Vitæ ſanctimonia.

Concurſus omnium ad Canoniſationem requiſitorum.

Fama celebris & glorioſa, inveterata & perſeverans.

Devotio pia populorum ad eum ſemper excreſcens.

Multiplex fructus in Eccleſia Catholica ſubſecuturus.

Multorum verorum Miraculorum diuturna coruſcatio.

Inſignem [1] pietate Virum Beatum LEOPOLDUM genere, moribus, ac omni humana gratia illuſtrem, ab Omnipotenti Deo electum & inſcriptum in æternitate, Beatiſſime Pater, ſupplicant & poſtulant in Catalogo Sanctorum aſcribi omnes infra ſcripti Principes & Prælati, Virique religioſi affectantes Deum ipſum æternum glorioſius in ſuis factis collaudari, Divinumque cultum in partibus Auſtralibus magis ac magis augeri, nec non & populorum devotionem & fidem in ſacris votis peramplius multiplicari, atque operibus piis laudabiliter invitari atque conſervari: humiliter quoque Tuam Beatitudinem deprecantes, quæ revera in tam ſancto opere errare non poteſt, ut pias eorum preces tam diuturnas, & per tot annorum curricula continuatas, non ſine gravibus expenſis etiam apud Tuæ Sanctitatis prædeceſſores, ita ut nihil de requiſitis in hujusmodi exquiſitiſſima ſolertiſſimaque inquiſitione dici poſſit, fuiſſe prætermiſſum; jam tandem in hac tempeſtate dignetur benigne ac clementiſſime exaudire, & hunc piiſſimum Principem, verum Dei Optimi Maximi Servum, inter cæteros Sanctos Patronos & Oratores noſtros amplecti & acceptare, ad ipſius Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti laudem, ac Sedis Apoſtolicæ Tuæque Beatitudinis, & Illuſtriſſimæ Domus Auſtriæ gloriam ſempiternam.

Ecce Beatiſſime Pater, hi ſunt Prælati & Eccleſiaſtici religioſique Viri, nec non & Principes ſæculi, qui hactenus ſupplicarunt, & continuo ſupplicare non deſinunt, ut tandem exaudiri promereantur, modeſtum, prudentem, humilem, generoſum, Religioſorum & pauperum patrem, benignum, ſobrium, pudicum atque caſtum, meritis omnibus bonis & Deo Optimo gratis præpollentem Beatum LEOPOLDUM, qui Divina gratia eruditus, ſobrie, juſte & pie vixit in hoc ſæculo, expectans beatam ſpem & cœleſte regnum, & glorioſus proinde appellatus, ſolemniter canoniſari, ut & publice per orbem univerſum a cunctis populis Catholicis, ſine quoque diſcrimine valeat venerari: & in nomine ejus templa & capellæ in eccleſiis erigi & ædificari atque exornari poſſint: oblationes & vota porrigi & afferri, publica & ſolemnia officia devote decantari, & præcipue Chori Canonicorum Regularium Cœnobii Neuburgenſis, Ordinis S. Auguſtini, ab eodem Beato LEOPOLDO

[1] *hic demum incipit editio Polzmanni.*

LEOPOLDO fundati & ſufficienter dotati, item alterius Cœnobii Medlicenſis per eundem reparati, & alterius magnifici Clauſtri apud Sanctam-Crucem ſuis ſumptibus fundati, jubilantes in honorem ipſius & laudem dulces hymnos libentius valeant pia voce reſonare & pſallere; ut piis ejus meritis ac precibus jugiter & inceſſanter adjuventur omne per ævum; ipſius quoque beati Principis LEOPOLDI gloria inter Angelos, cæterosque Cœleſtes Sanctos Dei electos amplificetur, & gaudium fiat in cœleſtibus Hierarchiis pariter atque terreſtribus, & præcipue per ſacros Confeſſores, quorum numero pie petitur aggregatus [1] indubitanter per Tuam Beatitudinem, & omnium Eccleſiæ Romanæ Principum & Patrum decretum ſolemniter declarari, & publice pronunciari, ut moris exiſtit, & ſacri Canones & Patrum decreta & conſuetudines requirunt, ac laudabiles cerimoniæ a Spiritu Sancto (ut pie creditur) revelatæ [2].

Rudolphus quondam Auſtriæ Dux primus omnium apud ſanctæ memoriæ Innocentium, hujus nominis Pontificem Sextum, inſtantiam fecit, atque ab eo impetravit, de fratrum conſilio committi generalem inquiſitionem, ſuper vita & miraculis ejusdem Pii LEOPOLDI, quondam Archiepiſcopo Pragenſi, & Epiſcopo Olmuncenſi, ac Abbati Sanctæ-Crucis Diœceſis Patavienſis, de quorum diſcretione plenam in Domino fiduciam gerebat; ut ſaltem duo illorum in locis, de quibus expedire vidiſſent, veritatem ſuper his per eos diligentius inquiſitam, juxta formam in litteris Apoſtolicis inclusam, fideliter in ſcriptis redigerent, & per litteras ipſorum ſub ſigillis propriis plenam rei ſeriem continentibus, per nuncios idoneos ad Sedem Apoſtolicam deſtinarent: ut per generalem inquiſitionem hujusmodi ad laudem Divini Nominis, & honorem ac firmamentum Catholicæ fidei, & fidelium populorum conſolationem, actus ejus Domino dirigente ſecurius procedere valeret. Conſideravit namque idem Innocentius, quam grandis ſibi & Eccleſiæ militanti materia gaudii & exultationis offerretur, cum de novo perciperet, terrenos milites ſic in eorum vita triumphaſſe de vitiis, & tenuiſſe cum virtutibus principatum, quod eos de mundi conflictibus ad cœleſtem militiam evocatos, exercituum Dominus fulgorem ſuæ triumphantis Eccleſiæ novis Sanctorum ſplendoribus ſemper adaugens, ſuamque per eos maxime gloriam & miſericordiam manifeſtans, glorioſis facit in terris coruſcare miraculis; ut eorum merita cum veneratione debita recolantur, Chriſtique fideles per illa perſeverent in fide conſtantius, & eorum ad ſectanda veſtigia & imploranda patrocinia ferventius animentur. Et præcipue in Beati LEOPOLDI quondam Auſtriæ Marchionis pietate, generis nobilitate præclari, ac veræ [3] fidei armis muniti, qui ſub ſancto Trinitatis ſignaculo, ac ſpe ſupernæ gloriæ in hoc ſæculo Altiſſimo militans, ſic ſuperavit vitia, virtutes excoluit, dilexit juſtitiam, & iniquitatem odivit, reddens viduis & pupillis opem opportunam; & cunctis proximis debitam caritatem; quod ipſe retributor æternus eundem Beatum LEOPOLDUM lætitiæ & ſanctitatis oleo inunctum fore demonſtrans, per ipſius merita quamplurimos de graviſſimis infirmitatibus liberavit, aliisque quam maximis eum miraculis decoravit in terris, quem (ſicuti pie creditur) coronavit in cælis, prout de his patet ex litteris ejusdem Innocentii datis Avinione II. Kal. Januarii, Pontificatus ſui anno ſexto, qui erat annus Domini MCCCV. die XXX. Decembris.

Fridericus Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, hujus nominis Tertius, Hungariæ &c. Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ &c. Dux, apud ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum ſucceſſivam fecit inſtantiam, ardenti cum deſiderio ac devotione, attendens, quod commiſſariis ſupra memoratis, præfato Innocentio vita functo gravique bello inter Ducatum Auſtriæ ac regnum Bohemiæ exorto, tutus non patuerit acceſſus in Auſtriam ad tam pium opus debite proſequendum: & Ducatu Auſtriæ multorum annorum curriculis bello attrito, variisque calamitatibus preſſo, Auſtrales ipſi his malis & incommodis præcipua ſe ratione conquaſſatos in animum induxerunt, quod Pii LEOPOLDI canoniſationem hactenus negligentius egiſſent. Malis itaque ſuis ac rebus adverſis mederi cupientes, eundem Fridericum crebris precibus pulſarunt, ut canoniſationem ejusdem Pii LEOPOLDI omni ſollicitudine proſequi deberet, ut ex ejus litteris datis anno Domini MCCCCLXVI. die prima menſis Februarii, Imperii ſui quarto decimo, regnorum [2] vero, Romani vigeſimo ſexto, Hungariæ vero ſeptimo [3]. Commoda enim ſubditorum ſunt ſua propria, *de unica in fin.* c. *de caducis tollendis*. Et eſt Imperator Deus in terris, *no. in* L. *Jubemus nullam* c. *de Sacroſanctis Eccleſiis*, & poſt Deum eſt communis omnium pater, ut in *Authen. Neque Virum, quod ex dote* &c. *ubi no. in fin.* Ideo dixit *Bald. in* c. *ſicut de jurejuran.* quod ejus poteſtas eſt abſoluta in terris, ſicut poteſtas Dei in cœlis, etiam quoad effectum, de quo ibi. Et licet Imperium non ſit ita immediate a Deo ſicut Papatus, ut *no. in* c. 1. *de transl. Præla.* quia Papa in terris ſolus eſt Vicarius Jeſu Chriſti; Imperator tamen licet naturalia hominis habeat, habet tamen, quidquid ſolemniter agit, in virtute cœleſti, ſecundum eundem *D. Bald. in* c. *quanto e. ti.* quod eſt nota, dignum.

Leonora Divina favente clementia Romanorum Imperatrix ſemper Auguſta, Regis Portugalliæ filia, Hungariæ &c. Regina, Auſtriæ, Stiriæ &c. Duciſſa, ſimilem apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum fecit inſtantiam ejusdem Friderici ſupra nominati conthoralis, devotiſſimo deſiderio. Cæſareæ Majeſtati affectuoſiſſime concurrere cupiens,

1 *f.* aggregandus. 2 *Polzman. mendoſe* revelari.
3 *Quæ ab his verbis* ac veræ *usque ad illa* ac ſpe ſupernæ &c. *ex Polzmanno intexuimus, abſunt a MS. Mellicenſi.*

1 Hungariæ *&c. usque ad* Dux *deeſt apud Polzman.*
2 *Hæc verba* regnorum vero *&c. usque ad ultima illa* nota dignum *non habet Polzmannus.* 3 *deeſt tum in noſtro Cod. MS. tum in editione Polzman.* patet.

pro

pro ſua ſpeciali devotione in præfatum inclitæ & beatæ memoriæ LEOPOLDUM, cujus meritis crebra beneficia miſeris mortalibus exhibita ſuo tempore manifeſtata ſunt, & pro augmento Divini honoris, ac ſuffragio & ſolatio incliti Ducatus Auſtriæ & cæterorum Chriſti fidelium, ut ex ejus patet litteris datis anno Domini MCCCCLXVI. die tertia menſis Februarii, Imperii ſui anno XIV. Hungariæ [1] vero regnorum &c. VII. Circa quod eſt notanter attendendum, quod Sereniſſimus Dominus Fridericus Imperator ſecutus eſt morem Juſtiniani Imperatoris, qui etiam in condendis juribus conſulebat Theodoram uxorem ſuam, ut patet in *Authent. Jusjurandum, quod præſtatur*, & in *Authent. ut Judi. ſine quoquam ſuffragio §. hic autem.* Per quæ jura videtur dicendum, quod juramentum fidelitatis, quod præſtatur per ſubditos Imperatori, debet extendi etiam ad Imperatricem in forma, de qua ibi. Sic & Johannes Andreæ, Juris lumen, conſulebat in arduis Dominam Milantiam uxorem ſuam, ut ipſe refert in Mercuriali *Qui prior de Regu. Ju. lib.* 6. Uxor namque radiis mariti coruſcat, ut patet in *Authent. de Conſul.* 8. *coll. L. fin. C. de incol. lib.* 10. & in *L. fin. C. de nup.* habetur in *L. Mulieres C. de digni. lib.* 12. & in *L.* 1. *ff. de Sena.* Et dicitur etiam Auguſta, & utitur jure communi *L. cum hæres C. qui teſtamenta facere poſſunt, no. C. de Conductoribus ſeve actoribus prædiorum fiſcalium ſuper* Rica *lib.* 12. & *ſuper* Rica *C. de privilegiis Domus Auguſtæ*, & in *L. ſi Auguſtæ ff. de legatis* 2. Adde quod *no. in L. fin. C. de arbitris*, & in *L. ſed & ſi ſuſcepit* §. 1. *ff. de Judiciis*, ubi magnum quid ejus reſpectu dicitur parvum, & ſi nuberet inferiori, non faceret eum Regem, & Bald. in *C. ſignificavit de Reſcript.* Retinet tamen viduata privilegium & domicilium viri. *L. fin. §. Vidua ff. ad municipal. in C.* ex parte. 6. de foro Competent. plene per Archi. in *C. is qui de ſepulturis lib.* 6. Et poteſt publice judicare ad inſtar Sibillæ, de qua *no. in Authent. de Judicibus §. ſedebunt.*

Udalricus quondam Epiſcopus Patavienſis, Imperialis Cancellarius, ac ejus patriæ & Diœceſis Ordinarius, apud eundem Sanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum conſimilem pariter fecit inſtantiam, tam pro divini honoris augmento, & [2] Inclyti Ducatus Auſtriæ ſolatio ac ſuffragio, ſuæque Diœceſis & jurisdictionis excellentia, devotiſſimo deſiderio Cæſareæ Majeſtati concurrere cupiens, precibus & devotione quibus valuit humillime & affectuoſiſſime proſecutus, ut ex litteris ejus patet, datis anno Domini MCCCCLXVI. die XX. Januarii.

Johannes Medlicenſis, Martinus Gotwicenſis, Jeronymus Scotorum Viennenſis, Georgius Sanctæ-Crucis, Petrus in Campo-Liliorum, Laurentius in Cellis S. Mariæ, Johannes in Czuetel, & Wolfgangus in Altenburg, Abbates Sancti Benedicti & Ciſtercienſes.

Johannes Neuburgenſis Clauſtralis, Philippus ad Sanctum Yppolitum, Wolfgangus in Herczogenburga, Stephanus ad Sanctam-Dorotheam Wiennæ, Præpoſiti Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

Martinus in Morobacho, Sigismundus in Gemnico, & Bartholomæus in Achſpach, Priores Cartuſienſis Ordinis & Monaſteriorum nonnullique Rectores Eccleſiarum parrochialium Inclyti Ducatus Auſtriæ, Diœceſis Patavienſis, apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum eandem fecerunt inſtantiam per eorum litteras, datas anno Domini MCCCCLXV. die XII. menſis Decembris.

Michael Comes in Hardeck S. R. Imperii Burggravius de Maideburg, Georgius de Volckenſtorff, Rudigerus de Starchenberg [1], Johannes de Lichtenſtain, Oswaldus de Eyczing, Henricus de Puchem, Sigismundus de Eyczingen, Vitus de Eberſtorff, Johannes de Kronberg, Sigismundus de Topel, Georgius de Ror, Bernhardus de Tirnſtain Barones. Johannes de Pellndorff, Henricus Truchſes, Wolfgangus de Ruckendorff, Ludovicus de Weytmul, Wolfgangus de Meylenſtorff, Erhardus Toſſo cum nonnullis aliis Militibus & Nobilibus Inclyti Ducatus Auſtriæ in litteris comprehenſis, apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum æqualem fecerunt inſtantiam, cauſis & rationibus inducti, de quibus in eorum litteris in dieta generali in Neuburga-forenſi Patavienſis Diœceſis celebrata, datis anno Domini MCCCCLXV. menſis Decembris die decimo.

Magiſtri civium, Judices, Conſulatus [2] nominati, & Communitates civitatum, opidorum & villarum Viennenſium, in utraque Neuburga, Clauſtrali & Forenſi, in Krembs & Stain, in Tulna, Haimburga, Lau, Medling & in Leubs [3] &c. inclyti Ducatus Auſtriæ. Diœceſis Patavienſis, etiam apud Sanctæ memoriæ Dominum Paulum conſimilem & affectuoſiſſimam fecerunt inſtantiam, quorum omnium teſtimoniis non mediocriter, ejusdem Pii LEOPOLDI ſanctitas & merita illuſtrantur, ac comprobantur, ut ex eorum litteris evidentiſſime patet, datis in eadem dieta generali Neuburgæforenſis, Patavienſis Diœceſis, tunc juſſu Cæſareo inſtituta, anno Domini MCCCCLXV. die vero ſecunda menſis Decembris.

Ecce Beatiſſime Pater, quantus fuerit & ſit numerus ſupplicantium, & inſtantiam devotiſſimam pro hujusmodi Canoniſatione facientium apud Tuæ Sanctitatis prædeceſſores, & Sedem ipſam Apoſtolicam, ita ut vere dici poſſit ſuperabundans, cum nusquam in Jure legatur tantorum Principum & Patrum inſtantiam in hujusmodi etiam ampliſſimo negotio fuiſſe, foreque neceſſariam: hoc teſtantibus Doctoribus omnibus *in C. Venerabili de teſti.* & communi ſtylo per Sedem Apoſtolicam in omnibus Canoniſationibus Sanctorum a tricentis annis & ultra continue obſervato. Et hinc eſt, quod præfatus ſanctæ memoriæ Dominus Paulus Secundus eisdem ſupplicationibus præfatorum omnium inſtantium juſte inductus, Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Beſſarioni & Alano Tuſculano & Prænestrienſi [4] Epiſcopis, ac

[1] Hungariæ vero *&c. usque ad* ſedebunt *deeſt apud Polzmannum.* [2] *leg.* quam.

[1] *Polzman.* Schärffenberch. [2] *Polzman.* Conſules, [3] *Polzman.* Loys. [4] Prænestinenſi.

Franciſco S. Euſtachii Diacono, miſeratione Divina Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; vivæ vocis oraculo (ut moris eſt) cauſam ac negotium Canoniſationis hujusmodi in ſecreto Conſiſtorio de fratrum conſilio ſpecialiter commiſit. Qui quidem Reverendiſſimi Domini Commiſſarii virtute clauſulæ per ſe vel per alios &c. Reverendis in Chriſto Patribus, Patavienſi, Gurcenſi ac Pertinenſi Epiſcopis, nec non Scotorum Viennæ & Cellis S. Mariæ, Ordinis S. Benedicti, Patavienſis Diœceſis Monaſteriorum Abbatibus per ſuas litteras ſpecialiter demandaverunt, ut generalem inquiſitionem ſuper vita & miraculis ejusdem Pii LEOPOLDI Solemniter facerent, omnes pariter, vel ſaltem duo aut plures ex eis, ut plenius ex eorum litteris patet, datis anno Domini MCCCCLXVI. menſis Aprilis die XXI. Romæ apud Sanctum N. [1], ubi tunc ipſe ſanctæ memoriæ Dominus Paulus perſonaliter reſidebat. Ex quibus quidem ſubdelegatis Reverendus Pater Dominus Ulricus Epiſcopus Patavienſis, Michaël Petinenſis, Matthias Beatæ Mariæ Virginis (alias Scotorum Viennæ) & Johannes Cellæ Mariæ Abbates, juxta Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium prænominatorum commiſſionem, procedentes ad examen teſtium & jurium in hujusmodi negotio neceſſariorum ſolemniter proceſſerunt; Servatis [2], & aliis ſolemnitatibus adhibitis pro ſuperabundanti cautela, proceſſusque hujusmodi in forma authentica ſubſcriptos & ſigillatos ad eosdem Reverendiſſimos Dominos Cardinales Commiſſarios per fideles nuntios cum eorum litteris transmiſerunt, datis Viennæ anno Domini MCCCCLXX. menſis Martii die XVIII. quarum proceſſus & omnium litterarum ſigilla legitime & ſufficienter recognita fuerunt, prout in proceſſibus cauſæ hujusmodi apparet.

Dehinc præfatus Sereniſſimus Dominus Fridericus Romanorum Imperator &c. eandem juſtam inſtantiam proſequendo, litteras ſuas ad eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Papam Secundum, motus meritis & præclaris virtutum operibus ac miraculis ejusdem Pii LEOPOLDI, denuo congeminavit, teſtimonium perhibens de ſolemnitate proceſſus inquiſitionis generalis per præfatos Dominos ſubdelegatos perfectis & remiſſis, ut ex ejus litteris patet, datis Viennæ anno Domini MCCCCLXX. die XII. menſis Martii, Imperii ſui XVIII, regnorum ſuorum, Romani XXX. Hungarici vero XII. annis. Conſimilem utique etiam idem Sereniſſimus Dominus Imperator Fridericus apud ſacroſanctum Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Collegium æqualem fecit inſtantiam per ſuas litteras, datas eisdem ann. Domini MCCCCLXX. menſis Aprilis die VI, ut patet ex ejus litteris, datis Friſaci &c. Qui etiam Sereniſſimus Dominus Fridericus Imperator ad hujusmodi negotium ſanctum & pium ſollicite proſequendum nomine ſuo procuratores conſtituit, Venerabiles Dominum Thomam de Cilia Decretorum Doctorem Prothonotarium Cancellariæ, Nicolaum Chreucznach Theologiæ Magiſtrum, & Thomam Harder cuſtodem B. Mariæ Virginis in Neuburga-Clauſtrali, cum poteſtate ſubſtituendi, per ſuas litteras datas eisdem ann. Domini MCCCCLXVIII. menſis Novembris die prima, ac etiam per alias litteras datas eisdem ann. Domini MCCCCLXX. menſis Martii die XXIX.

Matthias Dei gratia Rex Hungariæ atque Bohemiæ dum Viennam veniſſet, Sereniſſimum Imperatorem Fridericum præfatum viſendi gratia, intellectis meritis ac ſanctitate ejusdem Pii LEOPOLDI, eumque tantis miraculis coruſcare; conſimilem apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum per ſuas litteras accumulavit inſtantiam, ipſiusque Beati LEOPOLDI canoniſationem non minus gratam laturus, quam ſi unum ex Hungariæ Regibus inter Divos referri contingeret, prout ex ipſius litteris patet, datis anno Domini MCCCCLXX. die vero Martii ſecunda, regnorum Hungariæ &c. XII, Bohemiæ [1] vero? [2] Cujus quidem *Regis verbum quaſi Sacrificium* æſtimandum eſt II. Reg. XIV. quia Cor Regis in manu Dei eſt, ut legitur in *Epiſtola Inter Claras C. de Summa Trinitate.*

Laurentius quoque tunc Ferrarienſis Epiſcopus, tunc in partibus illis cum poteſtate Legati de latere Apoſtolicus Nuncius, ſuam quoque accumulavit inſtantiam apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum, ut patet ex ejus litteris datis Viennæ anno Domini MCCCCLXX. Martii vero die XXVIII.

Ulricus Patavienſis Epiſcopus eandem etiam geminavit inſtantiam per ſuas litteras, datas eisdem annis Domini MCCCCLXX. Martii vero die XX. Hic [3] merito poteſt poſtulare, *quia in piam cauſam C. I. & fin. De poſtulan. & C. pro Eccleſia ſua, ex quo eſt in Diœceſi C. I. de aucto. & uſu pallii.*

Abbates [4] quoque, Præpoſiti, Priores incliti Ducatus Auſtriæ, Diœceſis Patavienſis, conſimiliter eandem inſtantiam geminaverunt, ut patet ex eorum litteris datis eisdem ann. MCCCCLXX. Martii vero die XII.

Michaël Comes de Hardek S. R. Imperii Burggravius de Maidburg, Ulricus Comes de Schaunberg, Georgius de Pottendorff Marſchalcus Auſtriæ, Rogerius de Starhenberg, Henricus de Puchem, Georgius de Volckendorff, Oſualdus de Eyczingen, Vitus de Ebersdorff, Johannes de Kranberg, Albertus de Ror, Sigismundus de Eyczingen, Bernardus de Tirnſtain, Barones. Wolffgangus de Ruckendorff, Bernardus de Tachenſtain [5], Georgius de Ror, Stephanus Chling, Johannes Stikelperger, Leopoldus Vulczendorffer, Martinus Thanhenſtain Truckſaſs [6], Georgius de Roſenharcz,

[1] *Polzman.* Marcum. [2] *Polzman. addit* Servandis.

[1] Bohemiæ *&c. usque ad verba* de ſumma Trinitate *non habetur apud Polzman.* [2] *Sic MS. Mellic. noſtrum.*

[3] Hic merito *&c. usque ad* uſu pallii *non habet Polzman.*

[4] *Polzman.* Præpoſiti quoque Abbates, Priores &c. *Qui verborum ordo vereor ut habeatur in Cod. MS. unde ea fortaſſis Polzmannus expreſſit: nam & ſuperius, ubi Præſules Auſtriæ Inf. pro Canonizatione S. Leopoldi Paulo II. ſupplicaſſe referuntur, primo loco Abbates, tum vero Præpoſitos nominatos legas.* [5] *Polzman.* Thanhenſtain.

[6] *Polzman.* Truges.

Milites.

Milites. Gamrecht de Franau, Georgius de Tirnau, Johannes de Roſenharcz, Johannes Maczebar, Rimpertus [1] Vunſtinger, cum nonnullis proceribus (de quibus in litteris) cæterique Barones, Nobiles & Milites inclyti Ducatus [2] Auſtriæ, Patavienſis Diœceſis, eandem inſtantiam per ſuas litteras congeminaverunt. Datum Wiennæ in dieta generali ibidem celebrata, anno Domini MCCCCLXX. Februarii die XXVI, ut juxta Evangelium Matthæi XVIII, *Si duo aut plures ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint fiat illis &c.* & XX. *Di. De quibus*, & XXV. *q.* I. §. *Si autem*, & *C. alienus.*

Zdencko de Sternberg ſupremus Capitaneus regius terrarum in regno Bohemiæ exiſtentium, & ſupremus Burggravius Bragenſis, Henricus de Nova-Domo ſupremus Magiſter Cameræ regiæ; Hincko de Leuchtenburg Dominus in Vetau; ſupremus Capitaneus Cruce ſignatorum; Stephanus de Leuchtenburg Dominus in Vetau; Tobias de Roscobicz & de Nigro-Monte, cæterique Barones regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ ſub obedientia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ exiſtentes, apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum conſimilem fecerunt accuratam inſtantiam, ſperantes hujusmodi canonizationem ad plurimorum ſalutem & tranquillitatem, hæreticorum autem exterminium provenire, prout in litteris patet datis Wiennæ anno Domini MCCCCLXX. menſis Martii die XI.

Magiſtri Civium, Judices, Conſules nominati, & communitates civitatum, oppidorum & villarum Ducatus Auſtriæ, Patavienſis Diœceſis, eandem pariter inſtantiam per ſuas litteras congeminaverunt, datas Viennæ anno Domini MCCCCLXX. menſis Februarii die XXVI.

Judex, conſulatus & communitas oppidi Neuburgæ-Clauſtralis apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum conſimilem fecerunt inſtantiam per ſuas litteras, datas eisdem ann. MCCCCLXX. menſis May vero die XXIV.

Præpoſitus, Decanus & Capitulum Monaſterii Neuburgæ-Clauſtralis conſimilem fecerunt inſtantiam apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum per ſuas litteras; datas eisdem ann. Domini MCCCCLXX. menſis Martii die XXIV.

Rector & Univerſitas Studii Wiennenſis apud eundem ſanctæ memoriæ Dominum Paulum conſimilem fecerunt inſtantiam per ſuas litteras, datas eisdem ann. Domini MCCCCLXX. menſis Martii die XXIII. Conſiderantes hi omnes impium fore, ſi tot talesque interceſſores multiplicati atque congeminati ſuo juſto deſiderio defraudarentur, cum multiplicatis interceſſoribus quod juſte petitur neceſſarium ſit elargiri, juſtaque petentibus non ſit denegandus aſſenſus. *L.* 2. *ff. De his, qui ſunt ſui vel alie. jur;* ut juxta Lucam in Evangelio XI. *C. Quis ex vobis amico petenti panem det* [3] *lapidem, aut petenti piſcem dabit ſerpentem?* Et: *Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur vobis: omni enim petenti dabitur, & pulſanti aperietur* &c. Et Paulus ad Epheſ. VIII. *In omni oratione & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*, & conſequenter apud Te, ipſius Vicarium; qui vices ejus geris in terris &c. 2. ad Timoth in fine: *Inſta opportunè importune* [4] XLIII. *Di. Sit Rector in fi.*

Cum igitur Pallium Archiepiſcopale, per quod plenitudo poteſtatis deſignatur, ut *in C. Niſi, & C. Ad honorem, de aucto. & uſu pallii*, concedatur petentibus illud inſtanter, ut *Centes. Di. C. Priſca, & C. Optatio*; tamen & quandoque non petenti gratia offertur *C. Bonæ* II. *in fin. De poſtul. Præla.* exaudianturque etiam inſtanter diverſa poſtulantes *C. fin. De dilatio.* XXIV. *q.* V. *finem*, *C. Ex tenore De teſti.* & maritus devincitur inſtantia mulieris *C. Per tuas, De. Probat.* & appellantibus inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime Apoſtolos, petentibus non ſunt denegandi *C. Ab eo de Appell. lib.* 6. *Cle.* 2. *de Appell. L.* 1. *ff. De li. Divi.* & alias importuna oratio importuna impetret, *De Pœni. Di. C. Importuna. & in C. Ubi majus De Elec. lib.* 6. *ubi per Archi.*: multo magis ſunt exaudiendi inſtantes tanti, de quibus ſupra, alias licitum foret reclamare *Ar. Ejus, quod no. per Glo. & Bar. in L.* 1. §. *Permittitur ff. De aqua quotidi. & æſtiva, & in L.* 1. *in fin. ff. De privi. credi.* quia fit eis injuria, ſi non exaudiantur, ut probatur *in C. Bonæ. De poſtu. Præla.* De quo per Antho. de Butri. *in C.* 1. *De locato*, & per Ludo. *in reper. Ricæ. ff. De arbitris in* 17. *col. & in L.* II. *ff. Solu. matri. & in L. Prætor in fin. ff. De novi-ope.* & in ejus Conſilio XXII. *Incipit: propoſitæ mihi conſultationis.* & per *Bal. in Addi. ſpe. inti. De locato in* 10. *col. & in C.* 1. *Queinadmodum feudum ad filiam pertineat. & in C. Bonæ. & in C. fin. De poſtul. Præla.* & per Petrum de Ancha in conſilio 170. Quod incipit quidem: Dominus Ricobinus. *& Pau. de Caſ. in Authen. qui res. C. De Sacroſanctis Eccl.* & per Jo. de Imola in dicto *C. Bonæ. pri. & in L. Si mihi & Titio. ff. de verbo. obli. ad propoſitum quæſtionum ſingularium & utilium, de quibus ibi per eos*; quas plenius perſequuntur quidam moderni in Tractatibus *Juris Emphy.* & dicitur talis reclamatio *recurſus*, in quo fatalia non currunt, ſicut currunt aliis appellantibus ſecundum Bal. per *L. Non diſtinguemus* §. *cum quidem ff. De Arbi.* ſubdens in *dic. C. Bonæ*, ſufficere denuntiationem fieri Superiori, qui propterea poteſt punire inferiorem, exaudire hujusmodi juſtas poſtulationes & inſtantias per §. *ſuper his in Authen. De Quæſtori. col.* 6. Ex quibus manifeſtiſſime infertur, inſtantiam maximam & diuturnam, de qua ſupra, absque inſtantium injuria denegari, ampliusque retardari non poſſe nec debere; quinimo votive fore exaudiendam. Sicut & diſpenſatio & gratia petitur, & tamen ad ipſam ex gratia concedendam ſuperior tenetur ex cauſa *L. Di. C. Ponderet, & C. Domino Sancto, & C. Siquis Diaconus, ſicut & pauperi elemoſinam petenti, cui tamen non datur actu; & tamen dives illam dare tenetur* juxta illud: *Omni petenti te tribue, & illud: Date elemoſinam &c.* Et probatur XVI. *q.* I. *Prædicator. & C. fin.* Sic & in præſentato a Laico etiam variante, qui de gratia admittitur

[1] *Polzman.* Kinpertus Wnſteinger. [2] *Polzman.* Archiducatus. [3] dabit.

[4] *hic definit editio Polzmanni.*

xvi. q. v. *Siquis Epiſcoporum C. Quoniam de Jure Patron. C. In quibuſdam de pœnis. Junctó C. Paſtoralis. de Jure Patro.* ubi probatur injuria, quia de condigno ex debito. *Ar. in L. Si vero in fin. ff. Qui Satisdar. cogun. & in L. 3. C. de Sum. Tri. & in L. Majoribus C. de appell.* Sic & in admiſſione poſtulationis, & confirmatione electionis *C. Cum inter. R. Seniorum de electione C. Bonæ. & C. in cauſis ſecundum L. Plenitudinem poteſtatis; quam habet Papa C. Illa. e. t. C. Propoſuit. De conceſſ. præben. C. quia nonnulli & C. Sedes* de Reſcript. *C. cum inter univerſas in fin. de elec.* Quæ plene proſequitur Hoſti. in Summa de *poſtula. Præla. §. Et utrum Jus acquiratur.* Sic etiam in tranſitu ad artiorem Regulam, de quo *in C. licet de Regula, & in caſu C. cum olim de arbi. & C. Potuit de loca. & L. fin. C. de Jure emphy. & quod habetur de Conſec. Diſt. 5. Epiſcopi, & in C. cum in veteri de elec.* & in ſimilibus. Hinc non immerito dicitur, quod in neceſſitatibus nemo liberalis exiſtit *in L. Rem legatam ff. de admiſ. legati Ar. in C. Relatio. & C. Inter cætera de præben. & no. in C. fin. de Offi. Vicarii lib. 6.*

SECUNDUM.

Circa Secundum, videlicet circa *Maximam temporum moram ſtudioſe expectatam*, eſt præcipue attendendum, quod juxta ſententiam Viri honorabilis Gamalielis legis Doctoris, ad cujus pedes Apoſtolus litteras didicit Act. 22. quæ habetur Actuum 5. *C. in fin. Omne conſilium, quod ex hominibus eſt, aut opus, temporum mora neceſſario diſſolvitur: Si vero ex Deo eſt, diſſolvi non poteſt, quia Deo repugnari non poteſt.* Quod etiam eſt ſententia Thaletis, primi omnium Philoſophorum ſapientiſſimi, manifeſtius confirmato dicentis: *Cuncta enim ſuperat ſapientiſſimum tempus; invenit namque omnia*, ut refert Diogenes Laërtius in Vita ejusdem Thaletis. Et concordat Juſtinianus in *Authent. de Reſti. & ea, quæ pa-rit &c. §. 1.* ubi dicitur, quod tempus conſuevit fere omnia oſtendere. Mora autem temporum, infra quæ continuata eſt hujus Pii LEOPOLDI ſanctimonia & expectata, utique diuturna fuit, in qua ſemper & multiplicata & continuata miracula ipſius ſanctimoniam usque ad moderna tempora comprobarunt, & ut creditur Divino nutu factum hoc eſſe, ut usque ad hæc tempora illius canoniſatio fuerit expectata, quibus Sanctitas Tua tanquam Sol, & Majeſtas Friderici Romanorum Imperatoris Tertii, ex ipſius Beati LEOPOLDI domo nati, ſupplicantis & inſtantis tanquam luna, & conſequenter duo maxima mundi luminaria, juxta *C. Solitæ de Majo. & Obe.* tam ſanctum opus tandem perficiant, quibus Divinitus datum eſt, felicia tempora obtinuiſſe. Nam etſi a tempore obitus præfati Pii LEOPOLDI, nec non etiam a tempore Innocentii Secundi usque ad tempora Innocentii Sexti, multorum annorum curricula fluxiſſe noſcantur; tamen quantum ad propoſitum magis attinet, conveniens temporum mora ab his diebus, quibus claræ memoriæ Rudolfus quondam Auſtriæ Dux, qui primam ſuper hoc fecit inſtantiam apud ſanctæ memoriæ Dominum Innocentium Sextum præfatum, conveniens tempus expectatum fuiſſe dinoſcitur, priusquam litteras ſuas ſuper inquiſitione generali facienda decerneret. Major autem ſubſecuta eſt ulterior expectatio. Nam etſi generalis hujusmodi inquiſitio in vim litterarum ejusdem Innocentii Sexti fuerit ſolemniter ac canonice expedita, tamen ſuccedentibus temporum diſcriminibus, variorumque bellorum occaſionibus; & præcipue in Eccleſia Romana dolendis ſciſmatibus, quorum quidem temporum discriminum magna ratio ſemper habetur ab utroque jure, Secundum Inno. & reliquos Canoniſtas *in C. Extransmiſſa de Præſcrip.* & Bar. & alios Legiſtas *in L. Naturaliter ff. de Uſuc. per L. fin. C. de fundis limitos. lib. 10. & in C. 1. & 11. Ne ſede vacante C. 1. de præſcrip. XVI. q. III. in C. Primâ actione, & L. Poſtlimin. ff. de Capti. L. Ab hoſtibus C. Eo ti.* Sicut & tempore mortalitatis, & aliis temporibus, quibus non redditur Jus, ſecundum eundem Bar. in *dic. L. Naturaliter*, & *in L. 1. ff. de bo. poſ. ex teſtamento militis*, & idem de tempore innavigabili ultra mare, ſalva conſuetudine *L. Quociens C. de naufragiis lib. XI.* idem de incarceratione & paupertate *L. Judices C. de Epiſcopali audien. Benefacit extravagans Friderici II. de pace Conſtantiæ in §. Poſſeſſiones:* Succedentibus etiam Bohemicis hæreſibus, & aliis variis temporum diſcriminibus, in quibus ſatana cooperante ſcripturæ ſuper inde confectæ igne conſumptæ; continuantibus tamen pro tempore, atque multiplicantibus miraculis, ac devotione populorum nequaquam ceſſante, tandem Divina virtute Principes patriæ illius Eccleſiaſtici atque ſæculares, & præcipuus Inclytus Chriſtianorum Imperator Fridericus hujus nominis Tertius, & reliqui Principes ac Magnates patriæ illius neceſſario compulſi, inſtantiam majorem ardentius proſecuti apud ſanctæ memoriæ Paulum Secundum preces majores innovarunt. Qui quidem ſanctæ memoriæ Dominus Paulus attente præmiſſa omnia conſiderans, poſt maturam ſuper inde diſcuſſionem ac conſultationem habitam in ſecreto ſuo Conſiſtorio cum Reverendiſſimis ac vere Conſultiſſimis Patribus tunc tempore viventibus S. R. E. Cardinalibus, nolens ulteriorem moram temporum interponere vel expectare, ſed populorum devotionem, quantum cum Deo poterat, ſemper augere, & proinde Bohemorum hæreſim Divino cum adjutorio extirpare; inquiſitionem generalem denuo Excellentiſſimis atque Reverendiſſimis Patribus Biſſarioni Tuſculanenſi, & Alano Prænestienſi Epiſcopis, nec non Franciſco S. Euſtachii Diacono Cardinalibus, hujusmodi tam ſanctum negotium proſequendum ſolemniter commiſit de fratrum conſilio. Quibus idem ſanctum negotium proſequentibus, aliquanto temporum ſubſequente Reverendiſſimo Patre Domino Prænestinenſi, altero ex præfatis Commiſſariis, a Romana curia ſe abſentante, & in Gallias profecto, Reverendiſſimus Dominus Richardus tituli S. Euſebii Presbyter Cardinalis in ejus locum conſiſtorialiter ſubrogatus & deputatus extitit.

Ecce Beatiſſime Pater, quam maxima temporum mora ſtudioſe fuerit expectata, nedum ſemel, ſed pluries, tam per præfatum ſanctæ memoriæ

moriæ Innocentium Sextum, quam etiam Paulum Secundum, ita ut merito rem hanc Sanctitas Tua, & omnis denique Chriſtiana religio, a Deo Optimo Maximoque proceſſiſſe & procedere debeat exiſtimare: cum tanta temporum curricula, tantaque varia multa diſcrimina, nec non & dolenda ſcismata, miſerabilesque guerræ & ruinæ patriæ illius, circumſtantiumque locorum hæreſesque deplorandæ vicinorum Boiemorum, incendia, perſecutiones Eccleſiæ Romanæ, aliaque denique innumerabilia & infelicia ſcandala extinguere aut ſopire nequiverint. Quod utique factum foret, ſi tam ſanctum hujusmodi negotium ex Deo non eſſet, ſed ex humano conſilio ſimpliciter proceſſiſſet. Sic in ſimili legitur in legenda S. Martini, quod cum quidam ſub nomine Martyris coleretur, & a Martino nil de ejus vita, vel merito inveniri poſſet; quadam die ſuper ſepulchrum ſtans oravit Dominum, ut quis eſſet vel cujus meriti indicaret. Converſus itaque ad lævam, vidit umbram nigerrimam ſtare, quæ a Martino adjurata, dixit ſe latronem fuiſſe, & ob ſcelus percuſſum eſſe. Continuo igitur Martinus altare deſtrui præcepit. Facit *C. 1. de Reli. & Vene. Sanctorum.* Nam verbum veritatis non fallitur, dicens: *Nihil occultum, quod non reveletur, aut opertum, quod non ſciatur.* Quod amplius confirmatur Actuum XVII. de ara Athenienſi, in qua ſcriptum erat: *Ignoto Deo.* Fidelis enim eſt Deus, qui non patitur nos longo tempore errare, juxta verbum ſapientis: *Temporibus peccata latent, ſed tempore patent.* Expectavit profecto nimium longanimis agricola noſter Pius LEOPOLDUS pretioſum terræ ſuæ fructum patienter ferens, donec accipiat, licet temporaneum & ſerotinum, juxta Apoſtolicam doctrinam, de qua 1. Jacobi Epiſtola c. v. Quem quippe laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere, teſte Apoſtolo 2. ad Tim. 2. *C.* Quod autem tempus hujusmodi multum ſuperque multum fuerit, & ſufficiat ſeu ſufficere debeat, licet ſit arbitrarium *Ar. in L. Si ita quis §. Ut qui in inſulam ſe jactavit ff. de V. obli. &* habetur *in C. fin. de Elect. & in L.* II. §. *&c.* .....* Qui tamen cito dat, bis dat; ſed qui reddere feſtinat, non habet animum grati hominis. Nonnunquam etiam magis gratus eſt, qui dat parva magnifice, quam qui exiguum tribuit non libenter, juxta Senecam lib. 4. de officiis. Et: *Gratior eſt fructus, quem ſpes producior edit* XXVII. *q.* II. *Inſtitutum.* Quoniam *ſpes, quæ differtur, affligit animam*, juxta dictum Sapientis Prov. 13. *Quod enim amplius eſt, a malo eſt* &c. Quia juxta alterius Sapientis dictum; *Inter os & offam multa ſolent contingere.* Tolle igitur moras, Beatiſſime Pater, *ſemper enim nocuit differre paratis*, & quia vulgo dicitur: *Chi ha tempo, non aſpeto tempo.* Ecce nunc tempus acceptabile! Quid namque ſignificaret, ulterius velle differe, quam tacite denegare? Majeſtatemque Imperialem, & omnes Auſtriæ Principes totamque Germaniam deſolatam facere, illique notam & maculam non mediocrem inferre, quod Deus avertat æternus. Minus vero malum exiſtimabunt, tarde obtinuiſſe, quam nunquam; licet quod ſero fit, minus conſuevit Juri convenire, ut patet in ſera pœnitentia *de Pœni. Di.* VII. §. *Quamvis*, & in ſera converſione *de Pœni. Di.* I. *Importuna*, & in ſero deſiderio *L.* II. *C. de hæred.* & in ſeris precibus *L.* II. *C. de jur. & facti. igno.* & in ſera conqueſtione *L. Civitas Rhodiorum C. de Offi. Præto.* & alias *in L. Si uxor ff. de Adul. & in Authen. Ut omnes obediant Judicibus provinciarum* §. 2. *&* §. *Conſiderantes, & in L. Si quid venditor ff. de Ædilitio edicto* XLIII. *Epiſcopus, & in Authen. Scriptum exemplar.*

TERTIUM.

Circa Tertium, videlicet circa *ſolemnem inquiſitionem generalem canonice commiſſam & præhabitam*, eſt præcipue attendendum, quod cum litteræ ſubdelegationis a præfatis Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Commiſſariis præſentatæ fuiſſent Reverendo Domino Patri Ulrico Patavienſi Epiſcopo & Imperiali Cancellario, nec non Matthiæ Beatæ Mariæ Virginis, (alias Scotorum Wiennæ) & Johanni Cellæ S. Mariæ Virginis, Ordinis S. Benedicti, Patavienſis Diœceſis, Monaſteriorum Abbatibus, ac debita qua decuit reverentia ſubſcriptæ; iidem tres Domini ſubdelegati litteras citatorias contra univerſos & ſingulos utriusque ſexus homines, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis ſeu conditionis exiſterent, qui de vita, converſatione, moribus, meritis, ſanctitate ſeu miraculis quondam Pii LEOPOLDI Marchionis, ac circumſtantiis aliisque hujusmodi negotium concernentibus quicquam noverint, coram ipſis comparere deberent, per edictum publicum in valvis parrochialium eccleſiarum infra Miſſarum & aliorum officiorum ſolemnia affigendum & publicandum &c. juxta tenorem in hujusmodi proceſſu contentum, ſub da. anno Domini MCCCCLXVIII., ſecunda menſis Decembris, ſubſequente nihilominus aliorum ſubdelegatorum excuſatione legitima. Ac deinde termino in præfatis edictis contento plene elapſo, inſtantibus nonnullis Incliti Domini Friderici præfati Romanorum Imperatoris legitimis procuratoribus, ad executionem dictarum litterarum canonice procedentibus, ne hujusmodi tam pium, meritorium, & apud Altiſſimum ac Sanctos ejus glorioſum opus aliqua negligentia differri contingeret, de nonnullorum Dominorum Doctorum eisdem aſſiſtentium conſilio; nonnullos utriusque ſexus teſtes ibidem præſentes ad jurandum de vita, converſatione, moribus, meritis, ſanctitate & miraculis præfati quondam Pii LEOPOLDI (ut moris eſt) admiſerunt, juxta commiſſionis eisdem factæ vim, formam & tenorem. Qui mediis eorum juramentis interrogati, diligenterque ac ſigillatim examinati, corporaliter manu tactis Scripturis ſacroſanctis, ſolemniter juraverunt puram, meram, ſinceram & omnimodam veritatem, quam ſciverint, ſuper omnibus deponere, quibus eos interrogari contigerit, pretio, prece, favore, amore, ira, odio, & qualibet alia ſiniſtra machinatio-

* *Cætera quæ hic ſequuntur in Cod. MS. perpetui textus ſunt, tum e Canonico, tum Civili Jure adducti; quos utpote longiores, nec ad rem noſtram admodum pertinentes conſulto prætermiſimus.*

natione aut humana gratia penitus amotis. Quorum quidem teſtium primo ſtrenuus Miles Johannes Stickelperger, & reliqui numero CLXXXI. ſuper variis innumerabilibusque miraculis verum perhibuere teſtimonium, [1] ſuper diverſis miraculis depoſuerunt, prout in ultimo fundamento plenius apparebit. Quibus quidem teſtibus (ut præfertur) accuratiſſime examinatis, eorumque depoſitionibus per Notarios publicos ad id ſpecialiter deputatos in ſcriptis fideliter redactis, per præfatos procuratores nonnulli libri antiqui, litteræ, privilegia, cronicæ, regiſtra, ſcripturæ, epitalamia, picturæ, imagines, tabulæ, clenodia & inſignia, quæ ad ipſius Pii LEOPOLDI vitæ ſanctimoniam, virtutum opera ac miracula, quibus olim multipliciter claruit, concernere videbantur, in Dominorum Præpoſiti, Decani totiusque Capituli, cæterisque Monaſterii & eccleſiæ prædictorum archivis repoſita ac conſervata extiterant, præſentari fecerunt. De quibus infra ſerioſius patebit, & præcipue ſedecim miraculis poſt mortem ejusdem Pii LEOPOLDI immediate contingentibus, de quibus conſimiliter in eodem ultimo fundamento plenius dicetur. Inſuper præfati Domini Commiſſarii ſubdelegati ſepulchrum ejusdem Pii LEOPOLDI perſonaliter viſitantes, ſtatum ejus per eosdem Notarios in ſcriptis redigi mandaverunt, ut exinde clareſceret, quam venerabiliter coleretur cum orationibus devotiſſimis ibidem in tabulis deſcriptis. Poſtremo etiam ad aliorum quamplurimorum teſtium examen ulterius procedentes, conſimili præmiſſa citatione nonnullos alios teſtes ſuper quamplurimis aliis miraculis, nec non etiam ſuper prioribus miraculis prænotatis, fideliter examinarunt, de quibus infra in ultimo fundamento mentio fiet. Demum etiam iidem Domini Subdelegati citatione repetita, ad majorem veritatis dilucidationem iterum tertio loco ad examen plurimorum aliorum teſtium pro corroboratione duplicis præcedentis examinis legitime procedentes, omnes infra ſcriptos teſtes diligenter examinantes, etiam præcedentibus proceſſibus adjungi mandaverunt, de quibus infra pariter patebit in ultimo fundamento. Interea nihilominus dum præfati ſubdelegati examen hujusmodi proſequerentur, magna coram eis multitudo teſtium ſeſe exhibuit, in vim citationum præfatarum, qui omnes hujus rei gratia ex diverſis terris & locis vocati ad deponendum convenerant: quorum multi vel ſumptibus parcentes, vel expenſarum ſuffragio carentes non examinati ad propria redierunt. Hæc omnia præfati Subdelegati in ſcriptis ſolemniter per fideles Notarios præfatos redigi mandaverunt, authenticari ac ſubſcribi & ſigillari, ipſumque proceſſum generalis inquiſitionis ſicut ſupra ſolemniter perfectum, prælibatis Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Commiſſaris per fidos nuntios præſentari mandaverunt, ſub anno Domini MCCCCLXX. menſis Februarii die XX.

Ecce ergo Beatiſſime Pater, quam ſolemnis fuerit hujusmodi generalis inquiſitio, & merito ſufficiens reputanda, ut proinde ad ſpecialem inquiſitionem fore procedendum merito decerni ac deliberari debuerit. Non enim neceſſaria fuerant hujusmodi citatoria edicta, licet ad abundantem cautelam fuerint ſtudioſe præmiſſa, juxta ea quæ plene examinat Dominus Ægidius de Bellemera in Deciſionibus ſuis *Deciſ. 672. Quoniam abundans cautela nocere non conſuevit. L. Teſtamentum C. de Teſta. C. Litteræ de Dila. no. in Cle. Si dignitatem de Præben. pat. in Deciſ. 83. quæ incipit: Item ſiquis narrat.* & in *C. Quanto* LXIII. *Di.* ubi dicitur, *quod nihil, quod ad cautelam pertinet, eſt omittendum*, & præcipue in cavendo peccato LXI. *Di. C. ſæpe*, & in prædicando & docendo XLIII. *Di. Sit rector*, ſicut & in regendis ſubditis XXXIX. *Di. Petrus*, & in rebus eccleſiarum ſervandis XXVIII. *Di. de Syracuſana.* Cum vero inquiſitio de vita hominis ſit ſubtiliter facienda, ut patet *L. Di. §. 1.* fierique debeat cum omni diligentia *C. fin. de Probat.* & *C. Exhibita de Judi.* ac etiam fieri debeat in loco, ubi converſatus eſt ille, de quo inquiritur *C. 3. de Elec.* Cum tamen fit de mandato Principis, non exigit omnimodam Juris ſolemnitatem, ſecundum Hoſti. & alios in *C. cum dilectus de purga. Cano.* & *in C. cum clamor de teſti.* & *C. cum olim e. ti.* Aliter namque procedendum eſt, cum inquiritur de perſona, & aliter, cum inquiritur de crimine, & aliter in præparatoria generali, aliter in ſubſequente ſpeciali, ſecundum Innocentium & alios in *C. 1. de poſtu. Præla.* & per Hoſti. in ſumma de *accuſa. & inquiſi.* & per Specu. *in eodem ti.* Et licet multis videretur hujusmodi inquiſitionem ſufficere pro ſpeciali inquiſitione, quaſi ſatis fuiſſet pro generali inquiſitione, quod factum fuerat tempore Innocentii VI, de quo apparebant nonnullæ reliquiæ antiquarum ſcripturarum; tamen cum ſuper hoc in Conſiſtorio ſecreto facta fuiſſet relatio ſanctiſſimo Domino noſtro moderno Sixto IV, viſum eſt illam non ſufficere omnino pro ſpeciali inquiſitione, quaſi in dicto proceſſu quoad hoc magna intervenerit negligentia & defectus, ac ſic nondum rite peractis exiſteret. Volens igitur in hac tanta re debita cum maturitate procedere, inſtante continuo Sereniſſimo Domino Friderico III. Imperatore præfato, iterum per litteras ſuas in forma Brevis commiſit Reverendiſſimo Domino Cardinali S. Marci tunc in partibus illis legato de latere, ut denuo ſpecialem faceret inquiſitionem, prout & fecit, ut ſtatim patebit; ſufficiens tamen fuit ut generalis & præparatoria, licet non ut ſpecialis.

QUARTUM.

Circa quartum fundamentum, videlicet *diligentiſſimam ſpecialem Inquiſitionem ſubſecutam*, eſt præcipue attendendum, quod defuncto ſanctæ memoriæ Paulo Secundo, ſuccedenteque illi canonice Sixto Venerabili, cum de conſilio fratrum Reverendiſſimum Dominum Cardinalem S. Marci ad partes Alemanniæ, Hungariæ & alios Convicinos Legatum de latere tranſmiſiſſet, pro pace & quiete illorum populorum introducenda; facta priius relatione in ſecreto ſacro ſuo Conſiſtorio de contentis in præcedenti gene-

[1] *deeſt forte &.*

generali inquiſitione, nolens in tam arduo negotio cito credere: quoniam *qui cito credit, levis eſt corde*, ut legitur Prov. 25. *no. in L. 1. §. 1. ff. De eo, per quam factum erit, & in L. ſi id, quod ff. quod falſo tu. a.* Credere tamen hominibus, quibus eſt veriſimiliter credendum, non eſt culpa vel negligentia *no. in L. Titio fundus circa fin. magnæ gl. ff. de condi. & demon.* dumodo non mulieri, ut patet Exodi 38; de eorundem fratrum conſilio eidem Reverendiſſimo Domino Legato per litteras in forma Brevis hujusmodi denuo ſpecialem inquiſitionem faciendam conſulte commiſit, ut ex eodem Brevi apparet, quod datum fuit Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die ſecunda Martii MCCCCLXXII. Pontificatus ſui anno primo. Qui quidem Dominus Legatus hujusmodi ſuſceptis litteris, ea qua decuit reverentia ad Monaſterium Neuburgenſe ſe perſonaliter conferens, eandem ſpecialem inquiſitionem ſolemniter eſt proſecutus. Ad abundantem namque cautelam, inſtantibus Præpoſito ac Decano Neuburgenſi, citationem per edictum decrevit, de qua in actis plenius conſtat in forma, de qua per Innocentium & alios Canoniſtas in *C. cum in tua; qui ma. accu. poſ.* per Legiſtas in *Authen. Si omnes C. Si ut ſe ab hære. abſti.* & in *Corpore, unde ſumitur.* Quarum quidem citationum adveniente termino, & earum executionibus legitime reproductis ac recognitis, nonnullos articulos pro parte præfatorum Præpoſiti & Decani actualiter productos admiſit: nec non pro eorundem verificatione privilegia, cronicas, ſcripturas & alia complura documenta ad cauſam hujusmodi facientia, actualiter producta in proceſſu cauſæ mandavit regiſtrari: teſtes quoque & eorum juramenta ſuſcepit, ſervatisque de jure quæ fuerant obſervanda. Ex quibus quidem Cronicis octo numero, nec non & Apoſtolicis litteris & Indultis magna veritas, & irrefragabilis reſultat omnium in præfatis articulis Serioſius deductorum: de quibus quidem juribus & Cronicis in ſuis locis accommodata individualis mentio fiet. Subinde Reverendus Dominus Legatus præfatus, inſtantibus Præpoſito & Decano prælibatis, ſubdelegatum Commiſſarium cum ejus Aſſeſſoribus deputavit per ſuas patentes litteras, qui ulteriorem teſtium receptionem & eorundem examen proſequerentur, reſervans tamen ſibi omnimodam in omnibus ejusdem legationis poteſtatem. Qui quidem Dominus Commiſſarius ſubdelegatus, inſtantibus coram eo præfato Præpoſito ejusque procuratoribus, renovatisque citationibus ad cautelam ut ſupra, ac reportatis eorum executionibus, admiſſisque articulis teſtes coram eo productos ſimiliter ad jurandum admiſit: & cum propter guerrarum turbines nonnullas citationes legitimæ executioni mandare non potuiſſet, alias citatorias litteras geminavit, quibus reproductis, nonnullos teſtes utriusque ſexus tam ſuper recognitione, quam toto negotio ad jurandum admiſit. Demum cum idem Reverendiſſimus Dominus Legatus Poſonium veniſſet, quandam Cronicam antiquiſſimam inter alios libros in Bibliotheca Præpoſiti Poſonienſis repertam, per quam nonnulla merita ejusdem Beati LEOPOLDI comprobari videbantur, in proceſſu cauſæ annotari mandavit. Teſtes autem jurati atque examinati ad numerum ducentorum minus unius aſcendunt, de quorum depoſitionibus ſingularis mentio habebitur in ultimo fundamento, Miracula ejusdem Beati LEOPOLDI concernente. Succeſſive eodem Reverendiſſimo Domino Cardinali S. Marci Legato ad curiam Romanam redeunte, ejus legatione finita, ac proceſſum hujusmodi ſpecialis inquiſitionis ſecum reportante, Sixtus Venerabilis, inſtantibus his qui hujusmodi cauſam nomine Imperialis Majeſtatis proſequebantur, defuncto prius prænominato Reverendiſſimo Domino Richardo Cardinali tituli S. Euſebii altero in hujusmodi cauſa ſurrogato, defuncto quoque Reverendiſſimo Domino Cardinali Tuſculanenſi etiam altero ex Commiſſariis deputatis, in eorundem locum Reverendiſſimum Dominum Cardinalem S. Marci, nec non Reverendiſſimum Dominum Rodericum Cardinalem & S. R. E. Vicècancellarium ad hujusmodi negotium continuandum ſurrogavit: pro cujus quidem negotii expeditione eadem Sanctitas Veſtra ſingulis annis per litteras ac nuntios Majeſtatis Imperialis ac aliorum Principum & Magnatum pro hujusmodi tam ſancti negotii expeditione inſtantiſſime extitit pulſata ac requiſita. Tandemque noviſſime anno præſenti MCCCCLXXXIII. eodem Reverendiſſimo Domino Cardinali S. Marci a Romana Curia abſente, in ejus locum Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Tornacenſem conſiſtorialiter ſurrogavit, nec non & tres Sanctitatis Veſtræ præcipuos Capellanos ad Summarium proceſſus hujusmodi ſolemniter faciendum deputavit: qui quidem Domini Capellani totos proceſſus inquiſitionis ſpecialis, nec non etiam & generalis præcedentis accuratiſſime examinaverunt, Summariumque ſive Compendium magiſtrale concorditer fecerunt, & eisdem Reverendiſſimis Dominis Commiſſariis cum omnimoda reverentia aſſignarunt. Ex quibus aliud quidem non reſtat, quam quod per eosdem Reverendiſſimos Dominos Commiſſarios vere & debite fiat relatio in ſecreto Conſiſtorio, juxta morem in ſimilibus obſervari conſuetum, de quo in libro Cærimoniarum patet apertius, & cujus meminit Hoſti. in *C. 1. de Reli. & Ven San.* quam etiam refert Jo. An. ibidem, & noviſſime obſervatus eſſe dinoſcitur in Canoniſatione S. Bonaventuræ anno proximo præcedenti per Sanctitatem Veſtram celebrata. Ecce ergo Beatiſſime Pater jam, quam ſolemniter priora in Canoniſationibus Sanctorum requiſita apparent, & ſunt omnimodo obſervata. Expoſcimus igitur ſuppliciter idem Sanctitatem Veſtram, ut ad ulteriora procedens, pias preces Imperialis Majeſtatis dignetur tandem ex gratia exaudire.

Inſuper attendendum, quod in proceſſibus præmiſſarum inquiſitionum, generalis ſcilicet & ſpecialis, extant complures cronicæ fide dignæ numero VII, ex quibus ſufficienter probantur quæ ſufficiunt ad ipſius Pii LEOPOLDI

cano-

canoniſationem obtinendam. Quarum una deſcripta apparet in duobus libris vetuſtiſſimis, quorum unus in pergameno, alius vero in papiro conſcriptus eſt: & quorum unus ad Neuburgenſe, alter vero ad Novi-Montis Monaſterium Ciſtertienſis Ordinis, Salczeburgenſis Diœceſis, pertinet, cujus quidem Cronicæ initium tale eſt: *Leopoldus inclytæ memoriæ quondam Marchio Auſtriæ, qui pius & juſtus & omnium virtutum meritis præpolleat* &c. Item alia geminata ex quodam libro in pergameno Monaſterii Neuburgenſis autentico, cujus initium eſt: *Anno Domini* MCXIV. *incœpta eſt fundari Neuburgenſis Baſilica, & Marchio Leopoldus ejusdem loci Fundator, Vir piiſſimus.* Et infra: *Hic eſt Leopoldus Marchio Auſtriæ, qui cognominabatur* Pius. *Nec immerito* &c. Item alia Cronica Honorii ex libro pergameneo Monaſterii Cellæ-Mariæ quaſi per omnia ſimilis præcedenti. Incipit: MCXIV. *incœpta eſt fundari* &c. Item alia Extracta ex Cronica Auſtriæ per quondam Dominum Thomam famoſiſſimum ſacræ Theologiæ Magiſtrum in quodam libro papireo. Incipit: *Leopoldus II. hujus ſtirpis Marchio hodie vocitatur* &c. Et in fine: *Anno Domini* MCXVI[1]. *Pius Leopoldus Marchio migravit ex Seculo, & (uti fidendum eſt) vivit in Chriſto, ex quo miſericordes miſericordiam conſequi teſtatur Dominus, & nec in vita nec in morte derelinqui, affirmat in ſuo de officiis.*[2] *Beatus Ambroſius.* Item alii [3] ex libro Patavienſis Epiſcopi de antiquiſſima littera, unacum quibusdam litteris quondam Regiberti Patavienſis Epiſcopi, in quibus appellat *Pium Leopoldum glorioſiſſimum Marchionem, Fundatorem Monaſterii Neuburgenſis* &c. Quibus quidem tantis & conformibus Cronicis eſt plena fides adhibenda, ut *no. in C. Venerabilem De elect. &* XXIII. *Di. C. In nomine Domini*, & dicitur *Cronos* græce, latine *Tempus*, quaſi continens facta ſuis temporibus &c. de quarum fide plene ſcripſi in canoniſatione Bonaventuræ. Ad præmiſſarum quoque Cronicarum antiquarum veritatem amplius comprobandam, extant quamplura adminicula etiam fide digna. Et primo quædam autenticæ litteræ fundationis dicti Monaſterii Neuburgenſis, de anno MCXXXVI. Indict. XV. III. Kal. Octobris. Secundo quædam litteræ Innocentii II. directæ quondam Præpoſito & fratribus in Cella Sanctæ Mariæ Neuburgenſis Eccleſiæ, Patavienſis Diœceſis, per quondam Pium Leopoldum reparatam, in quibus inter cætera decernitur, quod nullus ejusdem Eccleſiæ Advocatus eligatur, niſi de domo & progenie ipſius Leopoldi Marchionis. Da. Romæ anno Domini MCXXXVII. II. Kal. Decembris Indict. I. Pontificatus ſui anno octavo. Tertio quædam litteræ Eugenii III. ad eosdem, in quibus etiam idem decernitur. Da. Viterbii anno MCXLVI. Pontificatus ſui anno II. VI. Kal. Januarii Indict. X. Quarto quædam litteræ Urbani III. ad eosdem, in quibus idem pariter decernitur. Da. Veronæ anno MCLXXXVII. X. Kal. Junii Indict. V. Pontificatus ſui anno II. Quinto quædam litteræ præfati Innocentii II. in forma Brevis eidem quondam B. LEOPOLDO directæ, de quibus infra patebit. Sexto quædam aliæ litteræ in forma Brevis ejusdem Innocentii II, Agneti conjugi dicti quondam Pii LEOPOLDI & filiis ejus directæ, de quibus etiam infra patebit. Item nonnullæ aliæ vetuſtiſſimæ ſcripturæ, quæ una cum teſtibus de fama &c. ſufficientiſſime adminiculantur per ea, quæ plene habentur in *L. cenſus & monumenta, & L. Inſtrumenta C. De Proba. & in C. Cum cauſam e. ti.* Et propterea de ipſarum Cronicarum fide non poteſt hæſitari *L. 2. §. 1. ff. De conſti. pecu. L. 1. ff. Si uſusfruct. peta. C. fin. De ſucceſſ. ab inteſta.*

QUINTUM.

Circa Quintum, videlicet *circa ejus præclariſſimam vitæ continuam Sanctimoniam*, præcipue attendendum eſt, quod hic LEOPOLDUS fuit Tertius hujus nominis Auſtriæ Marchio, militarique gladio anno Domini milleſimo centeſimo quarto accinctus. Illi pater extitit Leopoldus Secundus, in quo ſingulari atque excellentiſſima corporis majeſtate dignitas animi nulla ex parte inferior viſa eſt. Mater vero Itha nomine, Henrici Secundi Imperatoris filia, mulier utique & religione ac devotione plena: quæ (teſtibus Ottone, ac ſanctæ memoriæ Domino Pio Secundo) cum Themone [1] Juvavienſi Archiepiſcopo, qui deinde Chriſti Martyr fuit, & Guelfone Noricorum Duce, & aliis compluribus Baronibus pro tutela Chriſtianæ Religionis Jeroſolimam petitura, dum Græciæ fines permeat, Alexii Conſtantinopolitani fraude intercepta cum omni comitatu periit. Huic LEOPOLDO pietate ac liberalitate inſigni anno Domini MCVI. conjuncta fuit Agnes Henrici Quarti Romanorum Imperatoris filia, mulier fœcundiſſima, quæ cum [2] pulchra fecit prole parentem. Qui timens Deum, beatitudinem, bonum & benedictionem aſſecutus, extitit, cum, juxta Prophetam, illi *uxor fuit ſicut Vitis abundans in lateribus domus ſuæ, & filii ſui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ſuæ*, duos de viginti liberos ſibi legitimos edidit. E quibus ad maturam ætatem viri ſex, quinque vero fœminæ ſupervixerunt. Quarum primogenita Bertha fuit, hanc Henricus Burggravius Ratisponenſis conjugem duxit. Secunda Agnes Principi Poloniæ nupſit. Tertiam, nomine Gertrudam, Bolezlaus Dux Bohemiæ ſibi copulavit uxorem, qui ob meritum uxoris, & nobilium parentum ejus, ab Imperatore Friderico, ejus nominis Primo, regio diademate coronatus fuit. Quartam Eliſabeth Hermannus nobilis & dives Landgravius de Saxonia duxit uxorem. Jutha vero Quinta, quæ *Bonitas* vocabatur, nobili Marchioni Regengero de Monte-ferrato matrimonio juncta extitit. Filiorum vero ſuorum primogenito Albertus nomen fuit, Vir utique timoratus, Deo & Eccleſiæ devotus, religioniſque verus amator: qui anno Domini MCXXV. cum aliis centum & duodecim Nobilibus accinctus gladio, Neuburgenſis Eccleſiæ & omnium Clauſtrorum in Marchia exiſtentium Advocatia honeſtatus, mortuus, & in Capitulo Clauſtri Neuburgenſi cum patre & matre ſepultus in pace quieſcit. Secundus Henricus, qui diutius

[1] *leg.* MCXXXVI. [2] *ſupple* libro. [3] *f.* alibi.

[1] *al.* Thycmone. [2] *f.* cum.

omnibus

omnibus vixit, & patri in dominio Auſtriæ ſucceſſit, Monaſterium Sanctæ-Crucis a patre inchoatum complevit, dotemque adauxit, ac Gertrudim Lotharii ejus nominis Tertii Romanorum Imperatoris filiam duxit uxorem, Conradumque hujus nominis Secundum Romanorum Imperatorem in Aſiam cum expeditione pro tuitione Chriſtianæ Religionis ſecutus eſt. Dehinc vero rediens, poſt Conradi obitum, a Friderico ejus nominis I, qui pacem Auſtralibus dedit, ſuppreſſo Marchionatus nomine, provinciam Auſtriæ ad Ducatus præeminentiam evexit, terramque ipſam magnis & ſingularibus honeſtavit privilegiis. Quæ privilegia conſecutus cum pace frueretur Henricus, ipſe nobile Monaſterium apud Wiennam erexit, quod *Sanctæ Mariæ Scotorum* vocavit, multaque illi bona conceſſit: in quo regularis obſervantia diu exacteque ſervata eſt, quamplurèsque ibidem Monachi vitæ ſanctimonia claruerunt. Hic Henricus, relicto Leopoldo filio ejus nominis apud Auſtriæ Principes Quinto, annis plenus ad vitam aliam migravit feliciter. Tertius dehinc Leopoldus hujus nominis Princeps Auſtriæ Quartus, Bavarorum Ducatum adeptus, Monaſterium Gotuicenſe ſuis bonis locupletavit, & poſt varios bellorum curſus victor evadens, in agro Patavienſi mortem obiit: cujus corpus in Auſtriam delatum, in Monaſterio Sanctæ-Crucis, quod pater ejus conſtruxerat, tumulatum fuit. Quartus Erneſtus, qui in eodem loco ſepultus jacet. Quintus Otto nomine, cui a pueritia ipſa ſemper religionis ſtudia placuerunt, ut primum Latinas edidicit litteras. Ottone primo Neuburgenſis Eccleſiæ Præpoſito defuncto, eidem Eccleſiæ in Præpoſitum præfectus, mox dehinc in Pariſius miſſus, apud celebrem illam ſcholam & toto orbe famoſam, liberales artes ipſamque totius vitæ Magiſtram ſectatus Philoſophiam, denique altiſſimæ Theologiæ ediſcendis arcanis totum ſe tradidit. Quibus in rebus cum reliquis doctiſſimis Viris præſtare videretur, ad Ciſtertienſes Monachos ſeſe contulit, atque in Monaſterio Morimundi cum aliis quindecim electiſſimis Clericis profeſſus regularem induit diſciplinam, ſtatimque eorum aſſequi magiſterium meruit, quorum ante diſcipulus fuerat, & in Monaſterio Morimundenſi Abbas ordinatur. In quo multa laudatiſſimæ ſuæ converſationis documenta relinquens, ad Eccleſiam Friſingenſem invitus vocatus Pontificem clariſſimum geſſit, diſtracta prædia vendicavit, ædificia reſtituit, religionem, quæ pene interierat, in priorem erexit formam, tantaque Eccleſiæ illi bona contulit, ut Fundator ejus magis quam inſtaurator putaretur. Hic cum Imperatore Conrado Suevo ejus nominis Secundo in Græciam Syriamque profectus bellis omnibus interfuit, quæ cum Turcis Saracenisque ſeu ſecunda ſeu adverſa geſta ſunt, conſilioque & armis rem Chriſtianam juvit. Vidit Jeroſolimam & ſacram Domini tumbam Salvatoris, ipſeque in Jordane lavari meruit: neque in tot curis totque laboribus ſtudia litterarum neglexit, in otio negotium, in negotio otium ſectatus. Hiſtoriam namque ab ortu Mundi usque in ſua tempora non inutilem deduxit, atque in octo digeſſit libros, quorum ſeptem magnam Germanicarum rerum notitiam reddunt, octavus ſupernam Chriſti civitatem pulchre periteque figurat. Eccleſiarum cauſas, pupillos viduasque, & omne oppreſſorum genus hominum apud Imperiale tribunal indefeſſe tutatus eſt. Demum ſe contulit ad Concilium Ciſtertienſis Ordinis, quod Morimundi agebatur: ubi morbo preſſus, convocatis ad ſe in cubiculum Monachis, plura de bono religionis, de immortalitate animæ, de pœna damnatorum, de gloria Salvatorum graviter & ſapienter locutus, ad extremum ſuſceptis Eccleſiaſticis Sacramentis, in habitu Monachali, quem ſemper gerebat, animam Creatori reddidit, & ibidem traditur ſepulturæ. Cujus probatam vitam præceſſiſſe mira, quæ ad ipſius ſepulchrum (ut fratres aſſerunt) miracula, quæ Deus operatur, teſtantur. Sextus vero Conradus nomine, qui adultus Patavienſis Eccleſiæ Pontificatum adeptus, Clero & populo carus fuit. Deinde, evolutis nonnullis annis, Eberhardo Epiſcopo Salczeburgenſi, ſanctæ memoriæ Alexandri Tertii tempore mortuo, in primum [1] Archiepiſcopum Salczeburgenſem promotus eſt. Ubi poſt multas tribulationes propter præfatum Alexandrum III, quem colebat, ab Imperatore Friderico Primo eidem illatas, Domino noſtro Jeſu Chriſto illum vocante, de medio ſublatus eſt, & in Cœnobio Admontenſi in pace ſepultus.

Hic igitur ſanctæ memoriæ Pius LEOPOLDUS ex utero matris in lucem editus, & in ſacro baptismatis fonte renatus, ac deinde ſacri chrismatis Sacramento devotiſſime confirmatus, etſi pueriles annos ageret; meritis tamen ſenectutem ſemper gerere viſus eſt. Primisque litteris ex more imbutus, adoleſcens factus ſuæ pietatis ac ſanctimoniæ ſemper publicum perhibuit teſtimonium, carens vitiis, quibus illa ætas maculari conſuevit. Verbum malum de ore ejus nunquam auditum eſt, mentiri atque jurare lingua ejus prorſus ignoravit, animum ejus adverſus vitia erectum nunquam ſuperbia extulit, avaritia inflexit, aut ira in furorem præcipitavit: ſed in omni ejus opere & ſermone quieta mens & placida ſervata eſt, ita ut ſemper cogitationibus ſuis Dei præſentia occurriſſe videatur. Erga pauperes miſericors, Eccleſias ſæpiſſime devote viſitans, Eccleſiaſticos & Religioſos in maxima reverentia proſequens, peregrinis adjutoria adminiſtrans, miſerabilibusque viduis ac pupillis ſæpe aſſiſtens, nunquam requiſitus in adjutorium oppreſſorum ſe retrahens, ita ut omnis populus illius bonitatem, vitæ ſanctimoniam, moresque caſtiſſimos admiraretur. Virilibus dehinc annis ſubſecutis, Divinæ benedictioni inſerviens ad matrimonii Sacramentum, quod ad humani generis propaginem ſuperna benedictione inſtitutum extitit, convolavit, Agnetemque mulierem caſtiſſimam & nobiliſſimam, Henrici Quarti Romanorum Imperatoris filiam prænominatam, Divino nutu ſibi ſacro matrimonio copulavit anno Domini MCVI. ſervans continentiam laudabilemque caſtimoniam, ante oculos ſemper habens, matri-

[1] ita cod. MS.

monium magnum esse in Deo & Ecclesia Sacramentum, juxta Apostolum ad Corinthios 2. In quo fides thori conjugalis & proles verum testimonium Divini nutus perhibent, de quibus *in C. Per Venerabil. quod si. sint legi.* & XXVII. *q.* 2. *Omnis itaque*, & XXXII. *q.* 1. *Non enim.* Perseverantes enim in eadem fide & castimonia usque ad extremum vitæ exitum, & sicut in vita unus spiritus & una caro fuisse noscuntur; ita & morientes alter ad latus alterius consepeliri voluit, prius tamen solemni præmissa pœnitentia cum vera cordis contritione, oris confessione & operis satisfactione, & omnibus signis veræ pœnitentiæ in illis concurrentibus, pectoris scilicet contusione, lacrimarum emissione, & Christi nominis assidua invocatione, extremam pariter sacram unctionem & animæ commendationem salubriter ac devote consecuti, more non solum Christianissimi atque fidelissimi servi Dei, sed etiam cujusque utique sanctissimi atque beatissimi. In quorum cujuslibet obitus die eorum sepulchra a circumvicinis populis singulis annis visitari consuevere, illisque per manus Canonicorum Regularium ejus Monasterii Neuburgensis, in quo consepulti jacent, magnæ & laudabiles eleemosinæ singulis advenientibus distribui hilariter consuevere, panis utique atque vini, nec non & carnium, si dies illa in diem, quo carnibus vescimur, incidit.

Mortuus igitur est Pius LEOPOLDUS, currentibus annis Domini MCXXXVI. die XV. mensis Novembris. Qui sicut cum cunctorum hominum in partibus [1] conversantium gratia & benivolentia admirabili semper vixerat; ita moriens cunctos mœstos non mediocriter dereliquit, peramplius que dolore non vulgari plurimoque luctu patria illa se desolatam prorsus deputasset, nisi Miraculorum coruscatio, & proles magnis virtutibus & gratiis illustrata illi successisset. Mortuus igitur in Domino, beatus existimandus est, juxta Evangelistam in Apocalypsi dicentem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, & Prophetam psalmo centesimo quinto decimo: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Impossibile namque est, bene vivere, & male mori: quia etsi cecideritJustus, Deus supponet manum suam, & dicitur vulgo, Nunquam visum pium hominem male finire, & concordat Augustinus lib. 1. De Civ. Dei, dicens; *Mors mala putanda non est, quam bona vita præcesserit.* Quod etiam confirmat Prosper. Hinc dicitur in Ecclesiastico: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Cui Deus per miraculum veli conjugis suæ revelavit locum beneplacitum pro Monasterio ædificando, ut statim dicetur: in cujus rei testimonium extant litteræ consolatoriæ sanctæ memoriæ Innocentii Secundi, quarum prima ad Agnetem uxorem & filios dirigitur tenoris infra scripti.

Innocentius Episcopus &c. Dilectæ in Christo filiæ Agneti uxori quondam Leopoldi Marchionis, & filiis ejus salutem &c. Audita morte nobilis Viri Leopoldi mariti tui, humanitatis ratione tanto amplius condoluimus, quanto ipsum utpote Beato Petro nobisque devotum in vita sua affectione paterna di-

[1] *deest in Cod.* illis.

leximus. De cujus nimirum obitu certitudine habita, eidem auctoritate Apostolica absolutionem fecimus, & pro animæ suæ remedio in nostris orationibus Dominum deprecamur. Proinde Nobilitatem Vestram Apostolicis litteris visitantes rogando mandamus, ut pro eo, quod tam de probo Viro Divina providentia factum est, dolorem super dolorem, tristitiam super tristitiam non addatis, sed potius tam mater erga filios, quam filii erga matrem omnimodam dilectionem atque reverentiam studeant adhibere, & in pace & concordia vivere &c. Nec mirum, si idem sanctæ memoriæ Innocentius Secundus illum mortuum absolvit: Cum Papæ, in potestatis clavium virtute, concessum sit etiam mortuos absolvere, & in sacris Canonibus legatur, Ecclesiam etiam mortuos absolvisse, ut patet XXI. V. *q.* 2. *C. Sane profertur*, & in Canone Innocentii III. videlicet *in C. A nobis vers. Nec obstat. de Sen. ex.* Est enim Judex Romanus Pontifex vivorum & mortuorum, quinimmo & Angelorum, cum dicat Apostolus ad Corin. 2. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus* &c. ut patet *in C. Per Venerabilem, qui fi. sint le.* IV.

Ipsius etiam Pii LEOPOLDI vitæ sanctimonia ex eo manifestissime comprobatur, quod cum ejus studium summaque diligentia semper versaretur, ut magnam sui patrimonii partem in pios usus dispensaret, intenderet Religiosorum Solemnia Monasteria tum destituta reparare, tum etiam de novo ædificare; a Deo omnipotente obtinuit sibi locum revelari pro ædificando Monasterio opportunum, ac ipsi Deo Optimo Maximo beneplacitum & gratum. Legitur namque in Cronicis autenticis, quod cum ob honorem Dei & animarum salutem ecclesiam construere & dotare decrevisset, & locum pro construenda ecclesia Deo placitum scire ex aliquo Divino indicio affectasset; statim sub quieto ac tranquillo aëre surgens ventus validus, flammeolum capiti præfatæ Agnetis avellens, in longinquum suo impetu portavit. Deinde elapsis novem annis; Marchio prædictus venationis actum exercens, flammeolum capiti suæ conjugis avulsum (ut prædicitur) super frutice sambuci invenit integrum & illæsum. Quod ut bonorum credulus pro Divino indicio loci construendæ ecclesiæ grataner accepit locumque pro ædificio ecclesiæ disponi fecit: ubi hodie ecclesia Neuburgæ-Claustralis jugi Divinorum cultu per Regulares Canonicos frequentatur &c. Ex eo etiam eadem Pii LEOPOLDI sanctimonia maxime illustratur, quod dum ageret in humanis, solemne Monasterium Beatæ Mariæ Virginis sub Ordine Canonicorum Regularium B. Augustini, quod usque in hodierna tempora famosum atque glorioſum super cuncta illius patriæ Monasteria in laudabili observantia perseverat, [1], donans illi magnam sui patrimonii partem: cujus rei testimonium perhibent irrefragabiles litteræ autenticæ dotationis illius, quarum tenor subsequitur in hæc verba.

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. LEOPOLDUS *nobilis Marchio Orientalis, Fundator ecclesiæ Neuburgensis. Quoniam negotiis secula-*

[1] *deest in Cod.* constituerit, *aut hujusmodi.*

ribus

ribus impediti, Deo per nos ad ſummum placere nequimus, eos, quos ipſi placitos & maxime mundialibus ſtudiis exemptos probamus, diligere, congregare, confovere, ac modis omnibus eorum quieti providere debemus operam dare: hoc enim modo fit, ut & præſentis nobis vitæ incolumitas, temporum tranquillitas, pacis ac omnimodæ ſalutis proſperitas arrideat nobis, & quæ ipſis in futuro ſunt in Cælis repoſita, non usquequaque privabimur bonis. Igitur ego LEOPOLDUS *Marchio Orientalis cum nobiliſſima conjuge Agnete, cum unanimi omnium filiorum & filiarum noſtrarum conſenſione, omnium quorumcunque mortalium ſopita contradictione, Segefridum & Prunricum, qui tunc præſentes erant, cum omni familia & poſſeſſionibus, quas vel ipſi vel alii fideles tradiderant, cum Davidica devotione in ſimplicitate cordis mei lætus univerſa Deo & eccleſiæ Neuburgenſi (quam ipſe in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ fundavi) obtuli, ut fratribus ſub regula S. Auguſtini Chriſto ſervientibus in perpetuum deſerviant. In qua traditione ſemel, bis, terque omnibus libera facultas [1] eſt requirendi, ſiquid ſui quisquam juris recogноſceret in omnibus his, quæ oblata ſunt. Sed nec vir nec mulier, qui quid contradiceret inveniri potuerunt. Proinde in conſecratione ejusdem Baſilicæ Domino Conrado Salczeburgenſi Archiepiſcopo, & Regimaro Patavienſi noſtro Diœceſano, & Romano Gurcenſi Epiſcopo cum Clero & populo, qui ea die in infinitum confluxerant, notificavi, quod locum prædictum cum poſſeſſionibus ſuis Sancto Petro & Beato Innocentio Apoſtolico ipſe obtuleram per manum Volframi nobilis Viri de Pubenkirchen. Quo legato in Piſenſem Synodum veniente, & coram Epiſcopis quinquaginta ſex delegata delegante, Beatus Apoſtolicus in liberam defenſionem prædictam eccleſiam ſuſcepit, & omnium unanimi Epiſcoporum qui aderant banno & ſubſcriptione confirmatum pro libertate loci ejusdem nobis remiſit privilegium, quod etiam coram frequentia totius populi recitari feci. Huic rei teſtificantur Comites & quique Nobiles Orientalis Regionis, Ottakarus Marchio Stirienſis, Dietricus Griſanſtaine, Conradus de Pilſteine, Gebhardus de Pingen cum fratre Adalberto, & filio Herimanno, Luitoldus de Plegen & filius ejus Luitoldus, Egkebertus de Putonen, Sigehardus & Gebehardus de Purchenſen [2] Comites; Adalramus cum fratre Adalberto de Pergen, Otto de Lengenpach, & Hartuicus, Haidenricus quoque fratres ejus, Walcherus de Sancto-Andrea cum fratribus ſuis Adelramo de Epinperge, Hertnico de Rudinche, Erneſto de Trieſmo, Otto & frater ejus Walchun de Machlande, Henricus de Simannigen, Rudolphus de Peckae. His itaque geſtis in talem ſententiam prædicti Pontifices aſſurgunt, poſſeſſiones huic traditæ eccleſiæ Apoſtolico privilegio communitæ ſunt. Dominus enim noſter Apoſtolicus omnem invaſorem & raptorem hujus ſubſtantiæ anathemate damnavit. Vos quoque pauperes Chriſti regulam S. Auguſtini abſque proprietate ſequentes, quietos ad Dei laudes eſſe volumus: & ideo Domini Apoſtolici ſententiam ſectantes, & quod cœpit perficientes, omnem invaſorem & raptorem a Domo Dei, quæ eſt Eccleſia ejus, perpetuo anathemate ſeparamus, qui de vita eorum demere quidquam vel mutare aut ſubſtantias eorum invadere vel diripere præſumpſerit, a die qua Ordo illorum in generali Synodo Apoſtolico privilegio munitus, & poſſeſſio auctoritate ſummi Pontificis eſt defenſata. Ad confirmationem omnium, quæ vel dicta vel geſta ſunt in hoc ſolemni negotio, hanc cartam proprio placuit inſigniri ſigillo; anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti* MCXXXVI. *Indict.* XV. III. *Kal. Octobris in Chriſto feliciter acta ſunt.*

Per quæ omnia ſatis evidenter apparet, Deum altiſſimum magnam gloriam cum illo feciſſe; ut ſic merito inter Sanctos & Electos Dei debeat annumerari ac publice venerari.

SEXTUM.

Circa ſextum, videlicet circa *concurſum omnium requiſitorum*, dico ſecundum communiter tam Theologos, quam Canoniſtas, illum poſſe ac debere canoniſari, qui in ſingulis virtutibus excellit, ſeu excellentiam habet; conſiderato tamen illius qualitate, nec non ſtatu & gradu. Excellere autem dicendus eſt Princeps magnus, qui in magna peccandi licentia non peccavit, ſicuti Pius noſter Marchio LEOPOLDUS. Simile adducunt Doctores de clauſtrali Religioſo, qui non poteſt in elemoſinis & aliis actibus caritatis ſeu miſericordiæ libere ſe & univerſaliter exercere; & idem de heremitis, qui nullam moleſtiam malorum hominum paſſi ſunt. Nam licet in actibus hujusmodi probari non poſſint, excellentiam habuiſſe, aut in perſecutionibus patientiam propter Deum, eo quod materiam ad hoc ſuppoſitam non haberent: & tamen Sancti dicti ſunt 2. *q.* 7. *Sancta*: neque Monialis clauſtralis, ut XXI. *q. Vidua*, & *C. Sanctimonialis*, ut habetur in *C. Johannes de Regu.* Sic etiam dicendum dico de Pio LEOPOLDO noſtro, de cujus Canoniſatione agimus, qui ſecundum gradum atque ſtatum ſuum negari non poteſt, in pietate, juſtitia, multa patientia, longanimitate, pudicitia, caſtitate, humilitate, ſobrietate, prudentia, manſuetudine, caritate, liberalitate, reliquisque omnibus virtutibus magnam ſuper excellentiam habuiſſe, juxta notam collectarii in *C.* 1. *De Reli. & Ven. Sanct.* Et ita debet intelligi nota Innocentii ibidem, dum dicit fore neceſſarium, quod Canoniſandus fuerit glorioſus non in uno, ſed in pluribus, non ſemel, ſed pluries, ut patet in §. *Quærendum de Pœni. Di.* 2. Ubi dicitur, quod Sanctus manet ſemper, ut poſſit habere virtutes: cum poſſit eſſe terrenarum rerum deſertor, aut Deo tota mente & cordis deſiderio adhærens, ut probatur *De Pœni. Di.* 2. §. *Hæc quæ de caritate in fin.* Ideo ſubdit non fore neceſſarium, quod nunquam peccaverit qui petitur Canoniſari, ut probatur *De Pœnit. Di.* 1. *C. Et venit*, & *in dicto* §. *Quærendum De Pœn. Di.* 2. & per S. Thomam 2. 2. De contemptu juſtitiæ, & *C. Quart. quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his ſcilicet, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti De Pœn. Di.* 2. *C. Sed talibus.* Juſtus enim non cadit, ut juſti vocabulum amittat *De Pœn. Di.* 4. §. *Quod autem*: & ſi cadit, fortius poſtea ſurgit *L. Di. C. Conſiderandum cum ſequenti*, virtute ſcilicet pœnitentiæ Sacramentalis, quæ

[1] *ſupple* data. [2] *leg.* Purchuſen *ſeu* Purchauſen.

est secunda tabula post naufragium: sufficit enim sibi innocentia reparata, sicut & innocentia quoad mortale peccatum, originale, aut propter id quod legitur in Johannis epistola prima: *Si dicimus, quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est, & Prov. 4. Septies enim in die cadit Justus, ac resurgit.* Quod etiam sentit Dominus Ægidius de Bellemera in *D. c. 1. de Reli. & Ven. Sanct.* Sunt namque tria, quæ Sanctum faciunt, scilicet cordis munditia, Spiritus sancti præsentia, bonorum operum affluentia, secundum Chrysostomum. Satis est etiam secundum Innocentium & Johannem And. & alios ibidem, quod in eo, qui canonisatur, concurrant ea, quæ habentur Eccl. 44. C. ubi dicitur: *Laudemus Viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus sua magnificentia a seculo in potentatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi*[1] *sunt* &c. ostendens, quod canonisati erant, & quod de canonisatis loquebatur: quia alias non mandaretur Ecclesiæ, quod eos laudaret. Item quod canonisandus est, qui fidem habuit, quæ præ cæteris virtutibus in miraculis operatur, ut patet Matth. 17. ubi dicitur: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis monti huic, Transi, & transibit.* Et licet multam gloriam videatur requirere, & non sufficere, quod in uno fuerit gloriosus; satis tamen est, quod omnis vita canonisandi fuerit habita gloriosa ex sua magna potentia, seu ex suis magnis factis bonam vitam semper continuantibus, fidem vero habentibus cum bonorum operum exercitio, quæ alias sine operibus mortua est, ut in epistola Jacobi c. 2. & hoc per maxime succedentibus miraculis: quia Deus non potest esse testis falsitatis. De quo sicut de Pio LEOPOLDO nostro dici non potest, quod ad honores mundi sine temporum suffragio & merito indigne pervenerit, de quo prior vita testimonium perhibet pro laboribus multis, pro moribus castis, nec non pro strenuis actibus; juxta id, quod statuit Leo Papa in *C. mirandum 61. Di.* Quia dona Spiritus Sancti non omnia simul omnibus dantur, sed singula singulis, juxta Paulum 1. ad Cor. 4. c. Propterea dico sufficere, quod per aliqua indicia Sanctitas Tua possit existimare veritatem Sanctitatis vitæ illius, qui est pro sancto venerandus aut canonisandus. Ubi veritas fidei perverti non haberet, sed magis confirmari, ampliari & illustrari; & mandatum Ecclesiæ non contemni, sed magis observari; neque novos ritus mundi vivendi introduci, sed introductos sanctissime conservari; aut caritas proximi non sperni, sed in dies augeri, & peccatum accusatione dignum ex toto conatu vitari, ut ejus exemplo cæteri proficere possint. Qui verbum Dei delectabiliter audivit, nec de bonis operibus gloriam quæsivit, sed omnia ad laudem Dei retulit, & cujus vitæ Sanctitas ad aliorum informationem utilis fuit, tam in vita quam post mortem, eo quod fideles Ecclesiæ ejus sanctitatis patrocinio gratias & dona multa perceperint. A fructibus namque sanctorum hominum docuit Dominus cognoscendam sanctitatem, cum scilicet abstinent a malo, & faciunt quod bonum est: sive fructus hujusmodi sancti probentur in occulto, sive in manifesto, velut gloriam mundi non quærere, vel ut creator in creatura laudaretur. Nam secundum Augustinum, laudatur Deus in Sanctis suis, pro eo quia quod faciunt, eorum merito aut bonitate non habent, sed Dei misericordia & pietate. Quod amplius declarat Augustinus de Anc. *li. C. De Ecclesiastica potestate q. 15. ar. 2.* Tho. autem super psalmo 34. dicit, quod sanctitas consistit in tribus, scilicet carnis maceratione, Spiritus devotione, & affectus pietate; sed in 2. 2. 81. dicit, quod ad sanctitatem duo sunt necessaria, per quæ quis applicat mentem in Deo, scilicet munditia, & firmitas. Amplius hoc declarans super Job dicit, quod Sanctus quilibet habet aliquam præeminentiam secundum aliquem specialem usum virtutis, & quod sanctitas ab omni immunditia est libera, & perfecta & immaculata munditia, & proprie dicitur per respectum ad Deum, scilicet cum homo servat justa quoad Deum, juxta Paulum ad Rom. 12. Dicit etiam alibi, quod triplex gradus munditiæ requiritur ad sanctitatem, scilicet libertas ab immunditia &c. Secundum autem omnium prædictorum sententias negari non potest, Pium LEOPOLDUM nostrum tanta virtutum omnium excellentia claruisse, quod merito canonisari valeat atque debeat. Siquidem ejus pietas, justitia, prudentia, castimonia, humilitas, pudicitia, mansuetudo, & multiplex in eo mirabilis gratia divinitus sibi collata consideretur. Ex quibus etiam negari non potest, multam gloriam divinitus cum eo factam sibique & posteris multiplicem divinitus gratiam collatam, & præcipue prolem & genus fæcundissimum ac illustrissimum, status maximum augmentum & felicem conservationem usque ad moderna tempora, cui post quamplures alios Romanorum Reges & Imperatores adhuc superesse dinoscitur Serenissimus Fridericus Tertius Romanorum Imperator semper Augustus, Illustrissimus filius ejus Maximilianus cum Philippo filio Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ &c. Archiducibus, cum nepte nuper Delphino Christianissimi Francorum Regis filio desponsata, nec non Kunigundi ejus generosissima & omni virtute præpollente filia virgine superillustrissima, potentissimusque Princeps Sigismundus Austriæ &c. Archidux, Illustrissima ac fæcundissima Regina Poloniæ; nec non & Illustres Ducissa Saxoniæ, & Marchionissa Badensis, ipsius Serenissimi Imperatoris sorores. O felix genus, quod non tantum ad tertiam aut quartam generationem extensum est, sed decimam & ulteriorem ac pene perpetuam: cujus Dominio universa fere Germania convicinaque regna ac Dominia pleno jure subjiciuntur.

Coadjuvat multum hæc omnia populorum testimonium, per notata 24. *Di. C. Quando Episcopus*; & per S. Thomam 2. 2. De contemptu justitiæ *C. ad quartum*, & per Dominum Ægidium de Bellemera in *D. C. 1. De Reli & Ven. Sanct.* Qui volunt sufficere innocentiam reparatam per Sacramentum pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium. Facit ad hoc *C. consideran-*

[1] *l.* præditi.

randum cum sequen. L. Di. ubi patet, quod lapsi A fortius surgunt. Est enim difficile inter Sanctum & non Sanctum posse discernere, juxta Apostolum 1. ad Cor. 4. c. ibi: Alii discretio Spirituum &c. Et ideo sufficit per aliqua indicia Sanctitatem Tuam existimare posse Sanctitatem vitæ illius, qui est pro Sancto venerandus aut canonisandus. Et sic debet intelligi auctoritas Leonis Papæ, de qua in dicto *C. Miramur. 61. Di.* dummodo veritas fidei non pervertatur, sed magis confirmetur, amplietur & illustretur, & mandatum Ecclesiæ non contemnatur, sed magis observetur. Item dummodo novus ritus vivendi non introducatur, sed introductus sanctissime conservetur, & per eum caritas proximi non spernatur, sed in dies augeatur, & peccatum accusatione dignum ex toto conatu vitetur; ut ejus exemplo cæteri possint proficere, B & verbum Dei delectabiliter audiatur atque doceatur, nec ex bonis operibus gloria mundi quæratur, sed omnia ad laudem Dei omnipotentis referantur. Ex quo igitur ejus vitæ sanctitas utilis fuit ad aliorum informationem, quin immo etiam post mortem, & fideles Ecclesiæ ejus patrocinio multa perceperunt, & sic Deus multam gloriam cum eo fecisse affirmari intrepide debeat; censendum est satisfactum fore auctoritatibus superius deductis & a fructibus ejus judicandam esse ipsius Pii LEOPOLDI veram sanctitatem, abstinentis scilicet a malo, & facientis quod bonum est, juxta verbum veritatis, de quo Matth. 7.

SEPTIMUM. C

Circa septimum, videlicet circa famam celebrem ejus Pii LEOPOLDI, & gloriosam, inveteratam & perseverantem, quo secundum Poëtam

..... non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Quæ quidem est communis opinio, & æstimatur publica vox, & firma credulitas, ut *no. in L. 1. C. De Infamib.* & in *Authen. De Test.* §. *Sancimus*, & per Archi. *C. fin. de Pactis lib. 6. Facit. L. Quisquis C. de Postulando L. Eos*, & *L. Quoniam C. de Appella.* Dico similiter præcipue attendendum, Pium LEOPOLDUM, de cujus canonisatione agitur, dici posse ac debere fama super æthera notum, fama equidem ex bonis moribus formata, ut in *Authen. de hære. & fal. in 5. Si vero absunt*, quæ D quidem fama pro veritate est habenda *L. 1. ff. de Petit. hære.* & dici posset, quod prævalere debet veritati, per *L. Vulgaris in §. Si is qui ff. de Furtis.* Quoniam temere fama nasci non solet, quin subsit aliquid, ut ait Cicero in Rhetorica nova. Et quia qualis [1] vere vita hominum, talis est fama, maxime quando nequaquam obscurior annis multis subsequentibus est facta, & a bonis & gravibus ac populis quamplurimis opinione publica fundata perseverat, per *L. 2. C. Si servus aut liber ad libertatem aspiret lib. 10.* & in *C. Litteris de Testi.* præcipue etiam quando ex quamplurimis coadunata, non autem nuda aut simplex: de qua quidem fama nuda loquitur Seneca in Tragædiis, dicens: *Contemne famam, fama vix vero favet*, per *L. 3. in §. 1. ff. de Testi. & C. Præterea cum quis de Restit. Spoli.* ibi. Fama consentiens, quoniam tunc facta, non famam spectare oporteret, secundum eundem Ciceronem in eadem Rhetorica nova. Et quidquid sit de fama viventis, semper fama defuncti conservanda est, & præcipue perseverata, & potius adaucta quam diminuta; per *L. Primo gradu. ff. Quæ in fraudem credito.* Nam tunc fama vere quædam clara laudis notitia dicenda est, secundum Ægidium de Regimine Principum cap. 9. ex eo, quod civitates & loca totius patriæ Austriæ, & major pars convicinarum provinciarum illam servant & clamant, juxta notam Archi. 35. *q. 6. Si duo*, & quod habetur per S. Thomam 2. 2. *in tract. de Restitu. §. secundum.* Et licet Apostolus ad Philipp. 2. admoneat, sufficere nos currere inter infamiam & bonam famam, de quo 6. *q. 1. C. sunt plures;* magis tamen delectari debemus in bona fama, tam proximorum quam propria, & in illius bono odore quam infamia ut in *C. licet in Beato Petro de accu. Versi. propterea;* concluditur prævalere debere testes super bona fama reliquis testibus deponentibus super infamia, cæteris paribus, de quo per Joh. And. in *C. Cum oporteat de accusatio.* & per Speculatorem, *De Inquisitione §. Nunc tractemus, versi. Quid si plures*, & per Liutoldum in *L. De Minore §. Tormenta. ff. De Quæsti.* & Bald. in *L. Sacrosanct. C. de Episcop. & Cleri.* & in *L. Qui accusare. C. de edendo.* in *L. Admonendi. ff. De Jurejuran. no. in C. Cum in tua de Spon.*

Insuper attendendum est ad verba Jeronimi, de quibus in *C. Siquis hominem* 11. *q. 3.* Quod *qui Sanctus non est, secundum famam & opera, quæ ostendit, siquis eum sanctum esse crediderit, & eum Dei junxerit societati; Christum violat, cujus membra sumus.* Et hinc est, quod ex processu & actis in hoc negotio solemniter celebratis maximum factum est fundamentum, non tantum in multiplicibus piis operibus ejus Beati LEOPOLDI, quantum etiam in ejus celebri gloriosaque fama diuturne continuata ac perseverante; ut sic & ad hujusmodi canonisationem instanter petitam sufficientissime suffragetur, & ad reliqua omnia; ad quæ hominis fama suffragari consuevit, quæ dici consueverunt esse tria. Primo quia ex bona fama redditur quis idoneus ad exequendum opera virtuosa, juxta illud Ecclesiastici 41. *Curam habeas de bona fama & bono nomine, hæc enim magis permanebit, quam multi thesauri magni & pretiosi.* Item quia propter conservationem bonæ famæ homo abstinet a peccatis, cujus signum est, quia quando homo videt se famam perdidisse, frontem meretricis postmodum facit, pro nihilo reputans peccata, juxta illud Jeronimi [2]: *Et frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere:* qui etiam super Matthæum ait: *corripiendus est frater seorsum, eo quod si semel pudorem vel verecundiam amiserit, non corrigitur, sed remanet in peccato.* Item ne & ipse & alii de ordine suo contemnantur, sed venerentur, juxta Augustinum in epistola ad populum Hipponensem, & super illud Psalmi: *Quæ, super me insultant, qui sedebant in porta.* In

[1] *f.* fere.

[2] *deest in MS.* in Jeremiam cap. 3.

maximis tamen negotiis non ſemper famæ ſtandum eſſet, quæ a populo vel turba ſumeret initium; ſed tunc neceſſarium foret teſtimonium majorum, qui ſunt ſanioris conſilii veriorisque judicii, prout in caſu noſtro, in quo concurrit etiam fama initiata tam a Principibus eccleſiaſticis quam ſæcularibus, ut dicit Gloſſa ſuper Exodum 23. c. maxime quando ex bona fama non quæritur favor vel amicitia mundi in malum proximi, ſed potius in bonum, & in devotionis augmentum: quia dilectus a Deo, & ab hominibus diligitur, etſi non per operis imitationem, ſaltem propter Divinæ gratiæ manifeſtationem, juxta illud 2. Petri c. 2. *Qui aſpectu atque auditu Sanctus erat, habitans tamen apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.* Cauſata namque eſt fama hujusmodi ſicut & aliorum Sanctorum, quorum bona extrinſeca & intrinſeca procreanda ſunt. Nam juxta Apoſtolum, *Providenda ſunt bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Et hæc eſt ſententia Auguſtini de Ancona in libro de Eccleſiaſtica poteſtate *q.* 15. *art.* 3.

Attendendum eſt etiam in caſu noſtro, quod fama hujusmodi nedum in vita, ſed etiam poſt mortem ad hæc usque tempora ſemper perſeveravit Spiritus Sancti miniſterio, per ea quæ in ſuperioribus ſæpius dicta ſunt, maxime quia ſingularis fuit, & eſt in eo, & non in aliis Ducibus atque Principibus tam præclari atque inclyti generis ſui, quam etiam totius Germaniæ. Unde vana dici non poteſt, ſed Dei nutu præſervata, ut *L. Decurionum C. de Pœn.* & quia in juris præſumptione & probatiſſimis argumentis fundata, juxta *L. Merito. ff. Proſocio. C. Dudum,* & *C. penult. de Præſumpt.* & *C. unicum. de Scruti.* Concludendum eſt ergo celebrem hujusmodi famam, vehementiſſime ad canoniſationem hujusmodi attinendam adminiculari, ipſique Beato LEOPOLDO præſenti teſtificatione prædicatum fore, eundemque bonæ famæ præconiis illuſtratum 12. *q.* 2. *Quatuor.* Cujus bona opera Principes & populi videntes glorificant Patrem, qui in cælis eſt: accendit enim lucernam ſuper candelabrum, & non ſub modio juxta Evangelica monita. Ex his infertur, famam defuncti hujus nedum conſervandam, ſed augmentandam fore *L. Primo gradu. ff. de his qui in frau. credi.* Et vere crudelis dicenda foret Imperialis Majeſtas, & omnis inclyta Domus Auſtriæ, ſi famam ſuam domusque ſuæ atque progenitorum negligeret 12. *q.* 2. *Noli.* Et licet miſerum dicatur *alienæ incumbere famæ, & quod genus & proavos, & quæ dedere parentes, vix ea noſtra* vocent Poetæ; tamen & noſtra atque progenitorum ad inclytæ Domus Auſtriæ gloriam perpetuam atque communem, & Dei omnipotentis laudem, & proximorum ſalutem non eſt prodigaliter omittenda, cum prodigus eſſe dicatur, etiam propriam bonam famam contemnens *L. 1. in fin. C. De his qui in poten.* & *C. fin. De Accu.* & permaxime cum fama eſt antiqua & celebriter perſeverans. Fama namque in factis antiquis facit plenam probationem, & dicuntur facta antiqua poſt 30. aut 40. annos, ſicut eſt in caſu noſtro.

Item in non antiquis, quando res non eſt de facili probabilis, ſi adſunt alia vehementia adminicula, ſicut etiam in his, quæ ſunt levis aut leviſſimi præjudicii, ſecundum Doctor. *in C. Veniens de Teſti.* & patet in Deciſionibus Rotæ 123. in fi. & idem ubi ſufficit præſumptio ſecundum Doctor. in *C. Veſtra de Coha. Cle. & miulie.* De quo per Baldum in *L. Conventiculam in fin. C. de Ep. & Cle.* & in *L. 1. C. de Sen. Quæ pro eo quod intereſt,* & in *L. Proprietatis C. de Proba.* ubi tractat de probando antiquo dominio Regum & civitatum. Certum eſt etiam, ſufficere famam fuiſſe probatam ex auditu ab honeſtis perſonis, ſecundum Doctor. in dicto *C. cum oporteat de Accuſa.* & *C. Qualiter & quando & C. licet,* & per modernos in *C. Super hoc de Renun.* & per Bar. *in L. De more. §. Tormenta. ff. de Quæſti.* habetur in *C. Veniens,* & in *C. Tam litteris de Teſti.* & in *L. Admonendi de Jurejuran.* & per Bal. *in L. 3. ff. de Excuſa. tu. in Authen. Rogati C. de Teſti.* & *in L. Si ex cautione C. de non. nu. pecu.* Certum eſt autem, famam Pii LEOPOLDI noſtri ortum habuiſſe celebrem, atque continuationem ac perſeverantiam usque in hæc tempora, nedum ab honeſtis, ſed honeſtiſſimis atque dignisſimis perſonis, tam eccleſiaſticis quam temporalibus, ac autenticis litteris, cronicis aliisque ſcripturis, ut evidentiſſime patet ex proceſſibus ſuper hujusmodi negotio canonice celebratis. Et talem utique famæ perſeverantiam, quæ ſonat clamorem & notorium Geneſis c. 7. in Hiſtoria Scholaſtica *C. Invidens itaque de Accu. C. Evidentia,* & *C. Qualiter & quando,* & *C. Cum dilectus. & C. fin. de Collu. deteg.* Et eſt clamor iſte interiæ devotionis, ut in pſalmo, *Clamavi in toto corde meo,* & per Apoſt. ad Rom. 8. c. ut docet Archi. 7. *q.* 1. *C. Adverſitas.* Et talis utique fama ſeu vox populi, quæ dicenda eſt vox Dei, quæ attendenda eſt in ſimilibus, *Archi in L. 1. ff. de fluminibus,* & in *L. Cum de lanion. §. Aſinam. ff. de fundo inſtruct.* & *de purgatione vulgari per totum,* & *no. in C. Nonnulli de Reſcrip.* Inde Ovidius de Ponto: *Vulgus amicitias utilitate probat,* no. in *Cle. paſtoralis v. cæterum de re judi.* Fama igitur hujusmodi ipſum glorioſum fecit, proinde glorioſus appellatus eſt: nam *gloria eſt frequens de aliqua re fama cum laude,* ſecundum Tullium in libro Rhetoric. licet Ambroſius dicat, quod *eſt clara cum laude notitia, & dicitur quaſi Claria,* ut patet per eum ad Rom. 1. cap. & per Thomam 2. 2. *de partibus obſervantiæ C. ad primum.* Ideo dicebat Paulus 1. ad Cor. 9. cap. *Expedit mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Facit ad hoc *L. 2. C. De his qui ſponte mune. ſuſce. lib.* 10.

OCTAVUM.

Circa Octavum fundamentum, videlicet circa *devotionem piam populorum ad ejus Reliquias ſemper excreſcentem,* dico breviter concludendum; quod Sedis Apoſtolicæ ac Religionis Chriſtianæ publice intereſt, quod apud omnes fides & devotio augeatur, ut docet Honorius Tertius in *C. Sane de Cele. Miſſ.* Propterea mandat ibidem Sacerdotibus, ut Euchariſtia in loco ſingulari, mundo & ſignato ſemper honorifice collocata devote ac legaliter conſervetur: & quod

Sa-

sacerdos frequenter plebem suam docere debeat, ut in celebratione Missarum dum Hostia elevatur salutaris, se reverenter inclinent, & dum ad infirmum portatur, decenti superposito habitu mundo velamine feratur, & deferatur manifeste ac honeste ante pectus cum omni reverentia & timore; semper lumine præcedente. Similiter & Innocentius III. mandat officium diurnum atque nocturnum studiose celebrari atque devote in *C. Dolentes eo. ti. de Celeb. Miss.* salva semper superstitiosa devotione, de qua in *C. Quidam eo. ti.* Similiter & de erronea, de qua in *C. 1. de Reli. & Ven. Sanct.* Sumitur autem devotio quoad actus exteriores, ut *no. per Joh. An. in C. 1. de Summa Trin. lib. 6.* & probatur in *C. Decet de Immun. Eccle. eod. lib.* Hinc est etiam, quod non prohibentur fieri repræsentationes de præsepi Domini, Herode & Magis, & qualiter Rachel plorabat filios suos, & reliqua quæ tangunt festivitates illas, de quibus habetur in *C. Cum decorem de vi & ho. Cle.* cum talia inducant potius homines ad compunctionem & devotionem, quam ad lasciviam & voluptatem, sicut in Pascha sepulchrum & alia repræsentantur ad devotionem spectando, & quod hæc possint fieri, est *Arg. in C. Semel. de Conse. di 2.* & *in C. Verum. v. fi. de Conse. Di. 4.* Sicut & quodlibet festum est signum & repræsentatio præteritarum rerum *75. Di.* Quod die Dominico, ut hæc *no. in C. D. Cum decorem.* Et hinc est etiam, quod, ut ex processibus in hujusmodi negotio celebratis apparet, sepulchrum ac reliquiæ ejusdem Beati LEOPOLDI semper honorifice ac reverenter & devote servata fuerunt, ac de præsenti servantur. In ambitu siquidem Monasterii sive Ecclesiæ Neuburgensis prædictæ situata est Capella in honorem Beati Nicolai constructa, pro loco Capitulari deputata, quinque porticus pro illius ingressu & egressu habens, & altaria quinque, videlicet duo a sinistris, tertium a dextris, quartum vero in choro ipsius Capellæ versus Orientem, cum quatuor columnis æqualibus pro testudinum sustentatione. In cujus quasi medio circa ingressum chori tumba ejusdem Beati LEOPOLDI ab ingredientibus cernitur manifeste, ubi sunt duo in latitudine & longitudine plurimum excellentes, & tertius rubei marmoris combinati lapides, quorum quilibet ex jam dictis duobus lapidibus circa medium eorum tumbam prædictam visitantium tactibus cum certis concavitatibus apparent, & tumba ipsa cancello ferreo circumdatur, super qua plurima candelabra ad affigendas cereas & alias candelas, quæ ad honorem Beati LEOPOLDI ex advenientium Christi fidelium devotione accensæ ibidem offeruntur. Ad cujus quidem tumbæ pedem quintum est altare situatum, ad caput vero ejusdem tumbæ versus chorum capellæ prædictæ quinque sunt lampades diu noctuque ardentes, retro vero & in dextera parte ejus tumbæ sub testudine permultæ imagines cereæ oblatæ, in signum beneficiorum per Christi fideles ibidem perceptorum, appensæ manent, nec non & plura sustentacula ibidem per claudos dimissa, qui ibidem sanitatem receperunt. Insuper in ejusdem chori introitu juxta latus dexterum in tabula A quadam pargamenea in optima littera scripta est oratio ad eundem Beatum LEOPOLDUM, sub his verbis.

O pie & benigne Marggravie LEOPOLDE, *Christianitatis lumen inextinguibile! O prudens cœlestium thesaurorum dispensator! O orphanorum pater! O afflictorum consolator! O mœstorum sublevator! O protector in tribulationibus positorum! Respice hodie meum desiderium; devotionem & orationem: quia certum indubitatumque est mihi ad Te refugium. Aperi aures Tuæ pietatis, quia (ut credo) potens es pro me intercedere apud Altissimum; ideo ad Te recurro, Te invoco, ut mihi succurras, gratiam impetres: nam ex meis demeritis & malis, quæ perpetravi, meam insufficientiam cognosco, & imbecillem ad impetrandum quod opto. Ergo piissime* LEOPOLDE, *Princeps & patriæ propugnator, exaudi me indignum famulum ad Te in necessitatibus maximis clamantem. Respice orbitatis meæ miserias, cum Tu multis vota sua in infirmitatibus atque angustiis directis succurristi: claudis gressum tribuens, cæcis lumen præbens, surdis auditum concedens, mutis loquelam donans. Quis etiam mortalium tua donaria valeret explicare? cum variis charismatibus sis a tuo Creatore adornatus, dotibus animæ in cœlesti gloria, prout speramus, beatificatus. Eja & eja! in præsenti necessitate & infirmitate ad Te venio, ad Te clamo suspirando, Te deprecor, ut mihi veniam de commissis impetres, a præsentibus malis me liberes, a futuris me cohibeas, & ab imminentibus corporis periculis & animæ me custodias; ut Tua directione in viis mandatorum Creatoris consistam, ut sic Te duce, Te rectore, Tuis sanctissimis directionibus omnia mala evadere valeam. O benignissime Princeps, ex Tua solita pietate ac benignitate intercede pro me misero peccatore apud Omnipotentem Deum, ut in fine vitæ meæ mihi concedat spacium veræ pœnitentiæ, cor contritum & humiliatum, satisfactionem de commissis & omissis, cunctisque meis negligentiis, venialibus & mortalibus, indulgentiam tribuat, & a subitanea & improvisa morte me custodiat, atque ut me ipse satiet & pascat suo sacratissimo corpore, quod ipse Deo Patri pro me & cunctis peccatoribus obtulit in ara Crucis. Demum in exitu animæ ab inimicis meis visibilibus & invisibilibus me tueatur, ut sic ipsorum asperitatem cum gaudio superem. Quod ipse mihi concedat Tuo sacratissimo interventu, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in seculorum secula benedictus, Amen.*

Et vere Beatissime Pater, impium dici posset, & severum omnibus videretur hujusmodi devotionem diminuere, quod esse non posset sine maximo scandalo inclytæ Domus Austriæ, ac totius patriæ illius, & in fidei ac religionis Christianæ diminutionem & contemptum. Propterea consultius, immo necessarium, nedum expediens fore censendum est, ad plenariam canonisationem ipsius Beati LEOPOLDI, ut instanter petitur, procedendum: cum etiam si de aliquo errore Apostolicæ Sedis in hujusmodi canonisatione quoquo modo posset dubitari (cum tamen revera Sanctitas Vestra in consimili negotio errare non possit, ut plene prosequitur S. Thomas in suo Quodlibe-

1 *legendum videtur* ad Te dirigentibus.

to,

to, & plene habetur in *C. Recta 24. q. 1.*); tamen concludunt omnes Doctores poſt *Glo. in C. Glorioſus de Reli. & Ven. Sanct. lib. 6.* quod etiam in eventum erroris hujuſmodi, eo alias dato pro poſſibili, non eſſet credendum aliud, quam quod nihilominus preces in honorem ejus emiſſæ Deo acceptæ ac gratæ ſunt. Nam per fidem Chriſti omnia purgantur. *C. Veſtra. de Coha. Cle. & mulie.* Et eſto quod veritas canoniſationis deficeret, non tamen deficeret fides *C. debitum. de Baptis. C. 2. & 3. de Presbyt. non bap.* Hinc etiam dicimus, quod cuilibet licet in ſecreto alicui defuncto, quem Sanctum credit, preces porrigere, ut pro ipſo ad Deum intercedat; licet ſolennes preces publice admittere, vel ſolenne officium publice dicere nequeat, ut dixerunt Innocentius & Hoſti. de Carolo Magno quondam Imperatore in *C. 2. eo. ti. de Reli. & Ven. Sanct. in 6.* Et utique laudabile cenſendum eſt, quod hujuſmodi devotio populorum nequaquam diminuatur, ſed quantum cum Deo fieri poteſt, magis ac magis continue augeatur, prout in dicto C. Sane dicitur atque continetur, & ut Divinus cultus propterea magis augeatur, nec diminuatur per *C. Ex parte de Conſti.* Et hinc eſt, quod de cunctis bonis, quæ ad perpetuum Divinum cultum per teſtatores Eccleſiis quibuslibet relinquuntur, Canonica portio, dummodo in fraudem non fiat, deduci non debet *C. fi. de Teſta.* Nam propter reverentiam Divini cultus multa & fieri & evitari debent, cum ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit *L. ſicut perſonæ ff. de Reli. & Sump. fu.* Unde & tunc minus ſolennis voluntas ſuſtentatur *C. Cum eſſes. & C. Relatum eo. ti. de Teſta.* Idem de cultu Dei dicitur in *Authen. de Mona. §. Licet autem :* Qui etiam cultus Dei dicitur abominatio peccatorum Eccl. 1. c. & 21. *q.* 3. *omnis jactantia.* Facit etiam textus in *Authen. de Mona. §. penult. Facit* 86. *Di. C. Non liceat Epiſcop.* Et ut apud veros Dei cultores etiam ipſa bella pacata fiant, quæ non cupiditate vel crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur; ut mali coërceantur, & boni ſubleventur, ut ſcribit Auguſtinus in libro de Diverſis Eccleſiæ obſervationibus, & habetur 23. *q.* 1. *Apud veros Dei cultores.*

NONUM.

Circa nonum, videlicet *multiplices fructus in Eccleſia Catholica ſubſecuturos*, breviter concludendo dico, quod Canoniſatio Pii LEOPOLDI maximos fructus quamplurimosque in Dei Eccleſia habeat operari, cum fuerit lux in Domino: cujus quidem lucis fructus ſunt in omni bonitate, juſtitia & veritate, juxta Paulum ad Eph. 5. cap. Cum etiam fuerit arbor plantata ſecus decurſus aquarum, dans duodecim fructus in tempore ſuo, qui ſunt virtutum omnium veræ delectationes, pro eo quod non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit; ſed in lege Domini fuit voluntas ejus &c. juxta Prophetam in pſalmo primo. De quibus quidem duodecim fructibus arboris hujus prophetavit Joh. Ap. in Apoc. 22. cap. in principio, conformans cum ſententia Apoſtoli, quæ habetur ad Gal. 5. cap. in fine. Quorum quidem fructuum ſummus & præcipuus fructus erit primo loco adnumerandus, videlicet extirpatio deplorandæ Bohemicæ hæreſis, Bohemorumque hæreticorum ad Catholicam fidem reductio, & ad Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis gremium, prout expreſſe pollicentur ſeu atteſtantur ejusdem regni Bohemiæ Marchionatusque Moraviæ Barones, per eorum litteras autenticas ad ſanctæ memoriæ Dominum Paulum II. Sanctitatis Veſtræ prædeceſſorem directas, in hæc verba: *Speramus namque eandem Canoniſationem Altiſſimo ad gloriam, Veſtræque Beatitudinis & dictæ Sedis honorem, nobisque ac aliis utriusque ſtatus ſalubriter ad ſalutem, hæreticorumque exterminium pervenire* &c. Hic eſt enim præcipuus fructus, propter quem etiam Papæ licitum foret cum Religioſo & Monacho ſuper voto Caſtitatis ſubſtantiali, ut ſcilicet matrimonium contrahere poſſet, diſpenſare, Ar. in C. Cum ad Monaſterium in fin. de Sta. Mo. ut autentice diſpenſando firmat Joh. And. in Mercuriali, de qua in Reg. Actus legitimi de Re. Juris lib. 6. cujus ſententiam approbavit univerſa Canoniſtarum ſchola, quam etiam multi Theologorum admittere dinoſcuntur.

Secundus quoque præcipuus fructus erit (ut veriſimiliter ſperandum eſt) fructus firmandæ pacis etiam perpetuæ in partibus illis, præſertim inter inclytam Domum Auſtriæ, Imperialemque Majeſtatem, cæterosque Germaniæ Principes, ac regna Bohemiæ, Poloniæ atque Hungariæ, extirpandorumque vigentium bellorum inter eandem Majeſtatem Imperialem, ipſumque Hungariæ Regem: Cum ex duodecim ſupra enumeratis fructibus, tertius fructus poſt caritatem & gaudium enumeretur pax, cujus quidem pacis ratio plurimum eſt attendenda propter Divinum cultum ejusque augmentum. Nam nunquam bene colitur pacis auctor, niſi pacis tempore, ut in *Cle. Dudum de Sepul.* ad quam equidem pacem juſte Sanctitas Veſtra illos compellere proinde poterit, ne in tantum contingat eos vires proprias evacuare, ut non valeant poſtmodum perfidis reſiſtere Turcis. Fructus ergo iſte maximus exiſtens, neceſſario inclinare atque compellere Sanctitatem Veſtram debet ad exaudiendas preces hujusmodi canoniſationem concernentes, tam ipſius Majeſtatis Imperialis, quam etiam ſtrenuiſſimi Matthiæ Regis Hungariæ moderni ad eundem, de quibus in eorum litteris ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Paulum II. præfatum directis, & in proceſſu ſuper negotio canoniſationis hujusmodi ſerioſius regiſtratis.

Ad quæ accedit & tertius veriſimilis fructus etiam de proximo ſubſecuturus, ut poſtquam omnipotente Deo miſerante atque cooperante, pax perpetua diebus iſtis inter Gallicos atque Germanos firmata, atque publicata magna cum populorum omnium gratia præter omnium opinionem exiſtit, illicque pax inter Germanos & Hungaros eodem Deo commiſerante, & præfato Pio LEOPOLDO intercedente, in brevi ſimiliter habeat firmari; ad imitanda ſuorum prædeceſſorum veſtigia, neceſſario invitabuntur cuncti Chriſtianorum Principes ad

arma

arma ſumenda contra perfidos Turcos, Conſtantinopolitanumque Imperium, Macedoniam, Boſsniam, reliquasque eisdem contiguas provincias de facili recuperandas, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ, Veſtræ Beatitudinis, nec non Majeſtatis Imperialis ſalutem & laudem perpetuam, ac ipſius regni Hungariæ quietem permaxime neceſſariam. Quod quidem ſanctum propoſitum ſi forte contingat Imperialem Majeſtatem multo ſenio gravatam non poſſe per ſe perſonaliter implere, implebitur profecto per Sereniſſimum ejus filium Maximilianum inter noſtræ ætatis Principes ſummum atque præcipuum: qui etiam ad propoſitum ſanctum atque votum paternum per ſe perſonaliter adimplendum per Tuam Beatitudinem compelli poterit, juxta determinationem, de qua in *C. Liceat de Voto.*

7. Accedit & alius vere laudabilis fructus, quoniam eccleſiæ quamplures, Monaſteria, capellæ, altaria, hoſpitalia, & ſimilia pia loca, per univerſam Germaniam præſertim, aliaque convicina regna atque provincias convicinas a Catholicis viris continue ædificabuntur, ſub nomine ipſius Pii LEOPOLDI dedicanda: & præcipue inſigne Monaſterium jam ædificari dudum cœptum per ipſius Friderici Tertii Imperialem Majeſtatem, ſufficienter dotandum in civitate Wiennenſi, in qua inſignis floret Univerſitas. Quod quidem negari non poteſt futurum permaxime Omnipotenti Deo gratum atque acceptum, nec poſſe irremuneratum remanere, ſicut & nullum malum impunitum, juxta vulgare commune. Quinimmo neceſſario firmandum eſt, propterea in Beati noſtri LEOPOLDI ſanctitate Deum amplius fieri laudabilem, ut in *Cle. ſi dominum in princ. de Reli. & Ven. Sanct.* nec non etiam glorioſum, ut in *C. Glorioſus eo. ti. lib. 6.* Non omitto etiam votorum multitudinem piorum, atque laudabilium ac ſalutarium, multorum populorum, atque Chriſti fidelium oblationes, elemoſinas, decimas, primitias, pauperum ſuſtentationes, afflictorum & incarceratorum ſublevationes, & alia pene innumerabilia charitatis opera, quæ & nunc & in futurum multiplicabuntur, promptoque magis ac devoto & læto animo veriſſime perſolventur: quæ omnia ceſſarent omnino, hujusmodi celebri canoniſatione ceſſante. Unde profecto, Beatiſſime Pater, impium & damnabile foret, & Apoſtolicæ Sedis benigna gratia indignum, cauſante Diabolo hoc tempore prætermittere, tantasque preces & inſtantias neglectas remanere aut fruſtratas. Non foret etiam absque multorum injuria, quod a ſanctæ memoriæ Paulo Secundo, Veſtræ Sanctitatis prædeceſſore, Veſtraque Beatitudine in ipſis negligeretur, quod in aliis neglectum nequaquam fuit, ſed effectualiter exauditum. Accedit etiam, Beatiſſime Pater, quod Deus omnipotens forte provocatus & irritatus propter populi peccata graviſſima, quæ temporibus iſtis amplius quam prioribus præteritisque temporibus vigere noſcuntur, ſtatusque Eccleſiaſtici declinationes, Italiæ conquaſſationes & ruina ac damnanda bella, ipſe Deus clementiſſimus precibus ejusdem Pii LEOPOLDI & interceſſione efficaci, tantisque, piis operibus placatus, tantis malis finem dabit deſideratum; de cujus gratia nequaquam deſperandum, ſed continuo ſalubriter confidendum admonet Sancta Catholica & univerſalis Eccleſia, cui feliciter Te præeſſe divinitus datum eſt; ut ſicut cuncta omnia feliciter ac votive hactenus Tuæ Beatitudini ſucceſſerunt, ſic & in futurum felicius & Tibi & Succeſſoribus Tuis veriſimiliter ac neceſſario habent conſimiliter ſuccedere. Pro quorum omnium verificatione ac teſtimonio ſufficientibus attendendus eſt atque notandus tenor litterarum, ad præfatum ſanctæ memoriæ Dominum Paulum Secundum Tuæ Sanctitatis prædeceſſorem, per ſtatus tam Eccleſiaſticos quam Seculares totius patriæ illius, denuo directarum atque præſentatarum, in proceſſu canoniſationis hujusmodi regiſtratarum, atque autentice deſcriptarum, fideliterque recognitarum, & cum originalibus ſtudiole ſæpius collationatarum. Removebitur quoque omnis occaſio per eosdem Principes Auſtriæ contra eandem Apoſtolicam Sedem Tuamque Beatitudinem aliquid ſiniſtri machinandi, ne valeant damnabili vitio ingratitudinis notari, cum ingratitudo ſit ventus urens, ſiccans fontes pietatis & fluenta gratiæ, ſecundum Bernardum de contemptu mundi; quin immo neceſſario compellantur tantæ gratiæ tantique muneris virtute ad perpetuas gratiarum actiones & antidota, cum dicat 5. Ethic. Philoſophus: *Rẽfamulari oportet ei, qui gratiam fecit, & rurſum ipſum incipere, quod quidem fit, dum aliquid majus retribuitur.* De quo per Doct. in *L. Frater a fratre in fin. ff. de Condi. indebit.* Monemur quippe tam Sacris litteris quam humanis ad gratiarum actiones pro ſuſceptis beneficiis exemplo Juſtiniani, de quo in *L. Quas gratias C. de offi. Præfec. præ. af.* & per Ap. ad Coloſſ. ult. *In omnibus gratias agite*, quæ gratiarum actio eſt ad majora dandi invitatio, ut dicit Seneca in lib. de Beneficiis.

Pro præmiſſorum vero fundamentorum probatione ultra Cronicas numero ſeptem, de quibus in proceſſu cauſæ hujusmodi, extant etiam ſolennia teſtimonia Baronum illius patriæ quinque, & unius alterius militis, ac nobilium aliorum ſex, & ſic duodecim numero conformiter deponentium, inter cætera ſemper ab ineunte eorum ætate ſe a ſuis progenitoribus ac ab aliis hominibus audiviſſe, quod ipſe Beatus LEOPOLDUS tum in conſtruendis ac reparandis Monaſteriis, eccleſiis, & aliis piis locis; tum etiam in erogatione larga manu ſacræ elemoſinæ Chriſti pauperibus, ac etiam multis aliis bonis operibus dum viveret, prout & quemadmodum etiam hæc in ſuis Cronicis latius dicuntur contineri, ac poſtremo poſt ejus obitum plurimis apud diverſos utriusque ſexus homines in eorum infirmitatibus & tribulationibus crebriter claruerit, & hodie clareat miraculis: ſitque de hoc non ſolum in Auſtria, ſed & in externis partibus terræ ac provinciis prope & longe poſitis publica vox & fama communis, adjicientes ſe aliquando apud Deum altiſſimum

mum pro ejus canoniſatione ſuis precibus devotiſſime inſtare. Quæ ſi fieret, credunt firmiter Ducatum Auſtriæ ab hoſtilitatibus & güerris, quibus jam multis annis oppugnatus extitit, liberari, ac in pacem, tranquillitatem ac fertilitatem reduci debere &c. Non ergo amplius deſiderandum eſt teſtimonium, per *L. Si arbiter. cum ſimilibus ff. de Proba.*

DECIMUM.

Circa vero decimum & ultimum fundamentum, videlicet circa *multorum verorum Miraculorum diuturnam coruſcationem*, eſt quidem notanter attendendum, quod (velut ex hujusmodi proceſſibus in canoniſationis negotio canonice factis patet evidenter) triplex Miraculorum genus coruſcaſſe dinoſcitur. Primum quidem genus Miraculorum eſt antiquorum a tempore ipſius Beati LEOPOLDI obitus, ab anno ſcilicet MCCCXXII. & ſucceſſive, de quorum quamplurimis certa notitia haberi non poteſt; licet famoſa relatione fide dignorum habeatur, quod eorum magnitudo & multitudo hominum æſtimationem excedat, &, de pluribus per noſtri temporis ſuperſtites in partibus Auſtriæ & adjacentium terrarum certa habetur ſcientia & indubitata: compertumque eſt, quod ipſe Marchio Beatus LEOPOLDUS nullis unquam miraculorum gratiam & hortata [1] beneficia præſtitit, niſi qui vere confeſſi & contriti ipſius interceſſionem apud Deum imploraverunt. Ex quo liquido apparet, quod non a deceptore humani generis hoſte antiquo, ſed a Dei Spiritu humano generi propitio hujusmodi miracula vere proceſſerunt. Sunt autem miracula præcipua numero XVII. in duabus antiquiſſimis tabulis & metrice & alias latine conſcripta, de quibus ſtatim infra ſubdetur; quibus quidem tabulis antiquiſſimis plenaria fides eſt adhibenda per *C. Cum cauſam de Proba. C. Ad audientiam de Reſcript. 30. q. 6. Venit*; & in *Authen. de his qui admi. ad appell. §. Illud*, & in *Authen. Ad hæc C. de fide inſtru. C. cum ex litteris de inte. reſti. L. Cenſus & momenta ff. de proba. L. fin. C. Arbi. tutelæ. L. Scripturæ §. Qui po. in pig. ha.* Sic fides adhibetur ſcripturis repertis in aliqua columna vel lapide 23. *q.* 2. *C. Sane.* Quinimmo etiam ruſticis ſenibus in factis antiquis creditur *L. Si chorus ff. de Le.* 3. 16. *q.* 1. *Plures.* Nam & fama in talibus præcipue valet, quorum alias memoria non habetur *L. Si arbiter ff. de Proba. L. In Summa §. Item. L. Ab eo. ff. de aqua plu. ar.* Maxime quando aliquibus adminiculis adjuvatur *L.* 3. §. *Quæ argumenta. ff. de Teſti.* 4. *q.* 3. §. *Sæpe ſit* 35. *q.* 3. *Si duo C. Illud de Præſump. C. Per tuas de Simo. C. Cum dilectus de Suc. ab inteſta. C. Litteras & C.* 3. *de Præſump. C. Præterea de Teſti.* Ubi enim non proſunt ſingula, multa juvant indicia *L. Indicia C. de Rei Ven. L. Sancimus C. de Teſta. L. Siquis ſæpius. ff. Ex qui. cau. majo.*

Primum autem ex præfatis antiquiſſimis XVII. miraculis eſt de quodam Neuburgenſi, qui multo tempore viſu orbatus, ad ſepulchrum ipſius Beati LEOPOLDI veniens ejus interceſſione viſum ſuſcepit.

Item mulier quædam dæmoniaca a dæmonio vexata libera extitit.

Item Patavienſis quidam pedibus contractus, atque monoculus, cæci oculi viſum, & uſum pedum obtinuit.

Item puella quædam ab utriusque pedis podagra extitit liberata.

Item maſculus quidam novem annorum a nativitate mutus linguæ officium recepit.

Item Presbyter quidam Herbipolenſis utriusque oculi viſu carens, lumen obtinuit oculorum.

Item puer in utraque manu chiragram patiens, manuum uſum impetravit.

Item mulier in uno pede podagram patiens, ejusdem pedis obtinuit ſanitatem.

Item Syfridus quidam podagricus, pedum recepit ſanitatem.

Item mulier quædam a lapide, quem habebat in oculo, liberata fuit.

Item virgo a tonitruo percuſſa ſanitatem reſumpſit.

Item Coriarius quidam una manu chirograticus vigorem impetravit.

Item virgo quædam in utroque pede podagram patiens, officium utriusque pedis recepit.

Item fœmina quædam viſum utriusque luminis impetravit.

Item mulier quædam Dæmoniaca a Dæmonio liberatur.

Item miles quidam, cui in gutture oſſea præminentia creverat, facto voto, eadem præminentia per integram cutem colli exiliit, ut in cute nec cicatrix nec nota aliqua videretur.

Item mulier quædam nimio debito onerata, cum creditoribus importune inſtantibus unde ſatisfaceret non haberet, quaſi deſperata in turbationibus & anguſtiis ſuis Beatum LEOPOLDUM invocans, exaudita, & ab omnibus creditoribus ſuis miraculoſe liberata fuit.

Primum vero ex miraculis in ſpeciali inquiſitione contentis, eſt de mortuis reſuſcitatis juxta ordinem, de quo infra ſequitur, videlicet.

Mortui ſuſcitati numero ſeptem.

Puer in puteo mortuus repertus, ad tumbam Beati LEOPOLDI ſuper altari poſitus a morte miraculoſe pluribus circumſtantibus reſuſcitatus fuit. Teſtis Eliſabeth, habet conteſtes 3. de auditu, & 7. de viſu, ſcilicet 91. 92. 93. 101. 102. 103. 109. 110. 111. & 112mo loco examinatos.

Alter per mediam horam in aqua jacens, extractus per mediam horam & ultra tractatus ab omnibus Presbyteris & Laicis mortuus putabatur; quia nulla amplius in eo vita ſupereſſe credebatur, & ut mortuus dimmiſſus. Ex invocatione per matrem ad Beatum LEOPOLDUM facta mortuus revixit. Teſtis Fridericus pater, & habet conteſtes duos eodem loco examinatos.

Puer ab omnibus tentus & reputatus pro mortuo, ad tumbam Beati LEOPOLDI poſitus in plurimorum præſentia vitam ſuſcepit. Teſtis Barbara.

Alter, qui per mediam horam & ultra in puteo jacuit, in nigrum colorem ut mortuus omni-

no

[1] *Sic MS.*

no mutatus, & nulla penitus vita in eo apparuit; A ex invocatione ad Beatum LEOPOLDUM facta, priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Beinrufferin mater, habet conteſtem unum, ſcilicet 160mo. loco examinatum.

Alius, qui per unam horam in partu, & plusquam per unam horam poſt partum mortuus ac penitus ſine vita apparuit, cum ejus vitæ nulla ſpes ſupererat; voto cum orationibus emiſſo puer reſpiravit, & omnino ſanus coram Commiſſariis apparuit. Teſtis Dorothea mater.

Adoleſcens in aquam cadens, & ſubtus per duas horas vel circa remanens, extractus, & ab omnibus mortuus judicatus, & ut talis ad domum parentum portatus, cum per mediam horam motus nulla in eo vita apparuit; feretrum parabatur. Voto cum certis orationibus emiſſo, illico puer flere incœpit, & vitæ reſtitutus eſt. B Teſtis Margareta mater.

Alius a nativitate ſua plusquam per mediam horam mortuus jacebat, nulla in eo vita apparente. Voto emiſſo ſtatim puer vitam recepit, & hodie vivit. Teſtis Vitus pater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 182mo.

Morituri curati & præſervati numero XVIII.

Infans ad ſcapham aqua ſemiplenam capite deorſum, pedibus vero ſurſum directis cecidit, & per mediam horam in aqua jacuit, demum cum pedibus per matrem extractus, ab omnibus quaſi mortuus per horam putabatur. Precibus ad Beatum LEOPOLDUM cum voto effuſis, puer ſe movere cœpit, & voto completo, mox priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Barbara mater, habet conteſtem unum, ſcilicet 120mo. loco examinatum.

Adoleſcens horribiliter in lingua, collo & orificio tumefactus ac inflatus, per octo dies neque loqui, nec cibi quicquam aut potus ſumere vel deglutire potuit. Medicis de ipſius vita penitus deſperatis. Voto emiſſo ſtatim omnis inflatura evanuit, & ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis idem.

Infans, qui ob maximam infirmitatem per 14. dies nihil fere alimenti percepit, cujus mors jam ardentibus candelis expectabatur, voto per matrem completo, & de tumba reverſa infantem ridentem, & omnino ſanitati reſtitutum reperit. Teſtis Katherina mater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 89no.

Infantula graviſſimam infirmitatem incidens, per unam horam oculis corruptis, ac ſine motione membrorum jacuit ad quartam horæ [1], ab omnibus mortua putabatur. Ex invocatione Beati LEOPOLDI per patrem facta, illico ſe movere cœpit, & ſanata fuit, ſanaque coram Commiſſariis apparuit. Teſtis Johannes pater.

Puer per 4. hebdomadas in tam gravi infirmitate jacebat, quod de ejus vita deſperabatur. Voto emiſſo ſtatim ſanatus fuit, & ſanus coram Commiſſariis apparuit. Teſtis Helena mater.

Alius per tres dies discoloratus veluti mortuus jacebat. Completo voto discolor receſſit, & ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Katherina mater; & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium quinto.

Alius gravi infirmitate per multos [1] detentus, per 14. dies nec ubera matris, nec alium cibum guſtavit: colore per totum corpus mutato, moriturus putabatur. Voto emiſſo perfectum colorem ſuſcipit, aperuit oculos, & voto completo ſanitatem recepit, & a Commiſſariis ſanus viſus eſt. Teſtis Johannes pater.

Alter per 6. hebdomadas tuſſim ſine intermiſſione paſſus, tantum exhauſtus, ut nulla in eo vita apparuit, ac absque tuſſi jacens mortuus putabatur. Voto emiſſo ſtatim revixit, & ſanitatem recepit. Teſtis Anna mater.

Infantula per tres dies absque loquela ſemimortua decumbens, a parentibus mori putabatur. Voto propter certam in ſomnis viſionem matri de Beato LEOPOLDO relatam per parentes emiſſo, loqui cœpit, & ſana quo voluit ambulavit, ac votum ex Divino inſtinctu complevit. Teſtis Jacobus pater.

Infans per 5. hebdomadas graviſſima infirmitate in ægritudinis lecto decumbens, plures [2] mori putabatur. Voto per matrem emiſſo ſtatim melius habuit, & ſanatus fuit. Teſtis Georgius pater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 140mo.

Alter maxima infirmitate gravatus mori putabatur. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Barbara mater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 13mo.

Puer graviſſima infirmitate adeo debilitatus & exhauſtus fuit, ut in procinctu mori putaba- C tur. Voto cum oblatione per matrem emiſſo ſtatim ſanatus fuit. Quo ſine oblatione completo, in febres acutiſſimas iterum puer incidit. Voto reiterato, & perfecte completo, febris ſtatim puerum dimmiſit, & illico ſanatus fuit. Teſtis Margareta mater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 166mo.

Alius tanta infirmitate gravatus, ut omnibus ſignis mortis in eo apparentibus, ardentibus candelis ultimum ejus ſuſpirium expectabatur. Voto per matrem emiſſo ſtatim agoniſans reſpiravit, & in brevi omnino convaluit. Teſtis Agnes mater, habet conteſtes tres, ſcilicet 107. 108. 109no. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium quinquageſimo quinto.

Quidam 4. continuis diebus ex fluxu narium D tantum cruentavit, quod viribus deſtitutus citius mori putabatur. Voto per uxorem completo fluxus ceſſavit, & in brevi viribus reſtitutus fuit. Teſtis Anna uxor, habet conteſtem, ſcilicet 116mo. loco examinatum, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 35to.

Alter graviſſima infirmitate per 14. dies detentus, & ultimis 8. diebus nil alimenti percipere, nec etiam pedes aut manus movere valens, adeo conſumptus & exhauſtus erat, quod omnes etiam experti Medici de ipſius vita deſperabant. Voto cum orationibus emiſſo ſtatim melius habuit, & ſanatus fuit. Teſtis idem.

[1] *deeſt* menſes, *vel* annos *aut hujusmodi.* [2] *leg.* a pluribus.

[1] *deeſt forte* partem.

Puella 56. diebus ſine verbi aut nutus prolatione in ægritudinis lecto decumbens, ab omnibus mori putabatur. Voto completo loqui & convaleſcere cœpit. Teſtis Thomas pater.

Puer adeo infirmitate gravatus, quod parentes de ipſius vita deſperati, jam accenſis candelis mortem pueri juxta morem expectabant: Voto emiſſo puer ſtatim reſpiravit, & ſanitati reſtitutus coram Commiſſariis apparuit. Teſtis Stephanus pater.

Adoleſcens cultello ſeipſum vulnerando venas incidit, quæ inciſæ videbantur ex maxima cruentatione, quam in nocte perpeſſus fuerat. De mane in lecto repertus, ab omnibus mortuus putabatur: quia per horam & ultra nulla penitus in eo vita apparebat. Mater (ut creditur) voce Divina monita, votum cum orationibus emiſit, & ſtatim adoleſcens reſpiravit & convaluit. Teſtis adoleſcens, conteſtes pater & mater eodem loco examinati.

Cæci illuminati, & ab oculorum dolore liberati numero XVII.

Quidam viſu oculorum privatus, per 4. integros annos cæcus fuit. Ad tumbam deductus, orationibus ibidem completis, viſum recepit, & ſanum ſe coram Commiſſariis exhibuit. Habet conteſtes tres, ſcilicet 35. 36. & 37mo. loco examinatos.

Alter 14. diebus viſu carens, complendo votum abſque intervallo viſui reſtitutus eſt. Teſtis idem.

Puer, cui ex gravi infirmitate in ſiniſtro oculo pecia carnis ſeu fiſtula crevit, quam per tres hebdomadas ſuſtinuit, Medicis de viſu ipſius deſperatis. Voto per matrem emiſſo ſtatim fiſtula evanuit, dolor ceſſavit, & integrum viſum recepit; prout a Commiſſariis ſanus viſus eſt. Conteſtis Katherina mater.

Puella per 8. dies cæca, voto completo, viſum & ſanitatem priſtinam recuperavit. Teſtis Johannes Maritus.

Altera maximo oculorum dolore prægravata, excæcari credebatur. Ad tumbam votive adducta, ſtatim ſanata fuit. Teſtis Ulricus pater.

Mulier per trieniuum oculorum dolorem paſſa, & ultimo anno excæcata, ad tumbam votive adducta melius habere cœpit, & in brevi viſum rehabuit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 13mo.

Alia per 4. hebdomadas excæcata nulla potuit medela curari. Voto completo viſum recipiens, ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 7omo.

Altera fluxum oculorum paſſa, per 16. hebdomadas excæcata, cum nulla potuit medela curari; complendo votum ſtatim Sacramentum, quod in altari tumbæ annexo elevabatur, vidit, & in brevi clarum viſum recepit. Teſtis Brigida mater, habet conteſtes duos, ſcilicet 113. & 114to. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 9no.

Quidam ſiniſtro oculo per 7. menſes excæcatus, voto completo, ſtatim circa tumbam viſum recuperavit. Teſtis idem.

Alius improviſe per triduum excæcatus, voto per patrem emiſſo, ſtatim viſum recepit, & cum patre votum complevit. Teſtis Thomas, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 169no.

Alter ex capitis dolore per 4. hebdomadas excæcatus, voto completo, ſtatim ad tumbam viſum recuperavit, & ſanitati reſtitutus eſt. Habet conteſtes duos, ſcilicet 95. & 96to. loco examinatos.

Alius graviſſimum ſiniſtri oculi dolorem incidens, tandem veſicis excreſcentibus, nulla potuit medela relevari. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & in brevi ſanatus fuit. Idem alia vice iterum & eodem modo ab ipſius oculi dolore liberatus fuit. Teſtis idem.

Alter per 24. annos cæcus apud tumbam plurimorum intercedentium orationibus adjutus, viſum recepit. Teſtis Anna.

Infans præ dolore oculorum per octo dies excæcatus nil videre poterat, ex cujus palpebris cum aperiebantur ſanguis exivit; cum nulla medela potuit curari, voto emiſſo viſum recepit. Teſtis Eliſabeth mater, habet conteſtem unum, ſcilicet 121mo. loco examinatum.

Alius cæcus per parentes ad tumbam delatus, viſum in multorum præſentia recepit. Teſtis Catherina.

Mulier per integrum annum cæca ad tumbam votive deducta, viſum miraculoſe recepit. Teſtis ipſa.

Puella dolorem oculorum paſſa, & in ſiniſtro penitus excæcata, cum nullis medelis adjuvari poterat, voto completo ſanata fuit. Teſtis Stephanus pater.

Muti ſanati numero XI.

Puer usque ad ſeptimum ſuæ ætatis annum neque loqui neque ambulare potuit. Voto cum orationibus completo, in brevi ambulare & loqui incœpit, & ſanatus fuit. Teſtis Stephanus pater, habet conteſtem unum, ſcilicet 145to. loco examinatum.

Alter a nativitate ſua mutus ad tumbam delatus, verba protulit. Teſtis unus.

Mulier per duos menſes muta, ſurda, & omni ratione privata in lecto decubuit. Poſt votum per ejus maritum emiſſum rationem recepit, & perſonaliter votum emiſit. Quo completo priſtinæ ſanitati reſtituta eſt, & habet conteſtem unum, ſcilicet 62do. loco examinatum.

Alia 35. & puer 10. annorum vel circa loquela caruerunt, ad tumbam Alemannicam loquelam acceperunt. Teſtis unus.

Altera ob infirmitatem, quam in ore paſſa fuit, per ſex annos nullum intelligibile verbum proferre potuit. Voto completo ſtatim convaleſcere & perfecte loqui cœpit. Teſtis ipſa.

Infantula a nativitate ſua usque ad annos tres & ultra nunquam verbum locuta, ab omnibus muta judicata fuit. Complendo votum in itinere loqui & dicere cœpit: *Mater, ego volo ire & orare:* & completo voto perfectam loquelam recepit. Teſtis Margareta mater.

Adoleſcentula per integrum annum muta, ſurda & cæca jacens, voto completo, ſana in domum reverſa eſt. Teſtis ipſa.

Infans per 5. annos a nativitate ſua mutus, & ab omnibus fatuus reputabatur. Tumba per matrem votive viſitata, completisque orationibus ad domum reverſa, perfecte & cum bona ratione

tione loquentem filium invenit. Teſtis Barbara mater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 15to.

Altera tertio ſuæ ætatis anno per integrum annum graviſſima infirmitate detentus, abſque loquela jacuit. Voto completo loqui cœpit, & priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Catherina mater.

Alter mutus ad tumbam delatus, nomen Jeſu multis audientibus protulit. Teſtis unus.

Mutus per decem annos nunquam locutus, apud tumbam loquelam recepit, & *Pater noſter* dixit. Teſtis unus.

Surdi ſanati numero V.

Quidam per 4. integras hebdomadas ſurdus factus, nil penitus audire potuit. Tumbam ex voto viſitans, ſtatim auditum concepit. Teſtis idem.

Adoleſcens 14. Septimanis auditu carens, voto completo, illico priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, & ſanus coram Commiſſariis apparuit. Teſtis Kunigundis mater.

Mulier quaſi per annum obtuſitatem dextræ auris paſſa, voto completo, dolorem amplius non ſenſit. Teſtis ipſa.

Vir per annum & ultra in dextra aure ſurdus nil audire valens, completo voto, integrum auditum recepit. Teſtis idem.

Alter per menſem ſurdus nulla poterat medela curari. Voto emiſſo auditum accepit. Eo autem per negligentiam non completo, in eamdem incidit infirmitatem, tunc votum complendo circa tumbam priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Habet conteſtem unum, ſcilicet 98vo. loco examinatum, & habetur in inquiſitione generali numero teſtium 157mo.

De periculo partus liberati numero II.

Mulieri gravidæ & vicinæ partui in tantum venter intumuerat, ut obſtetrices ac aliæ matronæ ei fœtum & vitam abjudicaverunt. Cum vehementiſſimis quaſſaretur doloribus, maximus ei tribus diebus ſupervenit menſtrui fluxus, propter quem fœtum in utero periiſſe timebat. Voto pro ſua ac fœtus ſalute emiſſo, mox fluxus ceſſavit, & puerum maſculum peperit. Habet conteſtes duos, ſcilicet 55. & 56to. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 126to. Eidem alia vice in partu laboranti matrix ſive embryo cum fœtu exivit, unde ipſa ac fœtus in procinctu morituri putabantur. Voto emiſſo embryo in ſuum locum redivit, & uterque a morte fuerunt liberati. Habet conteſtes duos ſupraſcriptos.

Alia in partu adeo graviter laboravit, quod a fœtu liberari non poterat. Voto emiſſo ad- ſtatim liberata fuit, & peperit feliciter. Teſtis Katherina.

A diverſis periculis liberati numero VI.

Quidam, qui guerrarum tempore oppidum Neuburgenſe ac Monaſterium ipſum igne comburere ſæpius inſtituiſſet, quod propter diverſos turbines & tempeſtates perpetrare nequivit, tandem ſereno noctis tempore naves cum complicibus aſcendens, & propoſitum exequi volens, ſtatim & miraculoſe tanta ſupervenit tempeſtas, ut omnes deſperati ſe ſubmerſuros putarent; invocato Beato Leopoldo ad littus ſuum redierunt, & ſtatim ceſſavit tempeſtas. Teſtis dicit ſe a principali audiviſſe. Habet conteſtem unum, ſcilicet 79no. loco examinatum, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 112mo, & ibidem habet plures conteſtes.

Adoleſcenti aqua ferventi in faciem perfuſa maxima difformitas accesſit, perpetuoque duratura videbatur. Voto completo ſtatim diformitas decreſcere cœpit, & in brevi omnino disparuit. Teſtis unus, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium nono.

Mulier citationem ſuper teſtimoniis miraculorum Beati Leopoldi parvipendens, & a juramento præſtando ſe retrahens, vehementem dextri brachii dolorem incidit, & tota facie ita diſcolorata fuit, ut ab omnibus admiraretur. Remorſum conſcientiæ habens, & ſibi talia propter peccatum accidiſſe cogitans, ſe Beato Leopoldo commendavit, & in continenti priſtinæ ſanitati & colori reſtituta fuit. Habet conteſtem unum, ſcilicet 110mo. loco examinatum.

Puer, cui ſpina piſcis in gutture remanſit, per tres horas ſuffocari putabatur. Voto emiſſo, ſtatim a matre videnti ſpina deorſum declinavit, & puer liberatus fuit. Teſtis mater.

Laici quatuor & Presbyter unus in parva navicula fluctibus & ventis adeo percuſſi, ut ultra quam per medietatem corporis ſui in aquis ad minus per unum milliare ſine aliquo relevamine fluxerunt, exiſtimantes impoſſibile eſſe ipſos a periculo aquarum ſalvari & liberari poſſe; invocatione ad Beatum LEOPOLDUM emiſſa, a periculo redempti fuerunt. Teſtes Criſtannus unus ex ipſis.

Quidam, qui guerrarum tempore oppido ac Monaſterio Neuburgenſis Clauſtralis nocere deſideravit, affectum ſuum ad effectum nunquam perducere potuit. Teſtis unus, dicit ſe de principali audiviſſe.

Phrenetici liberati numero II.

Mulier nobilis ad tantam phreneſim devenit, ut per medium annum vel circa nec maritum nec cognatos cognovit, ſed manibus & pedibus ligata decubuit. Cum nulla poterat medela curari, voto, quod in ſomnis ex viſione ſibi revelata emiſerat, completo, mox ab infirmitate hujuſmodi extitit liberata. Teſtis ipſa.

Alia per 16. hebdomadas ratione privata, voto per maritum emiſſo & completo, ſtatim apud tumbam multis præſentibus ſanitatem recepit. Teſtis ipſa, & habet conteſtem unum eodem loco examinatum.

Paralytici liberati numero VIII.

Mulier per tres angarias in lecto decumbens, deinde meliorata per ſex annos quadrupedum more ambulans, voto completo, melius habuit. Habet conteſtes quatuor, ſcilicet 39. 40. 41. 42do. loco examinatos.

Alius per tres integros annos in ægritudinis lecto decumbens, orationibus cum voto emiſſis, ſtatim ambulare cœpit, & votum complendo ſanus in domum reverſus eſt. Habet conteſtes duos, ſcilicet 43. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 68vo.

Alter etiam per tres annos in lecto ægritudinis paralyticus decumbens, emiſſo voto notabile ſenſit alleviamen, & poſt paucos dies omnino

ſanatus fuit. Teſtis unus, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 104to.

Vir & uxor per decem hebdomadas in ægritudinis lecto paralytici laborantes ſe vertere non poterant. Voto hinc inde emiſſo, ſtatim melius habuerunt, & in brevi votum ſani compleverunt. Teſtis ipſe, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 140mo.

Mulier per integrum annum paralytica, manibus & pedibus contracta, in lecto ægritudinis jacuit. Voto completo ſana de tumba abiit. Habet conteſtes tres, ſcilicet 85. 86. 88vo. loco examinatos.

Alia per annos 4. paralytica ſe movere nequiens, cum nulla poterat medela curari; voto emiſſo ſtatim melius habuit: & eo completo, circa tumbam priſtinæ ſuit ſanitati reſtituta. Habet conteſtes tres, ſcilicet 100. 101. 102do loco examinatos.

Altera per 12. hebdomadas in ægritudinis lecto paralytica decumbens, cum nulla potuit medicina curari; voto emiſſo ſtatim melius habuit, & eo completo omnino reſtituta fuit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 34to.

Alia paralytica poſt votum emiſſum nunquam infirmata fuit. Teſtis ipſa.

Peſtilentici liberati numero VI.

Mulier peſtilentia tribus locis infecta, ob inflaturam colli per octo dies abſque cibo & potu jacens, a peritis Medicis mortis filia judicata fuit. Voto in corde emiſſo, certa ei viſio in ſomnis de Beato LEOPOLDO apparuit, ſibi ſanitatem promittens. Excitata, ſtatim inflatura colli receſſerat, reſurgens infra tres dies ſanitati reſtituta votum adimplevit. Teſtis ipſa.

Puella peſtilentia tacta, emiſſo per parentes voto, ſtatim filia quaſi a ſomno excitata ſanitati reſtituta fuit, & votum una cum parentibus adimplevit. Teſtis pater.

Infans peſtilentia tactus, agoniſans proximus morti videbatur.

Voto per patrem emiſſo, ſtatim quaſi a ſomno excitatus convaluit, & votum cum matre adimplevit. Teſtis mater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium undecimo.

Mulier peſtilentia infecta, cum nulla ſpes vitæ ſuæ erat, voto emiſſo ſtatim reconvaluit. Teſtis ipſa.

Alia peſte infecta, voto emiſſo, ſtatim ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam peſte infectus, voto emiſſo, in continenti ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

A febribus curati numero XIII.

Mulier per biennium acutiſſimas febres paſſa, nulla potuit medela curari. Voto completo, liberata fuit. Teſtis ipſa.

Alia cum primo febres, deinde hydropiſim per 18. hebdomadas adeo pateretur, ut crepari timebat, quidam etiam brachii dolor eidem ſupervenit; voto completo, ſtatim ab omnibus infirmitatibus liberata ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 93tio.

Quidam quotidianas febres cum maxima tumefactione ventris per octo hebdomadas paſſus, voto completo, inflatura evanuit, & febres ex poſt nunquam ſenſit. Teſtis ipſe.

Alter febribus & icteritia detentus, per integrum annum in ægritudinis lecto decumbens, voto emiſſo, priſtinæ ſanitati reſtitutus votum complevit. Conteſtes habet duos, ſcilicet 73. & 74to. loco examinatos.

Adoleſcentula febres quartanas per decem hebdomadas acriter paſſa, nulla potuit medela ſanari. Ad tumbam votive adducta ſana abiit, & amplius nunquam ſenſit. Teſtis pater.

Mulier per 32. hebdomadas febres quotidianas paſſa, voto completo, omnino ſanata ex poſt febres nunquam eſt paſſa. Habet conteſtes tres, ſcilicet 91. 92. & 93tio. loco examinatos.

Alia acutiſſimas febres quotidianas per integrum annum paſſa, tumba votive viſitata, ſana in domum abiit, & infirmitatem amplius non ſenſit. Teſtis ipſa.

Altera acutiſſimas febres quartanas per continuum medium annum ſingulis diebus tribus vel quatuor horis paſſa, completo voto, febres poſtea nunquam ſenſit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 28vo.

Alia quotidianas febres per annum & ultra ſingulis diebus, aliquando bis, ter, aliquando vero quater & ultra paſſa, deinde per quartam anni [1] paralyſim incidens tantum inflata, quod ſub brachiis ſe comprehendi non valuit; voto emiſſo ſtatim melius habuit, & inflatura in brevi evanuit. Teſtis ipſa, & habetur in inquiſitione generali numero teſtium 143tio.

Alia a febribus, multis medelis fruſtra adhibitis, voto emiſſo liberatur. Teſtis ipſa.

Altera propter acutiſſimas febres ſenſibus & ratione privata, cum ſibi videretur, quod maligni Spiritus ipſam abducere vellent; voto completo omnino ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam per medium annum febres quartanas paſſus, cum nulla poterat medela curari, poſt plurimarum eccleſiarum ob ſanitatem recuperandam viſitationes, voto ad Beatum LEOPOLDUM completo, ſtatim circa tumbam febris eum reliquit, & amplius eas non ſenſit. Conteſtis unus, ſcilicet 97mo. loco examinatus, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 26to.

Quidam febribus & aliis infirmitatibus preſſus, per aliquot menſes in ægritudinis lecto decumbens ſe moriturum putabat. Voto completo, omnino curatus fuit. Conteſtis unus, ſcilicet 125to loco examinatus, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 118vo.

A diverſis ægritudinibus curati numero XXIII.

Mulier graviſſimos dolores in ſcapulis ſuis cum horribili punctura circa pectoralia paſſa, cum nulla poterat medela ſanari, voto completo, ſtatim ab omni dolore omnino curata fuit. Teſtis ipſa.

[1] *ſupple* partem.

Alia

Alia puncturam in ſiniſtra corporis ſui parte per tres hebdomadas graviſſime patiens, ita quod per totam illam partem rubedine impleretur, voto emiſſo, rubedo evanuit, & ex poſt nullum amplius dolorem ſenſit. Teſtis ipſa.

Altera brachium ejus dextrum ex ſpatulis evertit, ita quod anterior pars ipſius brachii in poſteriorem verſa fuit, & velut mortuum pependit, ipſa recordata de voto alias ad Beatum LEOPOLDUM emiſſo, & non completo, dicens: *Hoc mihi ex pœna peccati evenit;* imploratione iterum cum voto emiſſa, illico brachium ſonum faciens ad debitum locum revertitur, & ſtatim ſanitati reſtituta fuit. Teſtis unus.

Vir & uxor, ac quidam eorum puer gravi infirmitate detenti, voto emiſſo, illico poſt mediam horam ab ægritudinis lecto ſurgentes ſanati fuerunt. Teſtis vir ipſe.

Mulier in uno latere oris incurvata, ac oculis ex infirmitate ſuffocatis, ob mariti viſionem de Beato LEOPOLDO in ſomnis habitam, votum emiſit. Statim os rectificatum, & ab omnibus infirmitatibus liberata fuit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 142do.

Alia ob corporis inflationem per tres annos in ægritudinis lecto decumbens, voto emiſſo, convaleſcere cœpit, & eo completo plene convaluit. Teſtis ipſa.

Altera dolore brachii dextri per 14. dies multum cruciata, nullam quietem habere potuit. Voto completo ſtatim melius habuit, & ſanitati reſtituta fuit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 164to.

Quidam dyſenteriam per ſeptem hebdomadas continue paſſus, cum nulla potuit medela curari, voto emiſſo ſanatus, perſonaliter illud adimplevit. Teſtis mater, habet conteſtes duos, ſcilicet 55. & 56to. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 126to.

Mulier inflationem gutturis paſſa per 14. dies, voto completo, illico ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Altera ſubitaneam ſiniſtri brachii infirmitatem incidens, voto emiſſo, ſtatim ſanata fuit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 73tio.

Alia ſtrumam in collo patiens, quæ in dies augmentata magnam ei difformitatem fecit, voto completo, ſtruma decrevit, & nihil veſtigii remanſit, prout Commiſſarii & Notarii ipſam ſanam & ſine cicatrice viderunt. Habet conteſtes tres, ſcilicet 107. 108. 109no. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 55to.

Alia maximo dolore dextri brachii gravata, a viſione in ſomnis conſulta votum emiſit, & ſtatim melius habuit, eoque completo omnino ſanata nihil amplius dolorem ſenſit. Teſtis unus, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 75to.

Quidam acutiſſimas corroſiones ventris per octo hebdomadas continue paſſus, Medicis de ſua vita deſperatis, emiſſo voto melius habuit, & eo completo omnino ſanatus fuit. Conteſtis unus eodem loco examinatus.

Puer ob terrorem gravem in infirmitatem incidens, ſemper tremens nec die nec nocte quieſcere potuit. Voto per matrem emiſſo, ſtatim melius habuit, & in brevi ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis mater.

Mulier in ſcapula & juncturis dextri brachii gravem paſſa infirmitatem, quædam etiam portio carnis ad modum ovi gallinæ circa junctura ei excrevit, & propter graviſſimos dolores brachium per integrum annum movere non potuit. Voto emiſſo dolor mitigatus fuit, & eo completo, circa tumbam, portio evanuit, & ex poſt amplius dolorem non ſenſit. Teſtis ipſa.

Quidam ab undecimo ſuæ ætatis anno atrociſſimum dolorem inter coſtas & circa hepar usque ad XVIIum. annum, ſingulis annis per 3. aut 4. dies paſſus, Beato LEOPOLDO poſt orationes ſibi in ſomnis apparente & dicente: *Non eſt neceſſe te multum orare*, evigilans priſtinæ ſanitati reſtitutus, amplius ipſa infirmitate nunquam tactus fuit. Teſtis ipſe.

Mulier a paſſionibus, quas ſub pectore aliquot annis habuit, voto completo, liberata fuit. Teſtis ipſa.

Altera per aliquot annos quandam infirmitatem paſſa in ſiniſtro latere, voto completo, ſtatim dolor mitigatus fuit. Teſtis ipſa.

Alia voto ab intenſiſſimo brachii dolore ſanatur. Teſtis ipſa.

Altera graviſſimum ſiniſtri brachii dolorem paſſa, ex qua ratione privari credebat, voto completo, ex integro ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia inflaturum brachii adeo paſſa, ut inflatura in negredinem colore mutato maximos dolores ſuſtinuit, voto emiſſo, in brevi curata fuit. Teſtis ipſa.

Altera per 24. annos duobus lapidibus maximis doloribus cruciata, voto completo, amplius dolores ipſos non ſenſit. Teſtis ipſa.

Adoleſcentula graviſſimis doloribus in brachio conquaſſata, a quibus nulla medela liberari poterat, poſt invocationem Beati LEOPOLDI ſanata ex integro fuit. Teſtis pater.

Contracti reſtituti numero X.

Mulier ex infirmitate, quadam manibus & pedibus contracta, eisdem per 26. hebdomadas & ultra uti non poterat. Voto, quod ob certam viſionem, quam in ſomnis habebat, emiſerat completo, ſtatim ſanitati reſtituta fuit, & a Commiſſariis ſana viſa eſt. Teſtis ipſa.

Puer 13. hebdomadis pedibus contractus, medelis fruſtra adhibitis, voto completo convaleſcere cœpit, & ſucceſſive ſanatus fuit. Teſtis mater, habet conteſtes duos, ſcilicet 30. 31mo. loco examinatos.

Mulier per 16. annos in ægritudinis lecto manibus & pedibus contracta decumbens, cum nulla poterat relevari medela, deſperata flens ſiniſtram menti ſui partem ex proprio loco amovit, quod nec os aperire, nec linguam movere poterat. Ad tumbam deducta, & completa devotione ſtatim ſanata fuit, & ſana coram Commiſſariis apparuit. Teſtis ipſa.

Alia per medium annum ambabus manibus contracta, voto completo, ſanata fuit. Teſtis ipſa & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 104to.

Qui-

Quidam per 36. hebdomadas in ægritudinis lecto contractus decumbens, nullo potuit remedio curari. Voto cum oblatione emisso, melius habere cœpit, & eo completo, sanitati restitutus fuit. Habet contestes duos, scilicet 65. & 66to. loco examinatos.

Mulier manibus & pedibus ac omnibus membris suis contracta, per 14. hebdomadas in ægritudinis lecto decubuit. Voto emisso, sanitati restituta illud complevit. Habet contestes tres, scilicet 91. 92. 113tio. loco examinatos.

Altera 22. hebdomadis manibus & pedibus contracta in lecto ægritudinis decumbens, nulla potuit medela curari. Ad tumbam votive portata, ac devotione completa statim melius habuit, & in brevi sanitati restituta fuit. Habet contestes duos scilicet 116. & 117mo. loco examinatos, & habetur in Inquisitione generali numero testium 35to.

Quidam quasi per integrum annum manuum & pedum contractionem passus, cum nulla Medicorum ope adjuvari poterat, facto voto statim melius habuit, & illud complendo omnino convaluit. Testis ipse, & habetur in Inquisitione generali numero testium 48vo.

Alter gravi infirmitate detentus, usum manuum & pedum penitus amisit. Statim Beatum LEOPOLDUM invocans votum emisit, quo completo in brevi sanatus fuit. Testis idem.

Adolescentula manibus graviter contracta, dum mater ejus quodam miraculo inducta votum cum filia emisisset; eo completo filia ex toto sanata fuit. Testis pater.

Claudi, & corpore vitiati sanati numero XXV.

Virgo quædam innupta tribus annis & ultra in ægritudinis lecto curva & pedibus contracta decumbens, nullibi nisi quadrupedum more ambulare poterat. Ad tumbam super curru deducta, sanata extitit, & se conspectui Commissariorum in crastinum sana præsentavit. Habet contestes decem, scilicet 4. 9. 14. 15. 16. 17. 25. 67. 68. & 176to loco examinatos, & habetur in Inquisitione generali numero testium 190mo, & etiam 218vo, & ibidem habet etiam contestes.

Mulier per 14. annos in tibia sinistri pedis gravissime cum notabili defectu infirmata ambulare non potuit. Voto completo, omnino liberata fuit. Testis ipsa.

Quidam per integrum annum gravissimam infirmitatem in dextro pede passus surgere nequivit, plurimis medicamentis frustra adhibitis. Votum complendo omnis dolor cessavit, & sanatus fuit. Testis ipse.

Mulier per 12. hebdomadas ambobus pedibus tantum tumefacta, ut sine baculi sustentatione incedere non valuit. Voto emisso sanata fuit; eo autem non completo, in eandem incidit infirmitatem: eo tunc completo, apud tumbam ipsam statim iterum sanata fuit. Testis ipsa & habetur in Inquisitione generali numero testium 156to.

Alteram in peregrinatione versus Aquisgranum constitutam in dextro pede dolor invasit, quæ baculi sustentatione plurima Sanctorum loca pro sui doloris alleviatione visitavit, A plurimisque medelis frustra adhibitis, arrepto versus domum itinere, pes in tantum intumuerat, ut a fodalibus in campestri loco derelicta amplius ambulare non valebat. Emisso voto, statim tumefactio & dolor cessavit, consodalesque sine sustentatione baculi secuta, cum eisdem sana ad domum reversa est. Contestis maritus; qui dicit se hoc ex aliis, qui cum uxore fuerunt, audivisse, & habetur in Inquisitione generali numero testium 37mo.

Alia de lecto surgere volens, vehementissimum sinistri pedis dolorem incidit, quo magis ac magis invalescente se morituram credebat. Voto completo de tumba sana abiit. Habet contestem unum, scilicet 7omo. loco examinatum, & habetur in Inquisitione generali numero testium 47mo.

B Quidam claudus cum sustentaculis ad tumbam veniens, devotione completa, sanus abiit. Testis unus, scilicet 101mo. loco examinatus.

Mulier vehementem sinistri pedis dolorem per triennium passa, tandem pustula quadam, antrax nomine, superexcrescente, tanto dolore extitit cruciata, ut pes sibi ardere videbatur. Visione in somnis de Beato LEOPOLDO consulta votum emisit, & statim melius habuit: eoque completo pustula cum dolore disparuit, & sana in domum rediit. Habet contestes duos, scilicet 118. & 119no. loco examinatos, & habetur in Inquisitione generali numero testium 78vo.

Infantula in pede dextro per 14. dies vehementissimo dolore cruciata, voto completo, C statim sana abiit. Testis mater, & habetur in Inquisitione generali numero testium 34to.

Quidam casualiter maximum pedis dextri dolorem incidens, quare claudicans cum baculi sustentatione vix incedere potuit. Voto completo, sanatus de tumba recessit. Testis ipse, & habetur in Inquisitione generali numero testium 48vo. Idem alia vice iterum in dextro pede magno dolore gravatus, medelis frustra adhibitis, intensissimo etiam oculorum dolore qui ipsum invasit valde cruciatus, votum complens, etiam sanatus de tumba recessit.

Mulier pollicem sinistri pedis per 20. annos aquam stillantem habuit, unde maximis doloribus quassata, vix ambulare, neque calciamenta deferre potuit. Post multas medelas frustra appositas, voto emisso, illico melius habuit, & sanata fuit. Testis ipsa.

Quidam pes sinister in tibia & junctura incurvabatur, quod per unam angariam & ultra pedem in junctura nullo modo movere, sed graviter curvate & claude ambulare potuit. Voto completo, in brevi omnino sanatus fuit. Testis ipse.

Juvenis quidam duobus annis sine sustentaculis ambulare non valens, voto completo sanatus est. Contestis unus eodem loco examinatus.

Alius pede sinistro, cujus cōxa adeo extra junctura devenit, quod difformiter per tres continuos annos claudus vix modicum ambulare potuit; cum nulla poterat medela curari, voto completo, statim convaluit, & sanus ad domum rediit. Testis pater.

Mulier ex vehementi dolore in pede sinistro incur-

incurvata, tandem coxa ejus locum proprium exiens tantum tumefacta & quaſſata fuit, quod nec die nec nocte fere per ſex menſes quieſcere potuit. Voto emiſſo, femore in ſuum locum reverſo, illico ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Puer claudus natus, voto emiſſo, ſanitatem recepit. Teſtis pater.

Mulier præ dolore pedis claudicans, completo voto, ſtatim liberata fuit. Teſtis ipſa.

Altera per duos dies maximos in pede dolores paſſa, emiſſo voto, ſtatim ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia per decem hebdomadas in ſiniſtro ejus pede acutiſſimos dolores paſſa ambulare non potuit. Voto emiſſo, ſtatim ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Altera per duos annos pedis dolore gravata, emiſſo voto, ſtatim liberata fuit. Teſtis ipſa.

Alia ob graviſſimas infirmitates per 40. hebdomadas ſine ſuſtentaculis ambulare non valens, voto completo, ſana de tumbâ abiit. Teſtis ipſa.

Quidam per 14. annos intenſiſſimos dolores in pede paſſus, voto emiſſo, a doloribus liberatus fuit; eo autem non completo, iterum eundem dolorem incidit. Voto autem reiterato & completo ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Mulier, cui per longum tempus pedes fluxerunt & ſtillarunt, voto completo, ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam de curru cadens in genu adeo ſe læſit, ut per tres annos ſine ſuſtentatione baculi ambulare nequivit. Voto emiſſo, peregrinationem ſine baculo complevit. Teſtis ipſe.

Infans intenſiſſimos pedis dolores paſſus per ſex hebdomadas, ambulare non valuit. Voto completo, omnino ſanatus extitit. Teſtis mater.

A capitis & dentium dolore liberati numero V.

Mulier a juventute ſua ſemper poſt 14. dies, tribus diebus vel circa, continue maximum dolorem capitis paſſa, a quo nullo remedio liberari potuit, poſt votum completum dolorem ipſum nunquam amplius ſenſit. Teſtis ipſa.

Alia capitis dolore diu vexata, ex ſiniſtra parte oris notabilis ei portio ceciderat, & ita per 16. ſeptimanas Medicis de ejus ſalute deſperatis jacuit. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & illud ſana ac læta complevit. Teſtis ipſa.

Altera gravem dolorem capitis paſſa, poſt invocationem Beati LEOPOLDI melius habuit. Teſtis ipſa.

Quidam vehementem fluxum capitis cum magno dolore & moleſtia per duos annos ſuſtinens, diverſis medelis fruſtra adhibitis, per ſeptem hebdomadas continuas naturali ſomno carens, & ab omnibus derelictus, mox poſt voti emiſſionem fluxus deſtrictus & priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Allegat teſtis ipſe plures teſtes.

Alter per 30. annos dentium dolorem ſingulis annis ter aut quater, aliquando 14. aliquando vero 20. diebus paſſus, voto completo, nunquam amplius dentium dolorem paſſus eſt. Teſtis ipſe.

De Epilenticis curatis numero VIII.

Puella per 9. annos morbum caducum aliquando decies, aliquando duodecies & circa in die paſſa, ad tumbam adducta, ibidemque orationibus completis, amplius infirmitatem nunquam ſenſit. Teſtes ſex, ſcilicet 5. 14. 15. 16. 17. & 25to. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 217mo, & ibidem etiam habet teſtes.

Altera morbum epilenticum per multos dies, & ſemel ultra mediam diem paſſa, & quaſi excæcata, voto emiſſo, ſtatim melius habuit, & eo completo morbum nunquam amplius ſenſit. Teſtis unus.

Puer epilentiam incidens, votive ad tumbam portatus, & ſuper altare poſitus amplius infirmitatem ipſam nunquam ſenſit. Teſtis pater, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 15omo.

Mulier colicam, & poſt epilentiam tam graviter paſſa, quod per unam horam aliquando cruciata jacuit, ut de ejus vita omnes deſperarent; invocatione ac voto ad Beatum LEOPOLDUM per alias perſonas emiſſis, mulier reſpiravit, & oculos aperuit, ac gratiarum actiones Beato LEOPOLDO agens, votum perſonaliter emiſit, & melius habuit. Teſtis ipſa.

Puella morbo epilentico per integrum annum ſæpius cruciata, voto cum orationibus per matrem emiſſo, illico melius habuit, & ex poſt amplius morbum non ſenſit. Habet teſtes duos, ſcilicet 20. & 140mo. loco examinatos, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium decimo.

Alia ex colica epilentiam incidens tanta infirmitate gravabatur, ut 4. annis manibus & pedibus contracta adverſa valitudine laboravit. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & in brevi ſanata infirmitatem ipſam nunquam ſenſit. Teſtis ipſa.

Puer epilentiam paſſus, etiam ad altare Beati LEOPOLDI per parentes apportatus, ſtatim ſanatus fuit, & infirmitatem ipſam amplius nunquam ſenſit. Teſtis ipſa.

Mulier per aliquot annos quandam infirmitatem paſſa, ex qua ſæpius in terram ceciderat, voto completo, amplius ipſam non ſenſit. Teſtis ipſa.

A dolore colico liberati numero II.

Mulier per medium annum & ultra colicam paſſa, in ægritudinis lecto decubuit. Cum nulla poterat medela curari; voto emiſſo ſtatim reſtituta, & ex poſt ipſam infirmitatem nunquam paſſa eſt. Teſtis ipſa.

Alia colicam paſſionem, ex qua manibus & pedibus contracta, per duos annos paſſa fuit, voto completo ſtatim ſanitati reſtituta fuit. Habet teſtes duos, ſcilicet 110. & 111mo. loco examinatos.

Vulnerati curati numero VIII.

Mulier ſiniſtram manum acu transfigens, cujus medietas ex fractione in manu remanens per octavam exinde evelli non poterat, vehementiſſimis doloribus cruciata, votum complendo ſtatim dolor ceſſavit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 177mo.

Infans quidam a nativitate ſua in pudibundis ruptus, proceſſu temporis ruptura ipſa magis ac magis tumeſcebat, medelis fruſtra adhibitis.

Poſt voti emiſſionem tumefactio & ruptura diſparuerunt. Teſtis pater, & habetur in Inquiſitione generali teſtium numero 73tio.

Alia vero vice cum pater citationi Commiſſariorum ſuper depoſitione miraculorum emanatæ parere parvipenderet, & miraculum non manifeſtaret; idem puer adeo flere incœpit, ut crepari credebatur. Pater recordatus contumaciam purgavit, & ſuper miraculo depoſuit, ſtatimque puer ſanatus fuit.

Alter a nativitate ſua rupturam in umbilico per 17. hebdomadas paſſus, voto per matrem completo, ſtatim puer circa tumbam ſanitatem recepit. Teſtis mater.

Alius a genitura ſua rupturam circa pudibunda per medium annum paſſus, & a Medicis incurabilis judicatus, voto per matrem completo, circa tumbam puer ſanatus eſt. Teſtis mater, habet conteſtem unum, ſcilicet 10ſto. loco examinatum.

Alter ex fractura per 4. annos gravi infirmitate detentus, jamque denigratus mori putabatur; ex invocatione Beati LEOPOLDI ſanatus eſt, & amplius dolorem non ſenſit. Teſtis mater.

Mulier per 20. continuos annos fluxum meiſtrui ultra ſolitum paſſa, ita quod eam aliquando in menſe niſi octo diebus reliquerit; quare in lecto ægritudinis infirmata decumbens votum emiſit, & ſtatim fluxus ceſſavit, & convaluit. Teſtis ipſa.

Quidam ab undecimo ſuæ ætatis anno usque vigeſimum ſextum fracturam genitalis ſiniſtri paſſus cum ruptura ipſa ſemel plurimum invaſuerit, votum emittens ſtatim ſanus & incolumis factus eſt. Teſtis ipſe.

Mulier per 9. annos fluxum ſanguinis continue & graviter paſſa, nulla poterat medela curari. Voto completo, ſtatim prope tumbam fluxus ceſſavit, & ipſum amplius non ſenſit. Teſtis ipſa.

Podagrici liberati numero II.

Mulier podagram in ambobus pedibus concipiens, voto emiſſo melius ſenſit, & infra paucos dies ſana complevit. Teſtis ipſa, & habetur in Inquiſitione generali numero teſtium 179no.

Quidam podagram per undecim annos continue paſſus, ita quod ſingulis annis, duabus vel tribus vicibus aliquando per unum, aliquando per duos, aliquando etiam per ſex menſes graviter cruciatus maximis doloribus in ægritudinis lecto decumbens, nulla poterat medela curari; voto emiſſo dolor ceſſavit: eo completo, usque in hodiernam diem podagram amplius non ſenſit. Teſtis ipſe.

A vinculis & carceribus liberati numero II.

Quidam in turri & cippo per triduum deprehenſus, cippum exiens, turrim tamen exire non valens, voto ad Beatum LEOPOLDUM emiſſo, per parvum foramen, ubi alias hominem exire impoſſibile erat, e turri, dehinc extra muros & foſſatas exivit, & liberatus fuit. Idem dum votum non adimpleviſſet, iterum eadem turri bene & optime reformata per annum integrum & ſex hebdomadas incluſus fuerat, in maximis anguſtiis plurimorum Sanctorum quos invocaverat auxilio derelictus, tandem quemdam alium conſocium ſuum etiam eisdem carceribus incluſum de miraculis Beati LEOPOLDI informavit. Voto tunc hinc inde emiſſo, certis miraculoſis modis turrim, muros & foſſata exierunt, & liberati fuerunt. Teſtis Johannes principalis.

Alter captivus, & catenis adeo in pedibus ligatus, quod catenæ carnes pedis graviter corroſerant, unde vehementiſſimum dolorem paſſus, Beatum LEOPOLDUM invocans ſtatim a paſſionibus & vinculis liberatus fuit. Teſtis ipſe.

MIRACULA IN PROCESSU INQUISITIONIS GENERALIS CONTENTA.

Morituri curati & præſervati numero XXVI.

Vir & uxor per 12. hebdomadas maxima infirmitate gravati in ægritudinis lecto decumbentes, propriis [1] deſtituti ſe volvere non poterant, demum per octo dies ratione & loquela carentes, ab omnibus mori putabantur. Voto pro eis emiſſo, rationem recuperare, & loqui & melius habere cœperunt, votum hujusmodi poſt octo dies perſonaliter complentes. Teſtes ipſi duo, conteſtis unus ex auditu.

Mulier per tres hebdomadas in ægritudinis lecto conſtituta, agoniſans cum candelis ardentibus mori putabatur. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & indies reconvaluit. Teſtis ipſa, conteſtis unus eodem loco examinatus.

Infans per 14. dies gravi infirmitate moleſtatus, adeo quod nihil alimenti recipere valens, oculis jam deſtructis, ac in eo ſignis mortis apparentibus, nullus amplius vitalis ſpiritus in eo ſentiebatur, exterioribus membris infrigidatis pro mortuo habebatur. Voto per parentes emiſſo, ſtatim reſpirando oculos aperuit, & colorem in melius mutavit: & voto completo, ſtatim apud tumbam omnimodam ſanitatem recepit, & hodie vivit. Teſtis Georgius Baro pater, habet conteſtes duos eodem loco examinatos.

Infans ſubitaneam infirmitatem incidens, per totum diem neque oculos aperire, neque amplius loqui poterat, putabaturque ſtatim moriturus. Voto per matrem emiſſo ſtatim convaluit. Teſtis Nicolaus Frid cum litteris credentialibus domini ſui.

Alius per ſex hebdomadas maxima infirmitate gravatus, nonnunquam per tres dies ſemimortuus jacens ab omnibus mori putabatur. Facto voto ſtatim melius habuit, & in brevi omnino ſanatus fuit. Teſtis pater.

Mulier tanta infirmitate gravata, quod duobus diebus ſemimortua jacebat, & cum candelis ardentibus ipſius obitus expectabatur; emiſſo per patrem voto melius habere cœpit, & infra paucos dies omnino ſanata fuit. Teſtis Matthias pater.

Infans tantam infirmitatem incidit, ut quaſi nihil vitæ in eo apparebat; voto emiſſo melius habere cœpit, & ad tumbam delatus omnino ſanatus fuit. Teſtis Michaël pater.

Alter tanta infirmitate gravatus, ut 14. diebus

[1] *deeſt forte* viribus.

fere

fere nihil alimenti perciperet, parentibus ſuis omnino de ejus vita deſperatis. Completo voto ſtatim melius habere cœpit, & in brevi convaluit. Teſtis Anna mater.

Infantula per 14. dies tanta infirmitate gravata, ut ab omnibus mori putabatur; voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & eo completo omnino ſanata fuit. Teſtis Eliſabeth.

Infans graviſſimam infirmitatem incidens, mori putabatur. Ad tumbam delatus ſtatim convaluit. Teſtis Martha mater.

Mulier per ſex hebdomadas in lecto ægritudinis tanta infirmitate decumbens, ut nonnunquam candela ardenti recepta mori putabatur. Et certa viſione ſibi ſemidormienti de Beato Leopoldo revelata, votum emiſit, & melius habere cœpit; ſequenti vero die votum complens, ſana ad domum rediit.

Quidam gravem infirmitatem, unde mori putabatur, incidens, voto emiſſo, ſtatim melius habuit, & ſanatus fuit. Teſtis Barbara mater.

Infans ob dolorem uberum matris ſuæ, quam lactavit, tanta infirmitate gravatus, ut jam deſtructis oculis agoniſans mori putabatur, nullusque in eo vitalis ſpiritus apparuit, candelam in manu tenens jam mori credebatur. Orationibus cum voto emiſſis, puer quaſi a ſomno excitatus reſpirando oculos aperuit, & melius habere cœpit, in brevique mater a dolore uberum, & filius ab infirmitate liberati fuerunt. Teſtis unus.

Alter gravi infirmitate debilitatus agoniſans, omnia mortis ſigna in eo apparebant. Emiſſo per parentes voto, ſtatim puer reſpirans melius habere cœpit, & infra mediam horam omnino convaluit. Teſtis Chriſtianus pater.

Mulier in ægritudinis lecto omnibus viribus deſtituta decumbens, mori putabatur. Voto emiſſo, ſtatim melius habuit, & eo completo, omnino convaluit. Conteſtis Georgius maritus.

Puer per integrum annum in ægritudinis lecto conſumptus, cum nihil fere alimenti ſumeret, mori putabatur. Voto per patrem completo, puer omnino convaluit. Teſtis Katherina mater.

Mulier per 14. hebdomadas tanta infirmitate gravata, cæcaque & ſurda facta mori putabatur. Notabili viſione de Beato LEOPOLDO admonita, votum emittens ſtatim melius habere cœpit, & in brevi ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Puer per 12. hebdomadas maxima infirmitate gravatus, ſignis & indiciis mortis jam in eo apparentibus, jamjam mori putabatur. Emiſſo per matrem voto, ſanatus fuit. Teſtis Affra mater.

Alter per 12. hebdomadas diffirmiteriam patiens, lien ſeu viſcus extra anum ad unius palmæ longitudinem exiens, unde mori putabatur. Emiſſo voto; lien ſine hominis ſuffragio ad locum debitum reverſus, & ipſe puer in tribus horis ſanitati reſtitutus fuit. Teſtis Leonardus pater.

Alius per biennium ethicam [1] paſſus, ab omnibus mori putabatur. Ad tumbam votive delatus, ſtatim ſanatus & viribus reſtitutus fuit. Teſtis pater.

Quædam in maximam infirmitatem & amentiam incidens tantum debilitata fuit, ut accenſis candelis ejus mors expectabatur. Voto emiſſo, mox ſanitati reſtituta votum perſolvit. Teſtis Margareta mater.

Altera per 4. hebdomadas tanta infirmitate gravata, ut accenſis candelis per parentes ejus, jam mori expectabatur; Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & poſt paucos dies votum ſana complevit. Teſtis Anna mater.

Alia per 18. hebdomadas graviſsima infirmitate detenta, taliter quod de ejus vita modica ſpes erat; voto per parentes emiſſo ſtatim convaluit, & ſanata fuit. Teſtis Eliſabeth mater.

Infantula tam graviter infirmata, ut proxima morti videbatur; ad tumbam votive delata, ſtatim curata fuit. Teſtis Anna mater.

Mulier per 14. dies in ægritudinis lecto decumbens, omnibus Sacramentis procurata citius mori putabatur. Emiſſo voto ſtatim melius habuit, & in brevi ſana votum complevit. Teſtis Fridericus maritus.

Puella tantum debilitata, quod omnibus Sacramentis procurata, candelis bis accenſis agoniſans jam mori putabatur. Voto per matrem emiſſo ſtatim reſpiravit, & quaſi a ſomno excitata melius habuit, & in brevi ſana votum complevit. Teſtis Margaretha mater.

Cæci illuminati, & ab Oculorum dolore liberati numero XXV.

Mulier per decem hebdomadas dolore oculorum fatigata amplius videre non poterat. Voto propter certam quam in ſomnis habebat viſionem emiſſo, & completo, ſtatim dolor ceſſavit, & ſana de tumba abiit. Teſtis ipſa.

Alia præ oculorum dolore per ſex hebdomadas excæcata, cum nulla poterat medela curari, ad tumbam votive deducta, dolor omnis obſceſſerit, & ſana ad domum reverſa eſt. Teſtis ipſa.

Alia oculorum dolore gravata excæcari timebatur. Voto completo ſtatim ſana abiit. Teſtis mater.

Altera tantò oculorum dolore gravata, ut per medium annum parum luminis ſenſerit, poſt plurimas medelas votum complendo ſtatim melius habuit, & in brevi omnino ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Altera maximo dolore in ſiniſtro oculo gravata, & macula deſuper excreſcens, excæcari timebatur. Tumba votive viſitata, ſtatim macula receſſit, & ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam capitis dolore per quinque hebdomadas preſſus & cruciatus, quod excæcatus, etiam quaſi ſurdus effectus fuit; voto propter viſionem ſibi in ſomnis revelatam emiſſo, ſtatim reconvaluit. Quo autem in 14. diebus non completo, viſio prædicta iterum ſibi apparens dixit, Niſi votum compleret, viribus & ratione deſtitueretur; luceſcente die votum complevit, & in ſanitate permanſit. Teſtis ipſe.

Alius capite & facie tantum inflatus, quod per decem dies nihil videre poterat; voto completo tumefactio in brevi diſparuit, & omnino ſanatus fuit. Teſtis idem.

Alter caſualiter excæcatus per octo dies nihil videre poterat. Voto completo ad tumbam

[1] hecticam.

oculorum viſum recepit, & ſanus abiit. Teſtis Caterina mater.

Alius intenſum paſſus oculorum dolorem, de ſero nihil videre nec oculos aperire poterat. Completo voto ſtatim clarum viſum recepit, & nihil amplius doloris ſenſit. Teſtis ipſe.

Puer per aliquot menſes dolorem oculorum patiens, nihil videre poterat. Completo voto ſtatim ſanatus fuit, & bene videns inde abiit. Teſtis Barbara mater.

Alius, cui carnoſitas non modica in anteriori acie dextri oculi excreverat, ut oculum claudere non poſſet. Votive ad tumbam delatus, carnoſitas ipſa ſub capite pueri reperta, & puer ipſo oculo omnino ſanatus fuit. Teſtis Katherina mater, habet conteſtem unum eodem loco examinatum.

Mulier præ oculorum dolore per quatuor hebdomadas omnino excæcata, voto emiſſo, ſtatim oculos aperuit, & in brevi omnino curata fuit. Voto vero plene non completo, iterum intenſus ei dolor in dextro oculo ſupervenit, voto tandem completo iterum ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Altera per duos annos dolorem oculorum paſſa, & per annum in dextro oculo excæcata, cum nulla poterat medela curari, voto completo, viſum omni dolore ſubmoto recepit. Habet conteſtes duos eodem loco examinatos.

Alia dolorem oculorum paſſa, cum per menſem cruor lacrimarum loco ab oculis effluxiſſet; voto completo, mox ceſſante dolore ſanata fuit. Teſtis ipſa, conteſtis unus, ſcilicet 216to. loco examinatus.

Quidam ex ictu vitis per novem hebdomadas oculorum dolorem patiens pene nihil vidit. Cum nulla poterat medicina curari, voto completo ſtatim ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Alius per ſex hebdomadas graviſſimum oculorum dolorem paſſus ab omnibus excæcari putabatur. Voto completo ſtatim ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Alter ambobus oculis caſualiter excæcatus nihil luminis videre poterat. Voto completo competentem viſum recepit, & a judicibus competenter videre viſus eſt. Teſtis ipſe.

Mulier in dextro oculo læſa per 14. dies nihil videre poterat. Voto emiſſo ſtatim viſum rehabuit. Teſtis ipſa.

Alter per tres hebdomadas dolores ſiniſtri oculi paſſus & punctiones, devotione ad tumbam completa ſanatus abiit.

Altera maximum dolorem oculorum paſſa, cum oculi ſibi indies intumuerant, excæcari credebatur. Emiſſo voto ſtatim omnis dolor ceſſavit, & ſana votum complevit. Teſtis ipſa.

Alia per 4. dies maximum oculorum dolorem paſſa, voto completo, ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa.

Altera vehementiſſimo oculorum dolore cruciata, tribus menſibus nihil videre poterat. Voto emiſſo ſtatim lumen oculorum recepit, & votum ſana complevit. Teſtis ipſa.

Infantula per ſex annos & ultra a nativitate ſua in ſiniſtro oculo cæca, dum tumbam ex voto viſitaret, ipſius oculi clarum viſum accepit, & a Judicibus videre viſa eſt. Teſtis Margareta mater.

Quidam per aliquot menſes vehementiſſimum dolorem oculorum paſſus omnino excæcari putabatur. Cum nullo medicamento juvari poterat, voto emiſſo ſtatim dolor mitigatus eſt, & eo completo omnino liberatus, & viſui reſtitutus eſt, & coram Judicibus videns comparuit. Habet conteſtes quatuor eodem loco examinatos.

Alter a particula ligni ſibi in oculum ſiniſtrum ſalientis tantum moleſtatus fuit, ut quaſi nihil cum eodem oculo videre poterat. Voto completo ſtatim curatus fuit. Teſtis ipſe.

Muti ſanati numero IV.

Puer quinque annis a ſua genitura mutus, nunquam auditus fuit proferre verbum. Ad tumbam cum oblatione votive deductus ſtatim loqui incœpit, & amplius perfecte loquebatur. Teſtis unus.

Alter ex gravi infirmitate mutus factus, intra ſe votum emittens ſtatim magnum alleviamen ſenſit, & loqui cœpit: & voto completo omnino ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Alia per quatuor hebdomadas in ægritudinis lecto muta decumbens, cum mors ejus accenſis luminibus expectabatur, poſt viſionem de Beato Leopoldo habitam votum emittens, ſtatim melius habuit, & in brevi ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alius per medium annum loquelam & officium linguæ perdidit, ita quod nullum verbum proferre poterat. Tumbam viſitando loquelam recuperavit, & perfecte loquitur, & coram Judicibus perfecte loqui viſus eſt. Conteſtis unus eodem loco examinatus.

Surdi ſanati numero V.

Quidam in aure ſua dextra per triennium ſurdus, completo voto, ſtatim ſanatus eſt. Teſtis ipſe. De poſt in aure ſiniſtra ſurditatem per annum paſſus, voto completo omnino convaluit.

Alter per plures menſes in dextra aure penitus ſurdus nihil audire potuit. Voto completo ſtatim ſanatus eſt. Teſtis ipſe.

Alius per 14. hebdomadas in dextra aure ſurdus nihil audire, neque aliqua medela curari poterat. Tumbam votive accedens, ſtatim ſanus factus eſt. Teſtis ipſe.

Infans quadam vice cadens, ſurdus & mutus usque ad decimum octavum ſuæ ætatis annum permanſit. Ad tumbam votive adductus auditum perfectum recepit cum aliquali loquela, quem Judices perfecte audire, & aliqualiter balbutiendo loqui compererunt. Teſtis Anna mater, habet conteſtes tres eodem loco examinatos.

Alter in ſecundo ſuæ ætatis anno conſtitutus ambabus auribus ſurdus factus, usque ad vigeſimum nonum ſuæ ætatis annum ſurdus permanſit, fluxumque aurium per tres annos continue paſſus fuit. Ad tumbam votive veniens ſanatus eſt, & a Judicibus bene audiens compertus. Habet conteſtem unum eodem loco examinatum.

A periculo partus liberatæ numero VII.

Mulier, quæ ut plurimum abortivos genuit, completo cum orationibus voto, ab eo tempore plures pueros vivos peperit. Teſtis unus.

Alia imprægnata caſualiter furiam & phreneſim incidens, cum 14. hebdomadas mente capta fuerat, & fetum in 14. diebus emittere non potuiſſet; voto emiſſo ſtatim cum ſalute peperit. Teſtis ipſa.

Altera partui vicina per totum corpus tumefacta, atque taliter inflata, quod procurata Sacramentis ſe per medium crepari putabat. Emiſſo voto ſtatim tumefactio decrevit, eoque perfecto ſtatim ſanitati reſtituta fuit. Teſtis ipſa.

Alia tres abortivos pueros ſucceſſive genuerat, propter quod plurimum anxia diverſas incidit infirmitates. Voto pro ſua & puerorum pariendorum ſalute completo, quinque pueros cum ſalute peperit. Teſtis ipſa.

Altera in partu tam graviter laborans, ut jam jam ipſa ac puer mori putabantur. Voto per obſtetrices emiſſo, mulier puerum adhuc in vita agentem feliciter peperit. Teſtius unus.

Alia gravida per 35. hebdomadas febres quotidianas paſſa, ita quod de partu multum dubitabatur, oblatione votive miſſa, geminos filios cum ſalute peperit, & ſtatim a febribus liberata fuit. Teſtis ipſa.

Altera tantam difficultatem in partu paſſa, ut obſtetrices ipſam cum fetu deficientem jam mori putabant. Beati LEOPOLDI invocato auxilio, primo fœmellam cum ſalute, deinde abortivum peperit. Nec dum ſe liberatam ſenſit, voto emiſſo iterum maſculum vivum & hodie in humanis cum filia agentem peperit. Habet conteſtem unum, & eſt communis vox & fama.

A diverſis periculis liberati numero IV.

Mulier prægnans, quæ cum filiam ſuam juxta votum ad tumbam Beati LEOPOLDI una cum duobus aliis pueris ſuis in curru duxiſſet; accidit quod ipſe currus cum perſonis per declivium montis verſus aquam Danubii cecidit, ita quod perſonæ in ipſo curru exiſtentes ab omnibus prætereuntibus & aſtantibus mortuæ putabantur. Ammoto curru homines & equi ſalvi permanſerant, & votum compleverunt. Teſtis maritus, qui firmiſſime credit ex meritis Beati LEOPOLDI ita factum fuiſſe. Habet conteſtem unum, ſcilicet 2ndo. loco examinatum.

Mulier (ut aſſeruit) Diabolica ſuggeſtione decepta, de fide Catholica dubitare cepit. Quam cum de corde ſuo plusquam per anni ſpatium ejicere non potuiſſet, voto completo, infra Miſſarum ſolennia ſtatim omnis dubietas ſine ulteriori impedimento ammota eſt. Teſtis ipſa.

Quidam ex Urbe reverſus, cum inter Anconam & Tergiſtum in mari, ubi paulo ante duæ naves naufragium paſſæ fuerant, conſtitueretur; repentina ſupervenit tempeſtas, quod omnes deſperati ſe interituros putabant. Cæteri Romipetæ per teſtem de ſanctimonia & miraculis Beati LEOPOLDI informati preces ſuas ad eum fundunt; ipſe vero votum emiſit. Quo facto ſtatim mare tranquillatum fuit, & ipſi incolumes ad terram pervenerunt. Teſtis ipſe.

Puer cum anhelitu lapidem ad nares poſitum attraxit, ita ut evelli non poſſet, tumefactioque ſubſequeretur. Ad tumbam ductus, & reportatus, lapis ex naſo ſine dolore, cruentatu tamen cecidit, & puer ſanatus fuit. Teſtis unus.

Male ſentiens punitus numero unus.

Quidam uxori ſuæ ex eo iraſcens, quod ex devotione ad elemoſinam panis, vini ac trium obulorum, quæ in honorem Beati LEOPOLDI Martis poſt Palmarum [1] ſingulis annis in Monaſterio Clauſtro-Neuburgenſis volentibus recipere dari conſuevit, acceſſit, ac elemoſinam ipſam ad domum deferens, maritus in hæc verba prolapſus dixit: Vellem quod perpetuo ex elemoſina viveres, ac mihi eandem non afferres. Poſtmodum de pane ipſo ſumens deglutire nequivit, ac ſe in lecto circumvolvens ſuffocatus fuit. Teſtis filia.

Phrenetici liberati numero IV.

Mulier in puerperio conſtituta, per 14. dies omni ratione privata, mente capta furioſa fuit. Facta pro ea voto ſtatim melius habuit, & ipſam infirmitatem amplius non ſenſit. Teſtis unus.

Quidam ex graviſſima infirmitate & vulnere quodam furioſus & mente captus, ac per menſem manibus & pedibus ligatus fuit. Voto per uxorem emiſſo, ſtatim a furia ceſſans melius habuit, eoque perſonaliter completo, omnino curatus fuit. Conteſtis unus eodem loco examinatus.

Infans quidam decem annorum mente captus, vel potius obſeſſus, voto pro eo emiſſo & completo, melius habuit, & poſt paucos dies liberatus fuit. Teſtis mater.

Mulier per ſex hebdomadas in lecto ægritudinis maxima infirmitate ſine ratione decumbens, cum nulla Medicorum ope relevari poſſet, voto pro ea emiſſo & completo, melius ſtatim habere cœpit, & poſt paucos dies ſanitati reſtituta fuit. Teſtis ipſa.

Paralytici liberati numero XI.

Mulier per ſex annos paralyſim paſſa, voto completo, infra paucos dies omnino reſtituta fuit. Teſtis ipſa.

Alia per decem hebdomadas continue ex paralyſi & capitis dolore in ægritudinis lecto decumbens, in tantum debilitata fuit, quod nec bene videre, nec bene audire poterat. Ad tumbam deducta ſtatim melius habere cœpit, & ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia manibus & pedibus contracta per 16. annos in ægritudinis lecto paralytica decumbens, nullo potuit medicamine curari. Sibi ipſi compatiens, cum ſuam tam longævam deſleret infirmitatem, ſiniſtra pars menti ſui extra junctura ſe declinavit, ita quod nec os aperire, nec lingua loqui poterat. Cum omni humano auxilio ſe privatam cerneret, ad tumbam Beati LEOPOLDI ſe votive adduci procuravit, & ibidem ſine hominis adjumento ſanata fuit, & ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa.

Quidam per ſex hebdomadas in lecto ægritu-

[1] *id eſt*, die Martis poſt Dominicam Palmarum.

dinis paralyticus decumbens, cum nulla medela relevari potuit, in somno visione consolatus, evigilans votum emisit. Quod tertia die complens, sanus de tumba abiit. Testis ipse.

Alius per integrum annum in ægritudinis lecto paralyticus decumbens, nulla ope Medicorum relevari poterat. Ad tumbam votive ductus statim melius habere cœpit, & tertia die omnino convaluit. Testis ipse.

Puer ex diuturna infirmitate per integrum annum passus, in lecto paralyticus decumbens, in corpore adeo consumptus, ut citius mori putabatur. Ad tumbam votive per matrem delatus, sanitati restitutus fuit. Testis mater, contestis unus eodem loco examinatus.

Mulier paralysi duobus continuis annis laborans, post medelas frustra adhibitas, voto completo sanata de tumba abiit. Testis ipsa.

Alia paralysim incidens, surda, cæca & muta per annum in lecto decubuit. Ad tumbam ducta, completisque orationibus statim ab omnibus infirmitatibus liberata, sana domum rediit. Testis ipsa.

Quidam per 36. hebdomadas manibus & pedibus contractus in lecto paralyticus decumbens, cum nulla potuit medela curari, voto emisso statim melius habere cœpit, & post paucos dies votum complens omnino sanatus fuit. Testis ipse.

Mulier per 18. hebdomadas paralytica decumbens, voto emisso, statim melius habuit, & eo completo, sana in domum abiit. Testis unus.

Alia per 24. hebdomadas paralytica decumbens, voto emisso, statim melius habuit, & illud persolvens omnino sanata fuit. Habet contestem unum eodem loco examinatum.

Pistilentici liberati, & apostematici numero IX.

Mulier pestilentia tacta, voto emisso, quasi a gravi somno excitata, cruore per nares emisso, amplius infirmitatem non sentiens votum sana complevit. Testis mater, habet contestem unum scilicet 215to. loco examinatum.

Quidam pestilentia tactus, tumba votive visitata atque tacta, locum liniendo infectum statim pestis disparuit, & sanus inde abiit. Testis uxor.

Virgo quædam pestilentia tacta in procinctu mori putabatur. Emisso per patrem voto, melius habere cœpit, & eo completo, pristinæ sanitati restituta est. Testis pater.

Adolescens apostemate interiori tactus, & a Physicis pro filio mortis judicatus, ipsisque desperate recedentibus, emisso voto quasi a somno excitatus melius habere cæpit, & sequenti die omnino convaluit. Testis pater.

Infans duobus apostematibus tactus septem diebus ægrotavit, ita quod candelis ardentibus ejus mors a parentibus expectabatur. Voto emisso statim convaluit, & eo completo omnino sanatus fuit. Testis pater.

Alter tribus apostematibus tactus, & in tantum debilitatus, quod jam agonisans mori putabatur, voto emisso statim melius habere cœpit, & post paucos dies omnino sanatus fuit. Testis unus.

Puella antracem sive apostema inter scapulas habens, omnino mori putabatur. Voto completo antrax sive apostema disparuit, & filia pristinæ sanitati restituta fuit. Testis mater, habet contestem unum eodem loco examinatum.

Mulier duobus apostematibus cruciata, per sex hebdomadas ratione carens vesaniam incurrit, tandem inducta votum emisit, & statim vesania recessit, & sanata fuit. Testis ipsa.

Quidam ex apostemate, quod in corpore sibi creverat maximam tumefactionem incidit, a qua nulla poterat medela liberari. Voto completo statim tumefactio disparuit, & in brevi omnino curatus fuit. Testis ipse.

A febribus curati numero XIX.

Virgo innupta febres quartanas per tres annos continue passa, cum nulla poterat medela curari, voto completo de tumba sana abiit, & ex post febres nunquam sensit. Testis ipsa.

Mulier per tres annos continuos manuum contractionem una cum quartana febre passa, cum nullo medicamine juvari poterat, voto completo statim ab utraque infirmitate liberata fuit. Testis ipsa.

Alia per plures menses febres quartanas passa, ita quod aliquando ex nimia infirmitate vesaniam & amentiam incurrit, cum nulla Medicorum ope juvari poterat; voto completo statim melius habere cœpit, & domum reversa febres ipsas amplius non sensit. Testis ipsa.

Altera per medium annum febres tertianas passa, cum nulla potuit Medicorum ope relevari, tumba votive visitata, febris eam statim reliquit, quas postea non sensit. Testis ipsa.

Infans febres incidens cum panno tumbæ appositio involveretur, statim febris ipsum dimisit, & sanatus fuit. Testis mater.

Adolescentula per decem hebdomadas quartanis febribus gravata, nulla Medicorum ope relevari valebat. Ad tumbam votive ducta, statim febris ipsam dimisit, & sana abiens easdem amplius non sensit. Contestis mater.

Adolescens per plures menses febres tertianas passus, cum nulla medela liberari potuit, tumbam accedens, statim febris ipsum reliquit, & amplius non sensit. Testis ipse.

Quidam febribus acutissimis invasus, & se moriturum credens, statim facto voto in tantum convaluit, ut hora vespertina votum persolvens omnino sanatus fuit. Testis ipse.

Mulier tribus annis continuis febres quartanas passa, cum nulla medela juvari poterat, voto completo febres amplius nunquam sensit. Testis ipsa.

Alia febres tertianas cum quodam puero suo per biennium passa, post medelas inutiles votum complentes sani abierunt, & febres amplius non senserunt. Testis ipsa.

Altera febres quotidianas per annum cum dimidio passa, cum neque per Sanctorum limina, quæ in sua infirmitate visitaverat, neque Medicorum poterat juvamine curari; emisso voto statim melius habere cœpit, & eo completo, omnino curata fuit. Testis ipsa.

Alia febribus tertianis acriter invasa, voto completo,

completo, ſtatim ſana abiit, & febres amplius non ſenſit. Teſtis ipſa.

Puer febres quartanas per annum paſſus, ad tumbam votive deductus, ſtatim ipſum febris reliquit. Teſtis mater, conteſtis pater.

Mulier per tres hebdomadas quotidianas acriter paſſa, & puer ejus tertianas per integrum annum, voto completo, ambo a febribus liberati fuerunt. Teſtis ipſa.

Alia quotidianas febres per octo dies ſine intermiſſione tam acriter paſſa, ut nullo modo ſe amplius ſupervicturam putabat voto emiſſo ſtatim ſanitati reſtituta fuit. Teſtis ipſa.

Infantula per integrum annum quotidianas febres paſſa, ad tumbam votive ducta, febris eam reliquit; & hodie incolumis vivit. Teſtis mater.

Quidam acutiſſimas febres & tandem Ictericiam incidens, per ſedecim hebdomadas languens nulla poterat medela curari. Voto per parentes pro ejus ſalute emiſſo, mox melius habuit, & votum perſonaliter complendo ſanus abiit. Teſtis mater.

Alter per duos integros annos febres paſſus, nulla potuit ope Medicorum relevari. Voto completo, ſtatim liberatus fuit. Teſtis uxor.

Adoleſcentula per annum cum dimidio aliquando tertianas, aliquando quartanas febres paſſa, cum nulla medela relevari poterat, voto emiſſo, ſtatim curata fuit, & febris ipſam dimiſit. Teſtis unus cum litteris credentialibus.

A diverſis ægritudinibus curati numero XXXIIII.

Mulier maximo dolore brachii ſiniſtri gravata, completa apud tumbam devotione, ſtatim ſana abiit, & nil amplius doloris ſenſit. Teſtis ipſa.

Quidam maximo dolore brachii dextri gravatus, poſt multa medicamina fruſtra appoſita, voto completo melius habere cœpit, & poſt paucos dies omnino ſanitatem recepit. Teſtis ipſe.

Quidam cadendo dextrum brachium evulſit, maximas paſſiones habens nullo medicamine ſanari potuit. Completo voto omnino ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Mulier ſiniſtra manu læſa, ea aliquamdiu uti non poterat. Voto completo ſtatim ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Puer maxima infirmitate gravatus, per medium annum & ultra tumefactus, ita quod crepari putabatur, ad tumbam delatus & linitus, ſtatim tumefactio diſparuit, & ſanus inde abiit. Teſtis mater.

Alter curvata manu genitus, matri exiſtenti in puerperio quædam viſio apparuit, dicens: Margareta, puerum tuum devove ad tumbam Beati LEOPOLDI, & ſanabitur. Quod evigilans complere volebat, puerum intuita perfecte ſanatum reperit, & hodie ſanus exiſtit. Teſtis mater, conteſtis unus eodem loco examinatus.

Mulier tantum ſiniſtri ſui brachii dolorem incidens, ut per tres hebdomadas nihil perficere potuiſſet; tumbam votive adiens omnino ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam dolorem ſiniſtræ coxæ per quatuor hebdomadas paſſus, neque diebus neque noctibus quieſcere poterat. Viſione in ſomno conſolatus, evigilans votum emiſit, & denuo evigilans ſe curatum reperit, & votum ſanus implevit. Teſtis ipſe.

Alter in tympanum incidens tantum tumefactus, quod per 14. dies in lecto ægritudinis decumbens; per medium crepaturus putabatur. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & poſt paucos dies omnino convaleſcens votum perſonaliter adimplevit. Teſtis unus.

Infans tanta infirmitate gravatus, quod aliquando per triduum nihil alimenti percepit. Durante autem infirmitate per hebdomadas tres; ad tumbam poſtea delatus ſtatim melius habuit, & ſanatus fuit. Teſtis mater, conteſtis unus, ſcilicet 67mo. loco examinatus.

Alius ex magna infirmitate tribus diebus continue ploravit, nihil alimenti ſumens. Voto emiſſo ſtatim puer a fletu ceſſavit, & ſanatus fuit. Teſtis mater.

Mulier intenſum dolorem ſiniſtræ manus incidens, ea uti non potuit. Votive ad tumbam pervenit, ſtatim dolor ceſſavit, & ſana abiit. Teſtis ipſa. Alia vice a ſimili infirmitate etiam ita liberata fuit.

Altera manum ſiniſtram ab anteriori parte frangens; multis medicamentis adhibitis per annum integrum, in nullo relevata maximas pertulit paſſiones. Voto completo ſtatim melius habuit, & in brevi omnino ſanata fuit. Teſtis maritus.

Alius maximum incidens ſpinæ dorſi dolorem, ita ut ſe erigere vel movere nequiret, emiſſo voto ſtatim alleviamen ſenſit, & ſequenti die omnino ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Quædam ſquinantiam patiens, in tribus diebus nihil potuit deglutire. Voto completo, ſtatim ſquinantia a gutture reſoluta, quaſi lapillus intra corpus cadens evanuit & apud tumbam ſanata abiit. Teſtis ipſa.

Brachium dextrum puero per matrem extra juncturam a caſu tractum, tantam puero infirmitatem intulit, ut per tres dies continue flendo clamaret. Emiſſo per matrem voto, ſtatim puer convaluit, & omnino ſanatus fuit. Teſtis mater.

Mulier vehementem dolorem ſiniſtri ejus lateris incidens, vix reſpirare poterat. Voto completo priſtinæ fuit ſanitati reſtituta. Teſtis ipſa.

Quidam vehementem dolorem in dextro humero patiens, per medium annum cum eadem manu nihil perficere valens, poſt medelas fruſtra adhibitas complens votum, ſanus de tumba abiit, & nihil amplius doloris ſenſit. Teſtis ipſe.

Mulier multis annis vehementiſſime a calculo cruciata, cum nulla potuit medela curari, voto completo ſana abiit, & amplius calculi dolorem non ſenſit. Teſtis ipſa.

Alia in ſumma infirmitate ægritudinis lecto incumbens, notabili viſione de Beato LEOPOLDO habita votum emiſit, & ſtatim melius habuit, in brevi-

brevique omnino ſanata fuit. Conteſtis maritus.

Altera corpore tumefacta per tres annos in lecto ægritudinis decubuit. Emiſſo voto ſtatim melius habere cœpit, & in brevi omnino ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Quidam fluxum ad latus ſiniſtrum patiens, tantum moleſtatus fuit, ut mortis periculum timeret. Voto completo curatus fuit, & amplius nihil doloris ſenſit. Teſtis ipſe.

Alter intenſum dolorem in ſpina dorſi patiens, per tres dies nullatenus ſe de loco movere poterat. Voto emiſſo ſtatim melius habuit; & eo completo, omnino ſanatus fuit. Teſtis ipſe.

Puer ictericus natus, cum nulla potuit medela curari, voto completo ſtatim ſanatus fuit, & hodie ſanus eſt. Teſtis mater.

Quidam per 14. hebdomadas dolorem in dextro brachio paſſus, voto completo ſtatim ſanatus fuit, & amplius dolorem non ſenſit. Teſtis ipſe.

Mulier per quinque hebdomadas infirma in ægritudinis lecto decubuit. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & perſonaliter votum adimplens, omnino curata fuit. Teſtis ipſa.

Puer graviſſima infirmitate per octo hebdomadas gravatus, penitus conſumptus fuit. Ad tumbam votive delatus, ſanitati reſtitutus eſt. Cum autem parentes ipſius hoc miraculum in Inquiſitione generali obticuiſſent, puer in eandem incidit infirmitatem. Denuo ad tumbam votive delatus iterum reconvaluit, & parentes ipſi tunc dixerunt. Teſtis mater, conteſtis pater eodem loco examinatus.

Quidam per ſex hebdomadas in ægritudinis lecto viribus deſtitutus decumbens, emiſſo per uxorem cum certa devotione voto, ſtatim tranſivit quo voluit, & in brevi completo voto omnino convaluit. Teſtis uxor.

Puella maxima infirmitate gravata, in ægritudinis lecto per quatuor hebdomadas decumbens mori putabatur. Emiſſo per matrem voto mox melius habuit; & in brevi ſana votum complevit. Teſtis mater.

Mulier inflaturam menti & gingivarum paſſa, quæ ipſam interpellatis vicibus per quinquennium occupaverat, ut nonnunquam mori putabatur; poſt plurimas medelas votum emittens ſtatim melius habuit, & tertia die perſonaliter complens, ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa.

Alia per octavam vehementiſſimum ſpinæ dorſi paſſa dolorem, cum ſe nec erigere nec inclinare poterat, tumbam votive accedens ſtatim priſtinam recepit ſanitatem. Teſtis ipſa.

Eadem ſquinantiam per octavam paſſa, nihil deglutire valens ſuffocari credebatur. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & ſquinantia diſparuit.

Infans plenus ulceribus, voto per matrem emiſſo, liberatur, & ſtatim ulcera diſparuerunt. Teſtis mater.

Mulier ex tumefactione pollicis ſiniſtræ manus tot paſſionibus cruciata, ut cum ea manu nihil perficere poſſet; voto completo, ſtatim doloris ſui leviamen ſenſit, & in brevi ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Contracti reſtituti numero XVII.

Mulier manibus & pedibus per 12. hebdomadas continue contracta in lecto recumbens, multis medicamentis fruſtra adhibitis, emiſſo voto ſtatim melius habere cœpit, & eo completo, in brevi ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia manibus & pedibus contracta, voto emiſſo, ſtatim melius habere cœpit, & ſanitati reſtituta votum complevit. Teſtis ipſa.

Altera per tres continuos annos manuum contractionem cum quartana febre paſſa, cum nullo medicamine juvari potuit; voto completo ſtatim ex utraque infirmitate liberata fuit. Teſtis ipſa.

Alia per ſex hebdomadas manu ſiniſtra contracta, ita quod brachium nequaquam levare poterat; voto completo ſtatim reſtaurata, & ſanata de tumba abiit. Teſtis ipſa.

Altera per plures annos die noctuque manibus & pedibus maximis doloribus ac fletibus in lecto ægritudinis contracta jacens, voto emiſſo de lecto ſurgebat, & quo volebat progrediebatur. Teſtis mater.

Alia per ſex hebdomadas manibus & pedibus contracta in lecto decumbens, nulla potuit medela curari. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & ambulans perſonaliter votum complevit. Teſtis ipſa.

Altera colica paſſione aliquamdiu gravata, demum morbum epilentiæ incidit, ex quibus tantum cruciata, tandemque manibus & pedibus contracta, per quatuor annos in ægritudinis lecto decubuit. Cum nulla Medicorum ope juvari poterat, voto emiſſo melius habere cœpit, & in brevi votum perſonaliter complens, ab omnibus doloribus liberata fuit, & hodie ſana eſt. Habet conteſtem unum, ſcilicet 214to. loco examinatum.

Alia poſt puerperium ambabus manibus contracta, aliquamdiu nihil cum eis perficere potuit. Voto completo, manibusque ſuper tumba poſitis ſtatim omnis dolor ceſſavit, & ſanata abiit. Teſtis mater.

Duo ex quadam infirmitate pedibus per integrum annum contracti, facto per matrem voto, ſtatim melius habere cœperunt, & ſequenti die votum perſonaliter complentes, ſani de tumba abierunt. Teſtis unus, conteſtis alter.

Mulier per 13. hebdomadas manibus contracta, ipſis uti non potuit. Voto completo ſtatim melius habuit, & ſanata fuit. Conteſtis mater eodem loco examinata.

Alia colicam per viginti ſeptimanas paſſa, manibus & pedibus contracta, abſque eorum uſu in lecto ægritudinis decumbens, voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & in brevi ſanitati reſtituta eſt. Teſtis ipſa.

Puer ſeptem hebdomadas manibus & pedibus contractus ad tumbam votive delatus, mox curatus fuit. Teſtis mater.

Quædam manibus & pedibus contracta atque excæcata, quibus infirmitatibus per integrum annum laborabat, cum nulla potuit medela curari,

rari, voto emisso, statim manuum ac pedum sanitatem oculorumque lumen accepit, & votum sana complevit. Testis ipsa.

Quidam per integrum annum manibus & pedibus contractus, sua virtute ambulare non valebat. Voto completo, statim melius habere, & cum baculi sustentatione ambulare cœpit, & in brevi gressum perfectum consecutus est. Testis unus.

Alius manibus & pedibus contractus, suis viribus se movere nequiens, auditumque auris sinistræ plusquam per annum omnino perdiderat. Voto emisso, statim melius habere cœpit, & illud persolvens iterum melius habuit, perfectumque gressum ac usum manuum recepit, & a surditate liberatus fuit, & sic Judices ipsum viderunt. Testis ipse.

Infans per quinquennium maxima infirmitate gravatus, sibique maxima carnis massa inter scapulas crevit: Spasmo quoque adeo vexatus, & membris contractus fuit, ut nullam quietem habere potuit, unde citius mori putabatur. Voto per matrem emisso, statim puer quiescere, & melius habere cœpit, votoque completo statim libere incessit, ac convaluit, & massa carnea quasi omnino disparuit. Testis mater.

Alter manibus & pedibus a genitura sua contractus se movere non poterat. Ad tumbam votive allatus, statim multis cernentibus sanatus fuit. Testis mater, habet contestes duos eodem loco examinatos.

Claudi, & corpore vitiati sanati numero XXXIII.

Infantula adeo corpore vitiata erat, quod timebat, quando ad annos nubiles perveniret, prolem procreare non posset. Votive ad tumbam deducta, corporis vitium disparuit, & cum marito suo conjuncta jam decem proles habuit. Testis ipsa.

Adolescentula ex quadam pustula, quæ ei in juntura genu dextri pedis creverat, curva facta, ac in ægritudinis lecto clauda decumbens, cum nullo medicamine juvari poterat, sed ab omnibus perpetuo claudicatura putabatur, emisso per parentes voto, statim erecto pede claudo sana votum una cum parentibus persolvit. Testis mater, contestis unus eodem loco examinatus.

Mulier pedibus contracta, ita quod in tribus hebdomadis laborare non poterat, quadam nocte ei visio in somnis apparuit, persuadens, ut se ad tumbam Beati LEOPOLDI devoveret. Voto emisso, statim dolor mitigatus, & sanitati restituta fuit. Testis ipsa.

Alia in itinere vehementem dolorem genu dextri pedis incidens, ita ut in terram prostrata amplius transire non potuit, voto emisso statim restituta fuit, & votum incolumis complevit. Testis ipsa.

Altera e somno excitata gravem infirmitatem dextri pedis sensit, unde tantum debilitata fuit, quod altero mane e lecto surgere nequivit. Voto emisso statim melius habuit. Cumque votum implere conaretur, alius intensus in pede sinistro dolor ipsam in itinere invasit, ita quod ad terram inclinata amplius progredi non poterat. Beato LEOPOLDO iterum invocato, notabile doloris alleviamen sensit, & voto completo, utriusque pedis sanitatem recepit, & nil amplius doloris sensit. Testis ipsa.

Alia vehementi dolore in dextro pede gravata, ita quod per quatuor hebdomadas cum nullo modo levare poterat, nulla medela adjuta, ad tumbam votive adducta statim melius habuit, & sanata fuit. Testis ipsa.

Altera maxima inflatura dextri pedis gravata, per 14. dies in lecto decubuit. Voto emisso statim melius habuit, & eo completo, omnino sanata fuit. Testis ipsa.

Adolescentula a cunabulis suis ambobus pedibus clauda, duobus sustentaculis graviter incessit. Ad tumbam votive adducta, devotione neque completa, sustentaculis apud tumbam dimissis sana incessit. Testis ipsa.

Mulier maximo dolore in pede sinistro gravata ambulare non poterat. Completo voto statim de tumba sana abiit. Testis ipsa.

Quidam dextri pedis dolore per aliquot menses cruciatus, cum nulla medela juvari poterat, voto emisso statim melius habuit, & eo completo, sanatus fuit. Testis ipse.

Alter pedibus pustulis repletis & tumefactus, per quatuor annos gravissime ambulabat. Cum nulla potuit medela curari, voto completo statim sanatus fuit. Testis ipse.

Mulier tres hebdomadas ob pedum dolorem decumbens, quadam nocte tanto dolore gravabatur, ut se morituram putabat. Precibus effusis, ac voto completo dolores recesserunt, & sana abiit. Testis ipsa.

Altera in puerperio constituta tantum sinistri pedis dolorem incidit, ut per sex hebdomadas continue nihil quietis habere, nec aliquo medicamine juvari poterat. Voto emisso statim melius habuit, & puerperium egressa, votum complens sanata fuit, & nil amplius doloris sensit. Testis ipsa.

Alia dolorem lateris & pedis sinistri incidens, quatuor annis infirmitate laborabat. Cum nullo medicamine relevari poterat, voto completo statim alleviamen doloris sensit, & in brevi omnino sanata fuit. Testis ipsa.

Altera difformitatem, videlicet impetiginem in facie & ambobus pedibus incidens, cum nullo medicamine juvari poterat, ad tumbam votive adducta, & devotione completa statim difformitas disparuit, nihil vestigii remanens; & ex post ita etiam sæpius liberata fuit. Testis ipsa.

Quidam in peregrinatione versus Aquisgranum constitutus, maximam inflaturam junctu-rarum incidit, ita quod cum maximo dolore & baculi sustentatione Aquisgranum pervenerit. Dolore in reversione ex laboribus gravato, votum ad Beatum LEOPOLDUM emisit, & statim melius habuit; ac sine dolore comites secutus, sanus ad domum rediit. Testis ipse.

Quidam maximam pedis sinistri tumefactionem & dolorem patiens, cum sustentaculo incedere cogebatur. Post medelas frustra adhibitas, votum complens statim convaluit, & sanus inde recessit. Testis ipse.

Mulier per tres hebdomadas gravissimos pedum dolores ex spasmo passa, aliquando de vita sua desperavit. Voto emisso statim melius habere

bere cœpit, & illud complendo ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia per plures menſes dolorem in tibia ſiniſtri pedis patiens, incurvata cum baculi ſuſtentatione graviſſimè ambulabat. Poſt plurimas medelas voto completo ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Altera tam gravem dolorem ſiniſtri pedis paſſa, quod omnibus Sacramentis procurata moritura putabatur. Voto emiſſo mox convaluit, & omnis ab ea dolor receſſit. Teſtis ipſa.

Quidam acerrimum dolorem pedis ſiniſtri paſſus, duobus diebus in lecto decumbens nullibi deambulare poterat. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & in brevi omnino curatus fuit. Teſtis ipſe.

Mulier vehementiſſimo pedum dolore cruciata, per duos dies in ægritudinis lecto decumbens, voto emiſſo, ſtatim melius habere cœpit, & eo completo, mox ſine dolore ad domum abiit. Teſtis ipſa.

Alia aliquot hebdomadis ambobus pedibus tumefacta, in 13. hebdomadis greſſum habere nequivit. Emiſſo voto omnis tumefactio ſtatim diſparuit, & convaluit. Teſtis maritus.

Altera dextri cruris dolore conquaſſata, ut nec quidquam expedire poterat, voto completo ſtatim priſtinam conſecuta eſt ſanitatem. Teſtis ipſa.

Quidam ex fluxu ad pedem ſiniſtrum deſcenſo tantum moleſtatus fuit, ut per octo dies ambulare non potuit. Voto emiſſo ſtatim melius habere cœpit, & eo completo, ſanus ad domum ſuam regreſſus eſt. Teſtis ipſe.

Adoleſcentula, quæ a genitura ſua nunquam ambulavit, fuitque ei pes ſiniſter quaſi longitudinis unius palmæ brevior dextro, ad tumbam votive ducta, & in domum reverſa ambulare cœpit, & modo perfecte graditur. Teſtis unus, conteſtis unus eodem loco examinatus.

Puer, cui plantæ pedum ad invicem & in utero materno concreverant, & una caro apparuerant, ſuper tumbam Beati LEOPOLDI poſitus, ſtatim plantæ pedum altera ab altera ſolutæ fuerunt. Teſtis unus, dicens plures hoc vidiſſe. Conteſtes vide plures 209no loco examinatos.

Quidam per 15. hebdomadas in ægritudinis lecto decumbens, cum reconvaleſceret, dolorem magnum genu pedis ſiniſtri ab eo tempore ſemper habuit, ita ut ſine magno dolore genu flectere nequivit. Tumba viſitata ſtatim omnis dolor dicti genu ceſſavit, & ſanatus fuit. Con teſtis unus Presbyter eodem loco examinatus.

Mulier tumefactionem juncturæ pedis ejus ſiniſtri paſſa, per ſeptem annos continue maximis doloribus cruciata, cum hinc inde in putredine pedis vermiculi creverant, nulla potuit medela curari. Tumbam votive viſitans, ſtatim dolor ceſſavit, & foramina ipſa ſucceſſive ſanata ſunt. Conteſtis unus Religioſus eodem loco examinatus.

Altera maximas in capite, brachio, & tibia ſiniſtra aliquamdiu paſſa ægritudines, a quibus nulla medela potuit curari, voto emiſſo ſtatim melius habuit, & convaluit. Teſtis ipſa.

Puer a die ortus ſui nunquam ambulare potuit. Voto emiſſo ſtatim melius habuit, & quo vult graditur. Teſtis mater.

Mulier magnum a planta pedis ſiniſtri usque ad genu dolorem paſſa, cum pes ſupra modum tumefactus foramina fluentia habuerit, unde per biennium cum baculi ſuſtentatione graviſſime inceſſit, nullo medicamine relevata. Voto completo ſtatim dolor receſſit, inflatura diſparuit, fluxus ceſſavit, & ſana ad domum rediit, Judicesque ipſam ſanam viderunt. Habet conteſtes duos eodem loco examinatos.

Infantula a tempore partus ſui nunquam ambulare poterat. Ad tumbam delata, & tertia vice circumducta ſtatim ſana inceſſit, & ſine fatiga circuivit. Teſtis pater, conteſtis mater eodem loco examinati.

A capitis dolore liberati numero VII.

Quidam tantum capitis dolorem paſſus, quod 14. diebus continue in ægritudinis lecto decumbens, ſurdus & quaſi ſine ratione jacuit. Poſt plurimas medicinas fruſtra adhibitas, uxoris voto completo ſtatim melius habuit. Altera die tumbam perſonaliter tangens, ac caput liniens, quædam immunditia ſubito de auribus effluxit, & omnino ſanatus fuit, nullumque ab ea horâ capitis dolorem ſenſit. Teſtis ipſe.

Mulier per caput, faciem & collum tantum tumefacta, quod per quinque dies vix videns in ægritudinis lecto decubuit. Cum nulla potuit medicina curari, tumefactione invaleſcente votum emiſit, & ſtatim melius habere cœpit, votoque completo ſanata fuit. Teſtis ipſa.

Alia vehementiſſimos dolores ex punctione capitis per 14. dies paſſa, nullam quietem habere poterat. Voto completo ſana ad domum rediit. Teſtis ipſa.

Adoleſcentula graviſſimum capitis & aurium dolorem incidens, cum nulla medela per medium annum curari poterat, voto per matrem completo, filia omnimodæ ſanitati reſtituta fuit. Teſtis mater.

Quidam per 13. dies per totam ſuam faciem miro modo inflatus, nulla potuit medela curari. Voto completo ſanus abiit. Teſtis ipſe.

Alius a capitis fluxu ſibi ad guttur & collum deſcendente multipliciter vexatus, plerumque ſuffocari timebat. Tumba viſitata melius habuit, & dolor receſſit. Teſtis ipſe.

Alter vehementiſſimo capitis dolore occupatus, voto emiſſo, ſtatim convaluit. Eo autem non completo, quadam die in terram proſtratus veluti mortuus jacuit, & ut mortuus ad domum in feretro portatus fuit. Reſpirans, voti non completi memor, denuo votum emiſit, & ſtatim melius habuit: eoque completo omnino convaluit, & ſanus coram Judicibus viſus & reputatus eſt. Conteſtis unus ex auditu eodem loco examinatus.

De Epilenticis curatis numero IV.

Mulier gravida & partui vicina morbo epilentico tantum debilitata, quod nec manus nec pedes levare, neque oculos aperire potuit veluti mortua jacendo: feretro ac aliis pro funeralibus ordinatis, parato etiam rallo, quo ſcindi, &

fetus

fetus de utero recipi deberet. Voto emisso, A puer sine hominis adjumento miraculose in mundum prodiit, mulierque etiam in brevi omnino convaluit. Testis maritus, habet contestes duos, scilicet 197. & 198vo. loco examinatos.

Quidam in tribus annis epilentiam tribus vicibus passus, per matrem ad tumbam votive ductus amplius infirmitatem ipsam nunquam sensit. Testis mater.

Infans epilentiam per quatuor hebdomadas passus, voto per matrem emisso, statim melius habuit, & amplius infirmitatem ipsam pati minime visus est. Testis mater.

Infantula a medio suæ ætatis anno, usquequo octavum compleverat annum, ab epilentia singulis diebus aliquando decies plus & minus cruciata, voto emisso, statim infirmitas decrescere B cœpit, & ammodo vexata non fuit. Testis unus.

Alia per 14. annos epilentiam continue passa, ad tumbam votive ducta .... Habetur in Inquisitione speciali.

Ab Apoplexia liberati numero III.

Adolescentula per decem annos per totum sinistrum latus passa, ad tumbam votive ducta statim melius habere cœpit, & indies convaluit. Testis mater.

Infans in sinistro latere apoplexia adeo tactus, ut quasi mortuum latus apparebat; voto per matrem emisso, statim latus pueri revixit, & sanatus fuit. Cum autem mater ipsa votum, ut voverat, non perfecte adimpleviſſet; lapsis decem hebdomadis, puer in pristinam incidit infirmitatem. Iterato tunc voto, & completo C convaluit, & hodie incolumis est. Testis mater.

Adolescentula per quatuor hebdomadas febres tertianas passa, tandem apoplexia tacta mori putabatur. Emisso voto statim melius habuit, & ab utraque infirmitate liberata fuit. Testis mater.

Leprosa curata numero I.

Mulier lepram incidens, & ab omnibus ut talis vitata, voto completo, statim munda abiit, & nullum amplius lepræ vestigium apparuit, prout Judices ipsi eandem mundam viderunt. Testis ipsa.

A dolore colico liberati numero V.

Mulier colica passione multum gravata, voto completo, statim sanata fuit. Testis ipsa.

Quidam aliquando per medium, nonnunquam vero per integrum annum colicam pas- D sus, cum nulla Medicorum ope juvari poterat, voto completo, statim sanatus fuit, & ex post prædictum dolorem nunquam sensit. Testis ipse.

Alter colicam & ventris corrosiones passus, ex quibus ambæ manus sibi per viginti hebdomadas contractæ fuerunt, ipsis uti non potuit. Voto emisso, notabilem alleviationem sensit, & post paucos dies omnino sanatus fuit. Testis ipse.

Alius corrosiones ventris acutissimas octo hebdomadis continuo passus, jam vicinus morti votum emisit, & statim melius habuit, eoque completo omnino sanatus fuit. Testis ipse.

Mulier gravissima corporis infirmitate, tandem ventris corrosione ac colica in ægritudinis lecto aliquamdiu detenta, voto ex certa visione, quæ sibi in somnis apparuerat, emisso sanata fuit, & sana votum complevit. Testis ipsa.

Vulnerati curati numero VI.

Mulier inter alias infirmitates fluxum sanguinis per nares quatuor hebdomadis passa, ita quod aliquando per diem & noctem sine medio cruor effluxit; voto completo statim fluxus cessavit. Paulo vero post in icteritiam incidens, apud tumbam similiter liberata fuit. Testis ipsa.

Alia per duodecim hebdomadas fluxum menstrui passa, cum nulla poterat medela curari, voto emisso fluxus statim cessavit, & ex illa hora sanata fuit. Testis ipsa.

Quidam ab infantia sua in genitalibus ruptus nulla potuit medela curari. Ad tumbam votive ductus, statim ruptura disparuit, ac sanus abiens dictam infirmitatem amplius non sensit. Testis pater.

Alius in dextrum oculum usque in occiput sagitta percussus, ab omnibus mori putabatur. Emisso pro eo voto, a morte ereptus, & in oculo curatus votum complevit, quem Judices sanum & videntem viderunt. Contestis unus eodem loco examinatus.

Mulier per tres continuos annos jure muliebri, videlicet menstruo carens, non modicum debilitata votum emisit, & statim relevata jura muliebria sensit. Testis ipsa.

Alia cultello manum sinistram transfigendo ita se vulneravit, ut ipsa manu incurvari putabatur. Voto completo omnino curata fuit. Testis ipsa.

A vinculis & carceribus liberati numero II.

Quidam manibus & pedibus in cippo carceris catenis constrictus, ad invocationem Beati LEOPOLDI dirruptis ferramentis carceris ejusdem, ac januis miraculose apertis illæsus exivit, & domum rediit. Testis ipse.

Alter per Marschalcum Austriæ propter certos excessus incarceratus, & noctis tempore versus Wiennam ductus, sententialiter judicatus Beatum Leopoldum devotius invocans, miraculose curru fracto ac compedibus dissolutis, octo equitum, & tredecim peditum manus nube miraculose circumdatus evasit. Habet contestes duos eodem loco examinatos.

Et notandum, quod licet Aristoteles 1. Rhetoric. dicat, *Oportere recte positas leges omnia determinare, & quam pauciſſima committere judicantibus*, id est ea, quæ non possunt diffiniri per regulam certam propter circumstantias, ut refert *Bal. in C. Quia nonnulli de Rescript.* Qui etiam dicit in *C. cum omnes de Constitutionibus*, quod ejus auctoritas pro lege servanda est. Patet 15. *q.* 1. §. 1. *in fin. de Conse. Di.* 4. *Multi.* 1. *q.* 1. *Sicut urgeri, de Pœni. Di.* 2. §. *Hæc quæ de charitate*, & in *C. Nihil obstat, de verb. signif.* Habetur in *L.* 1. *ff. de Contrahen. emp. insti. e. ti.* §. 1. *& de rerum Divi.* §. *fin. & L.* 1. *ff. Si certum petatur*, *& L. Septimo mense ff. de statu ho.* 22. *q.* 1. *Dixit*; tamen concludendo dico, materiam testium & probationum tam circa

dicta, quam circa interrogatoria, & alias circumſtantias eſſe permaxime arbitraria; per *L. 3. §. In magis ſcire potes. ff. de Teſtibus*, inſpecta ſcilicet qualitate & fama teſtium, ut major ſcilicet fides adhiberi debeat teſtibus melioris famæ, nobilibus vel litteratis. Textus eſt notabilis ſecundum Bal. in *C. Super hoc, de Renuntiatione.* Quod quidem arbitrarium ſecundum eum non eſt aliud, niſi quædam æquitas munita jure naturali vel gentium &c. Item qui teſtes prius ſint examinandi, videlicet, digniores propter eorum reverentiam, & minorem eorum fatigationem. Item an aliquid dicatur probabile. *C. Ut debitus. & C. Cum ſpeciali de Appellat. C. Sacro, in fin. de Sen. excom. C. cum olim pro Canonicis, de verb. ſignif.* Item qui vere dici poſſint idonei teſtes & tabelliones, ut habetur in *C. Sedes de Reſcript.* & in *L. Siquis ex argentariis. §. Quod vero ff. de eden. C. de caduc. de Offi. dele. L. 1. §. Expilator, ff. de effractoribus. C. Licet cauſam, de Probationibus.* Idem de Senibus, ut per Joh. And. in *C. Quoniam frequenter, ut lite non contes. & de miſerabilibus in C. ſignificantibus, de offi. dele.* & Bal. in *L. 1. C. Quando Imperator inter pupillos & viduas.* & Joh. And in *C. fin. de Donationibus.* Sic etiam de conjunctis perſonis, ut per eundem Bal. in *C. Poſtremo, de Appellat.* Item & de pauperibus habetur in Authen. *Præterea. C. Unde vir & uxor.* & in Authen. *de exhibendis reis §. fin.* Item an magis ſit credendum teſtibus quam inſtrumento, *no. in C. Tertio loco, de Probat.* & ibi Bal. Item quando negotium dici debeat vetus, vel novum, de quo in *C. Generali, de Elect. lib. 6. no. 35. q. 7. C. 1. de Gradi.* & per Archi 12. *Di. Præceptis. & C. Illud* 24. *q. 1. Accacius.* 33. *q. 2. Non ſatis. C. 1. & C. Quid. per Novale, de verb. ſignif.* per Innoc. in *C. Sicut, & C. Cum Venerabilis, de cenſibus.* per Al. in *L. Non eſt novum, de Legibus.* Item quanto tempore inducatur oblivio. *L. Furti. §. Fundus. ff. de Uſucap.* Item quid dicatur vicinum, ut *no. in C. Felicis, de Pœnis lib. 6.* Item qui dicantur pauci, *ar.* 41. *Dis. Non cogatur*, & in *C. Etſi Quæſtiones, de Simonia*, per Archi. & Jo. And. in *C. Statutum §. Inſuper, de Reſcript. lib. 6. no. in C. Cum cauſam, quæ, de Teſtibus*, & per Joh. And. in *C. Cupientes. §. cæterum, de Electione lib. 6.* poſt Archi. & Jo. Mon. Facit *L. Ab hoſtibus. §. Sed quod ſimpliciter cum ſe. ff. Ex qui. cau. major.* Similiter & qui dicantur multi, ut no. in dicto *C. Felicis. Ar. in L. 1. ff. de Jur. deliberandi, & in L. fin. ff. de Actionibus & Obli.* & in Authent. *ut nullus fabricet oratorium. §. Illud*, & in *L. fin. de Dolo, & in L. 1. §. Hoc edictum, de Separationibus*, & in *L. Si conſtante §. Li. uxor ff. So. mater*, & in *L. fin. Si ager vectigalis, & in L. Sed etſi ſuſceperit. §. 1. ff. de Judiciis*, cum ſimilibus. Militat namque arbitrium, ubicunque lex non poteſt determinare per ſeipſam. *L. Arbitrium. ff. de Annuis Legatis, & L. Mevia. §. Uxor. eo. ti. & L. In Lege ff. locati.* Quoniam ad Superiorem pertinet, omnibus modis laborare ad veritatem quærendam, ut in Authent. *de Tabellion. in principio.* Quo facto non facile poteſt errare, ut declarat S. Thomas in Quodlibeto 9. Probatur in Authent. *de Teſtibus. §. 2. & per Innocent. in C. Cum oporteat, de Accuſ.* & per Rofri in *Libell. Jur. Can. Rubrica Quando, & contra quos* &c. & per Archi 2. *q. ul. in fin. per alios in L. Aliquando ad Vellejanum.* Et ideo in propoſito noſtro volunt Doctores, Miracula poſſe indirecte probari, videlicet Archi 25. *q. 6. C. Nec mirum*, & Jo. Mo. & Joh. And. in *C. 1. de Conſeſſ. lib. 6. in v. Non poſſunt.* & Bar. in Tractatu de Teſtibus *C. Qualitas, ſive ſubſtantia* &c. ſcilicet probando aliquid, quod vires noſtras excedat ſeu naturæ, vel artis; in ſubſtantia ejus quod fit; vel in ſubjecto ejus quod fit; vel in ſubjecto ejus in quod fit; vel in ordine faciendi, & quod Deus fecerit per innovationem alicujus Sancti, probata invocatione vel voto ad illum Sanctum emiſſo: quibus probatis recte concluditur, illam animam fore Beatam. Quia tamen in iſtis poteſt faciliter eſſe deceptio, iſtud dicit determinationi Eccleſiæ Romanæ reſervatum, cui ſtandum eſt, ut plene deduxi in Relatione Canoniſationis S. Bonaventuræ de Balneoregio, in 2. parte, in quæſtione ſeu fundamento quarto. Quidquid dixerit Vincentius in *C. Venerabili, de Teſtibus*, quem etiam reprobat expreſſe collecta. in *C. de Rel. & Ven. Sanctorum*, dicens ſententiam Vincentii fore mirabilem & contra jura, quæ dicunt, quod in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: & quod ſatis eſt, quod ex diverſis actibus reſultet frequentia Miraculorum, ſicut ex diverſis juribus una regula, *c. 1. de Regulis Juris*, & ex diverſis actibus una conſuetudo, *c. 1. de Conſtitutionibus*, & una Jurisdictio, & una cognatio, *C. Non debet, de Conſangui. & Affi. No. 3. q. 9. C. Nihilominus, & in C. Ex tenore, de Teſtibus*, & in *L. Ob carmen. §. Si teſtes. ff. de Teſtibus*, & per Abbatem in *Conſi. 44. quod incipit: Ex multis*, qui allegat Archi. in *c. 26. q. v. Nec mirum.* Bene facit, quod notat Jacobus de Butrio in *L. Eccleſia. C. de Hæreticis*, & per alios in *L. Quidam. e. ti.* & per Anton. de Butrio in *C. Cum oporteat, de Accuſa.* Quidquid dixerit Frede. de Senis in *Conſilio 17. & in Conſilio 62.* & Inno. in *C. Qualiter & quando, de Accuſa.* & Bar. *in L. de Minore. §. Tormenta. ff. de Quæſtionibus*, & maxime ubi non agitur de alicujus præjudicio *C. Placuit, de Conſecra. Dis. 4.* & ubi deponunt de ſeipſis & facto proprio. *L. Theopomp. ff. de Dote prælegata*, ubi per Bar. & per Can. *in C. licet univerſis, de Teſtibus.* Idem ſequitur D. Ægidius de Bellemera in dicto *C. Venerabili, de Teſtibus.* Dummodo tamen non ſtulte aſſeratur, aut opinetur, per *no. in C. Siquis hominem, qui Sanctus non eſt 11. q. 3.* Et ſic intelligi debet, quod dicit Sanctus Jeronimus ſuper epiſtolam Pauli ad Philemonem, & Iſaias clamans: *Væ, qui dicitis bonum malum* &c. De quo in *C. Siquis dixerit*, cum ſequentibus, *e. cauſa & quæſtione.* Et quod dicit Cicero in libro de Natura Deorum, circa principium. Nec eſt facienda vis de omiſſis interrogatoriorum facta per examinantes, ubi teſtes non erant ſuſpecti, per ea quæ habentur in *C. Cum cauſam, quæ de Teſtibus*, & in *C. Occidit 33. q. 8.* Quia Jura committunt hoc diſcretioni examinantium, ut ibi, & *C. Præſentium, de Teſtibus, lib. 6.* Nec aliter cenſendum eſt in caſu noſtro, quam in aliis omnibus, per dicta Jura juncto *C. Venerabili.* Nec etiam per hoc cenſeri debet receſſum a forma, cum ſit magis forma Juris quam hominis, ut plene deducitur per Henricum Boich. in *C. Cum dilecta, de Reſcript.* in ſua magna diſtin-

distinctione, per *L. Constitutionibus. ff. Ad Municipalis*, & *L. Certa forma, de Censibus.* Habetur in *C. Pisanis, de Restituti. spo.* Nec similiter est facienda vis, quod in Commissione dicatur de Meritis, & non Miraculis: cum miracula sint necessarium consequens ad merita, & ita sit facienda juxta intentionem committentis, redacta ad Jus commune, de quo in dicto *C. Venerabili.* Quo quidem consequenti destructo, rueret antecedens *L. 2. v. Mutui. ff. Si certum petatur. L. Si ego. § Illud. ff. de Publiciana*, & *L. Eum qui. & L. Apud antiquos. § Quandoque C. de Furtis, no. in L. Non videtur, de Inte. restitu. & insti. vi bonorum rap. § Quia tamen*, & in *L. Jur. gentium. § Dolo malo. ff. de Pactis.* Et ita obtentum & determinatum est in canonisatione ejusdem S. Bonaventuræ. Ergo &c. *In causis, de Re judicata. 16. q. 3. Cap. Licet.* Ejs igitur Beatissime Pater, efflorcat ammodo sanctificatio Tua super Pium LEOPOLDUM, quem merito decet sanctitudo in longitudine dierum. Eluceſcat, quæsumus, Sanctitas Tua & Magnificentia Tua in sanctificatione ejus, ut sanctificetur in nobis: omnis namque ulterior mora futura dispendiosa & perniciosa est. Quid enim amplius expectatur, aut quousque animam nostram tollis? Nam in mora tam maximi temporis nimium est præjudicium, & frustra expectatur eventus, qui nihil boni potest operari. Amputanda quoque est materia dilationum, laborum & expensarum jactura relevanda. Nimis diuturnæ expectationi populorum satisfaciendum est, quæ tali ac tanto munere avidissime memoriterque lætabitur. Jam quod differtur, aufertur. Ecce multiplicati sunt Intercessores instantes, & præcipue Illustrissimus Sigismundus Archidux Austriæ, ac Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Luciæ in Silice Episcopus Patavienſis, & loci ipsius Ordinarius, qui litteris suis miraculose gratiam non solum aliorum relatione, sed sui corporis experientia testatur. Quæsumus ergo, ac suppliciter exposcimus, ut quod juste petimus, multiplicatis intercessoribus tantis gratanter elargiaris, non ex tristitia vel ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Hanc etiam sibi quodammodo Nobilitas legem ponit, ut debere se quod sponte tribuit, existimet: & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet *C. 1. de Donat.* Nam & juxta verbum Domini, *Beatius est dare quam accipere 16. q. 1. Prædicator. & C. Cum Marthæ, de Celeb. Miss.* Quod ergo tandem facturus es, fac cito, ut Piissimi LEOPOLDI meritis & precibus juvemur omne per ævum, & congrua devotione lætemur, & ut amplius gaudeat in cælis exercitus Angelorum, & laudantes benedicant Dominum, devotio populorum Divinusque cultus augeatur in terris, utque meritis bonorum remunerentur, fructusque magni in Dei Ecclesia multiplicentur, & fideles omnes in laudes continuas Dei incessanter prorumpant, orantes & psallentes in jubilis, ac devote cum gaudio celebrantes, & pia voce Divinum adjutorium suppliciter exorantes ac dicentes, & etiam fideles omnes publice & solenniter per orbem universum absque idolatriæ & culpæ cujuslibet scrupulosa hæsitatione, Tua, & Apostolicæ Sedis consultissima suffulti sententia & gratiosa permissione. Cujus petitionis desideria atque consilia Deus Altissimus confirmare & implere, & voluntatem labiorum Tuorum non fraudare dignetur. Qui vivit & regnat per omnia secula benedictus, Amen.

Oratio.

Concede populo tuo misericors Deus, ut intercedente Beato LEOPOLDO Confessore tuo, & hostes superare, & pacem assequi mereatur & salutem. Per Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Secreta.

Hostiam tibi, Domine, laudis offerimus, ut Beati LEOPOLDI Confessoris tui meritis adjuvemur, & ab omnibus adversitatibus liberemur. &c.

Complenda.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut sicut nos Beati LEOPOLDI solennitate lætificas; ita quoque nos ejus pia intercessione custodias. Per Dominum nostrum &c.

Veruntamen quia sanctæ memoriæ Clemens Sextus in canonisatione Sancti Ivonis Presbyteri Trecorensis solennem habuit orationem & magistralem & summa doctrina coruscantem, postquam plurima fundamenta maximis rationibus & auctoritatibus subnixa, ne aliquid de requisitis omississe videretur, confisus quod Deus Ecclesiam suam, & ipsum tanquam caput errare non permitteret; etiam ipsi Sancto Ivoni orationem fudit, & per astantes effundi mandavit; juxta verba Bernardi in fine Sermonis de Sancto Malachia.

Oremus.

O Ivo! festivitas, quam merito virtutibus tuis votivam impendere proponimus, tuis nobis efficiatur meritis & precibus salutaris. Gloria sanctitatis tuæ, quæ a nobis recensita est, sic erit nobis digne jocunda, si fuerit fructuosa. Liceat nobis aliquas retinere reliquias de fructibus Spiritus, quibus onustus ascendisti, qui in tuo hodie tam delitioso convivio congregamur, laudamus & exultamus. Esto nobis, quæsumus, alter Moyses vel alter Elias, impertiendo de tuo Spiritu, in nobis ipsis: siquidem Spiritu & virtute venusta vita tua lex vitæ & disciplinæ, mors tua mortis portus & porta vitæ, memoria tua dulcedo sanitatis & gratiæ, præsentia tua corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliva fructifera in domo Dei! O oleum lætitiæ, ungens & lucem vovens beneficiis, coruscans miraculis! fac nos ejus qua frueris lucis suavitatisque partipes. O odoriferum Lilium in æternum ante Dominum germinans, perflorans & spargens ubique vivificum & suavitatis odorem, cujus apud nos memoria in benedictione est, apud Superos præsentia in honore: Da canentibus te tantæ plenitudinis participio non fraudari. O Luminare magnum, lux in tenebris lucens signorum radiis, exemplis illuminans carcerem, lætificans civitatem! Fuga de cordibus nostris virtutum splendoribus tenebras errorum, ac etiam vitiorum. O Stella matutina, eo cæteris clarior, quo diei vicinior;

[1] *deest f.* adduxisset, *aut simile quid.*

Soli ſimilior! Dignare præire nobis, ut & nos in tuo nomine ambulemus quaſi filii lucis, & non filii tenebrarum. O Aurora dieſcens ſuper terram, ſed ſuperioris Cæli plagas lux meridiana perluſtrans! Recipe nos in conſortio luminis quo illuminatus es, & lucens foris, lucens & intus, ſuaviter ardens: præſtante Domino JEſu Chriſto, qui vivit & regnat cum Deo in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia Sæcula Sæculorum, Amen.

Unde laudabile foret Romanum Pontificem ipſius Clementis Sexti etiam in hoc veſtigia imitari, ac deinde ad ulteriora procedens (quia Spiritus Sanctus præcipue illuminat, & ſpecialiter regit Eccleſiam) illum humiliter invocare & invocari mandare ſtudeat. Quo finito, & oratione completa, *Deus, qui corda fidelium* &c. ad canoniſationem procedere debet in hunc modum: Ad honorem Dei Omnipotentis, Patris, & Fili, & Spiritus Sancti, & exaltationem fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ipſius Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſua, de fratrum ſuorum concordi conſilio decerniere & diffinire bonæ memoriæ Dominum LEOPOLDUM quondam Auſtriæ Marchionem, Diœceſis Patavienſis, Sanctorum Catalogo aſcribendum, & tanquam Sanctum eſſe ab omnibus venerandum; ipſumque dictorum Sanctorum Catalogo aſcribere: ſtatuendo ut ab univerſali Eccleſia in die obitus ſui, videlicet quinta decima die menſis Novembris, feſtum ipſius anno quolibet & officium ſicut pro uno Confeſſore non Pontifice devote & ſolenniter celebrari [1]. Et hanc formam ſervavit idem Clemens Sextus, ſuperaddens eadem auctoritate, quod omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in die ſolennitatis ejus & in die qua ibi primo, ubi requieſcit, de eo feſtivitas celebrabitur, interfuerint; ſeptem annos & ſeptem quadragenas, & in octavis & per octavas dictæ ſolennitatis ſingulis diebus unum annum & unam quadragenam. Similiter & his, qui annis ſingulis ad ſepulchrum ejusdem in die Natalis vel Paſcæ devote acceſſerint, unum annum & quadraginta dies: accedentibus vero annis ſingulis in octavis vel infra octavas dictorum feſtorum ad ſepulchrum ipſius, centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxavit. Poſtea cantandum eſt *Te Deum laudamus* cum oratione ſupraſcripta, *Concede populo tuo miſericors Deus* &c. Poſtremo omnibus perfectis dici debet *Confiteor Deo* &c. & fieri abſolutio more ſolito, & donari aſtantibus Indulgentiæ ſeptem annorum, & ſeptem quadragenarum. Poſtmodum vero induendi ſunt omnes ſolennibus indumentis, & celebranda eſt ſolennis Miſſa de eo, prout in libro cerimoniarum continetur. Quæ forma ad perpetuam rei memoriam tanquam celebris & autentica viſa eſt mihi cum præcedentibus fore annotanda.

Finis Relationis factæ per Reverendum Patrem Dominum Johannem Franciſcum de Pavinis de Padua, Sacræ Theologiæ & J. U. Doctorem, & cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditorem, Sanctiſſimi Domini noſtri Capellanum, alterum ex tribus Capellanis ad Summarium faciendum de proceſsibus hujusmodi Canoniſationis ſpecialiter deputatum. Deo gratias.

Finis Anno 1487.

[1] celebretur.

* * * * * *

BULLA INNOCENTII PAPÆ VIII.
DE CANONIZATIONE S. LEOPOLDI AUSTRIÆ MARCHIONIS.

EX EODEM COD. MS. MONASTERII NOSTRI MELLICENSIS, COLLATO CUM EDITIONE POLZMANNI.

OBSERVATIO PRÆVIA.

EX Summario Canonizationis S. Leopoldi, quod paulo ante retulimus, abunde conſtat, quanto ſtudio curaque Auſtriæ Principes, Ordines, regionumque finitimarum Viri primarii ab Innocentio VI. Paulo II. & Sixto IV. Romanis Pontificibus contenderint, ut Pius Auſtriæ Marchio Leopoldus in Sanctorum numerum ſolenni ritu adſcriberetur. Verum iis ex ordine, re infecta, vita defunctis, variisque incommodis ac impedimentis intercedentibus, piiſſimum hocce negotium ad Innocentium VIII. Sixti IV. ſucceſſorem, devolutum fuit: qui id tandem, omni opere adnitente Friderico III. Romanorum Imperatore, ad optatum finem perduxit, & Leopoldum noſtrum publice pro *Sancto* colendum habendumque pronuntiavit, anno MCCCCLXXXIV.

MCCCCLXXXIV. VIII. Id. Januarii. Id quod ex ſubjecta ejusdem Innocentii Bulla plene cumulateque Lector cognoſcet. Hanc quidem Bullam jam ante nos ſæpe memoratus Balthaſarus Polzmannus in ſuo de Vita & Miraculis S. Leopoldi Compendio vulgavit, ſed mendis aliquot (typothetarum fortaſſis indiligentia) infectam: quam proinde ad fidem Codicis noſtri Mellicenſis ſtudioſe exactam, nævisque, qui in editionem Polzmannianam irrepſerant, expurgatam denuo typis hoc loco excudendam curavimus. Ea vero ſic habet.

INnocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacroſanctam Matrem Eccleſiam aſtitiſſe a dextris Dei Reginam in veſtitu deaurato, circumdatam varietate, non ab re per Prophetam traditur. Regina equidem, quod [1] illi Regi Domino, per quam Reges regnant, & Principes juſtitiam faciunt, deſponſata ſit. Unica ejus columba, luna perfecta in æternum, Arcturus per gyrum nocturna ſpatia perenni lumine illuſtrans, Lucifer qui neſcit occaſum, Aurora hic in crepuſculo caligantis ſæculi coruſcans, & in diem lucidum in regno cælorum ſeſe diffundens. Regina, quod [2] illi ſerviat, cui ſervire regnare eſt, illi fidem habeat, illi ſe totam committat. Regina quod Chriſti fideles ſub umbra alarum ſuarum ex terreno carcere ad regna cælorum perducat, ubere de cœlo pleno lactet atque inebriet, ex multis ærumnis nos eripiens, regni cæleſtis cum Chriſto Domino participes efficiat. In veſtitu (inquit) deaurato, veſtimentum Eccleſiæ, ſanctam fidelium vitam eſſe profitemur. Nam ſicut tota Eccleſia veſtimentum eſt Chriſti Redemptoris noſtri, ita fideles quoque ejusdem Eccleſiæ veſtimentum eſſe arbitramur. Veſtimentum ſcilicet non habens maculam per peccatum, neque rugam per duplicitatem; ſed per juſtitiam mundum, per ſimplicitatem cordis terſum. Veſtimentum innocentiæ, quam homo a Deo plaſmatus accepit, male a ſerpente perſuaſus perdidit, ad quam recuperandam, pœnitentia & Dei miſericordia induimur veſtimentum deauratum, ſplendore ſapientiæ aureo perlucens. Clara eſt enim ſapientia, quæ nunquam marceſcit, facile videtur ab iis, qui eam diligunt, & invenitur ab iis, qui eam quærunt: doctrix eſt diſciplinæ Dei, electrix operum illius, qua nihil locupletius: quæ operatur omnia, artifex omnium: quæ apud turbas claritatem, & honorem apud ſeniores præſtat: veſtimentum deauratum perfectione auri, id eſt juſtitiæ, qua nihil humano generi utilius; dilectione diſciplinæ, ex qua cuſtodia legum emanat, legum autem cuſtodia, conſummatio eſt incorruptionis. At vero incorruptio facit nos eſſe Deo proximos, per quam beatitudo æternæ vitæ a nobis comparatur.

Circumdata Eccleſia dicitur varietate gratiarum, adminiſtrationum & officiorum, juxta verbum Apoſtoli: diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus eas conferens; diviſiones adminiſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Circumdata varietate poteſtatis, ordinis, ſtatus & variarum Eccleſiarum decore, quæ veluti adoleſcentulæ hanc, de qua eſt ſermo, Catholicam Eccleſiam quaſi matrem obſervant: non vetuſtatæ per culpam, ſed novellæ per gratiam: non ſenio ſteriles, ſed ad ſpiritualem congruæ fæcunditatem, & nova ſemper prole pullulantes. Nam ab juſto Abel, unde Eccleſiæ exordia trahimus, in hanc usque diem, quot ſanctos orbis terrarum habuit, tot quaſi palmites protulit, ex quibus varii indies ſurculi in hac vinea noſtra Sabaoth, quam licet immeriti præſtante Domino ſortiti ſumus excolendam, ſeruntur. Circumdata varietate, quod alia triumphantis, alia militantis Eccleſiæ ſpecies exiſtat. De triumphante Domini ſponſione repromittitur: Ego ero eis, quidquid ab hominibus juſte deſiderari poteſt, ero illis honor & gloria, ſalus & vita, virtus & copia, pax & omne bonum. Militans autem Eccleſia fundæ non inepte aſſimilatur. Nam ſicut funda [1] in gyrum verſata lapides exeunt, quibus adverſarii feriuntur, & Golias proſternitur: ita ex [2] ſancta Eccleſia, dum per varias procellas & tempeſtates fluctuantis hujus ſæculi per tribulationum circuitum rotatur, fortes viri prodeunt, quibus quaſi lapidibus iniquorum corda tunduntur, & de hoſte humani generis nequiſſimo a Chriſti tyronibus triumphatur. Hanc ipſam Eccleſiam Deus omnipotens mira quadam diſpoſitione & poteſtate fundavit, pretioſo unigeniti filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine dotatam eſſe voluit, multiplici Spiritus ſancti gratia ornavit, Apoſtolorum ſimplicitate & fide roboravit, quos ignaros delegit, ut populos non tam ſermo illorum, quam cauſa ad credendum adduceret: Martyrum tormentis [3], cruciatibus, conſtantia & trophæis ſtabilivit: repreſſa pauliſper, quinimo confuſa infidelitatis ſævitia, & inimico homine ſuperſeminante Zizania, creſcente multiplicataque hæreticorum pravitate, Doctorum cæleſti doctrina illuminavit: & demum Confeſſorum, Virginum, aliorumque Sanctorum intrepida confeſſione, ſolerti cura, exemplisque imitatione digniſſimis, adverſus Sathanæ inſidias circumdedit.

Inter alia autem ſaluberrima ſanctitatis exempla Divina miſericordia ſydus quoddam mun-

1 *Polzmannus hic pro* quod *perperam* quæ *expreſſit.*
2 *Polzman. hoc loco, & paulo infra mendoſe* quidem.

1 *Polzman.* ſicut funda in gyrum verſata lapides emittit.
2 *Polzman.* ita etiam Sancta Eccleſia, dum *&c.*
3 *Polzman.* cruentis cruciatibus.

do

do fulgere dedit, Beatum Leopoldum Auſtriæ Principem, *Pium* Marchionem cognomento appellatum, innocentiæ, ſapientiæ & juſtitiæ veſtimentis, quibus veſtiri Eccleſiam diximus, decorum, bonitate, manſuetudine atque clementia conſpicuum, ſimplicitate, continentia, ac munificentia præclarum: cujus integritas, vitæ ſanctimonia, humilitas, pietas, fides adeo apud Chriſti fideles invaluerunt, ut una omnium Germanorum voce pro Sancto hactenus celebratus fuerit: cujus liberalitatem, ſanctæque religionis cultum, nonnulla monaſteria, & quidem celeberrima ab eo cum ampliſſimis cenſibus conſtructa, alia etiam magno ſumptu illuſtrata, abunde teſtantur. Hic Princeps optimus [1] ſacerdotes & viros religioſos admodum coluit, ſummosque Pontifices tanta veneratione proſecutus fuit, ut ab Innocentio ſecundo Romanorum Pontifice, prædeceſſore noſtro, peculiaris Sancti Petri filius appellaretur, & Apoſtolica commendatione, atque ea plenaria, quam vulgo dicunt, abſolutione dignus, ab eodem Innocentio etiam mortuus judicatus fuerit. Hic vir Dei in ſummis opibus educatus, in magna peccandi licentia conſtitutus, conjugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus, ſeduſo tamen pietatis & miſericordiæ munera ſubibat, laſſos roborans, vacillantes confirmans, oppreſſos ſublevans, inopes fovens, inter curas domus, inter conjugales anxietates, inter affectus pignorum, inter multiplices Principatus ſollicitudines, inter ſtudia tot laborum, immaculatum ſeſe ab hoc ſæculo cuſtodivit, & temporalia tractando. æterna diſpoſuit. Quadraginta annis Principatum Auſtriæ regens, & quod majus eſt, illis præcipue temporibus, quibus propter Henricorum Patris & filii mutuas concertationes, & poſtea propter Henrici Quarti cum Lothario acerrimas contentiones, in Germania bellis, incendiis, & agrorum vaſtationibus tumultuatum eſt, ſumma cum juſtitia, humilitate & tranquillitate cuncta adminiſtravit, & aliis cæde & ſanguine madentibus, creditam ſibi Auſtriæ Provinciam in diutina pace continuit: quibus ex meritis æternæ retributionis & pacis præmia a Deo Optimo Maximoque, qui centuplicato fœnore merita hominum penſat, eſt conſecutus.

Prætendant nunc hujus ſæculi amatores ad peccata excuſanda, conjugales, familiares, civiles, aut regalis ſolii moleſtias, ſæculi illecebras & tentationes. Leopoldi exemplo Divina providentia eos circumſcripſit, excuſationes omnes circumvenit, aditum humanæ tergiverſationis concluſit, & quaſi aranearum telas commenta humanæ fragilitatis diſrupit. A Deo creati & redempti Deum debitis honoribus non colimus, & quod [2] dolentes ex intimis referimus, illum non tantum negligimus, ſed blaſphemamus ſæpe numero. Adhibita ſunt præcepta Divinæ & humanæ legis, præceptis obtemperare tergiverſamur. Addita ſunt cœleſtis præmia gloriæ, indicta pœnarum diverſa genera, cenſura correctionis inventa; ab illis faciem quaſi rebelles avertimus. Sanctorum varia exempla ante oculos nobis propoſita; ipſa quoque imitari contumaciter recuſamus, imbecillitatem noſtram, ſæculi ſollicitudines, cum de ſalute noſtra agitur, cauſamur. Leopoldi nobilis Principis conjugati, ac multorum filiorum ac ſubditorum cura [1] irretiti clariſſimo exemplo admonemur, ut omni excuſatione ſemota, per hæc temporalia ita caute ambulemus, ita ſante nos exerceamus, ut æterna non amittamus: allecti ſpe momentaneæ hujus proſperitatis, perpetuitate gloriæ cœleſtis non fraudemur, ſed mundi moleſtias, illecebras aut dignitates contemnendo, ad cæleſtem patriam totis viribus contendamus.

Hujus Sancti Leopoldi ſanctimoniam Deus omnipotens innumerabilibus miraculis ad ejus invocationem editis comprobavit, miraculis profecto, quæ tum in facti ſubſtantia, tum in eo, quod factum fuit, tum in modo faciendi & ordine, vim & poteſtatem naturæ [2] exceſſerunt. Quis enim non miretur, cum audiat per Dei æterni miſericordiam, implorato Leopoldi auxilio, paralyticos, arteticos, [3] febricitantes, podagra laborantes priſtinæ valetudini illico reſtitutos? Quis non magnalia Dei in hoc ſancto agnoſcat, cum videat interceſſionibus ejus claudos recte ambulaſſe, apoſtematibus mortiferis infectos liberatos, in carceribus conſtitutum, pedicis manicisque vinctum per foramen, unde hominis impoſſibilis exitus erat, eductum evaſiſſe, in variis vitæ periculis poſitos, illæſos ſervatos eſſe? Quis non tota mente obſtupeſcat, & Deo Optimo Maximoque præconia manifeſta dicat, cum liquido deprehendat meritis ac precibus hujus ſancti Viri mortuos ſuſcitatos, mutos loquendi facultatem adeptos, cæcos illuminatos, ſurdis auditum reſtitutum eſſe? Maxima ſunt hæc ſanctitatis & Divinæ approbationis ſigna, humanam expectationem ac ſpem excedentia, & tamen clariſſimis documentis comprobata ſunt. Quinimo ab anno Chriſti milleſimo centeſimo & trigeſimo ſexto, quo Leopoldus vita functus ex terris ad cæleſtem Jeruſalem tranſivit, in noſtra usque tempora, & præſentem diem magis atque magis manifeſtata, mira de illo mentibus hominum in Auſtria præcipue, & per omnem Danubii ripam devotio cælitus infunditur. Incredibile dictu, quanta cum veneratione corpus ejus, quod in Monaſterio Beatæ ſemper Virginis & Matris Dei Mariæ ab eo condito, in loco, quod Novi-Clauſtriburgum [4] appellatur, Patavienſis diœceſis, ſepultum eſt, a Chriſti fidelibus viſitetur. Quibus votis celebretur ejus memoria, memoratu difficile eſſet, quot, & quantis tabellis & imaginibus illi dicatis exornetur, quanta luminariorum copia perluſtretur. Procumbit ſupplex apud tumulum languentium & rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irritata [5] diſcedit. Hujus veneratione, & pro multorum populorum ſalute Rudolphus Auſtriæ Dux impulſus eſt, ut Innocentio ſexto, huic ſanctæ ſedi ea tempeſtate præſidenti, ſup-

[1] *Polzman.* optimos. [2] *Polzman. pro* quod, quidem.

[1] *Polzman.* curam intuentes. [2] *Polzman. addit* totius.
[3] *leg.* Arthriticos, *quæ vox cum ſequentibus duabus* podagra laborantes *deſideratur apud Polzman.*
[4] *Polzman.* novum Clauſtroneuburgum.
[5] *Polzman.* irrita.

plica-

dicaret, Leopoldum Sanctorum catalogo asscribere dignaretur: qui re perspecta quam sapientissime, de vita & miraculis ac fama ejusdem Leopoldi, ex more institutoque Majorum, cum consilio sacri senatus, Inquisitionem tunc Archi-Episcopo Pragensi & aliis collegis delegavit. Verum cum ea de re agi cœptum esset, morte Innocentii, surgentibusque bellorum inter Australes & Pannonios diversis turbinibus, immensisque procellis in Ecclesia Dei exortis, usque ad tempora Pauli secundi prædecessoris nostri Inquisitio intermissa est.

Charissimo autem in Christo filio Friderico Romanorum Imperatore Augusto, Prælatis & Principibus Germaniæ apud eundem Paulum multis precibus tam sancti Viri Canonizationem absolvi petentibus, tribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus de fratrum suorum consilio demandatum est a Pontifice præfato, ut solemnem Inquisitionem ea in re adhiberent, & processus consuetos, tum per se, tum per subdelegatos facerent, quod magna ex parte confectum erat. Cum evocato ad Dominum Paulo sanctæ memoriæ, Sixtus Quartus prædecessor noster in hac sancta sede Divina providentia constitutus est, iterandas ergo preces, & vehementius agendum apud Sixtum, Imperator, Prælati ac Principes duxerunt, ut tam sanctum opus Canonizationis cœptæ perficeret. Is, ut certiori fide quæ de miraculis & vita Leopoldi afferebantur, perciperet, venerabili fratri nostro Marco, Episcopo Prænestino tunc tituli sancti Marci presbytero Cardinali, & in Germania legato, ut præmissa percunctaretur injunxit, qui locupletissimam de illis omnibus per publica acta, & legitimos processus eidem attulit. Dehinc processibus & actis publicis magna cum diligentia per venerabiles Rodericum Portuensem Episcopum, & Marcum prædictum Prænestinensem illo tempore Episcopum assumptum, ac Franciscum Sancti Eustachii Diaconum Cardinalem Commissarios discussis, prius primum relatione eidem Sixto facta, postmodum in sacro senatu, referente prædicto venerabili fratre Roderico Episcopo Portuensi, illucide re examinata, & ex illorum sententia Canonizatione concluſa, sicut Domino placuit Sixto vita functo, nobis, qui eidem in onere & honore per Divinam misericordiam licet indigni successimus, reservatum est, ut supremam manum tam sanctæ approbationi apponeremus. Consilio itaque habito rursus venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, publica concione omnia, prout ex ordine gesta erant, Leopoldi vitam, miracula, & reliqua merita, per advocatum Consistoriale proponi curavimus. Demum vocatis omnibus, qui in Romana curia degunt Prælatis, in frequenti eorum consessu, assistentibus nobis eisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, singulorum vota Prælatorum scrutati fuimus. Quibus (Spiritus sancti gratia cooperante) manibus pedibusque, ut ajunt, in eam sententiam devenientibus, quod Leopoldus merito Sanctus a nobis canonizandus esset; hunc in locum & publicum suggestum hac ipsa die conscendere decrevimus, ut opitulante Domino, votis precibusque fidelium adjuvantibus, ipsum Leopoldum Sanctum diffinire mus, & pro sancto venerari debere ab universis & singulis Christianis mandaremus; sicque hodie sermone per nos habito, re divina peracta, & reliquis solennitatibus adhibitis, ad hanc sanctissimam Canonizationem procedendum duximus. Cum autem verbo sapientiæ Dominus affirmet homini, qui eum laudaverit, & dilexerit Deum, qui fecit illum, quod in medio populi sui exaltabitur, in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur: mirumque in modum Leopoldus in medio populorum exaltatus sit, plenitudine cœlestis gratiæ admirabilis refulgeat; restat, ut nostra approbatione inter electos & sanctos Dei, laudetur, inter benedictos benedicatur. Qui illi abunde impartiemur si eum inter sanctos Ecclesiæ adnumerandum, pro sancto venerandum, ac publicis & solennibus supplicationibus, votisque in Missarum celebrationibus aliisque Divinis officiis invocandum, Apostolica auctoritate judicaverimus.

Ad laudem igitur æterni [2] Dei, Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, ad fidei Catholicæ robur & ornamentum, ad religionis christianæ cultum augendum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra [3], deveneverabilium fratrum nostrorum consilio, statuimus, diffinimus, & pronuntiamus Sanctum Leopoldum Austriæ Marchionem Sanctorum catalogo ascribendum, & publica veneratione pro sancto observandum, sicut & nos illum impræsentiarum manifesta voce Sanctorum catalogo annectimus, ac minorum Confessorum numero adjungimus, publice sanctum diffinimus, profitemur & veneramur, statuentes [4] festum ejusdem die decimo septimo Kalendas Decembris debere celebrari, & ipso festo ejus sepulchrum, quod in prædicto Monasterio existit, visitantibus, & pro manutentione dicti Monasterii manus porrigentibus adjutrices, septem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ in forma Ecclesiæ misericorditer perpetuis temporibus concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, diffinitionis, pronuntiationis, annexionis, adjunctionis, professionis, venerationis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc [5] attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus [6] se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, octavo [7] Idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

1 *fapple ex Polzman.* relationem.

2 *leg.* quod, *vel* quæ, *ut est apud Polzman.* 2 *Polzman.* æternæ ac individuæ Trinitatis *&c.* 3 *Polzman.* nostro. 4 *Polzman.* statutum. 5 *deest apud Polzman.* hoc. 6 *Vox* ejus *omissa fuit a Polzman.* 7 Octavo *non habet Polzman sed solum* Idibus Januarii. *At utrumque numerum conjungendum esse testatur Polzmannus ipse, principio libri sui Canonizationem S. Leopoldi in festivitate Epiphaniæ accidisse scribens, quam in VIII. Id. Jan. incidere inter omnes constat.*

ORATIONES, SEQUENTIA ET HYMNUS DE S. LEOPOLDO

EX COD. MS. MONASTERII MELLICENSIS, LIBRIS MISSALIBUS ET BREVIARIO EPISCOPALIS ECCLESIÆ PATAVIENSIS ANNIS 1509. 1514. 1517. ET 1522. TYPIS EXCUSIS.

OBSERVATIO PRÆVIA.

EX Breviario Patavienſi Venetiis anno 1517. typis evulgato, in quo ad diem 15. menſis Novembris Officium Eccleſiaſticum de Sancto Leopoldo celebrandum præſcribitur, diſcere licet eundem Sanctum Auſtriæ noſtræ Marchionem non ante annum 1487. publico illo & ſolenni per Diœceſim Patavienſem cultu honoratum fuiſſe; primumque Fridericum Patavienſem Epiſcopum Comitem Oetingenſem eſſe, qui feſtum ejusdem Sancti diem cum officio peculiari agendum inſtituit. In laudato enim Breviario, prædicto Eccleſiaſtico de S. Leopoldo officio hæc verba minio depicta præmittuntur: *Anno Domini 1487. Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus Dominus Federicus Comes de Oting poſtulatus & confirmatus Eccleſiæ Patavienſis, Feſtum Sancti Leopoldi Confeſſoris inſtituit per Dioceſim Patavienſem, cum* IX. *Lectionibus ut de ſimplici Confeſſore per omnia celebrandum. Poſtea de eodem Sancto fundata eſt hiſtoria, & dicitur in primis Veſperis Antiphona: A ſolis ortu usque occaſum erit ſemper laudabile in Chriſto Nomen Leopoldi* &c. Extat hoc Officium una cum Miſſa propria notis muſicis diſtincta, in quodam Codice chartaceo Bibliothecæ noſtræ Mellicenſis, cui in eodem codice præfigitur aliud integrum de eodem Sancto Officium anno 1487. in Adventu Domini manu deſcriptum, hoc initio: *In* I. *Veſperis Antiphona, Auſtria lætare, vere felix regio, quæ ſummis collocatum Principibus laudas Leopoldum Marchionem piiſſimum. Pſalmus omnia laudate* &c. Quod poſtremum integrum cum variis Orationibus, hymnis, odis & carminibus, quæ in laudem Magni iſtius Auſtriæ Marchionis nonnulli ævi ſequioris Poetæ cecinerunt, habes apud Balthaſarum Polzmannum, Doctiſſimum Clauſtro-Neoburgenſem Præpoſitum in libro, quem *Compendium Vitæ & Miraculorum S. Leopoldi* inſcripſit, & anno 1591. vulgavit. Quare iis miſſis, quasdam tantum de ſæpe laudato S. Leopoldo Orationes, antiquam in ejusdem Miſſa Sequentiam a Polzmanno omiſſam, denique & Hymnum retinuimus: quæ omnia ex MS. noſtro Mellicenſi, Veteri item Breviario & Miſſali Patavienſi, ad inflammandam Lectoris in D. Leopoldum pietatem exprimenda, cenſuimus.

ORATIONES IN MISSA DE S. LEOPOLDO.

Collecta.

DEUS, qui Sanctum LEOPOLDUM ex principatu & curis ſeculi hujus immaculatum ad regnum cæleſte traduxiſti, concede propitius tua clementia ita nos per hæc temporalia dirigi, ut æternæ vitæ conſortes effici mereamur. Per Dominum noſtrum &c.

Secreta.

Munera, Domine, oblata ſanctifica, & intercedente Beato LEOPOLDO Confeſſore tuo, a peccatorum noſtrorum nexibus nos abſolvere digneris. Per Dominum &c.

Complenda.

Fac nos, Domine, pietatem & ſanctitatem Beati LEOPOLDI tota mente ſectari, per quam miſericordiæ tuæ gratiam, & ejus patrocinia ſentiamus. Per Dominum &c.

VETUS SEQUENTIA IN MISSA DE EODEM.

REgem Regum veneremur,
Scriptum cujus habet femur,
Dominus Dominantium:

Rumpens

Rumpens hostis potestatem,
Quam tenebat usurpatam
Contra cœtum peccantium:

Irritantis quantum potest
Ad peccandum; sed id prodest
Firmiter resistentibus.

Redit sæpe variatus,
Et recedit confutatus
A vere pœnitentibus.

Curam gerit infirmorum
Versus hostem Rex cælorum,
Ne venena peccatorum
Infundat ad libitum.

Petenti mox dat vigorem,
Caritatis stillans rorem,
Qui virtutis per ardorem
Virus vincit libitum.

Rapax lupus dum conatur
Ovem jugulare, datur
Fides recta, qua fugatur
Duri cordis cæcitas.

Bibit Jesus de torrente
Passionis peringente,
Qua spem firma sumit miente
Timida mortalitas.

Liber hostis pravitate
LEOPOLDUS Marchio,
Fide, spe cum caritate
Resistebat impio.

Umbram fugat mundanorum
Carnem servens domitam,
Christi currens mandatorum
Diligenter semitam.

Sumpsit felix & in terra
Prolem venustissimam,
Pace fruens sine guerra
Formam gessit optimam.

Major natu nec in tantis
Timescebat prosperis,
Nec fortis instar gigantis
Frangebatur asperis.

Festinavit ad superna
Multis stipatus meritis,
Nec affectus creaturæ
Baronem impediverat.

Libens liquit Christi Verna
Cum pompis Mundum solitis,
Cum jam mentis visu puræ
Trinum & Unum videret.

Cibum cæli manducantes,
Plebem secutus credulam,
Eriguntur curvi, vadunt
Membra pridem inimicitia.

*Taſiam * inhabitantes*
Diſtantem maris Inſulam,
LEOPOLDI vix evadunt
Miranda beneficia.

* *Sic cum in MSS. tum editis conſtanter vox iſthæc exprimitur. An* Taſiæ *nomine accipienda hic* Thaſus *ſeu* Thaſſus, *Inſula Thraciæ in mari Ægæo?*

Eſt id verum, nec occultum:
Bonos præmiari multum,
Ire malum nec inultum,
Propter ſtultum Mundi cultum.

Ob tanti precamen Viri
Humiles cernuntur miri,
Superbi manent deliri,
Quis verum nequit audiri.

Licet Juſti nunc quaſſentur,
Et Iniqui proſperentur;
Juſtis ſalvis hi plectentur,
Coram cunctis confundentur.

Vivet Inſons apud Deum,
Quia credidit in eum,
Mala cum vexabunt reum,
Vitæ perdentem trophæum.

O Maria, Mater pia,
Nobis via ſis, o Dia,
Cœli ad palatia,
LEOPOLDI gratia, Amen.

HYMNUS IN VESPERIS DE EODEM.

LUx viſa per caliginem,
In terram mittit radium,
Quando Sanctorum aliquem
Nobis donat egregium.

Exit ab ea quidquid eſt,
Quod ab ipſa diſtinguitur;
Sed multum damni intereſt,
Dum quis ab hac disjungitur

O Via, Vita, Veritas,
Te Chriſte, Jubar optimum,
Neſcit malorum cæcitas,
Sed videt mens fidelium.

Petamus ergo gratiam,
Ut LEOPOLDI merita
Nobis impetrent veniam,
Mala vadant præterita.

Oriatur hinc claritas
Veritatis perlucidæ,
Fides, Spes atque Caritas
Virtutes Theologicæ.

*Lætemur * nunc in Domino*
Humilitate placida,
Spreto culparum cumulo,
Et voluptate noxia:

* *Metra hæc cum ſequentibus nonnihil discrepant ab excuſo Breviario Patavienſi. Verum id hic fuſius annotare non eſt viſum operæ pretium.*

Ducentes dies prosperos
Præsenti in miseria,
Nec sentiamus asperos
Per infinita secula.

Ut cum finis advenerit
Vitæ præsentis miseræ,
Maria nos respexerit
Cum LEOPOLDO Comite.

Sit Patri laus & Filio,
Celsa Dilecto gloria,
Summo quoque Paraclito,
Nostra quod est victoria, Amen.

AUCTORIS INCERTI BREVE CHRONICON AUSTRIACUM,

RES A VETERIBUS AUSTRIÆ MARCHIONIBUS ET DUCIBUS, STIRPIS BAMBERGICÆ, GESTAS USQUE AD RUDOLFUM I. CÆSAREM COMPLECTENS,

NUNC PRIMUM ERUTUM EX CHARTACEO COD. MS. CELEBERRIMI MONASTERII S. PETRI SALISBURGENSIS, ORD. S. BENEDICTI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. INsignis Bibliotheca antiquissimæ Abbatiæ S. Petri apud Salisburgum, quam ob egregiam librorum manu scriptorum in ea reconditam supellectilem jam alias laudavimus, præter alios quamplurimos veteres codices unum servat, qui diversarum gentium Chronica, puta Suevorum, Bavarorum, Austriacorum, Karinthiorum & Bohemorum complectitur: quorum Chronicorum initia finesque hic recensere visum est in gratiam eorum, qui in illustranda singulorum horum populorum historia aut in præsenti elaborant, aut olim sunt elaboraturi.

II. In memorato itaque Codice MS. San-Petrensi primo fere loco habetur Chronicon Suevicum, vernacula lingua manu Sæculi decimi quinti exeuntis descriptum, cujus tale initium: Hie hebt sich an die Cronica von dem Vrsprung und geburt der Stwabischen Fursten. Wir erforschend mit hochsten fleiß die geburt vnser Fursten, und vil arbeitende in mancherlay Croniken und Historien, oder alten Freyheiten und priuilegien suchent, haben wir kainen mögen erfinden oder erfaren namhafftigklich vor Grauen Gwelfo, der do zu zeiten des Grossen Karlß was &c. Finis vero hujusmodi est: *Anno* do man zalt *MC.* und 87. jar, zwischen Sant Gallen und Sant Martins-Tag hat Keyser Fridrich in gemainer sambung oder Hof zu Erdfurt gehalten, Herzog Heinrich zu Sachssen und zu Bayeren alß zway jar durch krieg gepeinigt, verurtailt mit verpietung des Reichs aus den landen. *Anno* do man zalt 1182. jar in der...

Huic proxime subjicitur Chronicon Bavariæ, eadem manu exaratum, quod incipit in hunc modum: *Origo Ducatus Bajoariæ. Tera Bavariæ cum tenebatur sub potestate Romanorum, dicebatur Regnum Noricorum, sed postea Ducatus fit. Dux Utho, hic fuit tempore Pipini & Karolomanni* &c. Finit vero sic: *Non multo post mortem Reginæ ipse Rex Ludvvicus in uxorem duxit filiam Comitis*

de Haneuge & Hollandiæ, cum qua veniens Romam Imperator coronatus est, licet non....

Consequitur deinde breve Chronicon de Ducibus Sueviæ, cujus initium ita se habet: *Burkardus de genere Francorum Primus Dux Sueviæ* &c. Finis vero sic: *Philippus filius Friderici I. Hic post Heinricum fratrem eligitur Imperator, interfectus ab Ottone de VVitlspach.* Chronicon istud aliud excipit de Marchionibus Ducibusque Austriæ, familiæ Babenbergensis, quod integrum hic primum edidimus.

Subjungitur mox Chronicon Ducum Carinthiæ, hoc initio: *Conradus VVangionum Ducis privignus Conradi Salici ex Gisila* &c. Hoc vero fine: *Sed per Ottokarum impeditur, qui per vim eundem Ducatum & de facto obtinuit.*

Agmen claudit Chronicon Bohemicum. Incip. *Tempore Ottonis Magni Imperatoris Bolizlaus Dux erat Bohemiæ, Princeps magnanimus, qui se omnibus vicinis strenue opposuit. Fratizlaus Dux Bohemiæ fuit* &c. Fin: *Sed filius Odoacri regnare incipiens eundem Zebiscum, qui per Reginam, quam duxerat, thesaurum habere negat, nec Regi assignare voluit, mortua quondam Regina, eundem Zebiscum captivat & occidit.* Verum hæc Scriptorum exterorum causa, ut diximus, breviter hic observasse satis fuerit. Ad breve nostrum Austriæ Chronicon, quod hic primum publici juris facimus, redeamus.

III. Anonymus iste, qui breve istud Austriæ Chronicon composuit, quis fuerit nescio: hoc constat ex titulo, qui chronico prætexitur in Codice San-Petrensi, eum principatu Rudolphi I. Imperatoris vixisse. Cum enim in prædicto titulo testetur ipse Chronographus, scribere se historiam Ducum Australium *a tempore Conradi I. usque ad præsentes*, eamque in Rudolpho I. Habspurgico finiat; consequens est, eum mox laudati Imperatoris ævo floruisse. Quin etiam ætatem suam satis prodit iis verbis Incognitus hic Auctor, quibus perturbatissimum Austriæ Styriæque statum, qui necem Friderici Bellicosi, Principum Babenbergico-Austriacorum ultimi, consecutus fuit, describit. *Occiso itaque* (inquit ille) *Friderico potentissimo & inquieto Duce Austriæ & Styriæ, quanta mala fere per sex annos utraque provincia sit perpessa, nullus valet scribere vel narrare.* Ex quibus non obscure colligas, Anonymum hunc temporum illorum, quibus ea gesta sunt, æqualem, eoque sæculi decimi tertii hominem fuisse.

IV. Illud postremo in hoc Scriptore observandum occurrit, Veterum Austriæ Marchionum seriem ordinemque aliter ab eo, quam ab omnibus fere tum vetustioribus tum recentioribus Austriacis Scriptoribus statui. Hi enim Leopoldum I. cognomento Illustrem primo loco, secundo Henricum Rebellem dictum, tertio demum Adalbertum, Albertum seu Albrechtum vulgo Victoriosum collocant: Noster contra Anonymus, Leopoldo & Henrico prætermissis, Albertum primum omnium Austriacorum Marchionum facit. Deinde Alberto, ejusque filio Leopoldo, cognomento Forti Militi, proximo loco Leopoldum Pium seu Sanctum male substituit, Ernesto & Leopoldo omissis: cum ex Mellicensi nostro, & Claustro-Neoburgensi omnium Austriæ probatissimis antiquissimisque Chronicis, aliisque passim vulgatis rerum nostratium Auctoribus satis constet, Alberto Ernestum Strenuum cognominatum, Ernesto Leopoldum Pulchrum, huic denique Leopoldum Pium seu Sanctum in Austriæ principatu ex ordine successisse. Cætera, quæ a Leopoldo Pio usque ad Rudolphum I. Imperatorem persequitur, quan-

quanquam non nunquam ab aliis domeſticis notæ melioris Scriptoribus variant, ut plurimum tamen cum iisdem conſentiunt. Sed jam Anonymum ipſum, quem ex apographo San-Petrenſi ſæculo decimo quinto exeunte ſcripto, lectionis ſane difficillimæ, magno labore nos ipſi eruimus, loquentem audiamus.

Incipit Breve Chronicon.

DUCES AUSTRALES A TEMPORE CONRADI I, ULTIMI DE GENERE KARULORUM, USQUE AD PRÆSENTES.

ALbrechtus, nobiliſſimus Francorum Comes, Ottonis Saxonum Ducis, patris Primi Heinrici, ex filia nepos, dolo Hattonis Archiepiſcopi Moguntienſis interfectus ex eo, quod Conradum ultimi Ludwici de genere Karulorum fratrem occidit. Qui reliquit Albrechtum, qui Marchiam Orientalem & Pannoniam Superiorem ab Ungaris eripuit: quam ex parte Imperii ipſe & ſui filii per longa rexit tempora, usque ad tempus Heinrici Quinti, ſub quo Liupoldus Primus, qui ab eodem Albrechto deſcendit, verus Marchio conſtituitur. Nam illuſtriſſimus Marchionis Albrechti filius Leopoldus [1] adoleſcens immatura morte omnium planctu moritur, & a patruo ſuo Popone Trevirorum Archiepiſcopo in urbe Trevirenſe ſepelitur. Hic eſt Leopoldus, qui cum patre ſuo Albrechto Marchiam Orientalem Ungaris eripuit: qui Leopoldus in nuptiis apud Inglheim ab Heinrico II. celebratis obiit.

Leopoldus, ſupra dicti filius, ſucceſſit patri, & Marchio II. Hic Dux Bavariæ factus per Conradum III. Regem Romanorum, fratrem ſuum ex parte matris, in Ratisbona moritur, & ſepelitur Pataviæ in monaſterio, quod pater ejus conſtruxerat, & ipſe multipliciter condonaverat.

Heinricus, frater prædicti Liupoldi, etiam filius Leopoldi, ſucceſſit fratri in Marchia. Hic etiam Dux Bavariæ factus per fratrem ſuum Regem Chunradum III, ſed ipſo Rege Conrado mortuo, patruus ipſius Regis, ſcilicet filius Friderici Ducis Sueviæ, nomine Fridericus Imperator Primus, hic Heinricum Ducem Saxoniæ, filium quondam Heinrici Ducis Bavariæ a Conrado expulſum, rogatu Principum in Ducatum Bavariæ reſtituit: & hunc Heinricum patruum ſuum Marchionem Auſtriæ, tunc Ducem Bavariæ, ab eodem Ducatu removit. Et quia ejusdem Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honeſtas, ut nomen Ducis non perderet; cum conſenſu & voluntate Principum anno MCLVI. Marchionatum Auſtriæ a jurisdictione Ducis Bavariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo, convertit in Ducatum, judiciariam poteſtatem Principi Auſtriæ ab Anaſo usque ad ſylvam, quæ dicitur Rotenſala prope Pataviam, protendendo. Nam hucusque quatuor Marchiones, Auſtriæ, & Styriæ, Yſtriæ, & Cambenſis, qui dicitur de Vochburg, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavariæ veniebant, ſicut hodie Epiſcopi & Comites ipſius terræ facere tenentur. Sic igitur ille Heinricus factus eſt I. Dux Auſtriæ. Hic Heinricus Dux Auſtriæ Primus poſt multa virtutum inſignia obiit anno 1177.

Lutpoldus Dux Auſtriæ Secundus, filius ſupra dicti Heinrici, Ducatum accepit. Anno autem 1180 Ottakarus, apud quem Marchionatus Styriæ in Ducatum per Fridericum I. Imperatorem mutatus eſt, lepra tactus obiit: & Ducatum Styriæ & omnia ſuo cognato ſuo Duci Lutpoldo Auſtriæ reliquit. Hic Lutpoldus Dux Terram Sanctam ac Jeruſalem viſitavit, & rediit. Rex autem Angliæ recedens a Terra ſancta, a ſuis derelictus .... venit Wiennam, & ibi captivus [2] a Duce Leopoldo, qui eum tradidit Imperatori Heinrico, filio Friderici Imperatoris. Elapſis autem aliquibus annis, Dux Leopoldus de equo cadens, fracto crure obiit: cui filii ejus ſuccedunt, Fridericus in Auſtria, Lutpoldus in Styria. Mortuo autem in transmarinis partibus Friderico, Lutpoldus poſſedit utrumque.

Lutpoldus Dux Auſtriæ III, filius ſupra dicti Lutpoldi, Ducatum accepit, homo pacificus & virtuoſus: cujus tempore Monaſteria, Clerus & populus in ſuis provinciis pace maxima gaudebant. Hic duxit uxorem Theodoram, filiam Regis Græcorum, anno 1225. Dux Lutpoldus rediens de partibus ultramarinis, filiam ſuam, nomine Margaretham, copulavit filio Friderici Secundi Imperatoris, nomine H [3], qui Rex fuit poſt eum deſignatus. Eo anno conſtruere cœpit oppidum Scherdingen cum conſenſu Ducis Bavariæ. Habuit autem duos filios; H [3], qui Senior; & Fridericum, qui junior. Idem duxit in uxorem ſororem Reginæ Ungariæ. Ipſe autem Dux Lutpoldus cum Imperatore veniens Romam, apud S. Germanum obiit: cujus corpus in monte Caſſino in Monaſterio S. Benedicti a Cardinalibus ſepelitur, & ipſius [4] delata in die S. Andreæ apud Monaſterium Liennfeld, quod idem Dux magnifico opere conſtruxit, ab Archiepiſcopo ſepeliuntur, & eodem die dictum Monaſterium ab eodem conſecratur anno 1231.

Fridericus, filius prædicti Ducis Lutpoldi, Ducatum Auſtriæ & Styriæ rexit, Dux Auſtriæ IV, ſequenti anno gladio præcingitur. Iſte Fridericus cum eſſet ſeverus, in judicio diſtrictus & crudelis, magnanimus in præliis, in theſauris congregandis cupidus, terrorem ſuum ſic fudit ſuper indigenas & vicinos, ut non ſolum non diligeretur, ſed ab omnibus timeretur. Ibat enim potenter cum equitatu in Moraviam contra Wenzlaum Regem Boemorum: quandoque

[1] *ita varie in Cod. MS. exprimitur hoc nomen* Leopoldus. [2] *f.* captus. [3] Heinrico. [4] Heinricum. [5] *ſupple* oſſa.

etiam

etiam Ungarorum [1] intrabat, fines utriusque regni ferro & igne vastans. Satagebat etiam Nobiles & meliores terræ suæ opprimere, & ignobiles exaltare. Agnetem uxorem suam, filiam Ducis Ottonis Meraniæ, tanquam cognatam repudiavit: quam postea Ulricus Dux Karinthiæ accepit. Propter has, & plures insolentias ab Imperatore proscribitur. Sed ipse Dux Fridericus edicta Imperatoris & inimicitias Principum contemnens, ab ipso Imperatore per sententias Principum, in curia Augustæ celebrata, a Ducatu Austriæ & Styriæ proscribitur, & Principatuum suorum honore privatur. Anno sequenti Imperator intrat Austriam, & fere totam obtinuit, cum Rege Boemiæ Wenzlao, & aliis quamplurimis Principibus; sed ipso Duce Friderico parvipendente. Cum Imperator inde in Apuliam se transferret, & aliquos in Austriam ad custodiendam terram mitteret; ipse Fridericus Dux iniit pugnam cum iisdem, & victoriam obtinuit, & totam terram rehabuit. His progressibus elatus, bellum movit contra Belam Regem Ungariæ, & victoriam potitus (dubium est, utrum ab amicis vel inimicis) circa oculum cuspide vulneratus interiit anno 1246.

Occiso itaque Friderico, potentissimo & inquieto Duce Austriæ & Styriæ, quanta mala fere per sex annos utraque provincia sit perpessa, nullus valet scribere vel narrare. Nam quilibet nobilium, immo magis ignobilium, nec Deum nec hominem reveritus, quæcunque volebat, faciebat: homines ad munitiones vel cavernas terræ fugere non valentes captivando, vulnerando, occidendo, ac excogitatis & hactenus inauditis tormentis miserabiliter trucidando. Bela etiam Rex Ungariæ orbatas hæreditatibus terras sibi attrahere cupiens, multa millia hominum per paganos homines in captivitatem abduxit, multa occidit, ac utriusque terræ Marchias fere inhabitabiles fecit.

Tunc Hermannus Marchio de Baden, natus ex Irmengarde, sorore Dominæ Agnetis Ducis Bavariæ, duxit in uxorem Gerdrudem filiam Heinrici Ducis, quondam fratris Friderici Ducis Austriæ antedicti: & Ducatus Austriæ & Styriæ ratione talis conjugii sibi usurpavit. Qui genuit filium, nomine Fridericum, & filiam, nomine Agnetem, & hic fuit Dux V. Quæ quidem Agnes Ulrico Duci Karinthiæ postea copulatur. Et cum dictus Hermannus Dux esset impotens, tantam malitiam hominum, quæ jam nimium invaluerat, morte etiam præpeditus compescere non valebat: moritur enim IV Non. Octobris anno 1250. Dominus Otto etiam Dux Bavariæ mittens Ludvicum filium suum cum exercitu ad terram illam, sibi civitates Lincz & Anasum cum magna parte illius provinciæ subjugavit.

Postremo misericordia Dei de cœlo prospiciente, fatigatis, & depurgatis jam nimium Optimatibus terræ, Dominus Premizel (qui & Odoaker dictus, filius Wenzlai Regis Bohemiæ) consilio patris, & vocatione Magnatum civitatum Austriæ & Styriæ, utrumque Ducatum sibi attraxit, Dominam Margaretham, relictam Heinrici quondam Regis Romanorum, sororem scilicet supra dicti Friderici Ducis Austriæ, accipiens in uxorem: ad cujus subjectionem statim tota Austria & Styria cum superioribus & inferioribus civibus est conversa. Attamen quia Bela Rex Ungariæ Bethoniam civitatem jam cum magna parte Ducatus Styriæ non desiit lædere, utramque partem ... conventione inter Reges facta, quædam pars Ducatus Styriæ sibi cum distinctis terminis assignatur; Domino Odokro in pace partem reliquam cum terra Austriæ retinente. Ex tunc gratia Divina donante, ac probitate dicti Domini faciente, pax ibidem aliquanta renovatur.

Anno autem Domini 1267. Dux Fridericus juvenis filius Hermanni Comitis de Baden tunc Ducis Austriæ, in Apulia cum Rege Chunrado vel Chunradino, nepote Friderici Imperatoris, decollatur: de quo spes non modica fuerat, quod deberet aliquando paternas [2], Ducatus Austriæ videlicet & Styriæ, obtinere. Postea anno Domini 1273 Ruodolfus Comes de Habspurg Rex Romanorum factus, bellum cum Odoacro iniit: occisus est Odoacer, Ruodolfus obtinuit Austriam & Styriam.

[1] *l.* Ungariam.

[2] *ita lego.* [2] *supp.* ditiones.

BERNARDI NORICI COENOBITÆ CREMIFANENSIS CHRONICON AUSTRIACUM.

AB EJUSDEM GENTIS ORIGINE USQUE AD ANNUM CHRISTI MCCCVIII. PERDUCTUM,

EX CODICE AUTOGRAPHO CELEBERRIMI MONASTERII CREMIFANENSIS, ORD. S. BENEDICTI, NUNC PRIMUM PUBLICATUM.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. BErnardi Norici genuinas lucubrationes historicas aliquando coram inspiciendi magnam jam dudum cupiditatem nobis injecit Johannes Aventinus, Annalium Bojorum Scriptor percelebris, qui initio libri primi cæteris Auctoribus domesticis, quorum scriptis in concinnanda suæ gentis historia usum

uſum ſe fuiſſe aſſeverat, hunc quoque Bernardum Noricum accenſet. Ardorem poſtmodum intenderat Simon Rettenpacher Benedictinus Cremiſanenſis, Annalium Cœnobii ſui Conditor eruditiſſimus, qui & ipſe in hoc Opere elegantiſſime a ſe conſcripto, Bernardum Noricum ſodalem ſuum non ſemel laudat. Quocirca non leve beneficium fortunæ fuit, ut cujus deſiderio tanto jam tempore tenebamur; eo tandem Religioſiſſimi D. P. Marcellini Knoblach, non ob canos ſolum, ſed & ob inſignem pietatem ac doctrinam plurimum reverendi Bibliothecarii Cremiſanenſis, humanitate potiremur. Is enim altera ſtatim, quam anno 1715. ad nobiliſſimum hocce Auſtriæ Superioris Aſceterium veniſſemus die, ab Admodum Reverendo D. P. Carolo Freysauff, Aſceta ejusdem loci humaniſſimo, omni honore atque amore acceptі, ipſum Bernardi Norici Avtographum (ut ipſe quidem affirmaverat) nobis exhibuit, utendumque trium fere dierum ſpatio, quo ibidem rei litterariæ cauſa morabamur, promptiſſimo animo conceſſit. Gaviſi maximo, ut par erat, opere ſumus viſo tam pretioſo Antiquitatis Auſtriacæ Monumento: eoque non avide magis quam diligenter pervoluto, ea tantum inde deſcripta annotataque in Commentariolos noſtros retulimus, quæ in res noſtras tum propius facere videbantur. Etſi enim pleraque Bernardi Volumine comprehenſa dignisſima forent, quæ exſcriberemus; tamen reliquorum quoque Codicum manu ſcriptorum, numero circiter trecentorum ſeptuaginta duorum, quos hic loci etiam nunc ſupereſſe deprehendimus, accurata fructuoſaque perluſtratio id minime patiebatur. Miſſam facimus editorum omnis fere generis librorum vim maximam, quam in inſtructiſſima loci hujus bibliotheca non ſine multa admiratione contemplati, magnamque partem perſcrutati fuimus. Quæ duo in cauſa fuerunt, cur præter Chronicon Auſtriacum a nobis mox proferendum, itemque aliud inſigne opuſculum hiſtoricum, quod in altero operis hujusce tomo daturi ſumus, ex Bernardo Norico nihil nobis tranſcribere licuerit. Satis namque tum habere nos arbitrabamur, reliquas ipſius Scriptiones diligenter in ſchedis noſtris annotaſſe: quod in ſpem certam veniebamus fore, ut eæ omnes nobis alio commodiore tempore petituris Cremiſanio benigne ſubmitterentur, ſubinde non modo immortali Inclyti Cremiſanenſis Monaſterii gloriæ & laudi, verum etiam ingenti Hiſtoriæ Auſtriacæ bono, publicis a nobis typis evulgandæ. Verum ea ſpes decollavit. Siquidem litteris earum cauſa anno ſuperiore Cremiſanium iterum iterumque datis, nihil omnino eorum, quæ vehementiſſime cupiebamus, inde conſequi potuimus. Id quod magno dubio procul Hiſtoriæ noſtratis detrimento factum, merito dolebunt Eruditi. Interim rem Lectori noſtro non ingratam nos facturos ſperamus, ſi, quæ de Bernardo Norico, ejusque opuſculis hiſtoricis notavimus, cum eodem bona fide communicaverimus: ex quibus is intelliget, unam nobis facultatem, non certe voluntatem defuiſſe, quo minus integrum hunc Auctorem typis expreſſum in ſcenam producamus.

II. Bernardum Noricum Chronici Auſtriaci a nobis hic primum edendi, aliorumque Scriptorum, quorum initia infra delibabimus, parentem eſſe, non aliunde conſtare opinamur, quam fama perpetua, ac conſtanti Majorum traditione in poſteros derivata. Utut enim integrum Codicem membraneum manu ſæculi decimi quarti ſatis eleganter ſcriptum, quem ſupra memoratus bibliothecæ Cremiſanenſis Præfectus germanum Bernardi Norici Opus eſſe nobis confirmaverat, ſtudioſe evolverimus; nuſpiam tamen (quod

quidem meminerimus) vel initio, medio fineve ſingularum ipſius ſcriptionum, aut aliis locis, quibus pro Veterum more id nonnunquam adſcribi ſolebat, *Bernardi Norici* nomen reperire potuimus. Sed quidquid de proprio Scriptoris iſtius nomine ſit, illud indubitatum exploratumque, eum quemdam ex Cœnobitis Cremifanenſibus fuiſſe, in veterum Auctorum lectione haud vulgariter verſatum, rerumque domeſticarum apprime gnarum. Etenim in ſubjecto Auſtriæ Chronico, & alibi paſſim (ut accurate obſervavimus) de Monaſterio Cremifanenſi, rebusque ad id pertinentibus ſcribens, idem *Abbatiam noſtram, Monaſterium noſtrum*; & id genus plura diſertis verbis appellat, ut vel ex iis ſolis videre eſt, quæ paulo ante annum Chriſti 1042. ad annos item 1050. & 1083. præfati Chronici enarrat: quæ Auctorem in Cœnobio Cremifanenſi vitam Monaſticam excoluiſſe, fidem certiſſimam faciunt. Floruit vero Bernardus Noricus (aut quisquis Chronici iſtius aliorumque Conditor eſt) ſub Sæculi decimi quarti initium, quemadmodum id (omiſſis aliis argumentis) manifeſtum fit ex Catalogo Abbatum Cremifanenſium ejusdem Bernardi manu conſcripto, in cujus initio, aliis nonnullis præmiſſis, de forma ac colore habitus ſodalium S. Benedicti agens hæc affert: *De qualitate vero*, inquit, *habitus & coloris penitus nichil conſtat. Quia nec Caſſinenſes ſcribentes conſuetudines ſuas primas Karolo Imperatori, declarant colorem habitus, ſed tantummodo ita dicunt: Cucullam nos dicimus eſſe, quam alio nomine Caſulam vocamus, quod genus indumenti villis intexi ſolet. Et infra de diverſitatibus ejus addunt: Galliarum Monachi hoc largius & prolixius induuntur, ſicut noſtri temporis Clemens V. Papa, & Johannes* XXII. *declaraverunt circa annum* MCCCXII. Ita Bernardus Noricus. Adde, Chronicon iſtud Auſtriacum, reliquaque in autographo Codice Cremifanenſi contenta opuſcula, manu ſæculi decimi quarti certo fuiſſe exarata, ut vel ex ſola characterum conformatione nemo non harum rerum paulo peritior indubitanter ſtatuerit. Cui porro numeri Bernardus noſter in Monaſterio ſuo præfuerit, quid præterea præclari geſſerit, aut quando ſupremum diem obierit; nec ex ejus ſcriptis, nec aliunde hactenus comperimus. Sed libet nunc ſingularum lucubrationum hiſtoricarum, quæ in Codice Bernardi Norici (ut quidem traditur) habentur, initia huc adſcribere; ut cum eas integras hic dare non licuerit, relatis ſaltem earundem ſpeciminibus, lectorum cupiditati ſatis utcunque fiat. Extant autem hoc ordine in laudato Codice Cremifanenſi.

I.

Brevis Hiſtoria ſeu Catalogus Laureacenſium & Patavienſium Antiſtitum, hoc exordio: *Incipit Prologus. Cum Eccleſia Chremsmunſtrenſis a Domino Taſſilone illuſtri Principe Vavvariæ* &c.

II.

Chronicon Bavaricum, præfixo hoc titulo: *De ordine Ducum Vavvariæ ſive Regum.* Incipit: *Scripto ordine Archiepiſcoporum S. Laureacenſis, ſeu Epiſcoporum Patavienſis Eccleſiæ, & de his quæ magis notanda ſuis temporibus emerſerunt* &c.

III.

Chronicon Auſtriacum, quod integrum infra exhibemus.

IV.

Catalogus, ſeu rectius Chronicon Abbatum Cremifanenſium, hoc initio: *Explanato in prioribus perpaucis ordine Ducum, Vavvariæ & Auſtriæ, ac Epi-*

Episcoporum Laureacensis & Patauiensis Ecclesiarum, nunc veniendum est ad Ordinem Abbatum Ecclesiæ Chremsmunstrensis, quæ fuit origo & causa motiva præcedentia scribendorum &c. Pertingit hoc Chronicon usque ad Fridericum Abbatem, quod subinde alius quispiam usque ad Benedictum Prawn Præsulem itidem Cremisanensem, anno 1488. extinctum, persecutus fuit.

V.

Genealogia Fundatoris Cœnobii Cremisanensis. Incipit: *Igitur cum pretiosus illibatæ Virginis uterus, rore Divini Numinis irrigatus lilium cœli* &c. Cæterorum porro opusculorum, quæ priori in eodem codice subjunguntur, Inscriptiones in schedis nostris annotatas hic tantum afferimus: nam singulorum quoque Initia transscribere, tempore (ut alias jam monuimus) excluſi non poteramus.

VI.

De Origine & causa Fundationis Monasterii Chremsmunstrensis.

VII.

De Constructione Ecclesiæ, & ejusdem Destructione.

VIII.

De Amænitate Monasterii Chremsmunstrensis, spiritali & corporali.

IX.

De Monachicis Institutis.

X.

De donationibus Monasterio factis.

XI.

De Principatu Episcopii.

XII.

De Principatu Territorii.

XIII.

De Dignitate Monasterii Chremsmunstrensis.

XIV.

De violatione Episcoporum.

XV.

De Dilapidatione Prælatorum.

XVI.

De Flagellis Dei.

XVII.

De Lamentatione Prædicatorum.

XVIII.

Vita S. Agapiti Martyris, præcipui Monasterii Cremisanensis Patroni ac Tutelaris.

XIX.

De Institutionibus & observantiis Cœnobitarum Cremisanensium.

Ex his omnibus hactenus recensitis Bernardi Norici opusculis unum unicum Chronicon Austriacum, cum alia nanciſci nulla ratione nullisque precibus potuerimus, eo prorsus modo, quo in sæpe laudato Codice Cremisanensi habetur, Lectori nunc exhibemus.

Incipit Chronicon.

DE ORIGINE, ET ORDINE DUCUM AUSTRIÆ.

QUia tempore Ducum Wawariæ ortus est Austriæ principatus, congrue post præhabita Kathalogus Ducum Austriæ ordinatur. Sed prius de gentis ejus origine breviter est tangendum. Igitur sciendum, quod (ut refert historiographus Bobinicensis) Septentrionalis plaga quanto longius distat ab ardore solis, & frigida de nivibus, tanto saniores habet homines, & eo aptior est ad multiplicandas gentes. In hac plaga est quædam Insula, Scandanavia dicta, circa flumen Fistulæ, quod Germaniam & Scythiam determinat: a qua

multæ gentes propter ſuperabundantiam hominum exeuntes, Germaniam & Scythiam intraverunt, diviſæ vocabulis atque locis. Inter cæteras inde exierunt duæ nationes, ſcilicet Oſtrogothæ, & Wiſigothæ. Prima reſedit in Scythia ſeu Pannonia; altera ſecus Mæotides paludes, ſcilicet juxtà mare Ponticum. Dicebantur autem Oſtrogothæ, ſive a plaga mundi, quæ ſita eſt verſus Orientem, ſive a nomine ſui Regis: eorumque provincia cœpit a Laureaco & a flumine Aneſi verſus Orientem. Verum qui & quot fuerint ſibi Reges, non ſatis patet usque ad Theodoricum, qui miſſus a Zenone Imperatore, ſub Simplicio Papa, circa annum Domini DCCCL. Odoacarum Regem Hunorum apud Aquilegiam occupavit, & in Italia reſedit. Hunc Theodoricum quidam Sanctus vidit in olla Vulcani proici, ut ſcribit S. Gregorius. Item legitur, quòd Acius [1] Patricius tempore Valentiniani easdem gentes Romanis ſubdidit, in quo conflictu inter cæteras Pannoniæ & Wawariæ civitates deſtructæ ſunt, Laureacus, Aquilegia & Venecia quas Attila Rex ſibi ſubdiderat. Item Narſes Patricius a Juſtino contra Totilam miſſus, Regem eorum vicit, & diſperſit eosdem Gothos auxilio Longobardorum: qui jam ſicut & Gothi ab extremis mundi Inſulis venientes, etiam in Pannonia habitabant. Hic eſt Narſes, qui fallaciter accuſatus cum a Sophia Imperatrice turpiter tractaretur, eosdem Longobardos in Italiam introduxit. Quibus Wawari fœderati Italiam & Romam poſtea irruperunt, usquequo Karolus Martellus, & Pipinus filius ejus, quibus Papa dedit regnum Francorum, ipſos penitus ſubegerunt. Præterea Karolus Magnus, filius dicti Pipini, non ſolum in regno Francorum, verum etiam a Papa in Romanorum Imperio confirmatur. Poſt Taſſilonis Ducis Wawariæ ceſſionem, partem Pannoniæ ab Anaſo usque ad fluvium Raben cum eisdem Oſtrogothis, qui illic habitabant, ſubjugavit, & eam addidit Wawariæ regioni, committens eas Geroldo Comiti gubernandas. Quo poſtea in bello Ungarorum perempto, & regnante Ludwico filio ſuo, & conſtituto in Wawarorum Rege nepote ſuo Bernhardo; in eadem parte Pannoniæ, quam tunc evicerat Karolus, ſunt Præſides collocati, qui ſubjecti erant Principi Wawariæ usque ad tempora Ottonis I Imperatoris. Ex tunc enim cœperunt inquieti Ungari opprimi, & Præſides Oſtro-gothorum in Principes ſuſcitari; ſed a ditione Ducum Wawariæ nihilo minus poterant liberari. Invenitur nempe in hiſtoriis, quod Dux Wawariæ non ſolum Principes Oſtro-gothiæ, ſed etiam Iſtriæ, Styriæ & Chambiæ [2] ſubditos poſſidebat: ad cujus nutum veniebant, & ut Dominum honorabant. Igitur hæc provincia ab incolis Oſtro-gothia, id eſt Oſtergaw, eſt vocata; vel Orientalis, quia verſus orientem ſita eſt, nunc pulchro idiomate Auſtria appellatur, id eſt Oeſterreich. Harum autem nationum veſtigium adhuc remanſit in monte, qui Gœtwich dicitur, ubi ejus nominis Monaſterium jam eſt ſitum. Dicitur autem Goetwich per compoſitionem duarum dictionum, ſcilicet *Gothorum Wich*, id eſt Deus: ſua namque lingua Martem, vel gladium Martis, *Wich* dicebant, pro eo quod præliis multos populos ſibi ſubjugaſſent. Verùntamen per quem, vel in quo primo ſurrexerit hujus provinciæ principatus, non ſatis in Cronicis declaratur, usque ad tempora Heinrici I Imperatoris. Iſte namque Heinricus primo Dux Wawariæ, poſtmodum Imperator: quia licet eſſet pius, humilis & manſuetus (ut in legenda ſua, & ex fine vitæ ſanctæ patet); reſiſtentem tamen Imperio Heinricum Marchionem II. Oſtro-gothiæ vel Orientalis, ut ex ſequentibus inſuitur, ſubjugavit circa annum Domini MIII. Hujus Heinrici Regis, & hujus Marchionis tempore martyrizatus eſt Sanctus Cholomannus in Stokeraw, anno ſcilicet Domini MXI [1], ſub Bonifacio [2] Papa, & Epiſcopo Patavienſi Chriſtanno.

His temporibus videtur noſtra Abbatia vacaſſe. Item Magiſter Notkerus floruit. Hoc Heinrico [3] mortuo, ſucceſſit ei Albertus, ſub Agapito Papa.

MXLII. Albertus, III. Marchio Orientalis, maximam partem Ovonis Regis Ungariæ una cum ſuo filio Liupoldo, ſub Heinrico Rege Romanorum, proſtravit.

MXLIV. Liupoldus, filius Alberti, moritur.

ML. Andreas, Rex Ungariæ poſt Petrum, & Albertus Marchio fœderantur. His temporibus Swikerus, Epiſcopus Babenbergenſis, Papa efficitur, *Leo* appellatur. Item Engelbertus Epiſcopus ſedit Pataviæ, qui noſtrum Monaſterium dedicaſſe, & per conſequens intelligitur Abbatem Echardum inibi poſuiſſe, vel electum confirmaſſe.

MLVI. Albertus Marchio moritur, & Erneſtus IV. filius ejus ſuccedit. His temporibus Chuno, vel Chunradus Dux Wawariæ in exilium ab Heinrico Rege pulſus, in Pannonia eſt defunctus: & Agnes Imperatrix Ducatum Wawariæ uſurpavit.

MLXXV. Erneſtus Marchio in Saxonia eſt occiſus: & Leupoldus [4] filius ſuccedit, ſub Gregorio Papa VII, & Altmanno Epiſcopo.

MLXXXII. Altmannus noſtrum Monaſterium conſecravit, quod per incendium fuerat execratum, tempore Pezelini Abbatis. Iſte Altmannus etiam apud nos reformavit Monaſticam diſciplinam, & præfecit Abbatem Diſricum.

MXCVI. Leupoldus, vel Leutoldus Marchio obiit: & Leupoldus filius ſuccedit. Iſte dictus eſt *Pius*, & reſtituit nobis prædia in Petenpach, quæ ad manus ejus tranſierant forte per Patavienſem Epiſcopum Chriſtannum ſub Heinrico Imperatore. Item conſtructum eſt Cyſtercium, ſub Urbano Papa, & Alrammo I. Abbate.

MCVI. Heinricus IV. Imperator obiit: & Leupoldus Pius Marchio filiam ejus duxit

[1] *l.* Ætius. [2] *eadem manus in margine addit:* ſcilicet de Vohburch.

[1] Imo MXII. [2] *leg.* Benedicto VIII. [3] *id eſt Auſtriæ Marchione.* [4] *eadem manus in margine*, vel Leutoldus.

Agnetam,

Agnetam, ſororem ſcilicet Heinrici Regis V, poſtquam [1] plures filios generavit.

MCX. Heinricus Rex Paſcalem Papam cepit; ſed ei poſtea reconciliatus; & ab eo coronatus fuit.

MCXII. Leupoldus Marchio Regem Ungarorum inſecutus, quasdam ei civitates diruit & incendit. Item S. Bernhardus Cyſtercium eſt ingreſſus, ſub Paſcali Papa, & Ulrico Epiſcopo Patavienſi. Medelicum conſtruxit.

MCXXXVI. Illuſtris Marchio Orientalium Leupoldus Pius moritur: cui ſucceſſit filius ejus Leupoldus Largus VII.

MCXXXIX. Leupoldus Marchio Orientalis, Dux Wawariæ conſtituitur: Heinrico Duce, filio Heinrici, in exilium pulſo a Chunrado Rege. Iſte Leupoldus Monaſteria Neunburch, & Sanctæ Crucis conſtruxit.

MCXLII. Leupoldus Dux Wawariæ & Marchio Orientalis cum Chunrado in Saxoniam profectus moritur: cui Heinricus VIII. minor frater ejus ſuccedit. Circa hæc tempora Monaſterium Glunich eſt conſtructum, anno Domini MCXXIII. a Brunone nobili, & Otacherus Marchio dedit eidem prædium Cheſeraw, quod a Babenburch habuit: ubi & Chremsmunſter dederat, aliud antea Epiſcopus Babenbergenſis Otto, quod confirmavit Ekbertus anno Domini MCCXXXVII.

MCLXXVII. Heinricus Dux Orientalis, id eſt Auſtriæ, de equo corruit, & poſtea obiit: cui Leupoldus filius ſucceſſit. Iſte dictus eſt *Pater patriæ*. Hic cum multis aliis, & Abbate noſtro Udalrico III. Jeruſalem eſt profectus, ſub Clemente [3] Papa, & Diepoldo Epiſcopo, & Manegoldo. Item Otto Babenbergenſis Epiſcopus canonizatur.

MCXC. Leupoldus Dux iterato Jeruſalem tendit cum Friderico Imperatore. Item iſte Leupoldus Rychardum Regem Angliæ Wiennam inſperate venientem cepit, & Friderico [4] Imperatori tradidit. His temporibus inundaverunt aquæ ſupra modum nivibus & imbribus, quod tam villæ, quam domus & agri ſint penitus demoliti. Item Leodicenſis Epiſcopus a Regis Heinrici familiaribus eſt peremptus pro juſtitia domus Dei. Huic Leupoldo Otacherus Marchio Styriæ, ejus conſanguineus, Marchionatum eundem in lepra moriens delegavit: qui ante lepræ morbum eundem Marchionatum per Fridericum Imperatorem etiam erexerat in Ducatum.

Circa hæc tempora, ſcilicet anno Domini MCXC Otto Babenbergenſis Epiſcopus Conſtruxit Hoſpitale in Pirno monte, cujus Presbyterum inſtituere debent Abbates; Admuntenſis, Glunicenſis, Garſtenſis, & Præpoſitus Sancti Floriani, ut dicitur in privilegio. Item Otacherus Marchio dedit Monaſterio in Glunich villam Tudich, quam ab Epiſcopo Patavienſi in feudo habuit. Sed poſtea Leupoldus Dux, avus Friderici Ducis, dedit eis Eccleſiam Tudich, ſcilicet anno MCCI, ſub Steveno Abbate, ſucceſſore Marquardi, poſt Ulricum Abbatem in Glunich.

MCXCV. Leupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ infra hebdomadam Nativitatis ſuper glaciem curſitans, de equo corruit ſicut pater, & poſtmodum obiit. Hujus filii principatum patris partiuntur. nam Ducatus Auſtriæ Friderico filio ejus cedit, & Ducatus Styriæ fratri ſuo Leupoldo. Sed Friderico, morte immatura decedente, utriusque provinciæ principatus Leupoldo ceſſit. Iſte ergo Leupoldus Secundus Dux Auſtriæ, filius Leupoldi I. Ducis, qui dicebatur *Pater patriæ*, duxit uxorem Theodoram, filiam Regis Græciæ, Item Liernveld [1] conſtruxit, & caſtrum Schærding de conſenſu Ludwici, filii Ottonis Ducis Wawariæ. Iſte dictus eſt etiam *Pater Cleri*: quia multa bona Cœnobiis & Eccleſiis Dei fecit. Inter quæ noſtrum Monaſterium ab Advocatorum oppreſſione liberavit, ſub Rudolfo Abbate, anno Domini MCCXVII, anno primo Domini Honorii Papæ, qui ſucceſſit Domino Innocentio Papæ, qui etiam Ordinem confirmavit Prædicatorum & Minorum, tempore Ulrici Epiſcopi Patavienſis. Hic Leupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ, Pater Cleri, moriens in Liernveld ſepelitur: & Fridericus filius ejus ſuccedit.

Iſte Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ jura noſtræ Eccleſiæ ampliavit, & reditus ac homines in Gravenperg dedit, & penſum advocatiæ vel talentorum in perpetuum relaxavit; ut ex hoc in Quadrageſima eſoces Fratribus miniſtrentur: inſuper alia xenia Eccleſiæ noſtræ dedit. Qui in prælio Ungarorum occiſus anno Domini MCCXLVI, ſepultus eſt. Hic cum absque liberis deceſſiſſet, Otacherus Premizzel Rex Bohemorum, qui Margaretam, ſororem ejus, uxorem habuit, quaſi hæres terræ Ducatum Auſtriæ & Styriæ vendicavit: quia poſt Friderici [2] Imperium tunc vacavit.

MCCLX. Rudolfus Comes de Habsburch eligitur in Regem Romanorum, qui pugnans cum Otachero vicit, & Auſtriam cum Styria ſuo filio Alberto contulit. Iſte ergo Albertus poſt Fridericum Ducem obtinuit Auſtriæ principatum, & fuit bellicoſus, ac plurimum animoſus. Unde & Adolfum Regem, ſucceſſorem patris ſui, bello petiit, licet (ut dicitur) non juſto, regnumque poſt eum fortiter uſurpavit.

MCC 3. Rudolfus, filius Alberti, Dux Auſtriæ factus eſt a patre. Iſte Vir virtutis, & pacis amator extitit, & ſororiam [4] Reginæ Franciæ duxit. Qua mortua, & Wenczlao Rege Bohemiæ, filio Otacheri, defuncto, ejusdemque filio Bolizlao magnæ indolis interfecto, in Regem Bohemiæ ſublimatur, diſpoſitioni patris Auſtria derelicta.

MCCC [5]. Albertus Rex alterum ſuum filium, ſcilicet Fridericum III, conſtituit Ducem Auſtriæ poſt Rudolfum.

MCCCVIII. Albertus Rex occiditur, in die S. Philippi & Jacobi. *Haetlenus Bernardus*

[1] *f.* per quam. [2] *hæc extra ordinem addita erant manu ſæculi XIV.* [3] *ſcilicet id nominis III.* [4] *I.* Heinrico VI.

[1] *al.* Lilienfeld [2] *deeſt* obitum. [3] *reliqui numeri deſunt in MS. ſcilicet* XCVIII. [4] *mendoſe pro* Sororem Regis Franciæ. [5] *ſupple num. VI.*

Noricus: quæ conſequuntur, alia quidem, ſed coæva tamen manus adſcripſit.

Anno Domini MCCCLXXXVI, die nona menſis Julii, quæ fuit feria ſecunda poſt Udalrici, Illuſtriſſimus Princeps & Dominus Lewpoldus Dux Auſtriæ inivit bellum Swidicenſe prope oppidum Sempach, & ibidem interemptus eſt idem Dominus Lewpoldus, & cum eo plures Nobiles: videlicet Otto Margravius de Hohenberg, miles Walrafus Comes in Tirnſtain, miles Johannes de Ochſenſtain Capitaneus totius exercitus, Præpoſitus Argentinenſis, Alſatiæ & Sungoluæ advocatus provincialis dicti Domini Ducis, Johannes de Haſenburg, miles Fridericus de Greiffenſtain, miles de Atheſi, Wilhelmus de Tued, miles Petrus dictus Orberger de Atheſi, miles Vexillifer Auſtriæ, qui ea die tenuit vexillum Auſtrale, Hainricus Kel de Atheſi, qui tenuit vexillum Tirolenſe, Lewtoldus & Werlinus de Werenfels, Petrus Glandersperger, Otto Dapifer, Ruedolfus de Schonaw, Hainricus Johannes de Randechk, Capitaneus exercitus de Schaffhawſen, Canonicus Conſtantinenſis, Gotfridus Muller de Rechperg, Hainricus de Schollenperg ..... dictus Güzz miles, Hermannus Güzz, & quamplures alii discreti & honeſti, quorum nomina eſſet nimis prolixum inſcribi.

[1] *leg.* Suntgoviæ.

NECROLOGIUM MONASTERII B. MARIÆ V. VULGO AD SCOTOS, VIENNÆ AUSTRIÆ.

EX EDITIONE JOHANNIS RASCHII.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. ILluſtre B. Mariæ Virginis Scotorum in Urbe Viennenſi Cœnobium, Ordinis S. Benedicti, cujus hic Necrologium ſub prelum revocamus, conditum fuit ab Henrico ejus nominis II, ordine vero Ducum Auſtriacorum I ſub annum Chriſti 1158, ut diſerte dicitur in litteris fundationis ejusdem Monaſterii, quarum apographum penes nos adſervamus. Hinc corrigere licet vetus Chronicon Clauſtro-Neoburgenſe, & *Senatorium* in Dialogi morem a Martino de Zyps Scotorum Viennenſium Abbate circa annum 1458. concinnatum; quorum illud originem iſtius Aſceterii anno 1155; hoc vero anno 1150. conſignat. Situm id primum erat extra muros Urbis Viennenſis, cujus pomœriis procedente tempore prolatis, tandem, ut hodieque viſitur, incluſum fuit. Locum a primordio uni Hiberni ſeu Scoti (Hiberni enim ſæculo duodecimo & ſuperioribus paſſim *Scoti* adpellati, ut in Actis S. Colomanni, gente itidem Hiberni, prolixe demonſtravimus) occupabant, quandoquidem Henricus Dux in diplomate fundationis aperte palamque teſtatur, ad obtinendam Abbatiam recens a ſe conſtructam Hibernici duntaxat generis homines ſe delegiſſe. *Quamobrem* (verba ſunt mox dicti Diplomatis) *noſtrum propoſitum ac devotionem minime latere volentes ..... quod ſub Monaſtica regula ad eandem noſtram fundationem novellam ſolos elegimus Hibernienſes, eo quod relatione Religioſorum, & de certa ſcientia novimus ipſorum laudabilem ſimplicitatem* &c. Perſtiterunt hic Hiberni a primo fundationis anno, id eſt 1158. ad annum usque 1418, quo temporum intervallo nemo niſi Hibernus eſſet aut Scotus, in Abbatis locum, vel Cœnobitarum gregem recipiebatur. A prædicto vero anno 1418, quo ipſo ultimus ex ea gente Præſul nomine Thomas, annitente Alberto V. Auſtriæ Duce, & Martino V. Pontifice Maximo conſentiente, ſuo ſuorumque nomine loci præfectura ſe abdicare juſſus fuerat, quarumlibet ſine diſcrimine nationum hominibus ingreſſus in illud patuit: præfecto in Monaſterii Abbatem Nicolao de Respicz gente Auſtriaco, die 13. Auguſti ejusdem anni 1418, qui laudatorum Martini Papæ V, & Alberti Auſtriæ Ducis itidem V; & poſtea Imperatoris id nominis II. auctoritate, ſeveriores vivendi leges, ad Mellicenſium noſtrorum

noſtrorum recens reformatorum normam exactas, primus iſthuc introduxit.

II. Ea Monaſterii Scotorum Viennenſium commutatio, aliquot poſt annis, gravium turbarum ipſum inter & Cœnobium S. Jacobi Scotorum Ratisponenſium occaſio fuit, quæ nonniſi Nicolai V. Pontificis, & Friderici III. Imperatoris auctoritate ſedari componique potuerunt. Nam cum Abbas S. Jacobi Scotorum Ratisponenſium, ex privilegio Bonifacii Papæ VIII. ſuis deceſſoribus ſucceſſoribusque conceſſo, omnium Ordinis S. Benedicti Scoticæ nationis per Germaniam Monaſteriorum Superiorem ſe ferret, eoque Cœnobium B. Mariæ Scotorum Viennenſium ſibi eſſe ſubjectum, nec quemquam niſi ſe aſſentiente in ejusdem eligi Abbatem poſſe contenderet; gravibus litteris ad Martinum ab anno 1449. ad 1455. (ut quidem auctor eſt Caſp. Bruſchius Centuria ſecunda) Scotorum Viennenſium Præſulem ejusque Cœnobitas datis, utrosque hortabatur, ut ad ſuum ceu legitimi Superioris arbitrium ſeſe conformarent. Poſtulabat præterea, ut ad celebranda Comitia Monaſtica pro veteri conſuetudine Ratisponam commearent, nec cuiquam, præterquam ex Scotia oriundo, ad Monaſterii præfecturam ſuffragarentur, aut quemquam alterius nationis in cœtum ſuum adſciſcerent: ni parerent mandatis, electionem irritam & caſſam fore. Verum cum jam inde a Nicolai de Respicz, primi Cœnobii B. Mariæ Viennenſis Reformatoris, temporibus omnis promiſcue nationis hominibus, qui profitendæ vitæ Monaſticæ cauſa huc confluxiſſent, aditus patefactus eſſet, & Monaſterio nuper ad frugem revocato perincommodum videretur, ut homo Hibernus aut Scotus illic rerum dominaretur, ullumve jus vel imperium in Cœnobitas haberet; Martinus Scotorum Viennenſium Abbas re ad Fridericum III. Imperatorem delata, ejus opem adverſus Scotos S. Jacobi Ratisponenſis quanta poterat contentione implorabat. Qui conſiliis cum Nicolao V. Summo Pontifice communicatis, id tandem apud eundem Papam effectum dedit, ut Is non ſolum Bullam Martini V. ratam haberet; verum etiam peculiares litteras Martino ejusque Cœnobitis Viennenſibus benigne concederet, quibus Monaſterium B. Mariæ Virginis Scotorum Viennenſium ab omni penitus Abbatis S. Jacobi Scotorum Ratisponenſium ſubjectione ac jurisdictione liberum pronuntiatur eximiturque. Quæ omnia diſcimus ex Bulla prædicti Nicolai V. Pontificis, Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1438, Pontificatus vero ipſius ſecundo data, cujus integrum exemplum præ manibus habemus; hoc exordio: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili fratri Epiſcopo Chiemenſi, & dilecto filio Decano Eccleſiæ S. Stephani Viennenſi, Patavicenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad decorem ſacræ Religionis, ut illius ubilibet dilatentur ſalutares fœcundius propagines* &c. Ejusdem bullæ, uti & Martini V, meminit in ſuo *Senatorio* cap. 5. Martinus Scotorum Viennenſium Abbas, ubi Juveni cum Sene diſputanti ac quærenti, quam ob cauſam Monaſterium B. Mariæ Virginis Viennenſis vocetur *Scotorum*; reſpondet Senex, id eſt, Martinus Præſul jam memoratus, his omnino verbis: *Quia prius fuerunt ibi Scoti, ſed quomodo exierint, remitto te ad Bullam Martini Papæ Quinti, & ad auctoritatem Concilii Conſtantienſis: & quoad confirmationem & exemptionem pleniſſimam a Scotis, remitto te ad Bullam Nicolai Quinti* &c. Ita Hibernis Scotisque ab hoc Monaſterio ſubmotis aliarum nationum Cœnobitæ Benedictini ſucceſſere, quibus eorum duntaxat nomen adhæſit, ut hodieque *Scotenſes* vulgo appellentur.

III. Quan-

III. Quantum vero in hoc celebri Monaſterio ab anno 1418. & deinceps, quo ibidem a piiſſimo Abbate Nicolao de Respicz diſciplinam Monaſticam reſtauratam fuiſſe ſupra docuimus, Benedictina Religio floruerit, quantamque Sanctimoniæ laudem plures ejus loci Cœnobitæ apud exteros ſibi collegerint; ex cap. 5. *Senatorii* a ſæpe laudato Martino Scotorum Viennenſium Abbate conſcripti ſatis ſuperque cognoſcimus. Quod opuſculum quoniam maximam partem adhuc ineditum eſt, multaque, quæ illuſtrandæ hiſtoriæ noſtræ deſerviunt, continet, in Secundo Collectionis hujusce Tomo integrum ex MS. Cod. Bibliothecæ noſtræ Mellicenſis, Deo favente, proferemus. Hic notaſſe ſufficiat, ex iis, qui in hoc Cœnobio ſingularis religionis ac pietatis opinione cæteris præcelluerint, nominatim commendari Michaelem, Tithelmum, Jacobum, Johannem de Sileſia, & Clementem: quorum mirandas virtutes, & vitam pulcherrime traductam prolixe citata lucubratione idem Martinus Abbas, Auctor gravis & æqualis, commemorat. Neque dubitaverim, laudatiſſimos hoſce Monachos præclarum illud elogium ſpectare, quo Scotenſes Cœnobitas Franciſcus de Pavinis in Summario Canonizationis S. Leopoldi, quod integrum ſupra exhibuimus, exornavit, quodque hic juvat paucis repetere. Sic autem Summarii ſui Fundamento quinto de iis laudatus Franciſcus de Pavinis: *Quæ privilegia conſecutus cum pace frueretur Henricus* Dux Auſtriæ, *ipſe nobile Monaſterium apud VViennam erexit, quod Sanctæ Mariæ Scotorum vocavit, multaque illi bona conceſſit: in quo regularis obſervantia diu exacteque ſervata eſt, quampluresque ibidem Monachi Vitæ Sanctimonia claruerunt.* Perſtat etiamnunc inſignis hæc Abbatia ſub laudabili Inſtituti Benedictini obſervantia, eſtque una ex tribus Eccleſiis paræcialibus Urbis Viennenſis, cujus gubernacula vigilanter ſapienterque nunc tractat Reverendiſſimus Dominus Carolus, ſtudiorum noſtrorum ſingularis fautor, quem cum Inclyto ſuo Cœtu Deus diutiſſime ſervet. Hæc paulo fuſius de rebus hujus Monaſterii ex probationibus Monumentis perſequi libuit, quod de iis apud alios Auctores (præterquam Johannem Raſchium, qui tamen plerisque ignotus eſt) pauca admodum, nec ſatis certæ fidei, cujusmodi Caſparis Bruſchii Catalogus eſt, reperiuntur. Jam tandem ad ejusdem loci Necrologium, cujus occaſione longius fortaſſis a propoſito noſtro digreſſi ſumus, veniendum eſt.

IV. Prodiit circa annum 1584. Liber quidam germanice ſcriptus, Auctore Johanne Raſchio, quo idem Scriptor genus geſtaque Henrici I. Auſtriæ Ducis, & Cœnobii iſtius Fundatoris, Hiſtoriam quoque Fundationis cum Catalogo Abbatum & Necrologio ejusdem loci complexus eſt: quæ potiſſimum ex ejus Monumentis libaſſe, & in publicum grati animi teſtimonium, quod multis a Scotis Viennenſibus beneficiis cumulatus eſſet, ſcripſiſſe ſe idem adfirmat. Ex his unicum tantum Necrologium, quod latine pro veteri more ſcriptum, & totidem verbis ex MS. quodam codice Scotenſi ab eo expreſſum fuiſſe manifeſtarium eſt, ſecundis curis & typis hoc loco reddere viſum eſt: propterea quod in eo multa notatu digna inſunt, quæ ad penitiorem hiſtoriæ noſtræ cognitionem haud parum conferunt. Quæ enim de honorificis Henrici Ducis, aliorumque Principum Auſtriacorum facinoribus refert, ex Vetuſtioribus rerum Auſtriacarum Scriptoribus, quos in hoc Opere jam vulgavimus, Lectori abunde perſpecta eſſe poterunt; maxime cum ab iis diverſum nihil aut ſingulare Raſchius attulerit. Quin & Catalogum Abbatum Scotorum Viennenſium, ad unam Raſchii editionem & fidem denuo

prelo

prelo ſubjicere, animus non erat: ſecretioribus illis commentariis, quibus in condendo hoc opuſculo ſe uſum fuiſſe adſerit, a nobis nec viſis, nec perluſtratis. Cæterum haud ab re fuerit eruditum Lectorem monere, Necrologii hujus exemplum manu exaratum etiam in Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca conſervari, id quod ex certa fama me R. P. Bernardus Pezius, germanus meus nuperrime docuit. Porro autem cum hujus codicis utendi ſpes nulla nobis affulgeat, Scotenſe iſthoc Necrologium, quod inter editos libros Bibliothecæ Mariæ-Cellenſis in Auſtria a nobis repertum noſter R. D. P. Gerardus Eineder, nunc in paræcia noſtra Wullerſtorffenſi Zeloſus animarum Curio, magna diligentia deſcripſit, tale duntaxat, quale Johannes Raſchius publicavit, jam nunc tibi, amice Lector, repræſentamus.

NECROLOGIUM MONASTERII B. MARIÆ VIRGINIS, VULGO AD SCOTOS VIENNÆ AUSTRIÆ

JANUARIUS.

Calen. Janu. Leonardi Monachi Ulricenſis in Auguſta, qui ſcivit 70. ſcripturas formare & plures.

VIII. Idus Januarii. Petri de Roſenhaym Monachi Mellicenſis, qui Bibliam metrice compoſuit 1464.

VI. Id. Janu. Finani Abb. noſtri 1195. Nicolai Abb. Mariæcellenſis.

V. Id. Janu. Sanctini Abb. noſtri 1169. Johannis Abb. S. Lamberti.

Prid. Id. Janu. Maximiliani I. Cæſaris.

Idibus Janu. Haynrici Johſamergot Fundatoris noſtri & Uxoris Anniverſarius.

XIX. Cal. Februarii. Haynrici Ducis. Friderici Regis Romanorum.

XIII. Cal. Febr. Fraternitas S. Sebaſtiani in ambitu noſtro.

XI. Cal. Februarii. Dominica ante Convers. Pauli anniverſarius Seyfridi de Pieſten Civis Viennenſis, Comitis Cameræ in Schemniz, & Urſulæ Uxoris, qui teſtati ſunt Monaſterio Centum florenos.

VII. Cal. Februarii. Ottonis Imperatoris.

V. Calen. Februarii. Berhardi Suffraganei Patavienſis.

Pridie Cal. Februarii. Hemmæ Reginæ Bavariæ.

FEBRUARIUS.

IV. No. Feb. Conradi Abb. Ulricenſis Auguſtæ.

III. No. Feb. Ludovici Cæſaris.

Prid. No. Feb. Alberti Ducis Bavariæ, Canonici & Presbyteri ad S. Hypolitum. Item Mercardis martyriſatæ in cemiterio hoc.

VII. Id. Feb. Die carnisprivii & Cinerum, Anniverſarius Bernhardi de Haſelau, & Margaretæ Ux. de Ekhardſau, qui teſtati ſunt Monaſterio domum Franauer, ex oppoſito Eccleſiæ.

Idibus Febr. Alberti Abbatis noſtri 1401.

XIII. Cal. Martii. Petri Epiſcopi Neuſtadienſis in Auſtria.

XI. Cal. Martii. Feria 6. poſt Invocavit. Anniverſarius Chriſtanni militis de Dæhenſtain, Gibergis Ux. & Bernhardi filii eorum. NB. pro his, ſicut pro fundatore, orabatur ſingulis concionibus per totum annum.

VI. Cal. Martii. Friderici Abbatis Mellicenſis.

IV. Cal. Martii. Leopoldi Ducis Auſtriæ, Filii Alberti Regis.

III. Cal. Mar. Jodoci Abbatis Mariæcellenſis.

MARTIUS.

III. No. Mar. Pauli Abbatis Lambacenſis.

Prid. No. Mar. Angeli Abbatis Formbacenſis.

VI. Id. Martii. Chriſtiani de Dæhenſtain & Gilburg Ux. alter Anniverſarius.

IV. Id. Mar. S. Gregorium Patronum Eccleſiæ hujus ſolenniter celebrat Conventus.

III. Id. Mar. Erhardi de Stira Abbatis Gotwicenſis. Barbaræ de Bucchaym.

Prid. Id. Mar. Nicolai Dinckelſpühel Doctoris Theologiæ.

XVI. Cal. Aprilis. Gregorii Abbatis noſtri 1201.

XV. Cal. Aprilis. Conſtantiæ Magiſtræ Monaſterii S. Magdalenæ extra portam Scotorum Viennæ.

XIV. Cal. Aprilis. Benedicti Abbatis Lunælacenſis, Reparatoris ſui Monaſterii, qui in die S. Benedicti & natus, Monachus, Presbyter, & Abbas factus, & mortuus eſt.

X. Cal. Apri. Eugeniæ Decanæ Sanctæ Magdalenæ.

V. Cal. Apri. Cæſarii Abbatis.

APRILIS.

Idibus Apri. Richizæ Ducisſæ.

XVI. Cal. Maji. Friderici Ducis Auſtriæ.

XV. Cal. Maji. Kiliani Abbatis Seitenſtetenſis.

XIV. Cal. Maji. Viti Abbatis Eberspergenſis in Bavaria.

XIII. Cal. Maji. Placidi Abbatis noſtri. Blanchæ Ducisſæ.

IX. Cal. Maji. Bartholomæi Præpoſiti ad S. Hypolitum.

MAJUS.

VI. No. Maji. Alberti Cæſaris & Eliſabethæ Ux. de quibus datur nobis ſal de Halſtat.

VI. Id. Maji. Johannis Abbatis Mellicenſis.

III. Id. Maji. Anniverſarius famulæ noſtræ Mundolfing, quæ aliquot centum florenos nobis reliquit.

Prid. Id. Maji. Kunegundis de Miſtelbach.

XII. Cal. Junii. Petri Caputii Cardinalis.

XI. Cal. Junii. Donati Abbatis noſtri 1380. Sigonæ Abbatiſſæ S. Nicolai extra portam Stubarum Viennæ.
IX. Cal. Junii. Wilhelmi Abbatis noſtri 1349.
VIII. Cal. Junii. Michaelis Comitis a Maydburg, & debent 12 panes (Herrenſaubel) dari pauperibus, & fratribus ferculum piſcium.

JUNIUS.

Calendis Junii. Feria 2. poſt Trinit. Anniverſarius Johannis Polzmacher Doctoris, Præpoſiti Brixinenſis, qui legavit nobis Bibliothecam ſuam, libros præſertim juridicos in membrana ſcriptos.
VIII. Id. Junii. Conradi Cæſaris, Alberti Ducis.
VI. Id. Junii. Johannis Abbatis noſtri 1583.
Idibus Junii. Stephani Kolb Abbatis noſtri.
Leonhardi Abbatis Kremsmünſterenſis.
XVI. Cal. Julii. Friderici Cæſaris, & Arneſti Marchionis Auſtriæ.
XV. Cal. Julii. Arneſti Archiducis Auſtriæ & Ducis Stiriæ.
IX. Cal. Julii. Hainrici Marchionis Auſtriæ, qui S. Colomannum ad Mellicum attulit.
VII. Cal. Julii. Pauli Meigsner, qui teſtatus Monaſterio C. Flor. & crucem aúream parvam.
V. Cal. Julii. Sebaſtiani Abbatis Eberſpergenſis.
IV. Cal. Julii. Johannis Abbatis noſtri.
III. Cal. Julii. Johannis Keck Doctoris, & Monachi in Tegernſee.

JULIUS.

Calen. Julii. Nicolai Præpoſiti S. Dorotheæ Viennæ.
III. Id. Julii. Matthiæ Abbatis Gotwicenſis, & Symonis Abbatis Salzburgenſis.
Idibus Julii. Wilhelmi Ducis Auſtriæ.
XI. Cal. Auguſti. Stephani Abbatis Mellicenſis.
VI. Cal. Aug. Leopoldi 2. Ducis Auſtriæ & Stiriæ.
IV. Cal. Auguſti. Martini Abbatis noſtri 1455.
III. Cal. Auguſti. Chriſtianni Abbatis Mellicenſis.

AUGUSTUS.

Calen. Auguſti. Rudolphi Ducis Auſtriæ.
Nonis Auguſti. Johannis Stiſtersdorfer Abbatis Mellicenſis.
VI. Id. Aug. Nicolai ex Reſpiz Auſtriaci, Magiſtri, primi ex Germanis Abbatis & Reformatoris noſtri 1428. poſt Scotos.
IV. Id. Aug. Leopoldi Ducis.
Prid. Id. Aug. Jacobi Pæmperl Præpoſiti Neuburgenſis.
XIX. Cal. Septembris. Leopoldi Ducis Auſtriæ.
XVII. Cal. Septembris. Leonhardi Kuku Canonici S. Dorotheæ.
XVI. Cal. Septembris. Galli Abbatis noſtri 1486. Joannis Abbatis Mariæcellenſis.
XV. Cal. Septembris. Donaldi Abbatis noſtri. 1392. Friderici 3. Cæſaris.
XII. Cal. Septembris. Chriſtophori Abbatis Mariæcellenſis.
XI. Cal. Septembris. Leonhardi Abbatis Mellicenſis.
X. Cal. Septembris. Sebaſtiani Abbatis Gotwicenſis.
IX. Cal. Septembris. Haynrici Cæſaris.
VIII. Cal. Septembris. Bertholdi de Mangen, Hubarum Magiſtri in Auſtria; magni fautoris & Benefactoris noſtri.
IV. Cal. Septembris. Alberti Ducis Auſtriæ, Fundatoris Carthuſiæ Gæmingenſis.
III. Calen. Septembris. Haynrici Abbatis noſtri. 1343.

SEPTEMBER.

Nonis Sept. Thomæ Abbatis Campililiorum.
VI. Id. Septembris. Benedicti Chelidonii Abbatis noſtri 1521. Eſt hac die Patrocinium Eccleſiæ hujus. Rector & tota Academia proceſſionaliter, & etiam layci aliunde advenientes, ſtationem habuerunt olim hic, apud Imaginem B. Virginis; de cujus miraculis ſeorſim ſcribetur.
Pridie Id. Septembris. Memoria Occiſorum.
Idi. Sept. Alberti Ducis Auſtriæ.
XVIII. Cal. Octobris. Cunradi Abbatis noſtri. 1541.
XVII. Cal. Octobris. Ludovici Abbatis Mellicenſis.
XVI. Cal. Octobris. Mauricii Abbatis noſtri.
X. Cal. Octobris. Wenceslai Regis.
IX. Cal. Octobris. Hermanni Hæsler & Uxoris, qui ad hoc dedit CC. florenos pro Vinea Reſinger.

OCTOBER.

IV. Non. Octobris. Hermanni Ducis Auſtriæ.
III. Non. Octobris. Hainrici Cæſaris.
Prid. Non. Octobris. B. Adalberti Epiſcopi Wirzburgenſis, Comitis a Laymbach & Scherding, Fundatoris Lambacenſis ibi ſepulti. 1088.
VI. Id. Oct. Leonhardi Süſs, qui erexit & decoravit Altare S. Crucis.
IV. Id. Oct. Leopoldi Marchionis Fundatoris Mellicenſis.
III. Id. Oct. Matthiæ de Znoym Abbatis Gotwicenſis.
Prid. Id. Oct. Alberti Ducis Auſtriæ.
Idibus Oct. Wolffgangi Abbatis Mellicenſis Carthuſiani in Axsbach.
XVII. Cal. Novembris. Michaëlis Abbatis noſtri. 1527.
XVI. Cal. Novembris. Wilhelmi Abbatis noſtri.
XV. Cal. Novembris. Leopoldi Ducis Bavariæ, Filii S. Leopoldi.
XIV. Cal. Novembris. Johannis Abbatis noſtri ex Mellico poſtulati; & Andreæ Abbatis Seitenſtetenſis.
XII. Cal. Novembris. Haynrici Ducis.
IX. Cal. Novembris. Johannis Abbatis noſtri Theologiæ Profeſſoris. 1467. Leopoldi Marchionis Stiriæ.
VII. Cal. Novembris. Martini Abbatis noſtri. 1418.
VI. Cal. Novembris. Alberti Cæſaris, Ducis Auſtriæ, Regis Ungariæ, Patris Ladislai Regis.

NOVEMBER.

Calendis Novembris. Haynrici Abbatis Seitenſtetenſis hic ſepulti.
VIII. Id. Novembris. Leonhardi Abbatis noſtri.

* in Thomæ?

VI. Id.

VI. Id. Novembris. Alberti Marchionis Filii A Leopoldi.
V. Id. Novembris. Auguſtini Abbatis Mariæcellenſis.
Prid. Id. Novembris. Johannis Ernſt Anniverſarius. Pro hoc dantur annuatim 3. floreni de domo juxta Wagbays. 1. flor. ad Sacriſtiam pro laboribus. 1. flor. pro miſſis. 1. flor. pro carnibus & panibus pauperibus diſtribuendo. Sed nunc Sacriſtanus totum recipit pro Conventu, quia etiam & nos Monachi pauperes ſumus in Domino, licet ſine defectu & mendicatione. Ex libro capitulari.
XV. Cal. Decembris. Wilhelmi Abbatis noſtri.
XIV. Cal. Decembris. Sigismundi Abbatis Mellicenſis.
XI. Cal. Decembris. Udalrici Abbatis noſtri. 1204.
X. Cal. Decembris. Ladislai, Filii Regis Alberti.
IV. Cal. Decembris. Stephani Præpoſiti S. Dorotheæ.
III. Cal. Decembris. Symonis Præpoſiti Neuburgenſis.

DECEMBER.

IV. Non. Decembris. Virgilii Abbatis Salzburgenſis.
III. Non. Decembris. Philippi Mair & Eliſabethæ Ux. pro quo anniverſario dedit nobis molendinum auf der Blaich.
VII. Id. Decembris. In Mellico S. Crucis miraculoſæ Inventionis hic apud Scotos Viennæ.
V. Id. Decembris. Johannis Abbatis Kremsminſterienſis.
IV. Id. Decembris. Friderici Ducis Auſtriæ.
III. Id. Decembris. Teſſilonis Ducis Bavariæ Monachi in Kremsminſter, quod fundavit.
VIII. Cal. Januarii. Nicolai Abbatis & Reformatoris Mellicenſis † 1526.
VII. Cal. Januarii. Laurentii Abbatis Gotwicenſis.
VI. Cal. Januarii. Petri Abbatis Gotwicenſis.
V. Cal. Januarii. Hainrici Ducis Auſtriæ. Ambroſii Pannonii, qui fuit 51. annos in hoc monaſterio 1563.
Prid. Cal. Januarii. Leopoldi Ducis Auſtriæ. † 1426.

☆ ☆ ☆ ☆ ☆ ☆

PALTRAMI SEU VATZONIS, CONSULIS VIENNENSIS, CHRONICON AUSTRIACUM.

A primo Æræ Chriſtianæ anno ad MCCCI, indeque a Nicolao Viſchel Cœnobita San-Crucenſi, Ordinis Ciſtertienſis in Auſtria Inferiore, usque ad annum MCCCX. deductum, denique ab Anonymo quodam Auctore ad annum MCCCCLV. continuatum,

NUNC PRIMUM PRODIT EX COD. CHARTACEO MS. INSIGNIS BIBLIOTHECÆ CLAUSTRO-NEOBURGENSIS, ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. NOmen Auctoris, qui primam ſubjecti Chronici partem digeſſit, diſcimus ex iis, quæ ſub ejusdem finem cum anno 1301. concurrentem leguntur in hæc omnino verba: *Hucusque Vatzo ſuam perduxit hiſtoriam: ex tunc frater Nicolaus Viſchel de Sancta-Cruce incœpit ſuam.* Quæ certos nos reddunt, Chronicon iſtud duorum, immo trium eſſe Auctorum, Vatzonis ſcilicet, Nicolai Viſchel Monaſterii Sanctæ-Crucis Cœnobitæ Ciſtertienſis, & Anonymi cujusdam, qui Sæculo decimo quinto notabiliores ſuorum temporum eventus adnotavit. De ſingulis hic agendum. Ac primo quidem quis Vatzo iſte fuerit, ex ejus lucubratione non conſtat. Suſpicatus aliquando fui, eum laudati Cœnobii San-Crucenſis Monachum fuiſſe: propterea quod in variis hiſtoriæ ſuæ locis multa narret, quæ res iſtius loci ſpeciatim attingunt. Verum cum maximam eorum partem ex Chronico Clauſtro-Neoburgenſi totidem fere verbis exſcripſerit (ut facile animadvertet quisquis alterum cum altero contenderit,) neque certius aliud ejus rei argumentum inde appareat; alius fortunæ homini Opus iſtud rectius tribuetur. Ego aſſeveranter auſim pronuntiare, *Vatzonem* hunc, eſſe illum *Paltramum*, cujus meminit Anonymus Leobienſis libro 2. Chronici ſui infra a me primum publicandi, ubi ad annum 1275. hæc ab eodem referuntur: *Ipſo anno, Indictione III, Luna* XIX, IV, *Idus Novembris, quæ eſt Dominica proxima ante feſtum S. Martini, Clauſtrum Dominarum*

minarum de S. Nicolao Viennæ infra muros a Venerabili Domino Petro Epiſcopo Patavienſi eſt dedicatum .... Domni Hainrici Abbatis Sanctæ-Crucis Cœnobii, Paltrami, dicti Vatzonis, & aliorum idoneorum ibi civium conſilio & auxilio mediante. Paulo ſupra ad eundem annum Cives Viennenſes Rudolpho Imperatori Primo Viennam obſidenti, hortatu ejusdem *Paltrami* primum reſtitiſſe; mox vero cum ab exercitu Cæſareo ad anguſtias redacti fuiſſent, prædicto Imperatori ſe dedidiſſe dicuntur: *Cives autem Viennenſes*, inquit Anonymus Leobienſis, *cujusdam Paltrami, qui partium Otakeri fuerat, infectione perſuaſi obſidionis pericula parvipendunt. Noviſſime nimis conſtricti anguſtia, regiæ gratiæ ſe ſubmittunt* &c. Neque dubium nobis ullum eſt, hunc Paltramum Vatzonem, eundem omnino eſſe cum *Rudigero* illo *Baltrameno*, quem Wolfgangus Lazius Chronici Viennenſis ab Abermanno germanice verſi lib. 4. pag. 15. & Gerardus de Roo Auſtriacæ Hiſtoriæ lib. 1. pag. 25. antiq. edit. *Conſulem Viennenſem* tum fuiſſe ſcribunt, cum Rudolphus I. Imperator Ottocarum Bohemiæ Regem armis ad obſequium redacturus, Viennam Auſtriæ caput gravi obſidione premeret, demumque cives ad deditionem compelleret. Quanquam enim Anonymus Leobienſis Paltramum Vatzonem *Conſulem urbis Viennenſis* diſerte non appellet; ex ejus tamen verbis, quæ paulo ante ex eo recitavimus, non obſcure colligitur, ejusmodi quid officii illum eo tempore adminiſtraſſe, quo Rudolphus Imperator arcta Viennam obſidione circumdederat. Siquidem parum veriſimile fit, Paltrami Vatzonis, ſi privatus homo is fuiſſet, auctoritatem tantum apud cives Viennenſes valituram fuiſſe, ut obſequium Imperatori diutius detrectarent; quod tamen, agente Paltramo, ab iis factum ſcribit Anonymus Leobienſis. Ex cujus teſtimonio, quod poſteriore loco adduximus, itidem perſpicuum eſt, Paltramum Ottocari Regis præ cæteris ſtudioſiorem fuiſſe; quod idem de Rudigero Baltrameno Gerardus de Roo loco citato affirmat. Neque etiam ætas, qua uterque (ſi tamen duo fuere) vixit, ſententiæ noſtræ repugnat. Quippe Chronographus noſter ex iis, quæ ad annos 1270. & 1278. refert, ſatis innuit, ſe Regis Ottocari vixiſſe temporibus. Ad priorem enim annum Belæ Quarti Regis Hungariæ in Auſtrios, Styros & Moravos crudelitatem deſcribens, *Iſte Bela, inquit, poſt obitum Ducis Friderici Secundi* Auſtriæ Ducis, *multis annis per Comanos, & per alios quoscunque malitiæ ſuæ habere potuit complices; immo (quod eſt crudelius) manu propria tot & tanta mala perpetravit in Auſtria, Styria & Moravia, quod manus ſcribentis ſtylus chronicus memoriæ trepidat commendare.* Ad annum vero poſteriorem Ottocari Bohemiæ Regis interitum vivis adeo coloribus expreſſit, ut vix dubitari poſſit, eum etiam oculis contrectaſſe, quæ de jam memorato Rege paratragœdiando commemorat. Mitto plura teſtimonia, ex quibus liquidum evadit, eundem Auctorem noſtrum Ottocari tempeſtate floruiſſe. Ut adeo nemo prudentum in dubium vocare jam queat, Paltramum Vatzonem alium eſſe, quam Rudigerum illum Baltramenum, olim Urbis Viennenſis Conſulem, atque adeo Chronici iſtius, quod ſub nomine *Paltrami* ſeu *Vatzonis* hic damus, genuinum Conditorem. Cæterum hic Chronographus opus ſuum quidem exorſus eſt a primo Æræ Chriſtianæ anno, perduxitque ad annum ejusdem milleſimum trecenteſimum primum, ut diſertis verbis ad anni mox memorati calcem notatur; at nos iis omnibus reſectis (utpote vulgaribus, & paſſim aliunde jam notis) quæ anno 1082. præmittuntur, reliqua omnia eo ordine & fide, qua in MS. Codice reperimus,

retinui-

retinuimus: quæ quidem & ipſa potiſſimum ex Chronico Clauſtro-Neoburgenſi deſumpta ſunt, ut ex utriusque collatione haud difficile deprehendimus.

II. Quæ vero ab anno 1302. ad 1310. Chronico Vatzoniano ſubjunguntur, Nicolaus Viſchel, eruditus Cœnobita Ciſtertienſis Monaſterii Sanctæ-Crucis in Auſtria Inferiore, adtexuit, ut ſupra num. I. obſervavimus. Neque enim iſtud Chronicon ab eo longius, quam ad prædictum annum Milleſimum trecenteſimum decimum productum fuiſſe, evidens ſtyli diverſitas, quo cætera usque ad finem univerſi operis perſcripta ſunt, cuique facile perſuaſerit. Floruit hic Nicolaus Viſchel Sæculo decimo quarto doctioribus ævi ſui hominibus merito annumerandus, ut qui longe pluribus ſcriptis, quam ex Trithemio & Gesnero Carolus de Visch in Bibliotheca ſua Ciſtertienſi recenſet, Ordinem ſuum & Eccleſiam illuſtraverit. Extant enim etiam nunc in Bibliotheca Monaſterii San-Crucenſis plura ipſius Opera in membraneis codicibus αὐτογράφοις deſcripta, & a nobis viſa, quorum catalogum ex ſchedis noſtris huc adſcribere juvat.

I.

Libri duodecim de Laudibus S. Mariæ Virginis, quod Opus Trithemius & Gesnerus perperam confundunt cum ſequenti.

II.

Tractatus ſic inſcriptus: *Imago Beatæ Virginis.*

III.

Liber de Incarnatione Verbi contra Catharos hæreticos.

IV.

Tractatus de Sex Operibus Abigail.

V.

Tractatus de Euchariſtia, fratri Erneſto Priori & Lectori in Baden inſcriptus.

VI.

Tractatus contra perfidos Judæos. Hæc, nec plura de Nicolao Viſchel nobis hactenus reſcire licuit.

III. Porro quæ ab anno 1310. usque ad finem Chronici, id eſt ad annum usque 1455. adjecta ſunt, Anonymus quidam Sæculi decimi quinti Auctor conſcripſit, ſtylo ſi quis alius barbaro & inculto. Quis vero, cujusve ordinis aut conditionis ille fuerit, incompertum habemus. Integrum autem opus quidam Georgius Leb, Canonicus Regularis Clauſtro-Neoburgenſis (ut videtur) ex alio quodam veteri Manuſcripto una eademque manu ſub annum 1514. transcripſit, quemadmodum conſtat ex his verbis ad calcem Chronici adſcriptis: 1514. *Georgius Leb ex Egenvvurga.* Denique Codex chartaceus, ex quo præſens Chronicon manu noſtra deſcripſimus, permultis mendis fædatus, & in annorum notatione nonnunquam admodum perturbatus erat: quæ tamen Mellicenſis, Clauſtro-Neoburgenſis, aliorumque probatiorum Chronicorum ope, quoad ejus fieri licuit, emendavimus, ut eruditus Lector ex notulis in margine adpoſitis cognoſcet. Adſervatur prædictus Codex manuſcriptus in inſigni Bibliotheca Clauſtro-Neoburgenſi, ex qua eundem, curante Admodum Reverendo Domino Eugenio Pirklbauer loci Bibliothecario, a Reverendiſſimo Domino Erneſto, Ampliſſimo Canoniæ Clauſtro-Neoburgenſis Præpoſito benigne transmiſſum accepimus. Cujus proinde humanitati, & erga ſtudia noſtra benevolentiæ Hiſtoriæ Auſtriacæſtu-

diosus quisque merito nobiscum gratiam quam maximam habebit. Sed jam ipsa, de quibus hactenus disputavimus, Historiæ nostræ Monumenta proferenda sunt.

PALTRAMI SEU VATZONIS CHRONICON AUSTRIACUM.

INcipit Annus Primus Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi. Jesus Christus Dominus Noster in Bethlehem Judæ nascitur Anno 42. Octaviani Imperatoris Augusti &c.....

MLXXXII. Barbari [1] & Bohemi cum Marchione Leopoldo in Mawrperg dimicaverunt, & vicerunt.

MXCVIII. Fundatum est Cystercium.

Anno Millesimo centesimo quo minus uno,
Sub Patre Ruperto cœpit Cystercius Ordo.

Anno Domini MCIV. Leopoldus Marchio Austriæ accinctus est gladio.

MCV. Haynricus Rex, filius Haynrici Imperatoris, contra patrem in Regnum surrexit.

MCVI. Haynricus Quartus Imperator obiit VII. Id. Aug. Leopoldus Agnetem, filiam Haynrici Imperatoris, duxit uxorem.

MCVII. Haynricus Septimus [2] regnat post mortem patris, XIX. annis.

MCXIII. Claruit S. Bernhardus, Abbas Primus Clarevallensis, qui ante fuit ingressus Cystercium cum sociis ferme triginta, scilicet fratribus, cognatis & amicis.

MCXIV. Hoc anno Leopoldus Marchio Austriæ, qui cognominabatur *Pius*, nec immerito: instinctu enim pietatis duo Claustra in Marchia sua instituit; primum Newburck nomine Canonicis Sæcularibus, quibus & Præpositum dedit; Secundum Claustrum videlicet Sanctam Crucem grisеis Monachis, quibus prædia & villas utrique largissime dedit; tertium vero a Progenitoribus suis constitutum, nomine Medlick, libertati donavit. Cujus uxor nomine Agnes, filia Imperatoris Haynrici Quarti, quæ Marchioni Leopoldo duobus minus quam XX. liberos genuit: quorum septem quidem tempore Infantiæ migraverunt; Undecim vero qui supervixerunt, videlicet Sex filii & Quinque filiæ, ad honores temporalium rerum non modicos fere omnes promoti sunt. Denique hoc nosse debes, quod hæc omnia de Marchione Leopoldo idcirco scripserim, ut videas & intelligas, quantum Divina gratia ob meritum pietatis illi contulerit, & quantum antiqua illa Domini Creatoris benedictio, videlicet *Crescite, & multiplicamini*, in illo operata sit. Sepultus vero in Capitulo Newburgensi.

MCXVI. Terræ motus factus est magnus per universam Theutoniam IV. Non. Jan.

MCXVII. Ungari juxta Littam Theutonicos devastaverunt.

MCXXII. Medlicense Monasterium a Kalixto Papa consecratur.

MCXXV. Haynricus Imperator obiit X. Kal. Junii.

MCXXVI. Nix valida fuit.

MCXXXIII. Eclipsis Solis facta est, & tenebræ factæ sunt IV. Non. Aug. hora nona. Hoc anno Canonici Sæculares a loco Newburgensi aversi sunt, & Regulares S. Augustini substituti sunt. Hoc etiam anno Domus S. Crucis fundatur.

MCXXXVI. Dedicatum est Monasterium Newburgense eodem anno Leopoldus Marchio, ejusdem Monasterii Fundator, ex hoc mundo migravit.

MCXXXIX. Innocentius Papa plusquam Sexcentorum Episcoporum Synodum Romæ collegit, exceptis Patribus Sanctis, quorum ibidem maxima multitudo convenit.

MCXLV. Ministeriales Ducis Haynrici Babariæ & Marchionis Austriæ, & milites Marchionis Stiriæ Othacari totam pene Austriam præda & incendiis devastaverunt.

MCXLIII. Richardus Rex Angliæ a Duce Leopoldo captus est in Austria.

MCXLVI. Ministeriales castrum, quod dicitur Bosonium, in Ungaria clanculo ceperunt.

MCXLVII. Monente Papa Eugenio, exercitus Romanorum contra paganos versus Jerosolimam dirigitur cum Rege Romanorum, & Rege Franciæ Ludovico.

MCLIII. Eugenius Papa obiit: Athanasius [2] eligitur. Eodem anno Bernhardus Abbas Clarevalensis obiit.

MCLIV [3]. Marchionatus Austriæ mutatur in Ducatum. Hoc anno Claustrum Scotorum in Wienna a Duce Austriæ fundatur.

MCLVIII. Claustrum Newburgense combustum est.

MCLXIV. Othacarus Marchio Stiriæ obiit.

MCLXV. Fridericus Imperator Romam hostiliter invasit: unde inutu divino multi Principes tam Spirituales quam Sæculares, Episcopi, Duces, Comites in comitatu suo interierunt.

MCLXI. [4] Ducatus Bohemiæ mutatus est in Regnum a Friderico Imperatore: & eodem anno Marchionatus Austriæ mutatus in Ducatum a Friderico Imperatore.

MCLXVII. Fridericus Imperator Austriam intravit.

MCLXXI. S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Martyrio in Ecclesia coronatus est.

MCLXXIII. Inundatio magna ex glacie facta est, ita ut aqua flueret super muros aliquos castrorum.

MCLXXVI. Dux Bohemiæ terminos Austriæ ingreditur, & totam terram usque ad Danubium incendio & rapinis inhumane vastat. Eodem anno filii Ducis Austriæ Leopoldus & Haynricus Bavariam [5] ingressi sunt, omnia vastantes.

MCLXXVII. Haynricus Dux Austriæ Wiennæ obiit, & in Monasterio Scotorum,

[1] *leg.* Babari *seu* Bavari. [2] *l.* Quintus.

[3] *deest in MS. num.* C. *rectius* 1192. [2] *leg.* Anastasius.
[4] *leg.* MCLVI. [5] *imo anno* 1156. *sit habetur in Chron. Mellicensi.* [5] *al.* Moraviam.

quod

quod ipſe fundaverat, ſepultus eſt. Eodem anno terminatum eſt ſcisma peſtilentiſſimum inter Papam Alexandrum, & Nobiliſſimum [1] Venecus facta ſunt hæc.

MCLXXVIII. Leopoldus Dux Auſtriæ, contracto exercitu, terminos Bohemorum ingreditur, vaſtans omnia.

MCLXXIX. Alexander Papa Synodum generalem D.C. & eo amplius Epiſcoporum in urbe Roma media quadrageſima celebravit.

MCLXXX. Haynricus Dux Babariæ miro fiſtu contra Imperatorem Fridericum, & totum Romanum Imperium ſentiens, inſperata velocitate & facilitate de ſummo culmine honoris & temporalium bonorum cecidit.

MCLXXXIII. Leopoldus Dux Auſtriæ Jeroſolymam ivit, & revertitur, afferens portionem S. Crucis ad menſuram virilis manus.

MCLXXXVII. Jeruſalem a paganis eſt expugnata VI. Non. Octobris. Eodem anno B dedicatum eſt Monaſterium S. Crucis a Venerabili Cardinali Theobaldo, Hoſtienſis & Veltenerenſis [2] Eccleſiæ Epiſcopo, Sanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ Legato, II. Kal. Februarii, in hebdomada ſcilicet ſeptuageſimæ, in die Sabbathi, cum maxima Cleri & populi devotiſſima gloria.

MCLXXXVIII. Fridericus Imperator fide Chriſti ſuccenſus, ſigno S. Crucis ſe ſignat, generalem expeditionem adverſus paganos incitans.

MCLXXXIX. Exercitus Romanorum cum Imperatore Friderico de diverſis regionibus congregatus, viam Sancti ſepulchri aggreſſus eſt.

MCXC. Fridericus Imperator III. Id. Junii obiit; Haynricus Sextus, filius ejus, ſucceſſit in C Regnum.

MCXCI. Haynricus Sextus Rex Romæ Imperatoris & Auguſti nomen adeptus eſt.

MCXCII. Dux Charinthiæ Othacarus obiit: cujus hereditatem Dux Auſtriæ Leopoldus de manu Imperatoris ſolemniter ſuſcepit.

MCXCIII. Rex Angliæ a Leopoldo Duce Auſtriæ in poteſtatem & captivitatem Imperatori traditur. Eodem anno Wienna incendio flagrat. Danubius jam vice altera contra ſolitum morem inundans, vicina loca cum hominibus occupat. Item eodem anno piæ memoriæ Dux Auſtriæ & Stiriæ Leopoldus, ſequenti die Nativitatis Domini, circa caſtrum Grecz equo lapſus, II. Kal. Jan. moritur, & in Domo S. Crucis in Capitulo ſepelitur: cui filii ſui, videlicet D Fridericus & Leopoldus in Ducatum utriusque Regionis ſuccedunt.

MCXCIV. Fames valida facta eſt in Theutonia.

MCXCV. Fridericus Dux Auſtriæ, & multi Principes Theutonici Regni cruces acceperunt. Multitudo paganorum Hiſpaniam intraverunt.

MCXCV. Clemens Papa obiit: Innocentius ſucceſſit. Haynricus Sextus Imperator in Apulia moritur.

MCC. Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ in die Pentecoſtes ambitione magna accinctus eſt gladio. Pax inter Regem Ungariæ & Ducem Auſtriæ componitur.

MCCI. Terræ motus factus eſt magnus IV. Non. Maji.

MCCII. Expeditio inita Jeroſolimam. Hoc anno Leopoldus Dux Auſtriæ nuptias Wiennæ, multis Principibus ibidem convenientibus, pompoſiſſime celebrat.

MCCIII. Othacarus Rex Bohemiæ terminos Regni Theutonicorum potenter intravit, & in pace redit.

MCCVI. Fundata eſt Domus in Campo-Liliorum.

MCCVIII. Philippus Rex Romanorum, dum expeditionem parat, ab Ottone Palatino Comite dolo occiditur: & Regina, ejus morte cognita, præ dolore moritur.

MCCIX. Otto Palatinus ob necem Philippi Regis occiditur.

MCCX. Peſtilens hæreſis cum plurimos Chriſtiani nominis corrumperet, ſuſpendio perdita eſt, & multi eorum cruciati ſunt.

XCCXI. Eclipſis lunæ facta eſt quaſi media nocte, X. Kal. Decembris.

MCCXIII. Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ cum magno comitatu ad terram S. Jacobi ad debellandum paganos tranſivit. Multi Principum & aliorum Fidelium in Hiſpaniam profecti, cum Sarracenis die condicto, ſcilicet IV. Kal. Julii bellum inierunt. Sarraceni non ferentes robuſtos & fortes animos Noſtrorum, magno ſui detrimento terga verterunt.

MCCXVII. Rex Ungariæ Andreas, & Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ cum aliis quamplurimis ad Terram promiſſionis tendunt. Idem Dux Leopoldus transfretavit mare XVI. diebus, Deo protegente, quod ante valde inauditum erat.

MCCXIX. Civitas Sancta Jeruſalem ab ipſis paganis magna ex parte deſtruitur.

MCCXX. Terra Bohemiæ ab Honorio Papa excommunicatur.

MCCXXI. Dux Babariæ Ludwicus, Epiſcopus Patavienſis Ulricus cum aliis multis (heu malo noſtro!) ad terram [1] tendunt. Civitas illa Regalis Damiata in Ægypto a Sarracenis ſine læſione Chriſtianorum captivatur: & multi Chriſtianorum, qui captivi tenebantur in paganismo, vinculis reſolvuntur, dum prædictus Ludwicus confuſe revertitur.

MCCXXII. Sollemnitas magna in Wienna fit, Duce auctore Leopoldo, cujus etiam filia Duci Saxonum nuptiali thalamo eſt copulata.

MCCXXIII. In Longwardia terræmotus factus eſt magnus, qualis nec antea aliquando fuit; civitas enim Brixia funditus eſt ſubverſa, & multi homines in ea perierunt. Item Romæ terra rubea pluit per diem integrum & noctem. Prædicatores Crucis miſſi ſunt in univerſum mundum. Item nix nixit [2] in Stiria, quæ verſa eſt in ſanguinem.

MCCXXIV. Magna peſtilentia & antea inaudita vaſtat pene univerſum mundum. Andreas Pragenſis obiit.

MCCXXVI. Haynricus filius Ducis Auſtriæ, ex conſilio & auxilio quorundam iniquo-

[1] *ſupple* Imperatorem Fridericum.
[2] *leg.* Veletrenſis.

[1] *ſupple* ſanctam. [2] *leg.* ninxit.

rum,

rum, oppoſuit ſe patri ſuo, atque caſtrum Haimburkh præoccupat, matremque ſuam inde ſatis contumelioſe ejiciens; quod caſtrum tamen pater in brevi recepit. Deinde idem filius vitæ patris ſui multimodis inſidiatus eſt, ſed tamen, Deo ſe protegente, evaſit manus ejus.

MCCXXVII. Andreas Rex Ungariæ Auſtriam cum exercitu veniens, ab ipſis ſtatim fugatus receſſit, interfectis nonnullis de exercitu ſuo. Gens, quæ dicitur Valbin, fidem Chriſti ſuſcepit: ex quibus baptizati ſunt fere decem millia.

MCCXXVIII. Haynricus filius Ducis Auſtriæ obiit. Imperator Fridericus excommunicatur a Gregorio Papa. Dominus Benedictus [1] Abbas S. Crucis obiit. Papa Gregorius VIII. in Cœna Domini Imperatorem Fridericum Tertium excommunicatum publice denunciavit. Unde non parum ipſi Romani turbati, ipſum Papam in ſecunda feria Paſchæ in Eccleſia S. Petri infra Miſſarum ſollemnia, quæ perſonaliter celebravit, contumeliis & blaſphemiis afficientes [2] fines Stiriæ, & vaſtaverunt eos rapina & incendio. Stirienſes vero ſine rectore perſecuti ſunt eos. Ungari vero trahentes eos longius a finibus ſuis, inſidias ponentes poſt eos convertebantur, & ad ipſos accedebant ante & retro. Multi vero ex utraque parte mortui ſunt, & multi vulneribus debilitati: tandem Ungari victoriam potiti, Nobiliores ex eis captivaverunt. Ex tanta multitudine vix quinquaginta fugerunt, reliqui omnes aut interierunt, aut captivi abducti ſunt. S. Elizabeth miraculis claruit.

MCCXXXVI. Tota hyeme illa tanta aſperitas frigoris inhorruit, ut multi fluvii, qui ante large fluebant, a fundo usque ad ſummum ita indureſcerent præ frigore, ut fluere deſinerent. Circa tempus vero vernale cum ſolveretur glacies, Danubius ex multitudine glaciei & abundantia aquarum exceſſit terminos ſuos: turres, muros, domos, pomeria, arboresque ſubvertit, hominesque multos extinxit; Vineas & agros a ſe remotos vaſtat replensque omnia glacie immenſi ponderis, quæ glacies per magnum tempus ipſius anni duravit ibidem.

MCCXXXVII. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ ſæpe vocatus ad curiam ab Imperatore Friderico, & venire contemnens, tandem ſententiam proſcriptionis incurrit coram multis Principibus. Pro quo Imperator miſit Nuntium ſuum in Auſtriam, & interdixit ei gratiam ſuam, auxilium & conſilium: quem Nuntium ſui captivantes, & male tractantes [3], tandem ad juſſum Ducis eſt dimiſſus. Item idem Dux fecit omnia Clauſtra in ſuo Principatu uno die pariter irrumpi, & inquiri pecunias proprias & alienas, & inventas diripi. Inſuper in toto Principatu ſuo recepit de unoquoque manſo LX. denarios. Initium dolorum fuerunt hæc, & cauſa dejectionis ſuæ. Poſtea propter multas inſolentias ſuas Wiennenſes, & aliæ civitates (præter Novam civitatem & Miniſteriales) in utroque Principatu cœperunt ſe opponere ei: deinde ſecutæ ſunt rapinæ, & incendia; & irruptiones Clauſtrorum, Eccleſiarum & Caſtrorum. Tandem Imperator per Longowardiam intravit Stiriam, & ſubjugavit caſtra valde munita, & multa confregit, & uxorem Ducis abſtulit; quod ei maximum dedecus fuit.

MCCXXXVIII. Imperator Fridericus intravit Auſtriam, venitque cum multis Principibus Wiennam, ibique cum magno honore ſuſceptus eſt. Deinde receſſit, & vices ſuas commiſit Epiſcopo Babenbergenſi. Poſt receſſum Imperatoris Dux in brevi quinque Caſtra vi obtinuit. Et ſic circa vindemiam, quæ ſatis ſterilis erat ipſo anno, Comes de Eberſtain cum aliis multis ex præcepto Imperatoris [1]: Cui Dux occurrit circa Tulnam cum ſuis. Cui cum reſiſtere minime valeret, reverſus eſt ad Caſtra ſua. Qui Comes in Wienna manens ſine effectu: quia nulli committere ſe audebat propter infidelitatem, quæ tunc regnabat in terra.

MCCXXXIX. Rex Bohemiæ ſe oppoſuit Imperatori, cujus conſilio & auxilio Dux Auſtriæ cottidie creſcendo intolerabilis factus eſt hoſtibus ſuis: Civitates La & Ens, & multa Caſtra obtinuit. Hoc anno Dux Auſtriæ cum adhærentibus ſuis magnam copiam frumenti & vini collegit, & reſiſtentes ſibi, in quantum potuit, debellavit. Majores tamen tam in Auſtria quam in Stiria, Miniſteriales ac cives fortiter reſiſtebant ei, qui fidei Ducis ſe committere non audebant.

MCCXL. Civitas Wienna ita cuſtodita eſt ab hoſtibus [2] Ducis, ut vix parum aliquid deferretur ad manducandum & bibendum in ea manentibus. Et inde factum eſt, ut modius frumenti venderetur pro ſeptem talentis, & multi homines in terra præ fame interierunt, & aliqui ad ſublevandum famis inopiam (ut dicebatur) canes comedebant. Vinum etiam valde carum fuit in ipſa civitate, & in tota terra, ut urna venderetur in aliquibus locis pro duodecim ſolidis. Eodem anno Civitas Wienna cum tota Auſtria reverſa eſt ad Dominum ſuum Ducem Fridericum.

MCCXLI. Obſcuratus eſt ſol, & factæ ſunt tenebræ, ita ut ſtellæ viderentur in cœlo, hora nona. Cum ipſe Dux Auſtriæ fere excluſus eſſet a poteſtate Ducatus ſui, quæſivit conſilium & auxilium Regis Bohemiæ, promittens ei totam terram ultra Danubium ſe daturum, ſi reſtitueretur honori ſuo. Quod ipſe Rex ſatis competenter [3] in quantum licuit & potuit, offenſam Imperatoris inpendit [4]: inſuper La civitatem habuit in poteſtate ſua. Poſtea cum eſſet reſtitutus honori ſuo per orationes Monachorum, & Clericorum ac mulierum Religioſarum (ut creditur) quos antea minus dilexerat; hoc facto Rex a Duce id, quod promiſerat, [5]. Sed ipſe diſſimulabat promiſſa ſolvere, propter quod ex utraque parte ſatis dura contentio exorta eſt per rapinam & incendium. Eodem anno Chumani, gens immundiſſima, quæ carnibus fere crudis utebatur pro cibo, & lacte

[1] *leg.* Wernherus. [2] *ſuppl. ex alio Chronico MS.* Ungari intraverunt. [3] ita MS.

[1] *ſupple* venit. [2] *leg.* hominibus. [3] *deeſt* præſtans, *aut quid ſimile.* [4] *l.* vilipendit. [5] *deeſt in MS. God.* exegit, *aut hujusmodi.*

equarum

equarum & ſanguine pro potu: hi miſerunt Regem, nomine Gutan, ad Regem Ungariæ, rogantes eum, ut collocaret eum in terra ſua, ſimulans ſe fieri Chriſtianum cum omnibus ſuis. Qui ad ſuggeſtionem Prædicatorum, ſine conſilio Principum ſuorum ſuſcipiens eos (heu malo ſuo!) ſinebat eos habitare ſecum; at illi paulatim creſcebant ſuper numerum.

MCCXLII. Chumani, gens ſupra dicta & maledicta, intravit fines Ungariæ, & in die ſancti Paſchæ intrabant civitatem Rodna. Illis edentibus & bibentibus, & ſecure habitantibus, interfecerunt omnes Religioſos & Irreligioſos, Juvenes, Virgines, Senes cum Junioribus, nemini parcentes. Deinde diffundebantur per totam provinciam illam ſicut locuſtæ, ſitientes ſanguinem humanum, & effundentes velut aquam. Illi vero, qui prius cœperunt habitare in terra, conjunxerunt ſe ſuis, & facta eſt turba innumerabilis. Quorum Rex, nomine Gutan, ſe ipſum interfecit, prius interfectis duabus Reginis, & aliis, qui ſecum in domo convenerant, præ timore Ducis Auſtriæ, qui domum illam impugnabat, & expugnabat. Rex autem Ungariæ, collecta in unum multitudine copioſa (ut dicebatur) c. millibus, occurrit illis circa Peſt. Illis ibi in caſtris comedentibus, Chumani ſummo diluculo inopinate ſupervenerunt: & primo incendebant caſtra, deinde interfecerunt omnes Epiſcopos, Comites, Senes & Juvenes, nemine ſibi reſiſtente, ita quod ex tanta multitudine vix pauci cum ipſo Rege ſalvarentur. His itaque præparatis ſecuta eſt alia gens, quæ dicitur Thartari, veniens ab ortu ſolis, quæ multa Regna & Civitates & Caſtra ſubverterat, ſcilicet Ruſſiam, Poloniam, cum Duce ſuo Haynrico, eo quod eſſet innumerabilis, cui nemo reſiſtere auderet. His adjuncti erant hæretici & falſi Chriſtiani, ut poſſent exercere malitiam ſuam in Chriſtianos, & delere nomen eorum de terra: quæ gens ſubjecit ſibi Chumanos, ut in omnibus obedirent, vel parerent eis. Tunc primo multiplicata ſunt mala, eo quod nemini parcerent; pacem aliquando quærentibus dabant, ſed non ſervabant. Rex illorum dicebat ſe ſolum Dominum eſſe in terra: ideo nullius auxilium vel conſilium vel legationem recipiebat, niſi qui vellet ſequi legem illius, ſcilicet negare Deum Omnipotentem, & homines interficere. Horum omnium malorum auctores erant Comites, qui matrem Regis occiderant, eo quod filius alienaſſet eos de ſedibus ſuis. Non erant gens, neque Regnum, quod non timeret audito nomine eorum. Quod malum cum percepiſſet Papa Gregorius, tactus dolore miſit Legatos ſuos prædicare, & Crucem dare in remiſſionem omnium peccatorum. quam multi cum gaudio accipientes, Reges, Duces, Epiſcopi, Nobiles & Ignobiles, ſenes cum Junioribus parabant vindictam facere in filios diffidentiæ. Sed Dominus Imperator hoc fieri prohibuit, eo quod Rex Ungariæ ab eo vocatus, venire contempſit, & loqui cum eo.

MCCXLIII. Tartharii & Chumani, nemine reſiſtente & occurente, receſſerunt ab Ungaria, cum infinita præda auri & argenti, veſtium, animalium, & multos captivos utriusque ſexus ducebant in obprobrium Chriſtianorum: qui intrantes Græciam, totam terram depopulabantur, exceptis caſtellis, & civitatibus valde munitis. Rex vero Conſtantinopolitanus, nomine Waldwinus, congreſſus eſt cum eis: a quo primo victi, in ſecunda congreſſione victus eſt ab eis. Interea fames horribilis & inaudita invaſit terram Ungariæ, & plures perierunt fame, quam antea a paganis: canes comedebant & Cattos & homines: humana caro publice vendebatur in nundinis. Deinde locuſtæ illud, quod ſeminatum erat, corroſerunt. In quindecim diætis in longitudine & latitudine homo non inveniebatur in Regno illo: a Nativitate Chriſti non eſt tanta plaga & miſeria viſa & audita in aliquo Regno, ſicut in Ungaria, propter peccata eorum: in plaga, & poſt plagam erant, quales antea fuerunt. Interea Eccleſia Romana Pontifice carebat, & Imperator Civitates & Caſtella Romanæ Eccleſiæ ſibi ſubjugat. Dominus Eglolfus Abbas S. Crucis obiit: & Dominus Pilgrimus eidem ſubſtituitur.

MCCXLIV. Haynricus Rex Romanorum in captivitate patris ſui obiit, relictis duobus filiis. Multi Principes Alamanniæ oppoſuerunt ſe Imperatori, & filio ejus Conrado Regi Romanorum, propter excommunicationem, in qua jam diu duraverunt. Multæ civitates igne domeſtico conſumptæ ſunt propter ſiccitatem & ſterilitatem, quæ hoc anno inhorruerat.

MCCXLV. Innocentius Papa IV. urbem Lugdunum intravit propter diſſenſionem, quæ inter ipſum, & Fridericum Imperatorem fuit.

MCCXLVI. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ interfectus eſt in prælio, XVI. Kal. Julii: octavo die mater ipſius Theodora, Duciſſa Auſtriæ piæ memoriæ, obiit.

MCCXLVIII. Edmundus Epiſcopus claruit, virtutibus multis, & jacet in Pontiniaco, in ſecunda Filia Domus Ciſtercii.

MCCXLIX. Hermannus Marchio de Paden voluit eſſe Dux Auſtriæ, ſed non valuit.

MCCL. Fridericus Imperator obiit.

MCCLI. Clerici interficiebantur Pariſius a paſtoribus.

MCCLII. Otthacarus filius Regis Bohemiæ ſubjugavit ſibi totam Auſtriam, auxilio patris ſui, & auxilio quorundam Nobilium de Auſtria. Ungari vaſtaverunt Auſtriam usque ad Tulnam rapina & incendio, nullo reſiſtente: Infantes, mulieres & viros in captivitatem duxerunt, & innumerabiles occiderunt: Clauſtra incendiis & rapina vaſtaverunt: Eccleſiam Medlick, quæ eſt in foro, incenderunt, in qua referunt periſſe mille quingentos homines. Fames prævaluit in terra, & in tota Auſtria frumentum valde carum fuit, ita ut modius venderetur pro undecim talentis, & in aliquibus locis ſola metreta daretur pro tribus ſolidis, & multi homines fame interierunt. Duciſſa de Medlick accepit maritum Regem Ruſſiæ, in contumeliam amitæ ſuæ Duciſſæ Auſtriæ.

MCCLIII. Rex Bohemiæ Wenczlaus obiit. Otto Dux Bavariæ obiit. Rex Ruſſiæ, relicta uxore, rediit in terram ſuam.

MCCLIV. Bela Rex Ungariæ, & Otthacarus Dux Auſtriæ reconciliantur in Poſonio poſt Paſcha. Otthacarus Dominus Bohemiæ & Dux Auſtriæ cum multo comitatu profectus eſt verſus Pruſſiam, circa Nativitatem Domini: qui ſuperatis omnibus, & fidem Chriſti ſpondentibus, reverſus eſt in terram ſuam. Eodem anno Ottacarus Dux Auſtriæ aſſignavit Belæ Regi Ungariæ Stiriam. Eodem anno fuit magna ſterilitas per plures terras in vino & frumento.

MCCLVI. Palatinus, frater Ducis Bavariæ, interfecit uxorem ſuam.

MCCLVIII. Hoc anno in Secunda Veſpera Affræ in nocte exuſta eſt magna pars civitatis Wiennæ, ita quod Eccleſia parochialis cum campanis, & domus Theutonicorum, & domus S. Johannis in hoſpitali, & Prædicatorum ab igne conſumerentur.

MCCLIX. Stephanus, Juvenis Rex Ungariæ, manu armata intravit Karinthiam, & eam incendiis & homicidiis devaſtat, multosque captivos ſecum in Ungariam deduxit.

MCCLXI. Hoc anno orta eſt pœnitentia publica per multas provincias, quæ pro magno miraculo habebatur. Item multi homines, pauperes & divites, & Miniſteriales, milites, ruſtici, ſenes & juvenes ibant nudi a cingulo & ſupra, & caput totum texerant cum linteo panno, portantes ſecum vexilla & ardentes candelas, & flagella in manibus: quibus ſe quidam percutiebant usque ad effuſionem ſanguinis, & cantabant devotos cantus, & ibant de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, de villa in villam, de Eccleſia in Eccleſiam. Quod videntes multi compuncti ſunt & flebant. Ponebant ſe etiam proſtrati toto corpore ad terram nudi vel in nivem, vel in lutum. In hac pœnitentia comparuit quisque triginta tribus diebus, bis in die, mane & veſpere. Eodem anno facta eſt ecclipſis ſolis circa horam tertiam, in Octava Annunciationis, quæ tunc feria ſexta habebatur. Item obiit Alexander Papa Quartus. Item eodem anno Otthacarus Rex Bohemiæ & Dux Auſtriæ & Stiriæ repudiavit uxorem ſuam Dominam Margaretham, filiam Leopoldi Ducis Auſtriæ, quæ prius fuerat uxor Regis Haynrici, qui erat filius Friderici Imperatoris.

MCCLXII. Hoc anno Dominus Haynricus factus eſt Abbas in S. Cruce, in die S. Mauri Abbatis; in die vero Aſcenſionis Domini conſecratus eſt in Abbatem. Item Fratres de Domo Theutonicorum, & alii Chriſtiani congregati ſunt contra Prutenos, & adjutorio Dei victoriam obtinuerunt. Eodem anno conſumpta eſt civitas Wienna pro majori parte per incendium; ſed & in Moravia & in Auſtria per civitates & villas quasdam maximum per incendium receperunt damnum.

MCCLXIII. Hoc anno fuit maxima fames per totam Auſtriam, & Ungariam, & Bohemiam, & Moraviam; qualis antea raro viſa fuit, & duravit usque ad meſſem. Item hoc anno Ottacarus Rex Bohemiæ aſſignat Conventui S. Crucis quendam locum in Bohemia convenienter aptum, & ſpatium multum ad conſtruendam Abbatiam, quæ dicitur ad Sanctam Spineam Coronam. In diebus illis ad petitionem Regis Bohemiæ, ſexta feria infra Octavam Paſchæ, quæ habebatur VIII. Id. Aprilis, miſſus eſt Conventus a S. Cruce ad prædictum locum, cum Venerabili Viro Abbate Haynrico, qui fuerat quondam Abbas S. Crucis. Item hoc anno fuit ecclipſis ſolis, Dominici Confeſſoris, poſt meridiem. Hoc etiam anno fuit etiam ecclipſis Lunæ, Bernhardi Abbatis. Eodem anno fuerunt vindemia fertilia.

MCCLXIV. Summus rerum omnium Opifex & Creator novum omnipotentiæ ſuæ huic mundo volens oſtendere prodigium, cometam ſtellam pulcherrimam ignibus, cornutam luciſluis zonarum ductibus, galeatam cœlis infuſis, imo ut dicam clarius, quaſi quoddam Majeſtatis ſuæ oſtentaculum, ipſam ſurſum in æthere candore igneo cunctis mortalium obtutibus demonſtravit. Hujus autem ſtellæ quid importet præſagium, in libro Honorii de Imagine Mundi, & ab Iſidoro dicitur ſatis clare. Hoc namque genus ſideris cum oritur, aut mutationes Regnorum, aut peſtilentias, aut tempora bellica præfigurat, ut quidam pulcherrime diffinivit verſus:

Ignibus eſt lethi peſtis, fert rara Cometa
Nuntia bellorum, mutat diademata Regum.

MCCLXV. Fuit ecclipſis Lunæ in Vigilia Nativitatis Domini, poſt medium noctis.

MCCLXVI. Kalendas Auguſti in Schad-Wienna tanta in nocte ex concurſu & colliſione nubium facta eſt inundatio, ut quingentos homines extingueret, & Eccleſiam ibidem, pluresque domos ac ædificia funditus devaſtaret. Eodem tempore frater Regis Franciæ Karolus, multis militum ſtipatus agminibus, & magna populi multitudine, ac Domini Papæ ſibi auxilio concurrente, illum famoſum Mechtfridum Principem Apuliæ bello campeſtri aggreditur: ipſisque mutuo conſligantibus, & procella belli urgente nimium ac ingraveſcente, Princeps Mechtfridus a ſuis relinquitur, quia verſus:

Dum fortuna tonat, fugitivos terret amicos.

Ibidemque Princeps Mechtfridus ſternitur, & cum eo (ſicut tum fama volabat) XVI. millia hominum occiduntur: tantusque ſanguis humanus ibi funditur (ſicut tunc pro vero dicebatur) ut humanum calcaneum imbiberet, & ultra pedum redimicula tam crudele profluvium ſanguinis redundaret, juxta id Poetæ:

Arva natant ſanie, complentur ſanguine valles.

Item eodem anno Auſtrales & Bohemi in diverſis locis rapinis & incendiis vaſtaverunt Bavariam: inſultibus autem hujusmodi viriliter a Bavaris propulſatis & repreſſis, & ex utraque parte plurimis captivatis & abductis, ad propria revertuntur.

MCCLXVII. In die S. Petri Tharentaſienſis, Epiſcopi & Monachi Griſei, factus eſt terræ motus circa horam tertiam: & Urbani Papæ facta eſt ecclipſis Solis ante meridiem. In tempore ejusdem anni Bela Rex Ungariæ contra filium ſuum Regem Stephanum miſit exercitum, qui ſubito a filio ſuo Rege Stephano vincitur & oppugnatur, & magna occiſa multitudine hominum, ex eodem nihilominus exercitu potenter

tenter quosdam Comites captivat. Igitur jam dictus Rex Bela ira succensus, suffususque verecundia de tanta filii victoria, rursus cogit ad arma, vocat exercitum. Cui audacter filius suus Rex Stephanus occurrit (quoniam audaces fortuna juvat) patris exercitum [1] vice in fugam vertit, & in congressu belli alios occidit, & alios captivos abduxit. Porro Rex Stephanus anno eodem de patre suo quatuor laudabiles triumphi titulos reportavit.

Item eodem anno Dominus Gwido Apostolicæ Sedis Legatus, Presbyter Cardinalis, Abbas Cistercii, magna fultus auctoritate venit Viennam; omnes Episcopos, Prælatos, Abbates, Præpositos, Decanos in Salczpurgensi Episcopio constitutos convocat; post Johannis ante Portam Latinam feria tertia in parochiali Ecclesia Wiennæ tribus diebus concilium celebrat; cum jam dictis Prælatis de profectibus Sanctæ Ecclesiæ & utilitatibus sicuti Vir Apostolicus pertractat, honorifice suæ legationis officium adimplendo, Sanctæ Ecclesiæ studuit prodesse potius quam præesse juxta id Sapientis:

Quam mundi fugiturus honor, quam nomen inane!
Prælatus qui præesse cupit, prodesse recusat.

MCCLXVIII. Rex Apuliæ (qui & frater Regis Franciæ) Karolus Fridericum Ducem Austriæ (qui & Marchio de Paden) & Chunradinum filium Chunrádi Imperatoris, magnumque Senatorem Romanum duro & forti bello aggreditur: ipsisque diu inter se durissime prælientibus, Chunradinus, & Dux Austriæ capiuntur, & amputatis capitibus crudeliter occiduntur; & proh dolor! absque liberis moriuntur. Tunc temporis Clemens Papa obiit, moxque inter Cardinales discordia nascitur: qua nimirum protelata, per plures annos sedes Apostolica a suo capite viduatur.

MCCLXIX. Ulricus Dux Karinthiæ sine liberis moritur. Qui dum in hac vita esset, Regi Bohemiæ consanguineo suo viva voce & fide privilegiata terram Karinthiæ contradidit: quam tamen idem Rex Bohemiæ Otthacarus postea bellorum potentia subjugavit.

MCCLXX. Bela Rex Ungariæ obiit. Iste Bela post obitum Ducis Friderici Secundi multis annis per Comanos, & per alios, quoscunque malitiæ suæ habere potuit complices, imo (quod est crudelius) manu propria tot & tanta mala perpetravit in Austria, Stiria & Moravia, quod manus scribentis stilus Cronicus memoriæ trepidat commendare. In præfatis nempe terris nunquam fecit tot horribilia Rex Christianus, nam quædam malorum ejus horribilia tangam. Idem Rex Bela bellis, incendiis, rapinis, Juvenum, Virginum utriusque sexus interfectionibus, parvulorum in cunabulis horrendis raptibus, Ecclesiarum & hominum in Ecclesiis exustionibus, juxta se, Sanctæ Matris Ecclesiæ uterum, supra se, Salvatorem omnium perturbavit. Et quia Vir sanguinum fuit, Acherontis in olla cum sanguine multorum sepelitur. Fratribus namque Minoribus, & Archiepiscopo pro cadavere Regis concertantibus in Ecclesia, loco contemplationis fit pugna contentionis; & plures utrobique vulnerabantur, Ecclesiæque pavimenta avaritiæ sanguine maculantur. Bela mortuo, regnat filius ejus Stephanus pro eo, qui genitoris sequens vestigia, patrisabat.

MCCLXX-1. Rex Bohemiæ maximum exercitum traxit; Australes cum Stirienſibus sibi coaduniat, invadit Ungariam, & ad civitatem Tyernam usque pervenit, quæ ultro ei se obtulit: paulatimque descendens pertingit usque ad Pusonium, ubi & castra fixit, & castellum sive civitatunculam manu vincit & arripit violenta. Eodem anno tam inaudita facta pestilentia in Austria, & in Ungaria, ut ex tam vehementi plaga pestilentiæ hujusmodi in fossatis maximis simul & semel mortui homines tanquam pecora infoderentur.

MCCLXXII. Gregorius Papa Decimus eligitur, ante cujus electionem vacabat Sedes Apostolica tribus annis.

MCCLXXIII. Rex Bohemiæ Ottacarus cum Australibus & Stirienſibus iterum invadit Ungariam, quatuordecim hebdomadibus terram Ungariæ bello circuit, multisque munitionibus & civitatibus sibi subjugatis, & in eisdem suis hominibus locatis, ad propria est reversus. Eodem anno Comes Rudolfus eligitur in Imperatorem.

MCCLXXIV. Solenne celebratur Concilium in Lugduno, sub Papa Gregorio Decimo. Græci quoque tunc temporis, relictis suis erroribus, ad rectam Fidei regulam revertuntur.

MCCLXXV. In die Annunciationis audita sunt tonitrua a parte Aquilonis. Et quia teste Propheta, Maligna & frigida sunt latera Aquilonis; iterum ipso anno tam pernitiosa ac continua facta est pluviarum inundatio, ut secundum id Tyti [2] Poetæ; *Naturam cursus perderet unda sui.* Propter raros namque Solis radios & imbres assiduos, vindemias vidimus Serotinas, ut botri earum in nivibus legerentur, vinumque earum tantæ acerbitatis, tantæque acetositatis extitit, ut verbum Isaiæ Prophetæ impletum videres, videlicet: *Expectavi ut faceres uvam, & fecisti labruscam.* Sequenti vero anno cum omnes vineæ jam florerent, vinum anni præteriti adhuc scaturiendo suis in fæcibus requievit.

MCCLXXVI. Papa Gregorius Decimus de Sede Apostolica rapitur: post quem Innocentius substituitur.

MCCLXXVII. Viam universæ carnis Papa Innocentius ingreditur: post hunc in Sede Petri confestim Adrianus inthronizatur. Ipso quoque defuncto, Johannes Papa urbis efficitur. Sed tum talis Apostolicæ Sedis mutatio agitur, Divina potentia timeatur. Nam sicut dulcis Ewangelii lingua loquitur: *Si in viridi hæc, in arido quid fiet?* Quasi dicat: Si Papalia, imo Summa Orbis Capita falce Divinæ sententiæ sic indifferenter ac subito præscinduntur; in arido, hoc est, in membris Ecclesiæ ultimis sa-

[1] *suppl.* altera.

[1] *deest in MS. numerus, forte I.* [2] *in Chron. Clausironeburgensi scribitur* Ettyci *omissa voce* Poëtæ, *An legendum*, ethnici?

gittæ furoris Domini fortius formidentur, quia clamat Sapiens:

Nulli mors impia parcit.
Non evadet inops, nec qui marsupia farcit.

Item eodem anno Wiennensis Ecclesia fere tota intestino incendio devastatur. Tunc etiam temporis erat inaudita terræ siccitas; nascentibusque terræ funditus arescentibus, infinita pecora perierunt.

MCCLXXVIII. Rex Bohemiæ Ottacarus, suis temporibus laudabilis & famosus Princeps, prudens, disciplinatus, amator Divini cultus, nimiumque locuples: cui aurum & argentum, thesaurosque muscidos cum aurifodinis & turribus terrarum viscera ministrabant: cui omnia præsentis Sæculi, suo Regno in se florente, fortunaliter arridebant. Sed eya! mirum devotionis ipsius Principis signum nequaquam calamus noster perfunctorie pertransibit. Talis siquidem consuetudinis fuit Princeps sæpefactus: dum Divinis Missarum solemniis unacum dilecto sibi parvulo filio intereset, ad elevationem Sanctissimi Corporis Christi dilectus sibi filius per se, aut per suos sursum attollitur; ut ejus oculi Eukaristiæ, tanquam verissimo suæ Salvationis speculo, infigantur; & ut in pueritia alumnum æternæ vitæ discat saltem respicere, quem nondum natura parvulus rationis indagine sapiebat. Sed his visis, respiciamus abyssum horribilem Divini judicii in Principe tali, verumque, ut dicit Salomon, Risus fortunæ plurimum, qui dolore miscetur, & extrema sæculi gaudia luctu horribili terminantur. Quod melius ostenditur, si dictus Princeps, ejusque miserrimæ mortis casus ad medium deducuntur. Iste post voraginem totius belli in fine ab ignobilibus capitur, Princeps tantus turpiter dehonestatur, VII. Kal. Septembris per manus pessimorum inimicorum suorum occiditur, occisus Wiennam ducitur, ibique cunctis spectaculum miseriæ efficitur, & (quod dictu est horridum) jumentino more scinditur, adinstar piscis entratur [3] & ipsa exta inollantur, & separantur a corpore. Et cum etiam acerbissima mors damnatoris [4] sit separatio corporis & animæ, iste Ottacarus novæ mortis exitio per viscerum & membrorum discrimen crudeliter morte secundaria permulctatur. O miseriarum miseria de Principe tanto! Omnia Regna terræ Regem Cœlorum obstupescant istius Principis casum horribilem & ruinam. Quidam Sapiens plangit in hæc verba:

Ille Vir occubuit, qui terris qui Leo, qui Dux,
Qui flos, qui gemma, quique Columna fuit.

Eodem anno Comes Guliacensis cum quingentis militibus in illa famosa civitate Aquisgrani interficitur, ut nec unus evaderet, qui tantam cladem ad propria annuntiaret.

MCCLXXIX. Rege Bohemorum Ottacaro mortuo, Nobiles Bohemiæ tanquam membra sine capite inter se gravissime discordabant, terramque Bohemiam propriam, pro majore parte rapinis & præliis vastaverunt, ita ut in locis & villis pluribus [5] homines, nec jumenta invenirentur. Et quia Rex erat puerulus, malorum violentiam nemo compescuit: & terra Bohemiæ, quæ diu antea tranquillis temporibus floruerat, in vocem flentium est conversa.

MCCLXXX. Saturnus planeta apparuit IV. Kal. Februarii, ab hora nona usque ad undecimam, hora diei artificialis.

MCCLXXXI. Hiems multum aspera fuit in fine Februarii. Nix in multis terminis coacervabatur, quod multæ villæ vix apparuerunt. Item Dominus Rudolfus Romanorum Rex Austriam egreditur, versus Franconiam & ad partes Rheni procedens, filium suum Albertum Austriæ & Stiriæ constituit provisorem.

MCCLXXXII. Maxima mortalitas hominum fit per Bohemiam & Moraviam: nam defuncti velut fœnum in curribus ad agros ducebantur, & in una fossa aliquando ducenti, vel plures sepeliebantur.

MCCLXXXIII. Rudolfus Rex Romanorum Curiam celebrat, ibique de consilio & voluntate Nobilium qui aderant, Albertum filium suum Ducem Austriæ & Stiriæ constituit. Item terræ motus factus est circa Novam Civitatem XV. Kal. Junii: & ecce! mirum in modum ibidem quædam puella octo annorum concepit per servum decem annorum, & peperit; sed in partu moritur.

MCCLXXXIV. Post Nativitatem Domini Ladizlaus Rex Ungariæ prope terminos Austriæ cum multis militibus Ungarorum & Chumanorum castrum Perenstain cujusdam Comitis sui expugnare conabatur; sed propter improbitatem suorum nil profecit; & sic reversus est ad propria. Eodem tempore maximi insonuerunt rumores fere per totam Alamanniam de adventu cujusdam Imperatoris quondam. Et cum fere omnes Rhenenses ad se attraxisset, ita quod pro vero habebatur, tandem a Rudolfo Rege combustus est. Eodem anno in æstate in partibus Austriæ circa Spanperich in meridie facta sunt fulgura & tonitrua horribilia, & coruscationes, & nubium diruptiones, ac pluviæ ingentes, defluentes in villis circumjacentibus cooperiebant domos, horrea submersaque est ibi in quibusdam villis multitudo hominum cum parvulis & mulieribus, pecoribus, jumentis. Quidam, qui evaserant, fugerunt ad montes, & turres, & Ecclesias; postmodum vero multa corpora hominum in campis & abruptis montium & petrarum, sub sabulo & arena mortua sunt inventa. Miserum erat videre spectaculum, pueros ad mamillas matrum pendentes, in cunis super undas fluentes, & non erat qui adjuvaret.

MCCLXXXV. Post Nativitatem Domini Chumani & Thartarii cum innumerabili multitudine intraverunt Ungariam, & vastaverant eam, & occiderunt & abduxerunt ex ea innumerabiles viros, mulieres & parvulos eorum. Tandem vero ab incolis terræ circa septem castra turpiter sunt de terra fugati, occisis ex eis multitudine innumerabili; reliqui vero qui evaserant, quamvis pauci, fugientes, latitantes inter montes & valles nemorosas Divino judi-

cio

[1] *leg.* Civitas. [4] *ita MS.* [5] *pro* exenteratur.
[4] *an* damnati? [5] *supp.* nec.

cio ibidem fere omnes perierunt. Nam Dominus, qui ubique protector omnium sperantium in se, misit super eos nubes & pluvias ingentes: confractisque nubibus super eos, tanta inundatio aquarum irrupit, quod fere omnibus submersis, pauci ex eis evaserunt.

MCCLXXXVI. Per totam Austriam, & in quibusdam aliis provinciis contigit res prius inaudita, & a nostris prædecessoribus invisa: nam gallinæ præcipue, & in sylvis innumerabiles aviculæ jam sanæ existentes, subito moriebantur, in tantum quod picæ & corvi, & aliæ aves raro videbantur.

MCCLXXXVII. In Dominica Quadragesimæ, qua cantatur, *Lætare Jerusalem*, Legatus quidam missus a Papa, in Herbipolim convocavit omnes Archiepiscopos, ac alios Prælatos totius Alamanniæ, & exigebat ab eis omnem decimationem Ecclesiarum suarum, quinque annorum futurorum. Qui omnes uno animo contradixerunt ei; & sic imperfecto negotio rediit ad propria, & in proxima Cœna Domini mortuus est Papa, qui eum misit. Eodem anno Albertus Dux Austriæ collecto exercitu, cum Stiriensibus & Australibus intravit Ungariam, & obsedit Posonium; cives autem tradiderunt ei civitatem, castrum vero suis hominibus collocat.

MCCLXXXVIII. Dominica proxima post festum Omnium Sanctorum, translatus est Sanctus Virgilius, Sanctæ Salczpurgensis Ecclesiæ quondam Archiepiscopus, a Venerabili Patre & Domino Rudolfo tunc temporis ejusdem civitatis Archiepiscopo, ac Sanctæ Sedis Romanæ Legato, præsentibus octo Episcopis suffraganeis suis in maxima solennitate, cum innumerabili multitudine Militum & aliorum hominum utriusque sexus, & Religiosarum personarum, qui omnes cum magna devotione ad gratiam copiose indulgentiæ de diversis provinciis ibi convenerant.

MCCLXXXIX. Inveniebantur violæ in Nativitate Domini, & in Circumcisione; & in Epiphania, & deinceps per totam Austriam arbores produxerunt flores in hortis & pomeriis sicut in Majo, & quod vidimus testamur, quia insolitum prius fuerat. Eodem anno a paganis & Soldano Babilonienſe obsessa est Accaron, in transmarinis partibus civitas magna & fortis, vallata innumerabili exercitu paganorum: subfossisque muris XVIII. die mensis May feria Sexta in illa parte civitatis, in qua erat defensio Regis Cyprii, die oriente pugnare cœperunt, civitatem obtinuerunt, omnes viros & mulieres & parvulos occiderunt: tantaque strages ex utraque parte fuit facta, quod corpora occisorum in fossatum civitatis projecta repleretur[2].

MCCXCII. Ministeriales quidam Stiriæ potiores oppositerunt se, & rebellaverunt, & conspiraverunt contra Albertum Ducem Austriæ, invocato adversus eum adversario suo Ottone Duce Bavariæ: cui etiam promiserant terram tradere illam, & recipere eum in Dominum. Qui collecto exercitu copioso unacum Domino N. Salczpurgensi Archiepiscopo, Stiriam intraverunt, & multa mala fecerunt in terra. Quibus occurrens Dux Austriæ, manu valida, cum magnis laboribus per vias gravissimas nivium, quæ eadem hyeme superabundabant, vix cum suis transiens; excepto quod plusquam sexcenti rustici exercitum præcedentes, cum scopis & aliis instrumentis per nives & loca devia parabant ei viam. Qui cum venisset, turpiter & confuse fugavit, & expulit Ducem Bavariæ cum suo Episcopo & suis fautoribus de terra. Procedente vero tempore supra dicti Stirienses humiliati, recommiserunt se gratiæ suæ, dantes ei munitiones suas, & recepit eos ad satisfactionem condignam.

MCCXCI. Obiit Serenissimus Dominus Rudolfus Romanorum Rex, in Divisione Apostolorum, & sepultus est in Spirea civitate; & fundat Claustrum Monialium in Tulna, Ordinis Prædicatorum, & regnat XX. annis.

MCCXCIII. Rex Ungariæ, & Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, & Dux Bavariæ, Archiepiscopus Salczpurgensis, qui diu discordes fuerant, de gratia Dei ad firmam concordiam reversi sunt, & gavisa est terra de pace inter Principes.

Eodem tempore Dux Austriæ a Rege Bohemiæ rogatus ac invitatus visitare Reginam sororem suam, Bohemiam intravit. Solenniter a Rege Consobrino suo, ac omnibus Nobilibus receptus, & excellentissimis Clinodiis a Rege excellenter honoratus (amicabiliter separati[2]) reversus est ad terram suam. Simili modo Rex Bohemorum a Duce Austriæ invitatus, Wiennam intravit cum Regina uxore sua & copiosa turba Nobilium, honestissime receptus est a Duce, duodecim diebus ibi moram faciens, in maxima jucunditate Nobilium & Episcoporum, qui ibi aderant; atque a Duce gloriosissimis Clinodiis honoratus, reversus est ad terram suam. Homines de tranquillitate pacis Salvatoris clementiam laudabant.

MCCXCIV. Petrus quidam Heremita Papa creatur, & Cœlestinus 3. Hic cum a Karolo Rege Siciliæ Romam ductus est, signis diversis claruit. Inter quæ hoc unum sciendum est, quod dum vinum a Cardinalibus bibere cogeretur (quia in spelunca sua aquam tantum bibebat) vinum convertit in aquam. Hic Cluniacensem, Cistercienſem Decanum, Cancellarium Parisiensem Cardinales constituit. Sed cum esset Vir nimiæ simplicitatis, per Benedictum Cardinalem, & per alios Cardinales potiores includitur, & privatur[4]: Benedictus Cardinalis subrogatur, & Cœlestinus ab eodem magna custodia propter signorum miracula, quibus claruit, & propter tumultuantem populum ad eum confluentem, muralibus obstruitur, tantum sola fenestra admissa, qua alimenta módica poterant ministrari.

MCCXCV. Hoc anno, Secunda Dominica post Pascha, consecratus est Chorus in Sancta Cruce in Austria, cum altariis circumstantibus, & Capella Infirmorum, a Venerabilibus Bernhardo Patavienſe & Seccovienſe Episcopis. Ad

[1] *supp.* &. [2] *ita MS.* [3] *ita MS.* [4] *deest aliquid in MS. e. g.* Papatu, *aut simile quid.*

quam conſecrationem tantus convenit populus, ut non ſolum totum Clauſtrum, ſed & nemus circumquaque per dimidium milliare occuparet. Patuit etiam introitus omnibus ſupervenientibus, tam viris quam mulieribus, per omnes officinas Clauſtri, per totam Octavam Dedicationis. Eodem tempore tanta fuit auſteritas frigoris, ut nix & pluvia plurimos facerent deficere, venientes ibi. Eodem anno Magiſter Penczo, Secretarius Alberti Ducis Auſtriæ, conſecratus eſt in Abbatem S. Crucis. Eodem anno tanta inundatio aquarum facta eſt, ut aqua Wienna [1] hoſpitale civium, & fontem ante hoſpitale ſitum tranſcenderet, ita ut infirmi in lectulis natare, & vix effugere viderentur. Et rivus, qui dicitur Satelpach, ad Sanctam Crucem per totum Clauſtrum, & ante liberariam usque ad gradum Eccleſiæ intravit. Eodem anno terræ motus factus eſt tribus vicibus, in die S. Cyriaci Martyris. Eodem anno tantus ventus fuit, ut Crucem de ſiniſtra turri ad S. Stephanum Wiennæ dejiceret.

MCCXCVI. Andreas Rex Ungariæ cum maxima ſolennitate duxit uxorem, filiam Domini Alberti Ducis Auſtriæ. Eodem anno Abbas Agmundenſis, Stiriæ Capitaneus occiſus eſt.

MCCXCVII. Multi homines fulmine perierunt, quod prius inauditum erat: quia in uno campo octo fulminati interierunt, inſuper filius Comitis Virbani [2] Ungari ictu fulminis mortuus eſt. Eodem anno Rex Bohemorum Benezlaus in Praga corona regali glorioſe in Regem Bohemorum coronatus eſt.

MCCXCVIII. Poſt Octavam Purificationis B. Virginis Mariæ convenerunt multi Principes ad Ducem Auſtriæ Albertum nomine, conſpirantes, qualiter ſe Romanorum Regi Adolfo opponerent. Tandem prædictus Albertus Dux Auſtriæ, habito conſilio & auxilio multorum Principum, collecto exercitu, ad Rhenum properavit, & usque ad Argentinam civitatem pervenit: cujus Epiſcopus & cives eidem adhærentes, ſibi auxiliari, & contra prædictum Adolfum Regem adſtare juraverunt. Deinde inter cœnobia [3] caſtra metatus eſt: illic ipſum Rex Adolfus cum magno exercitu inſequitur vehementer. Prædictus vero Albertus, expeditus ad pugnam, cum eo bellum iniit, & victoriam obtinuit: ubi Rex Adolfus occiditur. Eodem anno quidam humilis ruſticus, dictus Rintfleshe, dicens ſe divinitus recepiſſe, debere Judæos perſequi. Quod & fecit. In Nurnberck conſenſu civium omnes Judæos ibidem cum urbe ſuccendit & peremit, quem tandem Rex Albertus depulit.

MCCXCIX. Albertus Rex Romanorum, & Rex Franciæ convenerunt apud Wadior: ubi Rex Franciæ ſororem ſuam Dominam Glancam [4] filio Regis Romanorum Rudolfo copulavit in uxorem. Quæ deſponſatio Archiepiſcopis Maguntinenſi & Colonienſi minus placuit, & deinceps ipſum Regem Romanorum Albertum exoſum habuerunt.

MCCC. Albertus Rex Romanorum collecto exercitu de diverſis terris Regni, videlicet Auſtria, Suevia, Alſatia, Franconia, Archiepiſcopum Maguntinenſe hoſtiliter invadit, & munitiones ſuas vallavit: ex quibus duas civitates Pingam & Penshaym cepit, & in parte deſtruxit. Eodem anno Domina Elizabeth Romanorum Regina cum filio ſuo Rudolfo Duce Auſtriæ, & uxore ſua Blanca Auſtriam intrat, & in Wienna ſolenniter ab omnibus Dominis & civibus recipitur, & plurimis muneribus honoratur.

MCCCI. Andreas Rex Ungariæ mortuus eſt: poſt cujus mortem Marſchalcus Auſtriæ collecto exercitu, cooperante Ybano Comite Ungariæ, Caſtrum in monte S. Martini obſedit & cepit: ac cum eisdem hominibus Budam pertingens, Dominam Reginam relictam prædicti Regis Andreæ, filiam videlicet Domini Alberti Regis Romanorum, in Wiennam reduxit.

Hucusque Vatzo ſuam perduxit hiſtoriam: & tunc Frater Nicolaus Viſchel de Sancta Cruce incæpit ſuam.

MCCCII. Dominus Hoſtienſis Cardinalis miſſus Ungariam, tranſitum faciendo per Wiennam Chorum ibidem conſecravit Prædicatorum. Cum ergo Budam veniſſet, & promotioni Domini Karoli, pro qua directus fuerat, intenderet; fautores filii Regis Bohemiæ id ægre ferentes, læſioni illius intendebant. Territus itaque Legatus metu; clanculo Budenſes deſeruit, & properanter Poſonium feſtinavit: neque etiam ibidem ſecurus, ſeu tutus, Wiennam pervenit, ubi per aliquod ſpatium temporis aggregata pecunia procuratoria, infecto omni negotio, pro quo directus fuerat, incaſſum rediit ad Urbem.

MCCCIII. Æmuli Bonifacii Papæ apud civitatem Ananam [1] palatium illius irruentes, ipſum etiam concluſum in cuſtoſtia aliquantis diebus detinuere. Tandem dimiſſus venit Romam, ubi die tertio defungitur, toxico interfectus in ipſa cuſtodia, ſecundum opinionem plurimorum. Ecce miræ elationis & calliditatis homo quam ſubito defecit & periit! Cauſa autem illius interitus fuit degradatio duorum Cardinalium, & excommunicatio Regis Franciæ, ſimul & ipſius procuratio. Eo modo defuncto Bonifacio, Hoſtienſis Cardinalis ſupra dictus pro eo Papa conſtituitur, *Nicolaus* cognominatus. Hic Regem Franciæ a vinculo anathematis ſine omni ſatisfactione abſolvit, & tantum ipſius piaculum remanſit inultum.

MCCCIV. Rex Bohemiæ contracto copioſo exercitu, favore & aſſenſu quorundam Ungariæ Baronum, Budam usque pervenit. Cui cum filius ſuus, quem ante triennium, corruptis Baronibus pecunia, Regem inſtituerat, cum apparatu Regio occurriſſet; aſſumpto filio & Corona, aliisque Regalibus inſigniis, prope Bohemiam remeavit. Dominus autem Karolus, quem Papa Bonifacius jam Regem Ungariæ

[1] *vulgo* die Wienn. [2] *l.* Ybani. [3] *ſupple ex Chron. Clauſtro-Neoburgenſi* Münſtertraiſem & Roſental caſtra &c. [4] *pro* Blancam.

[1] *leg.* Anagniam.

præ-

præfecerat, junctis ſibi multis tam Ungaris quam paganis, ad Ducem Auſtriæ Rudolfum ſe contulit: cum quo Bohemiam & Moraviam hoſtiliter devaſtat. Eodem anno Dominus Abbas Ulricus S. Crucis reſignato regiminis officio, ſucceſſorem habuit, Dominum Georgium.

MCCCV. Obiit Regina Franciæ, procreatrix cruentiſſimi belli (ut fertur) quod agitabatur inter Regem Franciæ & Flandrienſes: in quo etiam bello tot Duces, tot Barones, tot Comites, Milites ac Nobiles Regni Franciæ perierunt, quantos non meminit ætas Seniorum modernorum. Siquidem usque ad obitum hujus Reginæ per quinquennium, quo ipſum bellum protractum fuit, trecenta & amplius de Francis virorum pugnatorum feruntur millia occiſa. O judicia Dei, quanta abyſſus multa! quod tot & tam validi Viri, qui totam Europam virtute humana occupare poterant, ab humilibus hominibus ſic dehoneſtantur. Item eodem anno obiit Benezlaus Rex Bohemiæ; cui filius ipſius, etiam nomine Benezlaus, adoleſcens in Regno ſucceſſit.

MCCCVI. Benezlaus Rex Bohemiæ ſupra memoratus a ſuis occiditur, propter nimia flagitia. Periit vero ſine hæredibus & corona; id eſt, nondum coronatus: morte quidem immatura, ſed ſuis ſceleribus congrua. Bohemi ergo tunc temporis voto & aſſenſu Baronum omnium, nec non & civitatum totius Regni Bohemiæ, Dominum Rudolfum Ducem Auſtriæ, Primogenitum Regis Romanorum, Virum quidem juvenem, ſed maturis moribus pollentem, in Regem elegerunt: inſuper promittentes verbis, firmantes juramentis, ſtatuentes privilegiis, quod Fridericum, germanum prædicti Rudolfi, ſibi pro eo Regem ſtatuerent, ſi ipſe Rudolfus ſine hæredibus migraret ex hac luce, hoc ipſum de ſingulis filiis Regis Romanorum promittentes. Eodem anno & tempore Fridericus, germanus prædicti Rudolfi, regenda gubernacula totius Auſtriæ & Styriæ [1]. Circa idem tempus ſimul & annum apud Sanctum Ypolitum Judæi circa corpus Chriſti ſacrilegia commiſerunt crudelia. Indignati ergo cives, cunctos Judæos habitatores ipſius civitatis ferro pene peremerunt & gladio. Quam ob cauſam injurias, angarias, & continuas rapinas ab hominibus Ducis ſibi illatas cives non ſuſtinentes, ab Epiſcopo quidem deficientes, non longe poſt ſe pariter & civitatem ditioni Ducis ſubdiderunt.

MCCCVII. Electus Bohemiæ Rudolfus prænotatus, Generoſus & Inclytus, multis donis & gratiis prædituſ, diverſis etiam virtutibus veluti Nobile Vas pretioſis lapidibus intextum, menſe Junio, inſtante tempore coronationis ſuæ, immatura morte præventus diem clauſit extremum. Quo defuncto Bohemi in præjudicium Regis Romanorum, etiam contra jusjurandum, Ducem Karinthiæ Regem ſibi ſtatuerunt. Quam ob cauſam Karinthia & Karniola ab hominibus Regis Romanorum hoſtiliter vaſtabantur: Fridericus etiam Dux Auſtriæ valida manu Bohemiam petiit, & ibi per duos menſes & eo amplius adventum ſuſtinens Regis Romanorum. Duraverunt ergo ambo in Bohemia usque ad hyemem, occupatis aliquantis civitatibus; in communi vero in modico proficientes, eo quod pene omnes Civitates & Barones ipſius Regni variis & diverſis, multis & magnis promiſſis, ſed per omnia falſis, prædictos Principes deluſerunt.

MCCCVIII. Albertus Rex Romanorum, dum tertiam expeditionem verſus Bohemiam inſtaurat, pecunia Bohemorum & fraudulento conſilio Principum iniquorum circumventus, & traditus a filio fratris & quibusdam aliis, doloſis exceptus inſidiis, multis confoſſus vulneribus, miſerabiliter occubuit. Ecce Vir fortis & potens, animo intrepidus, manu validus, armis ſtrenuus, qui corruit coram filiis iniquitatis! Quid hic animadvertere, cogitare vel dicere poſſumus, niſi ut hic timeatur, qui auffert Spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ? Defuncto namque Rege Alberto Romanorum, Bohemi veluti pædagogo qui eorum malitias arcebat de medio ſubducto, ſpreto electo ſuo Duce ſcilicet Karinthiæ, terram propriam ſpoliis, latrociniis & homicidiis hoſtiliter vaſtaverunt. Ipſo tempore ſimul & anno Haynricus Comes de Luczelburck, Vir honeſtæ famæ, Zelator pacis & juſtitiæ, eligitur in Regem Romanorum.

MCCCIX. Præfatus Haynricus Electus in Regem Romanorum, in die Epiphaniæ Aquisgranis conſecratur in Regem. Eodem anno plures ex diverſis provinciis non auctoritate Apoſtolica, ſed motu proprio cruce ſignati, ſine Rectore, Doctore & Duce hinc inde in incertum vagantes, non ſine rubore ad ſedes proprias remearunt. Eodem nihilominus anno facta eſt eclypſis lunæ, ſequenti nocte poſt Ypoliti Martyris. Ipſo tempore plures ex Nobilibus Auſtriæ animo mutabiles, mobiles & inſtabiles prædicto ſe Duci oppoſuere (qui poſt mortem Patris ulturus, ſimulque beneficia ſeu terras de manibus Regis Romanorum ſuſcepturus ad ſuperiores partes Rheni tranſierat), poſſeſſiones illius hoſtiliter invadentes, rapinis, tributis injuſtis & adinventionibus perverſis Auſtriam turbaverunt. Sed celerius a fidelibus Ducis oppreſſi & obruti, munitiones & alia quæque, quæ male occupaverant, malis gratibus reddiderunt.

MCCCX. Sabbatho ante Purificationem circa Veſperam facta eſt eclypſis ſolis. Ipſo in tempore Fridericus Dux Auſtriam reverſus [1], miſſis militibus Bavariam, [2] homines Ducis Bavariæ (qui jam alterum Caſtrum, nomine Bernſtain, contiguum prædicto Caſtro occupaverant) fugaverunt: multis ex ipſis captis, pariter & exuſtis machinis. Circa idem tempus præfatus Dux Fridericus plures Wiennenſium, qui cum ſupra memoratis Miniſterialibus ſe oppoſuerant, judicio convictos & ſententiatos, pœnis actos, & tormentis tortos & excruciatos, alios vero poſſeſſionibus ſimul & rebus nudatos, ſolo etiam metu plures effugavit. Eodem etiam anno in craſtino Laurentii, circa ortum Solis, facta eſt eclipſis Lunæ. Ipſo tempore Frideri-

[1] *ſupp.* ſuſcepit.

[1] *deeſſe videtur* eſt. [2] *ſupp.* qui.

cus

cus Dux Auſtriæ congregato exercitu copioſo, transiit Bavariam, Caſtrum, nomine Scherding, vallans obſidione. Correptus illico ibidem Dux infirmitate graviſſima (qua omni tempore obſidionis usque ad mortem laborabat; ita ut ſæpius mortuus nuntiaretur) poſt imbrium & fluminum maximam inundationem, quibus ab impugnatione Caſtri arcebatur, erectis tandem machinis & inſtrumentis bellicis, cum nullus ſuorum ad expugnandum Caſtrum manum apponeret; conatum illorum advertens, non immemor injuriæ anni præteriti, propriis conſulens utilitatibus, ſuccenſis machinis, obſidionem ſolvit.

MCCCVIII. In die S. Udalrici Epiſcopi obiit Rudolfus Rex Bohemiæ, filius Regis Alberti, & eſt ſepultus in Praga.

MCCCVIII [2]. In die Apoſtolorum Philippi & Jacobi occiſus eſt Sereniſſimus Dominus Albertus Romanorum Rex, filius Domini Rudolfi Regis Romanorum, a patruele ſuo Duce Johanne, in loco, ubi nunc poſitum eſt majus altare in Chunigsveldt. Qui videlicet Dominus Albertus in ipſo die occiſionis ſuæ reliquit decem liberos ſuperſtites: Sereniſſimum Principem Dominum Fridericum (poſtea Regem Romanorum) & Illuſtres Dominos Leopoldum, Albertum, Haynricum, Ottonem Duces Auſtriæ: nec non præclaras Dominas, Dominam Agnetem Reginam Ungariæ, Elizabeth Duciſſam Lotharingiæ, Annam Duciſſam Branſlaviæ [3], Katherinam Duciſſam Kalabriæ, & Gewtam Comitiſſam de Ottinga. Et idem Dominus Albertus ſepultus eſt in Spirea, & fundat Cœnobium in Herwerczſtain; & regnat x. annis.

MCCCXXII. Fridericus Dux Auſtriæ aſcendit Bavariam ad expugnandum [4] & captus eſt cum Haynrico fratre ſuo Duce Auſtriæ, & multis Nobilibus terræ Auſtriæ, in vigilia Michaëlis.

MCCCXXVI. Pridie Kal. Martii obiit Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ.

MCCCXXVII. In die S. Blaſii obiit Haynricus Dux Auſtriæ & Stiriæ.

MCCCXXX. In Octava Epiphaniæ Domini obiit Sereniſſimus Dominus Dominus Fridericus Romanorum Rex, Fundator Monaſterii in Mawrbach, ibidem ſepultus eſt, & regnat xv. annis.

MCCCXXVIII. Auſtria fuit cremata ex utraque parte Danubii per Ungaros & Sarracenos, ex parte Ducis Ottonis.

MCCCXVI [5]. Fugit Dux Otto cum exercitu ſuo a facie Regis Bohemiæ, in die S. Georgii Martyris.

MCCCXXX. Combuſtum eſt [6] Clauſtrum in Exaltatione S. Crucis unacum civitate.

MCCCXXXVIII. Tot locuſtæ venerunt, quod terram cooperuerunt, & avenam devoraverunt.

MCCCXXXIX. XIII. Kal. Martii obiit Otto Dux Auſtriæ & Stiriæ & Karinthiæ, & fundat Clauſtrum griſeorum Monachorum Monte Novo, eſt ibidem ſepultus.

MCCCXLVIII. Factus eſt terræmotus magnus, ita quod caſtra multa corruerunt, & villas Villas [1] de ea totaliter corruit, in Converſione S. Pauli.

MCCCXLIX. Factus eſt iterum terræmotus in Purificatione S. Mariæ. Eodem anno flagellatores ſurrexerunt, qui flagellaverunt ſe, & ibant de civitate in civitatem, & de villa in villam. Et finita iſta Secta, venit peſtilentia ſive mortalitas magna & inaudita, quod ſæpe una die ſepeliebantur mille homines niſi [2] in una civitate, & in rure ſepeliebantur homines in campis; & talis peſtilentia nunquam viſa fuit, nec viſa eſt [3].

MCCCL. Factus eſt terræmotus magnus circa Baſileam, ita quod magna pars Baſileæ corruit, & quod homines exiſtentes in civitate, dederunt fugam de civitate ad alia loca præ timore.

MCCCLXVI. Iterum venerunt locuſtæ in Auſtriam, talis multitudo, quod omnia frumenta devoraverunt.

MCCCLXX. Iterum facta eſt peſtilentia magna inter homines.

MCCCLXXV. Captus fuit Dominus Albertus Epiſcopus Patavienſis a Domino, dicto Ernfelſer, eo tempore, [4] voluit deſcendere Wiennam ad nuptias Domini Alberti Senioris, feria Sexta ante Carnisprivium.

MCCCLXXVII. In menſe Decembri fuit captus Dominus Pilgrimus, dictus Puecham, Archiepiſcopus Salczpurgenſis per Ducem Bavariæ.

MCCCXC. Fuit in Auſtria unum germen, hoc eſt, conſilium ſecretum, ita quod convocaverunt Nobiles & Villanos ſuperiores ad unum locum, & in illo loco oportebat eos jurare ad Sancta Sanctorum, quod quilibet eorum vellet dicere meram veritatem, ſuper quo interrogaretur: utrum Nobilem, vel Laicum, vel aliquem alium ſciret, qui eſſet ſpoliator, aut fur, & inutilis hominibus, ut narraret ipſis, ad extirpandum ſimiles malos homines: & quilibet fuit ſeorſum interrogatus ad juramentum ſuum, & tunc quamplures fuerunt interfecti, Nobiles & Laici.

MCCCCI. Omnipotens Deus, opifex & Creator omnium rerum, novum faciens miraculum, volens oſtendere prodigium huic mundo; cometam ſtellam pulcherrimam ignibus crinitam lucifluis zonarum ductibus, & galeatam cœlis infuſis; imo ut fatear clarius, quaſi quoddam Majeſtatis ſuæ oſtentaculum, ipſam ſurſum in æthere candore igneo cunctis mortalium obtutibus demonſtravit. Hujus autem ſtellæ quid importet præſagium, in libro Honorii de Imagine Mundi, & ab Iſidoro dicitur ſatis clare. *Cætera ut ſupra ad Annum* MCCLXIV. Et iſta ſtella durat ad longum tempus, puto &c. [5] Et illo anno mortuus eſt Dux Mediolanenſium.

MCCCCII. Fuerunt inundationes aquarum per Bavariam & Auſtriam & Ungariam, ita quod Danubius exibat ultra conſuetum locum.

[1] *ita in Cod. MS.* [2] *ita in Cod. MS.* [3] *leg.* Vratislaviæ. [4] *deeſt aliquid in MS. e. g.* Ludovicum Bavariæ Ducem. [5] *ita MS.* [6] *an* Neoburgenſe, *cui adjacet civitas cognominis?*

[1] pro Villach *ſeu* Villacum. [2] *pro* non niſi. [3] *ita MS.* [4] *deeſſe videtur* quo. [5] *ita MS.*

in Auſtria in utraque parte, & deſtruxit omnia frumenta in vicinia, & gramina, & villas; & pomeria: & in aliquibus locis dilatabat ſe aqua per unum milliare ad latus, & quidquid arripuit, hoc totum deſtruxit; & hoc factum eſt in die Petri & Pauli Apoſtolorum, & aqua ſtetit fixe quaſi ad decem dies, antequam minuebatur.

MCCCCIII. Fames ſive cariſtia prævaluit in terra, & in tota Auſtria, quod frumentum valde carum fuit, ita ut unus modius tritici (non de meliori, ſed de mediocri) vendebatur pro decem & ſeptem talentis, propenſa pecunia; & una metreta tritici vendebatur pro quinque ſolidis, & una metreta hordei vendebatur pro tribus ſolidis & xv. denariis. Et in illis temporibus homines comederunt panes de avena, de lentibus, de piſis, & &c. & quidquid potuerunt habere ad comedendum: quia in illis annis multi homines fame perierunt.

MCCCCIII. Rex Bohemiæ, nomine Wenczeslaus, fuit captus per fratrem ſuum Sigismundum, Regem Ungariæ, qui duxit eum ad Wiennam, & præſentavit ipſum Ducibus, ſcilicet Alberto, Wilhelmo & Erneſto, ut tenerent ipſum in cuſtodia. Et ipſe fuit detentus forte ad duos annos, poſtea evaſit furtive de Wienna ad Bohemiam.

MCCCCIII. [2] Regina de Apulia venit ad Auſtriam, & duxit in maritum Ducem Wilhelmum, qui quondam fuit Rex Poloniæ: quia Barones & potentiores, ſicut [3] debuit dormire cum Regina in proxima nocte, tunc majores Domini voluerunt ipſum jugulare, & Regina admonuit ipſum, & ſic furtive evaſit, & amplius non redibat: & Domini de Polonia reddiderunt ipſam, contra voluntatem ejus, cuidam pagano, quem coronaverunt in Regem.

MCCCCIV. Albertus Dux Auſtriæ congregat magnum populum in Auſtria, ſcilicet Comites, Barones, & Milites & Clientes: & Dux Erneſtus exivit cum eo & venerunt ad Moraviam ante unam civitatem, nuncupatam Znoymam, & illam voluit expugnare; ſed Domini ejus contrarium fecerunt, ita quod cum verecundia receſſit, & nihil profecit. Et in reverſione, antequam venit Wiennam, mortuus eſt in Newburga, & idem Dux reliquit filium, nomine Albertum, forte circa octo annorum. Et hunc Principem [4] omnes provinciæ lugebant mortem ipſius, tam Sæculares quam Spirituales, propter ſuam probitatem, quam gerebat, & ſepultus eſt in Wienna ad Stephanum.

MCCCCV. Intraverunt Ungari ad Auſtriam cum potentia magna & gente infinita, & incenderunt villas, & ſpoliaverunt homines, & pecora receperunt, ubicunque locorum invenerunt, & multos homines captivos & pueros deduxerunt, & jacuerunt in terra Auſtrali plusquam ſex hebdomadas: quia terra pro tunc non habuit Defenſorem.

MCCCCVI. Dux Wilhelmus congregat ſe cum ſuis Baronibus, Militibus & Clientibus, & venit ad Ungariam ante unam Eccleſiam, nuncupatam Newſidel bey dem See (quia ibi fuerunt magni ſpoliatores, & iſti magna damna fecerunt ad Auſtriam) & illam expugnat, & cepit illos: aliquos occidit, aliquos recepit in captivitatem. Et idem Dux illo anno mortuus eſt in Wienna, & ſepultus ad S. Stephanum. Et ſtatim venit Dux Leopoldus, qui recepit puerum, & fuit tutor pueri, & promiſit, etiam litteras ſuper ſe dedit, quod non vellet aliquem aggravare, nec ſtewras imponere, nec beneficia conferre ſine conſenſu quorundam Dominorum. Sed quando venit ad poſſeſſionem, omnino nihil curavit.

MCCCCVII. Amiſſa eſt una civitas in Auſtria furtive, nomine Laa, quam quidam de Moravia, Socul cognomine, intravit in nocte, & tenuit eam cum adjutorio Judoci Margraviæ Principis de Moravia, & poſſedit eam vi, & ſpoliavit terram, & cepit homines, & multos interfecit, & multa mala de ea exercuit. Tunc Dux Leopoldus (qui fuit tutor veri hæredis) congregat ſe cum Epiſcopo Friſingenſi, Peritoldo nomine de Bechin, & Baronibus & Militibus, & Nobilibus, & Clientibus, & cum magna multitudine hominum, & vallavit eam, & voluit expugnare illam; & non potuit: quia vidit, & cognovit, quod Domini ſui fuerunt ſibi contrarii, & ſic receſſit cum omni populo. Poſt multa ſpolia & magna damna iſte Nobiliſta recepit unam ſummam pecuniarum & reddidit civitatem: quia intellexit, quod vellent conſurgere lites in Auſtria, & ſic factus eſt Stipendiarius Principis Leopoldi: quia machinatus eſt, quomodo poſſet obtinere provinciam contra hæredem. Et ſtatim Dux incœpit ſe opponere quibusdam Dominis & Baronibus, qui voluerunt habere verum hæredem: & ſpoliat eos, & fecit unam ligam cum Epiſcopo Friſingenſi, & Comite de Hardeck, & Militibus & Clientibus: & aliqui Barones juverunt ipſis, & ſpoliaverunt Prælatos, & Monaſteria, & Civitates, & Plebanos, & ipſorum ſubditos. Et tunc quidam Domini, ſicut Dominus de Walſſe, & pauci Domini cum eo, oppoſuit ſe ipſis; quia major pars de Baronibus dicebant, quod vellent ſuperſedere, & non declinare ad aliquam partem; & ſic iſte de Walſſee econtra ſpoliavit illos, & iſta controverſia durat forte ad quartum annum & infra. Ultra tempus aliquotiens tractaverunt pro pace cum Duce, & ipſe conſenſit: & tunc iterato incœperunt; & ſpoliaverunt ut prius. Et fuerunt diſcordiæ & diverſitates in tota terra Auſtrali, & ſpecialiter in Wienna: quia Communitas fuit contra cives in Conſilio, ita quod iſti de Conſilio decapitaverunt quinque de Communitate. Et poſtea Dux Leopoldus, & Epiſcopus de Bechin, & Communitas ceperunt cives de Conſilio, & decapitaverunt Magiſtrum civium Varlauffram, Paſtarffer & Rock, & alii redemerunt ſe pecuniis. Tandem concordaverunt cum Duce, quod vellent ſervire ad Curiam, & fecerunt. Poſt hoc retulerunt Duci ſive Principi, quod juvenis Dominus eſſet infirmus, & quod deberet ipſum dimitti ad alium locum ſive caſtrum, & ipſe hoc conſenſit. Et ipſi duxerunt eum ad unum caſtrum, nomine Starenberch; & ibi tenuerunt ipſum, & amplius non reddiderunt eum, donec recepit poſſeſſionem terræ.

1 *ita MS.* 2 *ita MS.* 3 *pro* dum *ſeu quando.*
4 *deeſt* poſt.

MCCCCVIII. Facta eſt magna peſtilentia in Auſtria, ita quod multa millia hominum moriebantur in Auſtria: & in illo anno facta eſt eclipſis ſolis de mane circa ſeptimam horam.

MCCCCIX. Depoſitus eſt Rex Bohemorum, Wenczeslaus nomine, de Regno Romanorum: & Electores elegerunt loco ipſius Judocum Principem Moraviæ. Et iſte non diu vixit, forte ad XIV. dies, & mortuus. Et tunc elegerunt loco illius Rupertum Ducem Bavariæ in Regem Romanorum, & iſte maxime ſcandalizatus eſt, quando voluit intrare Curiam Romanam. Tunc Dux Mediolanenſis oppoſuit ſe ſibi, & cepit ſibi Uxorem & Virgines, & multos de populo ſuo interfecit, & ipſe vix evaſit, ita quod multa mala ipſis fecit, & amodo nunquam attentavit, ut intraret Curiam Romanam.

MCCCCX. Factus eſt terræmotus in nocte Pentecoſtes, ſicut cantabitur matutinas [1] ante diem: & illo anno mortuus eſt Dux Leopoldus, tutor Ducis Alberti.

MCCCCX. Dux Albertus recepit poſſeſſionem cum ſolennitate terræ Auſtralis, & convocavit omnes Barones, Milites, Nobiles & Clientes, quod quilibet eorum veniret, & ſuſciperet [2] ab eo homagium: & quicunque non veniret, & faceret ſibi obedientiam, ipſum vellet privare, & conferre alio jurisdictionem. Et ſic oportebat eos venire, & ſibi obedire, & ſic obtinuit terram.

MCCCCXI. In die Diviſionis Apoſtolorum inierunt bellum Bruthenii Domini, & Rex Poloniæ ſimul: & Rex Poloniæ prævaluit, & hoc adjutorio cum paganis & Thartaris, & magnus populus interfectus eſt, forte ad ſeptuaginta millia hominum, & ſupremus Bruthenorum Dominus occiſus eſt in campo, & multa mala fecerunt pagani in Chriſtianis.

MCCCCXII. Dux Erneſtus Auſtriæ & Stiriæ duxit uxorem de Polonia, de progenie paganorum: & fratrem ejus expulerunt ante aliquibus annis ab uxore ſua, & dederunt ei contra voluntatem ejus unum paganum in virum.

MCCCCXV. Confirmatus eſt Dominus Præpoſitus Magiſter Ægidius ad S. Dorotheam Wiennæ, feria ſexta poſt Aſcenſionem Domini, a Domino Georgio Epiſcopo Patavienſi de Hahenloch.

MCCCCXVI. Factum eſt bellum magnum inter Regem Franciæ, & Regem Angliæ: & Rex Angliæ obtinuit victoriam, & de populo Regis Franciæ occiſi ſunt XIV. Principes, & tres Epiſcopi, & hoc uno die.

MCCCCXVII. Factum eſt Concilium in Conſtantia, & duravit ad quintum annum: & in hoc Sacroſancto Concilio electus eſt Sereniſſimus Rex Sigismundus Rex Ungariæ in Regem Romanorum. Et iſti ſimul tractaverunt de unione Romanæ Eccleſiæ: quia Romana Eccleſia pro tunc habuit tres Apoſtolicos viventes; Johannem in Roma; Gregorium in Venetia; & Benedictum in Arrogonia: & in hoc Sacroſancto Concilio omnes tres ſunt depoſiti, & alius electus. Item in hoc Sancto Concilio Dux Fridericus Stiriæ & Karinthiæ deduxit Johannem Papam de Conſtantia furtive ad unam civitatem, nuncupatam Schafhauſen. Tunc Sereniſſimus Dominus Dominus Sigismundus Romanus Rex cum toto Sacroſancto Concilio ſcripſit litteras ſuas cum pictura Paſſionis S. Crucis ad Civitates Regni [1] Imperii: & iſti ſequebantur eum & arripuerunt Papam Johannem cum Duce Friderico, & devaſtaverunt ſibi civitates & caſtra, & reduxerunt eos ad Conſtantiam. Et Dux Fridericus fuit excommunicatus a Sancto Concilio, & Johannes Papa incluſus in turrim, & poſtea a Martino Quinto Apoſtolico abſolutus.

MCCCCXVIII. Electus eſt in eodem Concilio Sanctiſſimus Pater in Conſtantia Papa Martinus Quintus, in die S. Martini Papæ; a Cardinalibus &c.

MCCCCXIX. Facti ſunt Bohemii hæretici, ſcilicet Wicklefiſtæ & Huſſitæ pro majori parte, licet antea fuerint mixti: Secta illa annis plurimis. Et idem Johannes Huſs, qui prædicavit iſtam ſectam in Praga, citatus eſt a Sancto Concilio ad Conſtantiam, & ibi fuit victus, & degradatus, & combuſtus a Sancto Concilio in Conſtantia, & Patre noſtro Sancto Martino Papa Quinto.

MCCCCXX. Sereniſſimus Dominus Dominus Sigismundus Romanorum Rex, & Ungariæ & Bohemiæ Rex, congregavit magnum populum unacum Alberto Duce Auſtriæ, & Erneſto Duce Stiriæ, & ſimiliter cum Principibus Myxenſium [2] (qui venerunt cum magno populo, & Ducibus Bavariæ, & Ducibus de Schleſie, & aliis Principibus) cum magna multitudine venit in campum ante Pragam, & ipſi promiſerunt ſibi obedire in omnibus mandatis, & extirpare hæreſim: & ipſe credidit eis, & licentiat populum. Poſt hoc, ipſi mentiebantur omnia promiſſa ſibi facta, & noluerunt ſibi obedire, ſed manſerunt hæretici. Et in brevi devaſtaverunt omnes Eccleſias & Monaſteria & capellas, Presbyteros expulerunt de Bohemia, & receperunt omnia bona ipſorum, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, & devaſtaverunt totum Regnum Bohemiæ.

MCCCCXXI. Sereniſſimus Dominus Dominus Sigismundus Romanorum Rex congregavit magnum populum, & venit cum potentia in Bohemiam cum Ungaris, & devaſtaverunt, & combuſſerunt ubique locorum. Et tunc hæretici congregaverunt magnum exercitum, & oppoſuerunt ſe ſibi, & ipſe non potuit ipſis reſiſtere. Et tunc Barones ipſius, & Conſiliarii ejus ſuaſerunt, quod incenderetur civitas, ubi fodiunt argentum; & hoc factum eſt. Et ſpoliaverunt civitatem omnibus rebus & omnibus bonis, & combuſſerunt eam, & ſic ipſi ſequebantur eum: & quos reperierunt in via, illico occiderunt, & ſpoliaverunt quoscunque, neminem excipiendo, & occiderunt magnum populum utriusque [3] tam parvulos quam ſenes. Et poſtea fecit proclamari Rex, quod nullus reciperet monetam ipſorum, ut non poſſent habere populum contra Fideles;

[1] *ita MS.* [2] *leg.* præſtaret ei homagium.

[1] *f.* Romani. [2] *ita MS. pro* Misnienſium. [3] *deeſt in MS.* Sexus.

ſed

ſed omnes mali Chriſtiani & Judæi, tam nobiles quam ignobiles, confugerunt ad eos, ita quod nullus Principum potuit ipſis reſiſtere.

MCCCCXXIII. Albertus Dux Auſtriæ ſuſcepit Marchionatum, & factus Margravius in Moravia, & defendit Marchionatum contra hæreticos; ſed multa paſſus eſt ab hæreticis.

MCCCCXXIV. Obiit Erneſtus Dux Stiriæ & Karinthiæ, & ſepultus eſt in Monaſterio Newperg.

MCCCCXXII.[1] Sereniſſimus Dominus Dominus Sigismundus Romanorum Rex congregavit magnum exercitum cum probis Baronibus de Moravia, & venit ante Pragam, volens protegere caſtrum, quod eſt Bizzenrad. Et Huſſitæ exierunt cum magna multitudine, & occiderunt XIII. Barones de Moravia & Bohemia, uno die: & hoc factum eſt in die Omnium Sanctorum, & Rex evaſit cum paucis.

MCCCCXXIII. Obiit Dominus Georgius Epiſcopus Patavienſis de Hahenla, & poſt eum venit Leonhardus Laymiger, & habuit opponentes Ducem Auſtriæ, & majores de Capitulo, & non potuit obtinere Epiſcopatum pacifice usque ad ſeptem annos.

MCCCCXXIV. Albertus Dux Auſtriæ congregat magnum exercitum in Auſtria & in Moravia, & Rex Ungariæ direxit ſibi populum, & jacuit per æſtatem cum potentia in Moravia, & debellavit iſtos, qui non voluerunt ſibi obedire in Moravia: Similiter Huſſitas, qui fuerunt in eadem provincia, ſcilicet Moraviæ. Et ipſe recepit eos ad gratiam, ad preces unius Cardinalis, qui fuit ſecum in Campo, & directus a Sanctiſſimo Patre noſtro Papa Martino Quinto (qui dedit Crucem ſuper infideles) qui petiit Ducem Auſtriæ Albertum, quod indulſit ipſis totum exceſſum. Et poſtquam licentiavit populum, tunc Huſſitæ de Bohemia congregaverunt ſe ſimul, & venerunt ad Moraviam. Tunc aliqui iſti, qui prius dederunt ſe ad gratiam, apoſtataverunt, & juverunt iſtis, & devaſtaverunt civitates, villas & Monaſteria. Tunc Albertus Dux iterum congregat magnum populum in Auſtria, forte centum millia hominum, & venit cum iſtis ad Moraviam, & combuſſit, & devaſtavit, & interfecit, & expulſit omnes iſtos de Moravia, ſcilicet Huſſiones[2]. Et tunc iterum Ungari venerunt ſibi in adjutorium, & quidquid iſtis remanſit, hoc ipſi totum devaſtaverunt.

MCCCCXXV. Huſſitæ congregaverunt fortem exercitum nimis in Bohemia & in Praga, & venerunt in Auſtriam cum potentia magna, & vallaverunt unam civitatem, quæ dicitur Recz, & debellaverunt eam, & interfecerunt multos homines. Et in eadem civitate ceperunt Comitem, qui dicitur de Hardeck, & duxerunt eum ad Pragam, & devaſtaverunt ſibi omnes res circumquaque, quidquid habuit, & ibi mortuus eſt in Praga.

MCCCCXXVI. Huſſitæ de Bohemia & de Praga, & aliqui Domini de Moravia, qui fuerunt Huſſitæ, congregaverunt magnum populum, & venerunt ante unam civitatem in Moravia, quæ nuncupata eſt Goſtell, & expugnaverunt eam, & multos homines interfecerunt in eadem civitate: & ibi etiam incenderunt civitatem Nickelspurck, & Feltzperck, & alia multa mala fecerunt circumquaque; in Caſtris & Monaſteriis & villis. Et Clauſtrum Tribich expugnaverunt, & tenuerunt vi per longum tempus.

MCCCCXXVI.[1] Impoſita eſt una Stewra in Auſtria ſuper omnes Prælatos, & Plebanos, & Capellanos, ita quod oportebat eos dare medios fructus & aliquid plus, & hoc dederunt Duci pro defenſione terræ propter Huſſitas.

MCCCCXXX. Proxima feria ſexta poſt Aſcenſionem Domini, capti ſunt omnes Judæi in tota terra Auſtria, una hora, ſcilicet octava de mane per ducem Albertum, & poſtea Regem & ſpoliati omnibus rebus, & multis interfectis.

MCCCCXXXI. Incœpit ſe Concilium in Baſilea, & duravit ſedecim annis vel plus, & modicum fuit expeditum ibi; & tamen multa tractaverunt in iſto Concilio, ſicut de Græcis, & de Huſſitis, & de aliis.

MCCCCXXXIV. Venit magnum frigus in die Marci Ewangeliſtæ cum nive, & ſequenti nocte: perierunt quaſi omnes vineæ in tota Auſtria & Ungaria, ita quod modicum crevit de vino illo anno.

MCCCCXXXVII. Obiit Sereniſſimus Imperator Sigismundus, Rex Ungariæ & Bohemiæ, in civitate Znoyma, & ſepultus eſt in Bardein, in Ungaria.

MCCCCXXXVII. Electus eſt Sereniſſimus Princeps Albertus Dux Auſtriæ, feria quarta ante feſtum S. Thomæ Apoſtoli, in Regem Ungariæ, & coronatus eſt in circumciſione Domini, in Alba Regali.

MCCCCXXXVIII. Venit cum uxore ſua ad Regnum Ungariæ. Idem Rex & Dux Albertus electus eſt in Regem Bohemiæ, in die S. Johannis Ewangeliſtæ, & coronatus eſt eodem anno ab omnibus Baronibus & ab omni populo, in die Petri & Pauli Apoſtolorum.

MCCCCXXXVIII. Electus eſt Sereniſſimus Rex Albertus in Regem Romanorum, & gaviſus eſt omnis populus de ſua electione, quia probus fuit. Eodem anno Sereniſſimus Rex Albertus Ungariæ & Bohemiæ ſuſcepit Regnum Romanorum, proxima die poſt feſtum S. Vitalis, in Eccleſia S. Stephani in Wienna. Eodem anno fuerunt duo Concilia; unum in Baſilea, quod Eugenius Quartus prius confirmat; poſtea per Se Eugenius fecit unum Concilium in Ferraria, & hoc Concilium non diu durat. Et hoc Concilium factum fuit propter Græcos, ut redirent ad Eccleſiam Romanam. Eodem anno Concilium Baſilienſium depoſuit Papam Eugenium Quartum in Baſilea publice, propter aliquas cauſas; ſed tamen non omnino fuit depulſus, attamen fuit depulſus de Roma, & habitabat in Bolonia pluribus annis, & poſtea reſtitutus eſt ad priſtinum ſtatum.

MCCCCXXXIX. Vendiderunt unam octavam vini in Wienna, ſcilicet in Auſtria, pro 24 denariis; & commune vinum pro 20 denariis,

[1] *ita MS.* [2] *al.* Huſſitas.

[1] *f.* 1428 *ut eſt in Chron. Melliconſi.*

riis; & infimum pro 16., & hoc pluribus annis; ante & poſt. Eodem anno obiit Dux & Princeps Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ. Eodem anno obiit Sereniſſimus Dominus Dominus Albertus, Rex Romanorum, Ungariæ & Bohemiæ, & Dux Auſtriæ, in vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ, in Ungaria, & ſepultus eſt in Alba Regali: & reliquit duas filias, & tertium puerum adhuc non genuerat, ſed poſt mortem ejus genuit filium, quem nominat Ladislaum, & idem puer fuit coronatus in Regem Ungariæ. Et poſtea aliqui Ungarii abjecerunt puerum, & coronaverunt Regem Poloniæ, ita quod habuerunt in octo hebdomadis duos Reges viventes, quia diviſio fuit inter eos, ſcilicet in Regno.

MCCCCXL. Electus eſt Sereniſſimus Princeps Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ in Regem Romanorum, & coronatus eſt anno 1442. in Aquisgranis.

MCCCCXLII. Venit in Auſtria magna nix, proxima feria ante undecim millia Virginum, & duravit diu, ita quod multa millia vaſa habuerunt colligere de nive, & multa damna exinde fuerunt ſecuta. Et homines illo anno habuerunt colligere uvas usque ad feſtum S. Martini, & in tantum illo anno crevit de muſto, quod una vacua Karrata vendebatur pro quatuor libris, & unus ternarius vacuus pro tribus talentis, & illo anno fuerunt diverſa vina.

MCCCCXLII. Obiit Elizabeth Reginâ Ungariæ, uxor Regis Alberti, proxima feria quarta ante feſtum S. Thomæ Apoſtoli, in Ungaria: & ſepulta eſt in Alba Regali, & reliquit tres pueros [1].

MCCCCXXXIX. Danubius fecit magnum damnum in Auſtria, in nocte Carniſprivii, quando homines dormierunt, ita quod aſcendit ultra muros civitatum (ſicut in Stayn, in Kremps) & multos ſubmerſit cum pueris & rebus; & hoc glacies fecit.

MCCCCXLIII. Hyems valde durus fuit, quia frigora incœperunt ſe circa Simonis & Judæ, & duraverunt usque ad Kathedram S. Petri, & etiam ultra quaſi ad feſtum S. Georgii Martyris. Et forte non fuit talis hyems in ſexagintis annis ante, & durat quaſi ad feſtum Urbani Epiſcopi &c.

MCCCCXLIII. Venit terræmotus valde magnus, in die S. Bonifacii & Sociorum ejus, modicum ante decimam horam, & durat quaſi per totam Auſtriam: & in Ungaria fecit magna damna, ita quod ſubvertit caſtra & domos, & concuſſit montes in Ungariæ [2]. Item eodem anno in nocte Primi & Feliciani (hæc fuit in vigilia Pentecoſtes) venit grando in Auſtria, ita quod deſtruxit frumenta in pluribus locis, & in die Pentecoſtes vineas circa Wiennam, & etiam in pluribus locis. Item eodem anno venit grando, proxima Dominica poſt feſtum Margarethæ, in Auſtria in pluribus locis. Simili modo venit grando in Auſtria, proxima Dominica poſt feſtum S. Stephani Proto-Martyris. Etiam venit grando, proxima feria ſecunda poſt feſtum S. Michaelis, & illo anno quaſi omnia vina fuerunt pendoloſa: & fuerunt vina illo anno in boA no foro, ita quod vendebatur una octava vini pro uno denario, & pro duobus ovis infimum.

MCCCCXLIV. In die S. Martini Epiſcopi interfectus eſt Rex Poloniæ, qui intruſus fuit ad Regnum Ungariæ, quia Ungari congregaverunt magnum populum, & venerunt cum potentia ad Græcos & ad barbaros, & ſpoliaverunt civitates: & ſic pagani congregaverunt ſe cum magna multitudine, & invaſerunt Regem & Ungaros: & ſic Rex fuit interfectus, & unus Cardinalis, Julianus nomine, & plures Epiſcopi & Abbates, Comites & Barones, & magnus populus ſubcubuit, ex utraque parte, & pagani obtinuerunt.

MCCCCXLV. Ningebat circa Wiennam in Auſtria, in die Aſcenſionis Domini, & etiam poſt tertium diem, & grando fecit magB num damnum, proxima Dominica ante feſtum Urbani, in vicinio circa Wiennam, ita quod aqua in tantum crevit, quod damna magna fecit in villis, in agris, in vineis, in pratis & hominibus.

MCCCCXLVI. Venit magnum frigus in Auſtria & in aliis provinciis, feria ſecunda & tertia ante feſtum Tiburcii & Valeriani, & annihilavit quaſi omnes vineas in Auſtria & in Ungaria, ita quod vinum fuit illo anno in caro foro. Eodem anno intraverunt Ungari cum potentia ad Auſtriam & Stiriam, & ſpoliaverunt & combuſſerunt oppida & villas; quidquid mali potuerunt facere, hoc fecerunt, & hoc factum fuit circa feſtum Martini. Et poſt hæc manſerunt in terra usque poſt Natalem Domini, & nemo oppoſuit ſe ipſis; quia terra non C habuit virilem Rectorem, quia habuit tantum tutorem; iſte fuit in Wienna, ſed minime curavit. Eodem anno incœperunt cives Wiennenſium murum circa S. Nicolaum Monialium, & prohibitum fuit. Eodem anno inceptum eſt foſſatum ante murum cum ſepe ad S. Nicolaum, & perfecte completum eſt in brevi; in quartale unius anni perfecerunt cives cum communitate.

MCCCCXLVII. Sereniſſimus Dominus Dominus Fridericus Rex & Dux Auſtriæ & Stiriæ deſtruxit in Ungaria quondam [1], nomine Harenſtayn, & funditus extirpavit, & ſubvertit, & annihilavit.

MCCCCXLVII. Obiit Eugenius Papa D Quartus, qui fuit depoſitus a Concilio Baſilienſi: & poſtquam reſtitutus eſt ad ſedem ſuam, non diu vixit, & forte ad 14. dies, vel modicum plus. Et ſtatim electus fuit Nicolaus Quintus in Papam, & idem Papa fuit acceptus a Rege Romanorum Friderico cum ſolemnitate in Wienna, cum omnibus Prælatis provinciæ, & cum omni Clero exiſtentium in Wienna: quia miſit unum Legatum ad Alemaniam, & idem Legatus fuit in Wienna quaſi per annum vel plus: qui & intravit in Bohemiam & ad Pragam propter hæreticos (ſed nihil profecit) & etiam ad Ungariam, & ſemper reverſus eſt ad Wiennam, & poſtea aſcendit ad Rhenum.

MCCCCXLVIII. Deſtructæ ſunt vineæ in Auſtria, in die Pancratii (hoc fuit in die Pen-

[1] *i.* proles. [2] *deeſt aliquid in MS. forte* partibus.

[1] quoddam *nempe* Caſtellum *aut hujuſmodi.*

teco-

tecoſtes) per pruinam, ita quod pauca vina creverunt per totam terram: & illo anno fuerunt vina in caro foro, quia modicum crevit. Eodem anno Ungari cum Gubernatore ipſorum congregaverunt magnam gentem & fortem exercitum, & deſcenderunt ad Thartaros & Theucros cum potentia, & devaſtaverunt civitates & oppida, & alia multa fecerunt in illa terra. Et tunc Rex Soldanus & magnus Theucer, hoc eſt Machametus, congregat magnum populum adverſus, & occurrit ipſis cum maxima multitudine paganorum, ita quod per tres dies & noctes pugnaverunt, & Ungari vicerunt per duos dies. Sed tertia die venit tanta multitudo paganorum, ita quod Ungaros omnes occiderunt, & valde pauci evaſerunt de Ungaris, & dicitur, quod ex utraque parte interfecti ſunt centum millia hominum, & plus de paganis, quam de Ungaris; & hoc fuit factum in die Lucæ Ewangeliſtæ, & per tres dies pagani obtinuerunt.

MCCCCXLIX. Factæ ſunt coruſcationes & tonitrua, in die Kalixti Papæ, ita quod plures homines ſunt interfecti, ſimiliter animalia, & alia plura mala ſecuta ſunt, & talia nullus hominum recordabitur tali tempore.

MCCCCL. In die S. Ypoliti incœperunt cives ponere fundamentum ad ſecundam turrim ad S. Stephanum cum magna ſolemnitate & cantu, cum Epiſcopis & Abbatibus, & Præpoſitis, & multis Prælatis, qui fuerunt præſentes. Et Præpoſitus Newburgenſium poſuit primum lapidem in fundamento; & cantata ſunt Reſponſoria, & Te Deum laudamus, de mane ſub ſeptima & octava hora. Eodem anno venit magnum frigus, & ningebat circa feſtum Simonis & Judæ, ita quod multa millia vaſorum manſerunt in nive & frigore, & oportebat homines colligere fructus de nive.

MCCCCLI. Feſtum S. Petri Martyris venit in vigiliam Paſchæ, & feſtum S. Philippi & Jacobi in Sabbathum Paſchæ, & ſequenti die peregerunt feſtum ipſorum, ſcilicet in octava: niſi dedicatio Eccleſiæ fuiſſet, tunc feria quarta peregerunt feſtum Apoſtolorum, & in die Crucis peregerunt Letaniam Majorem cum jejunio: nec fuit annus biſextus illo anno, ſed fuit annus Embolismalis.

MCCCCLI. Obiit Reverendus Pater & Dominus Leonhardus Epiſcopus Patavienſis, in die Johannis Baptiſtæ, & illud feſtum fuit in die corporis Chriſti. Illo anno Capitulum ſtatim elegit alium, nomine Udalricum Nuſsdarffer, Doctorem utriusque Juris. Sed ipſe habuit opponentes, Regem Romanorum, & Apoſtolicum; ſed ipſe habuit pro ſe Capitulum, & totam provinciam Auſtriam, & Ducem Bavariæ: & non fuit admiſſus ad quintum annum, propter Apoſtolicum, & Regem Romanorum, alias nullum habuit impedimentum. Eodem anno Sereniſſimus Rex Romanorum, Fridericus nomine, fecit unam congregationem in Wienna ut omnes Barones, exemptos, & non exemptos, in ſpiritualibus, & in temporalibus, Milites, Clientes, civitates & officiales, voluit eis dare Gubernatores ad protegendam terram, quia intendebat intrare curiam Romanam. Et ſic omnes Barones, Milites, Clientes, Prælati & Civitatenſes cœperunt ſe opponere Regi, & poſtulaverunt ab eo Dominum terræ nomine Ladislaum, qui fuit Rex Ungariæ & Dux Auſtriæ, ad præſentandum ipſum ad terram ſuam. Et ipſe non dedit ipſis reſponſum, & ſic abſceſſit à Wienna, quia habuit plures ex ipſis in parte ſua; ſimili modo civitates & caſtra, Barones, Milites, ſuper quos ſe fundavit. Et duxit ſecum verum hæredem ad Curiam Romanam, & iſte fuit puer ſolum duodecim annorum, & ſalvum reduxit eum ad terram ſuam; ſed noluit eum dare ad poſſeſſionem ſuam. Tunc quaſi major pars Baronum, Militum, Clientum, Prælatorum & Civitatenſium poſtulaverunt ab Imperatore Dominum terræ ad poſſidendum, & ipſe nihil curavit. Tunc omnes adhærentes Ladislao vero hæredi congregaverunt magnum exercitum, & quosdam de Bohemia, & devaſtaverunt illos, qui adhæſerunt Imperatori: & alii e converſo ſpoliaverunt illos, & ſic multa damna fecerunt ex utraque parte. Tunc iſti de terra Auſtrali cum Bohemis cum magna multitudine venerunt ante Novam civitatem, ubi manebat Imperator cum Rege Ladislao, & poſtulaverunt Dominum ipſorum, aut ipſum omnino deſtruere; & ſic vi obtinuerunt Dominum terræ; & hoc erat jam anno MCCCCLII., & ſic duxerunt eum cum ſolemnitate ad Wiennam.

MCCCCLIII. Peſſima vina creverunt in Auſtria, propter frigora: quia quando debuerunt matureſcere, tunc venerunt frigora, ita quod omnino perierunt. Et illo anno homines malum potum habuerunt, & corroſiones in ventre, & infirmitates. Eodem anno coronatus eſt Ladislaus Rex Ungariæ & Dux Auſtriæ in Regem Bohemorum, in die Simonis & Judæ, & hoc cum magno honore & ſolemnitate, in præſentia multorum Principum, & manſit in Bohemia ad alterum dimidium annum. Eodem anno Magnus Theucer poſſedit civitatem Conſtantinopolitanam, & totam Græciam expugnavit, & Imperatorem Græciæ interfecit, & multa millia hominum occidit; & hoc factum eſt per tradimenta quorundam Baronum potentum in Græcia exiſtentium. Et idem Tyrannus adhuc non fuit contentus, ſed & alia duo Regna adhuc etiam ſibi uſurpavit, & Regnum Ungariæ voluit ſibi ſubjugare.

MCCCCLIV. Feria Quarta poſt Michaelis, Rex Poloniæ & Domini de Pruſcia & Ruſcia inierunt bellum, & habuerunt conflictum inſimul: & communis populus & civitatenſes de Pruſcia & Ruſcia fuerunt in parte Regis Poloniæ, & veri Domini de Pruſcia, ſcilicet Theutonici Ordinis, congregaverunt ſe, & ſcripſerunt ad diverſa Regna & provincias, & venit eis magnus populus, & ſic invaſerunt Regem Poloniæ, & ſuos. Rex Poloniæ ſubcubuit, & occiderunt ſuos, & ceperunt ſibi omnes potiores, ita quod Rex cum paucis evaſit, & alii omnes interfecti ſunt, & captivi ducti ſunt.

MCCCCLV. Obiit Sanctiſſimus Pater Nicolaus Quintus, in vigilia Annunciationis B. Mariæ Virginis: & ſtatim elegerunt alium, Calixtum Tertium in Papam.

[1] f. ad. [2] ſupp. &.

HISTORIA INVENTIONIS SS. RELIQUIARUM DUORUM ANONYMORUM SANCTORUM AD DIVI HIPPOLYTI IN AUSTRIA,

AUCTORE ANONYMO CANONICO REGULARI SAN-HIPPOLYTANO,

AUCTIOR ET EMENDATIOR NUNC PRODIT EX MEMBRANEO COD. MS. INSIGNIS COENOBII ALTENBURGENSIS, ORD. S. BENEDICTI, IN AUSTRIA INFERIORE.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. DUm ad Hiſtoriam duorum ignotorum Sanctorum, quorum Sacra Lipſana in percelebri Præpoſitura San-Hippolytana, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ſub annum Chriſti Milleſimum ducenteſimum nonum, die SS. Martyribus Gervaſio & Prothaſio ſacra, divinitus inventa fuere, nos accingimus; juvat pro inſtituti noſtri ratione ejus loci primordia paulo altius repetere, eaque ex vetuſtioribus monumentis huc conferre, quæ in penitiorem utriusque cognitionem eruditum Lectorem inducant. Eſt in Auſtria Inferiore non inelegans urbs, a Sancto Hippolyto vulgo Sanct-Pölten adpellata, quam tertio a Cœnobio noſtro Mellicenſi milliario remotam Trigiſamum, Traiſma ſeu Draſena amnis (noſtrates vernacule die Traſen vocant) præterlabitur. In hac vetuſtiſſimum Canonicorum Collegium viſitur, nomine Sancti Hippolyti inſignitum, unde adjacentem urbem ortum ſimul & nomen traxiſſe vulgatiſſima opinio eſt. Id duo germani fratres & Illuſtres Comites, Adalbertus ſeu Adalpertus & Otkarius, jam inde ab Octavo Chriſti Sæculo Divo Hippolyto Martyri poſuerunt, quo tempore ampliſſimi in Bajoaria ſuperiore Monaſterii Tegernſeenſis, Ordinis S. Benedicti, iidem quoque Conditores extitere. Ac Cœnobii quidem Tegernſeenſis conditionem extra omnem controverſiam collocat Diploma Ottonis Imperatoris Secundi datum anno Chriſti 979, quod Hundius & Gewoldus tomo 3. Metropolis Salisburgenſis in fundatione Tegernſeenſis Aſceterii a pag. 389. usque ad pag. 410. integrum retulerunt. Ex quo itidem perſpicuum eſt, laudatos ambos fratres in mox memorato Monaſterio, omnibus deſertis hujus vitæ blandimentis, cucullum induiſſe. *Unde & notum eſſe volumus univerſitati fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum*, inquit Otto in dicto Diplomate, *qualiter charisſimus frater noſter Otto Allemanorum & Bavarorum Dux Serenitatis noſtræ intulit auribus, eſſe quoddam in Bavaria, ſui Ducatus provincia, Cœnobium Tegarinſee dictum, quod duo germani fratres & illuſtres Comites in ſuo & de ſuo patrimonio, temporibus Pipini Regis Francorum, ipſius permiſſu condiderunt, & regio mundiburdio commendaverunt, & a S. Papa Zacharia ipſi germani fratres Adalbertus & Otkarius, quos ſupra delibavimus, corpore B. Quirini impetrato venerabile reddiderunt: ubi omni patrimonio ſuo contradito, ipſi coma capitis depoſita, Monachico habitu ſuſcepto, unus de duobus fratribus, Adalbertus nomine, in eodem loco centum quinquaginta Monachorum primordialis extitit Abbas. Hæc nempe principalis & regia extitit Abbatia, & religioſis Abbatibus quampluribus inſignis, privilegiis anteceſſorum Regum, Pipini videlicet & Caroli Magni, Ludovici, Carolomanni roborata, & ab omnium diſtrictione perſonarum immunis* &c.

II. Jam vero Monaſterium etiam Sancti-Hippolyti prædictorum duorum germanorum fratrum liberalitate ſurrexiſſe, etſi ex chartis & Diplomatibus Cœnobio Tegernſeenſi conceſſis, & a Wiguleo Hundio publicam in lucem

cem emissis ad liquidum perduci haud possit; extant tamen in tribus membraneis Codicibus manuscriptis Bibliothecæ Tegernseensis luculenta totidem testimonia, quibus traditio a Canonicis Hippolitanis hucusque recepta planissima reddatur. Quæ quoniam nemo fortassis eorum, qui res Canoniæ San-Hippolytanæ strictim perscripserunt, coram inspexit; primigenia phrasi, qua in laudatis ea Codicibus exarata reperimus, hoc loco nos primum prodemus, ut quibus singulari Reverendissimi Domini Petri Guetratter, hodierni Præsulis Tegernseensis pietatis & doctrinæ studiis laudatissimi benignitate, ejusdem loci Bibliothecam MSS. Codd. instructissimam plurium dierum intervallo, atque adeo morosius perlustrare indultum fuit. Neque enim quæ de fundatione Collegii Hippolytani Johannes Aventinus, Wiguleus Hundius, Matthæus Raderus, Petrus Lambecius, aliique recentiores Scriptores ante nos protulerunt, hic recantare visum est: quod ea vel ex recentibus libris manu descriptis ab iisdem Auctoribus desumpta, vel stylo mutato & novitio expressa fuerunt. Primus itaque Codex membranaceus MS. sæpe jam memoratæ Bibliothecæ Tegernseensis, cujus ætas minimum ad annos quingentos accedit, continet Vitam & Miracula S. Quirini Martyris & peculiaris Tegernseensium Patroni, ab Anonymo Cœnobita Tegernseensi haud multo post Metellum Poëtam & Monachum ejusdem loci soluta oratione compositam, cui sequens titulus præfigitur: *Passio S. Quirini.* Incipit Prologus. *Duo Quirini feruntur; unus, qui in passione Alexandri Papæ legitur; alter Junior tempore, filius Philippi Imperatoris. Hujus genus, & passionem, & miracula præ cæteris Sanctis audientes, abscondi sub modio ignorantiæ taliter profunde doluimus, Zelo illo ferventiore vel spiritu, quo plus singulis affici; singula prosequi solemus, parum dissimulare valentes; & hæc maxime quidem pro ratione & modo. Ideo nunc quod ad nos usque neglectum est, clarissimi Martyris gesta de metro aliorum in prosam, vel de scedulis & pitaciis in paginam compilare utinam tam digne, ut decet, tam breviter, ut libet, etsi imperito sermone, nec non scientia, humiliter invocato Deo, incipimus.* Incipit vita. *Igitur Philippus Imperator primus christianum diadema suscepit, dispensante* &c. Finit: *Et recepta Divina misericordia, ejus pœnitentiam ex revelatione didicimus.* In hac, inquam, S. Quirini Martyris Vita, postquam ejus Auctor anonymus Adalberti & Otkarii fratrum in Italiam iter, resque ab illis Romæ præclare gestas pluribus exposuisset, eorum tandem ex Italia in Bavariam reditum disertis hisce verbis, quibus fundationem quoque Monasterii San-Hippolytani in Austria Inferiore ab iisdem factam propius attingit, commemorat: *Redeunt,* inquit, *Roma Bavvariam Principes* (Adalbertus scilicet & Otkarius, quorum illum *Bavvariæ primum Comitem*, hunc vero *Burgundionum Ducem, quem & gens illa adhuc canens Osigerum vocet*, fuisse idem Scriptor affirmat,) *referentes Patronos a Papa, quibus in suis mox fundis Monasteria statuerunt. Norica provincia tria fert horum, quæ prius in honore trium Apostolorum fundaverant: e quibus duo: Canonicorum Cœnobia duobus Sanctis, Arsatio & Ypolito Confessori & Martyri renovant, sicut hodieque cernuntur; aliud in Frisingensi Barrochia; aliud, id est Sancti Ypoliti, in Orientali Bavvaria, quæ Noricum Ripense vocatur* &c. Ex qua Anonymi oratione satis constat, Collegium Canonicorum Sancti Hippolyti in Austria, quam nomine *Bavariæ Orientalis & Norici Ripensis* hoc loco designavit, ab Adalberto & Otkario germanis fratribus *in propriis fundis statutum renovatumque* fuisse. Cum hic legis Monasterium Divi Hippoliti ab Adalberto & Otkario eidem Sancto fuisse

reno-

renovatum; nolim id ita prudens Lector accipias, quasi illius renovatores seu restauratores tantum, non etiam primi fuissent Auctores. Id enim a piissimis illis Bavariæ Dynastis a primæva origine excitatum fuisse, integer contextus ex Tegernseensi Cœnobita paulo ante a nobis relatus satis aperte demonstrat. Nihil igitur aliud significare voluit Anonymus, cum scripsit Adalbertum & Otkarium alterutrum ex Canonicorum Cœnobiis S. Hippolyto Martyri *renovasse;* quam id ab ipsis allatis recens ex Italia S. Hippolyti Reliquiis vel exornatum, vel certe ejusdem Sancti Martyris honori fuisse consecratum: cum ante fortasis titulo unius ex tribus Apostolis, in quorum honorem unacum reliquis duobus Monasteriis ab iisdem Adalberto & Otkario fundatum ex citatis Anonymi verbis intelligimus, fuisset insignitum. Hæc ex primo Codice Tegernseensi.

III. Alter Codex, ex quo Collegium Sancti-Hippolyti a sæpe laudatis duobus fratribus Adalberto & Otkario exædificatum fuisse edocemur, exaratus est ab annis septingentis. In hoc Tegernseensis quidam incerti nominis Asceta prædia & loca plurima prolixe recenset, olim juris Cœnobii Tegernseensis, postea ab Arnolfo seu Arnoldo, impio Bavarorum Duce, partim direpta, partim penitus a Tegernseensibus Monachis ablata. Elenchum hunc eatenus duntaxat exscripsimus, quatenus cum historia Monasterii San-Hippolytani nonnihil conjunctior esse visus fuit. Is ad verbum sic habet: *Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo quarto translatus est Beatus Quirinus cum aliis Sanctorum corporibus & Reliquiis Tegrinse, qui locus a nobilissimis germanis fratribus Adalperto & Otkario fundatus, & undecim millibus octingentis sexaginta mansis est donatus. Ex his vero Arnolfus Dux & tyrannus dum regalem affectaret dignitatem, læsa majestate regni, tempore Regis Heinrici loca subscripta diripuit, & cæteris Principibus in beneficium tradidit. Otto de Orientali Francia habet Phuncina, Veristeti, Agasinga &c. Adalpero filius Uodalrici, Sabsincheim &c. Hartwicus aulicus Comes, Frickindorf &c. Adalper Dux, Unholzinga &c. VVelf Præses, Habbinga &c. Adalpertus Marchio, Ilminamunistiiuri &c. In nonaginta duobus finitur iste numerus. Hæc loca cum omnibus ad ea pertinentibus, cultis & incultis, pratis, sylvis, molendinis, aquarum cursibus, quæsitis & inquisitis, cum Ministerialibus & censualibus & cætera familia alienata sunt. Episcopus Benno Pataviensis a nobis habet Abbatiam ad Sanctum Yppolytum. Episcopus Uodalricus de Tridentina civitate* XL. *carradas vini in Polzana* &c. Quorum posteriora duo nos docent: Primum est, San-Hippolytanum Canonicorum Collegium iisdem, quibus & Cœnobium Tegernseense Fundatoribus, Adalberto scilicet & Otkario originem suam acceptam ferre. Neque enim quis facile ceperit, quo alias jure titulove id Tegernseensium Cœnobitarum aliquando fuisse ab Anonymo tam affirmate dici potuerit. Alterum, Monasterium Tegernseense olim in Canoniæ San-Hippolitanæ possessione fuisse, ut quæ postmodum cum aliis plurimis ab eodem per Arnolfum Ducem avulsa, Bennoni Episcopo Patavienſi cesserit, cujus posteris etiam nunc paret.

IV. His accedit tertius codex Bibliothecæ Tegernseensis, ab annis trecentis in membrana scriptus, in quo Chronicon fundationis, & Abbatum ejusdem celeberrimi Asceterii, cum historia Translationis S. Quirini aliisque nonnullis continentur. Ex his in laudato Chronico fundationis Tegernseensis de Monasterio Sancti-Hippolyti hæc verbotenus referuntur: *Erigentes quoque* (Adalbertus & Otkarius) *& prælibatus consanguineus eorum* (Uto) *alios titulos &*

ecclesias

Ecclesias per plurima loca in propria fundo, quas Reliquiis, nec non suis prædiis sufficiente dote ditaverunt. Unde Reliquiis Sancti Ypoliti Ecclesia in partibus Austriæ, quæ adhuc ejusdem Martyris nomine intitulatur, honorificata est. Atque hæc sunt, quæ de origine ac fundatione Canoniæ Sancti-Hippolyti in Austria ex veteribus Tegernseæ monumentis extundere potuimus. Nunc videndum, cujusnam Religionis seu ordinis homines locum hunc a primæva sua institutione incoluerint: Monachine Benedictini, an Canonici Sæculares, aut certe Regulares ex instituto S. Augustini viventes, quales hodieque ibidem perseverant?

V. Daniel Papeprochius, eruditissimus e Societate Jesu Presbyter, tomo III. Junii Bollandiani ad diem 19. mensis ejusdem pag. 850, ubi, ad quam hic præfamur, Historiam Inventionis SS. Reliquiarum duorum ignotorum Sanctorum in Austria, sub nomine *Duorum Sanctorum Anonymorum ad S. Hippolyti in Austria honoratorum* illustrat; prævii ad eandem Commentarii numero 2. scribere non dubitavit, primos Monasterii San-Hippolytani incolas, Cœnobitas Benedictinos fuisse, nulla interim assertionis suæ, vel potius conjecturæ reddita ratione. Citato enim loco, quorumnam tandem Sanctorum ad S. Hippolyti inventorum ossa illa fuerint solerter indagans, scribit in hunc modum: *Vero simile est*, inquit, *prioribus loci incolis Benedictinis notum satis fuisse, quorumnam illa ossa Sanctorum essent: sed ut alibi sæpe usuvenisse deprehendimus, sic etiam ibi credimus, a migrantibus alio Monachis ablata, vel ipsis prorsus extinctis, tabolita esse omnia loci monumenta vetustiora.* Ita Papeprochius. Quam quidem Viri doctissimi opinionem id etiam solidiorem reddat quod in altero pervetusto Codice Tegernseensi a nobis numero 3. adducto Ecclesia Canonicorum Hippolytanorum *Abbatia* diserte nuncupetur. Verum nisi aliunde majus robur ad hoc accesserit, hic locus nos nunquam adducet, ut sodales S. Benedicti Canoniam istam a primordio insedisse credamus. Quippe *Abbatiæ* nomine sacra tum Monachorum, tum etiam Canonicorum domicilia, apud mediæ ætatis Scriptores persæpe venire, nemo eruditorum est qui ignoret. Illud a vero propius abesse arbitramur, ab Adalberto & Otkario, loci istius conditoribus, *Canonicos Sæculares*, quales in variis Austriæ Monasteriis, puta Mellicensi nostro, Garstensi, Claustro-Neoburgensi & San-Florianensi a prima fundatione fuerunt, primitus ibidem constitutos fuisse: minime vero *Canonicos Regulares ex Regula S. Augustini viventes*, ut quos primum sæculo Christi undecimo, auctore potissimum Anselmo Lucensi in Hetruria Episcopo, postea Alexandro Papa Secundo, exortos fuisse apud omnes fere eruditos in confesso sit. Idem aperte enuntiat Anonymus Vitæ S. Quirini Scriptor Tegernseensis, cujus verba, quæ quidem ad elucidandam hanc controversiam aliquid faciant, hic repetere non pigebit. *Redeunt*, inquit Auctor numero 2. memoratus, *Roma Bavvariam Principes* (Adalbertus & Otkarius) *referentes Patronos a Papa, quibus in suis mox fundis Monasteria statuerunt. Norica provincia tria fert horum .... e quibus duo Canonicorum Cœnobia duobus Sanctis, Arsatio & Ypolito Confessori & Martyri renovant; .... aliud in Frisingensi Barrochia; aliud, id est Sancti-Ypoliti in Orientali Bavvaria, quæ Noricum Ripense vocatur.* Viden' erudite Lector, Monasterium S. Hippolyti duorum alterum fuisse, quæ pro *Canonicis*, non pro Monachis Bavariæ Principes *renovarunt?* Nec unquam primis Canonicis Hippolytanis Monachos succesisse mihi persuadeam. Certe labente Christi sæculo undecimo Cœnobitas ibidem fuisse, nemo hac-

tenus ex idoneo aliquo veterum Scriptorum teſtimonio tradidit. Contra non deeſt pervetuſtus Auctor, qui homines, Beati Altmanni Epiſcopi Patavienſis ævo Monaſterium S. Hippolyti occupantes, nude ac præciſe *Clericos* appellet. Is eſt Anonymus Gottwicenſis, Vitæ laudati Altmanni Scriptor, cujus de reformato S. Hippolyti Monaſterio hæc verba ſunt: *In alio Cœnobio*, inquit, *ſcilicet Sancti-Hippolyti, erant Clerici ..... quos Epiſcopus Altmannus canonica cenſura expulit de loco, & Religioſos viros pro eis reſtituit: quibus præfecit Englbertum Præpoſitum, virum omni prudentia & eloquentia præditum. Porro Clerici expulſi furiis comprehenſi, ægre ferentes expulſionis ſuæ opprobrium, ſumptis armis audacter ingreſſi ſunt Monaſterium: fugatis omnibus Cellarium fratrum effregerunt, & vinum in terram fuderunt. Quod facinus ſtatim ultio Divina ſecuta eſt: nam in amentiam verſi, a via petierunt deſerti.* Non igitur Monachi, ſed Clerici ſæculares fuerunt, quibus Altmannus Epiſcopus Patavienſis Religioſos Viros ſuffecit. Porro ex mox allatis Altmanniani Biographi verbis concludas, non ſolum admodum veriſimile (ut Papeprochio viſum) ſed omnino certum eſſe, intra annos 1065. & 1091, quo tempore Beatus Altmannus Cathedram Patavienſem tenuit, ab eodem Antiſtite Ordinem Canonicorum Regularium Auguſtinianorum in Collegium San-Hippolytanum introductum fuiſſe. Fuit nempe Beatus Altmannus ſingularis Inſtituti Canonico-Auguſtiniani fautor promotorque, nec in uno Sancti-Hippolyti Monaſterio, ſed etiam in Cœnobiis Gottwicenſi, S. Nicolai prope Paſſavium, & Sancti Floriani in Auſtria Superiore Viros ad eandem Divi Auguſtini Regulam viventes collocavit, ut idem Anonymus Gottwicenſis in ejus vita commemorat, a nobis in hoc Volumine promulgata.

VI. Quibusnam vero Sanctis Sacra illa corpora, quorum miraculoſa Inventio in hac Hiſtoria ſatis ampliter deſcribitur, quondam in vivis domicilium præbuerint, ex ejus contextu nemo facile definierit. Etſi enim ex Anonymo Vitæ S. Quirini Auctore, cujus verba ex primo Veteri Cod. MS. Tegernſeenſi numero 2. dedimus, colligi non obſcure poſſit, inter reliquos *Patronos*, quos Adalbertus & Otkarius Roma reduces in Bavariam ſecum avexerant, fuiſſe & Sanctum Hippolytum, aut ſaltim magnam ejus corporis partem, qua Monaſterium in Auſtria antea a ſe conditum locupletarunt; inde tamen nihil certi confici poteſt, ex ſacris illis Sanctorum duorum corporibus ſub annum 1209. ad S. Hippolyti repertis alterutrum Sancti Hippolyti Martyris potius fuiſſe, quam cujuscunque alterius Sancti. Sane Hiſtoriæ Inventionis iſtius Scriptor nuſpiam exprimit, quorumnam ea Sanctorum fuerint. Et hodiernos Reverendos Dominos Canonicos Regulares S. Hippolyti id æque latet, ac eorum Majores, apud quos nullam horum duorum Sanctorum Corporum memoriam, nedum venerationem extitiſſe teſtatur Daniel Papeprochius, cum ipſius Collegæ ſub annum 1688. huc loci data opera ſe contuliſſent, ea de re certiora ex laudatis Canonicis cognituri. Neque etiam nos ipſi, qui anno 1716. veteres Bibliothecæ San-Hippolytanæ manuſcriptos Codices luſtravimus, plura de iisdem intelleximus. Ut adeo prorſus incertum ſit, quibusnam Sanctis ſacra illa oſſa tribuenda ſint, aut ubinam hoc tempore deliteſcant. Cæterum non male quis forſitan cum Papeprochio ſuſpicari queat, ſacra illa duo inventa Corpora eſſe Sancti Hippolyti Martyris, & Socii probabiliter unius, qui cum eo aliisque pluribus ſub Valeriano Imperatore pro Chriſto Martyr occubuit: quorum ſimul feſtiva dies 13. menſis Auguſti cele-

celebratur. Libet ea de re ipſum diſſerentem Papeprochium audire: *Si divinandum* (inquit ille Commentarii prævii num. 2) *aliquid eſſet, ſuſpicarer, eſſe corpora ipſiusmet Sancti Hippolyti, & Socii unius Roma olim allata, quibus ſtructum Cœnobium ſit; quæque (ut paſſim in talibus ſolet) creditum ſit eſſe illius Sancti, qui pariter cum nutrice Concordia & Sociis decem ſub Valeriano paſſus, colitur 13. Auguſti. Hunc enim paſſim omnes habere ſe credunt, quotquot occaſione allatarum ſub tali nomine Reliquiarum eccleſiis ſuis in Germania & Gallia nomen fecere.* Hæc Papeprochius, cujus conjectura, ſpectatis maxime Tegernſeenſis Cœnobii monumentis, tam diu nobis probabitur, dum certiora ex veteribus, & forte adhuc latentibus alicubi documentis allata non fuerint. Reſtat, ut de Auctore quoque, qui hanc Inventionis hiſtoriam litteris mandavit, pro more noſtro paucis Lectorem edoceamus.

VII. Auctor anonymus & coæqualis, qui hanc Hiſtoriam conſcripſit, ejusdem numero 2. ſat clare innuit, e cœtu Canonicorum Regularium S. Hippolyti unum ſe fuiſſe. Quantam vero fidem idem Scriptor mercatur, ex hoc cognoſci poteſt, quod viſa a ſe ut plurimum & audita narraverit. *Nos*, inquit numero 1. Hiſtoriæ, *magnificas cœleſtis gratiæ virtutes & miracula, quæ miſerator & miſericors Dominus in Cetienſi pago, videlicet in Sancto-Ypolito, per Sanctarum Reliquiarum revelationem nuper exhibere dignatus eſt, ſalva veritate, ſicut oculis noſtris perſpeximus, & quemadmodum præſentialiter auribus noſtris audivimus, ſimpliciter enarramus.* Hanc quidem Hiſtoriam ex Codice manuſcripto Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis primum erutam, Socii Bollandiani tomo 3. menſis Junii ad diem decimam nonam a pag. 850. ad pag. 852. intulerunt; ſed fine mutilam, multisque mendis infectam, quod (ut ad ejus calcem fatetur Papeprochius) reliqua in ultima pagina codicis adeo eſſent attritu deleta, ut legi non poſſent. Verum quod in Manuſcripto exemplari Viennenſi deſideratur, variisque in locis vitiatum erat, id omne ope Codicis Altenburgenſis membranei ſub finem ſæculi decimi tertii eleganti manu exarati reſarcivimus atque emendavimus, ut ex adjectis variis ad oram lectionibus Lector ipſe perſpiciet. In hunc Codicem, cum anno 1716. inſignis Ordinis noſtri Cœnobii Altenburgenſis Bibliothecam, Suecica quidem tempeſtate graviſſimam Codicum MSS. iacturam eheu paſſam, ſcrutaremur, benevolente Deo incidimus: quem non multo poſt Reverendiſſimus Dominus Placidus, loci Præſul digniſſimus, Mellicium nobis ſubmittere dignatus eſt, opera & ſtudio Admodum Reverendi ac Religioſi D. P. Alberti Turner ejusdem Monaſterii Cœnobitæ, cujus ſingularem in nos humanitatem & officia jure ac merito hoc loco commendamus.

HISTORIA INVENTIONIS SS. RELIQUIARUM DUORUM ANONYMORUM SANCTORUM AD DIVI HIPPOLYTI IN AUSTRIA.

1. GLorioſus atque mirabilis Deus in Sanctis ſuis, ille floridus ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ ſponſus, præ filiis hominum forma ſpecioſus, Evangelica Vitis vera, Dominus noſter, Jeſus Chriſtus unacum Patre & Spiritu Sancto ſicut ab initio Sæculi naſcentis operarios, ſcilicet Patriarchas, Prophetas, aliosque Patres venerandos in vinea ſua, id eſt, Eccleſia, locare non ceſſavit; ita quoque ſingulis mundi ætatibus fructuoſos palmites, hoc eſt, electos virtutibus & miraculis coruſcantes ex ſe, vera vite, merito fidei pullulare miſericorditer & glorioſe procuravit. Verum quia miſericordiæ ejus non eſt numerus, & magnitudinis ejus non eſt finis; Divinæ pietatis clementia noſtris quoque temporibus, licet ultima ejus ſimus membra, & in quos extrema jam devenere Sæcula, ſolitæ miſerationis opera declarare non deſiſtit. Propter quod Angelico freti teſtimonio, dicente: *Sacramentum Regis abſcondere bonum*

num eſt, opera autem Dei revelare honorificum eſt, A nos magnificas cœleſtis gratiæ virtutes & miracula, quæ miſerator & miſericors Dominus in Cetienſi pago, videlicet in Sancto-Ypolito [1] per Sanctarum Reliquiarum revelationem nuper exhibere dignatus eſt, ſalva veritate, ſicut oculis noſtris perſpeximus, & quemadmodum præſentialiter auribus noſtris audivimus; ſimpliciter enarramus. Et revera eadem Dei beneficia nec officio ſtyli (ſicut mos eſt ſcribentium) multiplicamus, nec verborum ſchemate, cum per ſe clarius eniteant, exornamus; ſed ſignorum magnalia, non utique omnia, ſed ea quæ multorum ſunt teſtimonio comprobata, breviter enumeramus.

2. Anno igitur Domini MCCIX, in die Sanctorum Martyrum Gervaſii & Prothaſii, cum cuſtos Eccleſiæ noſtræ in Sacrario more ſolito B hac illac luſtraret, & ad reponendum ſacras veſtes triſtega ſollicitus ordinaret; accidit ut quædam tumba Sanctarum Reliquiarum hactenus occultata, ſubito quodam hiatu miraculoſe pateſceret. Ammirantibus autem his, qui tunc cum cuſtode aderant, quidam accedentes, & hiatus locum vallantes, quidnam eſſet, experiri cupiebant. Et ecce! tam mira ſuaviſſimi odoris fragrantia de tumulo evaporavit, ut & circumſtantes incredibiliter oblectaret, & Sanctorum illic latentium Reliquiarum merita liquido manifeſtaret. Illico [2] fratres Eccleſiæ accurrere feſtinabant, & quidnam intus lateret, ſcire geſtiebant. Nec mora, raſtris aliisque fodiendi inſtrumentis experientiam rei fieri, unanimiter ac inſtanter conſulentes, poſtulabant. Aperientes itaque tumbam, nec ſcientes C vere eſſe tumulum, invenerunt pretioſum & diu abſconditum Reliquiarum theſaurum. Nam viſu pulcherrima, & odoratu ſuaviſſima duorum corporum reperta ſunt oſſa; linteaminibus quidem & coriis olim accurate circumvoluta; quæ nunc tamen, ſalvis oſſibus ſacris, ad tactum manus collapſa ſunt, & in pulverem redacta. Quibus auditis, fit populi concurſus, fit concurrentium tumultus, clamor attollitur, vulgus novitate gaudens percellitur, & tandem in laudem Dei & Sanctorum roborat [3] omnium exhilarata devotio, & ſuper invento venerabili theſauro fit a clero ſimul & populo cum laudibus immenſa gratiarum actio.

3. His ita geſtis, & per provinciam divulgatis, irruunt turbæ diverſis languoribus debilitatæ: quæ quantam ſanitatum gratiam ſint adeptæ, teſtantur curationes ſubſcriptæ. Primo ſcholaris quidam Swevus, nomine Wernherus, ſubita & gravi prorſus infirmitate correptus, ad articulum mortis eſt deductus: qui etiam ſemivivus ſociorum manibus ad Reliquias nuper inventas eſt translatus, & per noctem Sanctorum [4] precibus commendatus. Mane vero, facto pro ſe [5] voto, Sanctorum meritis eſt ſanitati reſtitutus. Poſt hæc Perchta quædam in Sancto Ypolito, per decem annos manu paralytica, eſt curata. Alia mulier Gysla, in xenodochio S. Ægidii, toto corpore languida, eſt ſanata. Alia mulier in eadem domo, nomine Ita, pleuretica, eſt curata. Item puella de domo Domini Plebani, nomine Alheit, viſum recepit. Alia Alheit, ancilla cujusdam civis, noctu per viſionem ad Reliquias tracta, mane trahentis manus veſtigia in brachio evidenter & corporaliter oſtendit: quæ veniens ad tumulum, a cardiaca paſſione liberata eſt. Alia quædam mulier, nomine Chunigunt de Chuliub, [1] per tres annos clauda fuerat, ad tumulum Sanctorum eſt ſanata in die Sanctorum ſeptem Fratrum. Eodem die quidam Hartmannus de Willhalmspurch [2], uno pede claudus, eſt curatus.

4. Alia quædam, mater armentarii, annis penè tribus contracta, eſt curata. Eodem die quædam mulier, plus quam per tres annos Dæmoniaca, nomine Chunigunt, eſt curata. Alius quidam juvenis, per tres menſes & ultra usque ad articulum mortis febricitans, in ipſa febris acceſſione ſuper tumulum eſt curatus. Alia quædam mulier de Ainſteten, nomine Chriſtina, prope quinque annis contracta, in Diviſione Apoſtolorum eſt curata. Item quidam, nomine Geberhardus, lumine privatus, XIV. Kal. Auguſti viſum recepit. Eodem die quædam Gerbuch [3] de Stayzendorf, per XIV fere annos cæca, viſum glorioſe recepit. Item quædam Chunigunt, uxor Chomtarii in S. Ypolito, curvam traliens manum, curata eſt. Alia quædam Wentla [4] de Hafnarn, ultra tempus anni contracta, adeo quod manibus repſit ſupra terram, Dei gratia & Sanctorum eſt curata. Alter quidam Hartmannus, per bienniüm cæcus, ad tumbam viſum recepit: hic habitabat in villa, quæ dicitur Oberndoff juxta Planchenſtein. Item ultra Danubium adoleſcens quidam ad Reliquias viſum recepit. Item puella quædam virgo de Odelpach, diu cæca, illuminata eſt. Item figulus quidam, nomine Wernherus, viſum recepit. Item mulier quædam de parochia Sighartschirchen [5] de villa, quæ dicitur Wobendorf, dum incredula miraculis Sanctorum obloqueretur, obmutuit, & adeo furiis exagitata eſt, ut in faciem Sacerdotis & contra Chriſti Corpus conſpuerit. Tandem reſpiciens & pœnitens, ad tumulum Reliquiarum uſum vocis recepit.

5. Alia quædam ultra Danubium veniens de D villa, quæ dicitur Brunnen, per biennium pene clauda, curata eſt. Alia quædam de Choumperch [6], nomine Mechthilth, tumore unius oculi ad dolorem capitis tantum eſt deducta & fatigata, quod tanquam furioſa caput ad parietes & ſcampna feriebat: factoque Sanctis voto, dum linchnum [7] ad candelas præpararet, mox melius habuit, & ad tumulum plene curata eſt. Item puella quædam de Chremſa, nomine Richgart, per quinque annos contracta, in die S. Ypoliti coram civibus ſuis ad tumulum Sanctorum eſt curata. Alia mulier de Sewarn, nomine

[1] *ita conſtanter ſcribitur in Cod. Altenburgenſi. Bollandiani tibique* in Sancto Ypol. [2] *Bollandini*: Illico fores eccleſiæ ac curiæ implebantur ab accurrentibus, & quidnam intus &c. *ut hic*. [3] *f.* roboratur *Boll.* reboat. [4] *Boll.* Sociorum. [5] *Boll. loco* pro ſe, *habent* ipſe.

[1] *deeſt* quæ. [2] *Boll. vitioſe* Willhalmsperch. [3] *Boll.* Gerbrich. [4] *Boll.* Wentila. [5] *Boll.* Sighartſchir. [6] *Boll.* Choombech. [7] *pro* lychnum.

Mech-

Mechthilt, diu contracta, interventu Sanctarum Reliquiarum mirifice est liberata. Item quædam mulier in S. Ypolito, fucata facie veniens ad tumulum Sanctorum, quasi leprosa facta est; sed pœnitens tandem per merita Sanctorum curata est. Item quædam Perchta in S. Ypolito, per annum visu privata, ad tumulum Sanctorum est illuminata. Item quædam Jeuta in S. Ypolito, unum habens prorsus destructum oculum, ad tumbam Sanctorum est, liberata. Item cujusdam figuli parvulus in S. Ypolito, christallinum habens oculum, in Assumptione S. Mariæ sanum recepit omnino visum. Item quidam puer mutus, annorum octo, filius cujusdam Ulrici fabri in S. Ypolito, per Dei gratiam & per Sanctorum merita usum loquendi accepit. Alia quædam mulier, nomine Chunigunt de villa, quæ dicitur Weinzuerl, [1] juxta Chremsam, dum ad tumbam B. Altmanni in die ipsius devota festinaret, contigit ut in transitu cujusdam rivi de ponte collapsa, femur & mediam partem corporis graviter offenderet, & adeo quod læsa pars in tumorem & varias maculas est conversa: claudicans a tumulo præfati Episcopi rediens, tandem facto Sanctis apud nos voto, & torto ad usum candelæ lychno, venit ad Reliquias Sanctorum, & est curata.

6. Contigit quodam tempore, ut parochiales utriusque sexus de Sigarzchirichen Crucem suam ad Reliquias Sanctorum cum devotione portarent. Qui cum mane sequenti, expletis orationibus suis, ad propria remearent, & jam Traismam transissent; una matronarum, quæ satis honesta pridem reputabatur, ausu temerario dixit: Si vera virtus esset in his Sanctorum Reliquiis, aliquod indicium Sanctitatis suæ in nobis declarassent, cujus memoriale apud nos durare potuisset. Mox ad hæc verba tanto cordis dolore correpta est, quod de curru demissa, subito mirabiliter expiravit; sicque vicinis suis omnibus, quam etiam comprovincialibus triste temeritatis suæ memoriale reliquit. Alius quidam vir de Hisper [2] cæcum filium suum ad præsidia Sanctorum deducens, cum in via procul adhuc a limine Sanctorum [3], puer illuminatus ad patrem dixit: Pater mi, ecce clare video! gratias [4] egerunt & venientes. Quædam mulier, nomine Mechthilt de Wipphinge prope Tulnam subito paralysi correpta obmutuit, & quasi exanimis corruit. Tandem aliquantis persentiens, signis quibus poterat, ut sibi candela fieret, monuit. Quo facto adeo convaluit, quod votum Sanctis vovit, veniensque curata est. Item puella quædam de Wienna, diu contracta, mox ut de curru ad Sanctos descendit, coram civibus suis curata est. Item quædam fœmina Wiennensis, nomine Hiltpurch [5], plusquam per octo annos lumine oculorum privata, ad Reliquias Sanctorum visum recepit. Alia quædam de eadem civitate, nomine Diza [6] manu & brachio arida, Dei gratia & Sanctorum meritis est curata. Item alia nomine Gotlint de Pochsendorf juxta Michelnhausn, præ annis [7] oculorum cæcata, eodem die visum glorioſe recepit: nam tanquam squammæ & membrana ab oculis ejus ceciderunt.

7. Eodem die alter, tribus annis claudus, nomine Hainricus, per Dei gratiam & Sanctorum merita est liberatus. Alia quædam mulier elephantiosa, juxta Gotwich [1] habitans, ad invocationem eorundem Sanctorum est curata. Item mulier quædam, de Judenawe [2], nomine Acila, diu contracta, liberata est. Alia quædam Wiennensis, nomine Mechthilt, plurimis annis cæca, Dei gratia & Sanctorum meritis est illuminata. Altera quædam de [3] Raeztingen, uno pede a pueritia claudicans, in festo Exaltationis S. Crucis ad tumulum Sanctorum curata est. Alia quædam mulier de Willehalmstorf, per totum corpus prorsus inflexibilis, per v. hebdomadas nullis usa cibariis, ad Reliquias Sanctorum adducta, postquam in currum ut domum reduceretur, ascendit, ita est curata, ut cibum sine mora peteret. Alia quædam mulier de Gebliz, [4] nomine Perchta, in festo die Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani illuminata est: hæc pallium suum præ gaudio pauperibus donavit. Item quædam Liuprich [5] de Amsteten, in die Sanctorum Cosmæ & Damiani visum recepit. Quidam Wiennensis IX annorum a nativitate mutus, veniens ad tumbam Sanctorum, Dei gratia & Sanctorum meritis usum locutionis accepit: quem avus ejus tribus vicibus in Arsacia [6] ad S. Katherinam & ad S. Chunigundem Abbatissam in humeris suis ante portaverat, Arnoldus nomine. Et alius vir quidam, diu surdus, auditum recepit. Item quædam mulier de Schibes [7], Chunigunt nomine, contracta & cæca, visum recepit. Item quædam mulier, nomine Geppa de Werich [8] juxta Wiennam, sex annis cæca, & per manum mariti sui adducta, Dei gratia & Sanctorum meritis visum recepit, in die Sanctorum Martyrum Dionysii & Sociorum ejus.

8. Alia quædam, nomine Erndrout, pedibus & cruribus contracta, Sanctorum meritis ad tumulum Sanctorum est curata. Item quædam, nomine Wichilt de Chremsa, diu lumine oculorum privata, interventu Sanctorum est illuminata in festo S. Martini. Item vir quidam, nomine Hainricus, noster vicinus, de Mosee, per triennium visu privatus, XVII. Kal. Decembris est illuminatus. Item eodem die mulier quædam, nomine Heilka de Ropotenchirichen, una manu paralytica, Sanctorum meritis est curata. Alter quidam, Hainricus nomine, de Rossaz [9], forte cadens ab alto, manibus & pedibus & toto corpore contritus est, adeo quod etiam desperatus fuerit; sed nutu Dei, invocato Sanctorum interventu, facto voto, subito convaluit, ita ut non tantum sine adminiculo humani solatii, sed etiam baculi surgeret, & tumulum eorundem Sanctorum pedester peteret, & per Dei gratiam prorsus incolumis ad propria cum gratiarum actione remearet. Alter quidam habitator Wiennensis, Ulricus nomine, per triennium

1 *Boll.* Winzurl. 2 *Boll. vitiose* Hispse. 3 *deest* esset, *aut simile quid.* 4 *Boll.* gratiasque egerunt convenientes. 5 *Boll.* Hiltpech. 6 *Boll.* Dieza. 7 *f.* paüis, *ut est apud Boll.*

1 *Boll. vitiose* Gotw. 2 *Boll.* Judenaire. 3 *Boll.* Raezunge. 4 *Boll.* Gaebbiz. 5 *Boll.* Buprich. 6 *Boll.* Arsana. 7 *Boll.* Schiles. 8 *Boll.* de Wenth. 9 *Boll.* Rossac.

cæcus, ad tumulum Sanctorum in Purificatione S. Mariæ meritis ipſorum & per Dei miſericordiam viſum recepit. Quidam paralyticus, nomine Hermannus, adoleſcens de Imcinſtorf [1], aliquanto tempore paralyticus, & per paralyſim mutus factus, gratia Dei & Sanctorum meritis uſum loquendi recepit, in Purificatione S. Mariæ. Item puer quidam, filius vicini noſtri de Sprecern, per tres menſes cum deſperatione parentum viſu privatus, miſerante Deo & interventu Sanctorum lumen adeptus eſt. Altera quædam fœmina, nomine Geppa, gravi languore usque ad articulum mortis correpta, deſiderio deſideravit, ut os Sanctarum Reliquiarum in aqua tingeretur, & ſibi pro medicina eadem aqua daretur hauriendâ: quo facto protinus eſt ſanata: quo utique exemplo civis & vicina noſtra Domina Alheidis de curia, a gravi corporis infirmitate eſt liberata.

9. Contigit quodam tempore, ut miles quidam, nomine Marquardus de Amſteten, cum aliis Chriſto devotis fidelibus ad tumulum Sanctorum proficiſceretur, & proch dolor! ab hoſtibus ſuis in via occideretur. Et cum uxor ejus præ dolore, quem de nece mariti ſui contraxerat, Sanctorum Reliquiis crebro maledictis [2] derogaret; imago ipſius interfecti cuidam religioſæ fœminæ in viſione apparuit. Qua de ſtatu ejus inquirente, ſubtriſtis reſpondit: Ab ea hora qua ſum interfectus, ope Sanctorum, ad quos venire cupiebam, in pace quievi; ſed nunc propter uxoris meæ maledicta requies mea eſt turbata. Unde ſuppliciter obſecro & moneo, ut ipſa a ſtultitia labiorum quieſcat: & duos inſtar ſtaturæ meæ cereos pro requie mea conficiat, quos etiam ad tumulum eorundem Sanctorum pro me cum devotione accendat, vel accendi faciat. Aliud quoddam [3] famoſum & memoria dignum in Sanctorum tumulo contigit ſignum [4]. Nam quidam in Sancto Ypolito civis, nomine Sifridus calcifex, dolore oculorum correptus, & in cæcitatem redactus, ſpe luminis ad Reliquias Sanctorum acceſſit, & ut viſum reciperet, cum lacrymis ſuppliciter exoravit. Cumque poſt aliquod tempus miſeratione Dei & Sanctorum viſum recepiſſet, quadam nocte ſimpliciter quidem, ſed tamen ut videtur temere, Reliquias contingere & oculos circumlinire præſumpſit: & (quod mirum dictu) mox priſtinam cæcitatem incidit. Sed quid miſer ageret? Temeritatem mentis & manus ſuæ confeſſus eſt, ſemetipſum Deo & Sanctis pro voto vovit, pœnitentiam egit; denique iterum miſerante Deo & Sanctorum interventu viſum gloriose recepit. Pari modo cuidam adoleſcentulo ſimilia præſumenti contigit, qui fuerat paralyticus [5].

10. Item duo filii cujusdam vicini noſtri de Sprecern, viribus tibiarum & pedum deſtituti, ita ut unus a feſto S. Jacobi usque ad Purificationem; alter vero a Nativitate Domini debilis manibus parentum geſtaretur, in Purificatione S. Mariæ ad Reliquias Sanctorum ſunt ſanati, adeo quod propriis viribus ad propria repedabant. Item vir quidam de Hiſper, nomine Hainricus, habens filium viribus tibiarum omnino deſtitutum, & filiam per duos annos prorſus cæcam. Pro ſalute ipſorum vovit Domino & Sanctis votum, ut ad tumbam ipſorum deferret. Quos cum in grabato poſuiſſet, & etiam ad tumbam Sanctorum deferre laboraret, cum adhuc in via eſſet; ecce ſubito gratia Dei, & eorum, quos invocaverat Sanctorum, & quibus votum pro ſalute eorum voverat, ambo ſunt curati. Nam filius, qui vocabatur Jordanus, per triennium ſanguinis profluvium paſſus, ſanitatem eſt adeptus: & filiam quoque, Perchtam nomine, clarum recepiſſe viſum, perſpicue probatum eſt. Alia quædam mulier de Lengenpach, multo tempore ſurdis auribus anxiata, Dei gratia & Sanctorum interventu recepit auditum. Item vir quidam de Pochſendorf, nomine Rugerus, medullis tibiarum evaneſcentibus, greſſus uſui reſtitui per Sanctorum merita recepit.

11. Alia mulier quædam Wiennenſis, multis annis oculorum lumine privata, veniens ad tumbam, per Dei gratiam & Sanctorum merita eſt illuminata; ſed clanculo ſine gratiarum actione ingrata receſſit: divinitus tandem correpta & præmonita, gratias Deo & Sanctis actura cum voto ad Sanctos eſt reverſa, & gratiam ſibi collatam univerſis, qui tunc aderant, cum pœnitentia reatus ſui manifeſtavit. Similiter alia quædam Wiennenſis mulier, adducta ſecum filia ſua cæca, ad tumulum Sanctorum orans, & mora curationis deſperans, poſt triduum rediens cum filia in navi, & civitati ſuæ jam vicina, audivit a filia dudum cæca: Domina mater, ecce video manus, te quoque & omnia, quæ oculis meis videnda offeruntur. Quæ utique, aſſumpto marito cum aliis plerisque proximis ſuis, Deo & Sanctis gratias actura cum magna devotione eſt reverſa, adeo quod diem Inventionis Sanctorum impoſterum ſe per jejunium in pane & aqua celebrandam [1] devovit. Accidit alio tempore, videlicet in Paſſione Domini, ut quidam vir honeſtus & timens Deum, nomine Reimpoto de Aizinſtal & uxor ejus, filiam ſuam Gedrut a Dæmonio graviter arreptam, triſtes & gemebundi ad tumulum Sanctorum deferrent: quam etiam Sanctorum interceſſionibus & fratrum orationibus devotiſſime commendantes, cum eſſent liberis orti parentibus, cenſum v. denariorum Deo & eisdem Sanctis libera manu tradiderunt, & liberata eſt, Amen. Et cætera plura, quæ cottidie contingunt.

[1] *Boll.* Smeinsdorf. [2] *Boll.* maledicens. [3] *Boll.* quod tam. [4] *Boll.* ſigno. [5] *hactenus Boll. editio.*

[1] *pro* celebraturam.

ANONYMI LEOBIENSIS CHRONICON LIBRIS SEX COMPREHENSUM, A CHRISTO NATO USQUE AD ANNUM EJUSDEM MCCCXLIII;

NUNC DEMUM EX ABDITO AC TENEBRIS IN LUCEM EVOCATUM, EX COD. MS. INSIGNIS BIBLIOTHECÆ CLAUSTRO-NEOBURGENSIS.

ACCESSIT BREVIS CONTINUATIO AB ANNO MCCCXLV AD MCCCXLVII,

EX EODEM COD. MS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

OMnibus veſtigiis indagantibus nobis, ecquis tandem, aut cujus nominis conditionisve hic Auctor eſſet, qui præclarum hocce Chronicon litteris conſignavit, nihil penitus ſat firmum ac certum occurrit, præterquam quod Leobio, Styriæ ſuperioris urbe ad Muram fluvium adſita, quam vete-res Styri vulgo *Leuben*, hodierni *Leoben* appellant, vel oriundum illum, vel certe longo tempore commoratum ibidem fuiſſe, cum operi ſuo inſudaret, ex pluribus Chronici locis non difficulter colligi poſſet. Res enim eventusque ſingulares laudatæ civitatis adeo diſtincte ſingillatimque non uno loco exponit, ut appareat eos nonniſi ab ejusdem cive, aut plurium annorum hoſpite ſciri ſcribive potuiſſe. Qua de re legeſis annos 1215. 1268. 1281. 1284. 1304. 1309. 1316. & 1340. Ex quibus ea maxime in rem noſtram faciunt, quæ ad annum 1316. refert in hunc modum: *Anno ſupra dicto a Nativitate Chriſti usque ad Purificationem Beatæ Mariæ apparuit Cometa..... Hic quamvis per mundum plura ſignificaverit; tamen duo manifeſtiſſima nobis memoriter recognoſco; quod eodem anno per plura regna pecora bovina valde communiter ex peſtilentia morerentur: & inundationes inauditæ & inopinabiles ſunt ortæ, ita quod in terra Stiriæ Muræ fluvius quatuordecim pontes deſtruendo evertit, & niſi iſte in Leuben cum paucis aliis remanſit &c.* Quæ poſtrema verba, ni nos omnia fallunt, Anonymum noſtrum aut domo Leobienſem fuiſſe, aut ſaltem diutius in eadem Urbe moras traxiſſe propemodum demonſtrant. Eaque ipſa nos permoverunt, ut cum alias de genuino Auctoris nomine nihil omnino nobis conſtaret, eundem ſub *Anonymi Leobienſis* nomine hoc loco exhibere-mus. Ad conditionem vero illius quod attinet, vehemens nobis inſidet ſuſpicio, eundem ex Ordine Fratrum Prædicatorum extitiſſe: quippe qui Sanctorum, aliorumque jam memorati Ordinis Virorum illuſtrium res geſtas, & Monaſteria in Ducatu Styriæ extructa cæteris amplius uberiusque pro re nata denarret, ut patet ex annis 1205. 1217. 1222. 1236. 1239. 1254. 1275. 1281. 1284. & denique 1304. Hic ea tantum commemorare juvat, quæ paulo poſt initium anni 1281. de Dominicanorum in urbem Leobienſem introductione notat Auctor his verbis: *Iſto anno*, inquit, *in die Kathedræ S. Petri receptus eſt a primo conventus Prædicatorum fratrum in Leuben in terra Stiriæ, ſub Rudolfo Rege Romanorum, ac ſub Friderico Salzpurgenſi Metropolitano, nec non ſub Alberto Duce Auſtriæ & Domino terræ.* Itemque quæ ſub finem anni 1284. de eodem Leobienſi Ordinis Dominicani Monaſterio diſertis hiſce verbis enarrat: *Iſto anno in Capitulo generali VViennæ confirmatus eſt Conventus in Leuben Fratribus Prædicatoribus a fratre Johanne totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro, & hoc in feſto Pentecoſtes; cum eodem anno antea in Quadrageſima ipſa Domus Fratrum in Leuben a proprio igne omnino eſt exuſta.* Hæc ſingularis prorſus & accu-

accurata Monaſterii Fratrum prædicatorum Leobienſis deſcriptio admodum credibile facit, Chronographum noſtrum in eodem Cœnobitam vixiſſe. Porro de ipſius ætate liquet ex fine Chronici; ubi ad calcem anni 1343. Hiſtoriam ſuam concluſurus: *Ego*, inquit, *futura relinquens poſteris melius annotanda finem faciam ſermonis, & ſiquidem bene, & ut hiſtoriæ competit, & ipſe velim*, &c. Ex quibus elucet, eum ſub medium circiter ſæculum decimum quartum, nempe principatu Alberti Ducis Auſtriæ Secundi, quem *Contractum* vulgo vocant, floruiſſe. Nec quempiam moveat, quod ad annum 1297. ſcribat, hyemis tempore violas florentesque per Auſtriam arbores ſe vidiſſe. Id enim totidem verbis de Chronico Clauſtro-Neoburgenſi deſcripſit, quod apud eos Scriptores haud inſolens eſt, qui vetuſtiorum ſe Chronographorum dicta perſæpe adoptare, ſuasque lucubrationes eorundem verbis atque ſententiis venuſtare ac locupletare conſueverunt.

II. Anonymus hic Auctor Opus ſuum in ſex omnino libros partitus eſt, communi præfatiuncula, & hiſtoria ab ortu Chriſti usque ad annum ejusdem ſexcenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum, a quo Liber Primus initium capit, præmiſſis: quæ omnia (præter præfatiunculam) utpote proletaria & vulgatiſſima, magnam partem incerta, ac plerumque mendis gravioribus referta conſulto reſecuimus. Qua cauſa nec ipſum Librum Primum integrum hic exhibere viſum eſt, ſed inde duntaxat ea, quæ ad Hiſtoriam noſtratem propius attingunt, ſelegimus: reliquis, quæ ad eandem perparum aut penitus nihil conducunt, ſublatis, & a nemine (ut quidem ſperare fas eſt) cordato atque induſtrio rerum Auſtriacarum indagatore merito unquam jure deſiderandis. Itaque ab eo anno Chriſti, qui in Libro Primo nongenteſimus trigeſimus quintus eſt, editionem Chronici iſtius exorſi ſumus, utpote in quo rerum Auſtriacarum prima fit mentio. Quæ deinceps proxime dictum annum conſequuntur, religioſe retinuimus; excluſis ſolis annis vacantibus, qui, ne bonis chartis abuteremur, prætermiſſi a nobis fuere. Cæterum hic Anonymus, etſi ſubinde temporis annorumque ſeriem interturbet, eademque diverſis in locis recoquat; magnopere tamen vel ideo commendandus eſt, quod Auſtriacam, Styriacam atque Carinthiacam ſæculi decimi tertii exeuntis, & inſequentis medii decimi quarti Hiſtoriam copioſe ubertimque perſcribat. Quo nomine cæteris fere omnibus, qui eorundem temporum acta in litteras retulerunt, eum merito præferendum exiſtimamus. Quanquam inficias non eamus, eum præter ea, quorum ipſe vel oculatus vel auritus teſtis fuit, ex aliis quoque Vetuſtis Hiſtoricis permulta fuiſſe mutuatum; maxime vero ex Clauſtro-Neoburgenſi Chronographo, & Johanne Abbate de Victoria, Ordinis Ciſtercienſis in Carinthia, quem genuinum Chronici Carinthiaci a Gerardo de Roo in apparatu Annalium Auſtriacorum laudati Auctorem eſſe gravibus ex cauſis autumamus. Ac de Chronico quidem Clauſtro-Neoburgenſi dubitare is minime poterit, qui hoc opus cum Anonymi noſtri lucubratione comparare voluerit; quantumvis in annorum notatione alter ab altero non raro diſcedat. Sed nec minus certum videtur, ab Auctore noſtro laudatum Abbatem Johannem Victorienſem magnam partem excerptum defloratumque fuiſſe, quemadmodum ex utroque Scripto inter ſeſe collato liquido deprehenſum a nobis fuit. Quoniam vero de hoc Joanne, Auctore plerisque hactenus incognito, ſermo hic incidit, operæ pretium fuerit, de ejus Chronico, quod germanum Carinthiacum nobis videri ſupra innuimus, pluribus Lectorem erudire. III. Ita-

III. Itaque Chronicon iſtud Carinthiæ, quod penes nos habemus, manu ſæculi decimi quarti in codice chartaceo deſcriptum, tot lituris correctionibusque tum in ipſo contextu tum in oris inductum eſt, ut prima Auctoris compoſitio rudisque deſignatio non injuria eſſe videatur. Fuitque id idem præter difficillimum lectu characterem in cauſa, ut a nobis integrum exſcribi minime potuerit. Ejus initium ducitur a Friderico Imperatore II his verbis: *Anno Domini* MCCXVII. *Fridericus II, Heinrici VI filius, Siciliæ Rex & Sueviæ Dux, ex Conſtantia Rogerii Regis Siculorum filia, a Principibus ſub Innocentio III concorditer electus* &c. Integrum vero opus deſinit in anno MCCCXXXIX. hunc in modum: *In hiis ergo tribus ſpes Auſtralium habetur tota, exultantes, quod hæredes habere meruerunt naturales, ad quos Virgilii verſus mitto, qui dicit:*

Vivite felices, ſiquid mea carmina poſſunt.
Nulla dies unquam memori Vos eximet ævo.

Auctorem ipſius eſſe Johannem Abbatem de Victoria, quod Cœnobium eſt Ordinis Ciſtercienſis in Carinthia, incolis *Vitring* appellatum, diſcimus ex Præfatione Chronico præfixa ad Albertum Ducem Auſtriæ id nominis Secundum: quam, utpote lituris liberam, atque adeo expeditioris certiorisque lectionis, integram hic dare Lectori libuit; ut ſiquando is in aliud ejusdem Chronici exemplar manuſcriptum inciderit, quod (ut ſæpe uſuvenit) præfatione deſtitutum eſſet, ex ea, a quo ſit Auctore compoſitum, pernoſcat; ſicque integrum aliquando Germanicæ hiſtoriæ bono publicos in uſus evulgari poſſit. Præfatio vero ſic habet:

IV. *Excellentiſſimo Principi Domino Alberto, Dei gratia Duci Auſtriæ, Stiriæ & Karinthiæ, frater Johannes de Victoria Abbas indignus, ejus devotus Capellanus, orationum ſuarum libamina cum ſalute ſubditorum, in præſenti providenter regere, atque in futuro cum Principibus ſedere, & ſceptrum gloriæ in æternitatis ſolio poſſidere. Rex Aſſuerus, ſicut in veteribus legitur hiſtoriis, qui regnavit ab India usque Æthiopiam ſuper centum & viginti ſeptem provincias, dum quandam noctem duceret inſomnem; juſſit afferri & legi eo præſente priorum temporum hiſtorias & annales, ne otio marceſceret, & ut tempus gratiæ ſoporis deputatum interruptione ſtudii recrearet. Nam, ut ait Seneca*, Otium ſine litteris mors eſt, & vivi hominis ſepultura. *Octavianus Auguſtus, ut ſcribit Eutropius, liberalibus ſtudiis proſam eloquentiæ inaminiculavit, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin ſcriberet, legeret, declamaret: ſciens hoc Reipublicæ utile, Principem decere, maximam oblectationem animi generare. Unde Horatius:*

Hoc opus, hoc ſtudium, parvi properemus & ampli,
Si patriæ volumus, Si nobis vivere cari.

Theodoſius Chriſtianiſſimus Imperator, ut in geſtis Romanorum habetur, miniſteria laſciva pſaltriasque lege prohibuit commeſſationibus adhiberi, litteris mediocriter doctus, ſagax, plane multumque diligens ad noſcenda geſta Majorum: execrabaturque, cum legiſſet ſuperbiam dominantium, præcipue perfidos & ingratos. Cernitis, o Clariſſime Princeps, quantam ſedulitatem habuerint Principes prioris ævi in ſtudio litterarum, quod gubernat ſapientiam, per quam Reges regnant juxta Salomonem, Principes imperant, legum conditores juſta decernunt: quod Philoſophiam informat, quæ ab Iſidoro diffinitur, Rerum Divinarum ac humanarum cognitio, *quam depingit Boëtius, dextra libros, ſiniſtra ſceptrum geſtantem; res Divinas per libros, humanas per ſceptrum imperialiter diſponentem. Quæ, ſecundum eundem*, dudum Platonis ore ſancivit, beatas fore Respublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſa-

pientiæ regerent, vel earum Rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. *Ex ipſa enim procedit conſiliorum moderatio, judicioram trutinatio, bellorum æſtimatio, hoſtium propulſatio, legum promulgatio, malorum caſtigatio, bonorum remuneratio, officiorum ordinatio, in politia oculi, & in corpore Reipublicæ disjunctorum membrorum adunatio. Per quam morum labes reprimitur, virtutum claritas acquiritur, tempus bonis actibus inſtruitur, vita componitur, deſiderium accenditur, faſtidium tollitur, anima paſcitur, & quaſi terra germinans ſtillicidiis roralibus irrigatur. Placuit igitur, quia ad hoc fervet affectio cordis, Virorum illuſtrium ac Majorum dicta & facta memorabilia aliqualiter recenſere, qui quaſi naves poma portantes tranſierunt, & odorem ſuæ memoriæ in noſtro littore reliquerunt, ſaporem vero præſentia ad litus aliud transtulerunt; ut eorum contemplatione animus in ſpeculabilibus incaleſcat, in agibilibus non tepeſcat. Unde Mathathias Princeps, & ſuæ civitatis clariſſimus, filios ad actus virtutis armans dicit:* Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. *Et Salluſtius teſtatur, præclaros Viros Civitatis Romanæ ſolitos dicere vehementer ſibi animum accendi ad virtutem, cum Majorum imagines intuerentur. Exordiar ergo ſcribere de hiis nonniſi, quæ repperi in libris eorum, qui geſta Virorum illuſtrium texuerunt; ſeu quæ percepi ab illis, qui eorum factis præſentialiter affuerunt, vel per relationem veridicam didicerunt; ſive quæ ipſe vidi, & meo tempore contigerunt. Ex quibus quaſi qui per pratum tranſit, de diverſis floribus faſciculum congregavi, quem non murenulis aureis argento vermiculatis, id eſt ſapientia cothurnata, vel eloquentia phalerata; ſed ſermone ſimplici coloratum de ſarcinulis meæ paupertatis Veſtræ præſtantiæ dedicavi: limam correctionis Vobis offerens, ut quod minus fuerit, addatis, & quod ſuperfluum, abradatis. Eſt autem congeſta materia de Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ Ducibus propter genealogiam Veſtri generis introductis, cum diverſis Incidentibus ad propoſitum narrationis & temporis obſequentibus intermixtis, ſub decurſu annorum centum & viginti vel paulo plus Lectori exhibens humanæ vitæ brevitatem, naturæ fragilitatem, fortunæ inſtabilitatem, labilem & tranſitoriam mundanæ gloriæ varietatem, ut patet in ſingulis capitulis ſubnotatis. Decorem ordinis, & venuſtatem ſtyli in narrando ad illum devolvere dignum duxi, de quo Horatius dicit:*

Res geſtæ Regumque Ducumque & triſtia bella
Quo poſſint numero ſcribi, monſtravit Homerus.

Hæc de Johannis Abatis Victorienſis Chronico Carinthiaco notaſſe ſufficiat. Supereſt, ut de Codice manuſcripto, ex quo præſens Anonymi Leobienſis Chronicon erutum a nobis fuit, pauca nunc diſſeramus.

V. Manuſcriptum hunc Codicem, qui partim membraneus, partim chartaceus eſt, una eademque ſæculi decimi quinti (ut videtur) manus exaravit; ſed ita nonnunquam mendoſe corrupteque, ut ſententiam vel truncatam vel vehementer perplexam efficiat. Deſunt quoque variis in locis nonnulla, neque annorum ſeries, rerumque geſtarum narratio ubique ſatis accurata: quibus omnibus incommodis ubique mederi noſtræ opis haud fuit, utpote qui alio manuſcripto exemplari carebamus; quanquam non ſemel id præſtare conati fuerimus, uti ex notis in marginem conjectis videre eſt. Pæne obliti eramus hic obiter obſervare, Matthæi Pappenheimii Chronicon Auſtrale, quod a Marquardo Frehero tomo I. Rer. German. Script. primum

mum vulgatum, Cl. Burcardus Struvius ope Codicis Neoſtadienſis auctius in altera Freherianæ Collectionis editione nuper recudi curavit, ex Leobienſis iſtius Anonymi Commentariis, aliisque, quos in ſuperioribus protulimus Rerum Auſtriacarum Scriptoribus, potiſſimum conſarcinatum compilatumque fuiſſe. Quæ quidem poſtrema Struvii ſtudio curaque adornata editio utut primæ Freherianæ ſine dubio longe præſtat, quot tamen quantisque & ipſa infecta ſit nævis, Lectores noſtri tum demum intelligent, ubi eos ſubjectam Anonymi noſtri Leobienſis Hiſtoriam attente perlegere, eamque cum illa contendere non piguerit. A nobis (ut equidem ſperamus) exiget nemo, ut indicandis quibusque locis, qui in utraque Chronici Auſtralis editione corrupti leguntur, diutius immoremur, ut quibus ad parandum hocipſum qualecunque opus noſtrum vix ſatis otii conceſſum fuit. Quin potius ſatis omnibus a nobis factum eſſe confidebamus, dum neglectis hujusmodi rhapſodiis, maleque conſutis centonibus, fontes ipſos bona fide ſummaque cura Lectori noſtro propinaremus. Sed jam tandem Anonymi noſtri Leobienſis Chronicon, in quod prolixius fortaſſis, ac par erat, præfati ſumus, in medium proferendum eſt, quodque cum in ſequentibus tribus Antiquitatis Auſtriacæ Monumentis, annitente Admodum Reverendo ac Religioſo Domino Eugenio Pirklbauer Bibliothecario Clauſtro-Neoburgenſi, ab ejusdem Reverendiſſimo Domino Præſule Erneſto conſecuti ſuimus.

ANONYMI LEOBIENSIS CHRONICON.

INcipit Cronica ab Incarnatione Domini, & A geſta Principum Sacerdotum, id eſt ſummorum Pontificum novæ legis, & etiam Imperatorum omnium Romanorum.

PRÆFATIO AUCTORIS.

CHriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius &c. Chriſtus Jeſus, Deus & Dominus noſter, Filius Dei, Verbum Patris, homo factus, aſſiſtens Pontifex pro peccato totius generis humani ſemel introivit in ſancta, æterna redemptione inventa. Hic Jeſus, Deus & homo, naſcitur ex perpetua Virgine Maria in Bethlehem Judæ, nocte diei Dominicæ, dum eſſent completi anni ab Adam MMMMMCXCIX *ſecundum Septuaginta Interpretes; a conditione vero Urbis Romanæ tunc erant completi* DCCLII, *ut habetur in hiſtoriis & Cronicis Romanorum. In die autem nativitatis Jeſu Chriſti corruit ſtatua aurea ipſius Romuli: ipſe enim Romulus in palatio, Romuliano dicto, erexerat ſtatuam, dicens, Hæc ſtatua non cadet, donec virgo pariet, & hoc fuit in Urbe Romana. Erat etiam tunc Romæ famoſa taberna trans Tyberim, quæ dicebatur Emeritoria, ideo, quia ea quæ pugnantes ſuis ſtipendiis meruerant, ibi ſolatio expendebant: ex qua taberna ab hora nativitatis Chriſti usque per totam diem natalem ejus fons olei erupit, ac per totam diem largiſſimo rivo fluxit usque in Tyberim. Romæ etiam die illa corruit templum Pacis, & alia ſigna facta ſunt illa die, ſicut habetur ſupra in Infantia Salvatoris, ubi etiam agitur de quindecim ſignis nativitatis Chriſti.*

Annus primus Nativitatis.

Natus eſt autem Dominus Jeſus anno Octaviani Auguſti XLII, *die vero octavo a nativitate ſua circumciſus eſt ſecundum legem. Eodem anno &c.*

Incipit Primus Liber de Ortu Karoli Magni, & quibusdam geſtis ſuis.

DCLXXVII. Sub Gregorio Secundo Dagoberto Francorum Rege & Pipino &c.

CMXXXV. *Primus Marchio Auſtriæ.*

Lipoldus Primus Marchio in Auſtria poſt Rugerum de Præclara.

CMXXXVII. Tempore Ottonis Secundi floruit Sanctus Adalbertus, natione Bohemus, prius Pragenſis Epiſcopus, poſtea Deo revelante Pannoniam intravit, & primum Regem Ungarorum, ſcilicet Stephanum Sanctum, cum multis aliis baptizavit. Deinde per Poloniam tranſiens, eosque in fide confirmans, in Pruſſiam veniens martyrio eſt coronatus; ſed tamen dicitur, quod in Pannonia ſit ſepultus.

CMXXXIX. Hoc tempore pugna inter Adalbertum & Cunradum committitur: in qua Cunradus [1] germani fratres occiduntur. Adalbertus perfidia Hattonis Archiepiſcopi & cujusdam Leupoldi deceptus, Ludwico jubente decollatur. Bavari ab Ungaris occiduntur. Ungari Saxoniam & Duringiam vaſtant.

CMXLI. Hoc tempore Otto Magnus Heinrici filius regnavit annis 37. Ungari Franciam, Alamanniam, Galliam usque ad Oceanum, & Burgundiam devaſtantes per Italiam redeunt.

CMXLIII. Hoc tempore Synodus triginta Epiſcoporum apud Iggebenheum [2] coram Ottone & Ludwico Regibus congregatur. Co-

[1] *Locum hunc ex Chron. Hermanni Con. ſic lege:* Anno DCCCCVI. Pugna inter Adalbertum & Chuonradum committitur, in qua Chuonradus occiditur.

[2] *leg.* Engelinginheim, Engelinheim, *ſeu* Ingilnheim.

metæ 14. [1], apparuerunt, & mortalitas animalium facta est.

CMXLIV. Hoc tempore Beringerus apud Augustam Ottoni ad benedictionem [2] venit. Ignitus lapis quasi massa candentis ferri ab occidente venit volitans, & Draco visus est, & Otto quinto cum filio Italiam intrat, ac Regales nuptiæ Papiæ factæ sunt.

CMXLVI. Hoc tempore Hungari Noricam, Franciam Italiamque petunt. Eodem anno Ungari totam Bavariam depopulantes, juxta Augustam urbem Deo juvante ab Ottone Rege magna cæde necantur IV Idus Augusti.

CMXLVIII. Benedictus Papa sedit mensibus 2. diebus 5. & cessavit Episcopatus diebus 20. Hic, cum a Clero Leo in Papam esset electus, a Romanis quibusdam ipse Benedictus subintroducitur. Sed Otto pro eo Romam obsedit, & Benedictus sibi traditur, & Leo restituitur. Benedictus in Saxonia moritur in exilio, & Ambruch [3] sepelitur.

CML. Leo Nonus sedit anno uno, mensibus 4. & cessavit diebus 7. Hic propter malitiam Romanorum statuit, ut nullus Papa fieret, nisi assensu Imperatoris.

CMLII. Johannes, natione Januensis, sedit annis 7. mensibus 11. diebus 15. & cessavit diebus 13. Hic a Petro Præfecto urbis Romæ comprehensus, in castello S. Angeli est trusus, deinde in Campaniam in exilium est missus; sed post 10. menses & 28. dies reversus est Romam, & de persecutoribus ejus Otto Imperator sumpsit supplicium. Nam Nobiles Urbis, quos culpabiles invenit, alios trucidavit, alios laqueo suspendit, quamplures in exilium ad Saxoniæ partes misit.

CMLIII. *De Ottone Imperatore.*

Otto imperat sub Ulrico Sanctissimo Præsule Augustensi pugnans contra Ungaros prope Licum, & insequens eos, duos Reges eorum Assur & Lelium suspendit in patibulum Ratisponæ.

CMLV. Benedictus VI. natione Romanus, sedit anno uno, mensibus 6. & cessavit diebus 10. Hic in castello S. Angeli est strangulatus absinthio [4].

CMLVII. Donus sedit anno uno, mensibus 6. & cessavit diebus 2.

CMLVIII. *De Ottone Imperatore.*

Otto Ottonem filium suum Aquisgrani coronavit, & ingressus Italiam a Johanne Papa coronatur. Berngarium obsedit, & filium ejus in Corsicam insulam effugavit Imperatore abscedente Papa ad partes Berngarii declinavit. Imperator cum Episcopis Italiæ & Germaniæ, præsente Patriarcha Angelsuedo [4], Johannem deposuit, Leonem substituit, Berngarium cepit, & cum uxore, Wyla nomine, in Bavariam retrusit in exilium: ubi ambo moriuntur, & in Babenberg tumulantur. Postea Romanorum maximam multitudinem interfecit, & centum obsides cum jurejurando recepit: quia mortem ejus meditabantur, & transiit in Spoletum. Romani mox Leonem expellentes Johannem quantocius introducunt. Interea Johannes moritur, & Benedictus eligitur a Romanis. Imperator rediens urbem obsedit, & pressam incredibili fame cepit, Leonem restituit, 13. Majores post Præfectum suspendit: & filio suo Ottone coronato a Leone, Benedictum in Saxoniam secum duxit, ubi moritur, & in Babenberg sepelitur. Imperator Græcis in Calabria & Apulia superatis, & Italia pacata ad plenum Theutonicorum dominio adunata, reversus in Martinopoli moritur, & in Maydburgensi Metropoli civitate sepelitur, in Ecclesia S. Mauritii, cujus corpus ab Agauno dicitur transportasse.

CMLIX. *Miraculum de Udone Archiepiscopo.*

In hac Ecclesia contigit, quod Episcopus civitatis, nomine Udo, Abbatissam loci carnali fœdavit commercio, quousque vox diceret versum: *Fac finem ludo, quia lusisti satis Udo.* Qui non destitit. Visus est enim S. Mauritius Summo Judici querulari. cui per Angelorum ministeria Christo Judice præsidente caput amputatur, & anima cum corpore per Dæmones ad infernum deportatur.

CMLXI. Bonifacius Papa VI. sedit mense uno, diebus 12. & cessavit diebus 20. Hunc Romani suffocato Benedicto VI. Papam fecerunt. Qui postea non valens in urbe subsistere, deprædata Ecclesia S. Petri omnibus pretiosis, fugit in Constantinopolim. Tandem Romam cum magna pecunia rediens cum proficere non posset, Johanni Diacono Cardinali oculos eruit, & ipse deinde subito extinctus est.

CMLXIII. Benedictus Papa VII. sedit annis 8, mensibus 6. & cessavit diebus 5. Hic Ottonem Secundum coronavit in Imperatorem. Hic Papa, natione Romanus, ex favore Imperatoris multos ex Romanis captivare fecit.

CMLXV. Johannes Papa XIV. sedit mensibus 8, & cessavit diebus 10. Hic affligebatur fame ab adversariis tam diu, donec moreretur.

CMLXVII. *De Secundo Ottone Imperatore.*

Otto cum filio suo Ottone imperavit annis 20. Hic cum Græcos in Calabria incaute persequeretur, amissis militibus vix de manu eorum exilivit, deinde exercitum congregans Beneventum obsedit. Qua capta ossa beati Bartholomæi (ut dicitur) inde asportavit, & Romæ in insula in quadam concha collocavit, volens in terram suam transferre; sed præventus morte, istæ Reliquiæ ibi Romæ permanserunt usque hodie. Sed ejus filius Otto in Saxonia derelictus cum Regina, per Italiam cum exercitu magno venit Romam, ibique a Benedicto VII. cum gaudio in Imperatorem est coronatus, & Otto Secundus est dictus, & summa pax inter Imperatorem & Papam fuit. Accidit autem, quod in eodem tempore Agareni & barbari Calabriæ fines ingressi omnia vastabant, contra quos Imperator cum Romanis & Beneventanis processit. Sed Beneventanis & Romanis terga vertentibus, Imperator solus ad mare perveniens rogavit nautas, ut in navim eum reciperent, asserens se militem esse. In navi autem cognoscentes ipsum esse Imperatorem, Græce loquebantur, quod vellent eum ducere Constantinopolim

[1] *supple* noctes. [2] *leg.* deditionem. [3] *leg.* Hamburg. [4] *sic MS. leg.* a Cencio *seu* Cintio. [4] *legendum videtur* Engelfredo, Endelfredo seu Hengelfredo Vid. Ughell. Ital. *Sacræ* tom. 5.

polim ad Imperatorem ſuum. Quod Imperator intelligens & dolens, circumvenit illos, aſſerens ſe magnam pecuniam abſconditam in Sicilia habere, rogavit nautas, ut ibi tenderent, & accepta ibi pecunia properarent fugiendo. Hoc ſibi nautæ crediderunt; & venientes ibi, vidit Imperator Epiſcopum in littore, nomine Celſum, in armis; & invocato ipſius adjutorio omnes nautas, numero 40, trucidavit per virtutem S. Petri Apoſtoli, quem Imperator ſollicite & quotidie invocabat. Tandem Imperator Romæ obiit, ſepeliturque apud S. Petrum cum honore.

CMLXIX. Hoc tempore Albertus Pragenſis Epiſcopus Stephanum Regem Pannoniæ baptizavit, & tranſiens ad Prutenos, prædicans verbum Dei martyrio coronatur.

CMLXXI. Floruit his diebus Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, qui inter alia *Stirps Jeſſe Solem juſtitiæ* Reſponſoria, & hymnum *Chorus novæ Jeruſalem* decantavit.

CMLXXIII. Johannes Papa XV., natione Romanus, ſedit menſibus 4, & ceſſavit die uno.

CMLXXV. Johannes XVI. natione Romanus, ſedit annis 10. menſibus 7. & diebus 10. & ceſſavit diebus 6. Hic Papa multos libros compoſuit. Hunc Creſcentius Patricius & Conſul urbis fugavit de urbe in Tuſciam. Sed Creſcentius cognito, quod Papa pro Ottone Imperatore miſiſſet, timuit, & miſit pro Papa. Veniente autem Papa ipſe Creſcentius cum Senatu ad pedes Papæ veniam poſtulavit, ſicque Papa facta pace Romæ eſt defunctus.

CMLXXVII. Hoc tempore eclipſis Solis facta eſt xi. Kal. Decembris. Signum quoddam his temporibus ignei coloris apparuit. Eodem etiam anno Synodus apud Ingelenhim propter Adalbrionem S. Udalrici nepotem colligitur.

CMLXXIX. Hoc tempore S. Udalricus Auguſtenſis Epiſcopus anno ætatis 83. Epiſcopatus vero 54. Nonis Julii feria ſexta migravit ad Dominum.

CMLXXX. Hoc tempore Marchiam, Auſtriam videlicet, tenuit Heinricus Secundus, filius Leupoldi. Eodem anno Theopanta Græca Imperatrix, mater Ottonis Regis, anno viduitatis nono obiit.

CMLXXXII. *De Tertio Ottone Imperatore.*

Otto Tertius imperavit annis 19. hic fuit Secundi, Ottonis filius, hic a Gregorio V. Papa eſt coronatus. Hic corpus S. Paulini Epiſcopi de Benevento Romam detulit. Reverſo vero eo in Saxoniam, Creſcentius Conſul & Patricius Romanorum Gregorio Papa fugato, fecit Johannem Græcum Papam, qui fuerat pecuniоſus. Quod audiens Imperator ad urbem Romanam cum furore regreſſus, Creſcentium in caſtro S. Angeli tam diu obſedit, quousque ipſum cum caſtro captum capite truncavit; ipſum vero Johannem Papam oculis orbatum, membris cæteris debilitavit. Deinde ordinatis Imperii rebus aliquos Nobiles Romanos ſecum captivos duxit in Saxoniam, tandem brachium S. Adalberti de Pannonia Romam perduxit. Tandem Imperator cœpit Romæ conſtruere palatium in palatio Juliani; ſed Romanis reclamantibus, multis perſecutionibus illi illatis, poſt paucos dies vitam finivit. Et licet iſti tres Ottones per ſucceſſionem generis regnaverunt, tamen quia & ipſi Saxones, ſicut & Francigenæ in virtutibus decreverunt, & Eccleſiam non fovebant, imo potius laniabant; propterea Principes Germaniæ Electores alii ſex, videlicet Epiſcopus Treverenſis, Colonienſis, Maguntinenſis, Palatinus, Marchio, & Principes Bohemiæ conſpiraverunt contra Ducem Saxoniæ, qui etiam quaſi jure hæreditario voluit imperare, & unaniminter elegerunt Virum Sanctiſſimæ vitæ Hainricum Ducem Bavariæ in Imperatorem.

CMLXXXIII. *De multiplicatione Electorum Imperii.*

Et nota, quod Primus Karolus Imperator inſtituit tantum, ut quatuor Principes Germaniæ, ſcilicet Archiepiſcopus Colonienſis Cancellarius Italiæ, Magutienſis Archiepiſcopus Cancellarius Germaniæ[1], Palatinus Comes Dapifer Imperii de palatio Trevirenſi habens ortum (unde iidem Comites quondam dicebantur Majores Domus Franciæ, id eſt Nobiliores) hi quatuor tantum deberent Imperatorem eligere. Tandem Dux Saxoniæ, qui eſt portitor enſis Imperatoris, & Marchio Brandenburgenſis, qui eſt Camerarius Imperii, intereſſe electioni Imperatoris ſtatutum eſt. Primo ab Electoribus quatuor præcipuis, ſecundo ab Imperatoribus electis eſt confirmatum, ultimo autem & Rex Bohemiæ, qui eſt pincerna Imperatoris, etiam intereſſe eſt ſtatutum & confirmatum, unde verſus:

Maguntinenſis, Treverenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii fit Cancellarius horum,
Eſt Palatinus Dapifer, Dux Portitor enſis,
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.
Hi creant Regem, qui dat per ſæcula legem.

CMLXXXV. Tertius Otto Imperator cognominabatur *Mirabilia Mundi*, pater vero ejus dicebatur *Mors pallida Saracenorum*, vel *Sanguinarius*. Hic cum juxta Utinum eſſet quodam tempore conſtitutus, ab uxore ſua falſis de relationibus eſt inductus, ut quendam Comitem, cui ſe illa proſtituere voluit, juberet decollari. Sed ille Comes rogat ſuam uxorem, ut eum poſt mortem probet innocentem calentis ferri [2], quod tunc in uſu habebatur. Adeſt dies, in qua Cæſar præſidere vult judicio, & pupillis & viduis ſe exhibet judicaturum. Affuit & vidua Comitis, caput mariti ſui ſecum habens, quæſivitque, qua morte ſit dignus, qui injuſte aliquem peremit? Quo reſpondente, privatione capitis, inquit illa; Tu es ille. Quod dum per ferrum calens probavit, mira res! Cæſar in manu fœminæ ſe tradidit; interventu tamen Pontificum & aliorum Procerum decem dierum inducias impetravit. Sub quo ſpatio cremata eſt uxor Cæſaris, & viduæ quatuor caſtris datis, Cæſar vitam redemit. Iſte Otto Cæſar Aquisgrani eſt ſepultus.

CMLXXXVII. Ad petitionem Ottonis Ducis Karinthiæ Imperator Otto condonavit

[1] *deeſt hic aliquid in MS.* [2] *ſupple* contactu.

cuidam ſuo fideli, Ariboni nominato, quædam bona in Karinthia, ſcilicet in Nebnach, Glandorff, Peyſendorf, Malmoſitz &c. donans ſibi liberam voluntatem eadem bona ad vendendum, tradendum & commutandum. Qui Aribo illorum bonorum partem majorem Gozzenſis Eccleſiæ Abbatiſſæ ſorori ſuæ carnali tradidit; ut dicta Eccleſia ſemper in poſterum illa bona poſſideret.

CMLXXXIX. Imperator Heinrico Duci Bavariæ conſanguineo Alberti Comitis, quem Ludwicus Rex apud Babenberg præceperat decollari, poſſeſſiones latas tribuit & perpetualiter confirmavit, de quibus poſtea Epiſcopatus ibidem laudabilis eſt conſtitutus: & rebus bene geſtis, ſicut in vita S. Heinrici Imperatoris legitur, Romæ moritur; ſed juxta Cronicam Ottonis Friſingenſis Aquisgrani in Eccleſia Beatæ Virginis ſepelitur.

CMXCI. *De S. Stephano Rege.*

Hoc tempore S. Hainricus adhuc non Imperator, ſed tantum Dux adhuc Babariæ exiſtens, dedit Regi Ungariæ Beato Stephano ſororem ſuam, nomine Gyslam, in uxorem, & tam ipſum quam totum regnum ſuum ad fidem Chriſti convertit & roboravit. Ex eadem Gysla S. Stephanus genuit Hamricum [1] Regem ſui ſucceſſorem. Hic Hamricus poſtea tempore Papæ Johannis XX. cum vixiſſet cum ſua ſponſa caſte, & ambo virgines usque ad mortem ſuam permanentes, tam ipſe quam ipſa obiit miraculis coruſcando, ſicut & pater ſuus S. Stephanus.

CMXCIII. *De Rege Franciæ.*

Tempore Johannis Papæ XIX. floruit Rudbertus Rex Franciæ. Hic fuit tantæ devotionis, quod in feſtis ſæpe in aliquo Monaſterio propter devotionem & divinum officium manebat: & non ſolum cum Monachis cantabat, verum etiam cappa ſerica indutus chorum regebat. Unde cum quoddam caſtrum obſediſſet, dimiſſo exercitu propter quoddam feſtum Aurelianis veniebat. Et cum chorum regendo alta voce ter *Agnus Dei* flectendo genua incepiſſet, muri caſtri obſeſſi funditus corruerunt. Hic Rex fecit Sequentiam ex novo *Sancti Spiritus nobis aſſit gratia.*

CMXCV. Gregorius Papa V. natione Saxo, ex patre Ottone, ſedit annis 2. menſibus 5. & ceſſavit diebus 15. Hic Bruno ante dictus, cum eſſet conſanguineus Ottonis Tertii, ad inſtantiam ipſius Imperatoris in Papam eſt electus. Sed poſt parvum tempus Creſcentius in Papatu intruſit Placentinum Epiſcopum, natione Græcum de Conſtantinopoli pecunioſum, & nominavit ipſum Johannem; ſed propter hoc per Imperatorem gravem ultionem recepit.

CMXCVII. Johannes XVII. Papa ſedit menſibus 10. & ceſſavit diebus 20. Hic fuerat Placentinus Epiſcopus, & vivente Gregorio V. in Papatum per Creſcentium fuit intruſus; ſed tandem per Imperatorem Ottonem exoculatus eſt.

Milleſimus Annus ab Incarnatione Domini. *De Sancto Hainrico, Cunrado, & Hainrico filio ejus.*

Cap. VIII.

Beatus Heinricus imperavit annis 12. [1], menſibus 5., & ceſſavit Imperium annis 2. Hic dicitur Primus Hainricus ratione Imperii, ſed non ratione regni: quia alius Hainricus fuit antea, qui non Imperator, ſed Rex Romanorum tantum erat. Idem tene de Chunradis. Hic Hainricus prius erat Dux Bavarorum, & ipſo ibi Duce exiſtente, vidit ſomnium quadam vice, quod eſſet Ratisponæ in Eccleſia S. Wolfgangi, & quod deberet ibi in devotione facere veniam ad ſepulcrum S. Wolfgangi. Tunc vidit in pariete ſcriptum *Poſt ſex.* Ipſe evigilans credidit vivere ſex diebus, & nihil ultra: & fecit teſtamentum, & ditavit Eccleſiam Salczburgenſem ſicut & Ratisponenſem, & Patavienſem & Friſingenſem, & alia Cœnobia multis poſſeſſionibus. Poſtquam autem vixit ultra ſex dies, credidit ſe victurum ſex hebdomadas. Quas cum ſupervixit, putavit eſſe ſex menſes: quos cum ſuperviveret, interpretatus eſt eſſe ſex annos, in quibus tunc ex novo multa Cœnobia & Eccleſias fundavit, illis tribuendo ad neceſſitatem donaria. Cum autem ſex anni expiraſſent, electus eſt ab Electoribus Principibus Germaniæ in Imperatorem. Videns hoc Hainricus glorificavit Deum, qui timorem mortis mutavit ſibi in honoris conſolationem. Hic Imperator Chunegundem Virginem duxit in uxorem, & ambo Virgines ad mortem permanſerunt. Hic Imperator multa bella proſpere egit in Germania, Bohemia, Italia, & in Terra ſancta, eam recuperando; indeque propter honorem nominis ſui dilatatum Soldanus Rex Babiloniæ miſit ſibi digitum beatiſſimæ Katherinæ Virginis, quem quidam Monachus per devotionem ſuam in monte Sinai impetravit, ut ex integro ſepulcro & nusquam corrupto ipſius beatæ Katherinæ digitus præſentibus omnibus ſuper marmor tumbæ appareret. Quem recipiens ipſe Monachus cum gaudio & laude Divina in ſuum Cœnobium collocavit. Hic Imperator poſtmodum volens Deo vacare, cum eſſet Chriſtianiſſimus, Epiſcopatum Babenbergenſem fundavit, civitatem Babenbergam, quæ prius fuit S. Petri, pro Nartuenſi apud Papam commutavit, & ibidem digitum beatæ Katherinæ tribuens, ac plenus bonis operibus migravit ad Chriſtum, & ipſe cum S. Chunegunda in Babenbergenſi Eccleſia requieſcunt miraculis multis coruſcando.

MII. Silveſter II. natione Gallicus, ſedit annis 4. menſibus 2. diebus 8. & ceſſavit diebus 23. Hic Silveſter antea Gilbertus dictus, & primo erat Monachus. Tempore autem Papæ Benedicti VII. erat in Remenſi Eccleſia Archiepiſcopus Vir venerabilis, nomine Radulfus, de geneaſogia Karoli Magni, qui jam in regno Franciæ regnare ceſſaverat, propagatus. Quem Hugo tunc Rex Franciæ de alia proſapia genitus in corde odio habens, convocatis Epiſcopis allegans ipſum eſſe illegitimum, deponi curavit, & Gilbertum Monachum Philoſophum, imo potius nigromanticum, ſubſtituit. Quod Papa intelligens legatum miſit Remis. Concilio convocato Gilbertus deponitur, & Radulfus reſtituitur.

[1] *al.* Emmericum.

[1] *leg.* 23.

tuitur. Fuerat namque ipse Gilbertus primum Juvenis Floriacensis Cœnobii in Aurelianensi Diœcesi Monachus, sed dimisso Monasterio homagium Diabolo, [1], ut sibi omnia ad voluntatem succederent, quod Diabolus promisit adimplere. Frequenter vero in Diaboli obsequiis insistens, super desideriis suis cum eo loquebatur. Veniens autem in Hispalim Hispaniæ causa discendi, in tantum profecit, quod sua doctrina pluribus placeret. Habuit enim discipulos Ottonem III. Imperatorem, & Robertum Regem Franciæ (qui inter alia bona, *S. Spiritus assit nobis grátia*, sequentiam composuit) & Leothericum, qui postea fuit Archiepiscopus Senonensis. Scandit itaque Gilbertus per homagium, quod fecit Diabolo, ad diversos honores. Primo enim fuit Archiepiscopus Remensis, sed ibi depositus, ad Ottonem Imperatorem, qui quondam fuerat ejus discipulus, se transtulit; qui nacta opportunitate promovit eum in Ravenatensem Archiepiscopum, tandem factus est Papa Romanus, & *Sylvester II.* est dictus, unde versus: *Scandit ad R. Gilbertus ad R. post Papa potens R.* Tunc quæsivit a Diabolo, quam diu in Papatu viveret. Responsum habuit; quamdiu non celebraret in Jerusalem. Gavisus fuit, sperans ultra mare in Jerusalem non venire. Et cum in Quadragesima in Dominica *Lætare* [2] Latrianensi in Ecclesia S. Crucis, quæ dicitur Jerusalem, celebraret, ex strepitu Dæmonum sensit sibi mortem adesse, suspirans ingemuit. Licet antea sceleratissimus esset, de misericordia Dei non desperans, revelando coram omnibus sua peccata, membra omnia, quibus obsequium Diabolo præstiterat, jussit præcidi, & demum truncum mortuum super bigam poni: & ubicunque animalia sine vectore & rectore perducerent & subsisterent, ibi sepeliretur. Quod & factum est. Et est sepultum in Latrianensi, in quam ductus fuit per animalia, in signum misericordiæ consecutæ: sepulcrumque ejus tam ex tumultu ossium, quam ex sudore præsagium est morituri Papæ, sicut in eodem litteris est exaratum.

MIV. Johannes XVIII. Papa sedit mensibus 5. diebus 25.

MVI. Johannes XIX. natione Romanus de regione, quæ vocatur Porta [3] metropolis, sedit annis 5. & cessavit diebus 30. Hujus tempore floruit Rodbertus Rex Franciæ vita & scientia præclarus. Papa sepultus est apud S. Petrum.

MVIII. Tempore beati Hainrici Imperatoris erat in Teutonia quidam cæcus, qui in sermone quodam audierat prædicare, quod qui propter Deum aliquid relinqueret, centuplum acciperet; jumentum suum, scilicet vaccam, quamvis reclamante uxore sua, pauperibus tribuit. Contigit autem tandem, quod idem cæcus iret sicut semper consuevit ad matutinas, & in itinere pedem suum in tantum læsit trudendo, quod videbatur sibi in viribus deficere. Ait autem tunc servo suo ipsum ducenti: sustineas, donec tentem, quod læsit meum pedem: & per manum quæritando in terra invenit sacculum parvum, sed pondere gravem multum. Qui sustulit, & reversus domum uxori suæ præsentavit: quæ cernens in sacco aurum non cognovit; sed partem recipiens, ad quendam aurifabrum accedens. Qui ab ea emit sub specie æris aurum, [1] non cognoscere simulavit. Contigit autem hoc tempore, ut S. Hainricus Imperator in civitatem eandem veniret, & ibidem unum calcar aureum servus Imperatoris amisit. Dolente vero servo, ne Imperator fieret conscius; venit ad aurifabrum prædictum, & comparavit calcar aureum, qui fecit illud. Recedente vero Imperatore & calcaria recipiente; vidit, novum calcar, & ait: cujusmodi est hoc aurum? deposuitque calcar. At servus confessus, est, quod unum amiserat, & illud recomparavit. Imperator vero misit pro aurifabro, quærens ubi recepisset hoc aurum? qui prodidit cæcum. Uxor vero cæci quæsita, utrum de tali re aliquid plus haberet? quæ respondit, habeo, ostenditque summam, quam habuit adhuc in sacculo. Et Imperator cognovit aurum esse cœleste, non terrenum. Cæco villam unam, quæ usque hodie dicitur Plintendorff, dedit in perpetuum possidendam pro auro: & de auro fecit fieri calicem maximum, & propter magnitudinem fecit ad calicem fieri duas aures, per quas calix tolleretur in altum, & dedit hunc calicem Aystetensi Ecclesiæ beati Laurentii, ibidem Patroni. Per hunc enim calicem beatus Laurentius eripuit animam S. Hainrici post mortem ejus de statera judicii Dei, cum Diaboli ex adversa parte omnes ejus actus mundanos jactassent. Sed ex ira quidam Diabolus fregit de calice aurem unam, quam in testimonium dedit cuidam heremitæ; & sic calix cum una tantum aure usque hodie permansit. Ostenditur autem idem calix vix semel in anno, scilicet in Cœna Domini, propter reverentiam.

MX. *De Cœnobio Gœzzensi.*

Isto anno beatus Hainricus Imperator ad petitionem uxoris suæ Sanctissimæ Chunigundæ, & ad instantiam Aribonis sui cognati Archiepiscopi Maguntini, donavit prædium juxta Lobnicham fluvium, cum omnibus attinentiis Gœzzensi Ecclesiæ æternaliter possidenda. Hæc est illa vallis, quæ nunc dicitur Tragœzz. Hic etiam Imperator donavit eidem Ecclesiæ Gœzzensi & puellis conventualibus ibidem auctoritatem eligendi Abbatissas Secundum Regulam Beati Benedicti, & quod possent Advocatum eligere secundum utilitatem Ecclesiæ suæ.

MXII. *De Hainrico Imperatore.*

Hainricus contra Sclavos, Bohemos, Moravos, Polonos prælians, usus est gladio beati Adriani Martyris: viditque S. Laurentium, Georium, Adrianum victoriam sibi afferentes.

MXIV. *De S. Hainrico Imperatore.*

Hoc tempore Hainricus Apuliam a Græcis ereptam Romano restituit Imperio. Veniens in montem Cassinum de calculo per beatum Be-

[1] *deest in MS.* præstitit *aut quid simile. Cæterum insignem hanc calumniam Sylvestro Papæ II. a Bennone impactam, & a Martino Polono improvide renovatam solide refutavit Gretzerus in Examine Mysterii Plessæani cap. 43.*

[2] Lateranensi. [3] *al.* Porta Motroni.

[1] *Supp.* & quasi.

nedi-

nedictum mirabiliter est curatus, & lapide, A quem sub specie Medici ab eo dormiente eruerat. Unde ipsum locum & alia religiosa loca in posterum plus dilexit, possessionibus & donariis honoravit. Uxorem suam Sanctam Cunegundam suspectam habuit; quæ se igneis vomeribus expurgavit. Subacta Burgundia, Italis, Bohemia, Polonia ac aliis provinciis, Imperioque plurimum dilatato, & collapsis ecclesiis restauratis, multis beneficiis eisdem collatis.

MXVI. *De Sancto Colomanno Martyre.*

Tempore S. Hainrici Imperatoris, qui erat in Ecclesia Dei Lucerna fidei super candelabrum posita, Sanctus Colomannus, natione Scotus, causa devotionis arripuit iter, per Danubium descendendo voluit per Pannoniam & Græciam devenire in Terram Sanctam, ad visitandum sepulcrum Domini, & alia loca Sancta. Cumque in Austriam devenisset prope circa B Tulnam, detentus est pro Spiculatore[1] Bohemo. Cum nesciret Theutonicum idioma, suspicati sunt ipsum esse Sclavum & Spiculatorem; quia guerra tunc erat inter eos. Cumque pluribus suppliciis eum affecissent, inter duos fures in quandam arborem suspenderunt: ibique clarens pluribus miraculis, in cimiterium ibi prope est sepultus. Nec ibi volens jacere, per indomita animalia siccis pedibus per Danubium gradientia deductus est in Medlicum (ubi Hainricus tunc Marchio Austriæ fecit Cœnobium Nigrorum Monachorum) ipsum honorifice sepeliendo.

MXVIII. *De Sancto Gerhardo Episcopo.*

Hoc tempore S. Gerhardus Episcopus in Ungaria super bigam ligatus, de altissimo monte cursu præpeti martyrio coronatur. C

MXX. *Incidens.*

Papa Benedictus IX. post mortem apparuit juxta molendinum cuidam, in specie cujusdam monstruosi animalis, cujus caput & cauda asini erat, reliquum corpus sicut ursus. Cumque conspector territus fugisset, clamans monstrum post ipsum ait: Noli me expavescere, scito me hominem fuisse; sed sic me repræsento, sicut olim infelix Papa Benedictus IX. existens bestialiter vixi.

MXXII. Sergius Papa IV. sedit annis 2. mensibus 7. & cessavit Papatus diebus 8. Hic fuit sanctissimæ vitæ & castæ conversationis, sepultus est apud S. Petrum.

MXXIV. *De Chunrado Imperatore.*

Hoc tempore Chunradus ex Orientali Francia de magno germine Ducum Wangionum & D Trojanorum, qui primo regnabant in Francia, progenitus eligitur. Hic leges plurimas de pacis conservatione statuit, violatores plexione capitum sine gratiæ beneficio castigavit. Hic duxit Gyselam nobilem de sanguine Karoli, quæ habuit prius Ernustum Ducem Suevorum: ex quo genuit Ernustum & Hermannum, Popionem Archiepiscopum Treverorum, & Albertum Orientalis Marchiæ Marchionem, quam idem Albertus cum Leupoldo filio de manibus eripuit Ungarorum, & Romano Imperio subjugavit.

[1] *pro* speculatore.

MXXVI. *De Chunrado Rege.*

Chunradus vero Rex genuit ex ea Hainricum; quem post se Regem adhuc puerum designavit. Porro post Papam Benedictum ejectum Johannes eligitur. Hoc tempore Duces Polonorum regnum instituere volentes, a Chunrado tributarii Imperii sunt effecti.

MXXVII. Rex Italiam pergens a Johanne summo Pontifice, ex uno latere Rege Angliæ (qui fuit avunculus Reginæ) & ex altero Rudolfo Rege Burgundiæ stipatus, sollemniter coronatur.

MXXVIII. Hic Rudolfus moriens Hainrico Imperatoris filio nepoti suo sub testamento regnum Burgundiæ cum diademate ac aliis insigniis destinavit. Quod dum Oddo quidam Comes Celticus impedire niteretur,

MXXIX. Chunradus Burgundiam ingressus, Oddonem regnum compulit abjurare; reciB piens Lugdunensem Primatem in deditionem, cum aliis regni Primatibus in Alamanniam est reversus.

MXXX. Hunc Leupoldus Comes metuens, ad quoddam nemus cum omni familia auffugit: ubi uxor ejus filium peperit: de quo Imperatori revelatum est, quod fieret gener ejus. Quem cum plebei & silvestres filium æstimarent, interfici mandavit. Sed Divino quodam casu Juvenis salvatur, & Imperatoris gener efficitur: & cognito quod alto de stipite existeret, indignatio conquievit, exultans tanti viri filium generum habere.

MXXXI. Iterum Imperator Italiam ingressus, civitatibus & Episcopis pluribus subactis, rediens in Trajecto Inferiori moritur, & in Spiram se præcepit transportari: ibique in sepulcro, quod ipse pro Regibus & Imperatoribus designavit & ordinavit, honorifice sepelitur.

MXXXII. Liutici pagani Urbiniam castellum in confinio Saxoniæ, multis Christianis occisis & captis, obtinent: quos Chunradus Imperator cum exercitu petit. Italia civium discordia laborat. Nuptiæ Hainrici Regis celebrantur. Pagani supradicti Chunradi Imperatoris vectigales facti. Eodem etiam anno Chunradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanensem Archiepiscopum in custodiam misit; qui fuga lapsus cum aliis quampluribus eidem Imperatori rebellat.

MXXXIII. Benedictus Papa VIII. natione Tusculanus ex patre Gregorio, sedit annis 12. diebus 21. & cessavit anno uno. Hic Papa tandem ejectus est de Papatu, & factus quidam alius Papa; unde maximum scisma fuit. De isto Benedicto scribit Petrus Damianus, quod quidam Episcopus vidit hunc Benedictum Papam nigro equo quasi corporaliter insidentem. Et dixit ei: Nonne tu es Benedictus Papa, quem jam defunctum novimus? Respondit, Ego sum ille infelix Benedictus. Et quomodo est tibi, inquit pater? Graviter, ait, torqueor, sed de Dei misericordia non despero, si mihi adjutorium præbeatur. Vade, inquit, ad Successorem meum Johannem Papam, & dic, ut in theca tali summam pecuniæ accipiens, pauperibus distribuat: quia quidquid antea pro me pauperibus datum est, nihil mihi profuit, quia de rapinis fuit.

Quod

Quod Episcopus fideliter implevit, & Episcopatui cedens, Monasterium intravit.

MXXXIV. Johannes Papa 19. natione Romanus, ex Patre Gregorio sedit annis 9. & cessavit diebus 2. Hic habuit guerram cum Latinis.

MXXXV. Benedictus Papa IX, natione Tuscus, ex patre Alberto, sedit annis 14. iste est ejectus de Papatu, & Sabinensis Episcopus factus est Papa, qui infra vocatus est Silvester III. Et iste quoque ejectus est, & Benedictus recuperavit Papatum: & iterum ejectus, & datus est Papatus Johanni Archipresbytero S. Johannis ante Portam Latinam, qui Gregorius VI. infra vocatus est. Et habito Papatu cum esset rudis litterarum, alterum Papam ad vices Ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit. Quod cum multis displiceret, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Uno itaque contra duos, & duobus contra unum pro Papatu altercantibus, & mortuo Gregorio, Hainricus II. Imperator alios duos deposuit, & Suidigerum Babenbergensem Episcopum, natione Theutonicum, qui & Clemens II. dictus est, in Papatum per vim substituit: a quo Hainricus Imperator coronatur, Romanis sibi promittentibus & jurantibus, se sine ipsius consensu nuquam Romanum Pontificem electuros.

MXXXVI. Silvester III. sedit diebus 56. Hic ante Sabinensis Episcopus Benedicto vivente factus est Papa.

MXXXVII. Gregorius Papa VI. sedit annis 2. mensibus 6. hic ante fuerat Archipresbyter S. Johannis ante Portam Latinam. Hic cum Rege Hainrico habuit bellum. Hunc Wilhelmus in suis Cronicis dicit Sanctum virum fuisse. Hic in Papatu parum vel nihil ad Papatum pertinens propter negligentiam suorum antecessorum invenit, nam omnia a prædonibus tollebantur. Romani Romam venientes quasi omnes spoliabantur, quos Papa primo ammonuit, tandem excommunicavit: Sed & illud contemnentes armata manu invasit, & raptores oblationum S. Petri aut penitus extinxit, aut fugavit. Occisis itaque raptoribus prædia & opida multo tempore amissa recuperavit. Infirmante quoque Papa omnes clamabant, ipsum homicidam & sanguinarium dicebant, & indignum eum debere sepeliri in Ecclesia S. Petri. Tunc Papa licet infirmus, resumpto Spiritu longum sermonem Cardinalibus fecit, asserens se bene fecisse, & eos male locutos fuisse, inducens id Ezechielis, qui dixit sacerdotibus, quia se non opponebant murum pro domo Israel, & multa alia. Et subdidit: cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite serratis januis. Si voluntate Divina fores apertæ fuerint, corpus inferte; alioquin de ipso facite quod vultis. Quod & factum est. Et divinitus turbo cum magno fragore fores aperuit, & januas usque ad parietem deportavit, & sepultus est in Ecclesia Dei voluntate.

MXXXVIII. *De Hainrico Rege.*

Hainricus filius ejus est Imperium adeptus, hunc quidam generum suum fuisse voluit. Hic Bohemos, Ungaros præliis multis pressit. Petrum Regem Hungariæ depulsum, adjutorio Adalberti Marchionis & Leupoldi filii sui, restituit regno suo.

MXXXIX. *Tertius Marchio Austriæ.*

Adalbertus Marchio, & filius ejus Leupoldus maximam partem exercitus Ovonis delevit. Hainricus Rex iterum Ungariam sibi subjecit. Poppo Patriarcha obiit. Eodem anno Elysdrud (1 & Cunegund) Regina, uxor Hainrici Regis xv. Kal. Augusti, & Hermannus Dux v. Kal. Aug. in Italia cum multis aliis obierunt.

MXL. Hoc tempore fuit Hermannus Contractus, Vir nobilis, durus ingenio in discendo, cujus duritiam Virgo beatissima membrorum contractione, & eminentis scientiæ infusione mirificavit. Unde in laude sanctorum cantus pulcherrimos & multa dictamina fabricavit. Hainricus autem duxit uxorem filiam Ducis Pictaviæ & Aquitaniæ, & nuptiæ in Gelnheim [2], histrionibus danda, Ecclesiis omnia jubens dari: genuitque filium, quem Hainricum nomine suo appellavit. Audiens etiam adhuc altercationem in sede, venit Romam, omnibus tanquam injuste ingressis abjectis, Suidegerum Babenbergensem Præsulem [3], qui Clemens II. est dictus. Hic eum cum maxima gloria coronavit, Romanis jurantibus, se nullum unquam sine suo consensu in Pontificem electuros. Mortuo Clemente Popyo Aquilegiensis Patriarcha substituitur, qui subducto Bruno Tullensis Præsul, qui Leo vocatus est, ordinatur Imperatore agente. Qui veniens Cluniacum ab Hylbrando Priore redarguitur, quod introiret per potentiam sæcularem. Rediit Romam, & resignato Papatu secundario a Clericis est electus.

MXLI. Hoc anno Rupertus Gwischardus, de Nortmannia, cum fratre Rogerio Campaniam, Siciliam, Apuliam, Calabriam pulsis incolis apprehendit, Rogerium in Siciliam transplantans; ipse vero terras alias reservavit. Qui Rogerius genuit Rogerium, Regem postea Siciliorum. Rupertus genuit Virum Clarissimum Bohemundum: quo mortuo Rogerius omnes prædictas provincias subintravit. Quæ quia contra sedem fuerunt, Leo Papa bellum eis infert, in quo maxima hominum strage facta nihil profecit, sed Romam rediens miraculis multis clarens. Hic Rupertus quendam Sarracenum cepit, & fuit in Apulia quædam statua marmorea, circa caput habens circulum æreum, in quo erat scriptum: *Kalendis Maji oriente sole habebò caput aureum.* Quod captivus ille notans, III. Kal. Maji oriente sole notato, terminum umbræ illius, repperit aurum infinitum. Quo dato dimittitur, & abscedit. Romæ etiam hoc tempore corpus gigantis inventum est incorruptum, vulnus habens fossum lancea 4. pedum, corpus altitudinem muri vicit. Lucerna ardens ad caput, neq; aqua extingui poterat nec liquore; sed graphio forata subter flammam protinus est extincta. Epitaphium tale erat:

Filius Ewandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Rex enim Evander regnavit in septem montibus, ubi Urbs postea est constructa. Unde juxta

[1] *supp.* quæ. [2] Ingelheim. [3] *supple* instituit.

Virgilium Rex Evander conditor Romanæ arcis fuit; regnavit enim ante Romulum annis amplius quadringentis. Qui recte computaverit, reperiet plus quam annorum duo millia & centum: quod prælium inter Eneam & Evandrum ex una parte; & Turnum & Latinum ex altera parte est patratum. Leoni Papæ succesſit Victor, Victori Stephanus: qui omnes Imperiali auctoritate potentialiter ſunt aſſumpti.

MXLII. *De Chunrado Imperatore.*

Chunradus imperavit annis 20. & permanſit vacuum Imperium annis tribus. Hic multas leges condidit, hic pacem diligens ſtatuit, ut quicunque Principum pacem infringeret, capite plecteretur. Sed hujus ſtatuti transgreſſor quidam Comes, nomine Leupoldus, accuſatur. Qui cupiens vitam ſalvare, cum uxore & filiis occulte fugiens in vaſtam ſolitudinem, quam multis temporibus tanquam eremita inhabitabat, nullo ſciente quo deveniſſet. Sed caſu tandem Imperator in venatione ab hominibus elongatur, ut neſciret ubi eſſet: & nocte appropinquante anxius ad prædicti Comitis eremitorium pervenit. Qui benigne receptus cum poſt laborem in ſtratu dormiret, & eadem nocte prædicti Comitis uxor peperit filium. Audiens vocem Imperator in ſomnis, ipſum puerum generum ſuum futurum, ac Imperii ſucceſſorem; hanc vocem Imperator primo contemnens, cum iterata fuiſſet, anxius viſo puero de mane cum ad ſuos perveniſſet, vocatis duobus Secretariis occulte mandavit, ut prædictum puerum raperent, & in ſilva occiderent, & ſibi cor pueri apportarent. Qui venientes miſericordia moti, puerum ſolum in ſilva relinquunt, & cor leporis capti Imperatori deferunt. Accidit autem, ut eadem hora quidam Dux, nomine Heinricus, cauſa venationis in eadem ſylva ſolus errans puerum vagientem videns, uxori ſuæ ſterili occulte deportavit, mandans, [1] quod ipſum genuerit, affirmaret. Quod factum eſt, & vocatus eſt Heinricus. Cum autem jam adultum Imperator vultu renitente videret, ut ſibi aſtaret circa Ducem Hainricum, optavit, tractans apud ſe, qualiter ipſum occulte perderet: quia cor ejus bene intellexit, quod idem puer eſſet. Et poſt aliquod tempus miſit eum Imperator ad Imperatricem cum litteris, ſcribens, ut ipſa ſub obtentu gratiæ ſuæ eo die, quo ipſe juvenis ad eam veniret, ipſum occulte faceret occidere ſuffocando. Sed juvene iter agente, cum in domo cujusdam Presbyteri, ipſo dormiente, curioſam ipſius burſam conſpexit, & aperiens caute feliciter commutavit: *Ipſo die moriatur* abraſo, reſcripſit: *Filia mea tradatur.* Quod & factum eſt, licet cum magna admiratione Imperatricis, quod Imperator conſpiciens obſtupuit. Sed poſtquam patrem ejusdem Hainrici nobilem Comitem fuiſſe inveſtigavit, quem ruſticum credebat, dolor ejus mitigatus eſt. Hic Hainricus poſt Chunrado ſocero ſuo ſucceſſit in Imperio: in loco nativitatis ſuæ fecit Monaſterium, quod usque hodie Yrſavia [2] vocatur.

MXLIV. Gyſula Imperatrix, mater Hainrici Regis, xvi. Kal. Martii obiit. Eodem anno Hainricus Rex III. Pannoniam petens Ungaros per jusjurandum ſubjugavit. Liupoldus filius Adalberti Marchionis obiit.

MXLV. Hoc tempore Hainricus III. Ovonem Regem rebellantem vicit: & Petrum regno reſtituit ſuo. Petrus Rex Hainricum Regem in Pentecoſte magno apparatu recepit. Bruno Wirczburgenſis Epiſcopus obiit, Adalbero ſucceſſit.

MXLVI. Hoc tempore Petrus Rex excæcatus eſt ab Ungaris, & Andreas Rex efficitur. Eodem anno Suidegerus Babenbergenſis Epiſcopus in Nativitate Domini Papa conſecratur: & Hainricus Rex, & uxor ejus Agnes ipſa die imperiali benedictione ſublimantur.

MXLVIII. Hoc tempore Andreas Rex Ungarorum per legatos Imperatoris Hainrico annuum cenſum jurejurando promiſit.

ML. Agnes Imperatrix Imperatori filium, nomine Hainricum, peperit. Eodem anno Bardo Archiepiſcopus obiit. Hoc tempore Adalbertus Marchio & Andreas Rex pacificantur.

MLI. Hainricus Imperator Pannoniam cum exercitu petit, & glorioſiſſime rediit. Papa Leo (qui & Bruno) Natale Domini cum Imperatore Wormatiæ egit. Eodem anno beatus Leo Papa dormivit in Domino III. Kal. Maji: pro quo Victor (qui etiam Gebhardus Heitſtatenſis Epiſcopus) ordinatur. Adelbertus Marchio obiit.

MLIII. *Quartus Marchio Auſtriæ.*

Ernuſt filius ejus ſucceſſit. Chuno Dux Bavariæ ab Imperatore expulſus in Pannonia exul obiit. Eodem etiam anno Hainricus Imperator in Thuringia moritur, & in civitate Spirenſium ſepelitur. Actus ſuos & patris Hermannus Contractus mirifico ſtylo ſcripſit: filius ejus Hainricus ſucceſſit.

MLV. *De Hainrico IV. V. & Lothario Cap. VI.*

Hainricus, Hainrici filius, eligitur adhuc puer. Stephano Papæ ſucceſſit Benedictus, poſt quem Nicolaus ſurrexit: quo ſubducto Alexander eligitur. Hic Eccleſiam ancillatam dudum in priſtinam erigere ſtuduit libertatem. Quo defuncto Hyldebrandus prædictus eligitur, & Gregorius VII. eſt vocatus. Quod quia ſine Regis conſenſu factum eſt, oritur grave ſcisma.

MLVI. Leo IX. cum eſſet Papa, cum Hainrico III. Imperatore Petrum Regem Hungariæ a quodam ſuo milite Andrea excæcatum vindicavit: & in illo itinere in terra Stiriæ & alibi plures eccleſias conſecravit: Hic cum veniſſet in Gallias, Priorem Cluniacenſem, Hildebrandum dictum, duxit ſecum Romam: qui poſtea Cardinalis, tandem Papa eſt creatus, & Gregorius VII. eſt appellatus, qui ab Hainrico IV. Imperatore multa ſuſtinuit.

MLVIII. Hoc tempore Eccleſia Gallicana per Berengarium Turonenſem Epiſcopum [1] perturbatur. Aſſerebat enim idem, quod Eu-

[1] *ſupple* ut. [2] Hirſaugia.

[1] *leg.* Andegavenſem Archidiaconum.

kariſtia

kariſtia ſeu Sacramentum altaris non eſſet verum Corpus Chriſti, ſed tantum myſticum, & figura Corporis & Sanguinis Chriſti. Contra hunc Nicolaus II. Papa cum 113. Epiſcopis celebravit Concilium, in quo retractatus eſt error iſte. Dicitur autem, quod idem Berengarius alias fuerit bonus & liberalis homo: & poſt retractationem hujus erroris finem mortis ſuæ, prædicendo feliciter migraſſe narratur; cujus error & retractatio ponitur in *Decret. de* 3. *D.* 11. *Ego Berengarius.*

MLX. *De Patrimonio S. Petri.*

Tempore Alexandri II. Romani Pontificis Normanni, qui in præjudicium Dominii Papæ regnum Apuliæ occupaverunt, Campaniam devaſtabant: quos Dux Spoletanus Gothfridus & Comitiſſa Machtildis expulerunt. Hæc Comitiſſa Machtildis adeo fuit potentiſſima, quia cum Imperatore bello duriſſimo congreſſum habuit. Quæ cum ampliſſimis poſſeſſionibus abundaret, totum patrimonium ſuum ſuper altare S. Petri obtulit: & hoc quod obtulit, adhuc usque in hodiernum diem dicitur Patrimonium S. Petri.

MLXII. Clemens II. natione Theutonicus, per vim ab Heinrico II. in Papatum intruditur, & ab eo in Imperatorem coronatur. Ideo quia in potentia intravit, inter Pontifices non numeratur: nec anni, nec menſes, nec dies ſibi attribuuntur Pontificatus ſui.

MLXIII. Damaſus Papa II. ſedit diebus 23. & ceſſavit diebus 11. Hic fuit invaſor ſedis Apoſtolicæ, & ſubito defunctus eſt.

MLXIV. Leo Papa IX. natione Theutonicus, de regione Lothariis, ſedit annis 22. diebus 6. Romani ex prava conſuetudine poſtquam petiiſſent ab Imperatore Hainrico ipſis Pontificem dari, Imperator cum nullum Theutonicorum poſſet inducere, ut reciperet Papatum; Epiſcopum Tullenſem, Brunonem nomine, virum ſimplicem ad hoc inclinavit. Qui ad urbem veniens, conſcientiam habens ex hoc læſam omnino reſignavit Papatum: & denuo ab omnibus rite electus poſt laudabilem vitam in Eccleſia S. Petri tumulatur, manifeſtis clarens miraculis.

MLXV. Victor II. genere Theutonicus, ſedit annis 2. menſibus 3. diebus 13. & ceſſavit Epiſcopatus diebus 3. Hic timore Imperiali factus eſt Papa. Hic Papa tempore Hainrici Imperatoris apud Florentiam Synodum celebravit: & propter Simoniam & fornicationem multos Epiſcopos depoſuit. Hic in Gallica ab Imperatore Hainrico glorioſe ſuſcipitur.

MLXVI. Stephanus Papa IX. ſedit menſibus 9. diebus 27. Hic Papa natione erat Theutonicus de regione Lothariis, prius fuit Abbas Caſſinenſis, in Florentia Tuſciæ eſt ſepultus.

MLXVII. Benedictus X. ſedit menſibus 9. Hic prius Velletrenſis Epiſcopus, Micius nomine, per violentiam Papa factus, poſtea ceſſit.

MLXVIII. Nicolaus II. Papa, natione Burgundus, ſedit annis 2. menſibus 6. diebus 26. & ceſſavit diebus 10. Hic prius Florentinus Epiſcopus, apud Senam a Cardinalibus in Papam eſt electus.

MLXIX. Alexander II. natione Mediolanus, ſedit annis 11. menſibus 6. diebus 25. Hic prius Lucanus Epiſcopus. Contra hunc Cadulus, qui fuit Parmenſis Epiſcopus, & ab Epiſcopis Lombardiæ in Papam electus, aſſerentibus Papam non debere eligi niſi de paradiſo Italiæ. Qui Cadulus cum exercitu Romam veniens violenter voluit Papatum obtinere, ſed non potuit. Tandem Alexander in Lombardiam veniens in Mantua celebravit Concilium: & pacificatis omnibus ad Urbem eſt reverſus, & in Lateranenſi eccleſia tumulatus.

MLXX. Gurcenſis Epiſcopatus ab Gebhardo Archiepiſcopo eſt fundatus. Papa etiam Regem Hainricum ſæpius vocatum, & venire nolentem, anathematizavit & excommunicavit. Poſtremo venit, & in glacie ac nivibus ſtans nudis pedibus diebus pluribus, vix abſolutionis gratiam impetravit. Duxit autem Bertham Italici Marchionis filiam, ex qua genuit Hainricum, Chunradum & Agnetem. Saxones ad Papam Regem cum pluribus articulis detulerunt; quos bello petiit & devicit. Dux Saxoniæ Gebhardus & Ernuſtus Marchio Orientalis, Alberti ſupra dicti filius, ibi tenderunt. Inflammatus autem Papa contra Regem, perſuaſit eligi Rudolfum Ducem Sueborum in Regem. Quo in prælio occiſo, Hermannus Dux Lotharingiæ eſt electus. Quo ſimiliter a Regibus infidelibus interempto, Rex miſit ad Fridericum Comitem de Stawffen Virum nobilem & ſtrenuum, dans ei filiam Agnetem, & Sueviæ Ducatum, quem Rudolfus habuerat, de Comite Ducem creans (qui genuit ex ea Chunradum & Fridericum) & debellato Bertholfo de Zæringen, qui gener Rudolfi fuerat, ipſum Ducatum potentialiter eſt adeptus. Rex veniens Romam Papam Gregorium expulit, & Gwilbertum Ravennatenſem Epiſcopum inſtituit, qui Clemens dictus eſt; hic eum ſollemniter coronavit. Imperator hoc tempore Chunrado filio ſuo Italiam commendavit. Papa vero receſſit ad montana Tuſciæ in terram Comitiſſæ Machtildis neptis Imperatoris, ad Patrimonium S. Petri. Rex vero, etiam interveniente Regina, Marchiam Karniolæ, præſente Duce Ludolfo Karinthiæ, obtulit Sighardo Patriarchæ & Eccleſiæ Aquilegienſi. Gregorio interea mortuo Salerni, Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui Victor dictus eſt, eligitur a Romanis. Quo Urbem egreſſo, obiit: & Otto Oſtienſis, qui Urbanus II. dictus eſt, eligitur. Hic Concilium apud Alverniam celebrat, ubi inſtitutum eſt, ut Horæ Beatæ Virginis quotidie dicantur, & diebus Sabbathi ſollemniter celebrentur. In quo etiam Concilio de diverſis regnis & provinciis circiter centum millia hominum ad paſſagium ſe voverunt. Urbanus rediens Romam Gwilbertum expulit, & in breyi poſtea ultimum diem clauſit, & Paſchalis inſtituitur.

MLXXII. *Incidens.*

Hainricus II. gener Chunradi imperavit annis 17. Hic Imperator in Italia Pandulfum Principem Capuanum cepit, & alium Pandulfum Comitem Teatinum Principem ordinavit. Hujus tempore Cadulus Papa Lombardorum habuit bellum cum Romanis in Partis S. Petri.

MLXXIII. Hoc tempore Rudolfus Dux Alamanniæ, & Welfo Dux Babariæ, nec non Perchtoldus Dux Karintheorum in unum conjurant adversus Regem. Eodem anno Hainricus Rex in Hungaria adversus Joitsconem, patruelem Salomonis, profectus incassum rediit. His temporibus Ernustus Marchio occisus est in Saxonia in bello.

MLXXIV. *Quintus Marchio Austriæ.* Leutpoldus filius ejus. Primum bellum Hainrici Regis cum Saxonibus juxta fluvium, qui vocatur Unstrot, feria IV. Idus Junii.

MLXXV. Hoc tempore magna discordia inter Papam & Regem oritur. Hainricus Rex in Italiam proficiscitur. Rudolfus in Regem eligitur apud Vorchaim. Bellum inter duos Reges in Saxonia committitur, in quo Diebaldus Comes occiditur feria III. VII. Id. Augusti, juxta fluvium Streva.

MLXXVI. Hoc tempore Bavari & Bohemi cum Marchione Leutpoldo ad Mauripergum dimicaverunt, & vicerunt bellum, quod pugnaverunt fideles Hainrici Regis contra perfidos Suecos [1] juxta Danubium apud villam, quæ dicitur Hostin [2], feria IV. III. Id. Augusti.

MLXXVII. In monte Khœtwigensi Monasterium S. Mariæ a venerabili Altmanno Pataviensis Ecclesiæ Episcopo consecratur. Hoc tempore Dux Bohemiæ Radizlaus dimicavit Maurberg cum Marchione Leutpoldo. Eodem anno Constitutio Monachorum in loco Medlicensi sub Abbate Sigboldo, in festo S. Benedicti Abbatis facta est.

MLXXVIII. *De S. Nicolao.* Tempore Papæ Urbani II. de Mirea civitate Liciæ jam destructa, a civibus Barensibus ossa beati Nicolai Episcopi transferuntur.

MLXXIX. Hoc tempore in Hispania Toletum & aliæ civitates per Christianos a Sarracenis tolluntur.

MLXXX. Hoc tempore floruit in Anglia Anshelmus Cantuariensis Primas & Metropolitanus, scientia & vita præclarus.

MLXXXII. *Transfretatio Christianorum in Terram Sanctam.* Hoc tempore, videlicet Urbani Papæ II. maxima multitudo in subsidium Terræ Sanctæ cruce est signata; creduntur autem tunc plures transfretasse quam 200000. Antequam autem caperent civitatem Antiochiam, S. Andreas Apostolus cuidam rustico, natione de Provincia, valde simplici viro apparuit, dicens: Veni, ostendam tibi lanceam Christi, & ostendit sibi locum. Reperta autem lancea, homines credere noluerunt, quod esset Christi lancea. Deus autem statim probavit per plura miracula, quod esset lancea, quæ aperuit latus ejus in cruce. Inventa autem fuit lancea hæc anno 1089. Signati sunt cruce, qui transfretaverunt, confisi de lancea, & eam secum ferentes, & Antiochiam & Tripolim civitates ceperunt, & venerunt Cæsaream. Quam cum obsedissent, columbam super exercitum Christianorum volantem accipiter unus graviter plagatam dejecit. Circa hanc columbam repertæ sunt litteræ ad ipsam ligatæ, talis sententiæ: Rex Akaron Duci Cæsareæ salutem. Generatio canina, gens contentiosa venit; contra quos per te & per alios legem tuam defendas. Idem annuntia aliis civitatibus. Postea Christiani capta Cæsarea, ceperunt & Akaron, quæ tunc Icolomaida [1] dicebatur: ceperuntque Jerusalem, & pene totam terram Sanctam. Est autem Jerusalem civitas in montanis sita, rivis, fontibus & sylvis carens, excepto fonte Siloë: ubi non semper, sed quandoque aqua sufficiens reperitur.

MLXXXIII. *De Gregorio Papa VII.* Gregorius VII. natione Tuscus, sedit annis 15. mense uno, diebus 8. Hic antea erat dictus Hyldebrandus, cum adhuc esset Cardinalis, & esset missus pro legato in Galliam, & cum in Concilio contra multos Simoniacos Episcopos processisset. Cum autem contra unum Episcopum multum infamatum producere [2] voluisset, & ille testes, qui ipsum accusaverant, pecunia corrupisset; dixit Legatus in Concilio: Cesset humanum judicium, producatur in medium Divinum oraculum: cum certum sit, quod Episcopalis dignitas sit donum S. Spiritus: & quicunque Episcopatum mercatur, facit contra Spiritum S., sicut & venditor. Si tu ergo contra Spiritum S. non fecisti, dic: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* Quod intrepidus incipiens, cum *Gloria Patri & Filio* dixisset; nullatenus *Spiritui S.* dicere potuit sæpius repetendo; sed dejectus de Episcopatu, tunc plene dixit. Hic cum propter laudabilem ejus vitam esset Papa factus, & in nocte Natalis Domini Missam ad S. Mariam Majorem ad præsepe Domini celebraret; Centius, potens Romanus, ipsum cepit, & in turri sua posuit. Sed Romani ea nocte turrim destruxerunt, Papam liberando, & prædictum Centium extra urbem ejecerunt. Hic Hainricum III. Imperatorem, Concilio IIo. Episcoporum habito excommunicavit. Qui Hainricus in Lombardiam veniens ad Papam, nudis pedibus super nivem & glaciem pluribus diebus stans vix absolutionem impetravit. Postmodum iterum excommunicavit ipsum Hainricum, & propterea ipse Gregorius adversa sustinuit, ut habetur de Hainrico III. & tandem in Apuliam descendens Gregorius, Salerni obiit, coruscando miraculis. Hic Papa prius fuerat Prior Cluniacensis.

MLXXXIV. Victor III. sedit anno uno, mensibus 4. diebus 7. & cessavit Episcopatus diebus 9. Hic Papa dicitur extinctus veneno in calicem misso. Hujus tempore Ordo Cisterciensis oritur.

MLXXXV. *De Cursu Beatæ Virginis quotidie dicendo, & Officio ejus in Sabbatho.* Urbanus Papa II. sedit annis 11. mensibus 4. diebus VII. & cessavit diebus 16. Hic Papa in Concilio apud Claromontem statuit, ut Horæ Beatæ Virginis Mariæ quotidie dicantur, officiumque ejus diebus Sabbathis sollemniter fiat secundum ritum præcipuarum sollemnitatum. Item hic Papa aliud Concilium celebravit Turonis, in quo pene totum Occidentem provocavit in subsidium Terræ Sanctæ: quia in primo ejus

[1] *l.* Suevos. [2] *l.* Hohestetin.

[1] Ptolomais. [2] *f.* procedere.

Concilio

Concilio annunciata fuit Jerusalem captivatio & Christianorum oppressio. Hic Papa Romæ in ecclesia Lateranensi sepultus est.

MLXXXVII. *De Hainrico III. Imperatore.*

Hainricus III. Imperavit annis 49. Hunc Gregorius VII. secundo excommunicat: quia discidium procuravit in Ecclesia. Imperator vero Wormatiæ Concilio 24. Episcoporum, & multorum Nobilium congregato, omnia decreta Gregorii Papæ jubet cassari, & in Maguntia Gregorium Papam a Papatu, quantum in eo fuit, deposiit: & curia convocata in Brixia Gwipertum Ravennatensem Archiepiscopum in Papam pro Gregorio constituit, & cum eo contra Gregorium Romam properans, ipsum & Cardinales in urbe obsedit. Et cum favorem populi Romani sibi attraxisset, intrans urbem B prædictum Gwipertum in Papam consecrare faciens, ab ipso in Imperatorem coronatur: Papa Gregorio cum suis Cardinalibus in castro S. Angeli concluso. Sed Robertus Gwiscardi Rex Apuliæ cum exercitu veniens, uno die Romam cepit, & Imperatorem cum suo Antipapa, quem Clementem vocaverat, usque Senas fugavit: Papam Gregorium cum Cardinalibus educens, palatio Lateranensi restituit, & Romanos in hoc Imperatori consentientes exilio & aliis pœnis graviter afflixit.

MLXXXVIII. Hujus Imperatoris Hainrici III. tempore quidam potens dum sederet in convivio, repente a muribus circumvallatus est, & de nullo captabant nisi de illo. Sed cum in pelagus maris deductus[1], nihil ei profuit: quia mures navem sequentes ipsum infestaverunt. Ad littus vero deductus auffugere non poterat, C quoniam a muribus dilaceratus comeditur. Et hoc non mirum: quia si Leopardus aliquem morderet, confestim murium copia adveniret, ut vulneratum commingant, immundumque urinæ diluvium præstat tunc homini exitium. Invenitur etiam de quodam Imperatore, nomine Arnolfo, qui nulla arte poterat juvari, quin a pediculis consumeretur.

MXC. Tempore Imperatoris Hainrici IV. claruit Hugo de S. Victore Parisius, scientia & vita laudabilis.

MXCII. De Carthusiensibus. Unde versus:

Anno milleno quarto quoque si bene penses
Ac octageno sunt orti Carthusienses. D

MXCIV. *De S. Bernhardo.*

Tempore Paschalis Papæ II. S. Bernhardus habens 12. annos sub Abbate Stephano, qui fuit Abbas III. in Cistercio, cum 30. sociis Cistercium intravit, tandem in quarto Cœnobio ejusdem Ordinis est factus Abbas ipse S. Bernhardus. Unde versus:

Anno milleno centeno quo minus uno
Sub patre Ruperto Cistercius incipit Ordo.

Anno eodem Gwibertus moritur, densissimo sciſmati finem dedit. Hoc anno plures de Germania, Italia, Aquitania ad Terram Sanctam tendunt: inter quos Thymo Episcopus Salczburgensis transiit, & captus a Sarracenis, quia idola adorare noluit, glorioso martyrio coronatur. Cui Chunradus vir commendabilis successit. Venit autem Imperator Martinopolim, & vidit ibi Rudolfum prædictum regaliter tumulatum, & cur hoc admitteret redarguitur. Qui respondit: utinam omnes adversarii mei sic caderent.

MXCV. *Sextus Marchio Austriæ.*

Leutpoldus Marchio obiit: filius ejus Leutpoldus successit, dictus *Pius*. Eodem anno Petrus heremita aliique plures tendunt Jerosolymam.

MXCVII. Hoc tempore Agnes Imperatrix susceptit Ducatum Bavariæ. Eodem anno Hainricus Rex separatus est a matre sua, annis 6. regnavit, ejus ætatis vero XI. Isto anno Agnes Imperatrix & Guntharius Episcopus prædas & incendia ad invicem exagitant.

MXCIX. Chunradus filius Imperatoris moritur, & in Florentia sepelitur. Imperator disponens se ad iter transmarinum, filium post se Regem in Maguntia designavit, qui mox opposuit se patri. Mortuo Duce Sueviæ Friderico, Agnes Imperatoris filia vidua est relicta, & in tutelam sui fratris Hainrici consignata. Qui, dum pater contra eum arma moveret, ut seroboraret, Leupoldo Marchioni, qui partium patris fuerat, eam tradidit in uxorem: ex qua genuit Ottonem Frisingensem, & Chunradum Batavienſem, postea Salczburgensem Præsules, Leupoldum & Hainricum Duces Noricorum, Marchiones Marchiæ Orientalis. Igitur cum pater & filius sic adinvicem agerent controversias, intervenientibus Principibus pater filio Imperialia resignavit. Et multi milites mare transeuntes juxta templum & sepulchrum Domini se locantes, Ordinem instituerunt: quem Honorius II. Papa confirmavit, & *Templarii* sunt vocati, Jesu Christi militiam profitentes. Imperator descendens Coloniam & Leodium ubique tanquam Imperator susciptur, & querulatur undique, etiam Regi Franciæ, injuriam sibi factam; filio autem patrem insequente usque ad Mosam, pater Leodii moritur.

MCI. Hoc tempore Marchionissa, relicta Leupoldi, Jerosolymam petiit.

MCII. Isto anno Leupoldus Marchio Austriæ accinctus est gladio militari.

MCIV. Hainricus Imperator Spyriæ tumulatur. Filius ejus cum 30000. armatorum Italis ingreditur: & quæstione orta inter eum & Papam Paschalem de investituris Episcoporum, cum primo promitteretur, sibi promissio mox cassatur. Unde Paschalis capitur, & Ulrico Patriarchæ commendatur. Quo facto Chuinradus Salczburgensis vivaciter contradixit, & populus Romanus Regem invasit. Sed Rex eductus, armis eos vicit: & eorum plurimi in Tyberi sunt submersi. Rex privilegio de investituris Episcoporum extorto Papam dimisit, eum sibi concilians & Romanos.

MCV. *De Paschali II. Papa.*

Paschalis Papa II., natione Tuscus, sedit annis 18. mensibus 5. diebus 17. & cessavit Episcopatus diebus 2. Hujus Papæ tempore Hainricus IV. Theutonicorum Rex cum magno exercitu venit in Tusciam, ut in Imperatorem coronaretur. Cui cum Papa cum Cardinalibus obvius

[1] *supp.* esset.

adveniſſet, poſt pedum oſcula ſe invicem oſculati ſunt: & ſe per manus tenantes poſtquam argenteam [1] perveniſſent, oſculo dato Dominus Papa deſignavit ipſum Imperatorem. Sed poſtquam ad Rotam Pontificiam perveniſſet, & Papa ſuper inveſtitura revocanda, quam ipſe Hainricus modo per nuntios popoſcerat, ſcriptum juratum expetiſſet; Rex cum ſuis conſilio habito Papam & Cardinales cum tota Curia captivavit. Hujus etiam temporibus, poſt liberationem ipſius, quidam hæreſiarchæ, ſcilicet Adalbertus Agnulfus, & Theodoricus de Clero Romano contra Papam ſurrexerunt: qui in principio Domino Papæ multas infeſtationes fecerunt, in fine tamen ab ipſo ſunt proſtrati. Hujus tempore Rex Ungariæ reſignavit Domino Papæ inveſtituras Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, quas usque ad illud tempus facere conſueverat. Papa cum Hainrico pace facta, ipſo Hainrico in Imperatorem coronato, Papa poſt Glorioſam vitam in eccleſia S. Salvatoris eſt ſepultus.

MCVII. *De Gelaſio Papa VII.*

Gelaſius, natione Campanus, ſedit anno uno, diebus 5. & ceſſavit diebus 24. Hic propter Hainricum Imperatorem cum Cardinalibus Gayetam, unde erat natus, ſeceſſit. Hic erat primus Cancellarius Romanæ Eccleſiæ, & Johannes dictus. Hic Papa cum per mare pergeret, in Franciam veniens in Cluniaco mortuus & ſepultus eſt. Ibidem nobilis Comitis filius Archiepiſcopus Viennenſis in Papam eligitur, & conſecratur concorditer a Cardinalibus, & nominatus eſt Kalixtus.

MCIX. Imperator in Alamanniam revertitur, & ſubacta bellis Gallia, Reginaldum Barrenſem Comitem captum ſuſpendiſſet, niſi Principum deprecatio reſtitiſſet. Duxit autem filiam Regis Angliæ, in quibus nuptiis Lotharium Ducem Saxonum, Gebhardi ſupra dicti filium, ad gratiam ſuſcepit, nudis pedibus ſupplicantem.

MCXI. Beatus Bernhardus Ciſtercium eſt ingreſſus, ipſius ordinis & totius Eccleſiæ clarum ſidus, & mox exacto anno Abbas efficitur Clarevallenſis. Iterum contra Imperatorem fit conjuratio, & prælia ſuſcitantur, Imperiumque in ſe colliditur & turbatur. Qui Italiam ingreditur, Chunrado ac Friderico ſororis ſuæ filiis regni negotium commendans: & procinctum movens contra Urbem a Kalixto excommunicatur. Ipſe Burdinum Hiſpanum Sedi præfecit, quem Kalixtus captum in Sutrio, ante ſe Romam compulit Camelo ſedentem, habentem caudam pro fræno, eumque in latebris usque ad vitæ terminum conſervavit. Imperator in Italia nihil proficiens, rediit in Alamanniam & videns a ſe regnum deficere, apud Wormatiam a ſententia excommunicationis per Lampertum Sedis Apoſtolicæ Legatum abſolvitur. Privilegium quoque extortum de inveſtituris Epiſcoporum & aliorum Prælatorum reſignavit, canonicam electionem in omnibus fieri Eccleſiis conceſſit, & aliud ſibi & Eccleſiæ privilegium conſcribitur: ut electi non prius ordinentur, quin de manu ejus regalia ſuſcipiant per ſceptra. Quod factum eſt, pro bono pacis tantum, & ſic libertas Eccleſiæ reformatur. Sublato Kalixto idem Lampertus eligitur, qui Honorius II. eſt vocatus.

MCXII. *De fundatione Leupoldi Marchionis Auſtriæ, & Agnetis uxoris ſuæ.*

Hoc anno Dominicæ Incarnationis incœpta eſt fundari in civitate Newnburgenſi Baſilica a Marchione Leupoldo, & ab uxore ſua Agnete, & fundavit Sanctam Crucem, & perfecit Eccleſiam Medlicenſem. Deo enim favente Agneta Marchioni duobus minus quam viginti liberos genuit, quorum quidem tempore infantiæ octo de medio ſublati ſunt; undecim vero qui ſupervixerunt, ſex videlicet filii & quinque filiæ ad honores rerum temporalium non modicos fere omnes promoti ſunt. Primogenitus enim, Adalbertus nomine, advocatus Newnburgenſis Eccleſiæ factus eſt, & omnium Monaſteriorum ad advocatiam Marchionum pertinentium. Qui mortuus, ſepultus eſt in Clauſtro Newnburgenſi in Capitulo cum patre ſuo & matre. Secundus Hainricus, qui & diutius omnibus vixit, & a patre minus diligebatur: de quo plenius in ſuo loco dicetur. Tertius Leupoldus, qui factus eſt Dux Bavariæ, & mortuus ſepultus eſt apud Sanctam Crucem. Quartus Ernſto, qui in eodem loco ſepultus jacet. Quintus Otto, qui liberalibus ſtudiis appoſitus, & griſeus Monachus factus eſt S. Bernhardi. Sextus Chunradus Archiepiſcopus Salczburgenſis.

MCXIII. Hoc anno Hainricus Imperator Saxones juxta Weloliff hoſtiliter invaſit, a quibus victus cum paucis evaſit.

MCXIV. Iſto anno terræ motus factus eſt magnus per univerſam Teutonicam & Italicam regionem, IV. Nonas Januarii.

MCXV. Hungari juxta Leytam Teutonicos vaſtaverunt. Paſchalis Papa obiit.

MCXVI. *De Hainrico IV.*

Hainricus IV. Hainrici prædicti filius imperavit annis 15. Iſte ſuſcepto Imperio patrem ſuum capiens, in vinculis mori fecit. Hujus Imperatoris temporibus Rudbertus Guiscardus vicit Alexium & [2] Cymmianum Imperatores Conſtantinopolitanos. Iſte Rudbertus fuit quidam Francigena, qui veniens voluit Romam occupare: ſed vi expulſus regnum Apuliæ intravit, quod paulatim cepit. Hic habuit filium Rogerium Regem Siculorum, & filiam Conſtantini [3] Imperatricem, matrem Friderici Imperatoris, qui contra Ottonem promotus eſt. Iſte Rogerius genuit Wilhelmum Regem Apuliæ, qui fuit probus. His temporibus Paſchali Papæ ab ipſo Imperatore non bene pertractato, & mortuo, ſucceſſit ei Gelaſius. Sed quia Imperator electioni non interfuit, Hiſpanum quendam, nomine Burdinum, ipſi Gelaſio in Papam ſuperordinavit. Sed Gelaſio mortuo, Kalixto quoque in Papam conſecrato, Imperator cum omnibus ſibi aſſentientibus ab ipſo Kalixto Papa excommunicatur. Papa vero Kalixtus Romam proficiſcens, cepit Antipapam Burdinum in ea

[1] *deeſt aliquid in MS.*

[2] *leg.* ſeptem. [3] *ſic MS. f.* Çomnenum. Conſtantiam.

parte

parte civitatis Sutrium: ipſe vero Kalixtus ab omni ſenatu & populo glorioſe ſuſcipitur. Imperator tandem ad cor rediens inveſtituram Epiſcoporum & omnium Prælatorum per annulum & baculum, pro qua cum Paſchali Papa plurimum contenderat, Kalixto Papæ libere reſignavit, & conceſſit per omne Imperium in omnibus Eccleſiis Canonicam fieri electionem: poſſeſſiones & regalia, quæ fuerant ablatæ Eccleſiis, reſtitui fecit. Sed quia hic Imperator proprium ſuum patrem dehoneſtaverat, Dei judicio ſine omni hærede deceſſit: & ſucceſſit ei Lotharius Dux Saxoniæ in Imperio. Ipſe autem Hainricus prædictus Spiræ moritur, cum progenitoribus ibidem ſepelitur, & ſepulchro ipſius ſuperſcribitur iſte verſus: *Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet iſtic.*

MCXVIII. *De Ordine Præmonſtratenſi.*

Ordo Præmonſtratenſis incipit: *Anno millesimo centeno bis quoque deno ſub patre Norberto Præmonſtrati viget Ordo.* Quem locum Beata Virgo præmonſtravit, & ergo dicitur Præmonſtratum. Eodem anno Leupoldus Marchio Styriæ fundavit Monaſterium Ruenenſe in Stiria. Hic moriens reliquit filium Otakerum, per omnia virum magnum.

MCXX. *De Kalixto Papa II. Hic Epiſcopum S. Jacobi fecit Archiepiſcopum.*

Calixtus II. natione Burgundus, filius Comitis, ſedit annis 5. menſibus 10. diebus 13. & ceſſat diebus 5. Hic Papa cum Romam veniret, & Burdinum in Suerco [1] cepiſſet; poſuit eum in camelo verſa facie ad tergum, habens caudam cameli pro fræno: & ſic Papa eum per urbem deduxit, & in arce Funonis [2] ipſum retruſit. Hic Papa Epiſcopum Compoſtellenſem pro reverentia beati Jacobi Apoſtoli Majoris, qui ibi requieſcit, Archiepiſcopum inſtituit, ſubiciens ſibi totam Ennercanam [3] provinciam [4], Lucanamque Eccleſiam gratia Pallii decoravit. Hic Papa facta pace cum Hainrico Imperatore, in Eccleſia Lateranenſi eſt ſepultus.

MCXXI. Terræ motus factus eſt magnus per univerſam Theutoniam & Italicam regionem, IV. Non. Jan.

MCXXIII. Hainricus Imperator moritur ſine hærede, & in civitate Spira cum progenitoribus ſepelitur. Eodem anno quatuor regni Optimates eliguntur apud Maguntiam, Fridericus Dux Sueviæ, Leupoldus Marchio Orientalis Marchiæ, Carolus Comes Flandriæ, Lotharius Dux Saxoniæ; & hic obtinuit, dans Hainrico Duci Bavariæ filiam ſuam. Et prædeceſſoris progeniem graviter perſequi eſt exorſus, ſpecialiter Chunradum & Hainricum, qui in Norenberg & Spiram ſua præſidia locaverunt. Rex vero Norenberg obſidens a prædictis fratribus, civibus ſuccurrentibus, eſt abactus; Spira vero ſubdidit ſe per pacta. Fridericus autem Dux cum quibusdam Chunradum fratrem ſuum in Regem levavit: qui trans Alpinas a Mediolanenſibus eſt ſuſceptus, & ab Anshelmo eorum Epiſcopo coronatus, qui propter hoc depoſitus eſt per Papam. Interea Honorius moritur, & Petrus Leonis, qui dictus eſt Anacletus, & Innocentius eliguntur. Declinavit autem Innocentius ab urbe, & venit Allverniam, & inde Leodium: ubi ad eum venit Lotharius, quem petiit Eccleſiæ ferre ſubſidium contra Rogerium Principem Siciliorum. Rex de inveſtituris Præſulum faciens inſtantiam, nil proficiens.

MCXXIV. Iſto anno Adalbertus filius Marchionis Leupoldi cum aliis 120. accinctus eſt gladio. Iſto anno valida nix fuit in omnium hominum ammiratione.

MCXXV. Hoc anno Leupoldus Marchio Karinthiorum obiit. Eodem tempore Græci & Hungari apud fluvium Saiva caſtra metati ſunt VI. Kal. Martii.

MCXXVII. Hoc tempore Medlicenſe Monaſterium a Kalixto Papa conſecratur VIII. Id. Martii.

MCXXIX. Stephanus Rex Hungarorum obiit: Bela Cæcus ſucceſſit. Eodem tempore Lotharius Rex profectus eſt in Italiam. Hoc anno eclipſis Solis facta eſt, & tenebræ factæ ſunt IV. Non. Aug. hora nona.

MCXXXI. Iſto anno Sæculares Canonici de Newnburgenſi Eccleſia in Auſtria ſunt depulſi: & Regulares beati Auguſtini ſunt ibidem eis ſubſtituti.

MCXXXIII. Monaſterium Sytich fundatur a Pilgrimo venerabili Patriarcha, Ciſtercienſis Ordinis in Karniola. Fridericus Dux Juditham Hainrici Noricorum Ducis filiam duxit, & regnum quantum potuit, laceſſivit: ex qua genuit Fridricum Ducem Suevorum. Ea defuncta duxit filiam Domini Comitis de Sarburg, & genuit ex ea Chunradum Comitem Palatinum. Chunradus frater ejus, pluribus de ſuis ex infectione aëris amiſſis, Alamanniam ingreditur, & Lotharius per vallem Tridentinam: quem Innocentius jam reverſus in Eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, coronavit. Imperator rediens in Babenberg curiam celebravit: ubi interventu beati Bernhardi prædicti fratres in gratiam ſunt recepti. Quo facto Imperator Bohemorum Ducem, licet cum maximo ſuorum diſpendio, ſubegit; Polonos, Pomeranos, Rugos ad ſubjectionem compulit. Et iterum Italis eſt ingreſſus, Chunrado fratre Friderici, & Heinrico genere ſuo ſecum euntibus: & exteriorem Italiam in provinciam redegit, interiorem luſtrans, Apuliam, Campaniam, Calabriam peragravit, civitates & munitiones fortiſſimas expugnando; Beneventum per Hainricum generum ſuum captum Papæ reſtituit; Rogerium in Siciliam effugavit; Ducatum Apuliæ una cum Papa, ambobus vexillum tenentibus, Reginaldo Comiti, qui alibi Ramulfus legitur, contulerunt, ne alter alteri præjudicium generaret. Et rebus bene geſtis.... Eodem anno Bela cæcus Rex Hungarorum triumphat de Policis [1] ſed dolo. Facta eſt eclipſis media die Indictione XII. III. Non. Aug. Domus Sanctæ Crucis fundatur.

MCXXXIV. Dum Imperator rediret Tridentum, moritur, relictis regalibus Hainrico genero

[1] *leg.* Sutrio. [2] *al.* Fumonis. [3] *f.* Emeritanam. *f.* Diœceſim.

[1] Polonis.

nero suo Duci, corpus in Saxoniam transportatur. Hoc tempore dedicatum est Monasterium Newnburgense, ab Episcopis Chunrado Salczburgensi, Reymaro Pataviensi, Romano Gurcensi. Eodem anno Marchio Austriæ ejusdem Monasterii fundator ex hoc mundo migravit: cui filius ejus successit Leupoldus VI. Marchio Austriæ.

MCXXXV. *De Chunrado, & gestis sui temporis.*

Cap. VII.

Hainricus [1] prædictus in Confluentia eligitur, Hainrico Duce Bavariæ & Saxonibus electionem sugillantibus. Chunradus Rex a Theodewino Cardinale Aquisgrani coronatur: nam Brunone Præsule Colonienſe, ejusque successore Hugone ante Lotharium in Apulia mortuis, successor pallium adhuc non habebat. B

Hoc anno Leupoldus Marchio fundat in Austria Cœnobium S. Crucis. Porro Rogerius cum Reginaldo bellum instaurat, Apuliam gestiens rehabere. Beatus Bernhardus ibi tunc existens, pro destruendo scismate Petri Leonis laborans, Regi fugam, Duci prædixit victoriam gloriosam. Moritur autem Petrus Leonis, & cum eo scisma moritur septennale. Moritur & Dux Reginaldus: & Rogerius Apuliam ingressus fratrem Reginaldi cum nobilibus expulit, & corpus Ducis per platæas inhumaniter trahi jussit, civitates atque Monasteria nimis crudeliter devastavit, Innocentium Papam in Apuliam cum exercitu euntem cepit, & ab eo titulum regni [2] Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Calabriæ, Principatumque Capuæ vi extorsit: Duces C in Græciam misit, qui nobilissimas urbes vastantes, captivos & spolia plurima adduxerunt, ac inter alia pannorum sericorum opifices, quos in Phalernum [3] locavit, ipsaque arte Romanam urbem nobiliter illustravit.

MCXXXVII. Chunradus III. nepos Imperatoris Hainrici IV., frater Ducis Friderici Sweviæ, Rex efficitur. Filia Belæ Regis Ungarici desponsata est filio Chunradi Regis. Leupoldus Marchio Austriæ duxit uxorem.

MCXXXVIII. *De Johanne armigero vetusto.*

Johannes de temporibus armiger Magni Karoli, qui 340. & 1. annis vixerat, in Frankenfurt est sepultus. Rex Chunradus curiam indicit Maguntiæ, ubi Saxones in gratiam sunt recepti. Dux Noricus regalia reddere recusans, indignationem Regiam deportavit. In altera curia D Ratisponæ regalia quidem restituit; sed sine gratia Regis mansit, novissime apud Herbipolim proscriptus in Saxoniam commigravit.

MCXXXIX. *De Bernhardo Comite.*

Bernhardus Comes inclytus, frater Hainrici Ducis Karinthiæ, fundavit Victorienſe Monasterium in Karinthia. Leupoldus Orientalis Marchio moritur. Vir pius & pauperum consolator, ad S. Crucem in Austria sepelitur. Hoc tempore Noricorum Dux in Saxonia moritur, relinquens filium Hainricum, quem sibi Saxones in Principem ac Ducem sustulerunt. Et Chunradus Rex Leupoldo juniori fratri suo A Ducatum contulit Noricorum, ac alia attinentia.

MXLI. *De Synodo magna.*

Innocentius Papa plusquam DC. Episcoporum Synodum collegit, exceptis Patribus Sanctis, quorum ibidem maxima multitudo convenit.

MCXLII. *De Johanne Imperatore Constantinopolitano.*

Johannes Imperator Constantinopolitanus & Chunradus fœdus amicitiæ per nuntios percusserunt contra Rogerium, qui Ecclesiam & utrumque Imperium infestavit: dedit etiam filio Johannis Manueli sororem suæ uxoris in conjugem, ut firmior esset fides. Eodem etiam anno Leupoldus Bavariæ & Marchio Austriæ obiit: Hainricus frater ejus successit. Hainricus Dux Bavariæ & Marchio Austriæ, filius Leupoldi Pii Marchionis, duxit uxorem Gerdrudem filiam Lotharii: & Saxones pacificantur cum Rege Chunrado Romanorum.

MCXLIII. Innocentio subducto Cœlestinus II. eligitur: quo post sex menses subducto, Lucius II. substituitur. Hic a Romanis persecutionem passus, Chunradi implorat subsidium: quo infra anni spatium decedente Eugenius III. eligitur. Hic Græcos & Armenos non concorditer sentientes de Sacrificio & ritu Eukaristiæ & quibusdam aliis, ubi Divina ipse celebravit, jubet adesse. Quorum unus Pontificali præditus honore vidit super caput summi Pontificis solis radium fulgore splendido coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes. Divinitus sic edoctus, aliisque indicans, qua simplicitate fidei & gratiæ Romana Ecclesia refulgeret. Hoc tempore venit ad Eugenium Wilhelmus vir magnus de Pictavia in Tusciam pœnitens, ferrea tunica indutus, & asperrimam vitam ducens, quem Bernhardus instruxerat: eique & successoribus ipsa professio, quæ Wilhelmitarum dicitur, per Eugenium confirmatur. Leupoldus Marchio Ducatum Noricum potenter possidens, subacta Ratispona Bavariam potentialiter pertransivit, & super Licum prope Augustam judicia exercuit. Welfo autem frater Hainrici defuncti fortiter obstitit, sed non potuit prævalere. Leupoldo mortuo, & in Monasterio S. Crucis tumulato, Chunradus filiam Lotharii, relictam Hainrici defuncti, Hainrico fratri suo & Leupoldo cum Ducatu tradidit Noricorum. Quod idem Welfo graviter ferens, contra Hainricum Ducatum Noricorum attrivit gravissime incendiis & rapinis. Sed & Hainricus econtra ejus adjutores perscrutans, per Ecclesiarum munitiones eorum possessiones diripiens destruxit: nec resistere sibi valuit Welfo. Hic Hainricus contra Regem Gezam [1] Hungariæ prope fluvium Lytach pugnavit, prælians plus temere quam ignave: pluribus interfectis in opidum, quod Favianus dicitur, declinavit. Tenuit enim Marchiam Orientalem & Ducatum Noricorum, & utramque terram necesse habuit defensare. Hoc tempore Edissa capitur cum aliis locis Terræ Sanctæ, ubi in Christianos multa piacula per-

1 *leg.* Chunradus 2 *l. Regis.* 3 *an* Palermum *seu* Panormum?

1 Geysam.

petran-

petrantur: & in nocte Nativitatis Domini irruentes Sarraceni, exterminatis Christianis, vel in servitute subactis, ibi inhabitaverunt ecclesias ignominiose defædantes. Igitur auctoritate Papali beatus Bernhardus & Reges & Principes Galliæ & Germaniæ cum infinita multitudine cruce signavit, & ac hanc militiam incitavit, sicut epistolæ suæ missæ ad Babaros & in Orientalem Franciam protestantur.

De Cœnobio ad Montes in Styria.

Hujus Hainrici tempore, cum esset adhuc Rex Romanorum, in Stiria terra illi erat tunc Arnoldus Marchio. Tunc etiam Gebhardus Salczburgensis claruit Antistes, qui fundavit Cœnobium Admontes in terra Stiriæ. Hoc tempore Ministeriales præfati Ducis Hainrici Babariæ & Marchionis Austriæ, & milites Marchionis Stiriæ Otakari totam pene Austriam præda & incendiis vastaverunt.

MCXLII. *De Honorio Papa.*

Honorius Papa II. natione Bononiensis, sedit annis 5. mensibus 2. diebus 3. Hic Papa recepit Rogerium in gratiam: & facto homagio & fidelitate firmata, ipsum de Ducatu Apuliæ investivit. Hic Papa per Legatum Cardinalem duos Primates, qui nominantur Patriarchæ, scilicet Aquilegiensem & Venetum deposuit. Hic in ecclesia Lateranensi est sepultus.

MCXLIII. Obiit Venerabilis Præsul Chunradus Salczburgensis, qui professionem & habitum S. Augustini suis Canonicis introduxit: cui successit Vir Sanctissimus Eberhardus. Rex filium suum Hainricum consortem regni fecit: & electus in Frankenfurt, Aquisgrani coronatur. Adest ibi Hainricus, Hainrici quondam Noricorum filius, postulans suum Principatum. Rex quia ad passagium se paravit, petiit usque ad reditum inducias sibi dari ad causam finaliter terminandam. Eodem anno Ministeriales Ducis Hainrici castrum Regis Hungariæ, quod dicitur Bosonium, clanculo ceperunt; sed postea facta pace reddiderunt. Eodem anno Rex Hungariæ cum præfato Duce juxta flumen, quod dicitur Leytha, bellum contulit, & victor heu! extitit.

MCXLIV. Frater Regis Hainricus Dux Noricorum, filius fratris sui; Fridericus Dux Suevorum, Bernhardus Comes Karinthiorum prædicto Principi se jungentes, Hainricus Ratisponensis, Otto Frisingensis frater Regis, Reginbertus Pataviensis Præsules; Wenczeslaus Rex Bohemorum, Welfo Noricus, Otakerus Marchio Stiriæ per Bulgaros capiunt iter. Rex Francorum Ludwicus cum maxima multitudine per mare vadens applicuit Antiochiæ, & Chunradus Ptolomaide: & convenerunt inter Tyrum & Ptolomaidem mutuo se videntes, atque de negotio disputantes. His temporibus fuere Petrus Abelardus, & Geyselbertus Pictavensis. Quorum unus inter cætera scripsit, quod Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, quod Spiritus S. nulla potentia: quod Spiritus S. sit de substantia Patris, quod Spiritus S. sit anima mundi; quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo Diaboli liberaret, quod non peccaverunt, qui Christum ignoranter crucifixerunt. Alter disseruisse dicitur Divinam essentiam non esse Deum, quod proprietates Personarum non essent ipsæ Personæ, quod Theologicæ Personæ in nulla prædicarentur propositione, quod Divina natura non esset incarnata. Quibus Concilium Remense obviavit; & Beatus Bernhardus eleganter in contrarium disputavit. Monente Eugenio Papa exercitus Christianorum contra paganos versus Jerosolymam dirigitur cum Rege Romanorum Chunrado & Rege Franciæ Ludwico. Reinbertus Episcopus dedicavit Ecclesiam Wiennensem sub Eberhardo Plebano. Indictione decima facta est expeditio Christianorum Jerusalem sub Rege Chunrado. Eodem anno inter Regem Hungarorum & Ducem Austriæ Hainricum facta est juxta Leytha magna congressio; sed Hungari prævaluerunt. Eodem etiam anno obiit Reinbertus Episcopus: cui successit Chunradus frater Hainrici Ducis.

MCXLV. *De Innocentio Papa II.*

Innocentius Papa II. natione Romanus ex patre, sedit annis 13. mensibus 7. diebus 8. & cessavit Episcopatus diebus 2. Hic cum exercitu Imperatoris & Romanorum invasit Rogerium Ducem Apuliæ. Hic condemnat facta & ordinationem Petri Leonis. Fuit enim iste Petrusii filius Petri Leonis Cardinalis, & a paucioribus electus; & Anacletus dictus, volens hostiliter invadere Innocentium, sed non proficiens. Spoliavit armata manu Ecclesiam beati Petri, & peri violentiam aureum Crucifixum, pendentesque coronas cum toto thesauro abstulit. Ciborium quoque, quod S. Leo Papa construxerat, destruxit: idem fecit aliis ecclesiis, & cum isto thesauro pene omnes Romanos corrupit. Innocentius vero Papa in Urbe nullum habens subsidium, cum Cardinalibus in duabus galeis transivit in Galliam: ubi a Rege Francorum honorifice est receptus, sed a Lothario Imperatore cum gloria Romam est reductus. Episcopis, qui servitia magna Ecclesiæ fecerant, & sibi, ampliavit honores. Januensem scilicet Episcopum, qui sub Mediolano fuit, fecit Archiepiscopum, & Pisanum fecit Primatem totius Sardiniæ. Hic Romæ celebrato Concilio sollemni, sepultus est in Ecclesia Lateranensi, in concha Porphirica miro opere sculpta.

MCXLVI. *De Cœlestino II. Papa.*

Cœlestinus II. Papa, natione Tuscus de castro Felicitatis, sedit mensibus 5. diebus 13. & sepultus est in Ecclesia Lateranensi.

De Lucio Papa.

Lucius Papa II. natione Bononiensis ex patre Alberico, sedit mensibus 11. diebus 4. Hic Papa antea erat Presbyter Cardinalis S. Crucis: totam illam Ecclesiam a fundamento reparavit, sepultus est in Ecclesia Lateranensi.

MCXLVII. *De Lothario Imperatore.*

Lotharius imperavit annis 11. Hic cum Rex Romanorum esset factus, exercitum in Italia parat: & cum Archiepiscopis & Episcopis Papam Innocentium secum Romam deduxit, & in sedem Lateranensem collocavit, & ab eodem Innocentio in Imperatorem coronatur. Antipapam quoque Petrum Leonis, qui Innocentium

[1] *ita MS.* [2] *supple* Ducis.

tium Papam invaſerat, compeſcuit, ac ſedavit ipſe Imperator. Hic etiam Imperator Zelo Dei & Eccleſiæ accenſus, contra Rogerium Ducem Apuliæ, qui ſe contra Papam erexerat, & regnum Siciliæ occupaverat, una cum Papa Innocentio Apuliam potenter intravit: & fugato Rogerio in Siciliam, conſtituerunt Ducem Comitem Bayonenſem. Huic victoriæ ad laudem & gloriam ſummo Pontifici Piſani plurimum conſtituerunt [1] navigio. Eodem anno Chunradus Rex, mortuo Bernhardo Comite in partibus illis ac aliis pluribus, per Græciam rediit, & in Achaja viſo Manuele mare ſulcans apud Polam Yſtriæ civitatem applicuit. Hujus Lotharii & II. Innocentii Papæ temporibus tanta ſiccitas fuit in Francia, ut flumina, lacus, fontes & putei ſiccarentur. Ignis quoque prius terram ſubintraverat, nec imbribus, nec frigore, nec alia arte biennio extingui poterat. Eo tempore Romani contra voluntatem Innocentii Papæ & Imperatoris Senatum renovare conati ſunt. Hoc tempore fames valida fuit, & fere totam Italiam invaſit.

MCXLVIII. Floruit Reychardus de S. Victore, & Magiſter Petrus Lombardus, qui ſententias compilavit.

MCXLIX. Gratianus de Cluſa Tuſciæ Decretum compoſuit: & Hildegardis Monialis, quæ multa futura prædixit, in Alamannia famoſa fuit; cujus viſiones mirabiles in pluribus locis habentur. Rex Franciæ per Calabriam eſt reverſus, alii hinc inde ad diverſos portus marium ſunt appulſi. Hainricus autem Rex Chunradi filius vitæ ſumpſit terminum. His diebus Papa Chunradum gratulatoriis litteris ad Coronam Imperii invitavit. Ad quam dum ſe disponeret, apud Babenberg moritur, & ibidem apud S. Hainricum Imperatorem ſepelitur: Friderico filio patris Imperialia, & Fridericum ſuum unicum filium fideliter commendavit.

MCL. *De Friderico Primo, & tribus aliis.*

Cap. VIII.

Fridericus Dux Sweviæ, Friderici Ducis filius, in Frankenfurt electus, & Aquisgrani coronatus venit in Saxoniam: ubi Petrum Regem Daciæ de regno illo per gladium inveſtivit, qui in die Pentecoſtes Regi ſub corona incedenti ipſe coronatus gladium apud Martinopolim præferebat. Et indictis curiis, primam Herbipoli, ſecundam Ratisponæ, tertiam Göslariæ celebravit: ubi Hainrico Duci Saxonum Ducatum Bavariæ (paternam hæreditatem) ſententia Principum adjudicat. Hoc tempore Eugenius Papa moritur, & ſuccedit Anaſtaſius IV. ſub quo beatus Bernhardus Abbas Clarevallis, clarus miraculis & doctrina, tranſiit ex hac vita. De cujus laude quidam ita metrificavit, dicens:

Sunt claræ valles, ſed claris vallibus Abbas
Clarior his clarum nomen habere dedit.
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore,
Clarus eloquio, relligione magis.
Eſt mors clara, cinis clarus, clarumque ſepulchrum,
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

Hoc anno Fridericus de Stawffen per aſtutiam & magnam violentiam ad electionem Imperii Romani apud Maguntiam pervenit.

MCLI. Subducto Anaſtaſio, Adrianus IV. eligitur. Hujus problema fuit, dum vulgaretur Romanam Eccleſiam ſubſtantiam omnium Eccleſiarum devorare ita dicens: Membra corporis contra ſtomachum, omnium eorum laborem abſumentem, querulantur, & miniſterium ſibi obſequendi ſacramentaliter denegabant. Quod dum agerent; præ fame & inedia rigeſcere cœperunt & deficere, quousque ad rationis judicium deventum eſt. Quæ fecit concordiam, ſententians, fieri ſic debere, ut membra ſtomacho ſic deſervirent, licet omnia deglutiret, ipſe etiam ſanus in vigore membra omnia conſervaret. Rex Italiam ingreſſus Tridenam, Spoletum & multas urbes deſtruxit, quasdam ſubegit, & proſpere res agebat.

MCLII. *De Friderico Imperatore.*

Fridericus Imperator ab Adriano coronatur, & rediens cum Mediolanenſes faſtu ſuperbiæ tumentes pro tunc aggredi videret non competere; dimiſſis Primatibus, ſcilicet Pilgrimo Patriarcha, Eberhardo Babenbergenſi, Duce Karinthiæ, Otakaro Marchione Stiriæ, ipſe per clauſuras Veronenſes in Alamanniam eſt reverſus. Hoc anno Clauſtrum Scotorum in Wienna ab Hainrico Duce Auſtriæ fundatur.

MCLIII. *De mutatione habitus in Salczburg.*

Iſto etiam anno, videlicet MCLIII, Sæculares Canonici in Salczburgenſi Metropolitana Eccleſia per vim & potentiam Chunradi tunc Venerabilis Archiepiſcopi ibidem transmutantur, in Religioſos Canonicos, videlicet in Regulares beati Auguſtini. Nam antea per S. Rudbertum primum Salczburgenſem Epiſcopum Kathedralis ibidem Eccleſia fundata & inſtituta eſt apud S. Petrum, cum Abbatia & Nigris Monachis ſecundum conſuetudinem Angliæ: ubi in pluribus locis Abbatiæ & Cœnobia Nigrorum Monachorum habent Epiſcopos. Et manſit ibidem Epiſcopatus poſt obitum beati Rudberti 140. annis, usque ad ultimum annum beati Virgilii ejusdem Eccleſiæ Epiſcopi; qui ædificavit novum Monaſterium grandis ſtructuræ: in quod transtulit Reliquias S. Rudberti unacum Kathedrali Sede, & locavit ibidem Canonicos Sæculares. Et iſtud Monaſterium rexerunt Sæculares Canonici 380. annis, usque ad præſcriptum annum, in quo Regulares Canonici ibidem ſunt locati.

MCLIV. Apud Ratisponam Hainricum Ducem Saxonum in Ducatum Bavariæ reſtituit [1], conferens alteri Hainrico patruo ſuo Marchiam Orientalem cum tribus Comitatibus ad eam pertinentibus ex antiquo: & vexillo & privilegio tam ſibi quam uxori ſuæ, quæ filia Lotharii fuerat, confirmavit, nomen Marchionatus transferens in Ducatum, & deinde in reliquum a ſitu diſpoſitione Ducatus Auſtriæ eſt vocatus. Ipſa quoque Duciſſa de terra ſuæ nativitatis accerſens nobiles & amicos, qui ibi plantati a Maidburgenſi civitate metropoli Saxoniæ nobile usque hodie nomen habent. Poſt hæc Imperator uxorem propter conſanguinitatem dimittens, duxit filiam Comitis Burgundiæ Reginaldi: & ingreſſus Burgundiam Biſan-

[1] *ſupp.* præſtiterunt.

[1] *ſupp.* Fridericus Imperator.

tiæ

tiæ curiam celebravit. Veniuntque ad eum optimates regni, ſcilicet Lugdunenſis, Vienenſis, Valentinus, Avinionenſis, Arelatenſis Præſules propria in perſona. Alii quoque Laicalis dignitatis plures per ſuos Apocriſarios Imperatori hominium fecerunt; & ſic ſub titulo uxoris, quæ hæres fuerat, non ſolum Burgundiam, ſed & Provinciam cœpit familiariter poſſidere, adeo ut Ludwicus Francorum Rex non modicum formidaret.

MCLVI. *De Eugenio Papa II.*

Eugenius II. natione Piſanus, ſedit annis 8. diebus 20. & ceſſavit Epiſcopatus diebus 2. Hic erat primus Abbas S. Anaſtaſii, & multum ſimplex; ſed Papa factus, Deus eum mirabili gratia perfudit & eloquentia. Hic Papa fugit Senatum renovatum contra voluntatem prædeceſſoris ſui; ſed redeunti ad Urbem Clerus & populus Romanus cum magna lætitia occurrit, cantans: Benedictus, qui venit in nomine Domini noſtri. Hic Papa miſit S. Bernhardum Clarevallenſem Abbatem Ordinis Ciſtercienſis in Germaniam, ad prædicandam Crucem contra Sarracenos pro ſubſidio Terræ Sanctæ. Hic autem Papa per ſe ſignavit ſigno S. Crucis Ludwicum Regem Franciæ pro ſubſidio Terræ Sanctæ; Papa autem Concilium Remis celebravit. Reverſus vero ad Urbem Tybure obiit, & per mediam Urbem fere totius Cleri & populi cum maximo luctu ad Eccleſiam beati Petri eſt ſepultus circa majus altare.

Incidens.

Tempore Papæ Eugenii II.[3] claruit in Theutonia Hiltigardis Monialis, formoſa Prophetiſſa, vel fantaſtica vaticiniſſa, quæ in Pingwia[4] Cœnobio ſuper Renum requieſcit; hujus prophetia a multis non curatur.

MCLVII. *De Anaſtaſio Papa.*

Anaſtaſius, natione Romanus ex patre Benedicto, ſedit anno uno, menſibus 4. diebus 24. & ceſſavit diebus 20. Hic Papa fecit apud S. Mariam Rotundam novum palatium. Hic Papa dedit Eccleſiæ Lateranenſi Calicem pulchri operis, penſantem 20. marcas auri, & plura alia: ibidem in tumba Porphirica tumulatus eſt. Eodem anno Fridericus Romanus Imperator ſecundo Italiam profectus, & Mediolanenſes cum ipſo pacificantur. Eodem etiam anno rebelles exiſtunt: econtra Otto Friſingenſis Epiſcopus obiit, Leupoldi Pii Marchionis filius. Hainrico Duci Auſtriæ Leupoldus filius naſcitur. Newnburg combuſtum eſt.

MCLIX. *De Chunrado Rege.*

Chunradus regnavit annis 15. Hic a S. Bernhardo cum cunctis pene Principibus Crucis caractere eſt ſignatus: & illis temporibus ad inſtantiam Eugenii Papæ; & beati Bernhardi ſocii peregrinationis, ſuper numerum multiplicabantur: nam de Lotharingia, Flandria, Provincia, Anglia cum pene 200000. proficiſcuntur. Chunradus iſte Rex cum innumerabili multitudine peregrinationem aggreſſus, Yconium pervenit: cui Ludwicus Rex Franciæ cum magna militia per Hungariam deſcendens advenit. Sed ibi propter dolum Græcorum, qui calcinam farinæ miſcuerant, magnum detrimentum in hominibus paſſi ſunt, tandem ad Terram Sanctam pervenientes multa bella glorioſe geſſerunt: capta eſt etiam hoc tempore Aſcolona civitas ultra mare a Chriſtianis. Hoc tempore quidam Magiſter, Arnoldus nomine, prædicavit Romæ, reprehendens divitias, quem multi ſequebantur: qui poſtea captus ad odium Clericorum eſt ſuſpenſus. Hoc tempore mortuus eſt quidam Johannes, qui 361. annis vixerat, & armiger Karoli Magni fuerat. Hic Chunradus Rex poſtquam rediit de ultra mare, moritur: & licet 15. annis regnaverit imperando, benedictionem tamen Imperialem non habuit.

MCLX. *Lamentabile incidens.*

Hujus Chunradi tempore Falcho Rex Jeruſalem, dum leporem ſequitur præcipitandum, é converſo moritur morte ſubitanea: cui ſucceſſit Bauduninus[1] filius ejus, ſed puer. Sanguinus Rex Alapiæ cepit Ediſſam civitatem anno Domini MCXLV, ibi Archiepiſcopo & aliis Clericis, Religioſis & Sæcularibus, qui noluerunt abnegare Chriſtum, coram ſe decollatis. Dolor ingens & multa deſolatio Chriſtianitatis. Nam Sanctæ Virgines dabantur incæſtui, loca ſancta fiunt ſtabula jumentorum, corpus beati Thomæ Apoſtoli gentilium contactu polluitur, nomen Chriſti deriſio fit hoſtium, concultata ſunt omnia, & prophanata ſunt ſancta univerſa. Nam ipſe ſanguineus Turcus, ut fertur, ſuper aram beati Johannis Baptiſtæ ſpecioſiſſimas matronas maculavit. Qui ut avaritiam miſceret incæſtui, ut fertur, trecentas pulcherrimarum mulierum per plures civitates vænumdari præcepit. Audita itaque fama in Antiochia & in Jeruſalem, luctus factus eſt magnus, & omnis ætas ſumpſit lamentum. Rumor pervenit Romam & in Italiam, Franciam & in Germaniam, & ubique dolor ingens tetigit corda ſingulorum. Chunradus Rex Romanorum & Ludwicus Rex Franciæ dolore cordis excitati, ad ulciſcendam tantam injuriam copioſum moverunt exercitum. Sed quia cum ſuperbia egerunt, peccatis exigentibus, in Romania primo fame conſumpti, poſtea a Turcis fere vaſtati vix cum parvo exercitu usque Jeruſalem pervenerunt, & ibi etiam nihil dignum memoria egerunt. Unde magnam gratulationem Turcis & Arabibus duo ſummi Reges Chriſtianorum præbuerunt, & reverſi ſunt cum pudore. Hoc paſſagium contigit anno Domini MCXLVIII. & hic Chunradus Rex poſt reverſionem de Terra Sancta tertio anno obiit. Fertur autem, quod iſti duo prædicti Principes in paſſagio habuerunt 100000. militum; quamvis ibi parum de honore fecerunt, & paucos reduxerunt, peccatis noſtris exigentibus.

Eodem anno Arnolfus Maguntienſis Archiepiſcopus in templo S. Jacobi ab incendiariis occiſus eſt. Iſto anno Fridericus Romanorum Imperator III. Kal. Martii felicem & glorioſam de Mediolanenſibus victoriam adeptus eſt. Hoc tempore Geyſa Rex Hungariæ obiit: cui ſucceſſit filius ejus Stephanus. Stephanus filius

[1] leg. III. [2] III. [3] III. [4] Bingenſi. [1] Balduinus.

Geysæ regno suo restituitur, quo antea privatus fuerat.

MCLXI. *Incidens.*

Bolizlaus Dux Bohemorum apud Ratisponam Rex creatur, & accepto privilegio de usu Diadematis & aliis insignibus ad propria cum gaudio remeavit. Fridericus Imperator mox ad ingressum Italiæ accingitur, & adunatis 100000. armatorum prima fronte Brixiam capit, & castrensem ordinans disciplinam Mediolanum circumdat, singulos Principes deputans suis locis: ubi Ligur exiens, sedens dextrario Teutonicis ignaviam & equitandi imperitiam improperat. Cui dum nullus occurreret, Albertus de Tyrol, lancea armatus & clipeo, Liguri obviam projecit & dejecit, & castris maximum gaudium reportavit, Imperii quoque gratiam sibi & successoribus acquisivit. Civitas autem artata fortissimis conditionibus se subdidit, atque peractis post ejus ordinationem, & Imperatoris immemor sponsionum, Imperatorem ad reditum & sui excidium revocavit. Qua secundario obsessa & capta, turres, muri, domus, omnia sunt destructa. Hoc tempore Philippus Rex Franciæ, & Rychardus Rex Angliæ transfretantes Abbatem Joachim consuluerunt, in Calabria manentem, qui eis non prospera prophetat. Hic scripsit multa de Evangelio æterno, cujus sit mentio in Apokalypsi; sed & quædam ejus dicta Ecclesia condemnavit. Porro Imperator tres filios habuit; Hainricum, quem sibi consortem in regno fecit; Fridericum, quem secum habuit; & Philippum, qui Ducatum Sueviæ gubernavit. Concilium autem est habitum in Papia pro causa Pontificum electorum, & præsente Pilgrimo Patriarcha & aliis plurimis Episcopis causa Victoris præfertur: cui Imperator & concilium fideliter se submittunt, super quo epistolæ utriusque, electi Imperatoris & Cardinalium & Episcoporum, ad diversas provincias sunt directæ. Moritur hoc tempore Venerabilis Antistes Eberhardus Salczburgensis, Episcopatuum, Monasteriorum, Ecclesiarum piissimus benefactor, sepulchrum ejus miraculis multis fulsit: cui successit Chunradus Pataviensis, Imperatoris patruus, frater Hainrici Ducis Austriæ, & Ottonis Frisingensis Præsulis.

MCLXII. *De Tribus Regibus.*

Porro Mediolano funditus everso, Reynoldus Episcopus Colonensis petit tria corpora Regum sibi dari: qui ea sustulit, & cum corporibus Sanctorum Felicis & Naboris Coloniam transportavit. Hi a beato Thoma leguntur baptizati, & ab Helena ex Persidę in Constantinopolim translati, & abinde per Eustargium Episcopum consensu Manuelis Imperatoris ad urbem Mediolanensem apportati: nunc nutu Dei Colonensibus sunt donati.

MCLXIII. *De Rege Angliæ.*

Richardus Rex Angliæ expugnavit Cyprum insulam & plures civitates, ac infinita bona obtinuit Terræ Sanctæ; scilicet terræ Jerusalem, quod adhuc hodie in finibus gentilium terrentur pueri per eum mortuum. Et fecit hoc tamen, cum Jerusalem & sepulchrum Domini tota essent expugnata per Soldanum anno Domini MCLX.

MCLXV. *Incidens mirabile.*

Circa hæc tempora civitas Syracusana in Sicilia magnum terræ motum sustinuit, adeo ut Dominica die ante horam tertiam dum Missa cantaretur, ecclesia major cadens omnem clerum & populum oppressit: Sacerdote, Diacono & Subdiacono Missam publicam celebrantibus cum apparatu tantum salvis permanentibus, non sine magna omnium hominum admiratione.

MCLXVI. *Incidens.*

Chunradus Archiepiscopus Salczburgensis obiit: cui successit Albertus Bohemorum Regis Filius. Venit quoque Coloniam Ericus Rex Danorum offerens eis II aureas tres coronas. Ipsa nocte apparuerunt ei Reges; primus cum pixide auro plena dixit: Accipe frater aurum sapientiæ, per quam juste subjectum tibi populum judicabis; alter pixidem cum myrrha exhibens ait: Accipe myrrham pœnitentiæ, per quam motus carnis refrænabis; tertius dans pixidem plenam thure dixit: Frater, fidem ostendisti, & propter hoc expletis 23. annis feliciter nobiscum regnabis: & evigilans reperit pixides, quas in Daniam secum tulit. Huic S. Wenczeslaus Dux Bohemiæ apparuit, a fratre suo ante 300. annos occisus, dicens, quod a fratre suo sicut & ipse occidendus esset, & quod pro honore suo ecclesiam construeret. Qui Monasterium Cisterciensis Ordinis, quod Rivalia dicitur, fundavit: & post a fratre suo Abel occiditur, & in regno cœlorum Regum socius est effectus. Isto anno Otakerus, filius Otakeri Marchionis Stiriæ, Stiriam primo Ducatum facit. Eodem etiam anno in Nortica sylva multi homines luporum rabie dicuntur periisse. Hoc anno magna hyemali glacie recedente facta est inundatio, ita ut aqua flueret super muros aliquos in castro Kremense.

MCLXVII. *De Friderico Imperatore.*

Fridericus I. imperavit annis 37. Iste largus, strenuus, facundus atque nobilis, & in omnibus fuit gloriosus. Hic fecit, ut civitas Tyburtina reædificaretur, & primo anno suo Spoletum destruxit. Priori tempore Rex Alapiæ cepit Edissam civitatem, quæ in Genesi dicitur Corhi: Francos quoque ibi cepit, & Archiepiscopum civitatis Edissæ cum omni Clero, quia noluit abnegare Christum, coram se decollari præcepit. Et sic Edissa civitas Abagaro Rege Orthodoxo, cui Christus ante suam Passionem (sicut legitur in Ecclesiastica Historia) scripsit epistolam, demum per Apostolum Thomam vel Judam Christo dedicata, nunc est novorum Martyrum sanguine purpurata anno præscripto. Hujus Imperatoris tempore fames valida fuit, ita quod rubrum grani vendebatur pro 20. solidis Parisiensibus. Hoc tempore Sol obscuratus est ante horam nonam, & diu post nonam mansit obscurus. Eodem anno captum est sepulchrum Domini, & ejus sancta crux a Soldano. Hic Imperator cum ab Adriano Papa in ecclesia S. Petri esset coronatus, & cum in magno gaudio

II *i.* Tribus Regibus.

omnia

omnia peracta essent ante nonam ad stationem suam, quæ erat in prato Neronis; Romani armata manu familiam Imperatoris usque ad tentorium ipsius Imperatoris fugientem crudeliter invaserunt. Sed Teutonici adunati crudeliter Romanos repulerunt, prostratis multis & captivatis, qui precibus Papæ vix fuerunt restituti. Hic Imperator anno Domini MCLXII. civitatem Mediolanensem destruxit, muri ejus altissimi sunt suffocati, cætera in cinerem redacta. Et inde corpora trium Magorum in Coloniam transportavit per Rodulfum Colonien-sem Archiepiscopum: quæ corpora olim per Imperatorem in Constantinopolim, & inde a Sergio Mediolanum, & nunc a I. Friderico in Coloniam sunt transvecta. Cives etiam Mediolanenses coegit Imperator, ut ficus & alios fructus de posterioribus equorum & aliorum jumentorum per os tantum reciperent; & hoc proverbium hodie ipsis in obprobrium objicitur: scilicet *tolle ficus*. Sub isto etiam Imperatore S. Thomas Primas ac Metropolitanus Cantuariensis in Ecclesia sua Kathedrali occiditur, & a Papa Alexandro canonizatur. Hic Imperator cum pro subsidio Terræ Sanctæ transfretasset, non in mari totaliter, sed in parte; cum magno vero exercitu de Theutonia per Hungariam, Bulgariam, Serviam, Macedoniam, & per Græciam transiens in manu forti in Lycaoniam venit. Ibi de Phylomena & Yconio & aliis civitatibus gloriose triumphans, Soldano & Turcis rebellantibus domitis, devenit in Armeniam. Ibi, peccatis Ecclesiæ exigentibus, dum in æstu magnum fluvium, qui Ferum [1] dicitur, causa lavandi & refrigerandi intrasset, submergitur: & accepit omnis Christianitas damnum inæstimabile ex morte ejus. Filius ejus, quem secum duxerat, Dux Sueviæ corpus patris detulit usque Tyrum, ibique illud sepelivit. Et cum ipse Dux Ptolomaidem civitatem cum exercitu patris & Ecclesiæ obsideret, obiit. Eodem anno Leupoldus & Hainricus frater ejus, filii Hainrici Ducis Austriæ, accincti sunt gladio: & eadem die Leupoldo copulata est uxor sua filia Regis Hungariæ. Fridericus Imperator tertio in Italiam profectus est. Longobardi in deditionem venerunt, sed etiam anno eodem rebellaverunt. Imperator antequam proficisceretur, conventum Procerum Ratisponæ fecit: in quo Adalberto Episcopo Episcopatum Salczburgensem iniquo quorundam Episcoporum judicio abjudicavit, supposito sibi Hainrico Berthersgadmensi Præposito. Hoc tempore Albanum a Romanis concrematum est. Hic Fridericus prædictus Imperator inchoavit in Jerusalem hospitale pro fratribus & militibus Theutonicorum.

MCLXVIII. *De S. Thoma Cantuariensi.*

Tempore Friderici Imperatoris occisus est beatus Thomas Cantuariensis Primas. Tandem Hainricus Rex Angliæ per sollemnes nuntios excusavit se apud Papam Alexandrum de morte beati Thomæ. Sed ipse Papa Alexander misit duos Cardinales in Galliam, ut innocentiam Regis investigarent: coram quibus juravit Rex, quod nunquam de consilio vel de jussu suo fuerit interfectus, sed causa turbationis, quam erga ipsum habuerat. Mox obtulit 200. milites ultra mare per annum moraturos (seipsum etiam signans cruce infra triennium) transfretantes.

Interea Fridericus Imperator prædictus Ducem Karinthiæ Ducem strenuum, virum strenuum, postea Hainricum Ducem Austriæ cum viris dirigit ad Imperatorem Græcorum: quia Wilhelmus filius Rogerii in Apulia Imperium multipliciter molestavit. Quos Alexander Papa & Manuelem Græcorum Imperatorem & Lombardos concordavit, Hainricus enim Rex & Imperatoris filius sororem ejus Constantiam duxit. Hainricus Dux Karinthiæ hoc tempore Hermannum virum egregium, & Hainricus Dux Austriæ Leupoldum filium, Pilgrimus Patriarcha Ulricum morientes reliquerunt successorem. Hic Ulricus filius Comitis Wolfhardi de Creven Karinthiæ totum Comitatum obtulit sedi suæ. Hermannus Dux Karinthiæ Ulricum genuit & Bernhardum. Hoc tempore floruit Petrus Comestor Presbyter [1] Cretensis, qui vetus & novum Testamentum in Historia, quæ scholastica dicitur, comprehendit, & in locis plurimis obscura elucidavit. Hujus epitaphium legitur tale:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor.
Nunc comedor, vivens docui, nec cesso docere
Mortuus; ut discat qui me videt incineratum,
Quod sumus iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

Hoc tempore Otakerus Stiriæ Marchio moritur sine hærede, vir conspicuus & devotus, qui terram suam disposuit Ecclesiæ Salczburgensi: quem quia Præsul pro beneficentia non abhorruit osculari, maculis lepræ (ut fertur) respersum, Leupoldo Duci Austriæ consanguineo terram tradidit, quæ deinde est Austriæ adunata. Qui Monasterium Regularium in Stiria, quod Voraw dicitur, construxit, & in metis ejusdem suæ Marchiæ Monasterium Carthusiensis Ordinis, quod Vallis S. Johannis, sive Seycz dicitur alio nomine. Imperator ex Italia in Alamanniam revertitur. & Victor Papa moritur: cui Paschalis, Kalixtus, Innocentius successerunt, quibus omnibus Imperator favebat. Alexander autem in Franciam, deinde ad montana Tusciæ, novissime Venetias commigravit, omnibus illis scismatibus [2] subductis.

MCLXX. *Nota de Indulgentia Venetorum in assumptione Domini Papæ Alexandri.*

Temporibus Imperatoris Friderici I. qui a quibusdam cognominabatur Barbarussa [3], facta est discordia magna inter summum Pontificem, videlicet Alexandrum III. Papam, & ipsum Imperatorem. Et tunc idem Imperator potens erat quasi in omnibus provinciis Christianorum. Et ista discordia in tantum crevit inter ipsos, quod prædictus Papa propter potentiam Imperatoris a Sede sua expulsus exulavit: & in tantum exul est factus, quod etiam Rex Francorum ipsum suscipere ac sustentare non audebat.

[1] al. Selef *seu* Selephius.

[1] l. Trecensis. [2] Schismaticis. [3] al. Ænobarba vel Barbaroſſa.

audebat. Cumque per aliquod tempus ita exularet, præceptum factum est ab Imperatore per universum Imperium, quod siqua regio aut provincia, aut civitas, aut castrum ipsum Papam sustineret, deberet destrui penitus & evelli. Contigit autem, quod cum ipse Papa fugeret persecutionem ipsius Imperatoris, quasi desolatus ab omnibus, & nec quidem aliquem inveniret in omnibus provinciis Christianorum, qui eum contra præceptum Imperatoris, sustinere vellet, vel auderet, Venetias quasi ignotus ab omnibus venit, & se per tempus occultabat, faciens se pauperem presbyterum & peregrinum. Cum autem Venetiis moraretur occulte, & ignotus apud quandam Ecclesiam, quæ vocatur S. Maria de Karitate, & ibi serviret quasi Capellanus incognitus per aliquod tempus; supervenit quidam Romanus, qui quodam die perrexit ad eandem Ecclesiam, ut Missam audiret, & invenit ibi Dominum Papam dicentem Missam quasi pauperem Clericum aut Capellanum. Et cum eum diligentius intueretur, & vellet eum agnoscere; & respexit, & cognovit ipsum esse Summum Pontificem Alexandrum. Tamen adhuc eum cognoscere de se non confidens, reversus altera die ad eandem Ecclesiam, vidit ipsum Papam iterum celebrantem Missam. Adhuc non confidens totaliter vocavit ipse Romanus de suis aliquos, & quæsivit ab eis, si illum agnoscerent? Qui dixerunt, quod ipse esset Dominus Papa, sed hoc totum faciebat occulte. Statim autem cum ipse Romanus veritatem cognosceret, venit ad Dominum Ducem Venetiarum, & sibi indicavit, quod Dominus Papa esset in ipsa civitate Venetiarum, & in dicta Ecclesia. Quod dum Dominus Dux intellexit, gratias Deo retulit, quod ad illam civitatem tam excelsum Pontificem destinasset. Et convocatis Consiliariis & Magnatibus plurimis Venetiatum, & inito consilio cum ipsis perrexit ad dictam Ecclesiam, & ita invenit sicut dictus Romanus sibi nuntiaverat, & Papam cum honore & maxima reverentia susceperunt. Sed tamen ipse Dominus Papa negavit se Papam esse, donec ipse Dominus Dux & alii etiam Magnates Veneti sibi promiserunt, eum defendere ab omnibus inimicis suis. Et tunc palam factum est omnibus, quod Dominus Papa esset Venetiis, & ibi tunc cum honore maximo morabatur. Quo audito prædictus Imperator contra Venetos plurimum iratus, eo quod inimicum suum susciperet ac sustentare præsumpsissent. Tunc ipsi Veneti ad Imperatorem prædictum, qui tunc erat in Apulia, sollemnes nuntios destinaverunt, volentes tractare pacem atque concordiam inter Papam & Imperatorem. Qui renuens noluit habere pacem, nec concordiam cum Papa Alexandro. Dixit etiam, quod tempore æstatis vellet contra ipsos Venetos inire prælium, & eos penitus destruere, nisi ipsum Dominum Papam inimicum suum aut captivum, aut mortuum traderent. Quod audientes ipsi Veneti voluerunt potius se subjicere periculo mortis, quam derelinquere ipsum Papam, seu molestum aliquid inferre. Audiens tunc idem Imperator, quod Veneti sibi nollent acquiescere, misit ibi galeas triginta, & secundum quosdam multo plures, ad expugnandum ipsos Venetos. Audientes hoc Veneti econtra paraverunt & miserunt etiam ipsi galeas 25. & lignum unum, & erexerunt obviam galeis ipsius Imperatoris: & expugnaverunt & devicerunt exercitum Imperatoris, & captivum duxerunt filium Imperatoris, in Venetias, qui Capitaneus fuerat galearum Imperatoris, & designaverunt captivum Summo Pontifici. Cum hoc Imperator intellexisset, quasi furore repletus præcepit, nequis aliquid de pace loqueretur. Et tunc filius Imperatoris in captivitate Venetiis erat, qui promisit Domino Papæ & Domino Duci Venetiarum, se velle tractare pacem & plenam concordiam inter Dominum Papam & patrem suum Dominum Imperatorem. Qui sibi credentes, eum in Apuliam miserunt, ubi finaliter tamen pacem tractavit, his videlicet conditionibus: quod Imperator per se & in pace accederet Dominum Papam. Quod & fecit. Nam in Vigilia Ascensionis Domini nostri ipse Imperator cum plurimis galeis Venetias supervenit super portum Venetorum, & in die Ascensionis venit Venetias, & amicabilem fecit cum Domino Papa amicitiam. Nam in tantum se humiliavit ipse Imperator, quia persecutus fuit Ecclesiam Dei & Dominum Papam, quod in Ecclesia S. Marci consensit Imperator, quod Dominus Papa pedem super collum posuit, & ipse Papa tunc sibi dixit hunc versum Psalmistæ: *Super aspidem & basiliscum ambulabis* &c. Imperator tamen tunc respondit: *Non tibi, sed Petro:* & statim facti sunt optimi amici. Cumque hoc factum fuisset; ipse Dominus Papa sermonem fecit in ipsa Ecclesia S. Marci. Inter alia autem pronuntiavit ista, quod sicut sollemnitas magna erat in die Ascensionis in Roma; ita ammodo esse debeat Venetiis in Ecclesia S. Marci. Indulgentias autem in eadem Ecclesia dedit maximas, scilicet omnibus pœnitentibus vere & confessis, qui ad ipsam Ecclesiam S. Marci advenerint, & eam devote visitaverint diebus octo ante Ascensionem usque ad primas Vesperas, dedit Indulgentiam septimam partem omnium peccatorum: & a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas relaxavit culpam & pœnam omnium peccatorum omnibus, qui eandem Ecclesiam devote visitaverint. Ad hoc etiam octo diebus post Ascensionem relaxavit septimam partem peccatorum omnibus ut supra, qui visitaverint eandem Ecclesiam S. Marci.

MCLXXI. *Incidens lamentabile.*

Tempore Friderici I. Imperatoris multi interfecti sunt de Theutonicis, sed multo plures de Romanis: quorum magna pars sepulta est apud S. Laurentium extra muros, & habent tale epitaphium:

Mille decem decies, & sex decies quoque deni.

MCLXXII. *Incidens horridum.*

Hoc etiam tempore sub Alexandro III. Apostolico Romano per 15. annos terræ motus magni fuerunt per loca, ita quod Civitas Antiocena cum Tripoli cecidit; sed Damascus cum multis aliis civitatibus submersa est. Tunc quo-

que

que civitas Cathenenſium penitus everſa eſt, & plus quam 20000. hominum mortui ſunt, & mare retrogradatim verſum eſt, & 5000. hominum in Sicilia mortui ſunt. Hujus etiam tempore Mediolanum cum Cremona & Placentia civitatem unam conſtruxerunt, quam ut famoſior fieret; ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt: & poſt petitionem Lombardorum conſtituit eis Papa Epiſcopum. Papienſem vero Epiſcopum crucis Pallii dignitate privaverat, eo quod tunc Friderico Imperatori, & ab antiquo Regibus perſecutoribus Eccleſiæ adhæſiſſet.

MCLXXIV. *De Adriano Papa.*

Adrianus IV. Papa, natione Anglicus, ſedit annis 4. menſibus 9. diebus 28. & ceſſavit Epiſcopatus diebus 20. Hic prius Epiſcopus Norvegiam verbo Dei illam barbaram gentem diligenter in fide inſtruxit. Hic Papa factus propter vulnerationem unius Cardinalis totam Urbem usque ad condignam ſatisfactionem ſub interdicto poſuit. Hic Wiebnum [1] Regem Siciliæ excommunicavit: qui poſtea reconciliatus Domino Papæ, terram ab eo ſuſcepit. Hic Papa primus fuit, qui in Urbe Veteri cum curia ſua moram contraxit. Hic caſtrum & multas poſſeſſiones circa lacum S. Chriſtinæ a Comitibus comparavit. Hic coronavit Fridericum Imperatorem. Hic Papa ſepultus eſt apud S. Petrum.

MCLXXVI. *De Alexandro Papa.*

Alexander Papa III. natione Tuſcus de civitate Senonenſi, ſedit annis 21. diebus 9. Hic Papa vicit Quatuor Sciſmaticos, Octavianum, Gwidonem Cremenſem, Johannem Frumenſem [2], & Landonem. Primus fecit ſe vocari Victorem, ſecundus Paſcalem, Tertius Kalixtum, Quartus Innocentium: quorum tres fuere Cardinales Presbyteri, qui per Papam excommunicati mala morte perierunt. Hoc tempore maximum ſciſma fuit, & ejectus fuit conventus Anaſtaſii, & Abbatis S. Pauli, qui locus per eundem Alexandrum eſt reſtitutus. Hic Papa Fridericum Imperatorem ad concordiam Eccleſiæ revocavit, qui tunc illos Scismaticos, prædictos Papæ invaſores, ipſis adhærendo manutenebat. Hic duo Concilia, unum Turonis, alterum Romæ celebravit. Fridericum Romanum Imperatorem, & Emanuelem Conſtantinopolitanum, & Guilhelmum Sicilicum, & Lombardos ad concordiam revocavit. Hic Papa poſtquam Patrimonium S. Petri per Imperium & Scismaticos fuiſſet occupatum, in Franciam tranſivit; ſed tamen Imperator reconciliatus fuit Papæ per emendam. Imperator aſſumpto Crucis charactere per terram, & non per mare; cum magna multitudine pro ſubſidio Terræ Sanctæ procedens, cum eſſet in Armenia, in parvo flumine ſubmergitur: obieruntque pene omnes Nobiles, qui eodem tempore cum Philippo Rege Franciæ, & Richardo Rege Angliæ cum magna multitudine transfretaverunt.

MCLXXVII. Dux Bohemiæ terminos Auſtriæ ingreditur, & totam terram usque ad Danubium & Marchiam fluvium incendio & rapinis inhumane vaſtavit. Eodem anno filii Ducis Auſtriæ Leupoldus & Hainricus Moraviam ingreſſi ſunt, omnia vaſtantes.

MCLXXVIII. *De Lucio Papa III.*

Lucius Papa III. natione de Luca, ſedit annis 4. menſibus 2. diebus 20. & ceſſavit diebus 13. Hujus tempore floruit Petrus Commentator. Papa Veronæ obiit, unde Verſus:

Lucem Lucca dedit tibi Luci, Pontificatum
Roma, Verona mori.

Hainricus Dux Auſtriæ Wiennæ obiit, & in Monaſterio Scotorum; quod ipſe fundavit, ſepelitur: Leupoldus filius ejus ſucceſſit. Eodem anno terminatum eſt ſciſma peſtilentiſſimum inter Papam Alexandrum & nobiliſſimum Imperatorem Fridericum: ad valvas S. Marci Venetiis facta ſunt hæc. Adalbertus Salczburgenſis Archiepiſcopus ab Alexandro Papa, ob favorem & gratiam Imperatoris, Eccleſiaſticis privatus eſt, & Chunradus Maguntinus illi eſt ſubſtitutus.

MCLXXX. *De Urbano III. Papa.*

Urbanus Papa III. natione Lombardus, ſedit anno 1. menſibus 10. diebus 25. Hujus tempore capta eſt Jeruſalem a Sarracenis cum ſepulchro Domini. Cum hoc audiret Papa ex dolore obiit, in Ferraria eſt ſepultus. Iſto anno Leupoldus Dux Auſtriæ contracto exercitu terminos Bohemorum ingreditur, vaſtans omnia. Alexander Papa Synodum generalem ſexcentorum & eo amplius Epiſcoporum in urbe Romana, media Quadrageſima, celebravit: Newnburgenſes a Domino Dypoldo Patavienſi Epiſcopo conſecrati ſunt in civitate Anaſi, ſub Wernhero Præpoſito. Hainricus Dux Bavariæ miro faſtu contra Imperatorem Fridericum & totum Romanum Imperium ſentiens, inſperata velocitate & facilitate de ſummo culmine honorum & temporalium bonorum cecidit.

MCLXXXI. *Incidens.*

Iſto anno Reliquiæ S. Virgilii Salczburgenſis Eccleſiæ Epiſcopi ſunt inventæ, ſub Alexandro III. Papa, & ſub Friderico I. Imperatore, ac ſub Chunrado Archiepiſcopo S. Eccleſiæ ſupra dictæ; & ſub Ottone Duce Babariæ: cum iſtæ Reliquiæ diutius, quam ad ducentos annos ſub ignorantia jacuiſſent. Nam ex perſecutione paganorum & Hunnorum, & etiam pravorum Catholicorum & Scismaticorum (quia quæ bene ab infidelibus remanſiſſent, pravi Katholici remanere non permiſerunt) hæc Sancta Eccleſia præſcripta fuit omnino deſolata & fere deſtructa, ſed ab iſto præſcripto Chunrado Archiepiſcopo ſuis ſumptibus fuit reformata. Et in illa reformatione, & lapidum fundamenti adæquatione inventum fuit ſepulchrum S. Virgilii cum pictura deaurata, & epitaphio litterali; & ſtatim miracula plurima pullulare cœperunt.

MCLXXXII. Leupoldus Dux Auſtriæ Jeroſolimam ivit, & inde revertitur, afferens portionem S. Crucis ad menſuram virilis manus.

MCLXXXIII. Dominus Chriſtannus Moguntinus Archiepiſcopus & Imperii Cancellarius obiit. Chunradus Salczburgenſis Epiſcopus ad Moguntinenſem Eccleſiam, a qua tempore

[1] *Vitioſe pro* Guillermum, Gwilhelmum *ſeu* Guilielmum.
[2] *al.* Strumenſem.

pore ſcismatis diſceſſerat, revertitur. Adalbertus quoque ſimiliter tempore ſcismatis a Salczburgenſi Eccleſia per violentiam Imperatoris pulſus, eandem ſedem recepit. Otto Palatinus Comes obiit.

MCLXXXV. Theodora uxor Hainrici Ducis Auſtriæ obiit. Hoc tempore Dyarmicius Rex ab Anglicis dolo occiditur: cui Domnoaldus filius ejus ſuccedens, Syfridum cum cæteris Anglicis, a quibus pater ſuus occiſus fuerat, occidit.

MCLXXXVII. *De Expugnatione Jeruſalem.*

Jeruſalem a paganis eſt expugnata VI. Non. Octobris. Urbanus Papa obiit: Gregorius ſucceſſit. Hoc anno dedicatum eſt Monaſterium S. Crucis a Venerabili Cardinali Theobaldo, Oſtienſis & Velletrenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ſanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ Legato, II. Kal. Februarii, prima hebdoma Septuageſimæ, in die Sabbathi, cum maxima Cleri & populi devotiſſima gloria. Eodem etiam tempore III. Kal. Martii altare S. Crucis & S. Mauritii ab eodem Cardinali, & altare S. Michaelis Kal. Februarii ab eodem conſecrata ſunt. Gregorius Papa præcepto & monitis, ut Chriſtiani milites Jeroſolimam contra paganos armati pergerent, compellere ſtuduit, Cardinales ſuos & Epiſcopos cum reliquis totius probitatis nuntiis transmittendo; Imperatori videlicet primo, deinde reliquis Eccleſiæ hominibus, & totius virtutis Principibus. Hoc anno Clauſtrum Scotorum Wiennæ a Domino [1] Wolkero Patavienſi Epiſcopo conſecratur. In honore S. Mariæ, & S. Gregorii Confeſſoris.

MCLXXXIX. *De Hainrico VI. & Ottone IV.* Cap. IX.

Hainricus VI. imperat annis 8. Hic fuit coronatus a Cœleſtino Papa, & ipſe Imperator Romanis tradidit regnum Tuſculanum, & deſtructum eſt ab eis: & eodem anno Sol obſcuratus eſt IX. Kal. Julii, fere a tertia usque ad horam nonam. Hic Imperator primo anno ſuæ coronæ Siciliæ regnum intravit, & cepit terram usque Neapolim: quam cum obſideret per tres menſes, tanta infirmitas invaſit exercitum, quod omnes fere mortui ſunt, ita quod Imperator cum paucis languens revertitur. Hic accepit Conſtantiam filiam Regis Siciliæ. Anno vero quarto Imperii totum regnum Apuliæ ſibi ſubjugavit. Tancredum filium Tancredi Regis Siculorum cum Margareta [2] matre ſua, & Regem Emperetarum [3] ſecum in Alamanniam duxit captivos. Tandem Panormi moritur Imperator, & orta eſt diſſenſio inter Principes Alamanniæ. Una pars elegit Philippum Ducem Sueviæ, fratrem Hainrici Imperatoris; alia pars eligit Ottonem Ducem Saxoniæ. Sed Innocentius III. Papa Philippo fuit adverſarius, eo quod frater ejus Hainricus Imperator contra Chriſtianam Religionem in regno Siciliæ Archiepiſcopos & Epiſcopos trucidaverit, & contra Romanam Eccleſiam tyrannidem exercuerit: propterea ipſum & omnes fautores excommunicavit. Ottoni vero Duci Saxoniæ fideliter adhæſit, & ipſum Aquisgrani in Regem Alamanniæ coronari fecit. Philippus autem Dux Sweviæ magnam Alamanniæ partem pro ſe habuit, ſed tandem doloſe ab Altigravo [1] occiditur; & ſic Otto obtinuit.

MCXC. *De Ottone Imperatore.*

Otto, natione Saxo, contra Philippum electus curias celebravit, & venit Auguſtam: ad quem venit Wolfkerus Patriarcha, qui Yſtriam & Marchiam Carniolæ, quæ Hainrico Marchioni Yſtriæ fuerat abjudicata propter crimen læſæ Majeſtatis in Philippum Regem, & Ludwico Duci Babariæ collata, ſibi reſtitui impetravit. Tandem ab Innocentio III. in Baſilica S. Petri eſt coronatus; ſed propter maleficium ſuum non fuerunt ſibi anni attributi. Hic accepta corona ſtatim pugnam habuit cum Romanis, & contra Papam regnum Apuliæ abſtulit Friderico Regi Siciliæ; unde Papa ipſum excommunicavit. Quarto vero anno Imperii ſui, cum incorrectus permaneret, depoſuit ipſum Papa, & ex ejus ordinatione Principes Alamanniæ Fridericum Regem Siciliæ in Imperatorem elegerunt. Qui veniens Romam ab Honorio Papa coronatur, & in Alamanniam veniens, contra Ottonem mirifice triumphavit.

MCXCII. *De Gregorio Papa.*

Gregorius VIII. natione Beneventanus, ſedit menſe uno, diebus 27. & ceſſavit Epiſcopatus diebus 20. Hic pro ſubſidio Terræ Sanctæ ad diverſas terras miſit ſuas litteras. Hic Piſis moritur. Hoc tempore Danubius jam vice altera contra ſolitum inundans, vicina loca cum hominibus occupat. Eodem anno piæ memoriæ Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ, ſequenti die Natalis Domini, circa caſtrum Graecz equo lapſus II. Kal. Januarii moritur, & in Domo S. Crucis ſepelitur: cui filii ſui Fridericus III. Dux Auſtriæ videlicet, & Leupoldus in Ducatum utriusque regionis ſuccedunt; Fridericus in Auſtria, Leupoldus in Stiria.

MCXCIII. *Dux Leupoldus cepit Regem Angliæ.*

Iſto anno Richardus Rex Angliæ a Leupoldo Duce Auſtriæ captivatur in Auſtria, cum ſimulaſſet ſe pauperem viatorem. Volebat enim experiri, unde haberet Dux Auſtriæ, quod talem pompam in abundantia exerceret, ſicut Leupoldus Dux in præſentia ipſius Richardi in ultramarinis partibus exercuerat. Sed in Auſtria pauper & viator cognitus captivatur, & magna pecunia ex ipſo torquebatur: de qua poſtea ſtatim Nova civitas & Fridberg ſunt ædificatæ, & munitæ, & circumvallatæ.

MCXCIV. *De Clemente Papa.*

Clemens Papa III. natione Romanus ex patre Johanne Scholari, ſedit annis 3. diebus 16. Hic apud S. Laurentium foras murum ordinat Clauſtrum. Hic Lateranenſe palatium fecit altius, & puteum ante æreum equum fecit fieri. Hoc tempore fames valida eſt in Teutonia. Iſto anno Fridericus Dux Auſtriæ & multi Principes Teutonici cruces acceperunt.

MCXCV. *De Cœleſtino Papa.*

Cœleſtinus Papa III. natione Romanus ex

[1] Wolfkero. [2] *al.* Sibilia. [3] *Sic MS.*

[1] *al.* Ottone Comite Palatino de Witelenspach.

patre

patre Petro Bubonis, consecratus die Resurrectionis, sedit annis 6. mensibus 8. diebus 11. Hic secundo die Resurrectionis, & secundo die Pontificatus sui coronavit Hainricum in Imperatorem. Hic Papa fecit palatium apud S. Petrum. Hoc tempore Chunradus Moguntinus Archiepiscopus & multi Principes signo S. Crucis signantur. Bela Rex Hungariæ obiit: Emiricus filius ejus successit.

MCXCVI. *De Innocentio III. Papa.*

Innocentius Papa III, natione Campanus ex patre Trasmundo, sedit annis 18. mensibus 4. diebus 23. Hic Papa inter cætera bona fecit hospitale S. Spiritus, & renovavit Ecclesiam S. Sixti. Hic Papa composuit Decretales, & Sermones & libros de miseria & conditione generis humani, & multa alia gloriosa. Hic universis Ecclesiis in Roma unam libram argenti dedit pro calicibus. Hic coronavit Ottonem in Imperatorem, & tandem deposuit ipsum. Hujus tempore Lincina pro parte conversa est ad fidem. Hic anno Pontificatus sui XVII. Romæ celebravit Concilium in Ecclesia Salvatoris, in qua fuit summa Prælatorum 1315. Tempore hujus Concilii consecravit Ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim. Hic in Concilio pro subsidio Terræ Sanctæ plura statuit, deinde inter Pisanam & Januam & Lombardos faciens pacem, & adhuc facere intendens apud Perusium est defunctus, ibique in Ecclesia S. Laurentii est sepultus. Perusini strictissime Cardinales artantes causa electionis Papæ, & secunda die elegerunt Honorium. Hoc tempore pullulabat hæresis in diversis partibus mundi.

Incidens notabile.

Hujus tempore a Francis capta est Constantinopolis & a Venetis. Et post plures dies plerique civitatis incolæ non credebant propter fortitudinem civitatis, & per quandam prophetiam, quæ dixit eis, quod per Angelum capi deberet. Sed hostibus per murum, ubi Angelus pictus erat, civitatem intrantibus, se deceptos incolæ per æquivocationem Angeli cognoverunt: & Balduinus ibidem Imperator constituitur, qui fuerat Comes Flandriæ; & hoc factum est Anno Domini MCC. Ad hunc Innocentium scripsit Galfridus poëtriam novam.

MCXCVII. *Incidens.*

Tempore Innocentii III. surrexit Abbas Joachim in Calabria, qui plures libros super Jeremiam & Apokalypsim de Oneribus Prophetarum conscripsit, qui transfretantibus prædixit, quod parum proficerent, eo quod nondum tempus advenisset: cujus libros Innocentius Papa damnavit. Damnavit etiam Almaricum quendam Carnotensem cum sua doctrina, qui asseruit ideas, quæ sunt in mente Divina, & creare & creari: cum secundum Augustinum nihil nisi æternum atque incommutabile sit in mente Divina. Dixit etiam, quod ideo finis omnium dicitur Deus, quia omnia reversura sunt in eum ut in Deo immutabiliter quiescant, ut unum individuum atque incommutabile in eo manebit. Dixit etiam, Deum esse essentiam omnium creaturarum. Dixit etiam, quod in karitate constitutis nullum peccatum imputaretur; unde sub tali specie pietatis sequaces omnem turpitudinem libere committebant. Dixit etiam, quod si homo non peccasset in duplicem sexum, perditus non fuisset, nec generasset; sed eo modo quo Angeli Sancti multiplicati sunt, multiplicati homines fuissent: & quod post resurrectionem uterque sexus adunabitur, & talem dixit Christum fuisse post resurrectionem. Qui omnes errores inveniuntur in libro, qui intitulatur Periphyseon, qui omnes libri damnati sunt, & ipse Almaricus cum suis Parisius est combustus.

MCXCVIII. Fridericus Dux Austriæ peregre moritur: Leupoldus IV. Dux Austriæ & Stiriæ, frater ejus, successit. Emiricus Rex Hungariæ expulsum fratrem persequens terminos Austriæ præda vastavit & igne. Wolfkerus Pataviensis quinquennii pace inter Christianos & Sarracenos composita, a Jerosolima rediens hostes Episcopatus fortiter compescuit. Constantia Imperatrix obiit, & parvulum, quem in sceptra nutriebat, Fridericum hæredem reliquit. Helena Ducissa Austriæ obiit.

MCC. Leupoldus Austriæ Dux & Stiriæ in die Pentecostes ambitione magna accinctus est gladio, præsente Chunrado Maguntino Archiepiscopo, Eberhardo Salczburgensi Archiepiscopo. Pax inter Regem Hungariæ & Ducem Austriæ componitur, fratre in consortio recepto. Chunradus Maguntinus Archiepiscopus obiit.

MCCI. Hoc anno terræ motus factus est magnus IV. Non. Maji. Expeditio quarta Jerosolimam.

MCCII. Isto anno Leupoldus Dux Austriæ nuptias Wiennæ, multis Principibus ibidem convenientibus, pompositime celebravit.

MCCIII. *Incidens.*

Leupoldus Dux Austriæ & Stiriæ Theodoram, neptem Regis Græcorum, duxit uxorem. Otakerus Rex Bohemiæ terminos regni Teutonicorum potenter intravit, & in pace rediit. Chunradus Ratisponensis Episcopus, & Ludwicus Dux Babariæ mutuis cladibus terram corruperunt. Constantinopolis capta & exusta, virtutem Gallorum mirari didicit. Emiricus Rex Hungariæ data fide per Religiosos viros fratrem suum dolo captivatum, & catenis constrictum perpetualiter incarceravit. Sed eodem anno Divina ultione percussus in fata concessit. Quo defuncto frater de catenis eripitur, & sub nomine tutoris filii fratris sui, quem pater infantulum coronaverat, super regnum Hungariæ sublimatur.

MCCIV. *Incidens.*

Patriarcha Aquilegiensis obiit: cui Wolfkerus Pataviensis Episcopus successit, & ipse Popponem successorem habuit. Philippus Rex exercitum Bohemorum secunda eruptione cum suo Rege fugavit, & non minus præda, quam victoria nobiliter potitur.

MCCV. *Incidens.*

Philippus Rex Romanorum post bellicos septennii labores tandem optatis pace & regno

a *mendose pro* Livonia.

potitur. Eymiricus Rex Hungariæ (mirum!) qua die fratrem dolo ceperat, revoluto tempore & ipſe captus interitu, quem conſortem habere noluit, hæredem reliquit. Græcia cum ſua Conſtantinopoli ob necem Regis Alexii, Porphyrigenetarum gente per viros ac fœminas deleta, in jus exterorum devenit: direptisque opibus contigit, non parvam Dominicæ Crucis portionem cum aliis ſacris Reliquiis Duci Auſtriæ Leupoldo perferri. Andreas Reginam uxorem fratris, & filium ejus hæredem Regem perſequens, terminos Auſtriæ usque Wiennam intrare coegit, ibique puer moritur: & Regina marito natoque orbata, auxilio Ducis ad terram ſuam Arragoniam proficiſcitur. Expeditio Regis Philippi verſus Coloniam, cui Dux Auſtriæ Leupoldus cum magno exercitu militum auxilium præbuit. Poppo Patavienſis Epiſcopus obiit.

De S. Dominico.

Hoc tempore, ſcilicet circa annum Domini MCCVIII. ab Innocentio Papa cum Legato duodecim Abbates Ordinis Ciſtercienſis in terram Albigenſium ad prædicandum hæreticis fidem Chriſti miſſi ſunt: quibus de Hiſpania Didacus Oxomenſis Epiſcopus habens ſecum S. Dominicum in Comitatu, pro hæreticis convertendis adjungitur. Aliis autem ad Cœnobia ſua revertentibus, S. Dominicus adhuc exiſtens Regularis Canonicus, manſit in Tholoſanis partibus, fidem Catholicam prædicando hæreticos & ſcismaticos per decennium confutabat, a quibus etiam ipſe diverſas adverſitates & contumelias frequenter ſuſtinuit. Habuit etiam a Spiritu S. tantam gratiam, ut in convertendis hæreticis ſatis eſſet fortunatus, & pro peccatoribus in effuſione lacrimarum multum erat largus. Et propter hoc adinvenit Ordinem Prædicatorum, ut hæreticos & alios peccatores frequenter adjutorio Spiritus S. converteret, & ipſe Deo Creatori in voluntaria paupertate & in omni juſtitia inceſſabiliter deſerviret.

MCCVI. *Incidens.*

Iſto anno fundata eſt Domus in Campo-liliorum. Eodem anno S. Chunigundis eſt translata. Hoc tempore Tartarorum Dominium initium habuit, & hi in diverſis partibus mundi inter omnes nationes barbarorum maxima & inaudita mala fecerunt.

Incidens de S. Franciſco.

Eodem tempore Johannes civis Aſſiſius mercator, ſed litteratus, a Spiritu S. contritus convertitur: & in ardente devotione Regulam Converſorum adinvenit, quam Innocentius Papa confirmavit. Tandem idem Johannes cognominatus eſt Franciſcus, & Ordo ſuus Ordo Minorum Fratrum eſt appellatus, & hic poſtmodum ad ſeminandum Verbum Dei in univerſam terram cum Fratribus Majoribus, id eſt, Prædicatoribus, ab Apoſtolico eſt miſſus.

MCCVII. Leupoldo Duci Auſtriæ naſcitur filius, Leupoldus nomine, VIII. Kal. Aprilis. Anno in præſenti ſurgunt Jacobitæ, nigras deferunt veſtes, ſpargunt verbum vitæ. Minores prædicant ut Iſrahelitæ ſub Innocentio, ſed & Cordelitæ. Iſti civitatibus ſolum commorantur, & de Evangelio vivunt & lucrantur. Dicunt hi communiter pie recolentes, quod nati ſunt pro patribus filii accreſcentes.

MCCVIII. *Incidens.*

Philippus Romanorum Rex dum expeditionem contra Prunswich parat, iniquo quorundam conſilio Principum Babenbergenſium ab Epiſcopo ejusdem loci invitatur, & ab Ottone Palatino Comite dolo occiditur: & Regina morte ejus cognita præ dolore moritur. Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ zelo fidei accenſus, cum pluribus Nobilibus terræ ſuæ in Newnburg ſigno S. Crucis inſignitur. Eodem anno peregrinatio puerorum.

MCCIX. *Incidens.*

Philippus a Palatino Comite Ottone per conſpirationem in civitate Babenberg occiditur: & Otto Romæ coronatur. Statimque cum Romanis pugnavit, & Fridericum Apulia ſpoliavit. Quem Papa excommunicavit, & ortum eſt inter Papam & Imperatorem diſturbium ſatis grande.

MCCX. *Incidens.*

Ottoni Regi ad concordiam regni filia defuncti deſponſatur. Otto Palatinus ob necem Regis Philippi capite truncatur. Otto de Brunswich, Hainrici Ducis Babariæ quondam expulſi filius, in Regem eligitur, & ipſe per Italiam cum expeditione pacifica ſecuritate Romam usque profectus, ab Innocentio Papa promotus Imperator efficitur. Otto proſperis ſucceſſibus mirabiliter elatus, adverſus Fridericum Regem Siciliæ Apuliam ingreditur. Peſtilens hæreſis Paterinorum cum plurimos Chriſtiani nominis ſerpendo corrumperet, auctore Deo prodita eſt, & variis tormentis multi eorum necati.

MCCXII. *Incidens.*

De Burgundia, Lotharingia & Arduena Superiori, Alamannia Rybauria pueri utriusque ſexus circa duodennium & infra, relictis parentibus, de loco ad locum tranſeunt, numerum ſemper adaugentes, nihil accipientes, nulli cauſam itineris dicentes, loca ſacra viſitant: & usque ad mare Oceanum in Pathmum pervenerunt, & ultra non comparuerunt. Unde quidam verſus:

Anno milleno bis centeno duodeno
Per mundum pueri vadunt loca ſacra tueri.

MCCXIII. *De S. Elizabeth.*

Mater S. Elizabeth occiditur, (quæ fuit ſoror Ottonis Ducis Meraniæ, Bertholdi Patriarchæ Aquilegienſis, & Egberti Epiſcopi Babenbergenſis, Hainrici Marchionis Yſtriæ. Sorores ejus fuerunt Sancta Hedwigis Duciſſa Poloniæ, altera Regina conjux Philippi Regis Franciæ, & Abbatiſſa quædam in Kytzingen provinciæ Franconiæ) a nobili viro Petro de Wardino, quia ipſa conſcia per fratrem Egbertum ſtuprata fuit uxor ejus. Cujus bona Bela filius ejus, ipſo proſtupro ſcripto [1], diripuit: & ex caſtro ejus Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis, quod Fons Belæ dicitur, fundavit. Epiſcopus quidam, dum mors ejus tractaretur, ripſit, Reginam interficere nolite timere: bonum eſt enim,

[1] *f.* proſcripto.

ſi omnes

si omnes consenserint, ego non contradico; & conventus [1]; transpositione verborum se salvat. Innocentius etiam Almericum Carnotensem, qui inter alia scripsit, Ideas in Deo existentes creari & creare, damnavit: cum in Deo nihil sit, nisi incommutabile & æternum. Qui postea Parisius cum suis sequacibus exustus est, qui dicere potuit Versus Ovidii:

Ac vos si sapitis, vestri præcepta magistri
Effugite, culpæ damna timete meæ.

MCCXIV. Hoc anno Leupoldus Dux Austriæ & Stiriæ pro subsidio Terræ Sanctæ transfretat, & in partibus ultra marinis in obsidione & expugnatione civitatis Damiatæ inter omnes Principes, cum eo & eodem tempore transfretantes, glorioſior in vita, in liberalitate & strenuitate inveniebatur.

MCCXV. *De Friderico II. & Vacatione Austriæ & Stiriæ, & Incidentibus.*

Cap. X.

Fridericus II. imperavit annis 32. Hic fuit primus Rex Siciliæ, in Imperatorem coronatus ab Honorio Papa. Hic ab infantia per Ecclesiam tanquam per matrem educatus, & ad Imperii fastigium Ottone damnato promotus: qui Ecclesiam Dei non fovit tanquam matrem, sed tanquam novercam in quantum potuit laniavit. Propter quod Honorius, qui ipsum coronaverat, eum etiam anathematizavit. Hic Imperator Cruce dudum signatus, durante sententia excommunicationis transivit mare, Terræ sanctæ paucam relinquens consolationem. Transfretaverunt etiam tunc plures Principes, scilicet anno MCCXLIII. videlicet Ludwicus Rex Franciæ, qui intrando terram cepit Damiatam; sed postea suis pene omnibus amissis captus fuit: & fide data quod statuto tempore rediret ad ipsos infideles sub specie captivati, devenit ad propria. Dominus autem Apostolicus Romanus absolvit ipsum ab ista promissione, & præcepit sibi, ne se infidelibus traderet in captivitatem. Hujus Imperatoris filius, nomine Hainricus, duxit Margaretham Leupoldi Ducis Austriæ filiam in uxorem anno Domini MCCXXV. Hic Hainricus apud patrem suum accusatus de rebellione est captus, & deductus in Apuliam; ac ibidem carceris squalore est suffocatus. Hic Imperator erat horribilis homo, Virgines pulchras fecit per venenum nutrire, ut semper & quotidie de veneno uterentur: & habuit circa has Virgines Physicos, qui ex veneno ægrotantes confortarent, aliquæ autem moriebantur; superstites autem successive ex consuetudine venenum usæ sunt sicut alia nutrimenta. Hæc occulte jussit fieri in curia sua, ut quando aliquis Princeps vel Nobilis fecit contra ipsum Imperatorem, quem tamen propter alias causas interimere non valuit, vel invadere corporaliter noluit; in reconciliationem dedit ei in uxorem unam de Virginibus prædictis. Statim quando tunc idem cognovit eandem, fuit intoxicatus incurabiliter, ac mortuus; & sic Imperator vindicavit se de suis inimicis. Hic etiam Imperator habuit viros fortissimos sub terra nutritos ad hoc, ut interficerent omnem ipsis monstratum absque omni contradictione, & cum his etiam aliquos Principes interfecit in suis propriis provinciis. Hic Imperator anno ab Incarnatione Domini MCCXXVIII. transit per Leuben civitatem Stiriæ, quia vocatus fuerat ab Australibus, ut provideret eis de Duce. Nam Ducem eorum Fridericum, filium Leupoldi Ducis, fatuum esse dixerunt. Sed Imperator eundem satis prudentem & strenuum considerans, contra Australes indignatus sine determinatione recessit, ipsis non reconciliatis Domino suo Duci prædicto. Tandem autem cum Imperator Fridericus ab Innocentio Papa damnatus, & ab Imperio depositus esset; procurante ipso Papa, Principes Alamanniæ contra ipsum Fridricum elegerunt Lantgravium Thuringiæ. Quo post parvum tempus mortuo, Wilhelmus Comes Hollandriæ denuo contra ipsum a Principibus eligitur, sed non diu post a Frisonibus occiditur, & uterque electus caruit benedictione Imperiali. Hic Fridericus post suam ab Imperio destitutionem, cum inter cæteras civitates Lombardiæ Parmam tanquam magis exosam sibi forti manu obsideret, a Legato Domini Papæ & Parmensibus turpiter est devictus: & amissis thesauris & aliis rebus suis, Apuliam rediens, ibique gravi infirmitate correptus sine Sacramentis & pœnitentia in anathematis vinculo est defunctus. Quem infirmantem Mayfredus [1] filius suus naturalis, ambiens regni Siciliæ dominatum & thesauros, uno Secretario Imperatoris conscio, timens, ne pater convalesceret, cussino super faciem posito patrem suum sic suffocavit, & tandem per nefas regnum Siciliæ obtinuit; gerens se pro pædagogo Chunradini nepotis prædicti Friderici: ipso Chunradino mendaciter post publicato mortuo, sibi ipsi coronam assumpsit. Sed quia post in præjudicium Papæ fecit; primo a Papa excommunicatur, tandem a Karolo Ottone per Ecclesiam promoto in regnum, Mayinfredus vita & regno privatur. Hic Fridericus ab Augusto Nonagesimus Quintus fuit Imperator. Obiit autem hic excommunicatus Fridericus Imperator anno MCCL. in die beatæ Luciæ Virginis. Eodem anno Innocentius Papa Ottonem Quartum in Concilio Lateranensi ab Imperio deposuit, quia fidelitatem Ecclesiæ non servavit. Hic fundatur Clymensis Episcopatus. Fridricus autem prædicti Hainrici filius Rex Siciliæ est electus; & transiens Forum Julii Aquilegiensi Ecclesiæ magnifica dona in possessionibus & libertatibus ac diversis juribus obtulit; & privilegio confirmavit. Venit navigio Romam, & honorifice susceptus est. Ottonem insequitur, & pugnans cum eo in territorio Constantiensi triumphavit. Hoc tempore S. Dominicus & Franciscus, Fratrum Prædicatorum & Minorum primarii, claruerunt vita & doctrina & miraculis. Otto Imperator ab Apulia prospere regreditur, regalibus quoque nuptiis Brunswich magnifice celebratis filiam Philippi Regis duxit in uxorem; sed celebres nuptiæ proh dolor! in lugubres exequias Reginæ in brevi con-

[1] *desse videtur* ea de re, *aut simile quid.*

[1] Manfredus.

vertuntur. Otto post annum excommunicationis non resipiscens Apostolica sententia pronuntiatur hæreticus, & ab Imperio deponitur omnino. Catholicis ab ejus reverentia & obsequiis cohibitis. Fridericus Rex Siciliæ Ottonem e vestigio secutus, favore & auxilio Principum Romanorum, regnum ingressus est, & ab omnibus glorioſe susceptus. Fridricus Rex Ratisponæ celebrem curiam habuit, plurimis Principum sibi jurejurando fœderatis. Leupoldus Dux Austriæ & Stiriæ cum magno comitatu ad Terram Sancti Jacobi ad debellandum paganos transierat. Multi Principum & aliorum fidelium in Hispanias profecti, cum Sarracenis die condicto, scilicet IV. Kal. Julii, bellum inierunt. Sarraceni robustos & feroces animos nostrorum non ferentes, magno sui detrimento terga vertunt. Isto quoque tempore

Surgit Magdalena cum suis sororibus laude
Christi plena.
Sunt & in Italia Fratres Humiliati,
Qui jurare renuunt, & sunt uxorati.
Veniunt & alii Fratres Constellati.
Dehinc Christi milites surgunt gladiati,
Fortes atque strenui sunt legitimati:
Qui exacti debitum bis hebdomatim.
Solvunt, & sunt alias caste conjugati.

MCCXVI. Hoc tempore Ordo beati Dominici & Prædicatorum ab Honorio confirmatur. *Incidens.*

MCCXVII. Hoc tempore Conventus Fratrum Prædicatorum in Frisaco recipitur ab Eberhardo Salczpurgensi Archiepiscopo, in die S. Johannis Ewangelistæ. Eodem anno Gerdrudis Regina Ungariæ occiditur. Isto etiam anno Andreas Rex Ungariæ, & Leupoldus Dux Austriæ (qui Campum liliorum in Austria Cisterciensis Ordinis, & Vallem S. Mauritii in Marchia Stiriæ Carthusiensis Ordinis fundavit) mare cum maxima potentia transierunt: ubi glorioſis operibus claruerunt.

De Genealogia Leupoldi Ducis Austriæ.

Ex quo facta est mentio de Leupoldo Duce Austriæ, generationem ejus scire expedit. Habuit autem idem Leupoldus tres filios, scilicet Leupoldum, Hainricum & Fridericum, & tres filias. Unam dedit Lantgravio Thuringiæ; secundam dedit Marchioni Misnæ; tertiam dedit Regi Hainrico filio Friderici Imperatoris. Filii vero prædicti Leupoldi, scilicet Leupoldus in pueritia obiit; sed Hainricus unam filiam reliquit, & Cœnobium Scotorum in Wienna fundavit, ubi etiam est sepultus; Fridericus vero post triumphum contra Belam Regem Hungariæ a propria familia doloſe est occisus, & hic etiam decessit absque omni hærede. Post mortem hujus Friderici multa discrimina orta sunt in Austria & in Stiria a propriis Baronibus, & ab alienis Principibus. Filia vero Ducis Hainrici prædicti primo nupsit Regi Bohemiæ fratri Otakeri, qui post Rex ibidem est factus. Mortuo vero Rege isto, hæc Domina nupsit alteri Principi de Paden circa Alamanniam, & hic ex ea genuerat duos pueros, scilicet Fridericum (qui tandem cum Chunradino cognato suo in Apulia a Karolo Ottone est decollatus) & unam A filiam, quæ tandem copulata est Comiti de Heunburg in matrimonio. Mortuo vero Principe isto de Paden, Domina prædicta nupsit Regi Bruzyæ [1], qui moram tantum faciens in Austria, reversus in patriam, uxorem in Austria linquens, & ad eam nunquam postea est revers: nullum ex Domina illa, sicut nec Rex Bohemiæ generavit puerum. Post recessum hujus Bruzeni magnæ iterum rixæ sunt exortæ: nam Rex Bela Ungariæ intromisit se de Ducatu Austriæ, Stiriam per se intrando: & quam diu ibi dominabatur, tam diu pisces inconsueti de Hungaria per aquas ascendentes, in Mura & in aliis aquis Stiriæ in multa copia apparuerunt. Tandem Otakerus Rex Bohemiæ Ducatum Austriæ sibi subegit ex toto, Ungaros de Stiria etiam depellendo. Relictam vero fratris sui Dominam Austriæ prædictam fere ex toto de hæreditate posuit, eam in Judenburg locando, & sibi eandem civitatem & Voitsperg tantum tribuendo; unde eadem Domina postea non nisi dicta est Ducissa de Judenburg. Otakerus vero Rex Bohemiæ ut tutius dominaretur in toto Ducatu Austriæ, de voluntate Apostolici duxit Margaretham tertiam filiam Leupoldi Ducis prædicti, relictam Hainrici Regis Alamanniæ filii Friderici Imperatoris: Quæ post obitum istius Hainrici Religioſa facta in quodam Cœnobio Monachorum se receperat, sed ad suscitandum semen ab eo Rege extracta, ducta est in uxorem anno Domini MCCLI. & post XI. annos cum ex senectute non generaret, dimisit eam, ducens aliam in uxorem idem Rex Otakerus, ipso adhuc dominante in Austria & in Stiria.

MCCXIX. Otto ab excommunicatione absolvitur, & moriens Friderico Regalia destinavit. Episcopus [2] Seccovienſis instituitur. Innocentio subducto Honorius III. ordinatur, qui anno MCCXX. Fridericum sollemniter coronavit. Hic primordio bene gessit, sed postea insolescens ab Honorio excommunicatur, & omnes a juramento sibi facto universaliter absolvuntur. Sublato Honorio Gregorius IX. succedit, qui sententiam Honorii roboravit, & tempestas valida est exorta. Nam Imperator Cardinales duos cepit, Papam in Urbe obsedit, passagium quod voverat non implevit, & in periculum multos misit, qui eum expectantes perierunt: inter quos Ludwicus Lantgravius Thuringiæ, maritus Sanctæ Elizabeth, transiit ex hac vita. Hic Fridericus duos filios habuit ex prima consorte, scilicet Hainricum & Chunradum: ex Blancha Marchioniſſa Montis ferrati genuit Encium & Menfridum. In principio anni ipsius Andreas Rex Hungariæ exercitum Christi relinquens discessit, non minima manu collecta; & in fine anni ipsius vix cum magno labore propria ingreditur. Damiata civitas regalis in Egypto sita, auctore Duce Leupoldo & instigante, ab exercitu Christianorum circumdatur. Pagani multas civitates proprias timore perterriti vacuas dereliquerunt: insuper & castella plurima propria valde munita propria manu destruunt. Hoc tempore civitas sancta Jerusalem ab ipsis paganis magna ex parte destruitur.

[1] *leg.* Ruſciæ. [2] *l.* Episcopatus.

ſtruitur. Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ glorioſe ad propriam terram revertitur. Civitas Damiata nocte furtive & miraculoſe a Chriſtianis capitur, nullo tamen Chriſtiano pereunte.

MCCXX. Otakerus Rex Bohemiæ ab Honorio Papa excommunicatur. Fridricus filius Hainrici Imperatoris, nepos Hainrici Imperatoris, Rex Romanorum ac Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ ac Dux Sweviæ, Cæſar & Imperator Romæ conſecratur ac ordinatur ab Honorio Papa III. x. Kal. Decembris.

MCCXXI. Dux Babariæ Ludwicus, Epiſcopus Patavienſis Ulricus cum aliis multis heu! malo modo ad Terram Sanctam tendunt. Civitas illa regalis Damiata in Egypto a Sarracenis ſine læſione Chriſtianorum captivatur: & multi Chriſtianorum, qui captivi tenebantur in paganiſmo, a vinculis reſolvuntur. Hoc tempore B beatus Dominicus migravit ad Chriſtum miraculoſe.

MCCXXII. *De Honorio III. Papa.*

Honorius III. Papa, natione Romanus, ſedit annis 10. menſibus 8. diebus 24. Hic Papa primo Pontificatus, ſui anno Ordinem Prædicatorum confirmavit, beato Dominico, natione Hiſpano, inventore & auctore ejusdem Ordinis procurante. Nam Innocentius Papa, qui durus ſibi in hoc fuit, viſione habita, quomodo Dominicus Sanctus Lateranenſem Eccleſiam cadentem humeris ſuis ſuſtentaſſet, confirmare deliberavit. Cum S. Dominicus a ſuis fratribus de Tholoſanis partibus, ad quos ab eo Papa miſſus fuerat, ad eligendam Regulam reverteretur; S. Dominicus invenit Innocentium Papam mortuum, & Honorium Papam conſecratum, a quo recepit confirmationem. Hic Papa Petrum Altiſiodorenſem Comitem in Imperatorem Conſtantinopolitanum coronavit. Hic Papa etiam Eccleſiam beati Laurentii foris muros, & Baſilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renovavit. Hic etiam Decretales compilavit. Hic Papa in Baſilica S. Petri Fridericum Regem Siciliæ in Imperatorem coronavit Romanorum: quem tamen poſtea ſibi rebellem, & Romanæ Eccleſiæ adverſarium comperiens anathematizavit, & Barones ab ejus fidelitate abſolvit. Hic Papa in Eccleſiæ Beatæ Mariæ Majoris ſepelitur: & Dominus Hugolinus Hoſtienſis Epiſcopus in Papam electus, Gregorius eſt vocatus. Hoc tempore magna ſollemnitas in D Wienna fit Ducé auctore Leupoldo: cujus etiam filia Duci Saxonum nuptiali thalamo eſt copulata. Gebhardus conſecratus eſt in Epiſcopum Patavienſem.

MCCXXIII. *Incidentia.*

In Longobardia terræ motus factus eſt magnus, qualis nec antea aliquando. Prixia civitas funditus eſt ſubverſa, & multi homines in ea perierunt. Romæ terra rubea pluit per integrum diem & noctem. Prædicatores miſſi ſunt Crucis per univerſum mundum. Andreas Rex Hungariæ Cruce ſignatur cum multis aliis. Hainricus Dux de Medlico obiit. Nix in Stiria ninxit, quæ verſa eſt in ſanguinem. Rex Tharſis, quæ dicitur Valewin, penitus devaſtavit & habitatores interemit, nec non & multos de Ruthenis interfecit auxilium volentibus illis præſtare. Engelbertus Archiepiſcopus Colocenſis [1] a quodam Canonico cognato ſuo interfectus eſt. Rex Romanorum Hainricus, juvenis filius Fridrici Imperatoris, filiam Ducis Auſtriæ & Stiriæ duxit in uxorem.

MCCXXV. *Incidentia.*

Papa agente [2], filiam Regis Jeruſalem; quæ hæres regni ſui fuit, accepit, quam in Apuliam cum corona regni duxit: & genuit ex ea filium Fridricum, qui Schoppus ab Italis eſt vocatus. Hainricum de conſenſu Principum Regem Alamannorum, Chunradum Ducem Swevorum, Menfredum Principem Tarantinorum, Encium Regem Lombardorum, Fridricum Regem Cuſorum declaravit. Hoc tempore multi cruce ſignati per induſtriam Cardinalis Portuenſis, qui dicebatur Chunradus, de Ordine Ciſtercienſi, & cujusdam de Ordine Prædicatorum, qui dicebatur Johannes. Hainricus Rex Romanorum, filius Friderici Imperatoris, duxit Margaretham in uxorem, filiam Ducis Leupoldi de Auſtria. Hainricus filius Ducis Auſtriæ duxit in uxorem Lantgravii de Thuringia ſororem: multi in ſollemnitate præ multitudine oppreſſi perierunt apud Nurenberg. Engebertus Colocenſis [3] Archiepiſcopus occiſus eſt.

MCCXXVI. *Incidentia.*

Epiſcopatus Laventinenſis inſtituitur. Hoc tempore Hainricus filius Ducis Auſtriæ, ex conſilio & auxilio quorundam iniquorum, ſe oppoſuit patri ſuo; atque caſtrum Haimburg præoccupat, matremque ſuam inde ſatis contumelioſe ejiciens; quod tamen Caſtrum pater C in brevi recepit. Deinde idem filius vitæ patris ſui multimodis inſidiatus eſt; ſed tamen Deo ſe protegente evaſit manus ejus. Fridericus Romanorum Imperator Prælatis Eccleſiæ & Principibus regni pro negotio Sanctæ Crucis Curiam apud Cremonam indixit. Longobardi vero timentes inſidias Imperatoris, viam ubique inter montana venientibus obſtruxerunt. Unde valde commotus Imperator cum aliis, tamen ſine læſione ipſorum, in regnum Siciliæ ſe tranſtulit, cæteri etiam ad propria ſunt reverſi. Fridericus filius Ducis Auſtriæ in Brunſwich nuptias celebravit. Chunradus Epiſcopus Ratisponenſis obiit. Hoc tempore beatus Franciſcus obiit in Chriſto.

MCCXXVII. *Incidens.*

Andreas Rex Hungariæ Ruſciam cum exercitu veniens, ab ipſis ſtatim fugatus receſſit, interfectis nonnullis de exercitu ſuo. Gens, quæ dicitur Valwin, fidem Chriſti ſuſcepit, ex quibus baptizati ſunt fere decem millia. Lantgravius Thuringiæ in paſſagio meſſis cum multis cruce ſignatis obiit, multis etiam retroſpicientibus, ad propria reverſi ſunt. Cæteri ſine rectore ad Terram Sanctam proficiſcuntur; qui computati ſunt ad octoginta millia. Hainricus Juvenis Dux, filius Ducis Leupoldi Secundi, obiit: & Ludwicus Lantgravius de Thuringia in transmarinis partibus mortuus eſt.

MCCXXVIII. Hainricus filius Ducis Au-

[1] *l.* Colonienſis. [2] *ſupple* Fridericus Imperator.
[3] *l.* Colonienſis.

ſtriæ obiit. Imperator Fridericus excommunicatus a Gregorio Papa mare transfretavit. Dominus Wernherus Abbas Sanctæ Crucis obiit. Dux Babariæ atque alii multi ex Nobilibus per Babariam Leupoldo Duci Auſtriæ & Stiriæ inſidias mortis parabant, quas tamen per Dei gratiam ſine læſione evaſit. Papa Gregorius VIIII. in Cœna Domini Imperatorem Fridericum tertium excommunicatum publice denunciavit. Unde non parum ipſi Romani turbati, ipſum Papam in ſecunda feria Paſcæ, in Eccleſia S. Petri infra Miſſarum ſollemnia, quæ perſonaliter celebravit, contumeliis & blasphemiis afficientes, ab injectione manuum vix abſtinuerunt; unde Papa in palatium apud S. Petrum ſe recipiens. Poſt aliquot dies Urbem exivit, & in Tuſcia primo apud Reatum, poſtmodum apud Periſium [1] habitavit: ubi habito colloquio Principes Imperii a fidelitate Imperatoris abſolvit. Imperator defuncta Imperatrice in puerperio, transfretavit, & a Cypro usque Akaron pervenit: ibi magna gloria ſuſceptus, & poſt paucos dies legatus Soldani eum honorifice recipiens ſuſcepit.

MCCXXIX. Terram repromiſſionis Chriſtiani poſſederunt per Imperatorem Fridericum. Idem Imperator rediit de transmarinis partibus in regnum ſuum Siciliæ, auxilio & conſilio Regis paganorum ſeu Soldani. Fridricus filius Ducis Auſtriæ neptem Reginæ Ungariæ repudiavit, quæ copulata erat ei in conjugio: & filiam Ducis Moraviæ [2] ſibi illicite copulavit, patre ſuo in omnibus his auctore. Imperator Fridricus in partibus exiſtens transmarinis, civitatem Sanctam Jeruſalem & majorem partem Terræ Sanctæ a Soldano Babilonico recepit: & treugis per decennium inter eos firmatis, Imperator revertitur in Apuliam, & fines regni Apuliæ ab exercitu Domini Papæ occupatos recepit. Exercitus Domini Papæ in tres partes diviſus, Theutonicis cruce ſignatis paſſagium impedivit. Longobardi & Tuſci cum Domino Papa contra Imperatorem conſpiraverunt.

MCCXXX. *Incidentia.*

Bohemi Auſtriam rapina & incendio, nullo reſiſtente, vaſtaverunt. Piæ memoriæ Dux Leupoldus apud Sanctum Germanum [3], moxque Miniſteriales ejus fere omnes contra filium conjuraverunt: primo dolo privantes eum theſauro patris, ac poſtmodum totam fere Auſtriam incendio & rapina vaſtaverunt. Imperator Fridericus reconciliatus Domino Papæ Gregorio, ab excommunicatione abſolvitur. Otakerus Rex Bohemiæ obiit. Tyberis alveum ſuum egreſſus vicina loca occupavit, & in urbe Roma usque ad gradus S. Petri aſcendit, unde Romani compulſi Dominum Papam revocaverunt. Dominus Papa & Dominus Imperator, mediantibus Principibus Alamanniæ, videlicet Berchtoldo Patriarcha Aquilegienſi, Eberhardo Archiepiſcopo Salczburgenſi, Epiſcopo Ratisponenſi, Auſtriæ & Karinthiæ Ducibus, & quibusdam aliis ad concordiam redierunt: & Dominus Imperator ab excommunicatione abſolvitur, & poſt abſolutionem hoſpitio & menſa a Domino Papa excipitur. Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ in reverſione apud Sanctum Germanum obiit, cujus [1] in monte Caſſino in Monaſterio S. Benedicti a Cardinalibus ſepelitur: & oſſa ipſius delata in clauſtrum ſuum, quod ipſe conſtruxit Lyrenvelde, ibidem ſepulta ſunt in die S. Andreæ ab Archiepiſcopo Salczburgenſi: & eodem dictum Monaſterium ab eodem Archiepiſcopo conſecratur. Cui filius ejus Fridricus V. Dux Auſtriæ & ultimus ſucceſſit. Idem Dux Fridricus duxit uxorem filiam Ducis Moraviæ [2], poſt repudiationem ſororis Reginæ Hungariæ. Rex Bohemiæ manu valida terram intrans, magnam terræ partem vaſtans incendiis & rapina. Syfridus Maguntinenſis Epiſcopus obiit.

MCCXXXI. *Incidentia.*

Leupoldus Dux Auſtriæ relinquens quatuor liberos Hainricum, Margaretham, Conſtantiam, Fridricum. Hainricus duxit Lantgravii relictam Thuringiorum, ex qua genuit Gerdrudem. Conſtantia nupſit Fridrico Misnenſium Marchioni, & genuit filios & filias. Margaretha duxit Hainricum Imperatoris filium, & genuit duos filios Hainricum & Fridricum. Hainricus [3] uxorem habuit ſororem Reginæ Ungariæ, quam poſtea repudiavit, & contra ſe maximum odium concitavit. Anno eodem beata Elizabeth apud Marchburgam Haſſiæ glorioſis clarens miraculis, tranſiit ex hoc mundo. Hoc anno Ludwicus Palatinus a quodam ignoto cultro occiditur, ſedens in pomærio ſuo. Imperator Hainricum filium ſuum ſuſpectum habens, eo quod contra ſe aliqua cum Principibus Alamanniæ, & ex ordinatione Papæ & Cardinalium moliretur, cepit, & ductum in Siciliam apud Maltam in carcerali cuſtodia interemit: & mox Chunradum Regem Alamanniæ declaravit, qui duxit uxorem Elizabeth ſororem Ducum Babariæ, ſcilicet Ludwici & Hainrici, & ſollemniter Aquis coronatur. Genuit filium Chunradum, quem poſtea Lombardi Chunradinum vocaverunt &c.

MCCXXXII. Ludwicus Dux Babariæ manicæ cultello transforatus eſt. Diſſenſio facta eſt inter Fridricum Ducem Auſtriæ adhuc puerum, & Miniſteriales ipſius, tandem humiliati deferunt obſides. Item facta Kariſtia, Pataviæ dabatur modius frumenti pro quinque talentis. Epiſcopus Patavienſis & Canonici ſui ſunt reconciliati cum Præpoſito. Orta eſt diſſenſio inter Illuſtrem Ducem Auſtriæ & Stiriæ Fridricum, & fratres de Chuenringe, Hadmarum videlicet & Hainricum. Hadmarus moritur, & in Clauſtro ſuo Czwetl ſepelitur a Venerabili Patavienſi Epiſcopo Gebhardo. Eberhardus de Praunſtorff Canonicus & Archidiaconus Patavienſis omnibus membris miſerabiliter mutilatur. Eodem etiam anno Fridricus Dux Auſtriæ & Stiriæ apud Wiennam militavit, & accinctus eſt gladio in Monaſterio Scotorum in Wienna ab Epiſcopo Patavienſi Gebhardo. Wichardus de Zebinge Wiennæ decollatur ab Orphano, nocte in domo Smelczarii.

[1] Peruſium. [2] *l.* Meraniæ. [3] *deeſt* obiit.

[1] *ſupple* corpus. [2] *l.* Meraniæ. [3] Fridricus.

MCCXXXIII.

MCCXXXIII. *Incidentia.*

Ungari intraverunt fines Stiriæ, & vastaverunt eos rapina & incendio. Stirienses vero congregati sine rectore persecuti sunt eos. Ungari vero longius eos trahentes a finibus suis, insidias ponentes post eos convertebantur: ad ipsos accedebant ante & retro, multi vero ex utraque parte mortui sunt, & multi debilitati vulneribus. Tandem Ungari victoria potiti, nobiliores ex eis captivaverunt: ex tanta multitudine vix quinquaginta fugerunt, reliqui omnes aut interierunt, aut captivi abducti sunt. Episcopus Babenbergensis & Dux Karinthiæ rapina & incendio mutuo se vastaverunt, sed in omnibus superior Episcopus semper extitit, civitates & castella Ducis combussit & destruxit. Postquam Venerabilis Episcopus Pataviensis Gebhardus Romæ ab Episcopatu cessisset, successit sibi Rudgerus Venerabilis Ecclesiæ Chyemensis Episcopus. Ekkebertus Venerabilis Babenbergensis Episcopus, postquam bellando vastavit Karinthiam, ab Hainrico de Vinkenstain in dolo captivatur, & per Illustrem Ducem Austriæ Fridricum liberatur. Post Octavam Johannis Baptistæ idem Dux Fridericus Bohemiam exercitu maximo congregato intrare volens, processit usque ad Castrum Vetaw. Quod licet omnibus videretur inexpugnabile, expugnavit, & alia quædam castra post prædicti expugnationem sibi fuerunt tradita. Audiens itaque Rex Bohemiæ, quod tantam multitudinem exercitus haberet, & castrum prædictum expugnasset; secessit per sylvam, licet proposuisset in campo occurrere Duci præfato. Rex Hungariæ circa festum Omnium Sanctorum Austriam exercitu magno intrans, partem terræ incendio & rapina devastavit, & usque ad Hœfelin pervenit: & interfectis multis de suo exercitu, & Nobilibus quibusdam captivatis, & civitate Tewen exusta & depopulata, ulterius procedere non valens pro concordia laboravit, qua habita revertitur ad sua. Et non post multum tempus idem Rex pacifice exeundo processit usque ad Novam civitatem, & ibi a Duce honorifice est susceptus, & firmam concordiam inierunt: ubi facta concordia, idem Rex Ducem amicabiliter ad Hungariam invitavit. Quo facto cum magno comitatu Hungariam veniens honorifice susceptus, rediit ad sua.

MCCXXXIV. Fridricus Dux Austriæ & Stiriæ cum magno exercitu & forti intravit fines Bohemiæ, & castrum, nomine Vetaw, cepit. Cumque ulterius vellet procedere nemine resistente, infirmatus est usque ad mortem; & sic omnipotens Deus conatum ejus male[1] restrinxit. Dominus Rudgerus Patavienſis Episcopus ordinatus est. Andreas Rex Ungariæ cum filio suo Bela partem terræ Austriæ incendio & rapina devastavit. Fridricus Illustris Dux Austriæ & Stiriæ, & Theodora Ducissa mater sua, in Octavis Paschæ ad festum Apostolorum Philippi & Jacobi nuptias sollemnes celebravit in campo juxta Stadlawe, ubi Margravius de Meissen sororem jam dicti Ducis, Constantiam nomine, duxit in uxorem, præsentibus Regibus Hungariæ & Bohemiæ, & Archiepiscopo Salczburgensi, Patavienſi, Babenbergensi, Saxoniæ & Karinthiæ Ducibus, & Lantgravio Thuringiæ mediantibus, & aliis quibusdam.

MCCXXXV. *De Gregorio Papa IX.*

Gregorius Papa IX. natione Campanus, sedit annis 14. Hic Papa sententiam, quam Honorius suus prædecessor contra Fridericum Imperatorem fulminaverat, roboravit. Hic cum Concilium celebrare Romæ nititur, a Friderico Imperatore viæ per terram & mare artantur. Duo Cardinales Otto & Jacobus Prænestinus, & multi Prælati & Clerici maxime per mare ad Concilium venientes, per Imperatoris fautores capiuntur. Hic Papa canonizavit S. Elizabeth de Theutonia filiam Regis Hungariæ, relictam Lantgravii Thuringiæ. Hic Papa cum ab Imperatore Fridrico, qui tunc ex magna parte Patrimonium Ecclesiæ occupaverat, in urbe obsideretur, videns pene omnes Romanos per pecuniam corruptos, excipiens capita Apostolorum, & processionem a Laterano usque ad S. Petrum faciens; animos Romanorum sic revocavit, ut pene omnes contra Imperatorem cruce signarentur. Quod Imperator, qui jam se credebat intraturum urbem, audiens, timensque, longe ab urbe retrocessit. Hic Papa canonizavit etiam beatum Dominicum & beatum Franciscum, autores Ordinum Prædicatorum & Minorum. Tandem Papa mense Augusto obiit in Christo.

Eodem anno Incidentia.

Tempore isto translati sunt SS. Franciscus & Dominicus. Tota hyeme illa tanta asperitas frigoris inhorruit, ut multi fluvii, qui ante large fluebant, a fundo usque ad summum ita indurescerent præ frigore, ut fluere desinerent. Circa tempus vero vernale cum solveretur glacies, Danubius ex multitudine glaciei & abundantia aquarum excessit terminos suos, turres, muros, domos, pomaria arboresque subvertit, hominesque multos extinxit, vineas & agros a se remotos vastavit, replensque omnia glacie immensi ponderis: quæ glacies per magnum tempus anni duravit ibidem. Andreas Rex Hungariæ cum duobus filiis suis Bela & Cholomanno, congregato exercitu magno (ut dicebatur) ducentis millibus, intravit fines terræ Austriæ. Dux vero econtra veniens cum xxx. millibus bene instructis, antequam ad rem veniret, exercitus Ducis fugam iniit cum Duce ipsorum, vix trecentis viris eos persequentibus. Postea Rex vastavit rapina & incendio circumquaque usque ad civitatem Wiennæ, nemine sibi resistente. Quod videns Dux, rogobat ea quæ pacis sunt: tandem pace firmata Dux recepit Reges in convivium, & exercitus Regis remeavit ad propria. Interea Rex Bohemiæ ex altera parte Danubii vastavit Austriam rapina & incendio usque Stadlawe: ubi dum moraretur, tanta inundatio pluviæ erupit fere per tres dies & noctes per Austriam & Hungariam, quod ante per multos annos non est visum vel auditum. Item Danubius ex abundantia aquarum terminos excedens agros, villas, segetes vastans: homines quoque, qui in insulas confugerant, cum jumentis suis & aliis rebus extinxit. Andreas

Rex

[1] *l.* malum.

Rex Hungariæ obiit. In ipso anno Fridricus Romanorum Imperator per Longobardiam intravit regnum Theutonicorum, filium suum Hainricum Regem Romanorum de Regno deposuit, & captivum in insulam marinam misit, multisque bene dispositis secundum justitiam sæculi & ordinatis, multa castra nociva destruxit, omnibus justitiam faciens tam majores quam minores homines injustos morte damnavit. Qui etiam Imperator Ducem Austriæ multoties multis legatis ac litteris accersivit; sed ipse velut superbus & contumax venire contempsit, timens suam stultitiam, ac sapientiam Imperatoris, & eos, qui querimoniam faciebant propter res suas immerito sibi ablatas. Mater etiam ipsius Ducis Theodora propter penuriam rerum, quam patiebatur, & propter timorem filii, ne se perpetuo includeret, de Austria fugiens Bohemiam venit.

MCCXXXVI. Isto anno Idibus Februarii frater Jordanus Prædicatorum Magister secundus; vita & doctrina laudabilis, ultra mare, ubi ad prædicandum Sarracenis ierat, in portu maris obiit. Hic plurima in vita sua fecit.

MCCXXXVII. *Incidentia.*

Fridricus Dux Austriæ & Stiriæ sæpe vocatus ad Curiam ab Imperatore Fridrico, & venire contemnens, tandem sententiam proscriptionis coram multis Principibus incurrit, tum propter contemptum, cum etiam propter querimoniam multorum Prælatorum Ecclesiarum, & Principum, ac diversarum personarum Ecclesiastici Ordinis & potentiæ sæcularis. Postea Imperator misit nuntium suum in Austriam, & interdixit ei gratiam suam, & consilium & auxilium: quem nuntium sui captivantes & male tractantes, tandem ad jussum Ducis est dimissus. Item idem fecit omnia claustra, quæ erant in principatu suo, uno die pariter irrumpi, & inquiri pecunias proprias & alienas, & inventas diripuit. Insuper in toto principatu suo recepit de unoquoque manso sexaginta denarios. Initium dolorum fuerunt hæc, & causa dejectionis suæ. Postea propter multas insolentias & enormitates suas, Wiennenses & aliæ civitates (præter Novam Civitatem) & Ministeriales in utroque principatu cœperunt se opponere ei. Deinde secutæ sunt rapinæ, & incendia, & irruptiones Claustrorum & Ecclesiarum & Castrorum. Deinde venerunt Rex Bohemiæ & Dux Babariæ ex latere Imperatoris in Austriam, qui tamen nihil profecerunt, nisi quod terram rapina & incendio vastaverunt. Hi terram & civitatem Wiennensem Burgravio de Nuerenberg comendaverunt, qui collectis multis venit versus Novam civitatem, locuturus Patriarchæ Aquilegiensi & Stirien sibus. In reversione secutus est eos Dux cum Comite de Bogen, & fugavit eos, cum haberent centum contra unum: cepitque duos Episcopos Patavien sem & Frisingen sem, cæterique turpiter & vix evaserunt. Tandem Imperator per Longobardiam intravit Stiriam, & subjugavit castra valde munita, multaque confregit, & uxorem Ducis abstulit. Quod ei maximum dedecus fuit. Cœnobium Prædicatorum Wiennæ consecratur.

Disturbium in Austria ortum est grande.

Imperator intravit Austriam, venitque cum multis Principibus Wiennam, ibique cum magno honore susceptus est, filiusque ejus Rex Chunradus per Danubium venit cum magno Comitatu Principum: ibique per tres menses latitantes, comedentes & bibentes quæ apud illos erant, & nihil aliud utilitatis operantes. Deinde Imperator relinquens Austriam, ingressus est Bavariam, & vices suas commisit Episcopo Babenbergen si Ekkeberto. Post recessum Imperatoris Dux in brevi quinque castra obtinuit. Deinde Stirien ses conducti ab Imperatore, Austriam intraverunt cum exercitu ad conservationem terræ, sed magis venerunt ad desolationem: quia in brevi nonnullis suis interfectis & captis, cum confusione ad propria sunt reversi. Interim Episcopus Babenbergen sis Ekkebertus in Wienna diem ultimum clausit, & sepultus est apud Scotos in Wienna. Imperator cum magno exercitu intravit Longobardiam, ibique fere per duos annos civitates sibi rebelles impugnans, sed non expugnans. Circa vindemiam, quæ satis sterilis erat ipso anno, venit Comes de Eberstain cum aliis multis ex præcepto Imperatoris, cui Dux occurrit circa Tulnam cum suis: cui cum resistere minime valeret, reversus est ad castra sua. Qui Comes in Wienna manens sine effectu, quia nulli se committere audebat propter infidelitatem, quæ tunc regnabat in terra.

Dissensio in Austria exorta est.

Rex Bohemiæ se opposuit Imperatori, cujus consilio & auxilio Dux quotidie crescendo intolerabilis factus est hostibus suis, civitates La & Ens, & multa castra obtinuit. Imperator interim manens in Longobardia, multos ex Mediolanen sibus cepit & occidit, & cum potestate eorum & carruca. Similiter multos de Bolonien sibus cepit & occidit; insuper vineas & oliveta & ficeta succidens & vastans. Eodem tempore idem Imperator a Domino Gregorio Papa IX. excommunicatur. Hoc anno Dux Austriæ cum sibi adhærentibus magnam copiam frumenti & vini colligens, & resistentibus[1] sibi in quantum potuit debellavit. Majores tamen tam in Austria, quam in Stiria Ministeriales ac civitates fortiter resistebant ei: quia fidei Ducis se committere non audebant.

De obsidione Wiennæ durissima.

Civitas Wiennen sis ita custodita est ab hominibus Ducis, ut vix parum aliquid deferretur ad manducandum & bibendum in ea manentibus. Et inde factum est, ut modius frumenti venderetur pro 7. talentis, & multi homines in terra præ fame perierunt: & aliqui ad sublevandum famis inopiam, ut dicebatur, canes comedebant. Vinum etiam valde carum fuit in ipsa civitate, & in tota terra, ut urna venderetur pro 12. solidis. Eodem anno civitas Wiennen sis cum tota Austria reversa est ad Dominum suum Fridricum.

Orta est guerra inter Regem Bohemiæ, & Ducem Austriæ difficilis. MCCXXXVIII.

Obscuratus est Sol in quibusdam locis, &

[1] *l.* resistentes.

factæ sunt tenebræ, ita ut stellæ viderentur in cœlo, circa festum S. Michaelis hora nona. Inter Regem Bohemiæ Wenczeslaum & Ducem Austriæ Fridericum discordia satis intricata est exorta, & hæc fuit causa. Cum esset ipse Dux fere exclusus a potestate Ducatus sui, quæsivit consilium Regis & auxilium, promittens ei totam terram ultra Danubium se daturum, si restitueretur honori suo. Quod ipse Rex satis competenter in quantum licuit & potuit, [1], offensam Imperatoris vilipendit. Insuper La civitatem habuit in potestate sua. Deinde cum esset Dux restitutus honori suo per orationes Monachorum, & Clericorum ac mulierum (ut creditur) quos ante minus dilexerat; his peractis quæsivit Rex a Duce id, quod promiserat, sed dissimulabat promissa persolvere. propter quod ex utraque parte satis dura contentio exorta est per rapinam & incendium & vastationem. Item Rex manu valida intravit fines Austriæ ad depopulandum terram; sed propter imminens frigus & clamorem pauperum reversus est ad propria. Cives vero La civitatem tradiderunt Domino suo Duci, Rege ignorante. Tandem controversia illa sic terminata est, ut traderetur filia Ducis Hainrici, fratris Ducis Fridrici, filio Regis Bohemiæ in conjugium. Quod & factum est. Anno eodem Chomani, gens immundissima, quæ carnibus utebatur fere crudis, pro cibo, & lacte equarum & sanguine pro potu. Hi miserunt quosdam ex suis cum Rege, Gothan nomine, ad Regem Hungariæ; rogantes, ut collocaret eos in terra sua, simulantes se fieri Christianos. Qui ad suggestionem Prædicatorum sine consilio Principum suorum suscipiens eos (heu malo suo!) sinebat habitare secum. At illi paullatim crescebant, & multiplicabantur super numerum.

MCCXXXIX. *Incidentia.*

Chumani, gens supra dicta & maledicta, intravit fines Ungariæ, & in die S. Paschæ intravit civitatem Rodna: illis edentibus & bibentibus & secure habitantibus, interfecerunt omnes Religiosos & irreligiosos, juvenes, virgines, senes cum junioribus, neminì parcentes. Deinde diffundebantur per totam provinciam istam sicut locustæ, sanguinem humanum sitientes, & effundentes velut aquam. Illi vero, qui prius habitare cœperunt in terra, conjunxerunt se suis, & facta est turba innumerabilis. Quorum Rex, nomine Gothan, seipsum interfecit, prius interfectis duabus Reginis, & aliis, qui secum in domo convenerant præ timore Ducis Austriæ: qui domum impugnabat, & tandem expugnabat. Rex autem Ungariæ collecta in unum multitudine copiosa, ut dicebatur, centum millibus, occurrit illis circa Pest. Illis ibi in castris quiescentibus, Chomani summo diluculo inopinate supervenerunt, & primo incendebant castra, deinde interfecerunt omnes Episcopos, Comites, senes & juvenes, nemine resistente, ita quod ex tanta multitudine vix pauci cum ipso Rege salvarentur, sub II. Friderico Imperatore excommunicato. His itaque perpetratis, secuta est alia gens, quæ dicitur Tartari, venientes ab ortu solis, quæ multa regna, civitates & castra subverterat, scilicet Ruscìam, Poloniàm cum Duce suo Hainrico, eo quod esset innumerabilis turma, cui nemo resistere auderet. His adjuncti erant hæretici & falsi Christiani, ut possent exercere malitiam suam in Christianos, & delere nomen eorum de terra. Quæ gens subjecit sibi Chomanos, ut in omnibus parerent eis. Tunc primo multiplicata sunt mala in terra, eo quod nemini parcerent: pacem aliquando quærentibus dabant, sed non servabant, Rex illorum se solum Dominum esse in terra dicebat; ideo nullius auxilium vel consilium, aut legationem recipiebat, nisi qui vellet sequi legem ipsius, scilicet negare Deum omnipotentem, & homines interficere. Idem quæsivit a Duce Austriæ per nuntios suos, sed ille non consensit. Pars etiam exercitus illorum intravit fines Bohemiæ & Austriæ, & multis interfectis ad suos remeabant. Horum omnium malorum auctores erant Comites, qui matrem Regis occiderant, eo quod filius eliminasset eos de sedibus suis. Non erat gens, neque regnum, quod non timeret audito nomine eorum. Quod malum cum percepisset Papa Gregorius, tactus dolore, & volens succurrere Sanctæ Ecclesiæ titubanti, sed non deficienti; misit Legatos suos prædicare, & dare Crucem in remissionem omnium peccatorum. Quod multi cum gaudio suscipientes, Reges, Duces, Episcopi, nobiles & ignobiles; senes cum junioribus parabant vindictam facere in filios diffidentiæ. Sed Dominus Imperator hoc fieri prohibuit, eo quod Rex Ungariæ ab eo vocatus venire contempsit, & loqui cum eo. Dominus Papa Gregorius non reconciliatus Imperatori obiit. Tartari & Chomani, nemine resistente & occurrente, recesserunt ab Ungaria cum infinita præda auri & argenti, vestium, animalium, multos & captivos utriusque sexus ducebant in obprobrium Christianorum. Qui intrantes Græciam, totam terram illam depopulabant, exceptis castellis & civitatibus valde munitis. Rex vero Constantinopolitanus, nomine Baldwinus, congressus est cum eis: a quo primo victi, in secunda congressione victus est ab eis. Interea fames horribilis & inaudita invasit terram Hungariæ, & plures perierunt fame, quam antea a paganis. Canes edebant & cattos, & hominibus humana caro publice vendebatur in nundinis. Deinde lupi rapaces & infesti, nemini parcentes, prævaluerunt in terra, ita quod vix aliquis de domo sua auderet inermis procedere. Deinde locusta id, quod seminatum erat, corrosit. In quindecim diætis in longitudine & latitudine homo non inveniebatur in regno illo. A Nativitate Christi non est tanta plaga & miseria visa & audita in aliquo regno sicut in Hungaria, propter peccata eorum. In plaga, & post plagam tales erant, quales ante fuerunt. Interea Ecclesia Romana Pontifice carebat, & Imperator civitates & castella Romanæ Ecclesiæ sibi subjugabat, & cæteri reditus ejus sibi parebant; nondum enim Longobardi sibi subjecti erant. Dominus Egloffus Abbas Sanctæ Crucis

[1] *deest* præstans, *vel* præstitit, & offensam &c.

[1] Eglolfus.

obiit: & Dominus Pilgrinus eidem ſubſtituitur. Fridricus Dux Auſtriæ & Stiriæ cum magno exercitu occurrit Regi Hungariæ apud Leytam, ibique pacificati ſunt ſine congreſſione: mox-que cum eodem exercitu, tranſivit Danubium, & intravit fines Moraviæ. Statimque Rex Bohemiæ, eo inſperato, occurrit cum multitudine magna: quo Dux comperto fugam iniit, & dilapſus eſt exercitus ab ipſo. Eodem tempore in Burgundia Imperiali per terram ſolutam a montibus circiter 5000. hominum ſunt ſuffocati. Nam unus maximus mons ſe dividens ab aliis montibus, per plura milliaria cujusdam vallis tranſiens ad alios montes acceſſit, in valle illa omnes villas terra & lapidibus operiendo &c. Eodem etiam tempore regnante Ferrando [1] Rege Caſtellæ, quidam Judæus in Tholeto comminuendo unam rupem pro vinea ampliandâ, in medio lapidis invenit concavitatem unam, nullam penitus diviſionem habentem, neque ſciſſuram. Et in concavitate illa reperit unum librum quaſi folia lignea habentem, qui liber tribus linguis erat ſcriptus, videlicet Ebraice, Græce & Latine, tantum de littera habens, quantum unum pſalterium, & loquebatur de triplici mundo, ab Adam usque ad Chriſtum, proprietates hominum cujusque mundi exprimendo. Principium vero tertii mundi poſuit in Chriſto ſic: In tertio mundo Filius Dei incarnabitur, naſceturque ex Virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur. Quod legens Judæus ſtatim cum tota domo ſua baptizatus eſt. Erat etiam in eodem libro ſcriptum, quod tempore Ferrandi Regis Caſtellæ prope Hiſpaniam debebat liber inveniri. Huic ſimile invenies in Conſtantino VI. Tempore Gregorii IX. Romanorum Apoſtolici, frater [2] Remundus, Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius & Capellanus Domini Papæ, ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit Volumen unum, & hoc ex mandato Papæ. Hoc volumen Papa miſit Bononienſibus, & ubique Doctoribus præcipiens illo libro Decretalium tantum uti. Ex illo Volumine fecit frater prædictus unam etiam ſummam, quæ dicitur ſumma Remundi.

MCCXL. *De Cœleſtino IV. Papa.*

Cœleſtinus IV. natione Mediolanenſis, ſedit diebus 17. & vacavit Papatus uno anno, menſibus 8. diebus 14. Hic Epiſcopus Sabinenſis, vita & ſcientia laudabilis, ſenex & infirmus, electus cito moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur. Hujus temporibus Fridrico Duci Auſtriæ jam ſub ſuo Dominio nihil habenti niſi Novam civitatem & Starhenberg caſtellum, Fridricus Imperator contulit ſibi ſuas terras, Auſtriam ſcilicet & Stiriam, reconciliando cum Baronibus. Eodem tempore exercitus Chriſtianorum cum Imperatore Fridrico de diverſis regionibus congregatus, viam ſancti ſepulchri aggreſſus eſt.

MCCXLI. *De Innocentio IV. Papa.*

Innocentius IV. natione Januenſis de Comitibus Lavaniæ, ſedit annis 11. menſibus 6. Hic Sedes Cardinalium a multo tempore vacuas de perſonis ex diverſis partibus mundi electis reſtauravit. Hic poſt magnum tractatum de pace cum Imperatore, dum ipſius adverſus Eccleſiam perpendiſſet contumaciam, clam Januenſium auxilio devenit in Galliam: & celebrans Concilium in Lugduno, ipſum Imperatorem velut hoſtem condemnat. Hic Lugduni canonizavit S. Edmundum Archiepiſcopum Cantuarienſem. Hic miſit S. Petrum, Ordinis Prædicatorum, in partes Mediolanenſes contra hæreticos, quem etiam occiſum ab hæreticis canonizavit. Canonizavit etiam Aſſiſii S. Stanislaum Cracovienſem Epiſcopum, qui a Sodomita Principe fuerat interfectus. Hic Papa, mortuo Fridrico Imperatore, Apuliam cum magno exercitu ingreditur; ſed non poſt multum tempus ipſe Papa Neapoli moritur, & ibidem cum honore ſepelitur anno Domini MCCLI.

MCCXLIII. *Incidentia.*

Tempore Papæ Innocentii IV. Ordinis Prædicatorum frater Hugo Cardinalis vita & ſcientia Venerabilis floruit, qui Doctor eximius doctrina prælucida totam Bibliam poſtillavit. Tempore etiam hujus Papæ Emericus [1], vel ſecundum alios Hainricus Rex Dacorum inclytus quieſcens [2] in ſtratu ſuo, apparuit ei in ſomnis S. Wenczeslaus dicens, quod ſuo genere mortis deberet mori, præcipiens ſibi, ut in honore ipſius Monaſterium conſtrueret. Qui Rex a ſomno ſurgens, ſtupefactus de viſione cœpit de S. Wenczeslao, de quo nunquam audierat antea, ab Epiſcopis & aliis, quis eſſet, perquirere. Et audiens, quod Dux fuiſſet Bohemiæ, & a fratre ſuo eſſet occiſus, cœpit ad honorem ipſius Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium conſtruere. Sed antequam plene conſumaſſet, anno ſcilicet Domini MCCL. a fratre ſuo etiam juniori, nomine Abel, occiditur. Sed hic Abel parum honoris ex hoc eſt aſſecutus: nam fratrem ad hoc occidit, ut pro eo regnaret, ſed ſequenti anno regni ſui a Frixoribus [3] eſt interemptus actualiter.

MCCXLIV. *Incidentia.*

Henricus Rex Romanorum in captivitate ſua obiit, relictis duobus filiis. Multi Principes Alamanniæ oppoſuerunt ſe Imperatori, & filio ejus Chunrado Regi Romanorum propter excommunicationem, in qua jam diu duraverat. Fridricus Auſtriæ Dux & Stiriæ uxorem ſuam, filiam Ducis de Meran, repudiavit coram Eberhardo Archiepiſcopo Salczburgenſi, & Rudgero Epiſcopo Patavienſi, & coram aliis multis litteratis & illiteratis. Dominus Innocentius IV. Papa ordinatur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Multæ civitates igne domeſtico conſumptæ ſunt propter ſiccitatem & ſterilitatem, quæ hoc anno inhorruerat. Duci Auſtriæ erant duo adoleſcentes, quos a juventute nutrierat in curia ſua ſatis delicate, quos etiam tenero amore amavit. Contigit autem, ut in quodam conflictu ambo vulnerarentur usque ad mortem. Unde ipſe Dux nimis conturbatus, compatiens miſeriæ eorum & dolori (quia deſperabantur a Medicis & ab omnibus, in ſummo Spiritu conſtituti) valde humiliter cum lacrimis ſupplicabat fere omnibus Viris Spiritualibus in ſuo Ducatu

[1] Fernando *ſeu* Ferdinando. [2] *al.* Raimundus.

[1] *al.* Ericus. [2] *ita MS.* [3] *perperam pro* Friſonibus *ſeu* Friſiis.

conſti-

constitutis, ut Deum exorarent, qui omnia A
potest, ut restitueretur adolescentibus sanitas
corporis. Promisit etiam [1] carnarium in San-
cta Cruce perficere, & in ducentis talentis, & in
manu potenti ire contra Prutenos, & justitiam
facere omnibus, maxime Viris Spiritualibus; &
omnia, quæ injuste possederat a morte patris sui,
restituere Dominis suis. Quem Deus omnipo-
tens propter bonitatem suam, & devotionem
Ducis exaudire dignatus est: restitutique sunt
statim adolescentes sanitati, & postmodum diu
viventes milites effecti sunt. Quod pro magno
miraculo habuit, deinde valde largam elemosy-
nam multis largitus est.

MCCXLV. Imperator cum persisteret in
pertinacia, & Innocentius cum mentis studio
quæsivisset, ut illi reconciliaretur, & ipse con-
temneret; in Concilio Lugdunensi hostem Ec- B
clesiæ judicavit & deposuit; & Lantgravium
Thuringiæ eligi procuravit. Hic cum Chunra-
do Imperatoris filio prælians triumphavit, &
quia grandævus fuerat, cito moritur, & Wilhel-
mus Comes Hollandriæ jussu Summi Pontificis
ordinatur. Hic multa obstacula propter resi-
stentiam civitatum & Nobilium est perpessus.

MCCXLVI. *Orbata est Austria Principibus.*
Quintus Dux Austriæ.

Fridricus Dux Austriæ contra Ungaros præ-
lians, super fluvium Leytach occiditur, filio non
relicto, corpus transfertur ad Monasterium
Sanctæ Crucis. Hoc anno moritur Venerabi-
lis Episcopus Salczburgensis Eberhardus, &
apud Rastat vicum suæ Diœcesis tumulatur: cui
Purchardus successit, datus per Sedem; sed in
via moriens Kathedram non ascendit. Statim-
que Capitulum Bernhardum Ducis Karinthiæ C
filium elegit, quem Papa propter nobilitatem
generis toleravit; sed status ei versatilis maxi-
ma gravamina Ecclesiæ parturivit. Australes
mittunt ad Imperatorem, ut eis provideat de
Principe deprecantes: qui misit Ludwicum
Ducem Bavariæ in Austriam; in Stiriam vero Co-
mitem de Aych, Swevicæ nationis, terras pro
tempore ordinare. Quo reverso Meinhar-
dum misit Comitem Tyrolensem, committens,
ut omnibus de judicio & justitia provideret.
Octava die mater sua [2] Ducissa Austriæ Theo-
dora obiit.

MCCXLVII. *Sextus Dux Austriæ.*

Australes spe hæredis Gerdrudim quondam
eorum Ducis filiam Hainrico Marchioni Mora-
viæ copulant: quo sine hærede defuncto, frater D
ejus Otakerus Marchionatum suscepit. Austria
a circumstantibus Principibus, & a Proceribus
propriæ terræ diversis præliis lacessitur & va-
statur.

MCCXLIX. *VII. Dux Austriæ.*

Hermannus Marchio de Paden intravit Au-
striam auxilio Ducis Babariæ, & duxit Gerdru-
dim in uxorem filiam Hainrici, qui fuit filius
Leupoldi, qui sepultus est in Campo-liliorum.
Hermannus Marchio de Paden voluit esse Dux
Austriæ; sed non valuit. Hoc tempore Rex
Encius, bellicosissimus Imperatoris filius, in fos-

[1] *i.* Ossarium *seu* Cœmeterium. [2] *i.* Friderici Au-
striæ Ducis.

sa alta prope Nutinam [1] a Bononiensibus capi-
tur, & in captivitate ultimum diem clausit. Fri-
dricus frater ejus Rex Tusciæ apud Florentiam
requievit.

MCCL. Imperator in obsidione Parmæ
cum dedecore in Apuliam est reversus, ibique
infirmatus in die Luciæ, in sua contumacia per-
manens transiit ex hac vita. Fertur, quod Men-
fridus eum cervicali pressum suffocaverit, the-
saurosque in Siciliam transtulerit, ipsum re-
gnum Chunrado fratri suo asserens servaturum;
omnes nihilominus portus atque aditus ma-
rium communivit.

MCCLI. Wilhelmus Comes Hollandriæ
Rex contra Frisones ducens exercitum, occidi-
tur: & Chunradus regno libere potitur, & sta-
tim ad iter Siciliæ se disponit. Margaretha Re-
gis Hainrici, fratris Chunradi, relicta, missis duo- B
bus in Siciliam filiis ad Menfridum; ipsa in ca-
stro Haymonis permansit in Austria; filii vero
hausto veneno sunt perempti. Gertrudis etiam
mortuo secundo marito in Austriam rediit, cui
apud Medlich necessaria disponuntur. The-
saurus Fridrici Ducis dividitur in tres partes,
una Margarethæ, altera Gerdrudi, tertia in Mis-
niam Constantiæ destinatur. Meinhardus Co-
mes audiens Imperatoris transitum, ad propria
rediit. Et Australes in Misniam mittunt, unum
de filiis Constantiæ sibi Principem postulantes.
Quos Rex Bohemorum arrestans invitavit, &
familiariter primo, post minaciter persuasit, ut
filium suum Virum strenuum Otakerum reci-
perent, asserens, utrique provinciæ profutu-
rum. Super quo dum nuntii territi repedarent,
rem ad eos, a quibus missi fuerant, deferre vo-
lentes, Otakerus sequitur præcedentes: & datis C
atque promissis donis plurimis, licet multis esset
contrarium, omnes ad sui complacentiam ex
utraque parte Danubii inclinavit; & sic Otake-
rus Austriam nemine resistente apprehendit.
Eodem anno Clerici Parisius a Pastoribus inter-
ficiebantur. Eodem anno Otakerus filius Re-
gis Wenczeslai Bohemiæ duxit in uxorem Mar-
garetham filiam Leupoldi quondam Ducis Au-
striæ, relictam Hainrici Regis Romanorum, filii
Friderici Imperatoris. Quæ post obitum sui
prædicti mariti in quodam Cœnobio Religiosa
fuit facta, sed nunc ex licentia Apostolici Ota-
kero Bohemo tradebatur, ad suscitandum Au-
stralibus hæredes.

MCCLII. *VIII. Dux Austriæ.*

Supra dictus Otakerus subjugat sibi totam Au- D
striam auxilio patris sui, qui adhuc vixit, & auxi-
lio quorundam Nobilium de Austria. Ungari
vastaverunt Austriam usque Tulnam, & incen-
dio vastaverunt, nullo resistente, infantes, mu-
lieres & viros in captivitatem duxerunt, & in-
numerabiles occiderunt, claustra incendiis &
rapina vastaverunt, Ecclesiam Medlich, quæ est
in foro, incenderunt, in qua referunt periisse
1500. homines. Illo tempore fregerunt Eccle-
siam in Waltersdorff, quam dolo ceperant, &
multos interfecerunt. Tertia feria post Pasca
libera civitas exusta est, ita ut nec una domus
esset residua: multi etiam homines interierunt

[1] *f.* Mutinam.

incendio, plures vero oppressi a turba, atque A conculcati pedibus fugientium mortui. Fames prævaluit in terra, & in tota Austria. Frumentum valde carum fuit, ita ut modius frumenti pro 11. talentis, & in aliquibus locis sola metreta daretur pro 3. solidis, & multi homines fame interierunt. Eodem etiam anno Gerdrudis Ducissa de Medlich duxit maritum Regem Rusciæ, in contumeliam amitæ suæ Ducissæ Austriæ Margarethæ, quam duxit Otakerus Rex Bohemiæ.

MCCLIII. *Incidentia.*

Obiit Wenczeslaus Rex Bohemiæ, pater Otakeri. Eodem anno Rex Rusciæ, relicta uxore, rediit ad propria. Eodem anno Bela Rex Hungariæ, & Ottakerus Rex Bohemiæ reconciliantur in Posonio, in festo Paschæ. Et Otakerus Rex Bohemiæ resignavit totam terram Stiriæ Belæ Regi Hungariæ, tali conditione, ut quidquid esset de terra Stiriæ ultra montem Semernicum, remaneret Bohemo cum tota Austria. Unde exortum est, quod isti in Nova Civitate & circum quaque dicuntur Australes, cum tamen eadem civitas sit sita in terra Stiriæ. Ottakerus ducta Margaretha Regina, per quam se firmavit, eo quod sibi resignaverit Imperialia privilegia de suo jure, Brunonem Episcopum Olmunczensem terræ præficiens, est in Bohemiam reversus. Hoc tempore Rex Chunradus per portum Lacezanum venit in Apuliam, & obsedit Neapolim, & muros per circuitum deposuit, decem suspendit civium potiores. Isto anno Otakerus Dominus Bohemiæ & Dux Austriæ cum multo comitatu profectus est versus Prussiam, circa Nativitatem Domini: quibus superatis, & fidem Christi spondentibus, reversus est in terram suam. Eodem anno Idus Junii Sabbatho post festum S. Trinitatis, tempore vigiliarum, facta est coruscatio magna in Pawmgartenperg, & horreum unum, & domus utensilium vasorum, scilicet ad vinum aptorum, & alia ejusdem generis armamenta fulmine repentino consumpta sunt. Item prædictus Dux captivavit quosdam nobiles ob ipsorum malitiam: ex quibus duos jussit decollari, scilicet illum de Ekkerczawe, & quendam nomine Eberamnum. Eodem anno fuit sterilitas per plures terras in vino & frumento: messis & vindemia satis mala fuerunt. Dominus Berchtoldus Episcopus Pataviensis obiit: Dominus Otto eligitur de Lonstorff. Otto Dux Babariæ obiit, &c.

MCCLIV. *De Alexandro IV. Papa.*

Alexander Papa IV. natione Campanus, sedit annis 7. & cessavit Episcopatus mensibus 3. diebus 4. Hic canonizavit Anagniæ S. Claram, quæ fuit de Ordine S. Damiani. Hic etiam Papa reprobavit duos pestiferos libros, quorum unus dicebat, quod omnes Religiosi, etiam Verbum Dei prædicantes, de elemosinis vivendo salvari non possint; alter vero asserebat inter cætera erronea, quod Ewangelium Christi, & doctrina Novi Testamenti neminem ad perfectionem duceret, & evacuanda essent post 1260. annos, & in sexagesimo anno deberet inchoari doctrina Joachim, quam autor libri & conditor nominavit *æternum Ewangelium*, totam perfectionem salvandorum hominum illi attribuendo. Dicebatur etiam ibi, quod Sacramenta Novæ Legis in sexagesimo anno evacuarentur, quæ omnia auctoritas Apostolica, & prædicti temporis experientia exsufflavit. Habuerat enim hic Papa fratrem & Magistrum Albertum Theutonicum de Ordine Prædicatorum, qui hæreticos prædictos & omnes eorum fautores per Sacram Scripturam devicit, & ipsis, ut contra fidem Catholicam unum verbum non auderent dicere, silentium in conspectu omnium imposuit gloriose. Hic etiam Papa excommunicavit Menfredum filium Fridrici Imperatoris, quia ex fictitio sibi assumpserat coronam regni Siciliæ, & Dominans ibidem, contra Ecclesiam se erexit. Hic Papa eligebatur in Apostolicum anno Domini 1254. Isto anno Rex Chun- B radus infirmatus moritur, immisso visceribus veneno per clysterem dolo Medicorum, sicut quidam dicunt, sepulcrum ejus in civitate Spirensium demonstratur. Relictam ejus Reginam Elizabeth Comes Meinhardus de Tyrol duxit, & genuit ex ea liberos utriusque sexus, de quibus inferius est dicendum. Meinfredus frater ejus, Chunradi filium Chunradinum falsè publicavit mortuum, & sibi ipsi Siciliæ imposuit diadema.

MCCLV. *Incidentia.*

Nobiles Stirienses Heinricum Ducem Babariæ invitant, ut super eos accipiat Principatum. Qui consulens socerum suum Belam Regem Ungariæ, verbis persuasoriis missus [1] est ad propria remeare. Interea Bela Stirienſibus dirigens munera, pene efficit partis suæ omnes, C quidam tamen munera contempserunt. Sed habito proposito juxta Ovidium, *Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque*, veniens in Stiriam Princeps declaratur: & disposita terra per Stephanum Ducem Zagrabiæ, in Ungariam est reversus. Porro Hungari terricolas nimium affligentes, Otakerum compellunt invitare. Philippus etiam electus Salczburgensis suæ fieri Ecclesiæ injuriam per Regem Hungariæ Otakero est conquestus, & metuentes Hungari ad propria redire sunt compulsi. Bela hoc audiens cum octingentis millibus armatorum Austriam ingrediens, omnia dissipavit. Gerdrudis Marchionissa accedens, jus suum, quod sibi in Austria & Stiria competere videbatur, obtulit: cui Bela filium Regis Ruthenorum tradidit, & in castro Hinperg nuptias celebravit. Interea D Otakero in patris sui exequiis, & in regni apprehensione occupato, Australes treugas faciunt, & statuto die placati Reges conveniunt, terras dividunt, ita ut Belæ Stiria, Otakero Austria permaneat: datis privilegiis, & distinctis terminis, montibus scilicet Hartperg & Semernig, compromittunt. Otakerus Gerdrudem in Stiria, scilicet in Judenburg destinavit, quæ jam de Regis Ungariæ fuerat ditione: quæ concipiens peperit filiam, sed maritum postea abscedentem non conspexit. Alexander Papa Menfridum, quia contra Ecclesiam regnum Siciliæ tenuit, excommunicavit, & contra eum grandem ex-

[1] *f.* jussus.

ercitum

ercitum ducit; qui labefactatus inaniter est reversus. Philippus electus Salczburgensis ad Papam defertur, quia non processerat, ut debebat. Fertur, quod in prælio, quod habuit cum Comite Gœritiæ Alberto, in quo eum captivaverat, inquinaverit manus suas. Menfridus Menfridoniam & alias civitates Siciliæ & Apuliæ communivit, & ad resistentiam dialiter se paravit, cum versiculo Ovidii, qui dicit: *Arma contra armatos sumere jura sinunt.* Nova demum concio consurgit Saccorum, Alexandro Præside IV. Romanorum; Fratres de matribus surgunt rubricati, signo crucis pectore namque sunt signati; hii, ut vulgariter dicitur, Fratres sunt beati.

MCCLVI. *De Bernhardo & Ulrico Ducibus Carinthiæ, Chunrado & Otakero. Cap. X.*

Hîc etiam vacat Imperium, sed tantum Incidentia sunt hîc posita.

Electoribus Alexander Papa mandat, ut provideant Imperio de persona utili & valente. Quidam vero convenerunt in Alfunsum Regem Castellæ, quidam in Rychardum Comitem Cornubiæ, Regis Anglorum fratrem: quorum uterque nihil vel modicum facere poterat pro rebus Imperii, nisi quod Electores commoda propria perquirebant. Et oriuntur dissensiones & guerræ gravissimæ, dilaceratur uterque status, Ecclesiasticus & militaris, & fluctuat totus orbis, & illud scisma duravit multis annis. Post mortem vero Fridrici Imperatoris Chunradus filius ejus sequenti anno per mare in Apuliam venit, ut post patrem susciperet regnum Siciliæ, & capta Neapoli muros ipsius funditus destruxit; sed cum sequenti anno infirmari cœpisset, a Medicis sibi venenum ministrantibus obiit. Alter fuit Chunradinus, nepos Friderici ex filio suo Hainrico, qui eundem generavit ex Margaretha filia Leupoldi Ducis Austriæ. Hic Chunradinus fuit verus hæres Siciliæ, quia Hainricus pater ejus erat senior filius Fridrici Imperatoris, si excommunicatio non restitisset. Vacante vero Imperio plura notabilia in diversis partibus mundi evenerunt, quorum non nisi pauca hic notantur. Isto anno Ludwicus, frater Ducis Babariæ Hainrici, interfecit uxorem suam nobilem Dominam de Brabantia, Mariam nomine.

MCCLVII. Hoc anno moritur inclytus Dux Bernhardus Karinthiæ, qui habuit uxorem Jeutam, amicam Otakeri. Quam, dum esset juvenis, in quodam festo vagabundus venit, ipsa aquam in manibus singulorum fundente, annulo aureo spoliavit: & audiens patrem cum fratre mortuos, rediit in Karinthiam, eamque in conjugio est sortitus, ex ea Philippum, Ulricum, Bernhardum generans. Qui Bernhardus in Monasterio Fontis S. Mariæ, quod Lanndstrost dicitur, cum matre requiescit, quod pater fundare laudabiliter est exorsus. Ipse in Valle Lavent in Monasterio S. Pauli quiescit. Ulricus post patrem gubernacula suscipit. Hic Agnetem filiam Ottonis Ducis Meraniæ accepit, & genuit ex ea filium & filiam; & in Victoria tumulatur. Qua conjuge defuncta duxit aliam Agnetem filiam Gerdrudis Marchionissæ, sororem Friderici juvenis Marchionis Padensis, cujus est habita mentio in prædictis. Papalis sententia contra Philippum quotidie ferebatur & gravabatur, & Ecclesiasticus ordo ad hoc variabiliter se habebat; quidam abstinebant; alii sine verecundia prophanabant. Et assumitur ad Metropolim Ulricus Venerabilis Antistes Sekoviensis, qui pergens ad curiam maximæ pecuniæ debitor est effectus. Reversus reperit Stephanum filium Belæ Regis Petoviam obsidere, quem dum litteris Apostolicis hortaretur, ut abscederet, nihil profecit; sed intervenientibus tractatibus pro imminentibus Præsul tria millia marcarum concessit, Petovia, vadis nomine reservata. Hoc anno opposuerunt se Canonice Salczburgenses contra electum suum Philippum fratrem Ulrici Ducis Karinthiæ, & Ulricum Seccovienſem Episcopum postulaverunt. Eodem anno Ottokarus Rex Bohemiæ vincitur apud Mueldorff, non cum potentia, sed resistentia.

MCCLIX. *Incidentia.*

Dum Præsul lustrato Episcopatu ad Sedem rediit, & in oppido Rastat ab Ulrico Duce Karinthiæ invaditur, & suis præliantibus ipse retrorsum abiens, in castro Volkenstain capitur, & Dux in Karinthiam victor rediit.

De Magistro Alberto, Ordinis prædicantis.

Hoc tempore floruit Dominus Albertus frater Ordinis Prædicatorum, Theologus excellentissimus, & omnium septem artium liberalium Commentator egregius, & omnium Magistrorum doctissimus: cui post Salomonem in tota Philosophia nec major, neque similis surrexit. Quem Papa contra suam voluntatem præfecit in Episcopum Ratisponensem; sed subito Episcopatum resignavit, cupiens Ecclesiam Dei sua illustrare sapientia. nam ut sibi videbatur, commodosius illud faceret in paupertate, quam oppressus curis hujus sæculi, & nimia sollicitudine. Hæreticos etiam, & adhærentes doctrinæ Joachim, & alios Scismaticos argumentis apparentibus in conspectu multorum SS. PP., & in præsentia Domini Apostolici confutando devicit gloriose. Sed quia Albertus natione erat Teutonicus, ideo a multis oditur, & nomen ejus obtricetur, cum tamen ejus sententia servetur. Hoc tempore in secunda vespera Affræ in nocte exusta est magna pars civitatis Wiennæ, ita quod Ecclesia parrochialis cum campanis, & domus Teutonicorum, & domus S. Johannis in hospitali, & Prædicatorum ab igne consumerentur omnia. Isto tempore Stephanus filius Belæ Regis Hungariæ vivente patre intravit Karinthiam manu armata, ipsamque incendiis & rapinis vastavit, & multos captivos secum in Ungariam duxit. Eodem anno Constantinopolis, quæ olim per Gallicos & Venetos capta fuerat, per Pallilogum[1] Græcorum Imperatorem sex præliis recuperata fuit. Anno eodem in Tuscia a Senensibus, adjutorio Menfredi tunc Regis Siciliæ, Florentinorum & Lucanorum numero plusquam sex millia hominum corruerunt.

[1] Palæologum.

MCCLX. *Expeditio magna inter Regem Hungariæ, & Regem Bohemiæ.*

Stirienſes ab Ungaria afflicti plusquam ante, Otokerum invocant. Quod audiens Bela, filium ſuum Stephanum mittit ad Stiriam devaſtandam. Otakerus treugas habens cum Ungaris, nolens pacem infringere, diſſimulavit. Sed Comes de Hardekk Stirienſibus in adjutorium venit; & explicitis treugis Otakerus ab omnibus eſt ſuſceptus, & ordinavit terram per Nobiles ſucceſſive, tandem Mylotum quendam Bohemum terræ præfecit, & Capitaneum ordinavit. Et Bela collecto exercitu centum quadraginta millia equitum cum Chomanis & paganis, in Auſtriam juxta Marchiam fluvium caſtra locat. Et Otakerus in occurſum ejus cum 100000. equitum, inter quos dicitur habuiſſe 7000. equorum de ferro coopertorum, ad reſiſtendum occurrit. Cumque in finibus regnorum bellum inchoatum fuiſſet, ex colliſione equorum & armatorum tantus pulvis de terra ſurrexit, ut media & clara die vix homo hominem agnoſcere potuit. Tandem Ungari inito prælio [1], Bela graviter vulneratus cum Stephano filio ſuo fugam petit. Cum fugere feſtinarent, in quodam fluvio profundo, quem tranſire debuerant, præter [illegible]os occiſos circa 14000. hominum ſunt ſubmerſi. Et proceſſit Otakerus, ut totam Hungariam devaſtaret; ſed Bela mittens nuntios concordiam affectavit. Quam Otto Marchio Brandenburgenſis, & Ulricus Dux Karinthiæ taliter firmaverunt, ut Bela junior, Belæ filius filiam Marchionis, conſanguineam Otakeri, duceret; & Bela Rex omni jure ſuo, quod videbatur habere in Stiria, cederet, & amplius quæſtionem ſuper ipſo dominio non moveret. Sicque nuptiæ celebrantur in magna gloria, atque pacis & amicitiæ fœdera inter eos perpetue roborantur. In eodem anno ante hoc prælium intraverunt Ungari Auſtriam, & occurrerunt eis multi Auſtrales. De Auſtralibus ſunt occiſi, Otto Comes de Hardekk, Chunradus frater ejus de Plaien, Dominus Krafto de Sleuntz, & dominus Cadoldus Orphanus. Hoc anno factus eſt nocte terræ motus. Tartari multa mala fecerunt in Pruſcia, contra quos congregati ſunt Fratres de domo Teutonicorum: & in die S. Margarethæ ſimul pugnantibus, occiſi ſunt Fratres de domo Teutonicorum plures quam centum, & de familia eorum plures; ſed tamen laudabiliter occiſi, quia Tartari ipſis ceſſerunt. Eodem anno commiſſum eſt prælium cum Tartaris in transmarinis partibus; & multi Tartari occiſi ſunt. His temporibus Rex Bohemiæ militavit cum centum & octo militibus tempore expeditionis juxta ripam Marchiam, videntibus Ungaris. Unde verſus:

Anno milleno centeno terque triceno
His ſexaginta commiſces, & bene diſces,
Auſtria quod tota flet Principibus viduata.
Poſt hæc Cornuto diſcet ſervire tributo.

MCCLXI. *De Urbano IV. Papa.*

Urbanus Papa IV. natione Gallicus ex civitate Trecenſi, ſedit annis 3. menſe 1. diebus 4. & ceſſavit menſibus 5. Hic duas ordinationes fecit, & exercitum Sarracenorum, quem Menfredus filius quondam Friderici Imperatoris in Eccleſiæ Patrimonium miſerat, per Cruce ſignatos fugavit. Et contulit regnum Siciliæ Karolo Ottoni Comiti Provinciæ, fratri Regis Franciæ S. Ludwici, ut illud eriperet a Menfredo, qui violenter illud regnum detinebat poſt Fridricum patrem ſuum; & hæc collatio facta eſt anno Domini 1263. Hic Papa devotione agente ipſum Feſtum Corporis & Sanguinis Chriſti inſtituit, ut omni anno feria V. infra octavas S. Trinitatis perageretur ſollemnitas de Corpore & Sanguine Jeſu Chriſti, & hoc etiam per octavas, feſtum hoc decorando cum Indulgentia ſpeciali; & hoc fecit anno Domini 1264. Hic Papa Peruſii moritur, & ibidem ſepelitur. Hic Papa prius fuerat Patriarcha Jeroſolymitanus; obiit autem hic Papa anno Domini 1266. Iſto anno Otakerus Margaretham Reginam, quia ſterilis fuerat, repudiat minus juſte, & in Cremſa locat: aliam, ſcilicet filiam Rutenorum & Mazoviæ Principis, quæ fuit filia filiæ Belæ Regis, ſuperducens, quam Pragæ coronat. Gerdrudim ex Stiria in opidum, quod dicitur Fewſtritz, cum dedecore relegavit: quæ poſtea in Miſniam ad Conſtantiam migravit. Ulricus Archiepiſcopus a captivitate exemptus ad curiam properat, & tam inducias debitorum, quam etiam Otakerum defenſorem Eccleſiæ impetrat: quem Dux Babariæ Hainricus nimium offendebat. Multum etiam, ut Philippum cum Eccleſia concordaret, laboravit. Ingreſſus autem Babariam propter aquarum inundationem vix evaſit, & rediens Myloti fratrem, quia ejus conjugem (ut ferebatur) dilexerat, decollavit; nobilem virum de Michſow incendio peremit, & tyrannice vivere inchoavit. Hoc anno Menfridus invaſit Patrimonium S. Petri, quem Papa cum exercitu cruce ſignatorum effugavit. Hoc tempore Ulricus Dux Karinthiæ obtulit Laybacum Gregorio Patriarchæ, officialibus caſtri clavibus datis. Hoc etiam tempore Hainricus & Ludwicus Duces fratres patrimonium diviſerunt, ita quod Ludwico pars ſuperior, & Hainrico inferior proveniret. Eodem anno facta eſt eclipſis ſolis circa horam tertiam, in octava Annunciationis, quæ tunc ſexta feria habebatur. Tunc temporis ipſe Otakerus coronabatur in Regem in civitate Pragenſi, tempore Nativitatis Chriſti.

MCCLXII. Hoc anno Dominus Hainricus factus eſt Abbas in Sancta Cruce, in die S. Mauri Abbatis, quæ tunc Dominica habebatur; in die vero Aſcenſionis Domini conſecratus eſt in Abbatem. Fratres de domo Theutonicorum & alii Chriſtiani congregati ſunt contra Prutenos, & adjutorio Dei victoriam obtinuerunt. Rex Stephanus oppoſuit ſe patri ſuo Belæ Ungarienſi. Facta eſt bis eclipſis lunæ; prima eclipſis facta eſt in Quadrageſima poſt ortum lunæ, cum adhuc parum diei ſupereſſet; ſecunda eclipſis facta eſt in nocte illa, quæ præcedit vigiliam Ægidii; ſed & tunc in ortu diei recepit lucem amiſſam. Eodem anno conſumpta eſt civitas Wienna pro majore parte per incen-

[1] *deeſt aliquid in MS.*

incendium. Sed & in Moravia & in Auſtria per civitates & villas quasdam maximum damnum per incendium receperunt. Frater Bertoldus, Ordinis Fratrum Minorum, venit in Auſtriam & Moraviam prædicando, juxta cujus ſermonem quandoque 200000. hominum cernebantur: qui non niſi in campis & ſylvis ſuper eminentia propugnacula voluit ſermocinare.

MCCLXIII. Urbanus Papa Karolum Comitem Provinciæ, fratrem Regis Franciæ, ad regnum Siciliæ invitavit. Facta eſt eclipſis lunæ VI. Kal. Martii poſt ortum lunæ, cum adhuc pars diei ſupereſſet. Hoc anno fuit maxima fames per totam Auſtriam, & Hungariam, & Bohemiam, & Moraviam, qualis ante raro viſa fuit, & duravit usque ad meſſem. Hoc anno Otakerus Rex Bohemiæ aſſignavit Conventui Sanctæ Crucis quendam [1] in Bohemia convenienter aptum & ſpatioſum multum ad conſtruendam Abbatiam, quæ dicitur ad Sanctam Spineam Coronam. In diebus illis ad petitionem Regis VI. feria infra octavas Paſcæ, quæ tunc habebatur VIII. Idus Aprilis, miſſus eſt Conventus a S. Cruce ad prædictum locum cum venerabili viro Abbate Hainrico, qui fuit quondam Abbas S. Crucis. Hoc anno fuit eclipſis ſolis Dominici Confeſſoris poſt meridiem. Iſto anno fuit eclipſis lunæ Bernhardi Abbatis. Hoc anno fuerunt vindemia feliciſſima. Item eodem anno Dux Karinthiæ cum Domina Agnete filia Hermanni Ducis Auſtriæ contraxit matrimonium. Eodem anno Marchio Miſnenſis captivavit in prælio Ducem de Brunswich, & plures nobiles cum eo.

MCCLXIV. *De Clemente Papa.*

Clemens Papa, natione Provincialis de villa S. Ægidii, ſedit annis 3. menſibus 9. diebus 10. Hic Papa prius habuerat uxorem & liberos, & fuit Regis Franciæ conſiliarius, & famoſus advocatus. Demum mortua uxore, propter vitam ejus ſanctiſſimam & laudabilem primo Podienſis Epiſcopus, & poſt Narbonenſis Archiepiſcopus, tandem Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis efficitur. Sed cum propter pacis reformationem a Papa Urbano IV. in Angliam miſſus fuiſſet Legatus, a Cardinalibus Peruſii in Papam eſt electus. Sic jejuniis, vigiliis & orationibus, ac aliis bonis operibus intentus fuit, quod multas, quas ſuſtinebat tunc Eccleſia tribulationes, Deus creditur ſuis meritis extinxiſſe. Hic cum Chunradinus nepos Friderici Imperatoris Karolum Ottonem, cui Papa regnum Siciliæ contulerat, bello aggrederetur, & factum Karoli Ottonis pro deſperato haberetur propter Chunradini exercitus multitudinem, & etiam propter Siciliæ regni rebellionem; Papa prædixit publice in communi ſermone, factum Chunradini tanquam fumum tranſiturum, & ipſum tanquam ad victimam Apuliam intraturum, quod & rei poſtea probavit eventus. Hic Papa canonizavit Sanctam Hedwigim quondam Duciſſam Poloniæ, miræ ſanctitatis viduam; & hoc fecit Viterbii in Eccleſia Fratrum Prædicatorum. Hic Papa tandem Viterbii moritur, & in Eccleſia S. Laurentii ſepelitur. Eodem anno Karolus venit Romam, Senator efficitur, a Clemente in Regem Siciliæ coronatur: & deinde in Apuliam intrans, bello campeſtri habito, Menfredum tunc Regem Siciliæ vita & regno privavit. Hoc anno apparuit ſtella una, quæ dicitur Cometa Græce hoc eſt in Latino crinita: quia in modum crinium ſpargit radios ſuos. Cometa Græce dicitur, quod comas luminis ex ſeipſa fundat. Eodem anno juvenis Rex Hungariæ Bela contraxit cum Domina filia Marchionis Brandenburgenſis matrimonium, ob cujus honorem Rex Bohemiæ Otakerus avunculus ſuus maximum feſtum in campo, qui Vizze dicitur, celebravit, vocatis ad hoc multis Principibus de partibus diverſis, cum quibus expenſas fecit infinitas. Bela autem confirmato matrimonio Dominam ſecum abduxit. Item eodem anno Barones Angliæ oppoſuerunt ſe Regi Angliæ Hainrico, & filiis ſuis Edwardo, Edmundo & Richardo Regi Romanorum, & ante Lundonas civitatem aſſumpto pro Capitaneo Comite de Monte-forti Gallico, contra prædictos Reges victoriam obtinuerunt. Ubi mille & centum proborum virorum ſunt occiſi, & prædicti Reges captivati, & omnes hoſpites terræ ejecti, detenti & etiam occiſi, & omnes Judæi, tam viri quam mulieres & pueri, eo quod Regi in auxilium magnam pecuniam præbuerant, a Baronibus ſunt occiſi. Tempore Clementis IV. beata Hedwigis canonizatur, quæ inter alias virtutes, cum canonizatio ejus per plures annos protraheretur, ipſa procuratori in curia propter hoc in triſtitia exiſtenti per viſum apparuit, ac eum de expeditione negotii, & die expeditionis certificavit.

MCCLXVI. *Incidentia.*

Karolus contra Menfridum arma accepit, cui Menfridus occurrit dimicans, & relictus a ſuis occubuit, & Karolus Siciliam & Apuliam apprehendit. Anno eodem Chunradinus, Chunradi Regis filius, a Senatu Romano & aliquibus civitatibus contra Karolum invitatur, qui conflans electum exercitum, habens ſecum Ludwicum Palatinum & Fridricum Juvenem Marchionem de Paden, & militiam pulchram introivit, & venit in Ancuam [1]. Ubi Ludwicus ſibi valefaciens, timens ſententias Papales revertitur: Subductis enim prædictis Alfunſo & Richardo, Imperium vacabat. Karolus autem in occurſum Conradini properans, pluribus Francigenis & Provincialibus occiſis, fugam iniit, & Chunradino victoria acclamatur. Et dum exarmatus quieſceret, ſuis ad ſpolium diſperſis, Karolus recollectis viribus repente irruit ſuper eos: & Chunradinum, Fridricum, Comitem Pyſanum cum multis Nobilibus captos, & Neapolim ductos per anni circulum conſervavit. Interea circuiens, quid ſibi faciendum cum eis expediat, ſciſcitatur. Papa & Otakerus judicium mortis ſuadent; ſed Comes Flandriæ, qui Karoli filiam habuit, conſulit juvenes nullatenus perimendos eſſe, ſed nupto aliquo congruenti, apto ad concordiam, reſervandos. Eodem anno mortuus eſt Dominus Otto Patavienſis Epiſcopus: pro quo electus eſt Dominus Dux Poloniæ con-

[1] *ſupple* locum.

[1] *ſ.* Anconam.

corditer

corditer, Paduæ tunc exiſtens, cujus electionem Dominus Papa confirmavit. Item Dominus Rex Bohemiæ eodem anno Miſſowarium, & Benefum, & Dominum Mylotum fratrem ejusdem redegit in captivitatem in Aychorns, in qua Myſſowarius eſt mortuus. Et illo anno idem Rex incœpit in Auſtria multa caſtra devaſtare. Item placuit Domino Papæ & Cardinalibus, Dominum Vlodizlaum Ducem ſupra dictum, eſſe Archiepiſcopum Salzburgenſem, & Archiepiſcopatui digne præficitur: pro quo tunc Magiſter Petrus in Patavia in Epiſcopum eligitur, & a Domino Papa confirmatur. Item Rex Karolus unacum uxore ſua ſolemniter Romæ, proxima poſt Epiphaniam Domini Dominica, coronatur. Deinde collecta innumerabili multitudine militum & aliorum, Menfridum Principem Apuliæ in bello campeſtri devicit: & eodem Menfrido perempto, Rex Karolus manu valida Apuliam invadit & occupat. Iſto anno cometa tam notabilis apparuit, qualem nunquam tunc vivens ante vidit. Ab Oriente enim cum magno fulgore ſurgens, ad medium hemiſpherii verſus occidentem comam perlucidam protrahebat. Et licet in diverſis partibus mundi forte multa ſignificaverit, hoc tamen unum pro certo compertum eſt, ut, cum plures quam per tres menſes duraverit, in ipſo apparente Papa Urbanus IV. cœpit infirmari, & eadem nocte, quando Papa expiravit, cometa diſparuit. Iſto anno XIV. Kal. Auguſti opidum in Schadwienna ex inundantia pluviæ, & ex procellis nubium, & ex colliſione lapidum in torrente fere totum eſt everſum cum eccleſia in eodem foro, & bene 500. homines ſunt ibidem tunc extincti. Anno eodem Sarraceni ex Africa, adjunctis ſibi Sarracenis de Hiſpania, magnam plagam in Chriſtianos exercuerunt, intendentes, quam olim perdiderant, recuperare Hiſpaniam; ſed Chriſtiani in partibus illis cruce ſignati, licet cum multo ſanguine Chriſtianorum, de Sarracenis triumphaverunt.

MCCLXVII. *De Pœnitentia.*

Hoc anno fuit publica pœnitentia, quæ orta eſt in Sicilia, & tranſiit Longobardiam, Karinthiam, Carniolam, Stiriam, Auſtriam, Bohemiam, Moraviam, cum flagellationibus & canticis pœnitentialibus, quæ pro magno miraculo habebatur. Multi homines, pauperes & divites, Miniſteriales, milites, ruſtici, ſenes & juvenes ibant nudi a cingulo & ſupra, & caput totum texerant cum lineo panno, portantes ſecum vexilla & ardentes candelas, & flagella in manibus, quibus ſe quidam percutiebant usque ad effuſionem ſanguinis, & cantabant devotos cantus, & ibant de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, de villa in villam, & de eccleſia in eccleſiam. Quod videntes multi compuncti ſunt, & flebant; ponebant ſe etiam proſtrati toto corpore ad terram nudi vel in nivem, vel in lutum; in hac pœnitentia comparuit quisque 33. diebus, bis in die, mane & veſpere. Anno, ut ſupra, Otakerus Rex Bohemiæ Illuſtris manu valida Bavariam intravit usque ad Ratisponam cum 10000. militum, & alia innumerabili multitudine ad arma peroptime expeditorum, ubi etiam habuit 200000. curruum oneratorum cum expenſis, quibus exercitus plurimum indigebat: quia in tantum terra illa ante introitum Regis fuit vaſtata, quod volatilia non reperiebant ſolitum victum. Et ſic idem Rex occupatis quibusdam caſtris firmiſſimis, cum compleviſſet ſpatium unius menſis ſtando in terra, & nullus adverſariorum compareret, qui compoſituros ſe ſpoponderant, ad propria eſt reverſus. Eodem anno Nonis Maji, die Dominica, hora tertia terræ motus factus eſt magnus, qui duravit per mediam horam, & ex eo multa ædificia corruerunt, & caſtro Chynberg corruente cecidit Avarius, & expiravit, & eccleſiæ tremerent, in tantum ut campanæ ſonarent. Eodem anno terræ motus factus eſt Wiennæ, proxima die poſt Simonis & Judæ, in media nocte, ſive in primo galli cantu. Item eodem anno Margravius Otto de Brandenburg obiit. Item eodem anno Magiſter Gebhardus Plebanus Wiennæ conſtruxit Clauſtrum Monialium Wiennæ, quod Porta Cœli nuncupatur. Etiam eodem anno Venerabilis Epiſcopus Patavienſis Dominus Petrus prædictum Clauſtrum conſecravit. Item eodem anno prædictus Gebhardus Plebanus Wiennæ domum leproſorum Wiennæ in loco, qui dicitur Clagpawm, ſuis facultatibus conſtruxit: etiam Venerabilis Epiſcopus Patavienſis Dominus Petrus, præſente Domino Cardinale Gwidone, eccleſiam ibidem conſecravit. Item eodem anno Dominus Bela Rex Hungarorum cum filio ſuo Stephano bellum iniit: in quo bello fortiſſimus & ſtrenuiſſimus armorum & bellorum Hainricus, dictus Pruzlo, miles de Auſtria cecidit. Hoc anno Gwido Presbyter Cardinalis, Legatus Papæ per Salczburgenſem provinciam, & Pragenſem & Olmunczenſem Diœceſes, cum omnibus his Prælatis celebravit iſto anno Wiennenſe [1], circa feſtum S. Johannis ante Portam Latinam. Iſto anno Antiochia famoſa civitas a Soldano Babiloniæ eſt deſtructa, occiſis Chriſtianis. Hoc anno Ulricus Salczburgenſis Archiepiſcopus pontificium in manus Papæ reſignavit, & ſuccedit Vlodeslaus Ducis Poloniæ frater. Karolus reverſus Neapolim Chunradinum, Fridricum, Gerhardum Pyſanum, nobilem virum de Huernein, ita ut eſſent undecim clari & magni nominis viri, ſuper ſcarleto in medio urbis & purpura præcepit decollari, flentibus omnibus qui aderant ad hoc ſpectaculum tam grande. Chunradinus amplexatus & deoſculatus Fridrici caput, horribiliter ejulans, chirotheca in aëra projecta omne jus, quod in regno Siciliæ habuit & Apuliæ, Petro Regi Arragoniæ, & filiis ſuis Petro & Fridrico per quendam militem proximis conſanguineis deſtinavit, ſuamque, ſodaliumque ſuorum mortem innoxiam exquirendam in examine diſtrictiſſimi judicis commendavit.

MCCLXVIII. *Incidentia.*

Civitas in Marchekch ab Otakero Rege Bohemiæ conſtruitur juxta flumen Marchiam: ibi aliquando idem Rex Bohemiæ a Regibus Hungariæ, videlicet Bela & Stephano victoriam ac-

[1] *ſupple* concilium.

ceperat

ceperat glorioſam. Hoc tempore Leuben civitas Stiriæ transplantata eſt verſus aquilonem propter montem, qui verſus meridiem eandem tangebat civitatem, ex quo muniri non poterat. Hoc anno Clemens Papa moritur: & Petrus Rex de regno ſibi teſtato, uxore inſtigante, continuè meditatur. Iſto anno Otakerus Pruzyam pergit, ſed propter ſtagna, quæ illo anno non congelaverunt, rediit. Caſtrum tamen fortiſſimum, quod Monfregis dicitur, contra incurſus paganorum exſtruxit, & Teutonicis Fratribus commendavit. Hoc etiam anno Gregorius Patriarcha moritur. Ulricus Dux Karinthiæ ad Aquilegienſe Capitulum venit cum interceſſoriis Otakeri, ut fratrem ſuum Philippum ad hanc Kathedram promoveret; ſed modicum fructum attulit ſpes concepta. Dux enim in Foro Julii infirmatus moritur, & in civitate, quæ Auſtria dicitur, tumulatur. Hic Monaſterium Carthuſienſis Ordinis fundavit, quod Vallis jocoſa dicitur, in ſuburbio Laybacenſi. Relictam ejus Agnetem, ſororem Fridrici, qui cum Chunrádino interiit, duxit Comes Ulricus de Heunburg: quæ genuit filios & filias, ex quibus proceſſerunt Comes Ulricus de Phannberg, Fridricus Libertinus, jam Comes Cyliæ, & utriusque ſexus ſeges Nobilium ampla. Otakerus propter pacta, quæ habuit cum Ulrico Duce, miſit Præpoſitum Brunenſem, ut Karinthiam & Carniolam apprehenderet; ſed civitates & nobiles Philippo conſtantiſſime adhæſerunt, & Præpoſitum affectum contumeliis contemſerunt. Hoc anno [1] Nobiliores Stiriæ Bernhardum, Hainricum Comites de Phannberg, de Wildonia, Petovia, Liechtenſtain, de Stubenberg captivavit, & per caſtra ab invicem ſequeſtravit, caſtris eorum plurimis usque hodie diſſipatis. Hoc tempore Bela Senior moritur, & fuit ſecum filius ejus, [2] ſocrus Otakeri, quæ ſubripuit quædam pretioſa jocalia, Otakero mittens ea. Quæ dum Stephanus repetiit, Otakerus ægrè tulit, adeo indignanter ut contra ſe in prælium armaretur. Otakerus captivos eximens, & promotionis gratiam in reliquum promittens, Stephano properat in occurſum. Sed interveniente ſorore Stephani, ſocrus [3] Otakeri, concordia eſt compactata, & Nobiles Stirienſes exactis in captivitate 46 hebdomadis, ad propria revertuntur.

MCCLXIX. *Incidentia.*

Otakerus Karinthiam ingreditur, & primo Laybacum obſidet, Philippi fautores opprimens: & in brevi utrasque terras ſibi ſubjecit, quia nemo reſiſtere potuit. Philippus videns ſe minorem, reſignavit omnia, & acceptis proventibus ab eo neceſſariis, in Cremſam civitatem Auſtriæ commigravit; & privilegio de Ducatu Karinthiæ miſſo in Bohemiam, ipſe Forum Julii introivit, ubi caſtrum Portus Naonis, quod ad Principem Stiriæ pertinet, Aquilegienſe feodum, exemptis ibidem de Porciliis & Caſtello Nobilibus, Vaſallus Eccleſiæ eſt effectus. Hoc tempore moritur Ulodeslaus, qui dum iret Poloniam, ut ſuum patrimonium Eccleſiæ addiceret, veneno peremptus eſt (ut dicitur) a propinquis: & Fridricus Eccleſiæ Præpoſitus eſt electus. Hoc tempore Chunradinus, nepos quondam Fridrici Imperatoris, parvipendens Domini Papæ excommunicationem, contra Karolum Ottonem, quem Eccleſia Regem Siciliæ fecerat, cum exercitu venit Romam. Ubi cum Imperiali honore ſolemniter ſuiſſet receptus, aſſociato ſibi Senatore Urbis Domino Hainrico fratre Regis Caſtellæ, & quamplurimis Romanis, contra Karolum Ottonem Apuliam intravit. Sed poſt durum campeſtre bellum Chunradinus cum ſuis terga vertentibus capitur, & cum Fridrico nepote Leupoldi Ducis Auſtriæ, & cum aliis Baronibus decollatur.

MCCLXX. *De Sancto Ludwico.*

Beatus Ludwicus iſto anno Rex Franciæ Chriſtianiſſimus, imperterritus præteritis laboribus & expenſis, quas olim fecerat ultra mare, iterato duos ſecum filios transportando duxit, adjuncto ſibi Rege Navarræ, & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis & Baronibus. Sed cum in Tunicii regnum deveniſſent, & illud ſibi ſubjicere vellent, & cum prope Tunicium portum & Karthaginem potenti manu cepiſſent; infirmitas, quæ circa confinia maris viguit, in eodem Chriſtianorum exercitu nimis invaluit: & primo unum de filiis Regis Franciæ, poſtea Legatum Domini Papæ Dominum Albanenſem Cardinalem & Epiſcopum, deinde ipſum Regem Ludwicum cum pluribus Baronibus de medio ſuſtulit. Rex autem Navarræ Domino Tuſculano Cardinali per litteras intimavit de obitu Regis Ludwici dicens: In infirmitate ſua non ceſſavit laudare nomen Domini, & quandoque orationibus ſuis interſerebat: Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare. Orabat etiam pro populo, quem ſecum abduxerat, dicens: Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos. Et cum appropinquaret fini ſuo, ſuſpexit in cœlum, dicens: Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum ſanctum, & confitebor nomini tuo; & hoc dicto, obdormivit in Chriſto. Tunc poſt mortem hujus frater ſuus de Sicilia Karolus Otto, pro quo adhuc vivus miſerat, advenit. Qui Sarracenos ad hæc pacta compulit, videlicet quod omnes Chriſtiani captivi in regno illo liberi dimitterentur, & quod in Eccleſiis ad honorem Chriſti in omnibus civitatibus regni illius conſtructis, fides Chriſti per Fratres Prædicatores & Minores & per alios quoscunque prædicaretur, & volentes baptizari libere baptizarentur, & ſolutis expenſis Regum, quas ibi fecerant, Rex Tunicii tributarius Regi Siciliæ eſt effectus. Plura autem pacta fecerunt, quæ hic ponere longum eſſet. Et cum ex adventu Edwardi Regis Anglorum exercitus Chriſtianorum circa 200000 pugnatorum creviſſet; ſed quia Legatus Domini Papæ obierat, & Sedes Apoſtolica vacaret, quæ ipſis providere debuerat, triſtes redierunt ad propria. Eo anno Illuſtris Domina Agnes, pronepos [4] Inclyti Leupoldi Ducis Auſtriæ relicta Ulrici Ducis Karinthiæ, ad generis depreſſionem ab Otakero Rege Bohemiæ cuidam Comiti Ulrico de

[1] *ſupple* Otakerus Rex. [2] Socrus. [3] Socri. [4] proneptis.

Haynburg tradita est in uxorem. Item eodem anno facta est eclipsis solis circa horam primam, in proxima Dominica ante Annunciationem B. Mariæ. Item eodem anno Rex Hungarorum Bela petentissimus unacum uxore sua obierunt: cui filius suus Rex Stephanus successit. Hoc anno Otakerus Rex Bohemiæ & Dux Austriæ colloquium in insula sita infra Presburg & Potenburg cum Hungarorum Rege Stephano celebravit, ibidem perpetuam pacis concordiam & sinceram amicitiam, sigillis & privilegiis sub forma juramenti coram Episcopis, Prælatis, Baronibus ex utraque parte assistentibus, confirmantes. Item eodem anno Rex Otakerus manu valida Karinthiam intravit, & cum magna multitudine civitates ibidem dictas Laybach & Lanndstrost expugnavit, & ibidem quædam munitiones eisdem civitatibus adjacentes sibi fuerant assignatæ. Et cum prædictus Rex Stephanus Regem Otakerum sciret in Karinthia tantis fatigationibus occupatum, fraudulenter violata pace, cum 50000. Ungarorum & Comanorum manu valida Austriam intravit; & abductis & interfectis 20000. virorum, mulierum, parvulorum Ungariam est reversus. Eodem vero anno Rex Bohemiæ præ nimia hyemis sævitia adhæc nihil valens facere, distulit bellum usque ad proximum Pasca. In eadem vero hyeme quædam societas Nobilium, quorum Capitaneus erat Syfridus Wehingarius, consanguineus Orphanorum, volens per rapinam Ungariam intrare, & frigus erat maximum: & cum lacum quendam transire volentes [1] coagulatum [2], ex equorum vero, totque virorum armatorum glacies confracta [3], submersi sunt ibidem: qui erant noti, Nobilium 40, aliorum fere fortium numero 300. Eodem anno Gregorius Patriarcha obiit. Eodem anno Philippus frater Ducis Karinthiæ postulatur. Item eodem anno Dux Karinthiæ Ulricus in Sybidata obiit, ibidem est sepultus.

MCCLXXI. *De Gregorio Papa X.*

Gregorius Papa X. natione Longobardus, de civitate Placentia, cum esset Archidiaconus Leodiensis, & devotionis causa iviset ultra mare, adhuc ibidem existens, in palatio Viterbiensi a Cardinalibus in Papam est electus, & hoc anno Domini 1271. & sedit annis 4. diebus 10. & cessavit Episcopatus diebus 10. Hic Papa fecit unam ordinationem quinque Cardinalium Episcoporum quamplurimum laudabilem, quia honestas & valentes personas assumpsit. Hic tertio Pontificatus sui anno pro utilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solemne celebravit Concilium, in quo & Græcorum & Tartarorum solemnes Nuntii interfuerunt. Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes, in signum cujus confessi sunt Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, Symbolum in Concilio solemniter decantando. Nuntii vero Tartarorum infra concilium baptizati sunt, & ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui interfuerunt Concilio, sunt 1560. Hic in concilio multa bona instituit pro subsidio Terræ Sanctæ, & pro electione Summi Pontificis, & pro Statu Ecclesiæ universalis. Hic in Concilio Regem Alamanniæ Rudolfum confirmavit, & declaravit Regem Romanorum: qui Rex cum aliis tunc Regibus & multis Baronibus pro subsidio Terræ Sanctæ cruce sunt signati. Hic etiam Papa in eodem Concilio cum a diversis contra omnes Ordines Mendicantes plura tractata essent, tamen deliberatione facta propter magnam utilitatem ex his Ordinibus frequenter Ecclesiæ convenientem, Ordines videlicet Prædicatorum & Minorum, secundario ad Dei Verbum seminandum, & ad confessiones audiendas confirmavit; Ordinem vero Heremitarum beati Augustini suspensum tunc reliquit, donec melius deliberaret. Hic Papa fuit miræ experientiæ in Sæcularibus, nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum elemosinis. Obiit autem hic Papa Aretii, & sepultus est ibidem. Sedes vacaverat 3. annis, mensibus 2. Hoc audiens Fridricus ad curiam properat, & accepta confirmatione rediit, & venit Frysacum: ubi Otakerus feoda sua suscipit, & Ecclesia sibi per Pontificem commendatur. Ordinatis autem terris, per descensum Trahæ tendit in Stiriam. Cui cum Syfridus de Merenberg festine non occurreret, ægritudine corporis præpeditus; Rex movetur, & persecutionem suscitans contra eum, mandat eum sibi cum promissione præmii in Bohemiam præsentari. Quem quidam miles Ortolfus de Graecz invitatum cepit, & Ulrico de Durrenholcz suo officiario exhibuit, & hic eum Regi in Bohemiam præsentavit: ubi morte acerrima tormentatus interiit, & visa sunt clarissima luminaria in loco mortis suæ, frequentius viri innocentiam contestantia, a pluribus fide dignis. Corpus ejus ad Claustrum Monialium, Ordinis S. Dominici, sub castro Merenberg positum, est translatum. Otakerus semper æstuans ad amplius, versum nobis Ovidii exhibere videtur, qui dicit: *Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crescit.* Et Horatius: *Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.* In diebus illis pax non erat ingredienti & egredienti, quia Rex non erat, & unusquisque quod sibi rectum videbatur, faciebat. Prælia & opiniones præliorum audiebantur, potentes & divites pauperes opprimebant; quia nullus de injustitia judicium faciebat, juxta Prosperum, qui dicit:

Impia confuso sævit discordia mundo,
Pax obiit terris, ultima quæque vides:

Eodem anno Rex Bohemiæ Otakerus multis Principibus in unum collectis, inter quos est Marchio de Brunswich, & Duces Poloniæ, & alii quamplures, & cum maxima multitudine armatorum bene ad 90000. intravit Hungariam, ponte pulcherrimo per Danubium præparato: & in primo ipsius Regis Bohemiæ ingressu Posonium, quod vulgariter Presburg dicitur, potenter expugnavit, quod factum est infra horam primam & tertiam. Rex vero Bohemiæ cives Wiennenses cum 1500. equis prædicti castri fecit esse custodes. Postea vero aliud castrum, dictum apud S. Georium, & castrum dictum Posinge, & Piberspurg, & civitatem dictam Tyrnam, hæc omnia in illo loco existentia viriliter

[1] *l.* vollent. [2] *f.* congelatum. [3] *Supple* fuisset.

viriliter expugnavit. Postmodum vero per pontem, quem per Danubium fieri jussit, cum omnibus suis transiens, ad aliam partem Hungariæ se recepit, & quoddam castrum dictum Cherfelburg, & Wart, & Altenburg potenter expugnavit, & civitatem Mysenburg cum castro totaliter expugnavit & devastavit. Rex vero Bohemiæ valida manu, nemine sibi resistente, per duos menses in eisdem partibus Hungariæ potenter manebat. Interea Rex Stephanus Hungariæ maxima multitudine tam Comanorum quam Ungarorum collecta, in oppositum Regi Bohemiæ venit, & in aquam, dictam Rebnitz, se locavit. Sed contra Regem Bohemiæ nihil facere potuerunt, nam ex ipsis, scilicet Hungaris, qui prædictam [1] occulte transierunt, plurimi submergebantur, & ab adversariis sunt occisi. Item vero Rex Bohemiæ videns se præ nimia fame, quæ tantum invaluit, & usque ad messem plenarie perduravit, diutius cum tanta multitudine stare non posse; secessit, & in Wiennam civitatem suam se recepit, alii vero omnes ad propria sunt reversi. Quod videns Rex Stephanus, Regem Bohemiæ a terra Hungariæ exivisse, & suos homines a se dimisisse omnes; misit 30000. Comanorum in Marchfeld & Moraviam, qui plurimam partem terræ per incendia & rapinas vastaverunt: & (proh dolor!) multi sunt occisi, & multi ex eis sunt capti, plurimi Ungariam introducti. Post hæc tamen pace firma per Episcopos & Comites Hungariæ apud Regem Bohemiæ impetrata, reddidit ei, scilicet Regi Hungariæ, Rex Bohemiæ omnia, quæ per eum manu valida fuerant expugnata. Hoc anno Gebhardus Plebanus Wiennensis obiit. Explicit Liber Primus. Gloria Omnipotenti Deo.

[1] *deest* aquam, *aut hujusmodi.*

HIC INCIPIT ELECTIO RUDOLFI COMITIS DE HABELSPURG IN REGEM ROMANORUM, ET FIGURATUR HIC.

INCIPIT LIBER SECUNDUS,

DE RUDOLFO, MEINHARDO COMITIBUS, ET ELECTIONE RUDOLFI IN REGEM ROMANORUM.

Cap. I. Anno Domini MCCLXXII.

GRegorius X. audiens, quod a priscis temporibus electionis puritas esset fermento avaritiæ & maculatione munerum deturpata, regnumque & Imperium jam vacaret, & inter Petrum Arragoniæ & Karolum Siciliæ Reges ortas discordias præsentiret; Electoribus mandat, ut munde & sincere intendant electioni, & de persona, quæ sit laudabilis & utilis Ecclesiæ atque Imperio in profectum. Porro in diebus illis fuisit in superioribus Swevorum partibus Rudolffus Comes de Habelspurg (quod est castrum in exordio montium, ubi mons Jovis, & Alpium Juliarum inter lacum Alamannicum & Losannicum haud longe prospicitur celsitudo) Vir in regni gremio sanguinis claritate, morum honestate, ætatis maturitate, armorum strenuitate conspicuus, fama nominis dilatatus, ut Viris spectabilibus non immerito comparetur. Nam Meinhardus Comes Tyrolis tres cohærentes cui [1] inter regni viscera Magnates exceptive semper inter familiaria colloquia commendavit, scilicet hunc Rudolfum, Ducem Karinthiæ Bernhardum (cujus est habita mentio in præmissis) & Albertum Seniorem Tyrolis & Goritiæ Comitem, suum scilicet genitorem; qui in obsidione Mediolani sub Friderico I. opera mirifica perpetravit. Et licet dubium non sit, regnum & Imperium Principes & Milites habuisse, illustribus actibus decoratos; hos tamen virtus atque prudentia, & invictus animus specialiter insignivit; sicut David in Katalogo fortium tres fortissimos legitur habuisse, & nominatissimos inter fortes. Rudolfus patre Hartmanno Comite veteranæ militiæ, & in præliis fortunato progenitus, uxorem habuit Annam filiam Purghardi Comitis de Hayerloch: ex qua suscepit tres filios, Albertum, Hartmannum, & Rudolfum; & quinque speciosas [1], quibus omnibus Deus dedit secundum dignitatem hujus Sæculi grande nomen, prout inferius est digestum. Meinhardus Comes Alberto patre ex filia Marchionis Audacensis [2] Viri nobilissimi ortus, ex Regina Elizabeth quatuor habuit filios; primum Ludwicum, qui non fuerat conjugatus; Secundum Albertum, qui Alberti Comitis de Hajerloch filiam duxit: ex qua genuit filiam, quæ Fridrico Purgravio de Norenberg nupsit, & utriusque sexus fœtum protulit copiosum. Tertium Ottonem, qui filiam Ducis Poloniæ, & ex ea quatuor filias progenuit; quarum una in Siciliam Fridrici Regis filio Petro copulata usque hodie cum liberis possidet regnum illud; altera Rudolfo filio Rudolfi Palatini traditur, de qua unam filiam peperit & decessit; aliæ duæ florem virginalem morientes ad cœlestia transtulerunt. Quartum Hainricum, qui tres uxores habuit, cujus in scriptis mentio diffusior est habenda. Duas quoque filias habuit dictus Comes; una fuit Lantgravio Thuringiæ conthorata, & genuit Fridricum Lantgravium Thuringiæ & Mysnensium Marchionem; Alberto nupsit altera Rudolfi præfati Comitis filio, quæ, Ducissa Austriæ & Regina Romanorum, sicut inferius exprimitur, est effecta. Meinhardus metuens, quod Rudolfus de contractu hoc animum immutasset propter excellentiam sui status, misit ad eum, postquam regnum est adeptus, si persisteret in pactis? Qui respondit, Meinhardum de tanto germine processisse, ut pudere non deberet quemlibet Regum secum fœdera matrimonii subiisse. Ex his prodiit ampla se-

[1] *f.* sibi.

[1] *supple* filias. [2] *l.* Andecensis.

ges, climata mundi replens, luminaria orbem illustrantia, Reges, Reginæ, Proceres divitiis & gloria præeminentes, a mari usque ad mare suos palmites velut fructiferæ arbores protendentes. Contigit quandoque Civitatem Argentinensium nobiles circumsedentium adversarios sustinere, ad quos conterendos Rudolfum ut belli eorum Dux esset, accersivit. Qui dum in demonstratione vires civium exploraret, omnes præcepit extra civitatem progredi: & dum numerum & armorum decorem per singulos ordines æstimaret, respicit de montibus maximam multitudinem armis coruscantibus prolabentem. Et dum cives ad civitatis præsidium festinarent, pontes fluminum omnes dejici procuravit, & ut intrepide hostibus occurrerent, proclamavit. Alter Alexander, qui similiter dejectis pontibus Græcos, ne fugerent, detinuit contra Darium pugnaturus. Hostes autem cum eos cernerent consistere, & cordatos esse ad resistentiam; audientes autem Rudolfi præsentiam, quæ pacis sunt quæsierunt, & ex utraque parte Comitis præstantiam laudibus extulerunt. Basileam insuper Rheni famosam civitatem & nobilem obsidione gravissima pressit pro quadam injuria sibi facta, agros, vineas dissipans circumquaque, & in nocte Dominicæ Nativitatis irruens in civitatem, armorum collisione & populi concursione mentis suæ magnanimitatem & audaciam, & quod posse habuit demonstravit, civitatem timore concutiens & stupore. Rebus prospere gestis abiit, obsidionemque continuans totis viribus obfirmavit. Quo facto diffusa fama sui nominis per Regni loca undique, & ad ora Principum volitavit. Interim Principes convenientes loco & tempore condicto de Principe & capite orbis terræ juxta consuetudinem tractaturi, & circumducentes oculos ad diversos actus singulorum quoad virtutis præconium æstimantes, incidit in memoriam Comes Rudolfus, de quo dicere videbantur: Num invenire poterimus talem Virum? &, sicut Domino placuit, unanimes effecti consensum omnes in Rudolfum sine obsistentia aliqua transfuderunt. Pronunciationis verbum super hoc in ore statuunt Palatini, qui surgens inquit: In Nomine S. & Individuæ Trinitatis, consensu omnium Electorum in me posito, pronuntio ac eligo Rudolfum Comitem de Habelspurg in Regem ac Patricium Romanorum. Statimque mittunt Marscalcum cum signis sui imperii, ut obsidionem Basileensem solvat; concordiam faciat, cum Conthorale sua ad coronam properet, demandavit. Sicque dies colloquii, & his Præsulem verbis atque cives alloqui videbatur: Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me. Præsul autem secundum sanguinem ejus propinquus, magis tamen ei infestus incendiis & rapinis, ac cives viri fortunam efferentes dixisse fertur: Si de throno suo Deus omnipotens se moveret, Rudolfus Comes protinus insideret. Et facta plena concordia per Rheni alveum.

MCCLXXIII. *Incidentia.*

Venit cum maximo tripudio Principum ipsum expectantium & comitantium, Aquisgrani civitate autem & omni terræ populo jocundante, stratoriis, tapetis plateis, & domibus decoratis, cum Regina de palatio, sceptro, paludamento & palla, ac aliis insigniis & regalibus decoratus, in sedem Karoli locatus coronatur: & expeditis ibi plurimis causis de concessione feodorum, in novatione privilegiorum, & solemnitate juramentorum pro conservatione jurium regni & Imperialium Statutorum Coloniam ingreditur Agrippinam. Et quidem civibus ibi nova lux oriri visa est, honor, gaudium, tripudium; rediviva quadam retractione de Salomonis coronatione & unctione cum gaudio, sicut olim, hoc in tempore redeunte; qui dum in Syon ungeretur, cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon; & insonuit terra a clamore eorum. Fuere, cum qui dixero, videbatur [1]: Num salvare nos poterit iste suæ gloriæ invidentes, sicut fuit Rex Otakerus Bohemiæ, Hainricus Dux Babariæ, Eberhardus de Wirtenberg gentis Suevicæ? Invideant igitur & miréntur, quod Samuel inter filios Isai non specie pulchriorem, non statura proceriorem, non corpore fortiorem, sed David Regem unxit omnibus juniorem, sicut & dicitur de Tiberio Constantino. Scribitur quod throno Imperiali positus cum immensis laudibus in regni gloria sublimatus [2]; adversarii ejus ei, qui spem in Domino suam posuerat, nihil efficere valentes, magno sunt pudoris confusione cooperti, tam hi, quam illi; Tullianum illud nobis pulcre exhibentes, qui dicit de Affricano: *Industria virtute, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

De Rudolfo Rege Romanorum.

Rudolfus regnavit annis 17. Hic prius fuit Comes de Habspurg, sed a Principibus Alamanniæ Electoribus in Regem Romanorum est electus, & hoc anno Domini MCCLXXII. Sed a Gregorio X. anno Domini MCCLXXV. in Concilio Lugdunensi pro futuro Imperatore est confirmatus. Hic Rex cum adhuc esset juvenis filius Comitis, & in curia Fridrici II. Imperatoris cum aliis domicellis serviret; a Mathematicis sive Astrologis super alios se nobiliores tunc in curia Imperatoris existentes venerabatur. Qui in hoc diu per se consideravit, nesciens quid Magistri Imperatoris isti in eo æstimarent; cogitavit intra se: Isti me majorem ac nobiliorem curiæ æstimant, cum non sim. Quadam vice cum isti non cessarent sibi Regales honores impendere, accessit ille eos, secrete ipsos super hoc arguendo. Isti secrete sibi revelaverunt, dicentes: Videmus vos Imperatori succedere in dominio suo; sed consulimus, ut de curia hac recedatis, ne ipse Imperator in vobis hoc cognoscat, vel relatione alicujus, vel ex arte ista, in qua satis per se sapere cognoscitur. Tunc Rudolfus de curia recessit. Cum autem Comes in Habspurg jam esset, & pueros procreasset, accidit quadam vice, ut per quandam viam cum sua familia eques iret; habuit obvium sibi quendam sacerdotem euntem pedes cum Corpore Christi. Comes vero de suo equo de-

[1] *ego legendum sic puto:* Fuere, qui dicere videbantur.
[2] *supple* fuisset.

scen-

ſcendens, Sacerdotem in eo locavit, dicens: Vos cum Domino meo eques ibitis, & ego in pedibus propriis ſequar; & ſic equum Sacerdoti dedit non rehabendum. Non diu poſtea cum Imperium plusquam ad 20. annos vacaſſet, Principes Electores Alamanniæ convenientes pro eligendo Rege, cum de pluribus Principibus diſceptaſſent, ipſum Rudolfum Comitem inopinate unanimiter in Regem elegerunt. Hic erat vir prudens & in ſæcularibus expertus, & ſatis fortunatus. Hoc tempore Philippus, qui quondam Electus Salczburgenſis fuerat, & tandem Electus Aquilegienſis, ſed neutrolibet confirmatus, mortuo fratre ſuo Ulrico Duce Karinthiæ dimiſit ſedem Aquilegienſem, cujus tunc expectabat confirmationem, volens poſſidere ſuum patrimonium, ſcilicet Karinthiam & Carniolam; quia frater ejus absque liberis deceſſerat. Sed Otakerus Rex Bohemiæ Carniolam ac Karinthiam cum potentia intrando ſibi ſubjugavit, Philippum dehæreditando. Tandem hic Philippus cum Baronibus Stiriæ Domino de Wildonia, & Domino de Lanſſe & aliis Regem Rudolfum Romanorum adierunt, ipſum inducentes ad hoc, ut deſcenderet, & Ducatum Auſtriæ ac Karinthiæ de dominio Regis aufferret Bohemiæ. Deſcendit autem hic Rex per Danubium in Auſtriam, & ſubjugata ſibi terra Philippum prædictum circa Cremſam locavit: ubi non diu vixit, & in Cremſa in Prædicatorum [1] eſt ſepultus. In Auſtria vero Regi Romanorum Rudolfo exiſtenti Rex Bohemiæ Otakerus Auſtriam, Stiriam, Karinthiam, Carniolam, Portum Naonis cum quibusdam aliis terris ſibi ſubjectis reſignavit libere; regnum vero Bohemiæ & Moraviæ ut a ſuo Domino benigne recepit. Tandem uxor Bohemi ipſum in rixam contra Regem Romanorum provocavit, objiciendo ſibi, ſi ante Comitem genua flexiſſet? Et bello campeſtri aggrediuntur; occiſis autem plurimis ipſe etiam Rex Bohemiæ Otakerus eſt occiſus. Quod factum eſt anno Domini MCCLXXVIII. in vigilia beati Ruffi Martyris. Rudolfus vero victoria habita, Wenczeslao filio Otakeri Regis Bohemiæ nunc occiſi, dedit filiam ſuam in uxorem, & contulit Bohemiam. Proprio filio ſuo Alberto contulit terram & Ducatum Auſtriæ & Stiriæ & terram Carniolæ, & Comitiam Portus Naonis; Comiti vero Meinhardo Goritiæ & Tyrolis, ſocero filii ſui Alberti prædicti, contulit Ducatum Karinthiæ; ipſe tamen ad Rhenum cum honore rediit, vitam ſuam feliciter finiendo. Hic quamvis XVIII. annis regnaverit, benedictionem ac coronam non habuit Imperialem.

Hoc anno Stephanus Rex Hungariæ obiit, qui relinquens duos filios: Senior, nomine Blau [2] habens 10. annos, in Regem eſt electus. Item eodem anno poſt mortem Stephani Regis Hungariæ quidam Comes, dictus Magiſter Ægidius, quem Rex Ungariæ ſupra modum diligebat, timens Reginam & Ungaros, profugus venit ad Regem Bohemiæ unacum fratre ſuo Comite Gregorio. Hic de caſtro, quod Presburg dicitur, & aliis quibusdam caſtris fraudulenter & caſualiter ſe intromiſit, Regique Bohemiæ ſpopondit in omnibus ſerviturum. Quem Rex Bohemiæ benigne recipiens, & ei ad hoc plurima dona donavit: nam tradidit ſibi civitates Laa, Newnburg, Stocheraw, Greitſchenſtain & alia quamplurima, & dua millia marcarum ſolventia annuatim. Inſuper in prompto dedit ei maximam pecuniam, & caſtrum Presburg vino, tritico & avena optime præmunivit. Quod videns comes Hainricus de Guezzinge (qui adhuc Stephano Rege Hungariæ ſuperſtite Hungaria exierat, Regi Bohemiæ adhærens, Hungaris poſtea multa mala de Stiria per rapinas & incendia faciebat) ob invidiam prædicti Comitis Ægidii, quem ex corde intime odiebat, a Rege Bohemiæ receſſit, in Hungariam rediit, a Regina & a cunctis Hungaris honorifice eſt receptus: ex cujus conſilio & auxilio Rex de Marchſawe [1] frater Reginæ Bohemiæ ab Hungaris eſt occiſus. Propter quod homicidium prædictus Rex Bohemiæ eſt nimium perturbatus, & univerſa mala utrobique oriuntur. Nam Chomani cum Hungaris Karinthiam infra unum menſem duabus vicibus intraverunt, omnia devaſtaverunt, multos occiderunt, etiam numero ad 20000. hominum deduxerunt. Inſuper alii Moraviam intrantes infinitos occiderunt, plurimos deduxerunt. Item eodem anno quædam ſocietas Nobilium de Auſtria intraverunt Hungariam fere mille armati, & caſtrum, quod dicitur Rab, manu valida expugnaverunt, & in eadem urbe Epiſcopus de Quinque Eccleſiis, qui fuit Capitaneus ibidem robuſtus & animoſus valde, captus eſt, & cum eo Nobilium alii quamplures, & in Auſtriam introducti. Item vero Comes Ægidius non per medium annum permanens, quamvis a nullo, vel a Rege, vel a ſuis aliquibus unquam eſſet læſus; penitus in terram propriam, ſcilicet Hungariam, confuſe ac peſſime eſt reverſus, & prædictum caſtrum Presburg aliis Hungaris & Comanis recommiſit. Sciendum, quod [2] obitum Domini Friderici Imperatoris II. Romanorum invictiſſimi hucusque; videlicet ad tempora Domini Gregorii Papæ X, cujus monitis Rudolfus Comes de Habspurg in Regem eligitur, Romanum Regnum & Imperium 23. annis advocato & Cæſare dinoſcitur caruiſſe. Item eodem anno in menſe Majo quædam ſocietas prædictorum Auſtralium, conſortio aliquorum Moravienſium fere duobus millibus armatorum collectis, hoſtili animo ſunt ingreſſi Epiſcopatum ſive urbem Neytrach, quemadmodum Georinum [3] manu valida expugnaverunt: & effugato Epiſcopo cum canonicis bene 50. perſonæ Hungarorum in templo ſunt occiſæ: ablato ornatu totius eccleſiæ, & incenſa urbe circumquaque, Theutonici & Bohemi illæſi ad propria ſunt reverſi.

Tertia expeditio Regis Otakeri verſus Hungariam.

Ad reprimendas adhuc iniquorum Ungarorum verſutias, Otakerus Rex Bohemiæ expe-

[1] *ſupple* Monaſterio *vel* Eccleſia. [2] *forte* Chun *ſeu* Chuno, *ut alibi obſervavimus.*

[1] *ſic MS.* [2] *ſupple* poſt. [3] *f.* Geotium *ſeu* Georgium, *id eſt* Caſtrum Sancti Georgii, *ut infra dicitur.*

ditionem ſuarum ſcilicet novem terrarum edixit, in feſto S. Jacobi Apoſtoli affuturo proxime, juxta Laa congregandam: cui ſolito more Principum, Regina & Barones Hungariæ ac Comani, abſente ipſorum Rege puerulo, bellum inire ſpoponderunt. Sed ecce antiquam fraudulentam conſuetudinem! Comes Hainricus de Guezzinge cum 30000. expeditorum optime usque in Laa curſitando pervenerunt: ibique Regem Otakerum nondum collecto exercitu ſuo, occiſo Ulrico de Durrenholcz, per duos dies infeſtarunt; & ſic ſumptis ſpoliis trans flumen Marchiam feſtinanter ad Reginam ſunt ingreſſi. Otakerus Rex Bohemiæ die tertia, poſtquam exercitum ſuum ad numerum 60000. expeditorum inſimul collegiſſet, fugientes ſequitur usque ad flumen Wach; non eſt viſus deinceps Ungarorum aliquis repugnando. Itaque Rex Bohemiæ per integrum menſem Auguſtum ex ea parte, qua Tirna conſiſtit, in Hungariam intravit, donec cives Wiennenſes & Novæ civitatis ad juſſum ſuum aulam Poſonium, & Caſtrum ad Sanctum Georium cum aliis munitionibus pugna & machinis deviceruntHumiliatæ vero civitates & munitiones nobilibus Auſtriæ collocantur, aufugitivis civibus & expulſis ruſticis ad laborandum & ad ſerviendum ſtatui priori ac obſequio ad propria redire volentibus, edicto regis Bohemiæ gratia & pax univerſis publice promulgatur. His itaque ſuperatis, ultra Danubium per pontem ligneum magnis ſumptibus nunc quarto tempore Regis Otakeri conſtructum (quod antiquitus inauditum fuerat) prope Rotenſtain caſtrorum acies pertranſivit: illic ſimiliter omnes munitiones machinis & pugna fortiſſima usque in Rab Rex ſuo dominio ſubjugavit, ibique quinquaginta milites cum filio Regis Bohemiæ gladio ſunt accincti. Poſtea juxta piſcinam Vertſee omnes munitiones absque pugna ſe Regi ob metum humiliaverunt, Supronium ſive Oedenburg vallata quatuordecim machinis diverſaque impugnatione ad inclinationem Regis Otakeri eſt coacta: quæ etiam præſtito juramento, datisque hæredibus in obſides, pacem & juſtitiam civium Auſtralium in omnibus terris Regis Bohemiæ, acceptoque privilegio conſecuta eſt; & ſic Rex Bohemiæ, qui jam 9. hebdomadis in Hungaria potenter intraverat, ſanus & incolumis Dominica favente clementia ad propria eſt reverſus. Tewen, Prodanſtorff, Purgbach, & ad Sanctam Margaretham munitiones ſunt deſtructæ.

De Curiis Regis Romanorum ſolemnibus, & legatione ejus ad Otakerum Regem Bohemiæ, Cap. II.

MCCLXXIV.

Rudolfus Rex venit in Spirenſium civitatem, ubi convocatis Nobilibus præcipit, ut ea, quæ ad Imperium ſpectant, abducta & ſublata indebite, non differant reſignare. Quidam metuentes regiam minationem, quæ poſſederant reddiderunt; alii vero compulſi ſimili modo quæ ſibi uſurpaverant, regii fiſci procuratoribus obtulerunt. Deinde in urbem Nuerenberg curiam præconizat, ad quam regni Proceres, Prælati, Nobiles convenerunt, ibique de pace terrarum, de feodis, ac aliis diverſis caſibus leges ſtatuit, quarum metu coerceatur humana audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi voluntas. Decrevit quoque ſicut quondam Aswerus, qui nequaquam abuti voluit potentiæ magnitudine, clementia & lenitate gubernare ſubjectos, ut absque ullo terrore vitam ſilentio tranſientes, pace optata cunctis mortalibus fruerentur; unde ſuo tempore per omnia compita ſumma transeuntibus pax favebat. Statuit etiam (ut fertur) quod propter communem intelligentiam obſcuræ Latinitatis privilegia & litteræ de cætero vulgariter conſcribantur; quod patet ex eo, quod ante ſua tempora nullæ litteræ vulgariter ſcriptæ reperiuntur de negotiis vel contractibus quibuscunque. Ad hanc curiam venit Fridricus Archiepiſcopus Salczburgenſis, ſuſcipiens a Rudolfo ſua regalia. Super quo indignatus Otakerus, Capitaneo ſuo Milito [1] mandat, ubicunque Epiſcopium devaſtari: qui Fryſacum obſedit, & obtentum opidum incendio deſtruxit, & omnia prædia Epiſcopalia multa crudelitate laceravit. Philippus vero Ducis Bernhardi filius in ſede Salczburgenſi & Aquilegienſi fruſtratus, dolens de pactis, quæ frater ſuus habuit cum Otakero, ad Curiam Regis venit, & ibidem terras, Karinthiam & Carniolam ſuſcepit de manu Regis in feodo, ſicut fieri eſt conſuetum. Otakerus Rex, & Hainricus Dux Babariæ non comparentes, ad proximam curiam in Herbipolim Orientalis Franciæ civitatem primariam citantur. Ad hanc ſummus Pontifex direxit Cardinalem, qui Prælatis regni Concilium Lugduni celebrandum nuntiat, Regem ex parte Papæ & Cardinalium ſalutat, & ad Imperii coronam invitat. Rex ad colloquium Papæ ſe venturum promittens, cum gratiarum actione dimittens Cardinalem magnifice honoratum. Hic quia prædicti Principes non fuerant, tertius eis dies ad curiam tertiam indicitur in Auguſtam Vindelicam Rhætiam. Ad quem Otakerus mittit Epiſcopum Wernhardum Sekovienſem; Hainricus Dux Heinricum Præpoſitum Ottingenſem, Viros peritos in Jure Canonico & Civili. Surgens Wernhardus in Medio Procerum, electionem Rudolfi multis verborum phaleris niſus eſt quam poterat vicinare [2], probans eum excommunicationis vinculo, eo quod quasdam eccleſias ſpoliaverat, irretitum, & propter hoc inhabilem ad hoc culmen. Rex autem litteraturæ expertis Principibus aſſerit, hujusmodi in Collegiatis conſiſtoriis, dicens, litteraliter potius, quam coram Sæcularibus Principibus contractanda: & Principes, ſi intelligerent, ſine offenſa nullatenus pertranſirent. Qui vix obtento ſecuritatis conductu inaniter ad ſuos dominos ſunt reverſi. Otakerus autem & Hainricus Dux in ſuis juribus, officiis & feodis ab Imperio dependentibus, communi omnium ſententia ſunt damnati. Hoc anno moritur Gregorius Patriarcha, & ſuccedit Raymundus. Hoc tempore Ludwicus Palatinus unam filiam Regis in conjugio ſortitur, quæ genuit Rudol-

[1] *Miloto.* [2] *f.* vitiare.

fum

fum Palatinum, & Ludwicum. Hic quidem prius habuit filiam Ducis Brabantiæ, quam innocenter occidit, ſuſpicionem habens de quodam milite cum eadem: quæ poſtea ſibi apparens, manu extenta ad altaris Sacramentum, ſuam innocentiam teſtabatur. Ipſe contremiſcens dicitur ipſa viſione, dum eſſet adhuc juvenis, unius horæ ſpatio canuiſſe, moxque Monaſterium in Babaria, quod Campus Principis dicitur, fundavit. Exacta curia Rex Ulmam venit, & Hainricum Purgravium de Nuernberg dirigit ad Otakerum, poſcentem ſuo nomine & regni Auſtriam, Karinthiam & Carniolam, quas injuſtæ uſurpationis titulo poſſidebat: declarantem etiam, quod regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ ſibi propter contemptum & contumaciam abjudicavit ſententia Principum & decretorum. Ad quos Rex: Non decrevimus, ait, tam facile reddere, quæ arcu & gladio noſtro tam ſudoroſe conquiſivimus, vel quæ ad nos conſanguinitatis & affinitatis tramite manaverunt: adjiciens, ſe non modicum mirari, quod Proceres regni amiſſis [1] potentioribus tam exilem Comitem ad regni faſtigium extulerunt. Ad quæ vir provide ſuſceptis verbis regiis reſpondebat: Expedire vobis crederem, quod depoſito elationis faſtu Romano Vos Principi ſubderetis, cui neceſſe erit ſpiritum præſumptionis veſtræ retundere, eo quod Imperium contempſiſtis, & ad Conſiſtoria Principum non veniſtis. Sed & oblatum Vobis regnum olim poſttergaſtis, ſufficientem Vos habere gloriam reſpondiſtis. Scitis, quod Deus poteſtatem habet in regno hominum, & cui voluerit, dabit illud. Genus & proavos ſtrepitis? Omne genus hominum in terra ſimili ſurgit ab ortu: cum enim Deus auctor ſpectabilis [2], nullus degener extat. An ignoratis mentis impetum in Regibus formidandum, quem ſine ratione juſti judicii in quorundam Nobilium morte crudeliter effudiſtis? Nam miſericordia & veritas cuſtodivit Regem, & clementia roborabitur thronus ejus. Apes, ut dicit Seneca, ſunt iracundiſſimæ, atque corporis captu pugnantiſſimæ, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex apum ſine aculeo eſt, natura ei telum detraxit, & iracundiam ejus inermem reliquit: exemplum hoc magnis Regibus ingerens, ut pudeat ab exiguis animalibus non trahere bonos mores. Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit; quid finale referam, edicatis. Qui ait: Non aliud, quam audiſtis. Et reverſus ad Regem expectatus, ſicut aqua frigida animæ ſitienti, quæ geſſerat, & quid Otakerus reſponderit, enarravit. Diſſimulavit Rex, cogitans illud Salomonicum: Tempus loquendi, tempus tacendi, tempus belli, tempus pacis: & ſicut Prudentius ait:

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Scandunt celſa humiles, truduntur ad ima ſeroces.

De ſiccitate grandiſſima.

Principales venti conflando aquoſum aërem extra mare, & aliis fluminibus abundanter aſſidue miniſtrantes, littora maris ad 30. ſtadia alicubi exſiccata ſunt. Item prope Anconam lapis quidam immenſus apparuit, qui hactenus non eſt viſus. Sapientes itaque & Doctores ſtupefacti, inſolitam animadvertentes ſiccitatem, vaticinantes populo nimiam eſſe venturam inundationem pluviarum.

De Concilio Lugdunenſi, Colloquio Papæ, & Regis Romanorum, ac profectione ejusdem in Auſtriam.

MCCLXXIV. [1]

Papa venit Lugdunum ad Concilium celebrandum, quæ eſt magna civitas ſuper Rhodanum, olim de regno Arelatenſi, & Romani Imperii ditione: ad quod tam de Græcia, quam de diverſis mundi partibus Prælatorum maxima convenit multitudo. Religioſi etiam de Ordine Mendicantium ſugillati ſuper ſuis ſtatutis & voto profeſſionis, a quodam Britannicæ gentis ſubtiliſſimis argumentis, ad diſſolvendum hæc repagula magni præcipue confluxere. Fuit ibi Albertus Magnus Ratisponenſis Epiſcopus ſupra dictus, qui Epiſcopatu reſignato Coloniæ quieſcit. Beatus Thomas de Aquino, auditor quondam prædicti Alberti, in via graviter infirmatus de [2] Domo Ciſtercienſis Ordinis, quæ Foſſa Nova dicitur, decumbebat. Quam dum accedens aſpiceret, futuri præſcius ait: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Pater etiam Monaſterii vidit eadem hora ſtellam lucidiſſimam ante aram Beatæ Virginis ſe mittentem [3], & mox conjecit, quod Vir Sanctus, qui vitæ & doctrinæ claritate Eccleſiam illuſtraſſet, ibidem eſſet, ſicut probavit eventus, pauſaturus. Unde & in pectore ejus ſtella diffuſis comis depingi ſolet. De aliis Ordinibus honeſtiſſimi ibi fuerunt, qui adverſarias ſuas partes confundentes, validiſſime defenderunt. Patriarchæ & Epiſcopi ſe reditu ros ad unionem Eccleſiæ promiſerunt, & Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere novo Symbolo ſunt profeſſi. Quingenti & ſexaginta Epiſcopi, & Abbates, & alii Prælati circa mille ibi fuiſſe narrantur: ex quibus 160. Inſulati diverſi ſtatus mortis debitum exſolverunt. Pro ſubſidio Terræ Sanctæ ibi fuit impoſita Decima Sexannalis; forma electionis Papalis etiam ibi clarei extitit diffinita, ut errores circa eam in poſterum tollerentur. Soluto Concilio Papa Loſoniam ſe transtulit: ibi ſibi Rex cum magna decentia obviavit, & inter multos tractatus Papa Regem ad coronam Imperii invitat, ut Chriſtianis in Terra Sancta a Sarracenis conſtrictis, & Sepulcro Domini ſubveniat, theſaurum S. Petri ſibi aſſerens reſerandum. Rex cum maturitate Papæ reſpondit inclinans, pro oblatione tantæ gratiæ ſibi neutrum horum competere dicens; quia Romam vix aliquis priſcorum venerit ſine humani ſanguinis effuſione, nec coronam adeptus fuerit propter obſiſtentiam Romanorum; nec in promptu, ut ſine periculo pertranſeat, aſſeruit tantum militiæ ſe habere. Sed nec transfretare ſibi arbitrans competere dixit, quia regnum in Alamanniæ partibus adeo dilaceratum & convulſum eſſet, quod reformatione indigeat & medela. Cæterum ad hæc

[1] *l.* omiſſis. [2] *ſupple* ſit. [1] ita MS. [2] *l.* in. [3] *f.* demittentem.

omnia

omnia volita Sedis ſuo tempore promittens ſe A totis ſtudiis pariturum. Papa contentus hac reſponſione ejus electionem approbavit, & auctoritate Apoſtolica confirmavit. Rex Eccleſiæ terram Romaniolam reddidit a priſcis Imperatoribus poſſeſſam; cum quibusdam juribus & advocatiis, & jura Eccleſiæ ſubſcriptionibus roboravit. Poſt hæc Papa filiam Regis filio Karoli Regis Siciliæ hortatur matrimonialiter ſociari, ſolerter affectans Karolum contra Regem Arragoniæ roborare. Huic Rex placito aquievit: & pactis conjugii firmatis Papa Italiam, Rex Alamanniam eſt reverſus, juxta illud Virgilii cogitans: *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

MCCLXXV. *De Innocentio Papa V.*

Innocentius V. Papa, natione Burgundus, ſedit menſibus 5. & diebus 3. & ceſſavit Papatus diebus 18. Hic a pueritia in Ordine Fratrum B Prædicatorum exiſtens, Doctor in Sacra Scriptura, Epiſcopus efficitur, deinde Archiepiſcopus Lugdunenſis; poſt Epiſcopus Hoſtienſis. tandem Papa eligitur. Hic Papa factus licet multa potuiſſet facere, ſed cito obiit, & ſic nihil notabile fecit. Mortuus eſt Romæ, & in Eccleſia Lateranenſi eſt ſepultus. Eodem anno Auſtrales nobilem virum de Wolfgerstorff dirigunt ad Rudolffum; venit & Hertnidus de Wildonia de partibus Stiriæ ad eundem; uterque ſuorum contribulium & terræ angariam deplorantes, Regi inter cætera dicentes, cur torpeat, & oppreſſis tam crudeliter per Otakerum non ſuccurrat, & regni juſtitiam non requirat? Rex collecto exercitu cum omni domo ſua in Auſtriam parat iter. Quem Hainricus Dux Babariæ pactatus cum Otakero, non diu, ſed tamen aliqualiter impedivit: & tranſiens Pataviam Au- C ſtriam attigit, munitiones ſibi contrarias vel ad gratiam ſuſcepit, vel ſi opponebant ſe, penitus devaſtavit, Wiennam obſedit, & circumquaque vineas, agros, pomæria demoliens obſidionem continuat per ſex menſes. Ad juſſum etiam Regis Meinhardus Comes de Tyrol Karinthiam intravit & Stiriam, & accurſu Nobilium civitates & populum ad Regis voluntatem celeriter inclinavit. Cives autem Wiennenſes cujusdam Paltrami, qui partium Otakeri fuerat, infectione perſuaſi obſidionis pericula parvipendunt. Noviſſime nimis conſtricti anguſtia, regiæ gratiæ ſe ſubmittunt, libertatis & jura ſuæ civitatis poſcentes inſtrumentis Regis ſolidari. Quod Rex libenter annuens civitate potitur: & novis auditis, quod Karinthia & Stiria ſe ſubD miſerunt, mirabiliter lætabatur. Otakerus ſe videns artatum, Regis Colloquium per Brunonem Epiſcopum affectavit. Tranſiens autem Rudolfus, comitatu ſplendido Auſtralium & Stirienſium circumſeptus, ad Otakerum, habitis colloquiis Otakerus Bohemiam & Moraviam per ſceptrum & gladium de manu Regis ſuſcepit, omnes alias terras reddidit, obſides Nobilium laxavit, connubia cum Rudolfo, ita ut filius ſuus Rudolfi filiam, filia ſua Rudolfi filium duceret, ſtatuit; & ſic cum pace & plena concordia, facta fidelitate Imperio, ab invicem diſceſſerunt; celebrandis nuptiis terminum ſtatuentes. Rex lætus efficitur, quod ſine ſanguine placitum res exitum eſt ſortita, quia plus amor, quam armorum ſtrepitus ad hoc operatur. Unde Claudianus:

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia pila,
Quam tutatur amor, Non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.

Item tempore menſis Maji nubes aquas, quas a mari & aliis fluminibus immoderate anno proximo præcedenti hauſerant, diverſis terrarum partibus diſperſim Divina providentia abſque grandine & ſine magno impetu refundentes [1]; per ſingulos enim [2] ſubſequentes menſes dum ad hyemalem terminum in tantum imber continuare ſtuduit, quod ex inundatione per Italiam, Germaniam & Alamanniam univerſi rivi ſtatutos terminos exceſſerunt. In Auſtria autem, ut vere dicam, fluvius Maſſagetes (qui & Danubius) bis inundans, tertia vero inundatione tempore autumni longe lateque diffuſus, molendina & ædificia, acervos quoque cujuslibet grani, intriculatos ſtraminis & fœni cumulos penes ſe extinxit. Annona etiam, quæ præ continuatione pluviæ ad horrea congregari non poterat, putrefacta eſt in campis: & quoniam repleta eſt terra, & inebriata a pluvia multa, montium cacumina & arbores unacum radicibus prona ad planitiem dilapſa, ſemitas & convallia obſtruxerunt. Vineæ etiam inconſueto gelu territæ pro botris ex ſe labruſcas producentes, & initialis terminus vindemii poſt Idus Octobris prolongatus eſt: & aliquæ vineæ Idibus Novembris ſunt vindemiatæ, & ecce! vina hoc anno per Auſtriam amara ſunt communiter, & nimis acerba omnibus ad potandum.

Eodem etiam anno menſe Junii civitas Bononia diviſa in ſe, interficiuntur civili prælio 12000. virorum ex utraque parte. Ipſo anno, Indictione III. Luna XIX. IV. Idus Novembris, quæ eſt Dominica proxima ante feſtum S. Martini, Clauſtrum Dominarum de S. Nicolao Wiennæ infra muros a Venerabili Domino Petro Epiſcopo Patavienſi eſt dedicatum, in honore S. & Individuæ Trinitatis, præcipue vero in honore Mariæ Virginis (in cujus veneratione omnia Cœnobia Griſeorum Ordinis S. Bernhardi conſecrantur) & in honore S. Nicolai, S. Bernhardi, XI. millium Virginum, & aliorum plurimorum Sanctorum, quorum ibidem Reliquiæ continentur. Domni Hainrici Abbatis S. Crucis Cœnobii, Paltrami, dicti Vatzonis, & aliorum idoneorum ibi civium conſilio & auxilio mediante. His temporibus urbem quoque Wiennenſem infra muros apud portam Wyrmarkt valde munitam cœpit conſtruere, & munitiones ex novo in terra ædificatas plurimas extirpavit [3]. Item ipſo anno, pridie Nonas Decembris, luna XIII. hora VI. diei artificialis eo quod dies VI tantum habeat horas, poſt crepuſculum veſpertinum facta eſt eclipſis lunæ per tres partes in ſe, & duravit per duas horas. Item XII. Kal. Aug. Luna XXIII. Stella Venus & Luna a mane usque ad veſperam claruerunt. Item IX. Kal. Februarii, infra Completorium & Veſperas, Sol multum rubicundus [illegible] & hoc factum eſt, dum vergit ad occaſum. Item

[1] *ita MS.* [2] *ita MS.* [3] *deſt aliquid in MS.*

ſecunda

secunda urbs Wiennensis apud portam Pybrenis construitur. Item Ludwicus Comes Palatinus Rheni, & Haimricus Dux Babariæ fratres carnales, qui ob invidiam electionis Rudolfi Regis duobus annis & mensibus sex inimici erant ad invicem, & mutuo terras præda & incendiis dissiparunt, annuente Papa Innocentio V. ad pacis concordiam redierunt.

De triplici exustione Wiennæ.

Item v. Kal. Aprilis quædam platea Wiennæ, dicta Sunkingerstraz, domestico igne magna parte crematur. Item xvi. Kal. Maji eclipsis Lunæ facta est quasi media nocte. Ipsa nocte exortus est ignis in domo Camerarii in Kyenmarkt, & exusta est magna pars civitatis Wiennensis, videlicet altum forum plusquam medium ex ea parte, qua institores residunt. Kyenmarkt quoque penitus & arena. Deinde xiv. die, videlicet pridie Kal. Maji, quæ est vigilia Apostolorum Philippi & Jacobi, feria v. ante portam Scotorum non longe a fossato, sed in modum ictus mallei in quadam curia, ubi lateres conficiuntur, ex improvisu hominum proh dolor! exortus est ignis, Austro meridionali vento vehementer conflante & ecce iterum & tertio ipsa civitas Wiennensis infra & extra muros, omnes portæ præter duas portas lignorum & Karinthianorum, turres quoque in gyro singulæ, Claustra denique Scotorum & Fratrum Minorum, necnon parochiales ecclesiæ S. Stephani, & S. Michaelis, & S. Petri usque ad CL. hospitia circa Novum forum remanentia, in favillas & cineres penitus sunt redacta. Testudines vero & structuræ lapideæ consumato igne, pronæ quamplurimæ corrueruntque; talenamque damnum honesta civitas a conditione sua non est hucusque præda vel incendio adeo consecuta. Porro Otakerus Rex Bohemiæ, cui dicta civitas rebus & personis, dignisque obsequiis per quinque lustra obedivit; hoc percepto compatiens. Nam de sua regali gratia juxta nobilium sapientumque Consiliariorum industriam prælibatam civitatem quasi ex novo conditam nititur sublimare. Ab omni namque exactionis gravamine & multarum per lustrum penitus liberam relaxavit; unanimitates vero omnium artificialium præter monetæ consortium, omnino deposuit, ut emendi & vendendi tam in cibariis quam in mercimoniis omnes per prædictorum quinque annorum spatium liberam habeant facultatem. Quandam etiam sylvam in subsidium civibus libere tribuit, & nundinas per sex mensium spatium perenniter, prout civibus expedire videbitur, fieri illucjussit.

MCCLXXVI. *De Adriano Papa V.*

Adrianus V. natione Januensis, in Papam electus sedit mense 1, diebus 9, & cessavit diebus 28. Iste Adrianus fuit nepos Innocentii IV, & ab ipso in Cardinalem S. Adriani promotus, a Domino Clemente in Angliam pro guerra, quæ inter Regem & Barones exorta fuerat, sedanda missus fuerat. Hic Papa factus statim constitutionem, quam Papa Gregorius X. in Concilio Lugdunensi de restrictione Cardinalium propter electionem Summi Pontificis ediderat, suspendit, proponens eam aliter ordinare; sed præventus morte suspensam reliquit.

De Johanne Papa XXI.

Johannes XXI. natione Hispanus, sedit mensibus 8, die 1. & cessavit mensibus 6, & diebus 7. Hic Pontifex scientiarum florem, & Pontificalem dignitatem morum quadam stoliditate deformabat, adeo ut naturali industria carere videretur. In hoc tamen quamplurimum laudabilis fuit, quod se tam pauperibus quam divitibus communem exhibuit, multosque egentes studium litterarum amplectentes fovit, & in beneficiis Ecclesiasticis promovit. Et cum sibi vitæ spatium in annos plurimos extendi crederet, & etiam edram aliis assereret; subito cum camera nova, quam Viterbii construxerat, solus corruit, & inter ligna & lapides collisus, sexta die post casum Sacramentis omnibus & Ecclesiasticis perceptis expiravit, & ibidem sepelitur.

De prælio Rudolfi cum Otakero Rege Bohemiæ.

Cap. IV.

Eodem anno electus Rudolfus dimisit exercitum, dum Wiennam rediit negotiis regni vacans. Otakerus autem rediens Bohemiam, Reginæ consorti suæ retulit reconciliationis & nuptiarum fœdera, & alia placitata, quæ ironice insultans ait ei: O quam grandis auctoritatis es Rex! qui Rudolfum longe positum juxta canum consuetudinem hostiliter allatrasti; sed prope positum oblatione quatuor terrarum nobilium pro pincernatus officio salutasti. Qui cum olim in tuam adscribi clientelam affectavit, & tunica grisei staminis vestitus, æstimat Regum gloriam annihilare. Quod Rudolfus audiens, tunicam deponere noluit, quousque negotium in eadem expediret. Quid plura? Erubuit ad grunnitum bestiæ Otakerus, & statim Rudolfo juxta formam contradictionis inimicabilis injuste secum esse actum nuntiat, bellumque indicit, repetens manibus regiis resignata. Rudolfus autem Ladislaum Regem Hungariæ, Swevos, Australes, Stirienses, Karinthianos advocat, exercitum magnum conflans. Sed Otakerus Leonem Regem Rutenorum, Bohemos, Polonos, Misnenses, Saxones, Moravos, Thuringos largo cogiario allicit, & in Campis Marchiæ fluminis se componit. Æstimatus est autem habuisse 30000. pugnatorum; Rudolfus vero vix hujus numeri quartam partem habuit. Qui dum cum suis in castro Haimburg Danubium transisset, adversus Otakerum castra figit, naves omnes præcidit & dimisit, ne fugam sui per easdem meditarentur. Capto campo in quatuor Ordines suos scindit; primum & secundum Hungaris, aptis ad jacula, commendavit; ad tertium Swevos, Stirienses, Karinthianos, Carniolanos, Salczburgensis Præsulis familiam collocavit; quartum Rex cum Australibus gubernavit: sequestrans virum strenuum Capellarium cum electis, ut lassis prout cerneret subveniret. Otakerus acies sex distinxit, in prima cum Rege fuere Saxones, in secunda Moravi, in tertia Pilsnenses, in quarta Thuringii & Misnenses, in quinta & sexta cum Babaris Polonicæ gentis fortissima armatura; deputavit

congiario.

etiam ipse Milotum Stirienſem Comitaneum, ut laborantibus ſuccurreret & laſſatis. Nec terruit Rudolfum exceſſiva multitudo, quia non in multitudine, ſed de cœlo fortitudo eſt. Et Vegetius dicit: *In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt, quam rudis & inerti multitudo, expoſita ſemper ad cædem: nemo enim facere metuit, quod ſe bene didiciſſe novit.* Conſolatus eſt etiam cujusdam ſomni viſione, quod tale erat. Vidit enim aquilam pugnantem cum Leone: & ſub dubia ſorte nunc hic prævaluit, nunc illa, & ſic ſe invicem lacerabant. Noviſſime aquila leonem lacerans unguibus ſubſtravit. Interpretationem a quadam Religioſa Devota perquiſivit, quæ taliter conjecit: Tu es, inquit, aquila, quia Regnum Romanorum aquila inſignitur. Otakerus ænigmate leonis inſigniis bellicis eſt armatus. Aquila etiam altiſſimi eſt volatus, viſus acutiſſimi, diu vivens, juventutem, poſtquam ſenuerit, reaſſumit: quæ conditiones certiſſimæ tuæ victoriæ ſunt indicia manifeſta. Leo fremit, & rugit iratus, & ex nimio calore & furore pectoris dicitur interire, & talis animus eſt Otakeri, & præfata viſio prænuntia ſui caſus. Igitur exercitus utriusque Regis, ſicut de exercitu Regis Antiochi legitur, ibat caute & ordinate: & ut reſulſit ſol in clypeos aureos & æneos, reſplenduerunt montes ab eis ſicut lampades ignis, & commovebantur omnes a voce multitudinis eorum, inceſſu turmæ & colliſionis armorum. Et ordinatis ſagittariis, lanceariis, ſigniferis, unumquemque in locum ſuum, convaluerunt animis, parati non ſolum homines, ſed & beſtias ferociſſimas & muros ferreos penetrare: & utroque Rege ſuos adhortante, cum invocatione Divini adjutorii commiſcentur. Et ſicut in hiſtoria Trojana legitur:

Undique conſurgunt acies, & pulvere cœlum
Conditur, horrendisque ſonat clamoribus æther.
Et modo terga petunt, duros modo fortibus ictus
Depellunt clypeis, ingens ad ſidera clamor
Tollitur, & vaſtis impletur vocibus æther.

Ordinatisque hinc inde agminibus, Rex Romanorum tam Comanis quam Chriſtianis pro ſigno nomen Chriſti præcepit invocare, ut ubicunque eſſent illa die in bello, pariter vel diſperſi, hoc nomine *Chriſtus Chriſtus* a quolibet clamaretur. Itaque nomen Dei glorioſum & benedictum *Chriſtus*, quod exercitui Regis Romanorum in ſignum datum fuerat, quod ſemper antea ab incredulis Comanis & a ſemi-Chriſtianis Hungaris blaſphematum, & pro nihilo fuerat reputatum, hac die communiter tam a Comanis, quam a Chriſtianis invocando ſæpiſſime repetitis vicibus *Chriſtus Chriſtus* alta voce proclamatur. Rex vero Bohemiæ ſuis exercitibus pro ſigno dederat clamare *Praga Praga*, & cuilibet album peplum circa collum ante & retro usque ad cingulum in modum ſtolæ Diaconi; ſicque bellum commiſſum eſt ab utriſque. Otakerus ſicut Rex ſæviens, irruens Rudolfi aciem diſcindebat: & Thuringus quidam cum viro nobili de Wolkenſtain Rudolfi dextrarium confoderunt, ipſumque graviter occupabant. Cui inter cruentos gladios Capellarius ſicut urſa in ſaltu pro raptis catulis vehemens & irata ſubvenit, & non ſolum Regem, ſed etiam totius belli fortunam labentem relevavit, & invaſum Otakerum adeo coartabat, ut Milotum inclamaret. Quo diſſimulante, & mortem fratris animo revolvente, a prælio retroceſſit, & funem in Otakeri collum miſſo a ſuis ſeorſum obnubilatus ſub galea ducitur, & relinquitur: & mox ab Auſtralibus & Stirienſibus in ultionem ſanguinis amicorum, quos indebite necaverat, clamans horribiliter, & affidationem promittens, acutiſſimis gladiis eſt perfoſſus. Et ecce! mirum in modum totus exercitus Bohemorum ſuperatus, terga in fugam verterunt, relicto Rege ſuo ſolo. Pars autem adverſa eos inſequentes, ſine defenſione eos trucidabant. Alia vero pars in fuga flumen tranſire cupiens ſubmergebatur, deſcenderuntque in profundum gurgitis quaſi lapis, in modum quondam Ægyptiorum in mari rubro. Jam enim æquor ſpumans aquatis elementi in cruorem ſuum mutaverat colorem, & ſanguis occiſorum & vulneratorum ac ſubmerſorum ſuper undas gurgitis fluebat. Res etiam ex eis a Comanis capti, vinculati, vulnerati miſerabiliter deducebantur, raptis & ſpoliatis theſauris Regis Bohemiæ in curribus & tentoriis ſuis, & ſuorum inventis. Quidam etiam alii venientes Regi Bohemiæ in adjutorium cum copioſa multitudine, antequam pervenirent ad exercitum, videntes & audientes fugam Bohemorum, revertentes fugiebant & ipſi abſque perſecutore properantes. Miſerum vidiſſes ſpectaculum, in campo jacentium inæſtimabilia corpora hominum occiſorum, cadavera equorum innumerabilium in ſuo cruore volutantium, viſcera equorum a canibus & avibus circumtrahentium, & non erat qui ſepeliret. Rudolfus habita experientia mortis ſuæ, campo per triduum obſervato [3]. In illa die ceſſavit arrogantia Bohemorum ſuper Auſtrales, Stirienſes, Karinthianos, quos indebite per longa tempora afflixerant. Quosdam etenim Nobiles idem Rex ad caudas equorum per civitatem ſuam traxerat, ultimo catenis ferreis ad commune patibulum ſuſpenderat, quosdam etiam in turribus ſuis Wiennæ combuſſerat, alios vero decollaverat, taliaque & ſimilia multa ipſe & ſui homines perpetraverunt. Vidiſſes catervatim 10000, & ſæpe plures, Comanorum, qui odio ejus Moraviam, Auſtriam, Stiriam intrabant, & flammis, rapinis virorum ac mulierum, puerorum quoque ultra 100000 deducentes ad paganismum exulabant. Ipſe etiam, in quantum potuit, eis vicem reddidit, & ſic in eo impletum eſt verbum Prophetæ dicentis: *Sicut feciſti alii, fiet tibi: retributio tua [retribuetur] tibi.* Nunc igitur quod incœpimus, perficiamus.

Rex igitur Hungariæ (ut prætactum eſt) cum ſuis ſumptis ſpoliis & captivis per Bohemiam remeare proponebat, ſed Romanorum Rex nullatenus permiſit, tanquam homo pacis amator, ſi permitteretur, ne Chriſtiani per Bohemiam degentes Comanorum rabie prorſus interfice-

[1] *l.* Tres. [2] *l.* circumtractorum. [3] *deſunt hic quædam in MS.*

rentur,

rentur; ac destruerentur; & sic ad propria sunt reversi. Rudolfus vero Romanorum Rex Moraviam intrat cum suo exercitu, quam per omnia sibi subjugavit. Cum autem versus Pragam vellet iter arripere, Illustris Otto Marchio de Brandenburg, qui post obitum avunculi sui Regis Bohemiæ civitates & castra in regno Bohemiæ, thesauros quoque Regis ipsius arripuerat, ei resistere nitebatur. Venientes ergo ambo cum exercitibus suis fortissimis, & ingenti apparatu armorum usque ad Coloniam juxta Albiam, mediantibus Principibus ac aliis Nobilibus multis, inter eos pace reformata sub hac conditionis forma amicabiliter inter se convenerunt, quod relictus Juvenis Regis Bohemiæ piæ recordationis filiam Regis Romanorum, sicut olim adhuc patre vivente ordinatum fuerat, legitime duceret in uxorem; fratri vero Marchionis prædicti etiam filia Regis Romanorum desponsatur, sicque regnum Bohemiæ, & puer juvenis Regulus super fidem suam Marchioni est commissus. Regi vero Romanorum Moravia ad quinque annos est commissa; & sic ad Austriam rediit cum triumpho. Totus etenim clerus & congregationes Religiosorum Wiennæ cum crucibus & vexillis & Reliquiis ei occurrentes, cum gaudio eum receperunt, cantantes Responsorium: *In hymnis & confessionibus* &c. Rex autem Hungariæ, ut supra dictum est, cum suis reversus ad propria, per totum regnum suum diem occisionis Regis Bohemiæ solemniter fecit celebrari, nec quidquam operis faciendi illa die, nisi choreas ducere: exasperatio enim longissima vigebat inter eos, & hæc eis odii fomentum ministrabat. Ipse enim Rex Bohemiæ cum antiquo Rege Hungariæ Bela quondam cum innumerabili exercitu pugnaverat, & quamvis Rex Bela inæstimabilem exercitum haberet, tamen Rex Bohemiæ in publico bello devicit eum. Post mortem vero ejus successit ei Stephanus filius ejus, qui regnavit pro eo: cum quo similiter Rex prædictus Bohemiæ diversa bella exercuit. Jacuit enim in Hungaria potenter cum ingenti exercitu & copioso nimis diebus multis, quod ab antiquis temporibus usque in hodiernum diem neque in Cronicis, neque in gestis Regum vel Imperatorum legitur hoc factum fuisse. Postmodum Castra Regis Hungariæ in confinio Austriæ sita destruxit, & funditus subvertit, ita quod non remansit lapis super lapidem. Item sui homines nocturno tempore Bosonium castrum violenter obtinuerunt, civitatem flammis succenderunt, ita quod cives & uxores, ac filiæ eorum, & aliæ mulieres vix acceptis palliis, quædam camisiis, aliæ vero peplis, vel quidquid præ manibus invenire poterant, quædam vero nihil, omnes sic ad Domum Fratrum Minorum confugerunt, & quamnude super stramine tota die ibi sederunt. Episcopum etiam Georinum in proprio claustro ceperunt, & civitatem potenti manu obtinuerunt, ipsum quoque Episcopum in vinculis suis diu captivum detinuerunt. Non multo post Vitrienſem [1] Episcopatum destruxerunt, & combusserunt, viros etiam & mulieres, qui ad Ecclesiam confugerant, trucidabant; pueros autem in cunis jacentes Bohemi per pedes arripiebant, & eos ad columnas lapideas Ecclesiæ collidebant. Pro talibus & his similibus & ipsi Hungari & Comani (ut supra dictum est) Austriam, & alias terras Regis Bohemiæ incendio & rapinis devastabant: viros quoque, mulieres ac parvulos velut pecora per turmas secum deducebant; raroque fuit pax inter eos. Mortuo Stephano Rege Hungariæ, Ladislaus filius suus regnavit pro eo, cum quo etiam Rex Bohemiæ multa bella exercitatus [1] usque ad adventum Regis Romanorum; tunc excussum fuit jugum Bohemorum a cervicibus Hungarorum, a quibus graviter opprimebantur. Reverramur ergo ad materiam.

Rex autem Bohemiæ illa die, qua occisus fuerat, nudus ut egressus de utero matris suæ est, per prædictum Berchtoldum Dapiferum de Emerberg plaustro superponitur, & in Marchekam ducitur. O mira Dei dispositio, & tremendum ejus judicium! quod tantus Rex & Princeps sublimis diversarum provinciarum, mundanarum divitiarum opulentissimus, qui dominabatur a mari usque ad mare, qui aliis dona magnifice donaverat, non habet ubi caput suum reclinet, vel unde tegat sua verenda. Heri multis Nobilibus imperabat: hodie unus imperat ei. Heri cum suo exercitu terram tegebat: hodie tegitur a terra. Heri aliis propria jura dabat: hodie non habet unum linteamen. De Marcheka vero ducitur in Wiennam, ibi lamentabiliter suscipitur, & ad Scotos ponitur. Mane de Domo Scotorum cum toto clero & Religiosis sub silentio, sine [2] ullo cantu præmisso, nullis campanis pulsatis, ad Domum Fratrum Minorum deportatur, ibique nuda facie omnibus ostenditur. Postea ejectis interioribus corpus speciebus conditur, lineis mundis & purpura a Regina Romanorum datis involvitur, & in Capitulo Fratrum Minorum intumulatus: nullis in fidelium obsequiis [3] pro eo celebratis, & [4] campanis pulsatis, nec Missis dictis, fere 30. hebdomadis in feretro conservatur. Deinde venientes sui Bohemi receperunt eum, & assignaverunt eum Fratribus Minoribus in Znoyma, ibique jacet; postea translatus in castrum, ibi honorifice sepelitur. Relicta Regina postea Viro nobili, sed sibi impari [5], cum quo a facie junioris Wenczeslai filii in Hungariam commigravit. Hic Rex construxit Monasterium Cistercienſis Ordinis, quod Spinea Corona dicitur. Unam Spinam coronæ Domini Rex Franciæ magnis precibus ei contulit, qua ipsam fundationem decoravit, & ob hoc Coronam Sanctam appellavit. O quam convenienter versus Anshelmi hic possumus scandizare:

Omnis habet subitum terrena potentia finem,
Atque fuga celeri deserit ipsa suos.
Ergo time, quisquis celsos conscendis honores,
Teque ruinoso stare memento loco.

Et sicut de Alexandro dicitur iam defuncto:

[1] *l.* Nitrienſem.

[1] exercuit. [2] *ita legendum videtur pro* in illo cantu, *ut mendose habet Cod. MS.* [3] *supple* fieri ſolitis. [4] nec. [5] *supple* nupſit.

Quam frivola gaudia mundi!
Quam rerum fugitivus honor, quam nomen inane!
Magnus in exemplo cui non ſuffecerat orbis,
Sufficit exciſo defoſſo marmore terra.
Quinque pedum fabricata domus quam nobile corpus
Exigua requievit humo.

Eodem tempore Dux Brabantiæ, & ſocer ſuus Comes Flandriæ; & alii viginti denominati, & magni Comites magnum & innumerabilem, ac noſtris temporibus inauditum colligentes exercitum (ſicut Regi Romanorum in litteris, quas vidimus, & alii plures, demandatum fuit) duodecies millia usque ad civitatem Aquisgrani, & ad partes Coloniæ pervenerunt. Sed nullus inter eos, niſi vix quatuor viri, proceſſum eorum agnoſcere potuerunt: nihil etiam egerunt, & ſic ſine aliquo fine certo determinato ad propria ſunt reverſi. Notandum etiam inter cætera, quod curialis & mirabilis caſus Wiennæ [1]. Et quamvis ſit ſine utilitate, tamen pro curialitate, quia inconſuetum eſt, ponimus [2]. Eodem anno Inclytus Comes Juliacenſis, dum ad expeditionem Regis Romanorum ſe præpararet, & ad civitatem Aquisgrani usq; pervenisſet, & exactionem, quam ei Rex Romanus ordinaverat, a civibus exigeret; ſubito lite exorta; ſuadente peſtifero conſilio, cum duobus liberis ſuis ac ducentis militibus, & fere mille hominibus aliis ſuis (proh dolor!) in quadrageſima ante eccleſiam Beatæ Virginis a prædictis civibus & vulgo eſt miſerabiliter occiſus.

De Actis Rudolfi diverſis, de falſo Imperatore, & quod Arragonii regnum Siciliæ obtinuerunt. MCCLXXVII.

Rex reverſus in Auſtriam, Stiriam luſtravit, ibique Karinthianos & Carniolanos alloquitur, & fidelitatem ab eis recepit: terrisque eorum per Meinhardum Comitem & Officiales diſpoſitis venit in vallem Aneſi, ibique audiens, filium ſuum Hartmannum in Rheni fluctibus ſubmerſum, dolens in luctum gaudium commutavit. Stiria etiam ordinata per Abbatem Admontenſem, in Auſtriam eſt regreſſus, Reginam recipiens debilem, & tali morbo laborantem, quod remedium non habuit. Quæ diſpoſitis omnibus, quæ ad teſtamentum & Eccleſiaſticorum Sacramentorum pertinent perceptionem, ſumma devotione terminum vitæ fecit. Rex quanquam incredibili doloris vulnere pungeretur, cogitans tamen mores [3], quod ſecundum Senecam eſt tributum mortalium & lex naturæ; conſolationem recepit, inſiſtens regni negotiis, habens ſecum Fridricum Salczburgenſem, Petrum Patavienſem, Hainricum Tridentinum, Johannem Gurcenſem, Bertoldum Babenbergenſem, Chunradum Friſingenſem, Hainricum Baſilienſem Epiſcopos: Ludwicum Palatinum & Albertum Ducem Saxoniæ, Meinhardum de Tyrol, Bertholdum de Hohenberg, Eberhardum de Kaczenellenbogen, de Syna & de Wirtenberg Comites, Viros eximios & prudentes. Ex quibus Johannem Gurcenſem Epiſcopum, Rudolffum Cancellarium ſuum, Comites de Syna, de Werdenberg cum filia ſua in Apuliam Karoli Principi, ſicut Papæ promiſerat Gregorio, cum apparatu magno & gloria deſtinavit: quæ peperit Karolum Regem Hungariæ, Clementiam Reginam Franciæ, & adhuc unam filiam, quæ facta eſt Princeps & Domina Delphinatus. Noviſſimam filiarum tradidit Ottoni filio Hainrici Ducis Bavariæ, quæ duobus filiis editis, & mortuis, poſt breve interſtitium temporis eſt defuncta. Hoc tempore Hainricus Dux, & Ludwicus frater ejus, & Meinhardus Comes de Tyrol ad Regem [4], poſtulantes eis & hæredibus ſuis de terris aquiſitis donationem fieri, pro eorum & ſuorum hæredum ad regna æterna ſervitia [3] qualemcunque. Quibus Rex reſpondit, hoc non poſſe fieri ſine Principum conſenſu, ſed illa in curia, quam in Auguſta concepiſſet agere, pertractanda, & ſic diſtulit reſponſiva.

MCCLXXVIII. *De Nicolao Papa.*

Nicolaus Papa III. eligitur, ſub quo Petrus Arragoniæ contra Karolum Regem Siciliæ naves bellicas inſtauravit; ad quod eum Regina maxime armavit [4], & ei omnes theſauros a longo tempore congeſtos, ut viriliter ageret, reſeravit. Hic Papa Ludwicum Regem Franciæ canonizavit, qui fertur, precibus de ſe natum fœtum, maſſam informem ex utero matris, ſuper altare poſitum in capella ſpineæ coronæ Domini obtinuiſſe, ut omnia membra pulcherrimi & pleniſſimi corporis formarentur, & exiliens puer, & ſibi elegantiſſimus arrideret. Hic bis mare tranſiit, opera clara geſſit; Damiatam cepit, ſemel ibidem captus mirabiliter liberatur, & iterum devotione maxima rediens apud Karthaginem in Domino obdormivit, ſicut Rex Caſtellæ, Papæ & Cardinalibus demandavit. Hoc anno per Auſtriam, Stiriam, Karinthiam, tanta fames extitit, ut homines cattos, canes, equos, & mortuorum hominum cadavera manducaverint. Rudolfus igitur diſpoſita terra, & procuratione tradita filio Alberto, poſtquam tribus annis & dimidio in Auſtria eſt moratus, ad ſuperiora regreditur, per nemus Bohemicum iter agens urbem ſubiit Noricorum. Oſſa Reginæ per Epiſcopum Baſilienſem ad natale ſolum transferri in ſuæ nativitatis patriam ordinavit.

MCCLXXIX. Curiam in Nuerenberg indicit, ubi comperit Comitem de Habspurg, patruum ſuum, & Egenum de Freyburg, atque Eberhardum de Wirtenberg proclamatam pacem publice violaſſe. Et duos quidem primos acerrime caſtigatos caſtrorum ſublatione, tandem amicorum interventione ad gratiam vix recepit; alium obſidione & expugnatione duorum caſtrorum, & diſſipatione murorum, ſcili-

[1] *ſupple* acciderit. [2] *Mirabilis iſte caſus, qui in MS. noſtro deerat, in* Hiſtoria Auſtrali *apud Burch. Struvium ſic refertur:* Dominus enim Otto de Haslowe miniſterialis Auſtriæ jam centenarius & ultra, cum filio pronepotis ſui Hugone tantum jures (*Struvius pro* tantum jures *legendum putat* tantum juvene) qui eodem die a Rege Romanorum accinctus eſt gladio, haſtiludium honorifice exercuit. [3] *f.* mortem.

[1] *ita MS.* [2] *Supple* ſe contulerunt, *aut ſimile quid.* [3] *f.* ſucceſſione. [4] *l.* animavit.

cet

cet Streytgarten & Nortingen correxit. Et dum in Regis contemptum muros roboraret, tria ei caſtra Witlinge, Remſee, Walihuſen conſignat, nunquam ſibi reddenda, ſi in poſterum edictis Regis inſultaret. Hoc anno Philippus Salczburgenſis Electus moritur apud Cremſam. Teſtamentum condidit ſub titulo Ducatus Karinthiæ, & Laybacum Eccleſiæ Aquilegienſi diſponit, & fratris donationem ratificavit. Titulus ſepulcri ſui habet, quod fuerit Dux, Epiſcopus, Patriarcha.

MCCLXXX. Hoc anno Nicolaus Papa moritur.

MCCLXXXI. Succedit ei Martinus IV. Hoc anno Rex Tartarorum paganus duxit filiam Regis Armeniæ pulcherrimam & Chriſtianam: quæ peperit fœtum hirſutum, in media parte in modum feræ ſylveſtris, mediumque in altera nudum. Quod dum Aruſpices Reginæ adſcriberent, & perimendum dicerent, ipſa oratione [1] puerum baptizari petiit. Quo facto puer totus in forma humana de fonte proſeliit. Rex lætus efficitur, & baptizatur, & Regina ſalvatur, & ſepulcrum Domini de manu Soldani debellans, Chriſtianis tradidit gubernandum. Iſto anno in die Kathedræ S. Petri receptus eſt a primo Conventus Prædicatorum Fratrum in Leuben in terra Stiriæ ſub Rudolfo Rege Romanorum, ac ſub Fridrico Salczpurgenſi Metropolitano, nec non ſub Alberto Duce Auſtriæ & Domino terræ. Eodem anno Saturnus planeta apparuit IV. Kal. Februarii ab hora nona usque ad undecimam horam diei artificialis. Dominus Petrus Patavienſis Epiſcopus obiit Kal. May. Dominus Wichardus ſubſtituitur; & Dominus Chunradus Hintpergarius in Epiſcopum Kiemenſem eligitur: qui ſimul ab Epiſcopo Tripolitano Apoſtolicæ Sedis Legato Wiennæ conſecrantur III. Non. May. Item menſe Julio inundatio maxima fit, Danubius multa ædificia circumquaque deſtruxit. Item menſe Auguſto IV. Non. tonitrua, grando, coruſcationes & impetus pluviarum fit in Auſtria, ita quod minimæ ripæ ex inſperata velocitate accreſcendo homines extinxerint. Venti quoque nimium validi circa Lylienfeld ſupellectilia, veluti ſunt dolia & ſcrinia, ultra montes ad quatuor ſtadia detulerunt. Item terræ motus factus circa Novam civitatem XV. Kal. Junii: & ecce mirum in modum! ibidem quædam puella octo annorum concepit per ſervum decem annorum, & peperit, ſed in partu moritur. Item mortalitas maxima fuit in Auſtria.

MCCLXXXIII. Rex parat expeditionem in Sabaudiam, & Comitem coartat reddere (qui nec ab Imperio recognoverat ſe habere) & ſuſcipit in feodo omnia, quæ prius tenuit violenter de his, quæ neglexit regio fiſco, certam ſummam pecuniæ impoſitam devovit ſolvere annualem. Poſt hæc Rex Peterlingam & Veronam in montibus Burgundiam contingentibus poſitas civitates, quæ de circumſcriptione montium confidentes ab Imperio ſe dudum in libertatem traxerant, ad parendum ſibi valida preſſura coartavit. Hoc anno ſurrexit quidam in ſuperioribus partibus Rybauriæ circa Coloniam & Nuzziam, qui ſe Imperatorem diceret Fridricum, qui veteranis militibus dedit judicia manifeſta, Judæorum maxime ſuffragio imperialiter curias celebravit, in Coloniam maxima contumelia percurrit, & abraſione crinium in cloacam mittitur ſtercoralem. Deinde auffugit, & venit Vetslariam Hazziæ civitatem: ubi Rex eum expetiit, & per corrigiam femoralis a Marſcalco Regis Nobili de Papenheim tractus, mox characteres & illuſionum figmenta omnia ſunt effuſa, quibus populum dementavit; & ſic faſſus faſcinationem ſe calopidarum [2] eſt profeſſus. Rex autem ad ſententiam omnium dijudicatum igne interemit, & a regno peſtilentiam hanc ſubmovit. Hoc tempore Rex diſſidium Thuringiorum & Misnenſium terminavit. B nam ipſas terras pacavit, & data pecunia, ut ab Imperio infeodarentur in reliquum, maxima diligentia & providentia procuravit. Hoc etiam anno Panormitani Siculi omnes Francigenas & Gallicos cum mulieribus prægnantibus peremerunt: & omnes Siculi Petrum Regem Arragoniæ ſibi in Principem ſtatuerunt.

MCCLXXXIV. In quandam inſulam Regis Angliæ Petrus & Karolus circa Bruzdegalem [3] monomachiam, cum centum millibus quolibet eorum fulto, ſub comparatione amiſſionis rerum & honorum, & ſpecialiter ... condixerunt; quæ tamen per interjectionem doli & malitiæ eſt ſoluta. duravit autem hæc controverſia, & ſatis dura fuit, quousque Petrus cum 22 galeis armatorum & virorum nauticorum, qui gnari maris fuerunt, Karolum Karoli filium ex Neapoli ad navale prælium convocaret; ut caperet, & ut quidam dicunt, ſubmergeret. Alii in Meſſanam, alii ductum in Arragoniam aſſeverant, & nullo pretio redimi potuiſſe, ſed publice decollatum. Meſſana per Karolum ineffaciter eſt obſeſſa, Arragonia per Papam excommunicata, & per militiam Franciæ Regis Philippi invaſa, in parte aliqua devaſtatur; Petro mortuo, filii ſui Petrus & Fridricus regnum poſſidere potentialiter incœperunt, conſequenti tempore per connubia mutua convenerunt: filiis Karoli Apulia, filiis Petri Sicilia, & utrisque titulo regni [3] Siciliæ & Jeruſalem remanente. Reliquit etiam Karolus filium, quem ſuſcepit Eccleſia educandum. Iſto anno in Capitulo generali Wiennæ confirmatus eſt Conventus in Leuben Fratribus Prædicatoribus a fratre Johanne totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro; & hoc in feſto Pentecoſtes, cum eodem anno antea in Quadrageſima ipſa Domus Fratrum in Leuben a proprio igne omnino eſt exuſta. Eodem anno ventus Aquilonis mare Friſiæ in Teutonia ultra terminos & limites ejiciens, magnam partem Seelandiæ, Hollandriæ & Friſiæ in profundum pelagi ſubmerſit. His temporibus Michael occupator Imperii Conſtantinopolitani, ante paucos annos rediens ad veritatem fidei Chriſtianæ ſub Gregorio X, nunc tempore iſto invaſit palam fidem, & progenies ſua adhuc ipſam aperte impugnat.

MCCLXXXV. Eo ſcilicet anno, quo et-

[1] *Supple* facta, *aut hujusmodi.*

[1] *ſic MS.* [2] *f.* Burdegalam. [3] *l.* Regis.

iam Martinus Papa tranſiit ex hoc mundo, uniA verſæ viam carnis Karolus eſt ingreſſus, præ triſtitia (ut fertur) de quibus caſibus videtur dicere Ovidius:

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora diem.

Quod Rudolfus duos filios ſuos, & Meinhardum Duces fecit. Cap. VI. MCCLXXXVI.

Rex curiam, ſicut dudum præſtitit, celebrat in Auguſta, ad quam Principes Electores, ac alii Proceres regni cum Nobilibus diverſis convenerunt: filii etiam Regis Albertus & Rudolfſus, atque Comes Meinhardus ſolemniter affuerunt. Et ſurgens Rex concionationis oraculum ſic orditur: Sermo nobis ad Vos, Principes, clariſſima membra regni, ſine quibus indecorum eſt quidquam in regni diſpoſitionibus actitari. Scitis, quomodo ſublimium & ſuperB borum colla calcaverimus, rebelles ſubſtringimus, [1] perdita recuperaverimus: & quantum in his ſudaverimus, nullatenus credimus vos latere. Poſtulamus ergo, ut quæ regno noſtris laboribus ſunt adjecta, duobus filiis noſtris, ut eorum ordo in gradum provehi valeat altiorem, de veſtri favoris amminiculo concredantur: ut majoris dignitatis titulo ad Regni decus fidelitate perpetua cum ſuis hæredibus aſcribantur. Eſt enim noſtri propoſiti, de Comitibus eximiis Duces facere glorioſos, ut cum Principibus ſedeant, ſolium gloriæ teneant. Cum eisdem Comes etiam Meinhardus eodem flagrat deſiderio, Vir egrediens & regrediens ad Regum imperia, fidelis eſt inventus: cui nomen Principatus Karinthiæ diſpergere [2] intendimus, qui Regibus & Imperatoribus neceſſarius eſt, & ſemper fuit intrantibus & exeuntibus provinciam Italorum. Cui propoſitioni cum omnes conſenſum tribuerent, & gaudentem, Rex indutus regalibus, vexillis & ſignis Principatuum radiantibus, Albertum Ducem Auſtriæ & Stiriæ, Dominum Carniolæ; Rudolfum Ducem Sweviæ, & Meinhardum Ducem Karinthiæ deſignavit, qui 30000. marcarum Adalberti generi ſui gloriam proſequendam... [3] Rex autem dimiſit Albertum, inſtructum ad opera dignitatis & probitatis, ut conſiliis ſapientum uteretur, nihil præcipitanter ageret, pauperes non deſpiceret, Nobiles diligeret, & ſe omnibus conformaret; verſibus Claudiani ad Theodoſium [4], qui dicit:

obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos, edicta valent ut vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Mandavit ſibi etiam de nuptiis fratris & ſororis cum gloria celebrandis. Deputavit quoque Hermannum de Lanneberg, Eberhardum de Walſee Secretarios, Swevicæ nationis; Auſtrales de Michſowe, de Capella, de Lengenpach, de Puechaim conſiliarios ei ſtatuit, viros nobiles & prudentes, optans ei proſpera. Filium ſic dimiſit. Generum ſuum Regem Bohemiæ Arnoldo Epiſcopo Babenbergenſi educandum, & Nobilibus terræ fideliter commendavit. Albertus juſſa patris explens, pro cæteris fratribus, Ulrico de Walſee, Hainrico, Friderico miſit. Qui natale ſolum relinquentes, Alberto in omnibus caſibus, conſtantiſſime adhæſerunt, Auſtralium, Stirienſium ſanguini ſe miſcentes, famoſam & latam tam in honore quam in divitiis familiam effecerunt, & ſuis in poſterum filiis fidem cum bonis operibus reliquerunt. Dux etiam operibus liberalitatis & munificentiæ inſiſtebat, Nobiles ad ſe venientes ab exteris partibus largis honorando muneribus, nomen ſuum & gloriam longe lateque dilatando, juxta Salomonem, qui dicit: *Gloriam & honorem aquiret, qui dat munera.* Moritur hoc anno Fridri-B cus Archiepiſcopus Salczburgenſis, & eligitur Rudolfus Cancellarius Regis: qui ex parte Papæ per Epiſcopum Eyſtetenſem & Abbatem Salmenſem approbatus & confirmatus, Eccleſiam ſuam & Regis curiam pro vitæ & morum honeſtate multipliciter decoravit; licet inter eum, & Abbatem Albertum non modica alienatio ſerenitatem amicitiæ defuſcaret. Rex autem pro Regni negotiis deambulans, venit in Ezlingam; quæ civitas Imperii ſuper fluvium Nekarum conſtituta, ubi ad eum, ſicut ubique, maxima multitudo confluebat. Et exclamavit quidam, regium naſum, qui fuerat aquilinus, ſibi facere obſtaculum tranſeundi. Quod audiens Rex, in partem alteram naſum flexit: Tranſi, inC quit, non tibi obicem faciet naſus noſter. Et jocundum ridiculum audientibus faciens, ſe alterum Tiberium exhibebat, quia hujusmodi convitia patientiſſime pertranſiit, dicens: oportet in civitate libera mentes hominum & linguas liberas eſſe. Et Prudentius:

Vidua [1] eſt virtus, quam non patientia firmat.

De Inthronizatione Ducis Meinhardi, & conſuetudine Karinthianorum. Cap. VII. MCCLXXXVII.

Cum prædicta Junii tempore eſſent in Auguſta, Meinhardus in capite Kalendarum Septembrium in Sedem Ducatus ſui ſolemniter collocatur, ſecundum conſuetudinem a priſcis temporibus obſervatam. Porro ſub monte Karinthiano prope Eccleſiam S. Petri lapis eſt, ſuperD quem ruſticus libertus ponitur per ſucceſſionem ſtirpis ad hoc officium hæredatus, tenens in una manu bovem diſcoloratum, & in altera equam ejusdem diſpoſitionis, indutus habitu, pileo, calceis ruſticalibus immobilis perſeverat. Princeps cum pannerio terræ ſtipatus Nobilibus & militibus, veſtibus exuitur pretioſis, & ſeorſum pallio, pileo, tunica griſei ſtaminis & calceis corrigiatis, eodem modo quo ruſticus induitur per quendam, qui ex ſucceſſione hoc habet, gerens baculum ſic præcedit. Comes autem Goriciæ, quia Palatinus eſt, cum 12. vexillis lateri Principis adhærebit: reliqui Comites, ſcilicet Tyrolenſis, qui terræ Lantgravius eſt, cum aliis, officiales atque Nobiles cum ſuis ſignis quanto cultius potuerint Principi ſe con-

[1] ſubſtraverimus. [2] conferre. [3] *deſunt hic quædam in MS.* [4] *immo Honorium Pan. de IV. Conſul. ejusdem.*

[1] *f.* invalida.

jungunt,

jungunt. Rusticus autem super lapidem se A do notatur sacræ fidei mysterium, ex conver-
dens Sclavice proclamat: Quis est iste, qui pro- sione gentis habens ortum. Nam anno Domi-
peditur sic incedens? & respondetur a conse- ni 790. sub Karolo Imperatore, & Jugone Duce
dentibus: Iste est Princeps terræ. Ad quod ille: Karinthiæ; & sub Arnone & Virgilio Episcopis
Est ne justus judex quærens salutem patriæ, con- Juvavensibus, Dux Jugo, omnes sibi subditos
ditionis liberæ, ut sit dignus? est ne Christianæ servos & liberos invitavit. Et Nobiles quidem
cultor fidei & defensor? Respondetur ab omni- ab oculis suis foris tanquam canes refecit, & vi-
bus: Est, & erit. Ergo qui jure me ab hac Sede num in vasis fuscis ministravit, servitia autem
adire debeat quæro, debent cum denariis in conspectu suo locavit, & in vasis splendidis,
sex jumentis his discoloratis & vestibus, qui- aureis & argenteis procuravit, dicens, rusticos
bus Princeps fuerit investitus, facient quique simplices, & fideles, mundos, & sacro baptismate
domum suam liberam & absque tributo. Et confirmatos; nobiles, & immundos & perfidia
rusticus levi alapa data Principi, bonum judi- defædatos. Quod dum sentirent, certatim ad ba-
cem jubet esse; & surgens jumentis prædictis, ptismum fidei servidi corruerunt, & ob hanc
sibi tractis, Principi locum præbet. Princeps causam etiam investitura Principis in simplices,
stans super lapidem, nudum in manu gladium & non in nobiles, est transducta. In tertio si-
habens vertit ad omnem partem ensem vibrans, B gnatur Principis judicium, & defensorium in-
ostendens justum Judicem omnibus se futurum. timentum. Unde ad . . . dixit: Accipe gla-
Et (sicut fertur) spectat etiam ad hunc ritum, dium sanctum, & munus a Deo, in quo dejicies
Princeps ex pelvi rusticali aquæ frigidæ potum adversarios populi mei. Et in Cronica Gottwicensi:

Judicii signum gladius monstrato [2] *videtur.*
Quo, maleficiorum [3] *feritas cessare jubetur.*

sumit, ut populus cernens non ad vinum, in quo Cum igitur circa Meinhardum hæc omnia age-
est ebrietas, æstuet; sed in his, quæ natalis gi- rentur, Albertus Comes Goriciæ, frater ejus,
gnit humus ad vitæ sustentaculum contentetur. feoda sua recipere recusavit, sed ea conferri
Insuper Sclavica qua hic utitur prolocutione in Henrico filio suo postulavit, & visus est frater-
conspectu Imperatoris cuilibet querulanti de næ gloriæ invidere. Dux arbitrans se contem-
se, & non in lingua alia tenebitur respondere; tui, uni filiorum suorum, dixit, potius con-
sicque incendiarius, quem dicunt adhoc jure ferenda. Accesserunt autem ad Albertum Co-
statutum, incensis aliquibus locis pro reverentia mitem Hugo de Duwion ex Ystria, Julianus de
Principis, [2] quod de adversa ortum est con- Seburg ex Karinthia, Albertum redarguunt di-
suetudine, non de jure. De monte Princeps centes, non esse hanc gloriam respuendam, cum
properat ad Ecclesiam Solienſem (quæ quon- C quondam Imperator Ludwicus, Arnolfo Duca-
dam Pontificali viguit dignitate, & Ecclesiæ sub- tum Karinthiæ cum Castro Moshurg, quod ad
fuit Laureacensi, quæ XIV. Ecclesiarum tenuit Palatinum pertinet, contulerit; adjicientes, si
primatum) ubi præsul officium Missæ, vel di- alterius Dux esset gentis per Imperium destina-
gnior Prælatus celebrabit, astantibus Prælatis tus, flectere genua, feoda suscipere, homagium
terræ, Præpositis & Abbatibus: Principem, sicut facere oporteret. Mox ergo Albertus fidelita-
in Libro Pontificali continetur, positum adhuc tem fratri fecit, feoda suscepit, & quæ petit,
in vestibus rusticalibus benedicet. Peracto of- obtinuit genu flexo; non enim decuit esse jur-
ficio hæ vestes juxta Camerarii providentiam gium inter eos. Et licet Jacob & Esau in utero
pauperibus sunt donandæ. Aliis quoque Prin- colliderentur, & de primogenitis altercarentur,
ceps induviis exornatus ad epulas accedit; ubi uterque tamen largam benedictionem de pin-
Marscalcus, Camerarius, Dapifer, Pincerna guedine terræ & rore cœli abundantiam fru-
suis ministeriis se quam decentius poterunt ex- menti, vini & olei est sortitus. Et sicut narrat
hibebunt. Deinde in prata Solienſia ad faciendum Josephus: Aristobulus & Hircanus fratres, de
judicium & justitiam omnibus querulantibus principatu contendentes ad placitum convene-
Princeps pergit, ubi Sedes posita cernitur runt, eaque lege in concordiam redierunt, ut
tribunalis: ubi etiam feoda conferet depen- D Aristobolus regnaret, Hircanus sub eo quibus-
dentia a terra, & respicientia ad eandem. Fer- libet dignitatibus fungeretur.
tur Dux Meinhardus processum horum jurium Eodem anno Rex Arragonum bellum com-
in Castrum Tyrolis, ubi habuit suum conserva- misit cum Karolo Rege Apuliæ, Siciliæ & Ca-
torium, deportasse. In hac consuetudine tria labriæ, fratre claræ memoriæ Domni Ludwici
circa Principem sunt signata, scilicet vestitus quondam Regis Franciæ: occisisque ex utraque
modus rusticalis [3], & inquisitio Christianitatis parte innumerabili multitudine, tandem Rex
& gratia baptismalis, extensio sive denudatio Arragonum potenter victoriam obtinuit, fu-
gladialis. In primo ostenditur Ducis officium: gato turpiter Karolo de bello, quamvis Papa
est enim venator Imperii, qui dum per nemo- virtute sua tota cum suis hominibus & pecunia
rum [4] montium & vallium asperitatem pertran- totius Ecclesiæ ei assisteret. Qui Papa in tan-
sit, necessario habet hoc habitu & baculo se mu- tum odio habebat Teutonicos, quod ipse fre-
nire. Suum etiam officium est, duos canes ve- quenter optabat effici Ciconia, sub hac forma,
naticos enutrire, & in hoc Salarjo Imperatori quod Teutonici in paludibus essent ranæ, ut sal-
adesse. Jumenta discolora incolas terræ, his tem sic eos posset devorare: aut in lacu esset lu-
animalibus terram laborantibus, exprimunt, cius, & ipsi pisces, quod sic posset eos deglutire.

[1] *deest aliquid in MS.* [2] *deest aliquid in Cod.* [3] *f.* modo rusticali. [4] *f.* montes.

[1] *desunt hic nonnulla in MS.* [2] *leg.* monstrare. [3] *leg.* malefactorum. [4] *supple* habens.

Filius

Filius vero Karoli major natu collecto exercitu magno valde & forti, cupiens patris injuriam vindicare, processit contra regem Arragoniæ: ordinatisque hinc inde agminibus bellum committitur; prostrataque ex utraque parte maxima multitudine filius Karoli vincitur, capitur, vinculatur, reliqui homines sui in villis & civitatibus occiduntur, quidam manibus & pedibus mutilantur; & sic omnes penitus extirpati sunt in illa terra. Non post multum vero temporis spatium Rex Karolus mortuus est. Eodem anno in æstate in partibus Austriæ circa Spannberg in meridie facta sunt fulgura & tonitrua horribilia, & coruscationes & nubium diruptiones ac pluviæ ingentes, in tantum quod aquæ de vicinis montibus defluentes in villis circumjacentibus cooperiebant domos & horrea: submersaque est ibi in quibusdam villis multitudo hominum, ac cum parvulis & mulieribus, pecoribus & jumentis. quidam, qui evaserant, fugierunt ad montes & turres & ecclesias. Postmodum vero multa corpora hominum in campis & abruptis montium & petrarum sub sabulo & arena mortua sunt inventa. Miserum erat videre spectaculum, pueros ad mamillas matrum pendentes, parvulosque in cunis super undas fluentes, & non erat qui adjuvaret. Eodem anno post Nativitatem Domini Chomani & Tartari cum innumerabili multitudine intraverunt Hungariam, & vastaverunt eam, & occiderunt, & deduxerunt ex ea innumerabiles viros, mulieres & parvulos eorum. Tandem vero ab incolis terræ circa Septem-Castra turpiter sunt de terra fugati, occisa ex eis innumerabili multitudine: reliqui vero qui evaserant, quamvis pauci, fugientes, latitantes inter montes & valles nemorosas, divino judicio ibidem fere omnes perierunt. Nam Dominus, qui ubique est protector in se sperantium, misit super eos nives & pluvias ingentes: confractisque nubibus super eos tanta inundatio aquarum irrupit, quod fere omnibus submersis pauci ex eis evaserunt.

De secundis nuptiis Regis, & de Alberto filio ejus.
Cap. VIII. MCCLXXXVIII.

Accesserunt ad Regem familiares & amici, quos *participes secreti fecit honesti* juxta Juvenalem, dicentes, non competere Regem sine thoro vivere conjugali; sed debere liberos procreare, suum sanguinem illustrare, & regnum linea sui sanguinis decorare. Ipse vero Horatii versibus eisdem videbatur aliqualiter respondere, qui dicit:

Singula de vobis anni prædantur euntes.
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum.

Tandem persuasus cogitavit, si abstracta Imperio resarciret, sicut est regnum Arelatense, quod Rex Franciæ & alii per Burgundiam & Provinciam possidebant: fuit etenim cordis sui meditatio, contra regnum & Regem Franciæ militem instaurare, & super hoc amicis frequentius loquebatur. Auditoque, quod Dux Burgundiæ filiam corpore pulcram, moribus bonis cultam haberet; mittit solemnes nuntios, & postulatam virginem impetravit: arbitrans, quod per patris ejus astipulationem contra Regem Franciæ facultas aquiretur procedendi. Adducitur autem sponsa in Treverensium civitatem. Ibi celebratis nuptiis, & Regina coronata, visitatisque partibus inferioribus, & ibi dispositis divinis negotiis, ad superiora revertitur cum Regina. Hoc anno gestum est prælium illud famosum Wuringense inter Episcopum, & civitatem Colonien-sem. Et civitati quidem cum parte sua, scilicet Duce Brabantiæ, Comitibus Juliacensi, de Monte, ac aliis magnis præclaris Viris prælii sors favebat. Episcopus captus; & Comiti de Monte assignatus est: cui in posterum filius non est natus, nec hæredem habuit amissodo Comitatus immediatum. Multi ibi & innumerabiles sunt interfecti, & captivati, fratres partium Præsulis, Comites de Luczelburg strenuissimi & famosissimi, ab aliquibus capiuntur interfecti, ab aliquibus abducti; sed nunquam postea comparuerunt, nec ad propria redierunt. Ibi etiam Comitis Nazzoviæ virtus fuit plurimum divulgata, qui pro parte Præsulis mirabiliter decertavit, ut inferius est digestum. Comes ibi Gelriæ captus a Duce Brabantiæ nobilissimo, Ducatu Limburgensi se exemit; pro quo postmodum inter hæredes Luczelburgenses & suos controversiæ atque litigia gravissima sunt exorta, eo quod tam hi, quam alii excellentissimi ex hujus Ducatus pullulaverunt germine & radice. Albertus vero Dux, Regis filius, Hainricum Ducem Inferioris Babariæ pro quibusdam castris Schardinge & Wilshofen hostiliter impetivit, asserens esse sua. Conflat ergo exercitum, & circa opidum, quod Wels dicitur in eisdem finibus castra locat. Quod dum Dux Hainricus persentiret, mittit ad Meinhardinum Ducem, qui utriusque partis habuit affinatum, qui veniens verborum facetia & interpositione pactorum partes amicabiliter concordavit. Deinde Albertus contra Comites Ungarienses Ybanum & filios ejus de Guzzinge arma corripit, frequenter metas Austriæ & Stiriæ depraedantes. Et cum exercitum electorum mitteret, ad prælium deventum est: in quo agiliter & viriliter ex utraque parte a viris bella scientibus est certatum. Et dum sub dubio victoria fluctuaret, Hungari autem mittendi jacula perpetuus sius scientias [1]; Alberti partem acerrime perturbabant, vulneratos & deficientes captivos secum in Hungariam pertraxerunt. Quo dissidio, interagente nobili viro Hugone de Cantivers, sedato, per pacta mutui juvaminis, in amicitia confirmantur; Hungaris tum sæpius juxta suum morem vacillantibus in promissis. Inter Albertum & Rudolfum Archiepiscopum post hæc grandis altercatio est exorta. Natus Dux quædam castra a Præside in feodum postulavit, quæ præcise Pontifex denegavit. Quod Ducis animum afflixit tam graviter, ut etiam pro interventione Capituli Salczburgensis animum nullatenus mitigaret. Hoc tempore inter multos, qui in curia Regis inclytabant, fuit miles quidam ex territorio Turiensi, strenuitatis militis filius, qui miles mortuus dicebatur, quem Hainricus Dux Karinthiæ, Meinhardi

[1] *obscurum hunc locum restituendum sic puto:* Hungari autem artem mittendi jacula perpensius scirent.

Ducis

Ducis filius, vir magnæ prudentiæ Chunradus de Auffenſtain, aſſerunt ſæpiſſime ſe vidiſſe, & ſecum colloquia miſcuiſſe. Cujus mater dum quandoque peperiſſet, anxietate partus perterrita moritur, & ſepelitur, frequenterque viſa eſt infra tricenarium diem ſui obitus in cruore, & genitæ proli ubera dare. Quod nutrix ad Dominum detulit de morte conjugis valde mœſtum, qui obſervato ejus ingreſſu eam rapuit, & abſcedere non permiſit; ejusque amplexibus amplius quam per biennium cohabitando vacavit, duosque filios, quorum unus iſte extitit, multis in miraculum & ſtuporem, quo multiplex verſutia Diabolicæ fraudis & præſtigiorum, illuſionumque dæmonialium illaqueatio noſci poteſt, & ſic de aliis.

De Nicolao Papa V.

Nicolaus V. de Ordine Minorum Fratrum, ſedit menſes 10. Hoc anno miſit Rudolfus Archiepiſcopus ad conſulendum Papam, quomodo Albertum evaderet, quia eum nimium metuebat. Sed aliud conſilium habere non potuit, niſi quod Concilium incideret [3], & in audientia Suffraganeorum & totius Cleri publicaret, ſibi quod liceret facere, quod Dux petiit, juxta Sanctorum Sanctiones: ut per alios cognoſceret, quod ſibi Pontifex petita non contemtibiliter, ſed rationabiliter denegaſſet. Inſuper præſentibus omnibus ſuffraganeis corpus beati Virgilii, Karinthianæ gentis Apoſtoli, cum pſalmis & canticis tranſtulit, & cum maximis laudibus elevavit, quingentis & duodecim annis legitur quieviſſe. In tumulum ejus corpus Venerabilis Archiepiſcopi Eberhardi translatum de Raſtat, quod ibi 44 annis quieverat, collocavit. Albertus Dux in adjectione felicitatis humanæ patris ſui monita ſervans, ſuum Ducatum proinde gubernavit: ſenuitque Elizabeth uxor ſua, filia Meinhardi, ſicut vitis abundans velut novellas olivarum filias & filios ad maximam ſæculi celſitudinem excreſcentes [4]; filios ſcilicet Rudolfum, Fridricum, Leupoldum, Hainricum, Albertum, Ottonem; filias etiam Agnetem, Elizabeth, Annam, Katherinam, Geutam: quorum, quarumque ſtatum & curſum per hujus occaſum mundi ſe vocantem [5] locis congruentibus inſeremus, optantes juxta Virgilium, ut genus hoc immortale maneat,

— — multosque per annos
Stet fortuna, domus, & avi numerentur avorum.

De Expeditione Regis in Burgundiam, & ibi geſtis.
Cap. IX. MCCLXXXIX.

Rex nuntios mittit ad Comitem Burgundiæ, repetens ea quæ ad Imperium pertinent, ut utilitati propriæ conſulat exhortatur, laboribus & expenſis parcat; alias contra ſe bellum movendum ſciat. Fuit autem Regis quæſtio de jure advocati civitatis Biſuntinæ cum ſuburbiis & circumadjacentibus viculis, poſſeſſionibus & juribus eorundem. Comes autem hæc omnia jure hæreditario poſſidere, & Romanorum Regibus in nullo ſe aſſeruit obligari. Quam inconvenienter hoc dixerit, ex geſtis I. Friderici patet. Qui dum Burgundiam introiſſet, ut eam ad Imperium conduceret, quæ jam dudum ex appetitu libertatis diſuetudinem induxerat Imperatoribus obſequendi; ad edictum Imperiale convenerunt & Nobiles & Primates, ei ſe devoventes & Imperio, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Igitur Rudolfus coacto in unum exercitu, montes tranſiit Burgundiam & Alamanniam dividentes; urbem Biſuntinam fortiſſimam & populoſam aggreditur tempore autumnali, & obſidione facta cingit, vineas, pomæria, agros, omnia deſtruens, caſtra ex una parte Dubii fluminis, qui civitatem influit, collocavit; Comes vero ex altera parte ejusdem aquæ tentoria ſua in oppoſitum Regis fixit. Et cum pro tempore aliquot oppoſiti ſe vocarent, ut a terra Comitis abſcedat; multa exercitia inter eos agebantur, quæ prælium præludere videbantur. Rex autem Franciæ Rudolfo mandat, ut a terra Comitis abſcedat; alias in ejus adjutorium ſe venturum ſciat, & juvamen efficax allaturum. Rex Rudolfus reſpondit intrepide, animatus pariter & armatus verbis Buczhardi [1] Præſulis Metenſis: Non ad coreas ducendas ſentiet Rex Franciæ nos advenisse, & ſciat; quod ſuſtinebimus & excipiemus eum ad prælium, & auxiliante Deo noſter gladius denudabitur contra ſuum; nec hoc terrore campos deſeremus, neque tentoria confringemus, & ſuos Virgilii verſibus viſus eſt affari:

Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate Viri, pugnam ſperate parati.

Rex Francorum Rudolfi conſtantia comperta, Comiti mandat facere concordiam, quia & ipſe Regis Alamanniæ colloquium affectaret; metuens tamen Teutonicorum potentiam, incœptum iter retrogrediens non perfecit. Rudolfus dolens, quod quaſi otio marceſceret; neque ipſe, nec Comes transvadare aquam [2], & fames utramque partem valide premeret; aſſumptis auſibus aquæ impetum non formidans, Comitem aqua transvadata aggreditur; omnibus ſuis cuneis ad prælium præparatis. Videntes, qui cum Comite fuerant, Regem Franciæ non venire, Comitem alloquuntur, dicentes, eſſe levis & jactantis animi; ſecuritatem hominum præcipitare in dubios caſus, & pro rebus alienis ſe periculo ſubmittere: cum ingenium ſit, pro propriis defendendis potius decertare, & milites ad magis neceſſaria conſervare. Sicque Comes ad Regis gratiam veniens, omnia ad Imperium pertinentia reddidit, abſolute ſibi per omnia ſe ſubmittens: & pactis firmatis, regalibus donativis ſpecialiter ab eo in poſterum honoratus, inter amicos eſt præ cæteris familiarior reputatus. His ad votum impletis, Montis-Pelgardi Comitem Rex invadit, in ipſo itinere conſtitutum, qui ſimiliter a retroactis temporibus ſe Imperio exhibuit contumacem: civitatem enim & caſtrum ſuum militari robore circumvallat, & omnia quæ ſine recognitione habuit, reddere coartavit. De cujus etiam ſubmiſſione firmiſſimis ſponſionibus receptis, Rex cum gloria triumphali & magno gaudio rediit,

[3] *ſupple* ex ea ſuſcepit. [2] *leg.* IV. [3] indiceret.
[4] *ſupple* proferens, *aut ſimile quid.* [5] *ita Cod.*
[1] *al.* Buochardi. [2] *ſupple* vellet, *vel* poſſet.

gratias agens Deo, quod sine humani sanguinis effusione sibi omnia in prosperum provenerunt. Hæc Regis expeditio in armis bellicis novissima fuit, in quibus se a cunabulis ratione prævia semper exercuit; ut Deo propitio semper laudem victoriæ reportaret, & raro gladio, nisi in prælio Otakeri, cruentaret, juxta illud Sapientiæ: *Custodivit eum Dominus ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Et sicut dicit Seneca: *Si vis omnia tibi subjicere, subjice te rationi: multos enim reges, si teipsum rexeris.*

De expugnatione Akaron, & morte Regis Romanorum. Cap. X. MCCXC.

Akaron urbs fortissima a Christianis inhabitata, a Soldano Principe Babiloniorum cum XXXII. Regibus & innumerabili multitudine gentium obsidetur, habente trecentas machinas tormentales, quæ incessanter ignem, qui Græcus dicitur, injecerunt, & omnia quæ tetigerant, incendio absumpserunt. Cives autem de diversis partibus adunati, sicut Veneti, Januenses, Pysani cum Templariis, Hospitalariis S. Johannis, & de Domo Teutonica Cruciferis intus existentes, viriliter restiterunt. Quod periculum exortum est per quendam Cardinalem, quem Papa destinaverat, quod nullatenus admittebat, quod Christiani cum gentilibus per pacta pacis vel treugarum aliqualiter concordarent, nec mercatum eis concederent, nec fidem in promissionibus conservarent. Super quo Christiani dolentes dixerunt, se non posse cum gentilibus agere bella, cum essent plures & fortiores, & semper promissa de pacis & treugarum instertitiis inviolabiliter custodirent. Cardinalis autem indutus suis insignibus, ascendit in locum eminentem ad populum locuturus. Qui dum benedicere putaretur conscendisse, econtrario male dixit, omnesque communicantes gentilibus excommunicatione gravissima, sua & Apostolica auctoritate, irretivit, & abiit, maximo timore civibus derelicto. Qui non bene concordantes, nihilominus cum stipendiariis in hostium acies proruperunt, portasque minus provide reserantes, hostes ferociter invaserunt. Et dum alacriter dimicarent, magis conculcati quam prostrati per multitudinem paganorum, Christianis civitatem repetentibus, hostes intermixti pariter intraverunt. Plures etiam ad naves concurrentes, Sanctorum Reliquias & thesauros, maximos abstulerunt, & in mare dilapsi clandestine abierunt, alios in mortis periculo relinquentes. In tempore hujus obsidionis multa miracula pro testimonio fidei Christianæ contigerunt. Nam dum Christiani crebro cum gentilibus conflictarent, & sors hinc inde plures prosterneret; pagani Christianorum animas occisorum viderunt evolare ad æthereas mansiones: insuper pauci Christiani sæpissime paganos non habentes numerum occiderunt. Et dum quidam Rex potens cerneret Christianorum animas in forma juvenili ab Angelis sursum deferri, nocte quadam super hoc in tentorio colloquium habuit, dicens: Frustra contra Christianos pugnamus, quia uno mortuo alius statim ex ore ejus nascitur, & ob hoc eorum numerus nullatenus minoratur. Quod dum Apostata quidam Saxonicæ gentis, nomine Bertoldus, qui ad gentilitatis ritum transierat, audivit; ad Fratres Teutonicos, a quibus auffugit, revertitur, pœnitentia assumpta. Eundem Regem, cujus introitum & exitum noverat, in suo Canopeo cum pluribus jugulavit. Sicque non longe post civitas illa clarissima, Christianorum domicilium, funditus est eversa, & totaliter dissipata, quæ ad nostra climata pretiosas merces ad necessitates hominum in speciebus aromaticis & aliis consuevit boni fori pretio destinare. Crebro etiam a Papa & Principibus Christianis auxilium postulabant, & non fuit qui manum porrigeret adjutricem. Huic applicari potest, quod de civitate Numantia invictissima dicitur, quam Scipio subegit; & dum quæreret a quodam Celtico Principe, qua de causa civitas semper invicta, nunc victa fuisset, respondit: *Concordia victoriam, discordia excidium præbet.* Hoc anno Rudolfus Rex graviter infirmatus, tam labore quam senio prægravatus, in civitate Spyrensium moritur, & ibidem cum Imperatoribus & Regibus sepelitur. Vir, qui ornavit tempora sua claris operibus, habitu non pomposus, victu non delicioſus, sicut de Magno Karolo scribitur, quod vestimenta peregrina, quamvis pulcherrima, respuebat: in festivitatibus ornatus pretiosius incedebat, & aliis diebus habitus ei plebejus fuerat & communis. In cibo & potu temperatus, sed in potu temperatior: quia ebrietatem in quolibet homine abhorrebat, sicut etiam de Catone scribit Lucanus:

Huic epulæ, vicisse famem, magnique penates.
Submovisse hyemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romano more Quiritis
Induxisse togam.

Hic Monasterium Sanctimonialium fundavit, Ordinis S. Dominici, in Tulna, & Divino cultu, ac bonis temporalibus abundanter decoravit. Privilegia multa, libertates & gratias Ecclesiis Kathedralibus, Monasteriis & Conventualibus locis dedit: pacem, quam semper amavit, Regno reliquit. Regnavit autem 18. annis, menses 8, dies 14. In terris transiit in Divisione Apostolorum, tertio Papatus Nicolai IV. sine fine cum Sanctis & piis Regibus in cœlestibus regnaturus.

INCIPIT

INCIPIT LIBER TERTIUS DE ADVOCATIONE DUCIS AUSTRIÆ AD REGNUM.

De Electione Comitis Adolfi, & aliis Incidentibus. Cap. I. MCCXCI.

RUdolffus Archiepiſcopus Salczpurgenſis moritur: & filius Hainrici Ducis Babariæ Stephanus eligitur, pro cujus cauſa Chunradus Epiſcopus Laventinus ad Curiam deſtinatur. Papa audiens inſufficientiam Stephani Chunradum prædictum ad Eccleſiam transtulit Juvavenſem, & benedictione Apoſtolica firmatum, contra offenſores Eccleſiæ animatum ad Kathedram transmiſit. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens Albertum Ducem cum Rege Bohemiæ, Ducibus Saxoniæ & Babariæ habere affinatum & conſanguinitatem, miſit Eberhardum Comitem de Kaczenellenpogen, ut veniat, & regnum ſibi diſpoſitum ſuſcipere non obmittat. Quem Dux reverenter ſuſceptum, & magnifice honoratum dimiſit, dicens, ſe venturum. Moritur hoc tempore Rudolffus Dux Swevorum in Bohemia, & Pragæ ſolemnibus exequiis tumulatur, uxorem gravidam relinquens. Quæ anguſtiata in partu filium edidit, qui Johannes dictus eſt, & (heu dolor!) poſtea, ſicut de Alexandro Paride dicitur, funeſta ruina patriæ effectus eſt. His temporibus floruit Comes Nazzoviæ Adolfus, celebris & famoſus, qui in prælio Wuringenſi, cujus habita eſt mentio, quinque de novem ſtrenuiſſimos in apparatu Signorum Ducis Brabantiæ reſplendentes proſtravit, [1] noviſſime captum Dux ad ſe accerſitum, ſic affatur: O miles egregie! quisnam es tu, quem mihi ſenſi hodie tam infeſtum? Reſpondit: Comes ſum Nazzoviæ, Rex Dominus non magnarum [2]. Et Vos, ait, quis eſtis, cujus invenio me captivum? Dux, inquit, ſum Brabantiæ, quem in condenſo prælio inſequi non ceſſaſti. Credo me, ait, quinque Duces hoc enſe meo ſub ſignis paribus occidiſſe, & miror Vos meum gladium evaſiſſe. Quem pro libertate animi Dux liberum dimiſit, & honoratum muneribus in amicum familiarem de cætero adoptavit. Porro tempus edictum ad electionem appropinquavit, & convenerunt Principes, ut eſt moris. Orta eſt autem altercatio inter metatores ſedium Colonienſis & Moguntini Pontificum, pro conceſſione eorundem: & prævalente Colonienſi, tractatus initur, Moguntino allegante pro Alberto. Reſpondetur ab aliis, dicentibus, Albertum quidem dignum, ſed non juſtum eſſe, ut filius immediate patri ſuccedat in hoc regno. Una eademque ſententia, uno animo in Adolfum omnes conſentiunt. Hic abſens celeriter advocatur, & Aquisgrani cum conthorali Imagina, nobiliſſimi Viri filia de Lymburg, cum maximo totius terræ gaudio coronatur. Eberhardus Comes, cujus ſororis filius Adolfus fuerat, rubore perfuſus Albertum metuere cœpit, ne forte legationis ſuæ ipſe, vel ſui poſteri improperium ſuſtinerent. A Albertus autem eum in gratiam aſſumit, & nihil noxæ imputans in amicitia conſervavit, & adhærere Adolfo ſuo legitimo Domino non negavit. Albertus exaſperatus ſuper laboribus & expenſis & de promiſſionum fruſtrationibus, ad ſuperiora rediit, terram Conſtantienſis Epiſcopi devaſtavit, circa civitatem Turegum in Argowia vineas, agros diſſipavit, caſtrum Nellenburg & Comitem circumdedit, & ipſum caſtrum infra dies 14. ſuffoſſum deſtruxit. Vigil tamen de turri cadens, mirabiliter ſalvus evaſit, & in Scokakch civitate proxima quod geſtum fuerat nunciavit. Inſignia Imperialia, quæ in caſtro Chyburg fuerant, Adolfus petiit ab Alberto: quibus redditis, & hominio (ſicut dicitur) Regi facto, feodisque ſuſceptis, in illis partibus negotia ſua fecit. Et audiens in Auſtria quædam contraria ſibi concitata, abiit; & ſedatis adverſitatibus & molitionibus aliquorum, civitates ſuas luſtrans venit Judenburg. Cui ibidem in menſa ſedenti pira, quibus libenter veſcebatur, toxica ſunt allata, trecentis marcis ejus morte per tres occultos adverſarios a quodam ſuo Secretario comparata. Mox ſumpto piro venenum per viſcera ſe diffudit; ſed a Medicis per unum oculum eſt excuſſum; atque vita & ſalus Principi conſervatur. Adolfus virum expeditum Comitem de Oettinge ad ſummum Pontificem dirigit, qui celeriter approbationem & confirmationem electionis ſuæ cum gaudio reportavit.

Hoc tempore Regnum Hungariæ hæredibus viduatur. Stephanus Rex Belæ filius tres habuit filios, Ladezlaum, Colomannum, Stephanum. Stephanus autem, adhuc patre Stiriam tenente, ſororem Marchionis Aſtenſis duxerat. Quo defuncto cum fratribus conſors, quia filium non habuit, juxta morem terræ de Regno exire compellitur. Frater ejus Marchio hæc audiens, in portu eam adire cœpit, & ad natales limites ſecum vehit. Quæ tamen antequam navem aſcenderet, monſtravit ſe claris indiciis impræguatam: & peperit filium, quem Andream vocavit. Succeſſu temporis ipſa nupſit ditiſſimo & potentiſſimo Venetorum, qui puerum regalem educavit. Cognito quod Regum Hungariæ poſteritas jam ceſſaſſet, Andream Regis [1] eſſe publicavit. Qui fultus Hungarorum quorundam ammiculo, regnum potentialiter introivit: & ut thronum ſuum ſtabiliret, Agnetam Ducis Alberti filiam petiit matrimonialiter ſibi jungi. Quod Dux difficulter ſibi annuit. Sed ut regnum ſuis terris tam vicinum lucriſaceret, Andrea maximum exercitum contra Wiennam ordinante, & in conſpectu omnium demonſtrante, in monte, qui ad auſtralem Urbis partem vergit, aſcendit. Poſoniumque cum diſtrictu adjacente dotalitio filiæ confirmatur; & ſic exactis nuptiis Agnes Regina effici-

[1] *ſupple* & quem, *aut hujusmodi.* [2] *deeſt fortean* terrarum, *aut ſimile quid.*

[1] *l.* Regem.

tur Hungarorum, quæ consuevit plus de virtute animi, quam de corporis pulcritudine gloriari. In hoc Dux Albertus nuptii [1] primordiali altum & nobile jecit fundamentum succedentibus liberis, & omnibus suis factis, quæ ad curiæ suæ honorificam conservationem, & principatuum suorum amministrationem [2]. & per animi magnificentiam laudabiliter se gerebat: quam magnarum & excelsarum rerum cum animi quadam ampla & splendida propositione agitationem & amministrationem Tullius esse dicit.

De Captivitate Ludwici filii Meinhardi, obitu Ducis Meinhardi, & gestis Adolfi. Cap. II.

MCCXCII.

Adolfus a Meinhardo & Alberto Ducibus pecuniam exegerat excessivam, ut eos ad suos per investituram & feodationem statueret Principatus. Quam quia ferre non poterant, orta est gravis aversio inter eos. Quod dum Chunradus Archiepiscopus & Ulricus Comes de Hewnburg cognovissent, rati tempus illuxisse, quo in Karinthia atque in Stiria Præsul pro Ecclesia, Comes pro jure consortis suæ aliquid apprehenderet, ad invicem componunt. Filius Ducis Meinhardi Ludwicus in civitate Sancti Viti pro tunc fuerat, & terræ Capitaneum [3] Friczo de Hauernburg gubernabat. Hic cum prædictis conventionem fecit, ut & Princeps caperetur & civitas; quæ suffossa est in una parte. Et Princeps armatus progrediens, strenue prælians capitur, & ad munitionem Præsulis, quæ Werven dicitur, ducitur, positam in montanis. Meinhardo autem pater capti venit Karinthiam, Friczone reo sceleris fugiente, ac in exilio miserabiliter moriente: alios facti complices, privatos suis feodis & possessionibus, collicidio pœnisque gravissimis tormentavit. Commendatorem de Pulst, Ordinis S. Johannis, per cujus domum muri suffossio facta est, ligatum ad caudam equi, tractum per plateas opidi morte horribili interemit. Quosdam vias publicas deprædantes, terræ pacem turbantes, vel ignominiosa morte, [4] ablatione rerum, & jurium suorum districtione castigavit: consequenter Marscalcum [5] terræ Nobilibus de Karlperg cum castro de Arnenstain abjudicatum, Chunradus suscepit, & in filios hæreditario jure duxit. Adolfus ut se in regno roboraret, filium unum filiæ Regis Bohemiæ copulavit: qui antequam jungerentur, moriuntur. Alterum filium, filiæ Hainrici Purgravii de Norenberg sociavit. Filiam Rudolfo Palatino Ducique Bavariæ tradidit, & sibi non modicum robur amicitiæ comparavit. Primo anno regni sui Columbariam in Alsatia obsedit. Nobilem virum de Rapolistain, & ejus civitatis Scultetum civitate sibi tradita captivavit. Argentinam & totam Alsatiam suo imperio subjugavit, qui propter Albertum Ducem aliqualiter obstiterunt.

MCCXCIII. Albertus & Meinhardus Frysacum obsident, & per inundationem fluminis præterfluentis impediti, pro tempore destiterunt: & redeuntibus quidam Præpositus montis S. Virgilii aditum patefecit, & castro remanente, incendio civitas devastatur.

MCCXCIV. Cœlestinus V. natione de Murro [1]. Hic prius Petrus nominatus, heremita sanctus erat; Papa vero electus propter curias diversas fecit Decretale, quod Papa posset cedere, & alter posset sibi substitui. quod factum est, & substitutus est ei Bonifacius. Ipse vero heremita dies suos finivit in pace, clarens miraculis, eodem anno electus die quinto Julii (qui fuit Ordinis beati Benedicti) sedit quem menses 5, & resignavit per hunc modum. Dum enim quiesceret, vox ad eum facta est per tubam (ut fertur) quasi esset Angelus Domini, per tres vices, ut quantocitius propter mundiales occupationes contemplationi insisteret, curam deponeret. Quo facto Bonifacius VIII. succedit, hoc anno in Vigilia Nativitatis Domini electus, qui hanc fraudulentiam dicitur procurasse.

De Bonifacio Papa Octavo.

Bonifacius VIII. Papa, natione Romanus, sedit annis 9, mensibus 9. Hujus Papæ anno Pontificatus sui sexto erat annus ab Incarnatione Domini MCCC. Eundem annum constituit ipse Papa Romæ annum Jubileum, & in quolibet centesimo anno secuturo taliter, ut Romanis ad minus 30. diebus continuis, vel interpolatis, & saltem semel in die; peregrinis vero 15. diebus ad Basilicas SS. Petri & Pauli accedentibus, contritis & confessis, Indulgentia plenissima, id est, a culpa & a pœna absolutio concedatur. Hic Papa Albertum Regem Alamanniæ declaravit Regem Romanorum. Hic contra Ordines Prædicatorum & Minorum edidit constitutionem (quæ in VI. Decretal. intitulatur *contra Kathedram*) in qua præcipit, quod prædicti Fratres de cætero auctoritatem prædicandi & confessiones audiendi poscant a suis Episcopis Diœcesanis, & secundum hoc sufficientiam terrarum & Conventuum suorum: & Pontifices, postquam Fratres prædicti rite auctoritatem petierint, ipsis non debent denegare; sed siquis inter Fratres insufficiens vel indignus proderetur, tunc debet abjici, & Fratres alium debent substituere. Si vero aliquis Episcoporum rancore vel odio, vel alia causa insufficiente Fratribus prædictis auctoritatem concedere renueret, tunc auctoritate Apostolica haberent, & non majorem, nisi auctoritatem pastoralem, quam simpliciter unusquisque Plebanorum super suam plebem esse [2] dinoscitur. Hoc anno Albertus Dux Austriæ obsedit opidum, quod Rastat dicitur, in odium Episopi Salczburgensis, asserens ipsum ad fundum Admontense [3] Monasterium pertinere Romanæ advocatiæ: hoc agens, quia Princeps Stiriæ idem Monasterium habet defensare, cum Salczburgensis Episcopus sit fundator. Instigator hujus rei fuit Hainricus Abbas, terræ Capitaneus & Lantscriba, æstimans se collum a jugo Episcopalis obedientiæ excussisse. Dux autem, dum in obsidione deprædationem suorum victualium per incolas in montanis callium ha-

[1] *l.* nuptu. [2] *supp.* pertinebant. [3] *l.* Capitaneatum. [4] *supp.* vel. [5] *pro* Marscalcatu.

[1] *al.* de Murone. [2] *l.* habere. [3] *leg.* Admontensis Monasterii.

bentes

bentes notitiam crebrius, & alias moleſtias ſuſtineret, obſidione ſoluta in Auſtriam eſt reverſus.

MCCXCV. Obiit Dux Mainhardus, & in Monaſterio S. Johannis in Stams, Ciſtercienſis Ordinis, quod ipſe ſumptuoſe conſtruxerat, ſepelitur. Hoc Monaſterium digito S. Johannis Baptiſtæ eſt celebre, quo Dominum demonſtravit (ut dicitur) claris miraculis refulgens, advenientibus beneficia multa præſtans: quem beata Tecla ad partes Alpium in Seleuciam, quam prope Monaſterium aſſerunt eſſe ſitam, ubi ipſa quieſcit (ut aſſeritur) apportavit. Seleucia tamen altera in Aſia legitur, clarior iſta multum, in Iſauria provincia condita a Seleuco. Filiis theſaurum magnum reliquit, res Ducatus & Comitatus prædiis & poſſeſſionibus pluribus augmentavit, in excommunicatione deceſſit propter quasdam eccleſias, quas læſerat in bonis eorum. Abbas vero Stamſenſis a Curia abſolutionem, filios & patriam lætificans, apportavit. Epitaphium ſuum ſicut in ipſo Monaſterio legitur, exaratum:

Heu! Meinhart, actor pacis ſitisque ſubactor,
Cœnobii factor hujus, pius & benefactor,
Qui ſimilem neſcit, Dux & Comes hic requieſcit,
Bis quingentenos annos deciesque vicenos,
Et nonagenos jungas medios quoque denos
Poſt ortum Chriſti, tunc lux hæc tollitur iſti:
Quem Fratres iſti deplorant pectore triſti.

MCCXCVI. Adolfus in Misnam & Thuringiam componit exercitum, quas terras Rudolfus Rex Imperio mira providentia quondam ſubdidit, nunc vero, exortis commotionibus ibidem, ne Imperium perderet jura ſua, Rex incolarum inſolentias retundere cogitavit. Senior enim Lantgravius veros hæredes ſuis bonis patrimonialibus voluit ſpoliare, quos Rex in ſua juſtitia cenſuit ſolidare, & Regno fidelitates debitas conſervare. Quo facto rediit, & inſolentias agere cœpit, res Eccleſiarum contra juſtitiam & fas infeſtavit, civitatem novam extruxit, ad eamque Epiſcopi Moguntini & aliorum hominum nobilium homines invitans libertati donavit, & veros dominos ſuis obſequiis ſpoliavit; & ſic pene contra ſe omnes nobiles concitavit. Bene meritos Nobiles humiliavit, viles & degeneres exaltavit, & eos, qui eum avertere voluerant, contempſit, & ſalutis ac honoris monita pro nihilo reputavit, neſciens regnum ſuum in numero, appenſione & diviſione conſtitutum, finiendum & complendum, & alteri Divinitus jam proviſum. Nam Cometa per illud tempus apparens futuros eventus, ut ea, quæ circa eum geſta ſunt poſtea, videtur manifeſtis indiciis, longo inveſtiens æra tempore, præſagiiſſe.

MCCXCVII. Bonifacius Papa Sextum Decretaliũm compoſitum publicavit, in quo [1] Fridrici II. depoſitione mentionem facit. Saccitarum [2] Ordinem ad Carmelitas, Wilhelmitas & Heremitas tranſtulit. Et Saccitæ quidem ſunt ſublati, Wilhelmitæ convaleſcentes iterum ſurrexerunt, plurima tum loca eorum Auguſtinenſibus provenerunt. Columpnenſes ac nepotes eorum usque ad quintam generationem ne ad Eccleſiaſticas recipiantur dignitates, condemnavit, civitatem & caſtrum eorum expugnavit, & aliis poſſeſſionibus ſpoliavit, nec placari potuit, nec a propoſito avelli, recidendos infructuoſos palmites affirmavit, & in ſua duritia permanebat. Qui ad Fridricum Regem Siciliæ, poſtea ad Regem Franciæ Philippum venientes, ſuum exilium & factam eis calumniam deplorabant. Nec poterat mollificari Papa precibus, nec fletibus afflictorum, durum ſe nimis exhibens, contra verſus Ovidianos, qui dicit:

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Eodem tempore poſt Nativitatem Domini exorta eſt quædam controverſia inter prædictum Salczburgenſem Archiepiſcopum & Dominum Albertum Illuſtrem Ducem Auſtriæ pro quodam caſtro, quod ei prædictus Epiſcopus deſtruxerat. Pro qua indignatione Dux commotus, collecto exercitu, potenter contra Epiſcopum properavit, pulcrum caſtrum Epiſcopi cum quatuor turribus, Pfandorff dictum, circa Judenburg ſitum, vallavit, breviter expugnavit, & deſtruxit. Pergens ultra, civitatem Fryſacenſem dicti Epiſcopi obſedit, obtinuit & ſuccendit, muros quoque confregit, multisque malis ibi, prædis & rapinis perpetratis, cum ſuis reverſus eſt ad propria. Eodem anno Dux prædictus invictiſſimus, miſſis exercitibus ſuis, contra quoddam caſtrum fortiſſimum & quaſi inexpugnabile, Falcſtain dictum, in Babaria ſitum, per quod a prædonibus caſtri illius homines, ſive & mercatores diverſarum provinciarum, tam in terris, quam in aquis, magnum patiebantur detrimentum per prædas, & rapinas & hominum captivitates. Cum caſtrum diu fuiſſet obſeſſum, homines, qui erant in eo, fame & ſiti diu cruciati, cum diutius durare non poſſent [1], tradiderunt; ſicque abire permiſſi. Dux in eo poſuit homines ſuos, & quod ſui prædeceſſores nunquam expugnare potuerunt, hodie cum triumpho obtinet & poſſidet. Eodem anno & tempore Comes quidam Ungarus, Iwanus nomine, ſive Johannes (quod idem eſt) filius Comitis Hainrici, homo malignus & totus tyrannus, cum multis annis rebellaſſet contra Regem Ungariæ dominum ſuum, nec eum idem Rex ſibi ſubjugare nec vincere poſſet; obſtinatus in ſua malitia etiam fines Hungariæ transgreſſus, Auſtriam prædis & rapinis devaſtabat: Stiriam quoque, & undique circa metas Hungariæ velut lupus rapax deprædatus. Invictiſſimus autem Dux Auſtriæ Albertus cum diutius diſſimulare non poſſet, collecto exercitu magno & forti contra eum, volens ipſum velut malum vicinum eliminare finibus ſuis, potenter Ungariam intravit, & viriliter expugnavit, ac devicit caſtra, civitates, munitiones & oppida armis diverſis & machinis, & victoriam obtinuit contra fautores & complices Comitis prædicti. Primo videlicet Mertinsdorff, Chervelburg, Rorbach, Pawmgarten,

[1] de. [2] *an nomine* Saccitarum *Fratricellos ſeu Bizochos, Minoritarum Sectam a Bonifacio VIII. damnatam, Auctor noſter intelligit?*

[1] *ſupple* Caſtrum.

Walbramsdorff, Nerbudenſtorf, Chreinſtorf, Nekendorf, Sand Margarethen, Oedenburg, Chobolſtorf, Landeſee, Trayſendorff, Rekinez, Stamberg, Pynkefeld, Peterskadein, Alberndorf, Stegraiſpach, tria caſtra Datz Drin Warten, Niclas-turn, Sleyntz, Perchtosdorf, Rupoldstarff, Nerbaden, Bergeſtarff.

Interim quod hæc fiebant, Epiſcopus Vezprunenſis frater Comitis prædicti, homo malignus, plus diligens iniquitatem quam benignitatem, multa mala excogitaverat contra Auſtriam, & plura prius ſpoliis & rapinis unacum fratre ſuo perpetraverat: proponens fratri ſuo venire in adjutorium, convocatis quibusdam Comitibus Ungaris. Dum ſuper hoc deliberarent, quidam eorum ab eo verbis & factis exacerbatus, gladio exempto eum transfixit; & ſic Divina ultione, qui male vixerat, turpiter periit; & Epiſcopatum ejus accepit alter. Dux igitur Auſtriæ omnibus ſupra dictis feliciter cum triumpho expugnatis ac devictis, quia inſtabat meſſis, & homines ſui clandeſtine ab eo recedebant, reverſus eſt ad propria. Completa meſſe, Dux iterum collecto exercitu cum Auſtralibus, Stirienſibus, Karinthianis (quibus maxime præ cæteris ibi in ſtrage male ſucceſſit) Swevis quoque ac Babaris & Bohemis, ſecundo intravit Hungariam, potiorem civitatem Comitis Ywani, Gynſam nomine, potenter obſedit. Homines autem illius civitatis ad arma currentes, ſuper muros civitatis & in propugnaculis undique ſe viriliter defendebant. Nam machinarum lapides, baliſtarum & arcuum ſagittas velut imbres ſuper eos volantes pro nihilo reputabant, inſultus hoſtium minime curabant, muro civitatis interius vulneratorum undique ſanguine reſperſo: & quia Comes prædictus filios eorum obſides receperat, fortius dimicabant. Tandem machina quadam, Priapus dicta, muro civitatis magna parte interrupto, cum exercitus Ducis per foramen violenter intraret; adhuc Hungari interius lanceis & ſagittis, gladiis & ſecuribus, lapidibus quoque & luto locum fortiter defendebant. Miſerum vidiſſes ſpectaculum. nam illic viri de muro ſuper homines intrantes ligna & lapides, illac mulieres aquam calidam & ſæpe ardentem, iſthic alvearia apum cum ipſis apibus projiciebant. Sed cum non poſſent prævalere, igne mittentes totam penitus ſuccenderunt civitatem, & fugerunt ad caſtrum. Caſa autem Fratrum Minorum penitus combuſta, arreptis calicibus & libris ac ornamentis Eccleſiæ, receſſerunt. Paucis vero diebus transactis caſtrum, machinis muro funditus ſuffoſſo, in magna parte corruit. Caſtellanus autem cum ſuis abire permiſſus, Dux ſuis hominibus & expenſis Caſtrum munivit, & ſic feliciter cum victoria reverſus eſt ad propria: Eodem anno procedente tempore circa nativitatem Domini Dux Auſtriæ iterum collecto exercitu intravit Ungariam: & caſtrum, quod Mons S. Viti dicitur, potenter expugnavit & obtinuit, prædam maximam duxit, & receſſit. Eodem anno inveniebantur violæ in Nativitate Domini, & in circumciſione & Epiphania, & deinceps per totam Auſtriam arbores produxerunt flores in hortis & pomæriis ſicut in Majo: & quod vidimus teſtamur, quia inſolitum prius fuerat.

Expeditio Regis Hungariæ verſus Auſtriam.

Andreas Rex Hungariæ, de quo prius mentio facta eſt, collecto exercitu maximo & forti pugnatorum & ſagittariorum, ad æſtimationem 80000. Cozlonum, Walachonum, Ruthenorum, Comanorum, Hungarorum, Septem-Caſtrorum, Auſtriam, nemine ſibi reſiſtente, potenter intravit, per internuntios Comites & Epiſcopos caſtra ſua & civitates, quas Dux Auſtriæ Albertus poſſidebat, humiliter & benigne repetens: & tanquam homo pacis, nec ipſum Ducem, nec terram ſuam voluntarie offendens, ſi Dux admiſiſſet, & ſuis petitionibus aquievisſet, utpote qui ab ipſo Duce cum tota familia ſua, antequam Hungariam intraret, & regnum eſſet adeptus, Wiennæ degens victualia ſua longo ſatis tempore ab ipſo Duce receperat. Duce vero in ſua pertinacia permanente, dum nil ei reddere vellet, Rex ad inſtantiam ſuorum a flumine, dicto Leytha, qui dividit utramque provinciam, usque ad civitatem Wiennam, & etiam ante ipſam civitatem, prædis, incendiis & rapinis terram devaſtavit. Inſuper quasdam munitiones potenter expugnavit, obtinuit & confregit, eccleſias cremavit, viros & mulieres & parvulos, quos reperit, captivos duxit. Segetes tempore meſſis tam per pabulum quam per incendium, & conculcationem pedum equorum ac hominum penitus devaſtavit: & talis peſtilentia ſex ſeptimanis in terra iſta duravit, & multo deterius huic terræ fecit, quam Bela quondam potentiſſimus Hungarorum Rex, olim cum majori exercitu in terra iſta jacens, unquam fecit. Tandem mediantibus Epiſcopis & Archiepiſcopis ac Comitibus Ungariæ, qui deſtructionem terræ compatiebantur, videntes hominum miſeriam, matronarum ac virginum deſlorationem, virorum ex utraque parte ſtragem, totius terræ quotidie inflammationem, ſecundum verbum Pſalmiſtæ, dicentis: *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*, pace inter Regem Hungariæ & Ducem Auſtriæ reformata ſub hac forma: quod civitates, & caſtra, quæ ad regnum pertinent Hungariæ, Regi reſtituantur; quæ vero ad Comitem Ywanum pertinerent, confringerentur, ratum & firmum ab omnibus acclamatur, captivi redire promittitur. Sic ex utraque parte amici effecti, cum multis lacrimis præ gaudio ab Epiſcopis & Clericis ſolenniter S. Spiritus auxilium [1] devote invocato, & *Te Deum laudamus* alta voce cantato, epulati ſunt pariter Principes, atque ſuper ſanctas Reliquias ex utraque parte firma pace ac concordia jurata, lætanter reverſi ſunt ad propria.

Iſto tempore Miniſteriales quidam Stiriæ potiores oppoſuerunt ſe, & rebellaverunt & conſpiraverunt contra Ducem Auſtriæ Albertum, invocato adverſus eum adverſario ſuo Ottone Duce Babariæ: cui etiam promiſerunt tradere terram illam, & recipere eum in Dominum ſuum. Qui collecto exercitu copioſo,

[1] *l.* auxilio.

unacum

unacum Domino C. Salczburgenſi Archiepiſcopo, Stiriam intraverunt, & multa mala fecerunt in terra. Quibus occurrens Dux Auſtriæ manu valida, cum magnis laboribus per vias graviſſimas nivium, quæ eadem hyeme ſuperabundabant, vix cum ſuis tranſiens, excepto quod plusquam ſexcenti ruſtici exercitum præcedentes cum ſcopis ac aliis inſtrumentis per nives & loca devia parabant ei viam. Qui cum veniſſet, turpiter & confuſe fugavit & expulit Ducem Babariæ cum ſuo Epiſcopo & ſuis fautoribus de terra.

De Invitatione Alberti ſecundario, de Interfectione Adolfi, & Declaratione Alberti in Regem Romanorum. MCCXCVIII.

Wenczeslaus Rex ad coronandum ſe & Reginam, Ducis Alberti ſororem, invitavit Epiſcopum Moguntinum. Aſſuit Albertus cum comitiva exculta, & hujus feſti gaudia decentiſſime illuſtravit. Cujus gloriam ut vidit Pontifex, ad Regnum iterum invitat, Adolfum pro enormibus exceſſibus deponendum affirmat, & ſibi Regnum tradendum certiſſime aſſeruerat, dummodo Regem Bohemiæ ſecum ducat. Albertus Hainricum Ducem Karinthiæ cum adjectione ampliorís ſummæ ad Carniolam prius obligatam ſtipendiat, & electam conflans militiam, procinctum inchoans venit Babariam: cui Dux Otto tranſitum denegavit, donec Adolfus ut admitteret demandavit. Adolfus Ulmam properans plures, quos Albertus ſibi attraxerat, rapinis & incendiis ſcrutabatur. Dux Otto Babariæ in Regis ſuccurſum feſtinans, pacto quingentarum marcarum terram Alberti Comitis de Hayrloch adiit. Quo diſſipato Comes Ducem invadit: & cum ancipiti congreſſu alacriter diu ſe concuterent præliantes, Comes occiditur, vir mirificus & famoſus. Super quo Albertus & ejus exercitus non modicum turbabatur; proceſſit tamen, & ad opidum, quod Leinczingl dicitur, pervenit: quem Adolfus inſequitur, & ibidem contra ſe ſuper aquam, quæ Altzach dicitur, caſtra locant. Dumque neutra pars ad alteram transvadare præſumeret, & utrobique victualium penuria ſtringerentur; Moguntinus Alberto, cur torpeat & differat, demandavit. Qui ſtatim tranſiens Renum, venit Argentinam. Adolfus æſtimatus [1] eum auffugium aſſumpſiſſe in Fryſaco, Reno tranſito Rubach opidum & alia, quæ ad Argentinenſem pertinent Præſulem, laceſſivit. Albertus Mogunciam veniens, & Adolfus, nunc directe, nunc ex latere præitinerante Duce, concite ſequebatur. Præſul Moguntinus primo in quodam loco rurali in vicinia civitatis Moguntinæ Alberto præſente, Adolfum tanquam perjurum & excommunicatum violatorem fidei, & quod infinitam pecuniam a Rege Angliæ acceperat, nec ei, ſicut promiſit, in adjutorium contra Regem Franciæ venerit, & indignum regno, imo non eſſe Regem Romanorum pronuntiat: & concurrente aſſenſu Regis Bohemiæ, Marchionis de Brandenburg, atque Ducis Saxoniæ, Albertum dignum, & Eccleſiæ defenſorem perutilem attollit, & concionatione formata Regem Romanorum in omnium audientia promulgavit. Qui retrocedens circa Wormatiam caſtra locat; Adolfus electa multitudine armata de Orientali Francia, de Reni partibus cum Ottone Duce Babariæ & Rudolfo Palatino ex adverſo Alberti tentoria ſua fixit. Albertus ſciens Adolfum ancipitem & præcipitem, ejus copiam exploravit, ut eas poſſet minuere, cogitavit. Adolfus autem incenſo animo Albertum paucis ſe comitantibus quæritat: qui fugam arte ſimulans, Adolfum a ſuis longe traxit. Quod cernens Albertus, Hainricum Ducem Karinthiæ, qui inſignior præ cunctis ibi claruit, & alios alloquitur, & ad conſtantiam adhortatur. Alæ vero ac acies partium impetu quodam accurſitant, ordinem per turmas & agmina ſervare non valentes, præliis ſe intricant, & buccis concrepantibus in loco, qui *collis leporum* dicitur, fit congreſſus. Turmale vexillum Alberti Comes de Liningen, Adolfi vero vir bonæ, ſed non liberæ nationis, de Rechberg rapidiſſimo impetu cordis, præſtantiſſimi & intrepidi prætulerunt: ubi fortiſſimi, ſuarum virium exercentes virtutem, enſes, lanceas evibrantes prælium inchoaverunt. Adolfus magis conſulte [1], quam ignave pugnans galea de capite diſtringitur, & ſicut urſa in ſaltu raptis catulis ſæviens dimicavit, & cum Alberto ſe curſu rapido vicinaret, Albertum inclinavit. Qui videns eum facie detectum galea dejecta, primo ictu gladii ſuper palpebram oculi vulneravit, & diffundente ſe ſanguine, vultu obnubilato dextrario ſe prodit ſuper terram. Interim partes in modum conflati turbinis commixtæ fortiſſime pugnaverunt. Otto Dux Babariæ vulneratus, Rudolfus Palatinus, fortunam ſui Regis videntes invalidam, terga petunt. Nobiles de Helffenſtain, de Stralenberg cum pluribus abſceſſerunt, & ſuæ gloriæ indelebilem maculam [2] tradiderunt. Eberhardus Comes de Kaczenellpogen captivus ad Albertum ducitur, & ſignifer Rudolffi Ducis Gotfridus de Brunekch, Vir magnificus, poſt multos annos ſuos claros actus in hoc prælio cicatricibus vulnerum ſuorum oſtenderunt. Adolfus autem (ut quidam dicunt) gladio Alberti, alii, gladio Irſuti Comitis, alii gladio Junioris Comitis de Gemino-monte (qui etiam mox aquam quandam tranſiens eſt ſubmerſus) alii, cujusdam militis, alii Silveſtris Comitis, quod & Albertus in poſterum teſtabatur, proſtratus mortuus eſt repertus: & Nobiles de Hyſenburg, de Tynkenpach, de Hohenfels ſimul proſtrati, in ejus latere exinaniti armis bellicis jacuerunt. Corpus Regis ad Monaſterium Sanctimonialium, quod Vallis roſarum dicitur, Ciſtercienſis Ordinis, transfertur, ibique pro neceſſitate temporis tumulatur: & Alberto per omnia compita victoria cum magnis laudibus acclamatur. Bohemundus Treverenſis Præſul, Eberhardi Comitis filius, cum innumerabili multitudine in ſuccurſum Adolfo venire volentes, audientes quod geſtum fuerat, reverteruntur. Præſul Moguntinus, Eberhardus de Eppenſtain dictus, diem hujus victoriæ ſolemnem per ſuam diæceſim feſtum

[1] *l.* æſtimans.

[1] *l.* inconſulte. [2] *pro* inuſſerunt.

SS. Mar-

SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani conſtituit, invitans Machabæum, qui illum diem ſolemnem in poſterum ſancivit, in quo de Nichanore triumphavit. Regnavit autem Adolfus annis 6, menſem 1, cujus conditionem ſtatus verſibus Ovidii poſſumus demonſtrare, qui dicit:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Albertus etiam Comitem Eberhardum, & alios Nobiles ſolutos ad ſuam amicitiam & gratiam admiſit, & præſtitis beneficiis & honoribus ampliavit; ſicque in Frankenfurt ad eum omnibus confluentibus, & accerſita conthorale Domina Elizabeth, Aquisgrani ſolemniter coronatur.

MCCXCIX. Raymundus Patriarcha moritur: & ſuccedit ei Petrus, providus vir & honeſtus. Hoc anno Ludwicus, Otto, Hainricus Duces Karinthiæ in curiam [1] S. Viti curiam celebrant, & novam militiam, ad quam de diverſis mundi partibus plurimi convenerunt, ipſi militiæ decus ſuſcipientes, per Abbatem S. Lamberti gladio ſunt accincti, & cum eis maxima multitudo, expenſas cum affluentia & faſtu divitiarum gloriæ oſtentantes, terricolis terrorem incutientes, & nomen ſuum longe lateque ad regiones alias diffundebant. Albertus autem Rex in omnibus locis actum regium circuitus [2] exercebat, ad ſe venientibus Nobilibus & Civibus favorabiliter, in ſuis agendis maxima maturitate animi & beneficentia: audivitque a multis, quod in Libro Regum ſcribitur: Nunquam pax poterit eſſe a viro, qui interficit Dominum ſuum, ſcilicet Hela, quem interfecit, & regnavit pro eo? Albertus diſſimulans ſe audire, reſpuit garrulitates, juxta illud Salomonis: *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.* Et Prudentius dicit:

Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit,
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

De Curia Regis in Nuerenberg, anno jubileo, & Principibus Regi ſe opponentibus. Cap. III.

MCCC.

Rex ſolemnem Curiam in Nuerenberg præconizat, ad quam Rex Daciæ miſerabiliter ſatis venit conquerens ſuum exulatum, & a regno ſe dejectum deplorans, judicium & juſtitiam poſtulavit. Rex Bohemiæ, univerſi quoque Regni Principes & Primates cum multitudine Prælatorum Eccleſiaſticorum, Epiſcoporum, Abbatum, Præpoſitorum, Ducum, Marchionum, Comitum, Nobilium & Baronum illic feſtine & decentiſſime convenerunt. Non invenitur a tempore, cujus non eſt memoria, quod in una Curia ſicut hic omnes Electores fuerint: ſcilicet Treverenſis, Moguntinus, Colonienſis, Palatinus, Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, Rex Bohemiæ. Feruntur ibi fuiſſe Epiſcopi L. Duces, Comites liberæ conditionis trecenti, militum quinque millia congregati. In qua Rex filios ſuos de ſuis Principatibus inveſtivit, & adverſarios, quos occulte habere videbatur ſuper ſtatu regni, ſibi fecit favorabiles, eorumque ſervitiis ſe & amicitia communivit; plures de ſuis dominiis Principes & Nobiles, Epiſcopos & Prælatos de ſuis Imperialibus regiis manibus inſignivit; in abſentes, & venire contemnentes, notamque contractam negligentiæ vel contemptus nullatenus ſurdis auribus pertranſivit, ſed ſuo tempori reſervavit. Affuit ibi Chunradus Epiſcopus Salczburgenſis, qui, abolitis omnibus præteritis ac retroactis concuſſionibus, Regis & filiorum ſuorum gratiam pacatis omnibus aquiſivit, eorumque famulatibus fideliter in antea ſe vincivit. Hic Epiſcopis præſentibus vinum Regivolum, & Eſoces piſces Danubiales, raros in eorum partibus, cum reverentia propinavit, divitiasque & gloriam ſuam tantæ præſentationis ſtudio demonſtravit. Soluta Curia, Rex optimo fretus conſilio ad Curiam pro ſua approbatione egregios Viros Johannem Tullenſem Epiſcopum, liberæ conditionis Virum & literatiſſimum, & ſpectabilem Comitem de Oettingen inſtructos de omnibus deſtinavit: qui omnia commiſſa modeſtiſſime ſinceris promotionibus exequentes, inaniter ſunt reverſi.

Hoc anno Rex Tartarorum vidit ſibi Chriſtum cum ſuis vulneribus tertio apparentem, & dicentem: Vide me pro humano genere ſic plagatum: vindica ſanguinem meum de Sarracenis. Qui Signum Crucis fecit fieri in vexillo, & inita pugna Soldanum vicit & Chriſtianis terram reddidit, & caſtra olim perdita Templariis & Hoſpitalariis reddidit in Babylonia & Ægypto. Quo audito Religioſi multi mare transierunt ad fidem Katholicam prædicandum. Hoc tempore bellum Francorum cum Flandrenſibus agebatur, quod in longum trahebatur. Regem enim ſibi quendam textrini operis Petrum conſtituerant, civitates ſuo Comiti deſtitutæ, & confluentibus ad eos de diverſis partibus Nobilibus viriliter reſiſtebant: ubi adeo deleta eſt militia Regis Franciæ, ut nobiles viduæ plures, maritis occiſis, ducerent Clericos, qui inſtaurati in numerum occiſorum, ſpiritualibus armis abjectis, agente Rege deinde ſæculariter militabant. Hoc tempore Rex Albertus, & Rex Franciæ in civitate Tullenſi colloquium habuerunt, & tractatibus pluribus habitis de cauſa Flandrenſi & diverſis, inter alia de nuptiis liberorum ſuorum pactum roboratur: cui colloquio Treverenſis Bohemundus, & Moguntinus Gebhardus, Colonienſis Wykeboldus Archiepiſcopi cum præclaris Alamanniæ viris, magnatibus & nobilibus, & innumeris affuerunt. Præſentavit etiam Rex Albertus Regi Francorum ducentorum canum eximiorum munus ad venatum cum inſtructoribus: ille dextrarios, & alia dona obtulit pretioſa. Poſt hæc miſit Rex ad Regem Franciæ pro filia ſua Blanka Rudolfo filio ſuo primogenito in uxorem: quæ in Auſtriam glorioſe transducta brevi tempore ſupervixit, & ſine prole decedens in Wienna apud Fratres Minores cernitur tumulata. Moguntinus Præſul cum Rege multos labores habitos, & expenſas quingentarum marcarum argenti ſummam petiit reſtaurari. Rege non habente quod tam prompte redderet, ſed promiſſa ſolvendi faciens [1], Pontifex indignatur; cornu ferens venaticum, & capſel-

[1] *l.* civitate. [2] circumiens.

[1] *l.* faciente.

lam,

lam; quæ in latere deferebat, percutiens, mul- A Adolffhaim civitatem aggreditur expugnare.
tos in ea Reges asseruit contineri: & Trevirensem & Colonienſem Episcopos, & Rudolfum Palatinum circumagitat, ut secum conspirationem faciant contra Regem. O quam digne versibus Persii videtur hic Pontifex feriendus:

Pellicula veterem retinens sub fronte politus,
Astutam vafer[1] retinens sub pectore vulpem.

Hoc anno apud Nuernberg ortum habuit, quod quidam nobilis[2], dictus Ryndfleysch, zelo fidei succensus, publice clamavit accincto gladio superfemur: Qui Domini est, jungatur mihi. Et componens exercitum infinitæ multitudinis, circumquaque per civitates singulas Judæos diverso genere mortium trucidavit, ita ut a tempore Titi & Vespasiani tantam cladem nullo tempore sint experti. Et digne: quia Corpus B Domini impie & indecenter (quod abominabile est dicere) tractaverunt, sicut in miraculis consequentibus est compertum.

MCCCI. *De anni Jubilei institutione.*

Bonifacius Papa instituit annum Jubileum, qui annus juxta veteris juris decreta in septima hebdomada annorum pro libertate & quiete, pro reversione exulum, recuperatione hæreditatis, & remissione fuerat solemnibus gaudiis institutus: & approperant ad urbem pro suorum peccaminum relatione & gratiæ consecutione de omnibus mundi partibus prope infiniti. Papa a transitu Friderici Imperatoris forsitan hunc annum, computatis annis Ecclesiam temporaliter quievisse, ut se ad libertatem atque quietem patriæ disponeret, per dispositionem similium operum annotavit. Rex Albertus Principibus contra se armatis cogitans obviare, Comitibus Rybauriæ, scilicet Gelriæ, Juliaci, de Monte, ut Colonienſem Præsulem impediant, studuit prævenire: qui ad hoc omnem operam adhibebant. Mandat etiam officialibus suis per Sweviam, ut sororis suæ filium invadere non obmittant: qui quædam ejus castra bellicose sunt aggressi, quæ ad Imperium pertinebant. Sed Ludwicus Rudolfi pater ea indebite per longa tempora possidebat. Et hoc anno Petrus Patriarcha moritur: Ottobonus eligitur. Hic Hainrici Ducis Karinthiæ munitiones quasdam in Karinthia obligavit ad terminum statutum, & contra virum nobilem de Hohenburg cum multis aliis stipendiavit. Castrum ejus fortissimis turribus munitum vallavit. Et cum non esset spes castri obtinendi, D orationi se dedit, devotissime Domino supplicans & Virgini gloriosæ, ut Ecclesiæ contereret inimicum. Et ecce! mane facto Ducis Karinthiæ vexillum sine omni resistentia erectum in medio castri omnes adeo deterruit, ut castro tradito vix exitum salvis corporibus obtinerent. Castro vero penitus dissipato, lapide super lapidem non relicto, sicut hodie cernitur, Patriarcha cum gloriosa victoria ad propria remeavit. Eodem anno Rex Albertus Wyzzenburg in Alsatia obsedit: & habito intento suo, Alzeyam occupavit. Qua per pacta tradita,

Quod dum celeriter perficere non valeret, vineas & segetes per circuitum dissipat, Renum transiens juxta Spyram: & comportatis victualibus civitatem Præsulis Moguntini, quæ Pinga dicitur, fortissima circumgyratione vallavit: vastatis omnibus per circuitum, & præcipue Monasterio Sanctimonialium, quod Mons S. Ruperti dicitur, super Nahaм fluvium posito in vicinia civitatis. Cives coartati Regis gratiæ se dederunt. Præsul iram Regis contra se bullientem sentiens, tria Castra obtulit, & deinde ut Regem non offenderet, se constringens: quæ nobili viro de Brunek sunt commissa, tali interpositione, ut nunquam redderentur, si manum de reliquo levaret contra Regem. Audiens hoc Palatinus, prope venit, & gratiæ se subjiciens, & Regis indulgentiam aquisivit. In Hollandiam Rex restaurat militem, quæ terra Imperio vacare cœpit. Sed propter terræ illius paluſtria loca, in quibus periculum incidere metuebat, petentibus civibus Colonienſibus, qui cum suo Præsule disceptabant, permansit cum exercitu, inter Coloniam & Punnam tentoria fixit, qui locus usque hodie Palczus Regis, Alberti ab incolis est vocatus: & ibi persistens, terram Episcopi per omnes districtus provinciæ demolitur. Deinde Coloniam ingreditur, magnis muneribus & laudibus est susceptus. Et ecce! quidam vinolentus pro conditæ metretæ vini, Regem nobile & monoculum bene veniſſe ad terras illas exclamavit. Rex subridens, ait: Bibe, non te deterreat deformitas vi- C sus nostri, Theodosium imitans, qui ad talia respondit, dicens: Si quis facta nostra maledictis crediderit lacessenda, eum pœnæ nolumus subjacere. Quoniam si ex levitate processit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignum est; si ex injuria, remittendum est. Audivit eo tempore Rex, quod Rudolfus Palatinus matrem suam captivasset, ejusque vice Dominum, qui rexit provinciam, decollasset. Et ascendit Rex in Civitatem Nordlingam Rhætiæ, & sororem suam a vinculis absolutam cum filio concordavit. Moritur hoc tempore Bohemundus Præsul Trevirensis: & constituitur Dyetricus frater Regis Adolfi. Agentibus autem amicis, conveniunt Rex & Præsul, & sic plena reconciliatio[3] inter eos, & reliquos Adolfo per carnem & sanguinis consanguinitatem attinentes. Rex autem & Præsul per oscu- D lum amicitiæ feoda exhibentes, ejulante Præsule in excelsum, ab utroque, scilicet Rege & Præsule, ubertim lacrimæ distillaverunt, omnesque præsentes flentes super hoc omnipotentem Deum laudaverunt. Nihil enim, ut ait Augustinus, in terrenis rebus atque mortalibus pace gratius solet amari, nihil desiderabilius concupisci, nihil potest melius inveniri: quia nomen pacis dulce est, & res ipsa, ut in Paradoxis dicit Tullius, salutant[4].

De Legatione Regis ad Papam, de Regno Hungariæ, & articulis[5] Papam Bonifacium.

MCCCII.

[1] *leg.* vafro. [2] *In Chronico Claustro-Neoburgensi sub finem anni* 1298. humilis rusticus *appellatur.*

[1] *supple* &. [2] *deest quid in Cod.* [3] *supple* fit. [4] *l.* salutaris. [5] *supple* contra.

Rex misit virum religiosum Abbatem de Salem, Cistercienſis ordinis, & nobilem virum de Schellenberg cum Cancellario ſuo ad ſummum Pontificem, gratiam approbationis & confirmationis ſibi poſtulans exhiberi. Quibus admiſſis & perauditis, ait: Occidi [1], & inſuper poſſedisti: recolens, quod Adolfum Albertus occiderit, & regnum apprehenderit: memorans, conſortem ejus Reginam ſororem Chunradini de radice Friderici II. hoſtis Eccleſiæ proceſſiſſe: ignorans, quod unam matrem habuerint, & duos patres. Chunradinus Chunrado Rege, filio Fridrici Imperatoris, progenitus eſt: Regina ex Meinhardo Duce Karinthiæ procreata, quem in maritum poſt prioris mariti tranſitum Chunradini genetrix eſt ſortita. Sicque dura reſpondente Pontifice, infecto negotio ſicut prioris nuntii cum triſtitia ſunt reverſi. Hoc in tempore filiam ſuam Annam Rex Hermanno Marchioni Brandenburgenſi, qui dictus eſt *cum pilo*; ſociavit. Quo defuncto ſine liberis Duci Wratislaviæ in Poloniam copulatur. Accidit interea, quod ſoror Regis Regina Bohemiæ moreretur, unum filium Wenczeslaum & tres filias relinquens. Papa vero infeſtum habuit Regem Franciæ propter Columnenſes, quia ab eo refugium quæſierunt: crevitque livor inter eos, qui mitigari non poterat, nec reſtringi. Hoc etiam tempore moritur Andreas Rex Hungariæ ſine hærede, gener Regis Alberti. Papa vero Karolum filium ſororis Alberti, Karoli Principis filium, quæ in Apuliam tradita fuerat per Cardinalem, qui Gentilis dictus eſt, ad regnum Hungariæ ſuſcipiendum deſtinavit. Dux etiam Otto Babariæ, qui fuerat filius filiæ Belæ Regis, vocatus capitur, & anguſtiatus de illis partibus vix evaſit. Filius quoque Regis Bohemiæ invitatus fuit, & ipſe ex jure patris de ſanguine Belæ fuit, bonaque circa metas habuit. Sed dum Papa omnes Karolo adverſantes excommunicationis gladio feriret, Rex Bohemiæ filium ſuum revocat. Karolus vero in Monaſterio Belæ-fontis Ciſtertienſis ordinis degebat, ſuſtinens aſpera plurima & adverſa, quousque decreſcente adverſariorum potentia, regnum potentialiter eſt adeptus: accepta prima uxore filia Ducis Poloniæ, ſecunda filia Imperatoris Hainrici, ſorore Johannis Regis Bohemiæ, tertia filia Lottonis Krakoviæ, ex qua hæredes genuit, affluentiam, proſperitatis gloriam & divitias eſt adeptus. Papa autem contrarios ſibi habens Regem Francorum propter Columnenſium afflictionem, & quod Minores & alios Mendicantes turbavit, gratias eis factas per prædeceſſores ſuos caſſando de teſtamentis, quorum quartam partem prius indultam Eccleſiis, dandam parochialibus ordinavit: inſuper & Regem Bohemorum propter ſuam & filii excommunicationem: Regem quoque Romanorum propter gratiæ denegationem. Corde tamen retractans, quod ſibi & Eccleſiæ poſſet utile eſſe, mandat Alberto, ut ad eum ſolemnes Nuntios dirigere non obmittat. Qui Comitem Eberhardum de Katzenellpogen transmiſit, a quo Papa petiit, ut Rex quempiam ſuorum ſuo ſanguine matrimonialiter copularet, ſi vellet omnia, quæ poſtulaverat, ad placitum adipiſci. Rex vero lætus effectus aſſenſum tribuit, ſtatimque Papa electionem approbavit. De poteſtatis plenitudine ſuper caſu homicidii & crimine læſæ majeſtatis, de morte Adolfi miſericorditer diſpenſavit, in reliquum glorians de ejus amicitia: ſuſcitavi, inquiens, mihi leonem ab oriente, qui fremitu vocisque ſuæ rugitu cauſam Eccleſiæ vindicabit. Vocavitque eum ad Coronam Imperii, cujus legationis bajulus fuit Hainricus Abbas Uterinæ vallis, poſtea Abbas Villarienſis Ciſtercienſis Ordinis, deinde Imperatoris Hainrici Cancellarius, & Epiſcopus Tridentinus. Papa conformitate Regalis amicitiæ confortatus, Concilium Romæ indicit, proceſſus contra Regem Franciæ dicturus, Prælatis de diverſis mundi partibus accerſitis: quos Rex Franciæ procedere undique impedivit. Iterum ſecundam vocationem facit, iterum Rex obſtitit: & coadunatis Archiepiſcopis, Prælatis, Decretiſtis, Theologis & Magiſtris contra Papam per os Archiepiſcopi Arelatenſis ſubnotatos articulos publicavit. Primus ſic, quod ſit publicus Simoniacus, qui dicit ſe non poſſe committere Simoniam. Secundus, quod ſit publicanus. Tertius, quod homicidium perpetravit. Quartus, quod ſit uſurarius manifeſtus. Quintus, quod non adhibet fidem verbis conficientibus Eukariſtiam Sacroſanctam. Sextus, quod anima ſit mortalis, & quod aliud gaudium non ſit niſi vitæ præſentis. Septimus, quod ſit revelator confeſſionum: quia coëgit quendam Cardinalem, ut ei confeſſionem cujusdam Epiſcopi de Hiſpania ſibi factam revelaret. Qua revelata Epiſcopum depoſuit, & poſt acceptam pecuniam reſtituit ſicut prius. Octavus, quod habuit duas neptes conſanguineas, & ex utraque filios genuit, quorum unus in Epiſcopum eſt promotus. Nonus, quod Regi Angliæ dedit omnes Decimas Eccleſiaſticas decem annis in regno ſuo contra Regem Franciæ. Decimus, quod ſtipendiavit Sarracenos, ut Siciliam invaderent: Ubi Chriſtiani nominis 30000. hominum ſunt occiſa, nihilominus Chriſtiani obtinuerunt victoriam glorioſam. Quorum omnium veritas vel falſitas nullatenus relatori aſcribatur, ſed auditoris vel lectoris judicio committatur. Scriptum eſt enim: *Principem populi tui non maledices.* Et ſicut dicit Juvenalis:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

De Morte Papæ, & vacatione Regni Bohemiæ Cap. VI. MCCCIII.

Bonifacius audiens tam execrabiles articulos contra ſe moveri; tranſtulit ſe ab urbe in Anagniam: & convocatis Cardinalibus Regem Franciæ a regno dejicere per quoscunque modos poſſet, cordialiter laboravit. Et primo ſtatuit eum ſeveritatis Apoſtolicæ gladio, ſcilicet excommunicationis anathemate, ferire. Quo comperto Rex Columnenſes ad ſe vocatos quin-

[1] *l.* occidiſti.

quingentis militibus armat, ad consilium cujusdam sui militis, qui Guilhelmus dictus est de Nugetero [1]; ut Papæ perditionis laqueum injiciant, animat & confortat. Qui navigio disposito per maria sulcando Anagniam perveniunt, Papale palatium faventibus civibus circumdant. Ruptis repagulis ostiorum Papa, Cardinales & secum existentes fugiunt, intra Papæ cameram se servantes. Hostes eductis irruunt, absolutionis beneficium poscunt, quo per eum pridem fuerant innodati. Præsul sciens omnia, quæ ventura erant super eum, induitur omnibus ornamentis Papalibus, crucem auream, in qua maxima pars fuit de Ligno Domini, ad pectus posuit, asserens mori se paratum pro conservanda Sedis Apostolicæ libertate, atque ad hostes procedebat. Statimque eum unus ad murum graviter comprimebat, dicens: Intrasti ut vulpes, regnasti ut leo, morieris ut canis. In quo contra Cœlestinum ejus prædecessorem (si tamen ita fuit) fallaciam in vulpe, contra Columnenses sævitiam in leone, & inopinatæ miseræ mortis instantiam arguebat in cane. Fertur Pontifex respondisse: Non sum propheta, sed filius prophetæ. Sed [2] Regem Francorum miserabiliter victurum, breviterque moriturum, & semen uteri sui de throno regni celeriter defecturum. Quæ per omnia, sicut patebit, suo tempore sunt impleta. Quidam super his compuncti abscesserunt. Cives post hoc vera ducti pœnitentia, omnes Francigenas expulerunt, Papamque in profundis tribulationum fluctibus reliquerunt: quem potentissimus Romanorum dominus Ursinus in urbem perduxit: ibique artantibus eum doloribus, postquam sedit 8. annis, mensibus 11, transiit ex hoc mundo, in Ecclesia beati Petri Romæ, in tumulo, quem pretiose sibi disposuit, sepelitur.

MCCCIV. *De Benedicto XI. Papa.*

Benedictus XI. natione Lombardus, de civitate Tarvisina, sedit mensibus 8, diebus 11, & cessavit Papatus anno uno. Hic a pueritia in Ordine Prædicatorum existens, in Venetiis per plures annos Lector Fratrum fuerat, sed Magister Ordinis totius Prædicatorum efficitur, tandem Cardinalis & Episcopus Hostiensis factus, deinde Papa electus Benedictus est vocatus, antea enim Nicolaus dicebatur. Hic cum esset Cardinalis, a Bonifacio Papa in Hungariam pro Legato mittitur, ut Barones ibidem induceret, quod Karolum, nepotem Karoli Ottonis de Apulia, pro Rege haberent: quia ipse Bonifacius ipsum in Regem Hungariæ sublimaverat. Et in legatione eadem ipse Benedictus Wiennæ per se chorum Prædicatorum dedicavit: & in reversione legationis idem Benedictus in Leuben pernoctavit anno Domini MCCCIII. & eodem anno in Papam est electus. Hic Papa constitutiones, quas Bonifacius VIII. contra Ordines Prædicatorum & Minorum ediderat, cassavit ac delevit, & alias constitutiones pro Ordinibus prædictis fecit. Hic duos, qui sibi ministraverant in prædicta legatione, scilicet Dominum Laventinum Episcopum Wlgingen præfecit in Babenbergensem Episcopum, exemptum & palliatum; & fratrem Augustinum, Lectorem Budensem, in Agrimonensem Archiepiscopum præfecit, & hi ambo fratres fuerunt Ordinis Prædicatorum. Hic Papa Perusii moritur, & in agone commisit, ut Cardinales propter electionem futuri Papæ restringerentur. Quod & factum est, & tamen diu non elegerunt. Papa iste Perusii in Ecclesia Fratrum Prædicatorum est sepultus, manifestis clarens miraculis.

De vocatione Hainrici Ducis Karinthiæ, & Rudolfi filii Alberti ad idem Regnum [1].

MCCCV. Clemens V, natione Francigena, sedit annis 8; mensibus 6, & cessavit Episcopatus annis 2, & fere 3. mensibus. Hic cum prius esset Archiepiscopus Burdegalensis, a Cardinalibus Perusius inclusus, in Papam est electus anno Domini MCCCV. Hic anno Papatus sui sexto celebravit Concilium Wiennæ, & duravit Concilium plus quam ad medium annum. In hoc Concilio delevit Ordinem Templariorum militum, propter malum verbum. Diversa etiam ibi sunt statuta, scilicet decimæ Clericorum, & alia pro subsidio Terræ Sanctæ. Misit etiam in universam Ecclesiam Hospitalarios cum litteris Papalibus maximam auctoritatem continentibus, ad congregationem elemosinarum pro subsidio Terræ Sanctæ: qui Hospitalarii in omnibus ecclesiis parrochialibus posuerunt truncos pro gazophilaciis ad elemosinam. Hic Papa Hainricum VII. Alamanniæ Regem, natione de Luczelburg, declaravit esse Regem Romanorum, ac in Imperatorem per suos Cardinales Romæ consecravit. Hic Papa canonizavit beatum Petrum de Murro, qui quondam de vita heremitica in Papam electus & consecratus est, & Cœlestinus V. fuerat nominatus, sed postquam Papatui cessisset; nomen alterius resumpsit; post mortem propter pluralitatem miraculorum ipsum Ecclesia sublimavit. Hic Clemens in suo Papatu nunquam vidit Romam, sed in regno Franciæ in civitate Avionа tenuit curiam usque ad mortem suam. Hic Papa ad regimen Ecclesiæ concorditer est electus apud Perusium, in Lugduno consecratus, transtulit curiam primus in Burdegalem ultra montes, quam Ecclesiam ipse prius gubernabat. Invitatus enim fuit a Rege Franciæ, qui omnem honorem sibi promittens, pro Francia in dominio suo exhibendum, eo quod Itali & Romani raro Summis Pontificibus adhæserunt plena fide. Continuata est igitur in illis partibus curia ad hanc horam. Primo anno sui Pontificatus admisit ad gratiam Columnenses, ex quibus unus Publicus in præsentia Papæ publica audientia veniam postulans, verbum illud beati Job de se & aliis explanavit: *Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat.* Hoc anno Nobiles Bohemiæ vota sua scindunt, quorum quidam Hainricum Ducem Karinthiæ, generum quondam sui Regis, accersiverunt, ut super eos suscipiat Principatum; quidam Rudolfum Romanorum Regis filium elegerunt, eo quod propter vicinitatem Austriæ, & paternæ po-

[1] *al.* Nogareto. [2] *supple* prædico; *aut hujusmodi.*

[1] *i.* Bohemiæ.

tentiæ ſuffragium, regnum poſſet altero melius A defenſare, ita ut relictam Wenczeslai Primi, filiam Regis Klyſiæ, duceret in uxorem, & per hoc in regni potentia ſe firmaret. Hainricus autem Dux ſuſcepta legatione, ex Karinthia & de montanis electam congregat militum multitudinem, habens ſecum Stephanum Ducem Babariæ conſanguineum, ut regnum ſuſciperet, Bohemiam intravit, receptusque eſt ab aliis, qui eum vocaverant, glorioſe. Rex vero Albertus aliis poſtergatis negotiis, congeſto militari ſplendido comitatu ad procinctum introeundi Bohemiam ſimiliter ſe ſuccingit: & veniens, electioni & vocationi filii ſapienter cum ſingulorum indagine ſe ingeſſit. Nuptiæ igitur inter filium ſuum & Reginam viduam multo faſtu humanæ gloriæ, & maximarum expenſarum & B apparatuum ad hoc concurrentium affluentia celebrantur. Rudolfus ergo Regis filius levatur, ita tamen quod Bohemorum Nobiles juraverunt, pactaque fortiſſima litteris atque privilegiis firmaverunt, Regisque manibus obtulerunt: quod [1] hic filius diſcederet ſine fructu, non alium quempiam niſi unum filiorum ſuorum, ſive ſui germinis Regem conſtituerent, quocunque modo; & filium ſic in regni ſolio ſtabiliens, ad alia diverſa ejusdem regni negotia ſe diſponit. Inſiſtebat etiam cum ſollicitudine & induſtria; qualiter Ducem Hainricum ſororium ſuum, qui maximam partem in regno habuit, abigeret, & a regno quantocius amoveret. Non enim videbatur ſibi congruere, quod bello eum propter amicitiæ affinitatem peteret, dubius ſub qua ſorte: quia æque viribus fuit militaribus robuſtatus. Et dum hæc animo volveret Albertus, Hainricus quaſi eisdem meditationibus fluctuabat. Inſedit tamen cordi ſuo, quod ex æquo cum Romanorum Principe res belli agere non valeret; & cum ſuis habito conſilio Bohemiam relinquens, rediit ad montana. Quo egreſſo omnes, qui ſuæ partis fuerant, animo conſternantur: & cum non haberent, qui eis adeſſet, Rudolfum unanimiter ſuſceperunt. Albertus autem firmato filio, & inſtructo de cura regni, in Alamanniam eſt reverſus: & æſtuans ad coronam, miſit Johannem Eyſtetenſem Præſulem, & Philippum Abbatem Periſienſem ad Papam, ſuam offerens ad ejus volita voluntatem. Quibus Papa annuit tam grataner, quod D Johannem tranſtulit ad Argentinenſem Eccleſiam, & Philippo contulit Eyſtetenſem. Et perceptis muneribus de terra Miſnenſium, Rex ad expoſitionem [2] illam propter altercationes ibi factas militem armat, & congiarium magnum donat. Filius autem ſuus Rex Rudolfus, juvenis bonis pollens moribus, omnibus gratum ſe exhibuit & placabilem, juſtis amicabilem, injuſtis terribilem & crudelem; nihil tamen temerarium agebat, ſed maturo conſilio omnia diſponebat. Conſors in amore ejus (ut fertur) nimium ardeſcebat: & propter hoc dum exceſſive ejus amplexibus indulgeret, telam vitæ ſuæ, dum adhuc ordiretur, præcidit tranſitu immaturo, quem paternæ & maternæ originis nobilitas, & morum ac virtutum honeſtas omnibus fecit commendabilem & acceptum, ſicut in laude Achillis ſcribitur: *Cui virtus clarum nomen habere dedit.* His temporibus Dux Auſtriæ Albertus expulit de terris & confinibus ſuis probum virum ac ſolemnem Miniſterialem Dominum de Sumeraw, confractis caſtris, & deſtructis munitionibus ſuis. Qui tranſtulit ſe ad Regem Romanorum, & verbis ac conſiliis ſuis erga Regem prædictum multa mala procuravit Duci præfato. Eodem anno & tempore ſupradicto circa ſolſtitium verbum, verum beati Auguſtini impletum eſt, dicentis: *Impoſſibile eſt bene mori, qui male vixit.* Item: *Fine malo claudi ſemper mala vita meretur.* Nam filius cujusdam Ungari Comitis Iwani, homo malus, prædo peſſimus, ſicut multis annis extitit pater ejus, Divina ultione ictu fulminis mortuus eſt, & ſic Auſtria liberata eſt ab eo.

Rex Klyſiæ moritur, relinquens unam filiam, quam Rex Bohemiæ Wenczeslaus duxit, regnumque illud adjiciens regno ſuo. Albertus aſſerens hoc regnum ad Imperium devolutum, inſtantiſſime repetebat, & orta ſunt inter eos graviſſima veronomenta [1]: Conflatoque grandi exercitu Albertus Bohemiam ingreditur, & Bohemiam pertranſiens usque ad fodinas Kuttinarum pene omnia devaſtavit. Rex Bohemorum 30000 marcarum Epiſcopo Moguntino, Ducibus Saxoniæ ac aliis diſtributis, & ipſe maximam hominum multitudinem conglobavit. Et habito conſilio Rex ad munitiones cuſtodiam deputavit, arbitrans utile, ſibi non poſſe Romano Principi in campeſtribus obviare de hyemis inſtantia: contexens vaticinium, dicens, ſibi in foribus eſſe fortiſſimum adjutorem, qui nebulis condenſis, glacie & bruma pro ſe fæviſſime decertaret. Cujus imminentia Rex Albertus nihil proficiens, exiens de regno ſuum intentum alteri regno reſervavit. Interea Rex Bohemiæ filiam ſuam Annam Hainrico Duci Karinthiæ, fratri Reginæ conſortis Regis Alberti copulavit, æſtimans per hoc Regis Alberti animum mitigandum. Celebratis nuptiis non longe poſt Wenczeslaus, morbo diſſenteriæ contra ſe invaleſcente, migravit ad Dominum, & ad monaſterium, quod ipſe de novo, Ciſtercienſis Ordinis, fundaverat, Aula Regis vocitatum, ſolemniter tumulatur, filium Wenczeslaum relinquens. Qui voluptuoſis inſiſtens operibus, juxta Salomonem: *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt*, primo anno a duobus filiis Belial, procuratione Nobilium terræ, cultro (ſicut dicitur) eſt perfoſſus, relinquens juvenem viduam Ruthenorum Regis filiam. Quæ expleto luctus tempore, de Roſenberg ipſius regni potentem ac nobilem virum duxit. Benedictus Papa irritans, quod [2] Bonifacius contra Ordines Mendicantium ſtatuit, omnia revocavit: moriturque poſtquam ſedit menſibus 8, vacavitque Sedes poſt ejus tranſitum menſes 10. Stabatque regnum Bohemiæ ſine Principe, quia hæredem maſculum non habebat. Quamvis fœmellæ in eodem regno dicantur ſucceſſionem paternam ex indulto privilegio hæredare; nihilominus videtur turpe, fœminam habenas regnorum &

[1] *ſupple* ſi. [2] *l.* expeditionem.

[1] *ita Cod. MS.* [2] *l.* quæ

gen-

gentium gubernare: indigent enim armis defensivis & invasivis necessariis ad res bellicas, sed fœmina aliis est intenta, juxta Ovidium, qui dicit: *Nam curam tota mente decoris habet.* Et Hector dicit ad Paridem:

- - - - nihil adjuvat arma
Nobilitas formæ, duro Mars milite gaudet.

Eodem anno tanta pestilentia in Apulia & per totam Lombardiam facta est, ut in Curia Romana multi Episcopi & Prælati mortui jacerent: & Karolus Marcellus Rex Siciliæ & Hungariæ una cum uxore sua, sorore Alberti Ducis Austriæ, infra 14. dies mortuus esset. Eodem anno tanta inundatio facta est aquarum, ut aqua Viennæ hospitale civium, & fontem ante hospitale situm transcenderet, ita ut infirmi in lectulis natarent, & vix aufugere viderentur. Et rivus, qui Satlpach dicitur, ad Sanctam Crucem per totum claustrum & ante librariam usque ad gradum Ecclesiæ intravit. Eodem anno Albertus Dux Austriæ dolore oculorum nimium aggravatus, immo uno oculo excæcatus, tandem morbis aliis accedentibus in die S. Martini motuus esse dicebatur; sed per Dei gratiam, precibus adjutus pauperum, in brevi restitutus est pristinæ sanitati. Cui Ministeriales tam Austriæ quam Stiriæ resistentes, contra eum in Stocheraw & in Trebensee simul convenerunt, nisi consilio eorum annueret, & Suevos, quos nimium dilexit, de terra ejiceret, eum pro Domino habere nollent. Hoc anno Abbas Admontensis Stiriæ, sævus exactor, tyrannus & hominum tortor, a quodam suo cognato in lecto suo sagittatus, postea gladiis & cultellis confossus, demum capite truncatus, in sanguine suo volutus turpiter vitam finivit: & qui alios sæpe trucidaverat, & diversis mortibus affecerat, pari pœna punitus est.

Eodem anno cum per totam terram Austriæ Dux Austriæ & Stiriæ Albertus crederetur esse mortuus, sicut superius in Sexto Capitulo scriptum est; Archiepiscopus Salczburgensis putans esse verum, per suum Vicedominum misit armigeros suos centum equites & duo millia peditum, qui reptabant in montanis & convallibus sicut vulpes. Qui combusserunt & destruxerunt Duci Austriæ duas patellas salis, & quandam parvam, sed curialem civitatem, Trochnaw nomine, quam ibidem construxerat Dux prædictus, & damnificavit eum adæstimationem fere singulis annis trium millium talentorum. Sed Domino cooperante, qui est summus medicus, cum convaluisset Dux a sua gravi ægritudine, & a toxico, quod sumpserat, a quo etiam fere periclitatus fuerat, non præsumens de fidelitate suorum Australium, utpote qui sæpe offensus fuerat ab eis (impingentes [1] ei, quod nihil daret eis, nisi Swevis suis, & quod omnes proventus terrarum suarum transmitteret ad Sweviam, & inde compararet ibi civitates & castra & possessiones diversas, & quod nobiles Dominas viduas & divites relictas de terra, conjugio quandoque vi copularet Swevis suis quod nec castra nec claustra ædificaret in terra, sicut fecerant prædecessores sui olim;) misit ad Sweviam, & convocavit eos. Qui honeste & manu armata cum copioso exercitu venerunt ei in auxilium, & multa mala fecerunt in terra, expugnantes & impugnantes illos, qui opposuerunt se sibi: inter quos quendam nobilem, dictum Liechtenstainer de Falkenstain, obtentis omnibus quæ habebat (qui multa mala fecerat per rapinas in terra) exterminavit de terra; alii vero ad concordiam reversi sunt. Postea Dux cupiens vindicare damnum & injuriam a supra dicto Archiepiscopo sibi illatam, intravit Bavariam transiens per Stiriam: qui cum suis hominibus ab incolis montium multa pericula perpessus, nisi quod Abbas Admontensis in expensis in quantum poterat subveniebat ei. Tandem pervenit ad quandam civitatem, Ratstain nomine, & obsedit eam, & jacuit ibi per longum tempus, sed non profecit ibi: quia erant intus optimi defensores homines Ducis Bavariæ & Archiepiscopi, qui defendebant se viriliter. Et sic multis hominibus ibi perditis, recessit ab obsidione, volens venire in adjutorium genero suo Regi Hungariæ, qui eodem tempore cum suo exercitu jacebat in obsidione quorundam castrorum Comitis Ywani. Et cum obtinuissent ei violenter tria castra, recesserunt, & reversi sunt ad propria. Dux vero assumptis Swevis suis, cum eis ascendit Babariam, cupiens confirmare pacem inter ipsum & Ducem Babariæ & Archiepiscopum; & sic Swevi recesserunt, in terram nunquam de cætero (si Deo placet) redituri.

De Profectione Alberti in Misniam, & ibi gestis, & quibusdam Incidentibus.

MCCCVI. Rex conditiones, quas pater suus Rudolfus Rex, & Adolfus a Misnensibus receperant, audiens variatas, & ex parte maxima laceratas; ut malivolos castigaret, & ad statum Imperialis honoris omnia reformaret, terram cum copiis intravit. Nam fratres duo, scilicet Dyetmarus & Fridericus, filii Dietrici Marchionis Senioris (filiastri Fridrici II. quondam Imperatoris) terras sorte dividentes, Marchionatum Misnensium Fridricus, Lantgraviatum Thuringiæ Dyetmannus [1] sortitur. Qui cum placide vivens, uxorem habuit filiam Ducis Brunzwicensis, sanguinis severosi; Fridricus autem insolescens Meinhardi Ducis Karinthiæ filiam habuit, & contra se Nobiles provocavit, ita quod Regem [2] & terram promitterent se daturos. Et Marchio quidem primo, & suæ partis terricolæ metuens [3] Romani nominis excellentiam, & tantæ super se irruentis multitudinis potentiam, Regi se subjiciunt, & dicere videbantur: *Salus nostra in manu tua est; respiciat super nos Dominus noster, & læti serviemus Regi.* Nihilominus injuriam fieri sibi occultis sibilationibus mussitavit. Rex exactis sine sanguinis effusione omnibus, propter quæ venerat, cuidam nobili & potenti Dapifero de Rotenberg terræ procurationem commendans, ut judicium & justitiam omnibus faceret, pacem foveret & diligeret, hortabatur: & exiens de terra pro tunc, ut eam melius in posterum ordinaret suo tempore reditus. Dapifer autem Re-

[1] *l.* impingentibus

[1] *al.* Dyetmarus *ut supra.* [2] *f.* regnum [3] *l.* metuentes

ge egresso, immemor pactorum & datæ fidei, A Marchionum in statum pristinum relevavit, insistente & procurante Dyetzmanno Lantgravio Thuringiæ fratre suo, & conciliatum cum adversariis ad dominium instauravit. Rex hoc audiens mirabatur, & narrantibus vix credebat; veruntamen militem prius stipendiatum adnuntiat, ad ulciscendam injuriam & fraudulentiam secundario terram intrat. Marchio jam cum incolis terræ concors factus, castra munit milite, ac ut occurrat hostibus, se componit, fratre Lantgravio sibi strenue adhærente. Rex vero terram circumquaque aggressus, incendiis ac spoliis demolitur. Occurrit Marchio, & partibus in bellum acuminatis, cordibus agitatis fit congressio satis dura: & diu sub volubili rotagio certatum est, donec terricolis prosperitas arrideret, & exterorum acies conterereturtur. Ex quibus alii occiduntur, alii vulnerantur, alii captivantur; & sic acies inclinante populo provinciæ. Rex considerans, quod varius prælii sit eventus, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius (& sicut dicit Kathedra militaris: In aliis rebus siquid erratum est, potest postmodum corrigi; præliorum delicta emendationem non recipiunt, cum pœna statim sequatur errorem;) animæquior factus de captivis redimendis sollicitudinem maximam gessit. Inter famosos ibi Purgravius de Norenberg cum multis aliis captus, & terminus induciarum ad redeundum [1] juxta conditionem pactorum intercurrentium assignatus. Marchio etiam, fratre in civitate Liptzkensi in Fratrum Minorum Monasterio & non longe post defuncto, Thuringiam est adeptus. Hoc in tempore Rege ad propria jam reverso, Hainricus Abbas Villariensis, cujus habita est mentio in præmissis, venit in Austriam nuntius directus, petens Elizabeth filiam Regis Theobaldi Lothoringiæ filio in uxorem: cujus legatio utrobique dignis honoribus compensata, solemnibus nuptiis ad effectum desiderabilem est producta. Quæ genuit filium, Rudolfum nomine, qui hodie feliciter dominatur, & filiam, quæ Johannis Bohemorum Regis filio ex secunda conjuge sociatur, & utrobique Francorum Regum sanguini vicinatur. Hoc etiam tempore Rex D Franciæ & Rex Angliæ omnes Judæos a regnis suis expulerunt, & bona eorum ad usus proprios redegerunt: quia contra Christianos in partibus transmarinis gentilibus adhæserunt. Rex autem Franciæ quinquaginta cives villæ Parisiensis suspendi præcepit ante portas, quia Flandrensibus favorabiles videbantur. Insuper per diversas partes regni omnes Templarios captivavit, & redactis bonis eorum in suum fiscum, quinquaginta ex eis vel amplius concremari præcepit, & morte horribili tormentari, sicut fertur: bona eorum desiderans, avaritiæ & invidiæ facibus inflammatus. Articulos autem contra eos habitos, & suo tempore probandos ad eorum delectionem, notavimus in scriptis. Quam convenienter dicit de hoc Anshelmus:

O quantos Regum patiuntur corda tumultus,
Quotque procellosis motibus ipsa fremunt!

[1] *f.* redimendum.

De Obitu Rudolfi Regis Bohemiæ, successione Ducis Hainrici, & Subactione Karinthiæ. Cap. LXI.

MCCCVII.

Rudolfus Rex anno secundo regni sui morbo dissenteriæ (sicut fertur ab aliquibus) gravatur, & in die S. Vdalrici in Praga ultimum diem clausit, relinquens conjugem imprægnatam: cujus mortem pater & mater atque conthoralis inconsolabiliter lamentabantur: quorum fletum sicut quondam super Hectorem mortuum a patre & matre & conjuge possumus autumare, ubi dicitur:

O quantos Priamo lux attulit ista dolores,
Quos fletus Hecubæ, quos simul Andromachæ!

Relicta ejus in viduitate permansit, & subducta filio, partem sui dotalicii in usus ecclesiarum atque pauperum misericorditer dispensavit. Novissime Cœnobium Sanctimonialium extra portam urbis Prunnæ construxit, in quo Dei servitio seipsam constrinxit, ibique transiit ex hac luce. Rudolfus itaque Pragæ solemnibus exequiis subterratur. Et Hainricus Dux Karinthiæ iterum advocatur, civitates ei reseruntur, ubique suscipitur cum honore: & ordinatis Castellanis & Officialibus per castella & civitates ex his, quos secum abduxerat, regnum potentialiter possidebat. Rex Albertus nurum gravidam in Austriam vocat, finem ei statuit præstolandum. Quæ dum filium peperisset, hæredem regno genitum asserens, militem instruit, Bohemiam intrat, omnia usque ad fodinas Butinarum sicut prius ad ultimum demolitur; in quo opido vir strenuus Chunradus de Awenstain præsidiatum tenuit, eoque agente cives fossatis & muris opidum in brevi fortissime munierunt, & Regi viriliter restiterunt. Et dum nocivæ hyemis instaret violentia, & Rex cum suis nimia victualium urgeretur inopia, opportunius tempus expectare volens, ad urbem Noricorum, relinquens Bohemiam, properavit. Interea mandat, ut Karinthia & Carniola invadantur. Ulricus de Walsee Capitaneus Stiriæ ad Regis jussum, & Fridrici Ducis Austriæ, qui major natus fuerat, & fratribus præerat atque terræ, Chunrado Præsule Salczburgensi in persona propria se offerente & cooperante, terras in brevi tempore subegerunt: quia potentiores terræ cum Hainrico Rege in Bohemia versabantur. Carniolam Hainricus Comes Goriciæ, assistentibus sibi Comitibus de Ortenburg, & Sclavicæ gentis potentibus suis affinibus, subjugavit. In utraque terra maxima desolatio facta est, quia disturbium hoc messis tempore agebatur. Præsul Salczburgensis castrum, quod Rabenstain dicitur, in oculo suo, frequenter de Frysaco exiens vidit quasi trabem, suisque intrantibus & exeuntibus metuendum, quod quidam ex parte Ducis Chunradus de Schrankpawm in custodia conservabat. Qui recepto traditionis pretio, cum Præsule inivit commercium occultum, castrumque tradidit: quod sine mora ad solum usque dirimitur, & sicut hodie cernitur, penitus dissipatur. Moxque ad quendam monticulum lapidibus ejusdem castri devectis, munitio, quæ Altenhofen dicitur, incho-

choatur, & muris ac turribus circumcincta usque in ditionem Præſulis reputatur. Fertur, & audivimus ab his, qui viderunt, quod idem Chunradus de Schrankpawm dignam acceperit mercedis retributionem: nam miſere poſtea vixit, turpiter expiravit, & crepuit medius, donec vitalem ſpiritum exhalaret. Ulricus de Walſee ſtatutis in Karinthia officialibus & Præfectis, Sacramentis civium receptis, in Stiriam eſt reverſus. Comes vero Goriciæ, & de Ortenberg, ea quæ aquiſierant in Carniola, auctoritate Ducis Auſtriæ, & propria, in Caſtellis & munitionibus ad placitum diſponebant, eaque pro ſuis ſtipendiis multo tempore retinebant; & ſic Karinthia ac Carniola Duci Auſtriæ ſubjugantur, & ejus nutui ac ſtatutorum officialium famulantur.

Hainricus autem Bohemorum regnum tenuit, in quo ſatis remiſſus & deſes fuit, ſuisque multa contra monaſteria, Clerum & terræ populum agere permiſit, nec eos aliquando pervertit;[1] & propter hæc ſibi plurima offendicula, invidiam & inimicitias ſuſcitavit: unde mortis ſibi poculo propinato, orbatione unius oculi vix evaſit. Bellum etiam repentinum a territis in ponte Multæ fluminis Pragæ conſeritur contra ſuos, quorum quidam captivati & vulnerati, cicatricibus ſuorum vulnerum ſuæ probitatis inſignia impoſterum oſtenderunt. Deo etiam annuente, ſibi ſuisque pene inermibus ſors favebat, ut quadam die pauci plures fugarent, & partis adverſæ vir nobilis de Wartenberg equo ſedens, prælii [2] in manibus tenens, celerius expiravit: aliis territis & fuga lapſis, Rege ſpectante deſuper & Regina. Deinde reconciliatione facta ad tempus, populus unus ſunt effecti, ipſeque Rex conciditur vulnere ſuper vulnus: quia Karinthiam perdiderat, & quod regnans pravorum inſolentias compeſcere non valebat, quotidieque adverſarios & ſervitia non voluntaria ſentiebat. Alias quidem corporis fortitudine & pulcritudine, pietate ac libertate animi decoratus, ſi ſeverior ad emendationem exceſſuum extitiſſet, malos evellere, deſtruere, diſſipare, diſpergere; bonos ædificare & plantare præſumpſiſſet: quia juxta Boëtium, qui ingenuum agrum voluerit ſerere, debet arva prius fructicibus liberare, falce rubos & ſilicem reſecare. Eodem anno die Jovis in feſto Inventionis S. Stephani in aliqua parte Stiriæ pluit caro ſparſa & quaſi cocta, attamen cruentata: & particulæ ejusdem carnis erant in quantitate unius parvi digiti vel paulo minores, ſaporem habens abominabilem, & nauſeam excitantem, ſicut experti ſunt, qui lingua lingendo guſtaverunt.

De Morte Alberti Regis Romanorum. Cap. X.

MCCCVIII.

Rex contra Miſniam & Bohemiam gerens animum acerbatum, qualiter eorum contra verſutiam & fraudulentiam declinaret, gladium acuit, arma inſtruit, militem allicit, regni civitates circuit, propoſitum aperit. Et ſic luſtrando in civitatem, quæ dicitur Wintertur, introivit, Ludwicum Ducem Babariæ ſororis filium, Petrum Moguntinum Epiſcopum, Leupoldum filium ſuum, Spirenſem Præſulem, Johannem Ducem fratris ſui filium, cum pluribus nobilibus curiam ſuam ſectantibus, ſecum habens. Erat autem vernum tempus III. Kal. Maji, Sole in tauro ante geminos, ſed gyrante in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi, cunctis terræ germinibus vireſcentibus. Rex dum ad menſam conſideret, ſingulis ſerta poſuit, ſuper omnes jocunditatem & exultationem theſauriſare geſtiebat. Johannes autem Dux, dum Rex eum alloqueretur, ut operam daret lætitiæ, reſpondit: O Domine Rex, dudum tutor fuiſtis pupillatus mei: nunc elapſa infantia ramos apprehendi floridæ juventutis. Non ſertis puerilibus mihi æſtimo meum Dominium reſtauratum, ſed ſicut vos crebrius ſum hortatus, adhuc ſupplex poſtulo, mihi mea reſtitui; ut & ego nomen & actum Principis valeam exercere. Ad quem Rex: Salva tibi ſunt omnia tua, bone nepos, nec ſub noſtra tutela diminutionem ſuſceperunt; ſed, ut in reſignandis tibi breviter experieris, amplius propitiante Domino profecerunt. Rex ulterius tranſiturus, pervenit ad aquam, quæ Ruſcha dicitur, & primus navem cum Duce Johanne & quibusdam aliis apprehendit, ſeque cum eis præcipit mox transponi, cæteris in alio littore navis reditum expectantibus. Rex cum Johanne, & ſui voti complicibus, ſcilicet de Palma, de Warta, de Hescelpach Nobilibus, cum colloquiis ſolatioſis paulatim clivum montis aſcendit, inſcius verſuum Perſii, qui dicit:

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, o pueri fugite, latet anguis in herba.

Prædicti autem filii Satanæ Ducem juvenem ſurro clandeſtino alloquuntur: Ecce dies, quam ſæpius exoptaſtis! ecce locus deſideriis veſtris aptus! qui animatus in frænum Regis irruit, & eductum pugionem truſalem [1] pectori Regis infixit, lætalique vulnere ſauciavit, ſubminiſtrantibus ei viris impiis. Rex circumſpiciens exclamavit, nec fuit qui adjutorium ferret ei, & ſic ebulliente ſanguine ad montis planitiem venit, ſubſequentibus aliis, ac cum maximis clamoribus ac ſtrepitu ſonipedum accurſantibus. Spirenſis Præſul in gremium capiens jam deficientem, ejulatus & ploratus omnium invaleſcit; ſicque in manus Domini Spiritum commendavit. Ecce Joab Amaſam cognatum ſuum, ſalutatum oſculo, gladio interemit, & in via mortuum reliquit! Auctores hujus ſceleris ad caſtra ſua divertunt, & Johannem, omni derelicto filio [2] ſpe vacuum, pondere tanti facinoris onuſtum, ſuæ ſalutis dubium abegerunt. Leupoldus Regis filius conſtrictos Regicidas illos miſerabili morte (rotarum inflexionibus) de terra viventium exterminavit, bonaque eorum, uxores & pueros quaſi avulſarum arborum ſurculos radicibus [3] extirpavit. Igitur per totum luctu confinium excitato, corpus Regis ad Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis hinc non longe poſitum, quod Maris-Stella (alio nomine Wettingen) dicitur, transportatur, ibique pro tempore collocatur, ſed poſt ad ſepulcrum Regum in civitatem Spirenſium eſt translatum. Hic Rex a militibus ſpecialiter plorabatur; di-

[1] *f.* prævertit [2] *deſt forte* vexillum, *aut quid ſimile*

[1] *f.* truſatilem [2] *ita Cod. MS.* [3] *l.* radicitus.

cen-

centibus: Arma bellica perierunt, ſtipendia militantium languerunt: quia ſubductus eſt, qui bellicas res amavit; pauperes milites ſublevavit, amicis lenis, adverſariis gravis, probos diligens, improbos coercens. Immaculatum thorum ſuum retinens, nullum quaque noxa reum ad ſuam curiam venientem offendens, hanc virtutem filiis relinquens. Improperia patienter ſufferens, injurias ſemel dimiſſas nunquam revolvens, furorem pectoris contegens, juxta quod Caſſiodorus: *Decet quemque, honorem quem gerit, nomine & moribus exigere.* Ebortſtain (alio nomine Fons-Regis dictum) Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis in Swevorum partibus fundavit. Decem filios vivos ſuperſtites reliquit, quorum nomina ſuperius ſunt expreſſa. Regina aſtipulatione puerorum in loco mortis ſuæ Monaſterium S. Franciſci Fratribus & Sororibus ejusdem profeſſionis, quod Campus-Regis [1], ædificavit, & ſummum altare in loco, ubi Rex expiravit, in æternam memoriam collocavit: ubi ipſa ſe & pueros recondi, poſt hujus vitæ terminum deputavit. In quo Agnes filia Regis, quondam Regina Ungarorum, primarium ipſius fundationis lapidem ſe ipſam in Dei ſervitio mancipavit, ibi degens, ſexageſimum fructum faciens, alteram Thabitam, plenam bonis operibus & elemoſinis ſe exhibens, & omni die ac nocte vacans orationibus, a templo Domini non recedens, exemplum humilitatis & pietatis omnibus usque hodie demonſtrat. Cujus laudes non eſt neceſſarium explanare, quia Sidonius in quadam Epiſtola dicit: *Supervacanei laboris eſt, conſpicuos commendare, ac ſi fax in ſole ambulantibus præferatur.* Hoc anno circa feſtum beati Laurentii tantus ventus ortus eſt in Stiria, quod multas fortiſſimas arbores funditus cum radicibus evertit. Hoc tempore etiam Eccleſia Lateranenſis Romæ fulmine cremata eſt.

[1] *ſupple* dicitur.

INCIPIT LIBER QUARTUS
DE
ELECTIONE HAINRICI COMITIS DE LUCZELBURG.

Cap. I. MCCCIX.

QUo [1] Rex Albertus occubuit, per mortem Dieteri [2], qui fuit frater Regis Adolfi, cæpit vacare Eccleſia Treverenſis. Fuit his diebus in Regno famoſus Hainricus Comes de Luczelburg, qui terram ſuam quibuslibet tranſeuntibus pacatam & valde ſecuram conſervabat: cujus Albertus Rex adhuc vivens ſæpius memoriam habebat, & de ſucceſſione ejus in regno, ſi ipſe ſubduceretur, crebrius revolvebat. Hic autem vir in rebus ſæculi exercitatus, fratrem habuit admodum juvenem [3] Balwyenum in Francia ſtudiis liberalibus inſiſtentem. Procurante autem fratre, cum Rege & Regina Franciæ pro eo poſcentibus, ætatem bonis moribus ſupplentibus ac illuſtrantibus, ad prædictæ Sedis Pontificium eſt aſſumptus, & in civitate Pictavis [4] Papam Clementem ſolemniter conſecratus. Præſul vero Moguntinus Petrus celeres nuntios dirigit, ut Balwinus ruptis omnibus retinaculis veniat, quia Regnum vacans ejus præſentiam præſtolatur: ſimiliter & aliis proceribus demandavit, tempus præfigens ad locum debitum veniendi. Hainricus autem habens duos, Moguntinum & Treverenſem, ſuæ partis Præſules, tertium Colonienſem per pacta interpoſita ſuper connubio quodam ad volita ſua flexit. Deinde Moguntino agente, Ducem Saxoniæ & Marchionem de Brandenburg ad conſilium ſapientum, qui eos rexerant, juvenes perſuaſionibus & precibus ſibi devinxit, ut pene jam per omnes ſui intenti obicem non haberet. Miſit etiam ad Hainricum Bohemiæ, inſiſtens & petens, ut annueret ſuis votis. Rudolfus etiam Palatinus ad eum deſtinavit [5], ammonens, ut memor conſanguinitatis, honoris ſui titulum confoveret. Similiter ad Colonienſem nobilem virum Comitem de Bruneckch, qui quondam in prælio Adolfi ac Alberti Regum claris reſplenduit actibus, ad ſuum impetrandum aſſenſum direxit, ſupplicans, ut aſſiſteret ei, & ſua deſideria promoveret. Præſul autem Colonienſis reſpondit, ſe alias jam conſtrictum, nec poſſe priora promiſſa aliqualiter temerare. Hainricus autem Rex conſilio ſuorum reſpondit, nec Hainrico Comiti, nec Rudolfo Duci poſſe ſecundum quod petierant favere, eo quod ſtatus regni taliter ſe haberet, ut junius amicitiam conquirere, & alterius benivolentiam abjicere nullatenus æquum eſſet. Sic medius reſidens, neutri parti voluit complacere, in ſui ipſius maximum detrimentum. Igitur in pomærio Renſe [1] ſuper littus Reni ſecundum conſuetudinem prehabito tractatu & colloquio omnium præſentium, & per ſuas reſponſales abſentium, deinde in Frankenfurt in feſto beati Galli in Hainricum Comitem favor & conſenſus omnium devolvuntur, ſtatimque Princeps Rex Romanorum cum laudibus decantatur.

MCCCX. In Epiphania Domini Hainricus cum Margaretha conſorte, quæ filia Ducis Brabantiæ fuerat, in Sede Karoli, & juxta ritum hactenus conſervatum, cum celeritate & gaudio coronatur. Conſortem autem hanc ſortitus fuerat in fœdere reconciliationis, dum amicitia & pax inter eos & patrem illius ſuper caſu mortis paternæ, ſicut ſuperius præmiſſum de prælio inter eos habito, [2]: ex qua filium unum, Johannem, & duas filias genuit; Johannes Rex Bohemiæ efficitur; filiarum una Regina Franciæ, altera Regina Hungarorum eſt effecta. Venit ergo Coloniam, ibique maximam curiam celebravit.

[1] *ſupp.* anno *vel* tempore. [2] *ſupple* Archiepiſcopi. [3] *al.* Balduinum. [4] *deeſt* per. [5] *deeſt* litteras, *aut ſimile quid.*

[1] *al.* Renſenſi, *ut infra ad annum* 1343. [2] *deeſt* inita fuit, *aut hujusmodi.*

bravit, civesque ad gratiam accipit, quorum prædicti prælii causa fuit. Confluentibus ad eum circumquaque Nobilibus privilegia innovavit, feoda concessit, & alia quæ ad novitialis hujus honoris actum pertinent, sapienter & provide pertractavit. Mox ad Papam Clementem dirigit solemnes Nuntios, qui quoniam ejus notitiam aliqualiter habuit, electionem approbavit, & confirmatum ad coronam Imperii invitavit. Deinde in Spiram, & civitatem Babenberg, Herbipolim, Augustam, Regni districtus deambulans, curias celebrans, venit Nurnberg: & Duces, Marchiones, Comites ac Nobiles cum Prælatis & Episcopis adventantes, sua feoda atque regalia cum solemnitatibus ad hoc pertinentibus suscepérunt, & fidelitatis juramenta servare Imperio promiserunt. Plura etiam pro conservatione pacis per universum Regnum statuit, & de omnibus, cujuscunque conditionis & status essent, qui Regnum turbaverant spoliis vel aliis excessibus, gravium sententiarum judicium diffinivit. Et ut in partibus illis brachium suum roboraret, Rudolfo filio Palatini unam filiarum suarum desponsavit: qui quidem parvus fuerat, & in flore puerili sublatus; ne malitia mutaret intellectum ejus, & fictio deciperet animam illius, juvenculam Regis filiam thoro alterius dereliquit. Rex vero exhibuit se in omnibus locis, justum Judicem, & pauperum defensorem. *Justitia enim & pietas*, ut dicit Isidorus, *duæ præcipuæ sunt regiæ virtutes.* Et Horatius... *Pueri ludentes, Rex eris*, [1] *Si recte feceris* [2]. Et addit... *Puerorum nænia, quæ regnum recte facientibus offert.*

In isto tempore Clemens V. Papa constituit per diversas provincias a fidelibus elemosinam congregari, pro subsidio Terræ Sanctæ: nam Christiani in terra sancta plura bella cum Sarracenis habuerant. Ex pronunciatione tali maximus populus Teutonicorum signaverunt se cruce, sine Duce & rectore euntes, & sic catervatim cum vexillis dixerunt se ire in Jerusalem pro redemptione. Eodem anno in pluribus partibus Carniolæ quoddam novum genus locustarum apparuit, majores quantitate corporis, quam locustæ in terra solitæ & notæ, innumerabili multitudine, replens terram semper in quantitate unius Lombardici milliaris, totam devastando, antequam in loco alio se reciperet; volando vero operuit solis radios ad modum unius magnæ nubis. Hoc anno Clemens V. cum sollicite cogitavit Terræ Sanctæ pro redemptione, recepit a Soldano Babiloniæ litteras, diversas blasphemias continentes, quarum præcipua erat per hæc verba posita: Crucifixus tuus bajolans lignum, sicut dicis, ad locum supplicii, terram nativitatis propriæ minime salvare potuit: & tu cum signo ejusdem ligni sine tecto nostras munitissimas civitates, tollere quæris, qui nec propria poteris retinere? Puto, quod annorum curricula nondum venerint, quibus regnum Judæorum redire debeat, & gentium dissipari multitudo, & multæ aliæ blasphemiæ:

[1] *supple* ajunt.
[2] *leg.* facies.

De Oppositione Australium & Bohemorum circa Principes suos. Cap. II. MCCCIX.

Anno supra dicto venit Rex in Spirensium civitatem, postquam facta regia in Nurnberg expedivit. Venerunt autem ad eum Nobiles, qui recognitionem nondum fecerant suorum jurium, regiis se aspectibus præsentantes, gratiam postulantes. Fridricus autem Dux Austriæ cum quadringentis militibus sub apparatu vestituræ uniformis valde glorioso venerat & pompose, patris mortem querulans, judicium nomine suo & suorum fratrum postulans, investituras terrarum inquirens; quibus adjici Moraviam, eo quod eorum terris contigua adjaceret, si convenienter posset fieri, flagitavit. Rex responsionis ordinem distulit, & Fridrico expensarum pondus aggravavit, quousque sarcinam dimissis aliquibus militibus leviavit. Audientia & expeditio dum sibi procrastinaretur, Moraviam submovit, sicque de aliis investitur. Sed & terra Johannis pro nuxa suorum reatuum sibi & fratribus est adjecta, promissa (ut fertur) & postea soluta pecuniæ maxima quantitate. Corpus Adolfi Regis, Alberti corpori in conditorio Regum Rex devotissime & regaliter, cum fletu multorum ibi existentium, contumbavit. Nobilem virum de Wirtenberg Eberhardum, qui sub priscis Regibus in Regno plures & enormes insolentias suscitavit, acriter ibidem convenit, ita ut ille aversa facie responderet, regiaque hortamenta parvipenderet; cum conductu tamen regiæ securitatis, sine Regis gratia, ad propria remearet, cujus manum validam postea est expertus. Fridricus autem Dux dum in his moram traheret, cervices contra eum quidam Australium erexerunt, promulgantes undique, eum Regis gratiam non habere, sed anxium & gravatum stare, regiumque animum sibi aspere indignari. Conflati [2] autem tale aliquid sunt moliti, & conspiratione facta ad se loca & opida plura trahunt, interpretantes accidentia Principis dilationemque sui reditus ad pejora. Civitas etiam, quæ Nova dicitur (quæ limes est Austriæ, Stiriæ & Hungariæ) jam pactis habitis cum eisdem, rei exitum expectabat. Ferebatur, quod ad hæc a Duce Ottone Babariæ, super quem se fundaverant, armabantur, eo quod ipse per Albertum Regem detrimentum calumniæ & expulsionem a regno Hungariæ sit perpessus. Nunciata sunt hæc Ulrico de Wasse Capitaneo Stiriæ, qui fide & opere bene audiens, de Karinthia, Stiria & Hungaria copias adunavit: & veniens irruit super adversarios Principis repentine, & cæsis captisque plurimis, destructis eorum munitionibus, recuperatis perditis, patriam liberavit. Fridricus rediens virum fidelem extulit, in perfidos judicia exercuit ignominiosa, invectiva & aspera, in reliquumque terras mundas ab omni labe prurigineque perfidiæ conservavit. Nobiles Bohemorum de Lyppa, de Wartenberg, de Leuchtenburg cum quibusdam Abbatibus religiosis ad Regem veniunt Romanorum, Hainricum Ducem Karinthiæ, suum Regem de facto, non de jure, existere protestantur, nec bene

[1] *ita in Cod. MS.* [2] *i.* conspirati.

nec provide regnum eum regere, ſed negligenter agere querulantur. Venimus, inquiunt, patriæ civibus, regni utilitatibus conſulentes. Proſpicite & ſuccurrite ſecundum humanitatem veſtram undique promulgatam: quia quamdiu ſupereſt Hainricus, impoſſibile eſt pacem in regni negotiis ſtabiliri. Et ut deſideratum effectum res ſortiatur, filium veſtrum filiæ Regis noſtri, quæ Elizabeth dicitur, & ſupereſt ſola inmaritata, de tribus juvenculis ſpecioſa, copuletur, & in Regem Bohemiæ declaretur. Rex dimmiſſis nuntiis, Comites de Schelkingen, de Henenberg, de Hohenloch ad regnum de ſingulis inquirere veritatem miſit, qui venientes per Chunradum de Auffenſtain ac cæteros Hainrici Officiarios capiuntur, ſed poſt quinque dies, factis ſponſionibus, dimittuntur. Poſt hæc puella in Spiram ducitur, ibique inter eam & Regis filium nuptiæ cum gloria celebrantur: Johannesque Rex Bohemiæ publice proclamatur, gaudente & tripudiante populo Bohemorum. Et Rex quidem, regni negotiis intendens, qua vi & quomodo in regnum filium poſſet dirigere, cogitat. Fridricus autem Dux Auſtriæ prioris offenſæ aculeum contorquens in Ottonem Ducem Babariæ, quod Scharding obſideret, quod olim pater ſuus reconnectere Dominio ſuo attentavit; Otto obſidionem ſolvere volens, forti manu ejus properat in occurſum, & metatis adverſum ſe tentoriis, quotidie prælium machinatur. Sed Fridricus validiſſime infirmatus, ita ut a pluribus mortuus putaretur (licet circumduceretur, ut vivus ab omnibus videretur) cuneos disjungit, & debilis in Auſtriam eſt perlatus; mittitque ad Hainricum avunculum ſuum in Bohemiam, indicans, ſe ſuæ amicitiæ velle cum fratribus conformare, & in conventionem pacis perpetuæ convenire, & ablatas terras reſtituere per convenientia dictamina placitorum. Quibus, quia Hainricus in Bohemia anguſtatus non valuit intereſſe, Otto Dux frater ejus venit de partibus Atheſis in Villacum: ubi de ſumma, quam ſuper Carniolam, Duces Karinthiæ habuerant, Regina matre Ducum Auſtriæ, & ſorore Ducum Karinthiæ agente, tantum extitit defalcatum, ut tantum ſex millibus marcarum eſſet a Ducibus exemenda. Tam his, quam aliis tractatibus habitis, & reconciliationis fœdere atque æterna amicitia firmata inter eos, Karniola atque Karinthia ad priſtinos redierunt poſſeſſores. Officialibus Auſtralibus ad ſua loca redeuntibus, terræ ſicut prius ad Ducum Karinthiæ providentiam ordinantur. Dux etiam Fridricus alta traxit ſuſpiria, ſciens avunculum in Bohemia turbatum, quod ei ſuccurrere non valebat propter Romanorum Principem, quem timebat: ſed nec amicorum aliquis quidquam ad hæc facere præſumebat, nec de ſuis quisquam amminiculum cujuscunque ſolaminis offerebat. Cui videntur competere verſus Ovidii, qui dicit:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora cum fuerint nubila, ſolus eris.

Iſto anno Lewben civitas Stiriæ a proprio igne fere per totum eſt exuſta.

De Expulſione Hainrici Ducis, & firmatione Johannis filii Regis in regno Bohemiæ.

Cap. III. MCCCIX.

Anno ſupradicto Rex filium ſuum in Bohemiam cum copiis dirigit, & cum eo Petrum Epiſcopum Moguntinum, Rudolfum Palatinum, Comitem de Ottingen, Fridricum de Nurenberg Purgravium & filium eis fideliter commendavit. Quo comperto Hainricus Marchionem Misnenſium, ſororis ſuæ filium, advocat: qui cum ſexcentis armatis veniens, non modicum cum his, quos habuit Hainricus, adverſarios terrebat, & a civitatum introitu coercebat. In civitatibus autem ſciſſuræ ac diverſitates partium ſunt repertæ. Præſul autem Moguntinus treugas ſtatuit, in quibus Pragenſes Johanni portas aperiunt, & ſuſcipiunt in novum Regem. Marchio cernens invaluiſſe Regis filium, de inveſtitura terræ ſuæ, quæ adhuc hærebat in pendulo, promiſſa recipiens certitudinis (patre eum revocante) dolens & anxius, quod avunculo adeſſe non debuit, ad propria eſt reverſus. Qui Juvenis aurea pulcra cæſarie, venuſta facie, uno claudicans pede, non longe poſtquam rediit, prope civitatem Lyptzkenſem in provincia ſua, quæ Oſterlannd dicitur, ſuper aquam, quæ Alſtra vocatur, circa longum pontem confoditur, & moritur in momento. Conſors autem Hainrici Anna, æque Regis Bohemorum Wenczeslai filia, ad pedes Moguntini procidit, ſecurum exitum poſcens a regno, quam duplex mæror anxiavit. Primus: quod a ſorore, quæ jam Regina habebatur, evectionis ſubſidium neque in curribus neque in equis habere potuit pro ſe, neque pro puellis, neque pro earum ſarcinolis deportandis. Secundus: quod Dux Rudolfus Palatinus mariti conſanguineus ad conducendam eam ſuam comitantiam denegavit, dicens, ſi ei, vel avunculo adeſſet, gratiam Regis amiſſurum. Veruntamen Comes de Otting Vir nobilis, & Fridricus Purgravius huic dolori ſtrenue ſubvenerunt: & accepta Domina cum omnibus ſuis utenſilibus, & Hainricum cum omnibus ſibi adhærentibus, inæſtimabiliter flentibus & querulantibus, extra regnum, ubi timor jam non fuerat, perduxerunt; & ſic Hainricus cum conſorte a regno Bohemico profugatus, & rediens ad montana, amplius Bohemiam non intravit. Præſul itaque Moguntinus cum nobilibus terræ in præſentia omnium, qui advenerant, Johannem Regis filium in throno regio, habentem annos quatuordecim, collocat, & ſolemniter conſecratum auctoritate Romani Imperii confirmavit. Pro informatore quoque & educatore Comitem de Hennenberg deputavit. Hainricus autem ad montana rediit, & Ducatum Karinthiæ atque Comitatum Tyrol deinde quiete poſſidens cum Carniola ſibi impignorata nihilominus regni Bohemiæ titulum usque in diem ſui obitus non dimiſit: & veniens ad Karinthiam, inſtinctu officialium, ad ſublevamen ſuæ penuriæ Monaſteria & Eccleſias talliavit, quod ante eum fieri non conſuevit.

[1] *ita Cod. MS.*

Rex

Rex ab urbe Norenberg transiens, cum Regina venit in Civitatem Aureatensem (quæ nunc Eychstetensis dicitur) ab Episcopo Philippo invitatus: ubi corpus venerabilis quondam ipsius loci Episcopi Gundakeri noviter elevatum de terra, oleum mirifice redolens stillans, pluribus miraculis coruscavit. Rex meritis Sancti Præsulis se & Regni negotia commendans, transiit in Augustam: ubi post gaudium & solemnitatem maximam, diffinitis pluribus causis cum Nobilibus circumsedentibus, de pace & concordia sollicitus valde existens, super civitatibus præcipue & mercantibus, ut pacifice transirent, pio animo intendebat. Deinde quosdam Nobiles, qui pacem regiam in illis finibus temeraverunt, & bigas civium cum pannis Flandrensibus abduxerant usque ad inferiores partes Reni, persequi mandavit; & prædonum decapitatione ablata omnia in integrum præcipit dominis suis reddi; Quia tutela & procuratio Reipublicæ, ut dicit Tullius in libro de Officiis, ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus committitur, est gerenda. Interea Præsul Moguntinus & hi qui missi fuerant, revertuntur, nuntiantes Regi, filium in regno confirmatum; Hainricum cum omni familia sua ad propria rediisse. De quo rotatu fortunæ accipitur; quod in Boëtio dicitur: *Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus, hanc volubilem orbe rotam versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Sed revera juxta Tullium: *Ei non multum obesse potest fortuna, qui firmius in virtute, quam in casu præsidium collocavit.* Et Seneca: *Ego fortunam nec venientem nec recedentem sentio; ego terras omnes tanquam meas video, & meas tanquam omnium.* De utriusque tam Hainrici, quam Johannis successibus inferius est notatum.

De Præparatione Regis in Italiam, & Curia Marchionis de Brandenburg.

MCCCX.

Rex venit in Spiram, & accersitis Regni Nobilibus, quos de Regni corpore habere poterat, stans in loco eminentiori, concionari ad omnes cœpit: Scitis, inquit, quod Imperialis gloria a multis temporibus, scilicet sublatione Fridrici II. usque hodie oblita, regno & Imperio de omni parte mundi, præcipue apud Italiam, maximas scissuras, detrimentum ac scandalum, ac quasi sint sub terra, confusionis nubila, dissidia, controversias ac latrocinia in nostro climate parturivit. Nempe defluxa a transitu Fridrici sexaginta circiter annorum tempora hoc testantur: civitates a civitatibus, a populis populi bellis civilibus colliduntur, inter Regnum & Sacerdotium aversio diutina terras, regna & populum ab Imperio sacro scidit: quia non erat, qui se murum interponeret, vel cujus timore, maxime in Italia, præmissæ discordiæ sopirentur. Suadelam summi Pontificis cum nuntiis plurimarum civitatum Lombardicarum, Tuscanarum & Italicarum ad resarciendam collisionem hujus mundi recepimus nos vocantem, & prospera nobis cum exhibitione benivolentiæ dulciter exoptantem, ad coronam Imperii specialiter invitantem. Vires nostri corporis exponemus, animum offeremus, dulce nomen patriæ, amicos domumque propriam & pueros relinquemus. Unum est, quod impedit tantum bonum, sine quo nihil agere valemus, scilicet, cooperatio & subsidium regnicolarum: quibus necesse erit nostrum brachium roborari, consiliis & informationibus sapientum in omnibus informari. Ad quod differenter universi conclamare cœperunt, sicut quondam Regi David simile aliquid pro statu regni sui tractanti lætanter populus applaudebat, dicentes: Tui sumus o David, & tecum erimus fili Isai. Confortare, & esto robustus, te enim adjuvat Dominus Deus tuus. Taxatis autem & indictis per singulas civitates Officialibus, ad curam regni Provinciales statuens & advocatos, præcipue contra Eberhardum, contra Wirtenberg, impendia civitati Ezzlingensi sufficientia designavit: Quæ quidem civitas a prædicto Eberhardo conturbata plurimum, & contempto statuto sibi Capitaneo Comite Goczone, Castra, civitates, possessiones ejusdem & prædia pene omnia usque ad duo castra, qui remanserant, dissipavit; & si Imperatori vita longior extitisset, in toto penitus periisset. Post ejus transitum de hac infirmitate convaluit, Regnum [1] in reliquum semper potentiam formidavit. Rex igitur civitates undique circumlustrans, eas ordinavit, & per singula momenta devote & humiliter Religiosorum orationibus commendavit. Hoc tempore Voldemarus Brandenburgensis, mortuis fratruelibus & patruis, divisum in multas partes totum solus illius tituli obtinuit Principatum, & glorians in fortitudine & magnitudine potentiæ suæ, Curiam celebrem & famosam indixit Regibus & Principibus prope longeque positis, habiturum se nuptias cum filia patrui sui mandans, omnesque veredariis ad hujus solemnitatis gaudium invitavit. Quam quidem tenuit in civitate Marrcina [2], quæ Rostokch dicitur, & est sita in portu, ubi versus Daciam, Sweciam & Norwegiam atque ad partes alias navigatur: in quo etiam navigium terrarum & mercium diversarum de remotis regionibus applicatur. Hac in curia fuit Rex Daciæ cum duobus Ducibus fratribus suis, & immensa multitudine populi terræ suæ: Duces, Comites, liberi Barones, & innumerabiles de Saxonia, Marchiones & Magnates tam de illis, quam de exteris partibus, quorum numerus vix poterat æstimari. Marchio manibus Regis Daciæ miles cum magna decentia insignitur, mille sexingenti tyrones in tyrocinio hoc novæ militiæ cingulo per Marchionem cum pompa maxima decorantur. Ibi Dominarum de diversis partibus formosarum sicut & militum extitit innumerabilis multitudo, quarum fuit incomparabilis pulcritudo. Tentoria per campos elevata, scarleto circumdata, cum operimentis, subselliis atque Stratotiis velut aurum micantia videbantur. Putei pleni vino, cervisia & medone ad potandum; specus repletæ carnibus, piscibus & fomento; naves onustæ speciebus aromati-

[1] ita Cod. MS.

[1] f. Regni vel Regum.

[2] al. olim Lacinium seu Laciburgium.

cis ad corporales explendas delicias habebantur. Quæ quidem gloria poſt hæc in ſavillam breviter eſt redacta. Non [1] propter nuptias illicitas & faſtum gloriæ temporalis ipſe Marchio ſine hærede deceſſit, & ad Imperium totum Dominium hoc devenit. Cui verſus Ovidii poſſumus intonare, qui dicit:

Non violæ ſemper, nec Cinthia lilia florent:
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

De Coronatione Regis in Mediolano. De Duce Auſtriæ Leupoldo. Deſtructione Templariorum.
Cap. V. MCCCXI [2].

Rex in Italiam parat iter. Habuit autem ſecum Leupoldum Auſtriæ inter alios fratres ſuos magni nominis, Treverenſem Archiepiſcopum Baldwinum, & Walramum Comitem, Leodienſem Epiſcopum conſanguineum & amicum, Comitem Subaudiæ: qui ſororem ſuæ conſortis Reginæ habuit etiam in matrimonio. Hic Utinus [3] & familiaris Ligurius neceſſarius eſt, & utilis multum fuit ad negotia contractanda. Quidam etiam curioſitatis cauſa, quidam conſanguinitatis, quidam novitatis propter rei inconſuetudinem, ut viderent quid fieret, ſequebantur. Et tranſiens ad montem Jovis, pervenit Mediolanum, quæ eſt Metropolis Liguriæ: ubi glorioſe ſuſceptus in Eccleſia beati Ambroſii per Caſtorem [4] de Turri Epiſcopum Mediolanenſem cum Regina corona ferrea coronatur. Sed cito obnubilatur hæc ſerenitas: quia gloriam & [5] ignominiam, decus in obprobrium, honorem ad nihilum vertere cogitabat. Nam civitatis potentiſſimus Guido de Turri ſuæ auctoritatis, potentiam in civitate conſiderans inminui, & cauſas civium, & omnium etiam adventantium per Imperatoris judicium & juſtitiam diffiniri, graviter indoluit: & conſpiratione facta contra Regem & ſuos, diſpoſitis fictariis per domus & plateas, Imperatorem & omnes ſecum exiſtentes perimere machinatur. Imperator præmunitus ad arma convolat, per platearum anguſtias ad civitatis planitiem, quam Palczum dicunt, properat, & accurrentibus ſuis ſtrenue dimicat. Quidam Fratres de Domo Teutonica, & præcipue de omnibus unus vir ejusdem Ordinis, agilis & cordatus, lateri Principis adhærens, multis cruentatis & proſtratis adverſariis, Imperatorem incolomem conſervabant. Dux autem Leupoldus extra muros apud Sanctum Gervaſium & Prothaſium habens domicilium, inſcius hujus facti, audito ſtrepitu & clamore, celeriter armis accingitur, & ſicut turbo vehemens urbem ingreditur. Contra quem jacula ſicut ſtillæ pluviarum diriguntur, lapides graviſſimi ponderis, ſcamna, ſedilia a domorum eminentia dimittuntur: & antequam ad Imperatoris ſtationem perveniret, impedimenta difficilia ſuſtinebat. Quo veniente ſol novus refulſit, qui Spiritum jam pene deficientium illuſtravit. Nova bella iterum inchoantur, domus devaſtatur, hoſtium rabies & feritas conculcatur, manus adverſa rigeſcit, brachium tepeſcit, mucro quieſcit, reſ

[1] *l.* nam. [2] *ita Cod. MS.* [3] *ſic Cod. MS.* [4] *l.* Caſſonum. [5] *l.* in.

ſedatur, Imperator victor gloriatur. Auctor hujus ſceleris Gwido in Monaſterium Claræ-Vallis fugiens latuit, indeque a Monachis in vaſe vinario eſt eductus, & miſere poſtea ſupervixit. Imperator Leupoldum diligens pro virtute, in die Epiphaniæ aureo cipho [1] pleno florenis aureis honorat, ſororisque ſuæ Comitis Subaudiæ filiam, Katherinam nomine, conjungi in matrimonium procuravit. Dux ibidem nobilem virum quendam illius provinciæ de Coregio, arma clipeumque Ducatus Auſtriæ per omnem [2] ſimilitudinem gerentem, convenit, dicens, eum a ſe & fratribus per hoc poſſe intrare maximum dedecus & jacturam. Qui reſpondit, ab antiquo ſe audiſſe, patres ſuos a Ducibus Auſtriæ his ſignis pro ſpeciali gratia & amicitia honoratos. Dux contentus, eum ſibi in ampliorem amicitiam devincivit, & conſuetis atque innovatis edigmatibus [3] conceſſit ſecum perpetualiter uti.

Hoc anno Clemens Papa Concilium in Vienna celebrat generale, in quo editæ ſunt conſtitutiones Clementinæ, & deſtructus eſt Ordo Templariorum, ad nutum Regis Franciæ: qui etiam ibi petiit Bonifacium effodi de terra, & tanquam hæreticum concremari. Sed dum totus Ordo Eccleſiaſticus obſiſteret, deſiit ab incæpto. Articulos autem quos habuit contra eos, hi fuerunt. Primus, quod negaverunt Eukariſtiæ ſacramentum. Secundus, quod Reſurrectionem mortuorum non credebant. Tertius, quod infecti fuerint vitio Zodomitico. Quartus, quod intrantes Religionem eorum negare Crucifixum, & in faciem ejus ſpuere compelluntur. Quintus, quod fecerint compoſitionem cum Sarracenis contra Chriſtianos, & civitatem Akaron in manus eorum ſubtile tradiderunt. Et ſic Ordo ille præclarus & lucidus de firmamento Eccleſiæ eſt ſublatus, qui incæpit ſub Chunrado III. & Honorio II. anno Domini MCVIII. Bona eorum aliis Cruciferis ſunt oblata, quæ quidam ex eis recipere recuſabant. Hic replicanda ſunt, quæ in veteribus libris reperiuntur ſcripta, ubi dicitur: Num uno peccante contra cunctos ira tua deſæviet? Nunquid perdes juſtum cum impio? Et ſi in Angelis ſuis Deus reperit pravitatem, ut Job dicit, alii territi purgabuntur. Sic [4] de hoc ſacro ordine ſitum ita fuit, ut aliquid ibi quoad perſonam unius extitit maculoſum, non videtur propter hoc univerſitas contemnenda. Nam de ejus laudibus Bernhardus: vivunt, inquit, in commune plane jocunda & ſobria converſatione, atque [5] uxoribus atque liberis: & ne quid deſit de Evangelica perfectione, abſque omni proprietate habitant. Et redit: Verbum inſolens, opus inutile, riſus immoderatus, murmur vel tenue, ſive ſuſurrium ubi deprehenditur, nequaquam inemendatum relinquitur. Scacos & aleas deteſtantur, abhorrent venationem, nec ludicra illa avium rapina (ut ſolet fieri) delectantur. Mimos, magos, fabulatores ſcurrilesque cantilenas, aut ludorum ſpectacula tanquam vanitates & inſanias reſpuunt & abhomi-

[1] *al.* Scypho. [2] *l.* omnia ſimilem. [3] digmatibus. [4] *l.* ſi. [5] abſque.

nantur.

nantur. Hæc omnia non errorem, ſed diſciplinam redolent Monaſticam, & decorem.

Unum Notabile Incidens.

Eodem anno in Teutonia in terra Burgundiæ Minori, in Caſtello, quod dicitur Kirchberg, quædam mulier cum per noctem usque ad ſecundam diem mortua in feretro jacuiſſet, & cum poſt Miſſam de Eccleſia ad ſepeliendum tolleretur; ſurrexit in feretro, clamans poſt Plebanum (qui cum aliis hominibus territus fugerat) quod ſtaret, & ipſam audiret. Et Sacerdos ſtans quæſivit, quid vellet. Et ipſa reſpondit: Scitis Domine, quod filia ſum talis divitis ruſtici, & quod ante 18. annos confeſſa ſum vobis non ſemel, ſed plūries: quod per ſervum patris mei bis concepi occulte, & imprægnationem ita occultavi, quod nemo ſciebat, excepto illo, per quem conceperam; ſed utrumque puerum tempore completo & opportuo in una ſylva mihi vicina genui. Et ut occultarem peccatum hoc, utrumque puerum per me necavi, & tumulavi, & rediens domum, ſemper me alias infirmare aſſerui. Revertens tamen ad cor, conſcientia me momordit, & contrita vos acceſſi, iſta vobis in confeſſione narrando. Et in pœnitentia a vobis griſea tunica induta & incluſa, jejunavi per iſtos 18. annos ſemper per tres dies in hebdomada pane & aqua; alios tres dies cum leguminibus jejunavi. Et dum per iſtos annos taliter & taliter multum me artarem; & in plures annos vitam meam a Deo extendi optarem; ut ante meam mortem dignam pœnitentiam perficerem; venit finis meæ vitæ, in quo omnia peccata (ut mihi videbatur) vobis iterum confeſſa, perceptis omnibus Sacramentis Eccleſiæ, migravi ex hoc mundo. Hoc quod feci ſcitis. Et reſpondit Sacerdos: bene ſcio. Et ipſa ait: Ecce! dum ducta eſſem ante tribunal Chriſti, ipſi mei pueri me accuſaverunt, & vindictam de me a Domino petiverunt, quod per me vultu Divinæ bonitatis eſſent in perpetuum deprædati & damnati, & quod illud non eſſem confeſſa, affirmaverunt. Et niſi Beata Virgo, Mater miſericordiæ, mihi fideliter aſtitiſſet, damnata fuiſſem in perpetuum: quæ mihi ad corpus redire & reviviſci impetravit, ut purius confiterer. Sed cum ſum confuſa coram omni cœleſti curia, non vereor coram paucis vobis manifeſte confiteri, quod in confeſſione non revelavi: quod ſine baptiſmate meos pueros interfeci. Sed prius hæc non malitioſe obticui: credebam enim vos hoc intelligere, cum dixi vobis, [1] partum in ſylva ſubito me pueros occidiſſe. Et petens ab eo abſolutionem pro his obmiſſis [2]. Qua accepta ſe in feretrum repoſuit, gratias Deo & ſuæ Matri agendo lætanter in Chriſto obdormivit. In hoc apparet, quam integraliter omnes conditiones peccatorum unusquisque hominum tenetur expreſſe confiteri.

De obſidione Brixiæ. De Duce Johanne, & Imperatricis morte. Cap. VI. MCCCXI.

ſupradicto.

Dolum ſuum Brixientes tegere non valentes, obliti, quod Imperatorem per ſuum ſpecialem nuntium invitaverunt, & quod honorifice ſuſceptionis munera obtulerunt, atque tanquam legittimum Principem & Dominum ſuſceperunt; ſuper ſe nullatenus eum dixerunt regnaturum: hoc etiam, quod Mediolanenſibus tale retunſionis jugulum injecerat, metuebant. Imperator ſciens, quod de ſcopulis montium præſumerent, & murorum fortitudini intenderent; inſtrumenta diverſa præparat, populum animat, neceſſaria victualium præordinat, & civitatem fortiſſimo ambitu circumgyrat. Et dum protelaretur obſidio, plures occiduntur, ac inhumane quidam, quartatis corporibus per eum etiam in conſequentibus propter facinus perfidiæ ab invicem dirimuntur. Imperatoris frater Walramus Comes lætali vulnere jaculo ſauciatur, ſuper cujus morte Imperator & totus exercitus inæſtimabiliter contriſtatur. Imperator vero ait: Ne hoſtibus gaudium facias, mœſtitiam deponamus, & cœptis ferventius inſiſtamus. Noviſſime civitas, anguſtata reſiſtere non valens, Imperiali gratiæ ſe ſubjecit, & pene omnes reſticulis injectis collis, flexis genibus veniunt, res & corpora proni in terram proſtrati Imperatori offerunt cum urbe. Qui memor mortis fraternæ, univerſos dignos ſuſpendio proteſtatur, quod funibus circa colla poſitis comprobavit. Vicit tamen animi motum pietas, & pepercit. Et cum per portas ſibi patefactas ingredi nollet, juſſit murum deponi: & facta ſtrata publica introivit, juramenta civium recipiens de fide Imperio conſervanda, ibique per aliquod tempus fuit. Hoc anno totam Rybauriam Ardamamque [1] tanta fames preſſit (quæ duravit per triennium) ut plures commigrarent in exteras regiones, & divites deficerent venditis patrimoniis plurimi, & præ famis anguſtia morerentur. Imperator hoc tempore Terviſinos (qui ſunt Camera Imperii) cupiens coërcere, per Hainricum Comitem Goriciæ, Virum nobilem & ſtrenuum, hoc ſtatuit experiri. Qui coacto in unum Teutonicorum exercitu juxta fluvium Monteganum, ubi quaſi ſecuri fixerant tentoria, & otio operam dabant, non longe ab eis in campeſtribus ſe locavit, foſſaque alta erat inter eos. Inchoato autem admodum lento duello inter paucos, mox vallum dejicitur, & totus exercitus congreditur, & adeo anceps bellum committitur, ita ut multa millia hominum a Teutonicis ſternerentur, & fuga plurimi laberentur. Foſſa igitur ſanguine repleta, hodie *ſanguinolenta foſſa* a pluribus appellatur. Hainricus vero Comes non longe poſt civitate, provincia ac Imperatoris gratia ſpecialiter pro meritis eſt potitus, quam etiam provinciam poſt obitum Imperatoris tenuit forti manu. Miſit etiam Imperator ad Hainricum Ducem Karinthiæ, volens ſecum de amicitia tractare, eo quod a regno amotus quaſi indebite fuerat Bohemorum. Qui milites ſuos veſtivit ſplendide, ut quo poſſet glorioſius appareret. Sed neſcio cujus, quorumve averſus perſuaſione timuit, vel diſtulit illo ire; & ſic ejus adventum Imperator amplius non expectans, de loco ſe movit, & per Tuſciam venit

[1] *ſupp.* poſt. [2] *deeſt quid in Cod. MS.*

[1] *f.* Arduennamque.

Pysas. Ubi dum persisteret, ecce! vagus profugus Dux Johannes, Alberti Regis interfector, in habitu Religiosorum Augustinensium prostratus veniam postulavit, dicens, se a Papa directum, qui magis hoc facinus juxta leges civiles judicandum, quam secundum sanctiones Ecclesiasticas diffinivit. Imperator anxius quid ageret, non modicum turbabatur. Petenti veniam denegare, impium arbitrans: inultum tantum facinus dimittere, nimis justum [1] & temerarium videbatur. Intermollitionem tamen pietatis & æquitatis adinvenit, ut reus non occideretur; nihilominus arctissime puniretur. In turri eum concludi jussit, & usque in diem mortis suæ artius conservari; ut saltem sic pœniteret, & Dei indulgentiam obtineret. Veniensque Januam Imperator, per singulas civitates magnifice undique est susceptus: & communicato consilio singularum urbium, qualiter Romam attingeret, & ibi coronam summi Imperii susciperet, cum summa diligentia scrutabatur, sciens se sine prælio vix vel nullatenus transiturum. Infirmata est autem graviter Imperatrix, & prævalente morbo moritur, & in eadem urbe cum Imperatoris & totius curiæ fletu & gemitu inæstimabili sepelitur. Hæc tantæ devotionis & sanctitatis fuit, ut in Mediolano existens, paupercularum mulierum in Cœna Domini lavit pedes, & vestimenta distribuens, diabolus per os unius humilitati [2] insultaret. Quam dum Imperatrix ad maxillam, armata fide Dæmoni illudens, manu percuteret; immundum ab eo mox spiritum (sicut ab ore bonæ memoriæ Domini Hainrici Episcopi Tridentinensis, Imperialis aulæ Cancellarii, audivimus) effugavit; & sic Imperialis cithara in luctum per mortem consortis tam dilectæ, & organum ejus in vocem flentium est conversum. Qui consolationem amicorum non admittens, dolore nimio tactus intrinseco, versus Ovidii dicere videbatur:

Vulneris hoc genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto.

Isto anno in vigilia Alexii civitas Stiriæ Leuben plusquam per medium exusta est a proprio igne. Eodem anno mortalitas puerorum erat.

De Coronatione & prælio Imperatoris in Urbe Romana; & Desponsatione Katherinæ filiæ Alberti. Cap. VII. MCCCXII.

Imperator fultus multorum Magnatum præsidio, qualiter Imperialis diadematis culmen, pro quo venerat, susciperet, cogitavit. Nunciis, quos super hoc ad curiam Summi Pontificis direxerat, jam reversis, accesserunt etiam ad eum familiares, hortantes, ut thoro intenderet conjugali: quia nullatenus expediret Principem vivere desolatum, eo quod liberos procreare, & eos in decus sui germinis educare, populum Regni consuevit in gaudium elevare, dum sibi natos præesse senserit, & amicos paraverit ad Regni & Reipublicæ fulcimentum. Ad quod vir pudicus, qui thorum suum nunquam maculavit, & sicut Thobias alter præter uxorem suam aliam nunquam cognovit, respondebat: Tristis est anima mea usque ad mortem, & dare operam voluptati, amaritudo animi contradicit, quia valde amaritudine ipsa me replevit. Veruntamen quod bonum & justum, & quod Domino placuerit, pro Regni utilitatibus Divina disponat pietas, cujus in omnibus me subjicio voluntati. Habito ergo tractatu, ab universis consulitur, ut Alberti Regis filia, elegantis formæ juvencula speciosa, bonis moribus ornata, ex Regum sanguine propagata, paranymphis honorabilibus peteretur: quia per fratrum Ducum Austriæ & Stiriæ potentiam Regnum in Alamannia fidelius, & filius ejus in regno Bohemico tutius servaretur. Quod dum annueret, Hainricus Gurcensis Episcopus vadens & rediens, desponsationis annulo Imperatori virginem subarravit, super quo totus populus Alamannicus & Italicus exultavit. Imperator postquam Romam venit, Ursini cum Johanne fratre Regis Ruperti contra eum prælium instaurarunt: Johanne Serra de Columna cum pluribus aliis sibi favente, & constantissime adhærente. Fuit autem Imperiali corona coronatus in die Epiphaniæ Domini in Ecclesia S. Petri ad vincula. Accepit autem coronam per Nicolaum Episcopum Ostiensem, qui per Clementem Papam missus fuit unacum Arnoldo Episcopo Sabinensi, & Domino Slychco Diacono Cardinali. Hoc anno moritur Chunradus Episcopus Salczburgensis, in quo Beata Virgo miræ pietatis indicia demonstravit. Nam natus fuit in die Annunciationis Beatæ Virginis, sacerdos eodem Præsulque eodem die revolutione temporis ordinatus, ipsoque die transiit ex hoc mundo. Hic habenas Ecclesiæ suæ sicut bonus nauclerus provide gubernavit, & mirificis actibus defensavit. Cui succesſit vir sagax Wykardus, qui prius Ecclesiæ rexerat Decanatum, qui statim ad curiam properavit. Post coronationem Imperatoris prædicti Cardinales juramentum fidelitatis Ecclesiæ fieri petiverunt. Qui respondit, nulli de jure se debere facere sacramentum, nisi de Regni & Imperii justitiis conservandis; & hoc quidem exactum esse in temporibus retroactis. Quantum super Papa indignatus fuerit, & quantum sibi displicuerit; & qualiter improbaverit, & quædam de jurejurando, indicat Clementina Decretalis. Privilegia nihilominus a priscis Regibus & Imperatoribus per manum Hainrici Tridentinensis Episcopi Romanæ Ecclesiæ confirmavit. His itaque se versantibus, Ursini cum Johanne Ruperti Regis fratre de die in diem contra Imperatorem, cui succesſus ad omnia prosperi favebant, totis viribus agere conabantur. Quod Principem non latebat. Et dum materia belli inter eos . . . . in ponte Tiberis in die Apostolorum Petri & Pauli grave bellum est commissum, adversariis in castro positis, initiantibus prælium, mittentibus jacula densissima atque saxa, deinde ad gladios est deventum. Prostrati sunt plurimi utriusque partis. Cecidit ibi Episcopus Leodiensis, vir strenuus & peraudax. Præsul Treverensis Balwinus, frater Regis, egregie dimicavit. Habita tamen Imperator cruenta victoria, Romam reliquit, & in Tusci-

[1] *l.* injustum [2] *supp.* illius

Tuſciam iter flectit; ut quieti aliquantulum indulgeret, meliusque atque ſecurius de negotiis Imperialibus provideret, & in adverſarios dolum, quem conceperant, vindicta debita retorqueret. Dum igitur civitates favorabiles ſibi circuiret, Wykardus, Salczburgenſis a curia rediens, venit ad Imperatorem, ſuisque regalibus receptis, commendatione ſibi facta de filio ſuo Rege Bohemiæ, ad ſuam Kathedram eſt reverſus. Adverſariæ autem partes contra Imperatorem dolos mortis quotidie continue meditabantur, & in ſuis cordibus diſſecabantur, ſtridentes dentibus mordebantur, & in pectoribus torquebantur, eo quod ſua deſideria non ad eorum debitum explebantur. Nam ſæpius tocico adimere ſibi vitam toto conamine nitebantur, cujus tamen merita, & præcipue Divina gratia, ipſum miſericorditer tuebantur. nam ut dicit Horatius

Neque ſi ſonum reddit, quem vult manus & mens,
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum
Nec ſemper feriet, quodcunque minabitur arcus.

Iſto anno ortum eſt de Judæis verbum inauditum, quod Sacramentum Altaris male tractaſſent; ſed veritas experiri non poterat. Cum autem hoc verbum in terra Stiriæ divulgaretur, apud quendam Judæum prope Fuerſtenfeld inventa eſt hoſtia ſanguinolenta, plures quam decem fixuras habens, & ſemper profundior fixura erat quam Hoſtia, & tamen Hoſtia nunquam fuit perforata, ſed fixura omnis, ut recens vulnus erat cruore plena. Propter hoc ipſi Judæi in Stiria & Karinthia fere omnes fugierunt, interempti quidam igne, quidam vero ferro, & ſic de aliis.

De Tranſitu Imperatoris. Cap. VIII.

MCCCXIII.

Imperator onus ſuæ moleſtiæ, quod jam in Urbe pertulit, & nunc quotidie in civitatibus imminebat, in Regem Ropertum retorquens, crimen ſibi læſæ impoſuit majeſtatis: & quia injuſtæ poſſeſſionis titulo Apuliam & terras alias poſſidere contra Imperium videbatur, peremptorie eſt citatus: & dum comparere contemneret, hoſtis Imperii judicatur. Extat ſuper hoc in Clementinis & de ſententia & re judicata latius diſputatum. Et dum Florentinis infeſtus eſſet, contra eos quoque exercitum validum conglobaſſet, & nihil proficeret; Ropertum Regem invadere diſponit, totus exercitus in ejusdem ardens devaſtationem. Imperator verſus Lucani dicere videbatur:

Quod tam lenta duas tenuit patientia vires,
Conquerimur. Deerat ne tibi fiducia noſtri?
Dum movet hæc calidus ſpirantia corpora ſanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Bellandum eſt.

& illius rei temeritas, qua contra Imperium invehitur, contundunda. Ferturque, quod Ropertus audita Imperatoris intentione, naves paratas habuit, ut ejus impetum declinaret. Et dum his ſedulo Princeps intenderet, tempore menſis Auguſti venit in territorium Senenſe ad vicum, qui *boni conventus* dicitur. Ubi dum devotioni inſiſteret, & Divinis officiis intenderet & vacaret, & poſt Confeſſionem ad ſuſcipiendam Sacram Communionem ſe religioſe diſponeret; infra Sacræ Miſſæ officium flexis genibus corpus Domini ſumpſit & dum potum Calicis ſuſcepiſſet, mox vis quædam tremulæ infirmitatis pectus ejus concuſſit, & quaſi adamantia congerie viſcera contraxit. Et dum Medici venenum eum hauſiſſe judicabant, & elevatione corporis pellere nitebantur, dummodo pedes ſurſum, caput deorſum propter celerem exitum permitteret ordinari, reſpuit, dicens: Glorioſius non poſſe, nec velle mori, quam dum auctorem vitæ ſibi præſentem recognoſceret & haberet; ſicque in oratione manuum elevatione in manus Domini Spiritum commendavit. De cujus morte fuit varia relatio. Quidam dicunt, Religioſum, qui eum communicaverat, adamantis lapidis triti pulverem poculo calicis clam & leniter iminiſiſſe, cujus virtutis eſt etiam ferrum attrahere, & ob hoc viſcera tam celeriter conſtricta fuiſſent, & hoc a Florentinis procuratum fuiſſe. Fertur etiam, quod ſentiens interius lætaliter ſe percuſſum, ipſi miniſtro, ut repentine affugeret, perſuaſiſſe, qui illæſus veniens Florentiam, cum maximis laudibus eſt exceptus, eo quod patriam (ut ajebant) a tyrannide Imperatoris liberaſſet. Quæ qualiter ſe habeant, fateor me neſcire. Tam enim nefarium ſcelus per Religioſum tam famoſum & Imperatori tam Karum fieri, difficile vel nullatenus eſt credendum. Audivi autem ego a quampluribus fide dignis, quod nimii doloris acerbitas ſic eum pervaſit, ut mortis periculum evadere non valeret, eo quod vindictam in adverſarios habere non potuit. Unde corpore aperto & eviſcerato, cor ejus ſciſſum in duas partes eſt inventum, ut quidam eum habuiſſe duo corda ex hac experientia teſtarentur. Regnavit duobus annis, imperavit tribus, ſed non ad plenum. Corpus ejus Piſis defertur, & ibi honorifice in pendulo & pretioſo conditorio collocatur. Hic vir pius & devotus fuit, Divinis officiis frequenter intentus, animo audax, agilis corpore, Deum timuit, Eccleſias & Monaſteria dilexit, Babenbergenſem Eccleſiam maximis oppreſſam debitis relevavit. Qui cum quadam die, dum quidam barbarius depoſitioni barbæ ſuæ inſiſteret, manum ejus ſenſit tremule ſe vertentem, ut novacula pene e manibus haberetur apprehenſa, que manu ejus: Ceſſa, ait, bonum nihil profert hæc trepidatio manus tuæ. Qui tandem falſus pecunia ſe corruptum, ut extingueret innocentem. Quid, inquit, commerui? In cujus arbitrio ſi fuiſſet, & diſſimulaſſet, & impium vivere permiſiſſet, ſi non tanta hominum præſentia aſtitiſſet, & experientiam rei non cepiſſet.

Sponſa ejus Katherina habens in comitatu ſuo Johannem Regem Bohemiæ Imperatoris filium cum maximo & electiſſimo apparatu, ut intraret Italiam, ad littus Reni in civitatem, quæ Tyffenhofen dicitur, pervenit. Ubi audito lugubri, nuntio pene in mæroris pelago ſubmerſa fuiſſet præ nimia cordis anxietate, niſi familiarium ejus con-

[a] *ſupple* Chorda [b] *l.* tuas

corum, præcipue ſororum Fridrici ſolatium conſolatio ſubveniſſet: ipſaque in illis partibus remanſit ad tempus, furtivis & ſecretis lacrimis ſui ſponſi obitum crebrius dicitur defleviſſe; & cum matre Regina Elizabeth exequias ejus maximo & pio ſtudio peregiſſe. Filius in Bohemiam eſt reverſus, cito patris morte in oblivionem tradita, ſe hujus mundi vanitatibus multipliciter implicavit. Treverorum Archiepiſcopus ab Italia non ſine gravibus laboribus & difficultatibus cum pluribus ad ſedem ſuam rediit cum lamento, omnia pene geſta fratris in palatio ſuo egregie & artificialiter depinxit. Reliquorum quidam permanebant, Imperatorem alium, cui jam parata via fuerat, expectantes, bella contra hoſtes ſub ſigno capitis Chunradini, innocenter olim in illis partibus interempti, gerentes ſæpius triumphant. Italia autem, & civitates univerſæ partis Imperialis, & Alamannia tota in decore ſuo & vigore multum cœpit langueſcere perdito ſuo membro principali: quæ omnia alia [1] ſunt vegetata, & in ſua valitudine conſervata, ut dicit Quintus Serenus metrificator:

Qui Stomachum Regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti ratione videntur.
His etenim validus firmat tenor omnia membra.
Ac contra ejusdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam, niſi cura juvet, vitiare cerebrum
Fertur, & internos illic avertere ſenſus.

De Prælio Ludwici Ducis Babariæ cum Auſtralibus, & filia Regis Arragoniæ, ſponſa Fridrici.

Anno Domini MCCCXIII. ſupradicto.

Morte Imperatoris undique divulgata, Fridricus Dux Auſtriæ potentes & nobiles terrarum ſuarum, ſcilicet Comites de Hennenberg, de Pfannenberg, duos Comites de Hals, Ulricum de Walſee cum eximio exercitu, & cum nobilibus Bavariæ Inferioris, ad ſuperiores partes dirigit, ut terras ſuas & ſuorum fratrum inviſerent; ne novo (ut ſolet fieri) diſturbio quaterentur: & ſi fieret, ad [2] prædictos viros ſpectabiles tutarentur. Miſit & pecuniam (ut dicitur) copioſam, ut per donativa magnifica amicos & milites conquirerent & allicerent, & principaliores ad electionis favorem, prout competere cernerent, promoverent. Venientes autem in locum, qui dicitur Gamersfeld, haut longe a civitate, Landeshuet vocata, Ludwicus Dux Babariæ armatus occurrit, & eorum tranſitum impedivit. Fuit enim ex antiquo fomitis rancoroſi in ejus pectore adhuc aliqualis ſcintilla, quod Babari & Auſtrales raro per puram amicitiam poterant convenire. Ægre quoque tulit, quod Inferioris Babariæ nobiles, quibus ſerenum animum gerebat, in hac fuerant comitiva, & quod eo inconſulto ingredi præſumpſerant terram ſuam. Dum autem ex utraque parte verba diſſenſionis magis quam pacis conſererentur, ordinatis & diſtinctis alis ſuis alacriter commiſcentur. Dux autem audax animo bellum ſitiens, ſuperior adverſarius eſt effectus. Qui licet fortiſſime dimicarent, quidam cum gloriæ ſuæ maculam ingerentes vim prælii formidantes [3], a prælio declinabant; alii cominus egregie hoſtibus obviabant. Ulricus Comes de Pfannenberg miles efficitur, pro eo quod res bene geſſerat; viri præpotentis ſoror Ulrici de Walſee promittitur in uxorem. Veruntamen univerſaliter omnes ſe victos cognoſcentes, more militari Duci faciunt de reditu ſponſionem, ſi forte inter ipſum & Fridricum placita conformia ad amicitiam iterum conducantur. Audito hoc caſu Fridricus ſatis doluit, & prudenter quomodo captivos eximeret, multa conſilii providentia æſtimavit. Et condicta die Ludwicus & Fridricus conveniunt in Salczburga, ubi dum cubarent in uno lecto, de Regno eſt ſermo habitus inter eos, ita quod Fridricus Ludwico, ut ſuper hoc intenderet, perſuaderet: Ludwicus etiam propter ſuarum facultatum [2] in aciem ſe non poſſe intendere reſponderet; ipſe autem dives & potens, omnia ad hoc ſpectantia affluentius adimpleret, ſe quoque ad ipſum rebus & perſona in ejus complacentia ſedulum exhiberet. Inter hæc & hujuſmodi colloquia captivi liberi dimittuntur, ita ut in reliquum contra Ludwicum non attentet, ulli hominum adjutorium contra eum miniſtrandum. Quod pactis firmiſſimis eſt concluſum, & facta amicitia delectabiliter ab invicem diſceſſerunt. His temporibus pauper quidam, Teutonicæ nationis, Hainricus apud Terviſinum victum labore continuo quærens, aſperrimam duxit vitam. Qui dum ab hac luce ſubduceretur, locus, in quo cubare ſolitus erat, intra transepta duris virgulis, lapidibus ſuppoſitis, reperitur, & corpus flagellationibus laceratum. Sepulcrum ejus maximis miraculis radians, de diverſis partibus infinitum populum ad ſe traxit.

Hoc anno Fridricus Dux Auſtriæ cœpit fundare Monaſterium Ordinis Karthuſienſis, quod Mawrbach (alio nomine Vallis omnium ſanctorum) dicitur, prope Wiennam, quod ditavit regaliter & dotavit: Religioſum virum Gotfridum, Priorem ejusdem Ordinis; Monaſterii, quod Seytz Calio nomine Vallis S. Johannis) dicitur, transferri ad ſuæ fundationis regimen procuravit. Interea Fridricus Dux, quia conthoralem non habuit, Abbatem Sancti Lamperti cum nobili viro Rudolfo de Lyechtenſtain, Hainrico de Walſee, Clericis & Laicis perſonis honorabilibus in Arragoniam pro filia Regis, quæ dicta eſt Elizabeth, deſtinavit: quæ fuit tunc juvencula ſpecioſa, & bonis moribus decorata, utputa clari ſanguinis, quem fama pulcritudinis & virtutis, traxerat in amorem ejus. Quam econtra viſio cujusdam ſomni, ut dicitur, informavit, quod Regis filium, ſcilicet Ducem Auſtriæ, eſſet ſortitura in conjugio. Et venientibus nuntiis tam ſolemnibus pro contractu, ituram cum eis ſe hilariter promiſit. Quam pater expeditione multum ſolemni præparat, adjungens pro conductore virum Reverendum Archiepiſcopum de Gerunda. Summus Pontifex tranſeunti Karpentratum obtulit caballum, cui inſideret, pulcherrimum: & firmatam benedictione Apoſtolica, iter aggreſſum perficere proſpere exoptabat. Et proficiſcens ad Reni partes, ad ſui ſponſi dominium atque ami-

[1] *f.* alias [2] *l.* per [3] *l.* formidarent

[1] *ſupp.* cique [2] *deeſt in MS.* tenuitatem, *aut quid ſimile.*

fami-

familiareque contubernium veniebat: ibidem ad tempus modicum perſiſtebat, paululumque cum comitiva ſua poſt labores tanti itineris quieſcebat. Unde dicit Ovidius:

Da requiem. Requietus ager bene fœnora reddit,
Terraque cœleſtes arida ſorbet aquas.

De Præparatione Principum ad Electionem, & aliis diverſis. MCCCXIV.

Fridricus habita firmataque amicitia cum Duce Ludwico Babariæ, provide & ſagaciter ad Regnum æſtuans, Rudolfum Palatinum Ludwici fratrem efficit ſuæ partis. Miſit & ad Hainricum Epiſcopum Colonienſem, cum quo ſimiliter convenit, ita ut Hainricus Dux, frater ejus, Ruperti Comitis de Wyrenburg [1] filiam, fratris Epiſcopi, duceret in uxorem. Quo pacto Præſul virtutem electionis promiſit, & ad locum cum quingentis in Fridrici adjutorium ſe deventurum; & ſic Juvenis cum juvencula nuptias in illis partibus ſolemniter celebravit, ibique ad aliquot tempus remanſit. Interea filia Regis Arrogoniæ cum Katherina, ſponſa quondam Imperatoris, menſe Januarii tendentes Auſtriam, Karinthiam apprehendit. Ubi eis Fridricus læto animo occurrebat, ſalutans videnſque ſponſam, cooperculo currus detecto, manu apprehenſam cum modeſtia breviter affabatur. Deinde ſororem alterius mariti ſolatio conſolabatur, in ejusque ſalva receptione plurimum lætabatur: quam poſtea Ruperti Regis filio Duci Kalabriæ ſociavit, & honorifice in eandem provinciam deſtinavit. Deinde Fridricus Karolum Regem Hungariæ advocat, Hainricum Ducem Karinthiæ, fratres ſuos Duces Leupoldum, Albertum, Hainricum & Ottonem, pluresque Comites, Nobiles & Barones, Wykardum Epiſcopum Salczburgenſem: præſente etiam ſorore ſua Domina Agnete, quondam Regina Hungariæ, & matre Domina Elizabeth Romanorum Regina, maximis ſolariis vacabat: & cum prædictis omnibus myſterium conſilii ſui tractabat, ut conſulerent & aſſiſterent conſilio & auxilio ad aquirendum thronum Regiæ celſitudinis hortabatur. Qui omnes ejus deſiderio congaudentes, meditantem tam grandia & ſublimia commendabant, adeſſe ſibi & cooperari totis viribus promittebant. His acceptis promiſſis, magnis ſumptibus largisque ſtipendiis ſe diſpoſuit: ſciens etiam Marchionem Brandenburgenſem, & Ducem Saxoniæ ſe non deſerere, confidentius armatur. Interea Petrus Moguntinus, Balwinus Trevirenſis Præſules cum Johanne Rege Bohemiæ conſilium inierunt, ſuſpectam Fridrici potentiam habentes, Ludwicum Ducem Babariæ excitant: cur ipſe, æque nobilitate & dignitate Duci Auſtriæ nullatenus impar, ad Regni titulum & gloriam non anhelet, cum ei præſtare ad omnia patrocinium ſint parati, rebus atque corporibus fidelem impendere famulatum? Quod audiens Ludwicus, nullum ſibi graviorem æſtimans quam ſe ipſum, ad curiam electionis viribus quibus poterat ſe componit, maxime propter Principes præmiſſos, qui ſe ſibi in auxilium ad omnem caſum hujus negotii conſtrinxerunt.

Hoc etiam anno Padwani oppreſſi a Veronienſibus, a Fridrico Duce auxilium petunt. Qui conſilio habito miſit Ulricum virum fidelem de Walſee, Capitaneum Stiriæ, adjunctis ſibi pluribus viris ſtrenuis, ſcilicet Ulrico Comite de Pfannenberg, & Ulrico filio ſuo. [1] Nomine Ducis civitatis Paduanæ ac totius diſtrictus ſuſcepit præſidiatum, & ordinata poſt paululum civitate, cuſtodibus & militibus diſpoſitis, prædictum eis Ulricum Comitem, & Ulricum filium ſuum præfecit: committens, de omnibus agere diligenter, ad Ducis negotia eſt reverſus. Et ecce! Veronenſes cum magna potentia Paduam obſident, Comitem & Ulricum juniorem de Walſee cum ſuis artant & concludunt, novum caſtellum in vicinia civitatis conſtruunt, ut eo celerius comprehendant. Ulricus audiens Comitem ſororis ſuæ maritum, filiumque Ulricum ſic anguſtatos, collecta multitudine properat in civitatis ſuffragium, impetu quodam irruens; novum caſtellum diſſipat, & Veronenſes cum ſuis omnibus vel capit, vel fugat, & Paduam ſic conſervat. Hoc anno Summus Pontifex moritur, qui ſedit annis 8. menſibus 10. diebus 15. Et hoc anno Philippus Rex Franciæ, *Pulcher* dictus, tranſiit: quia in venatione apro percuſſus interiit. Hic tres filios reliquit, Ludwicum, Philippum, Karolum: qui omnes poſt eum regnaverunt, & ſine hæredibus deceſſerunt. Regnavit poſt eos Philippus, filius Karoli de Fallas [2], fratris Philippi Pulcri, ut Papa Bonifacius prophetavit, cum propior hæres non haberetur; licet poſtea de hoc ſurrexerit maxima controverſia inter Reges Angliæ & Francorum, ſicut inferius eſt deſcriptum. Hoc anno moritur Ottobonus Patriarcha, vir cordatus, & vacavit ſedes usque ad annum quartum. Hoc tempore civitas Lucana capta fuit a Pyſanis, qui de parte Imperii fuerunt: & expulſis civibus adverſariis Imperii, civitatem potentialiter poſſederunt. Frater autem Roperti Regis Siciliæ, Princeps Tharenti, veniens in ſubſidium Lucanorum contra Pyſanos, ponitur in conflictus [3]: in quo frater ejus Petrus, atque filius ejus Karolus occiduntur, prævalente populo Pyſanorum. In Alamannia etiam concuſſiones multæ fuerant, & qui capere poterat, capiebat: quia Principum jam divulgatæ ad electionem diſſenſiones unitatem nobilium atque civium ab invicem dividebant, ſicut olim in Veteri geſtum legitur Teſtamento: *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus ſicut oves abſque paſtore*, ita ut verſus Proſperi his temporibus valeant adaptari, qui dicit:

Pulſant exterius diverſis montibus hoſtes.
Intus civile eſt, & ſociale malum.

[1] *al.* Virnenburg.

[1] *ſupple* qui. [2] *al.* Valois. [3] *ita Cod. MS.*

INCIPIT LIBER QUINTUS DE ELECTIONE LUDWICI ET FRIDERICI, ET CORONATIONE UTRIUSQUE.

Cap. I. MCCCXIV. ſupradicto.

FRidricus & Ludwicus ad locum electionis, ſcilicet Frankenfurt, quo poterant gloriosius convenerunt. Civitas Ludwico patuit, ex eaque mercatum victualium ſufficienter habuit. Fridricus extra muros cum ſuis in una parte Mogi [1] fluminis caſtra locavit, & ea, quæ per Reni alveum mittebantur ſibi, manus hoſtilis diripuit; & ob hoc populum fames aliqualiter preſſit. Et cum concordare non poſſent Electorum vota, intra muros clamatur & extra: quia intra urbem Ludwico votivis plauſibus, extra, regnum acclamatur Fridrico, & eclipticata amicitia ab invicem diſceſſerunt. Fridricus Mogum fluvium transvadens, habens ſecum paucos præ cæteris ſibi familiares, in civitatem, quæ Bunna dicitur (quæ eſt territorii & juris Præſulis Colonienſis) [2], transmiſitque ad Aquenſes, ut ſibi ad ſedem Karoli introitum condonarent. Quibus reſpondentibus, ſe præventos, jamque devinctos aliis pactis, juxta ſuas Sanctiones vellent, prius utriusque potentiam experiri; & ſic ad hunc, vel ad illum eſſe benivolos & paratos. Interea Fridrici populus, Hainricus Dux Karinthiæ, & Hainricus Comes Goriciæ cum aliis magnis viris, relictis tentoriis, ad propria reditum paraverunt. Non modicum de terræ incolis timorem cum famis inopia habuerunt, ita ut in campis rapularum eduliis foverentur, & plures celeri novo tyrocinio velut fugitive milites effecti, dignitatis illius titulum ſine bellico præconio ad propria reportarent. Ludwicus autem Comites & Nobiles circa Aquenſem civitatem ſibi favorabiles habens, potentialiter introivit, & cum conſorte ſua, filia Ducis Poloniæ, coronatus, officium regium, tam ibi, quam in Colonia, in feodis concedendis & in aliis expedivit: veniensque in Spiram, ſimiliter juxta priſcam conſuetudinem, quæ ad novi Regis actum pertinent, ſolemniter adimplevit. Civitatem Noricorum, Auguſtam, Babariam, Bohemiam, Franconiam Inferiorem, Rybauriam (excepta ditione Colonienſis Præſulis) cum aliis angulis Regni, pluribus habuit, Regiisque nominis titulo fungebatur, & in civitatibus ſui favoris curias honorifice celebravit. Fridricus autem in Eccleſia beati Caſſii in civitate prædicta Bunnenſi ab Hainrico Epiſcopo Colonienſi coronatur, & Rex rite electus, juſtus, potens, ſapiens & agilis proclamatur. Hic Auſtriam, Stiriam, Karinthiam, Sweviam Superiorem, & in earum complexibus fortiſſimos habuit adjutores: ſe quoque Regio nomine titulavit, & curias famoſas in locis ſibi favorabilibus indixit; & ſuis temporibus magnifice feſtinavit. Et ſicut ſcribitur in libro Regum: Poſt mortem Zambri Regis diviſus eſt populus in duas partes; media pars ſequebatur Thebni; & media pars Amri. Hoc anno moritur Regina Elizabeth Romanorum in Auſtria, Ducum Auſtriæ genitrix veneranda: cujus corpus ad Campum-Regis, quod Monaſterium ipſa conſtruxerat, eſt transvectum. Non autem mirandum, ſi a ſua compage Regnum ſolidum ſciſſum eſt in cauſa iſtorum duorum: nam nobilitate, dignitate, generoſitate pares, ſed divitiis & potentia alter altero plurimum præeminebat. Hos, & multos Alamannia genuit, qui ad Regni gubernacula ſufficerent, niſi eos fortuna æmulatione virtutis in perniciem mutuam armaviſſet. Nam mortuo Karolo, Tertio hujus nominis, quædam pars Italici populi (ſicut eſt habitum in præmiſſis) Berngarium Ducem Fori-Julii; alia Wydonem filium Ducis Spoletani ſublimavit regia dignitate. Ex quorum controverſia, ſicut ex horum, tanta ſtrages ex utraque parte, tantusque humanus ſanguis effuſus eſt, ut juxta Dominicam vocem regnum in ſeipſum diviſum deſolationis pene incurrerit miſeriam: & Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus diviſis ab invicem, diverſificam intentionem gererent ad hunc, & ad illum. Sed nec multum abuſivum fuit, licet videretur de eo, quod in loco debito Fridricus non extitit coronatus. Quia poſt Hainrici [1] in Apulia (ut in Cronicis Imperatorum legimus) Philippus frater ejus in Moguntia Rex ordinatur; Otto Dux Saxoniæ in Colonia & Aquisgrani ſolemniter conſecratus coronatur, prout eſt ſuperius expreſſum. Arnolfo etiam Imperatore mortuo, & Ottingæ, poſtea Ratisponæ tumulato, proceres & optimates Regni in Vorchaim, quod eſt opidum Orientalis Franciæ, non in agone æſtimationis, [2] ibique Ludwicum Imperatoris Arnolfi filium Regem ſuper ſe creant, regiisque ornamentis indutum in faſtigio Regni locant. Sed ſufficiant de hoc dicta.

De Diſpoſitione utriusque ad futuras concertationes. Cap. II. MCCCXV.

Fridricus, diſpoſitis rebus circa Renum, in Auſtriam rediit, ibique exercitum in adjutorium Regis Ungariæ parat contra virum nobilem Matthæum de Trenscha: qui Regi adverſarius pluribus annis extitit, regno & Regi multas moleſtias & contumelias inferebat. Caſtrum igitur ejus, quod Chumare dicitur, ad Regis Ungarorum complacentiam obſidet, & artatum pugnatorum conſtantia, licet alveo Danubii cingeretur, obtinuit, regiæque ditioni ſubjecit, ejusque ſingulari amicitiæ ſe devinxit. Rex quoque gratum reputans quod factum eſt, lancem æquam vicarii ſervitii repromittit: ſub qua conditione Fridricus lætus eſt egreſſus. Leupoldus autem frater ejus jam pridem in opido, quod Selczen dicitur, ſuper fluenta Reni poſito, præſidia collocavit: & quantum valuit, fautores Ludwici circumquaque poſitos,

[1] *al.* Mœni. [2] *ſupp.* venit, *aut hujusmodi.*

[1] *ſupp.* obitum. [2] *videntur hic quædam deeſſe in MS.*

tam

tam nobiles quam civiles, per ſe & per alios conturbavit. Interea Fridricus conſortem ſuam in Baſileam vexit, ibique ſolemnibus habitis nuptiis, eam cum maximo tripudio populorum circumquaque confluentium coronavit. Ludwicus Rudolfo Palatino fratri ſuo infeſtus, caſtra, munitiones, homines ejus, & quidquid ſui juris fuerat, & ad eum pertinuit, totis viribus occupavit, & expugnans obſidionibus gravibus ad ſe traxit, fraternæ karitatis aſſerens violatorem, hujus ſciſſuræ auctorem, & totius Regni per conſequens perturbatorem; contra fas & jus Fridrici in fraternum obprobrium adjutorem. Caſtris ergo pluribus & munitionibus fratris obtentis, usque ad obitum perſecutionem ei intulit. Dumque a Fridrico avelli non poſſet, adeo variis eum moleſtiis laceſſivit, ut non longe poſt cum conſorte ſua, quæ filia Regis Adolfi fuerat, in Auſtriam commigraret; & ſui ſtatus angariam deploraret. Quo cum conſorte defuncto, Ludwicus filiis ablata reſtituit, & in amicitiam ſtrinxit. Fridricus autem ſine potentia virium Ludwicum videns nullatenus contendentem, Regem alloquitur Ungarorum, de vicario obſequio commonens repromiſſo; Qui reſpondit, milites ſine ſtipendio nullatenus habere poſſe, ſed in hoc ejus parere valeret volitis, ſi terram Dotalitii ſororis ſuæ Agnetis, quondam Reginæ Hungariæ, relictæ Regis Hungariæ, ſcilicet Schutam & Boſonium regno ſuo reſtitueret, & laciniam disjunctam dudum in compagem priſtinam reſarciret. Quod dum Fridricus aliqualiter animo contractaret, poſtremo aptius eſſe judicans, ſororis ſuæ dotem ſuam aliis proventibus compenſare, quam Regis adjutorio, quod efficax ad ſuum eſſet conſummandum propoſitum, ſe nudare; quo placito terminato ut in tempus ſtatutum eſſet, Ungari condicunt, & a Rege poſſeſſione Boſonii & illius diſtrictus apprehenſa, ab invicem diſceſſerunt. Leupoldus etiam Fridrici Regis frater, ut ſuam & fratris ad imminentes cauſas vim augeret, gentem Swicencium in montibus poſitam, nullius dominii preſſam jugo, armis inexercitatam, ſed paſtoralibus & paſcualibus exercitiis enutritam, forti & præclaro militum & Nobilium adiit exercitu, confidens, ut eos ſubjiceret, & ad ſua fratriſque regni ſervitia coërceret. Qui libertatem tueri volentes, fœdus cum aliis circumſedentibus Commontanis habentes, Duci introitum conceſſerunt. Statimque occluſis inter artitudines montium reſtiterunt: & quaſi ibices de montibus ſcandentes lapides miſerunt, plurimos occiderunt, qui ſe defendere, neque evadere ullo modo potuerunt. Ceciderunt ibi quatuor de Tochenburg viri nobiles & potentes cum pluribus, ita ut diceretur ibidem flos militiæ corruiſſe. Dux ipſe ex informatione cujusdam, qui obſervabat ſemitas exitus; vix evaſit, & inpoſterum ſemper de morte Nobilium ſæviebat. Ludwicus audiens, Fridricum circumquaque electionem militum contra ſe eligere, nec ipſe ſe remiſſius habebat. Quæ habere poterat, diſtribuebat, obligationes plurimas faciebat, nobilibus & militibus beneficia promittebat, & ad defendendum ſe contra fortiorem armatus ſuum atrium muniebat. Et ſic uterque regia gloria præfulgens, alter alteri ponere offendicula comminatoria ſatagebat, & moleſtias quas poterat rabido corde ſedulo disponebat, juxta Boetium, qui dicit:

Vides ſedere celſo
Solii culmine Reges,
Purpura [2] nitente
Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes
Rabie cordis anhelos.

De Expeditionibus Fridrici diverſis, & Reconciliatione Johannis Regis Bohemiæ, & Hainrici Ducis Karinthiæ, & aliis. Cap. III. MCCCXVI.

Fridricus Rex coacto in unum exercitu per Karinthiam tranſiens & montana, & civitatem Ezzlingam, partium Ludwici, obſedit: & celeri quidem acceſſu in loco, qui *Cantus avium* dicitur, caſtra in ſuburbio civitatis & diverſa inſtrumenta, ut fluvium Nekarum a ſuo alveo dividat, elaborat, ſed fruſta, quia cives machinis & jaculis operarios coercebant. Et dum nihil proficeret, verſus aquilonem in montem caſtra transfert, civitatem plurimum exacerbat. Ludwicus Treverorum Archiepiſcopum & Bohemiæ Regem ex Bohemia venientes accerſit, obſidionem ſolvere cogitans, ex altera parte ſuper littus Nekari caſtra figit. Inter partes autem prælium quotidie præſtolatum, tandem in adaquatione jumentorum modo quodam lento in medio fluminis a famulis inchoatur, quousque occurſante robore exercitus utriusque in crepuſculum, accenſis etiam adhoc torticitiis, traheretur. Equis plurimis cæſis, mille ſeptingentis hominibus, paucis nonnullis captivis, prælium diſſolvitur, & neutri parti victoria poterat acclamari.

De Johanne Papa XXII.

Johannes XXII. ſedit annis 18. diebus 23. Avione ab incluſis Cardinalibus eſt electus anno Domini MCCCXVI. in vigilia paſſionis Apoſtolorum Petri & Pauli. Hic Papa S. Ludwicum de Ordine Fratrum Minorum canonizavit. Hic etiam canonizavit S. Thomam de Ordine Prædicatorum, expoſitorem eximium Theologiæ, & etiam totius Philoſophiæ. Hujus tempore ſurrexerunt duo hæretici, Marſilius de Padua, & Johannes de Lauduno, qui intrantes curias Principum, quos cognoverunt contrariari S. Matri Eccleſiæ Katholicæ..... [3] quia palam inter cætera quinque errores conſcripſerunt. Primo, quod Chriſtus ſolvit tributum Cæſari, ſicut in Matthæo legitur, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis illis, qui petebant drachma, juſſit dari: Quod non fecit ex condeſcenſione & liberalitate ſuæ poteſtatis, ſed neceſſitate coactus. Ex hoc voluerunt concludere: Si Chriſtus dedit tributum, ergo Papa, & Epiſcopus & omnis homo ſit tributarius Imperatoris. Item dixerunt, quod beatus Petrus Apoſtolus non fuit plus caput Eccleſiæ, quam quilibet aliorum Apoſtolorum: nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apoſtoli: & quod Chriſtus nul-

[1] *ſupp.* quos. [2] *ſuppl.* claros. [3] *deſunt hic quædam in Cod. MS.*

lum dimmiſit caput Eccleſiæ, nec aliquem fecit Vicarium ſuum. Item, quod ad Imperatorem ſpectat corrigere Papam ac punire, & inſtituere ac deſtituere. Item, quod omnes Sacerdotes, ſive ſit Papa, ſive Archiepiſcopus, ſive Sacerdos ſimplex quicunque, ſint æquales auctoritatis ac jurisdictionis, ex inſtitutione Chriſti; ſed quod unus plus habeat alio, hoc ſit ſecundum quod Imperator conceſſit plus, vel minus: & ſicut conceſſit, ſic revocare poſſit. Item, quod Papa, vel tota Eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem, quantumcunque ſceleratum, poteſt punire punitione coactiva, niſi Imperator daret illis auctoritatem. Prædicti vero, & alii adhærentes illis profitebantur palam iſta omnia credere, & promiſerunt ea ab omni impugnatione defendere. Johannes vero Apoſtolicus, convocatis Fratribus Cardinalibus & aliis litteratis & ſapientibus, per Dei Ewangelia & ſacras auctoritates Sanctorum, reprobavit omnes prædictos errores, & pro hæreſi condemnavit: nec non & hæreticos prædictos cum omnibus fautoribus eorum anathematizavit, & ab omni Principatu & honore deſtituit; & hæc ſententia excommunicationis altero anno ab Apoſtolico eſt fulminata, videlicet anno ſui Pontificatus XII. Hic Papa erat ab aliquibus deceptus errore tali: quod animæ Sanctorum & purgatorum a corporibus ſeparatæ non eſſent adhuc in cœlo, nec in conſortio Angelorum Sanctorum, nec viderent facie ad faciem claritatem Divinitatis usque poſt reſumptionem corporum, & poſt diem extremi judicii. Sed ante mortem ſuam palam & in ſcriptis revocavit iſtum errorem. Sed multum timetur, quod Eccleſia Katholica, antequam veniat Anti-Chriſtus, inficiatur iſta hæreſi, & ſeducatur totaliter iſto errore: quod animæ Sanctæ & purgatæ non ſint adhuc in perfecta beatitudine, & cum Angelis Sanctis in viſione Divinitatis. Quia ex tali errore ipſe Anti Chriſtus & ſui Apoſtoli ſive diſcipuli ac nuntii accipient occaſionem prædicandi & affirmandi, quod ipſe ſit Meſſias, a primo redempturus nos & Sanctos Patres, & perducturus ad terram repromiſſionis, id eſt, ad lætitiam æternam, videlicet ad claritatem Divinitatis. Hic etiam Papa regnum Poloniæ relevavit, quod olim defecit, miſſa Corona & titulo Regalis nominis Lottoni Duci Krakoviæ, auctoritate & cenſu beati Petri illud roborans confirmavit. Novum Ordinem fundavit militarem contra paganos, quem appellavit Milites Jeſu Chriſti. Hoc anno Wykardus Salczburgenſis Epiſcopus moritur. Qui dum quorundam Sanctorum corpora in ſua Eccleſia diſponeret elevare, invalitudine corporis ſpaſmi & letargiæ tangitur, in quandam mentis obſtupefactionem profundam prolapſus, quaſi Oza ſuper temeritate percutitur, qui arcam Domini tangere præſumebat.

Incidentia ſatis magna.

Anno ſupra dicto a Nativitate Chriſti usque poſt Purificationem S. Mariæ apparuit Cometa, non longe a Martis ſtella, caudam perlucidam poſt ſe trahens. Hic quamvis per mundum plura ſignificaverit, tamen duo manifeſtiſſima nobis memoriter recognoſco, quod eodem anno per plura regna pecora bovina valde communiter ex peſtilentia morerentur: & inundationes inauditæ & inopinabiles ſunt ortæ, ita quod in terra Stiriæ Mura fluvius 14. pontes deſtruendo evertit, & niſi iſte in Leuben cum paucis aliis remanſit. In Babaria vero diverſæ aquæ mala inaudita operabantur, ita quod fluvius Salczach prope circa Werfen in clauſula, ubi foramen munitionis exiſtit in petra, ibidem idem fluvius prædictam clauſulam ex inundatione replevit ſuper usque ad ſolam ſcalam, per quam intratur ad prænominatum foramen: clauſulam obruendo lignis, ita quod poſt torrentem inundationis via eadem permanſit immeabilis, donec per longum tempus ab hominibus terræ purgaretur. Eademque aqua pontem in Salczburga evertit, ac civitatem in magna parte intrando plures Stratas ac domos replevit ſentina. Eademque aqua in Lauffen pontem ac turrim lapideam cum multis hominibus ejecit. Diverſæ vero aquæ in Danubio congregatæ a Patavia per totam Auſtriam & Ungariam maxima damna fecerunt, in pluribus partibus integras villas cum omnibus ſuis hominibus ſubmergendo deduxerunt. Eodem anno in Nova Civitate terræ Stiriæ erat civis in vico Hungarorum, Bernhardus cognomento, cornarius. Hic xv. Kal. Auguſti die Dominica volebat fœnum cum curru de prato extra civitatem introduxiſſe in horreum ſuum, & repente venit ventus & grando: & cum currum prius ſufficienter exoneraſſet, & carratam de fœno expediviſſet; in turbine venti currus elevabatur in altitudinem altiſſimæ turris civitatis prædictæ, & tunc currus particulatim cecidit, ita quod omnes partes currus disjunctæ ſeparatim ceciderunt; ſed fœnum, ut vir prædictus nunquam inveniret, eſt diſperſum.

MCCCXVII. Caſtorius [1] Patriarcha poſt Ottobonum ſedi præficitur in vigilia Circumciſionis Domini: & in eodem anno moritur in tempore auguſtali [2], & vacavit in tertium annum ſedes. Fridricus Chunradum Abbatem de Salem, poſtea Epiſcopum Gurcenſem, mittit ad curiam, ad approbationem & confirmationem poſtulandam. Qui dum Rudolffum avum, & Albertum patrem ejus Romanorum Reges de fide ſervata Eccleſiæ commendaret, adjecit: Si radix ſancta, & rami ſancti: Si maſſa Sancta, & delibatio. Papa vero Roboam a Salomone degeneraſſe reſpondens, quæ petierat non admiſit. Interea Fridricus ſecundam expeditionem parat contra Spirenſium civitatem, tentoria ordinans prope muros. Contra quem Ludwicus, Caſtra ſiſtens, a Fridrico vehementi aggreſſu, dum ſuis cuſtodiis minus vigilanter intenderet, cedere cogitur ad bene munitum cimiterium Judæorum: in quo ſe conſervavit pro tempore, quousque exercitus uterque ſine effectu prælii ab invicem iterum ſcinditur.

MCCCXVIII. Argentinenſes inter ſe diſſentientes ambos Reges alliciunt, quibusdam Ludwico, quibusdam facientibus [3] Fridrico:

[1] *al.* Caſſonus *ſive* Caſtonus. [2] *f.* autumnali.
[3] *f.* faventibus.

qui

qui pro tunc potiorem favorem habuit civitatis, exercitumque habens copiosum, in quo multitudine peditum abundavit. Ludwicus etiam adveniens, super Bruscham fluvium ordinat tentoria ex adverso papilionum. Qui dum crebro bellum præluderent, novissime ex condicto, distinctis aciebus, galeis, intymbatis gladiis enudatis, ita ut videretur prælium inchoatum, contra se conveniunt: moxque, quod non sperabatur, partium fit distinctio; & sicut prius, sine efficientia ab invicem est discessum. Hoc tempore Johannes Rex Bohemiæ, & Hainricus Dux Karinthiæ, in Patavia placitantes ad concordiam convenerunt, ita ut Hainricus sororem Johannis duceret. Quod tum effectu caruit, puella reclamante, & suum assensum nullatenus tribuente, quæ Religionis votum asseritur habuisse. Quæ post Regi Franciæ sociatur, & transiens Navarram in partu periclitatur, & moritur in via: toti regno, & præcipue fratri suo Regi Bohemiæ fletu maximo derelicto. Hainricus autem Dux deputatus per Regem Fridricum cum Ottone fratre suo, contra Veronenses cum copiis in auxilium proficiscitur Paduanis, statimque Montem Silicis sæpissime circumvallant. Sed multis deficientibus propter loca palustria, consiliariis etiam clam præcipitium suæ fidei contrarium recipientibus obsidionis solutio est persuasa. Mittit iterum Rex Bohemiæ Johannem de Pittingen Virum nobilem ad Hainricum, promittens consanguineam suam, filiam materteræ de sorore patris genitam de Caspavia, in matrimonium. Sed alii solemnes nuntii pro ea missi nihil penitus effecerunt: puella dicente se patris & matris unicam superstitem, & terras suas ubere & natale solum nullo modo velle deserere, & ad regionem exteram transmigrare; super quibus Rex doluit vehementer. Et dum amicitiam persuasu familiarium & amicorum propter futura, quæ præconceperat, affectaret; filium suum Johannem tenellum Margarethæ Hainrici filiæ copulavit; Hainrico autem Beatrix[1] Comitis Subaudiæ filiam, Johannis Regis consanguineam, ut puta de sorore matris natam, matrimonialiter sociavit: Leupoldo Duce Austriæ procurante (quia suæ conjugis soror fuit) & in his amicitia perfecta indissolubiliter stabilitur.

MCCCXIX. Ad Kathedratum Aquilegiensis Ecclesiæ Paganus ordinatur. Hic longo tempore propter debitum Curiæ abstinens a Divinis, Ecclesiam non intravit, sententiis implicatus. Hoc tempore quidam frater, Ulricus nomine, de reliquiis seminis eorum, quos olim Rex Otakerus apud portum Naonis ad custodiam deputavit, (Ordinis Minorum) qui longo tempore ad propagationem fidei exulaverat in partibus transmarinis, rediens mirabilia retulit. Inter reliqua, cum quidam de sociis suis a Sarracenis essent exusti, ipse veniens eorum ossa colligebat: capitur, & in ignem projicitur, sed illæsus exivit. Quem per hoc gentiles dum justificarent, ait, non suis meritis, sed ossium Sanctorum virtute Dominum hoc miraculum ostendisse. Insuper retulit se vidisse in quodam loco cœnobitali quendam, qui fuit custos animalium diversorum generum, ovium, caprarum, simiarum, canum & hujusmodi: Quæ tempore statuto ad pabulum minabat, & ciborum reliquias exhibebat, dicens esse animas, sed more horum animalium vitam duxisse, & propterea in eorum similitudinem transformatos. Contra quod licet Catholice disputaret, nihil proficiens excusso pulvere de pedibus suis abiit, relicto errore mentibus Diabolicis fraudibus obturatis. In Utino Foro-Julii quiescit, miraculis multis fulsit, ad tumbam ejus catervatim populus cucurrerat. His temporibus Otto Dux Austriæ filiam Stephani Babariæ Ducis duxit. Albertus vero, agente Leupoldo fratre, Johannam filiam Ulrici Comitis Phirritarum, de Ducum Burgundiæ sanguine claro natam, propter terras se contingentes accepit. Ludwicus, consorte sua mortua, filiam Comitis Hollandiæ duxit, & nuptias in Colonia celebravit. Guta, soror Ducis Austriæ, Ulrico Comiti de Ottingen sociatur, cujus auxilio & consilio Fridricus est non modicum roboratus, Ludwicus plurimum perturbatus: quia suorum omnium secretorum præcipue conscius habebatur. Hainricus Dux Karinthiæ exiens de Padua, Chunradum de Awenstain loco sui civitati Præsidem deputavit, & suas nuptias habuit in Insprukka. Cujus prima consors Anna in Laybaco mortua, ibique subterrata, postea in Bosanum transfertur. Post hanc duxit Alheydem, filiam Ducis Brunswicensis, cujus sororem habuit Imperator Constantinopolitanus. Tertiam duxit hanc Beatricem, cujus æque sororem post transitum primæ Constantinopolitanus habuit Imperator, cujus hæredes hucusque ibidem principantur.

MCCCXX. Ludwicus opidum Muldorff cingit, ad cujus exemptionem, & Salczburgensis Præsulis (ad quem spectabat) subventionem ex Austria Fridricus, & ex Swevia cum copiis prodiit Leupoldus. Qui Ludwicum, pontem Eni fluminis prope opidum maxima lignorum congestura dissolvere cupientem, ne esset transitus Fridrico cum patruo suo Hainrico, compellunt per modum refugii ingredi Ratisponam. Fridricus autem & Leupoldus terram potenter percursitant & devastant, nemine resistente.

MCCCXXI. Johannes Papa Ludwicum Tholosanum Episcopum, ex sanguine Regum Siciliæ & Franciæ, de Ordine Fratrum Minorum, canonizavit, ejusque vitam stylo mirifico decoravit, & ipsum Episcopatum in plures subdivisit Kathedras, subjiciens omnes primæ Metropoli & fontali, scilicet Ecclesiæ Tholosanæ. Hoc anno Hainricus Dux Austriæ cum multitudine equitum ad petitionem Ecclesiæ venit Brixiam contra Vice-Comites, scilicet Mempheum[1] & filios suos: & visum est Papæ, quod minus serioše intenderet negotio. Parum enim proficiens, post multos tractatus in Alamanniam ad fratrum auxilium & instans prælium est regressus; quod per interpolata ad multorum

[1] *l.* Beatricem.

[1] *leg.* Matthæum *seu* Maphæum.

districtuum, rerum & hominum dispendium usque huc anxie pertractum. Quia, ut dicit Horatius:

Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ,
Mox trahitur manibus Regum fortuna retortis.

Anno eodem Ordo Prædicatorum a Papa canonizari S. Thomam petiit de Aquino, quem verbis Salomonis, qui dicit in Ecclesiaste: *Quæsivit Ecclesiastes verba utilia, & conscripsit sermones plurimos*, a sanctitate vitæ, a sinceritate ac utilitate doctrinæ plurimum commendavit. Hic Alberti Magni auditor multa scripta ac summas reliquit, in quibus Sacram Scripturam elucidavit, & præ cæteris sui ævi de virtutibus colendis & vitiis fugiendis clarius disputavit, sicut Horatius de Homero dicit:

Qui, quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

De Prælio Ludwici & Fridrici, & ibi gestis.
Cap. IV. MCCCXXII.

Fridricus exercitum congregans, Ungaros & Comanos advocans, finem necessitati volens imponere, & cum Ludwico per prælium negotium expedire. Et mittit ad Enrichonem de Alzeya, ad Hainricum Ducem Karinthiæ, monens, quatenus sibi, sicut promiserat, subveniat & assistat. Fecit autem transitum per Monasterium Admontense, cui Abbas Engelbertus, vir magnæ litteraturæ, est lætus [1] locutus, quod Regi Fridrico expeditio non esset utilis, & in prosperum nullatenus proveniret. Hic vir acuti ingenii de Regimine Principum ad Juvenes Duces scripsit, ac inter alia de Daniele & Apocalypsi sumpta materia, de Anti-Christo superlucide disputavit. Hic a duobus suis Monachis, quodam laico Camerario agente, ad Dominum Salczburgensem defertur, & quod esset in Monasterii causis inutilis, accusatur. Quadam nocte præfatus laicus vidit se stantem in littore stagni juxta Monasterium positi cum duobus Monachis supradictis, & beatum Blasium, qui ibidem Patronus est, concito remigio undas persulcando venientem, duosque ipsos Monachos sublatos, & laicum tractum ad alta stagni per colles horribiles spumantis pariter evectos, in profundum indignanti animo demersisse, exprobrantem eis, mendacium & perfidiam contra suum Ministrum & fidum Pastorem Ecclesiæ fabricasse. Camerarius mane facto plenus timore mortis, tremens Abbatis pedibus provolutus, petens gratiam, cuncta quæ viderat patefecit. Vade, inquit, dispone domui tuæ, quia morieris, & Monachi una tecum: quia beatus Blasius vestrum facinus & meam injuriam disponit sic ulcisci. Quod factum est brevi temporis intervallo. Magister etiam Bartholomæus Veronensis civitatis indigena, in curiis Principum assuefactus, Vir in Astronomicis & Naturalibus expeditus, quod Rex Fridricus semper videretur in cauda Leonis, & quod non proficeret, asserebat.

[1] *ita Cod. MS.*

A Fridricus fata contemnens, omnia Deo committens, Babariam ingreditur cum Hainrico fratre & Fridrico Præsule Salczburgensi: Leupoldi fratris adventum præstolans, aliquantulum moram traxit, rapinas & incendia exercuit circumquaque. Ludwicus secum habens Regem Bohemiæ Johannem & Hainricum Ducem Babariæ, hostem arcere cogitat, ne procedat. Dux Leupoldus ut fructuosius fratri succurreret, moram fecit; nuntium tamen direxit, qui fratris statum & belli tempus perquireret, & omnia sibi renuntiaret, ipse vero circa Monasterium, quod Campus-Principis dicitur, reditum nuntii præstolatur: qui in via a quodam partium Ludwici capitur, & Leupoldus ab expectatione sua frustratur. Interea bellum indicitur, & ratificatur. Missaque coram Fridrico summo di-
B luculo celebratur: & positis ibi Reliquiis, annulus aureus sive circulus simul apponitur, qui præsagos eventus (sicut dicitur) præsignavit. Quo mirabiliter sublato, quæsitus nunc est repertus; licet aliqui fuerunt inculpati, qui post tribulationes eis suscitatas se innocuos ostenderunt. Postea anno Domini MCCCXLIII. alijs fratribus sublatis, aurum apud quendam sacerdotem in Austria mortuum invenitur, & Alberto Duci præsentatur, qui super hoc gaudio nimium replebatur. Fertur, quod idem aurum hoc tempore nimium expalluit, quod alias miro modo splendescere consuevit, & proavo Fridrici gloriam præmonstravit sæpius triumphalem: creditur enim extitisse de eo, quod tres Magi
C Domino obtulerunt. Nec mirandum: cum Josephus scribat sardonicem lapidem in dextro humero Pontificis, cum sacrificium sacerdotis Deo placebat, tanto splendore micasse, quod etiam procul positis ejus radius appareret egressuris ad prælium. Si Deus cum eis erat, tantus fulgor in lapidibus Rationalis apparebat, ut omni fieret multitudini manifestum, eorum auxilio Deum adesse. Asserit etiam, hunc fulgorem Sardonicis & Rationalis cessasse ducentis annis, antequam hæc scripsisset, cum Deus moleste ferret transgressiones legis. Igitur
D Fridricus acies ordinat, & fratrem suum Hainricum cum Stirjensibus & turma Præsulis Salczburgensis in primis constituit. Ludwicus vero Bohemorum Regem exercitum curantem cum Hainrico Duce Babariæ genero suo pro principalibus deputavit, aliis utrobique in suis ordinibus collocatis: utrique insignia Imperialia aquilifera præferuntur. Sed Ludwicus habitum plurificans, prælium est ingressus, cujus agmini vexillum vir cordatus gentis Franconiæ de Slusselberg strenue præferebat. Sed non minoris audaciæ Spiritu intumatus nobilis vir de Gerolczekch Alsaticæ militiæ, Fridrici acies vexilli sui prægestatione alacri roboravit. Vociferatione autem & tubarum concrepatione personante, primæ acies commiscentur, ubi signa Bohema subprimuntur ad tempus. Deinde revertunt ad quendam monticulum, & dorso solis resplendentiam excipiunt, in adversariorum oculos ignicomos radios solis immittunt, & visum eorum restringunt. Sic Hannibal cum Romanis olim prælians, ubi comperit

Auſi-

Aufidum amnem ingentes auras mane perflare, quæ arenas & pulveres agerent, aciem ſic direxit, ut tota vis a tergo ſuis, Romanis in ora & in oculos incideret, eaque de cauſa ſtravit Romanorum exercitum. Fridricus autem fratris incurſu & ſuorum ingreſſus prælium, quaſi fulgetra, quæ præcedit tonitruum, acies dividebat: & ambo ita fortiter dimicabant, ut notarentur aquilis fuiſſe velociores, leonibus fortiores, ſicut de prælio dicitur Trojanorum:

Ut vidit ſocios infeſto cedere Marti,
Rex Danaum ſublimis equo volat agmina circum.
Hortaturque Duces, animos ad prælia firmat.

Et addit:

Sic ferus Atrides adverſus fertur in hoſtes,
Infeſtusque Phrygum perturbat cuſpide turmas.
Virtus clara Ducis vires accendit Achivum,
Et ſpes exacuit languentia militis arma.

Poſtquam autem mirifice decertarunt, per fugam labentibus Ungaris & Comanis, Hainricus Dux in ſortem Regis Boemiæ captivatur. Fridricus poſtea repertus Fridrico Purgravio, deinde Ludwico præſentatur; quem tamen Fridricus æſtimavit ſe in prælio occidiſſe, admirans, quod ſupereſſet. Mox Fridricus in caſtrum Dornberg, deinde Trawſennicht; Hainricus frater ejus in Bohemiam, nobiles & milites captivati tam ad Hainricum Ducem, quam ad diverſa loca miſerabiliter abducuntur; plures ad dies revertendi dimittuntur; alii ſolutione pretii vel petitione precum & gratiæ eximuntur. Geſtum eſt hoc prælium IV. Kal. Octobris in pratis Emphingen prope Muldorff, territorii Salczburgenſis. Dicitur Fridrico hæc adverſitas contigiſſe, quod Comanos, gentem crudelem & impiam, ſuper Chriſtianorum interitum adduxiſſet, humanum ſanguinem avide ſitientem, ſicut olim ad Amaſiam Regem Juda dictum eſt contra Idumæos pugnantem: *O Rex, ne egrediatur tecum exercitus: non enim eſt Dominus cum Iſrael, & cum filiis Ephraim. Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere; ſuperari te faciet Dominus ab hoſtibus: Dei quippe eſt adjuvare, & in fugam convertere.* Et ſic hoc prælium eſt ſolutum. Nam ſecundum Salaſtinum: Hoſtis fugatione, captivatione & proſtratione prælium terminatur, & victoria comparatur. Et Ovidius: *Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.*

De Geſtis poſt bellum, & ſolutione amborum fratrum. Cap. V. MCCCXXIII.

Exacto prælio Ludwicus civitates Imperii luſtravit, & a quibusdam ſibi olim contrariis honorabiliter eſt ſuſceptus. Hainricus autem Dux Karinthiæ, & Hainricus Comes Goriciæ ad eum veniunt, poſtulantes, ut Fridricum dimittat, pactaque recipiat ad ſuæ placitum voluntatis. Qui dum nihil proficerent, inaniter ad propria ſunt reverſi. Hoc anno tempore Martii canonizatur S. Thomas de Aquino. Leupoldus ſpirans adhuc minarum & cædis, Imperialia inſignia reddere recuſavit, & nec dum ſe victum propter fratrum angariam affirmavit. Hoc tempore miſit Ludwicus Berchtoldum de Neyffen in auxilium Vice-Comitum Memphey [1] & filiorum ejus, contra quos Papa miſit Berthrandum de Ordine Minorum, Theoloſianum de Ordine Prædicatorum, Inquiſitorem hæreticorum per Lombardiam: Qui judicaverunt eos hæreticos, ſententia lata contra eos: & propter hoc Ludwicus fautor hæreticorum judicatus eſt, & privatus omni jure, quod ſibi quoad Imperium competere videbatur. Deinde Papa miſit Berthrandum, tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem & legatum, atque Philippum filium Karoli de Vallas, poſtea Regem Franciæ, & formati ſunt contra eum proceſſus graves. Quod pro nihilo reputans, appellationem interpoſuit, ſalubriter, ut ſibi fuerat viſum, informatus. Hoc anno miſit Rupertus Rex filium ſuum cum magna claſſe in Siciliam, qui depopulatis multis Dioceſibus, Neapolim eſt poſt reverſus. Rex Bohemorum ad beatam Virginem proficiſcens peregre in civitatem, quæ Rupis Sancti Amatoris dicitur, venit ad Regem Franciæ, [2] fortunam belli, & quod Hainricum Ducem captivum abduxerit, expoſuit, qui perſuaſit eum dimittendum. Quod & factum eſt in Regis reverſione, talibus interjectis conditionibus, ut Duces Auſtriæ redderent munitiones & opida ad regnum Bohemicum ſpectantia, ab olim Ducibus Auſtriæ obligata: inſuper & inſtrumenta illa, quæ Rex Albertus dicitur extorſiſſe a Boemis, ut nullum ſibi niſi de linea ſui germinis in ſuæ terræ & regni Principem acceptarent. Quibus omnibus ad Regis Boemorum deſiderium explicitis, Hainricus liber & omnino ſolutus in Auſtriam eſt reverſus. Hoc anno in ſecunda veſpera nativitatis S. Mariæ a clara die per totam integram noctem coruſcationes inconſuetæ apparuerunt, & tonitrua horribilia inſonuerunt: ex his Eccleſia circa Pruke eſt ſciſſa; & turris media in caſtro Gracz a fulgure eſt cremata.

MCCCXXIV. Leupoldus colloquium habuit cum Rege Franciæ in Campaniæ opido, quod Barra ſuper Albam dicitur; & Monaſterii Claræ vallenſis eſt. Regnum Romanorum (ſicut fertur) ad Francos ſic convertere nitebatur, ut ſibi Vicariatus committeretur; & ſic fratris exemptio facilior ſequeretur. Quod cum conſequentiam non haberet; datis ſibi invicem muneribus, & Francis Teutonicorum gloriam admirantibus, ab invicem diſceſſerunt. Leupoldus poſt hæc fertur quædam præſtigia comparaſſe, ut fratrem eriperet: quod Vir ſolidæ fidei non admittens, ſe Domino fideliter commendavit. Conſors Fridrici, filia Regis Arrogoniæ, Elizabeth peregrinationes, jejunia, caſtigationes adeo ſibi graves aſſumpſit, ut nimius fletus viſum ſibi ademerit. Interea Ludwicus caſtrum Burgaw obſidens, nil profecit; quia Burchardus de Hellerbach, qui id nomine Ducum Auſtriæ tenuit; ſtrenue reſiſtens, Leupoldi exſolutionem expectavit: qui cum exercitu copioſo veniens, Ludwicum de campeſtribus abigebat. Hoc anno moritur Duciſſa Kalabriæ, in die beati Mathiæ Apoſtoli, ſoror Ducum Auſtriæ, & in Neapolim tumulatur. Ludwicus dicens, a Leupoldo ludibrio ſe haberi, ad Fridrici laxationem difficilem ſe reddebat: nunc decapitandum,

[1] *Lege* Matthæi. [2] *ſupp.* ejus.

nunc

nunc perpetualiter in clausura carceris conservandum, nunc omnibus suis spoliandum Principatibus asserebat. Leupoldus ad partem Wangionum Ludwico favorabiles properans, omnia quæ reperire poterat, cum præclara militum multitudine devastavit. Obtinuit etiam a Papa Johanne per districtus suæ Dominationis decimas Ecclesiasticas, ut obsistere posset valentius per earum patrocinium Ludwico. Sed morte præventus [1], bullatæ litteræ, & super hoc confectæ, in curia sunt relictæ. Misit autem Ludwicus ad curiam Nuntios solemnes, æstimans se proficere in agendis: Qui inefficaciter revertuntur, sibi jus ad Imperium jam per gladium acquisitum [2] . . .

MCCCXXV. Cum processus Papales inciperent crebrescere, & per Alamanniam contra Ludwicum undique volitare; de Fridrico intra se cœpit mitius cogitare. Et ecce! quamvis multum fuerit laboratum ad nullum profectum, Religiosus Vir Gotfridus Prior de Mawrbach, Carthusiensis Ordinis, in spiritu fortitudinis ad Ludwicum veniens, eum intrepide sic affatur: O Princeps, ait, karissime, cujus jam triumphalis gloria per mundi climata divulgatur, cujus nomen undique festivis laudibus celebratur, virtus & pietas prædicatur, quibus Respublica decoratur, & Regum potentia ampliatur. Cur consanguineum & amicum non absolvitis? Cur Regni statum non perpenditis? Quare consilia vanorum imbibitis, quæ clementiam Principum nituntur subvertere? Considerate, quod Duces Austriæ necdum a calore Martio defecerunt, nec potentia nec divitiis marcuerunt: quorum assistentia poteritis roborari, & tam in exteris, quam interis provinciis gloriari. Quid honoris conquiritis, si indignationem vestram in eorum terris respergitis? immo plus decoris [3] comparatis, & claritatem vestræ Celsitudinis obscuratis. Ludwicus advertens juxta Salomonem, quod *verba sapientum sunt quasi stimuli, & sicut clavi in altum defixi;* clausum educi imperat Fridricum, officium sacræ Missæ Prior celebrat, & ambos Sacra Communione de una Hostia corroborat, Sacramento Fridricum Ludwico ac pacis oscula tenebat, per pacta subjectionis & obeditionis fratres implicat, ut Imperialia insignia restituant, & Regnum amplius non offendant. Quibus peractis sic sibi invicem conglutinantur, sicut quondam Jonathas atque David. Ob hoc juramento propter [4] Fridricum absolutum reddidit. Sed ille fidei intendens nexibus recusavit, dicens, hoc non ad decentiam Principum pertinere, & vulgi improperium posse nullatenus declinare. Fridricus Austriam reversus, intonsa barba, vix cognitus a notis, immensum gaudium attulit universis.

Hoc tempore Rex Boemiæ Johannes civitatem Metensem obsedit, vineas devastavit, munitiones civium circum civitatem plurimas dejecit, plateam unam in suburbio longam usque ad civitatis introitum tendentem concremavit. Habuit secum Episcopos, Duces, Comites & in-

A finitum populum. Novissime concordatis civibus extrinsecis, propter quos venerat, cum intrinsecis obsidionem solvit, non multum gaudens de reconciliatione inter Ludwicum & Fridricum. Et audiens Marchionatum Brandenburgensem ad Imperium devolutum, properat, Ludwico insistens, ut juxta promissa memoretur suorum laborum, & uni filiorum suorum conferat dominium prædictum, cum ad idem ab incolis quibusdam fuerit advocatus. Quæ petitio effectum non habuit: quia filio suo Ludwico providerat de eodem, ad quem roborandum sibi filiam Regis Daciæ matrimonialiter copulavit. Ab illo tempore & in reliquum orta est quædam aversio inter Ludwicum & Regem Bohemiæ. Aliud hujus aversionis seminarium extitit: quia filia Johannis Marchioni
B tradita Misnensi ad patrem revertitur, & super hoc pacta habita sunt soluta: filia etenim Ludwici Marchioni sociatur, & Johannes plurimum indignatur. Fridricus autem in domo & dominio Regalis nominis utitur, nihil contra Ludwicum animo est molitus, quiete vivens, ulterius prælia non exercens, juxta quod dicit Horatius:

. . . . . post Punica bella quietus.

De obitu Hainrici & Leupoldi Ducum Austriæ. De oppositione Ottonis contra fratres, & Hæresi Adamiana. Cap. VI. MCCCXXVI.

Fridricus tristia nuntia excipit, apud castrum Judenburg existens, fratrem suum Leupoldum ex hoc Sæculo emigrasse. O, inquit, Dux Ducum, gloria militum, timor & terror hostium. O patriæ Germanæ decus singulare inter Regum filios, temporis tu decus. Et ejulatu maximo
C exclamans, pilis injiciens manus: quid mihi jam proderit te subtracto? Quid me desolatum in hujus sæculi fluctibus reliquisti? Transiit autem in Argentina pridie Kal. Martii, ibique in majori Ecclesia armorum suorum insignia in æternam memoriam sunt locata, in Campo Regis cum Regina matre sua sepelitur. Hic cum excellentis, sed agilis corporis miles fuit, animi magni, cordis intrepidi, sicut Statius dicit de Tydeo: *Major in exiguo regnabat corpore virtus*, quem Homerus minorem corpore, sed armis fuisse asserit fortiorem. Et Seneca dicit: *Exire potest de humili corpore & deformi animus generosus & magnus, nec deformitate corporis animus defædatur.* Papa Johannes, audita morte
D sua, probitatem suam & actus commendans, dicitur doluisse. Duas filias reliquit; quarum unam post excessum omnium fratrum Albertus Dux in Franciam; alteram in Poloniam nobiliter maritavit. Hoc anno Ludwicus a quibusdam vocatur in Lombardiam, & clam se disponit ad intrandum.

MCCCXXVII. Hainricus Dux post captivitatem raro perfruens sospitate, novissime in Prukka Stiriæ in die Blasii moritur, & in Gracz apud Minores a Fridrico gloriosis exequiis sepelitur; post incinerationem vero a consorte Elizabeth cum Religiosis viris ad Campum Regis transfertur, & ibi solemniter tumulatur. Hoc anno, mortuis Leupoldo & Hainrico, suscitavit Deus Spiritum vertiginis, quem misçuit

[1] *ita Cod. MS.* [2] *desunt quædam in Cod. MS.* [3] *decoris* [4] *videtur hic aliquid deesse in Cod. MS.*

miſcuit inter ſuperſtites adhuc fratres. Nam Otto portionem ſe contingentem poſtulat, &, ut exæquo ſecum dividant, deprecatur, eo quod ſe non habere diceret tantum, quo ſuam Conthoralem & ſuam clientelam ſicut decuit ſuſtentaret: cujus inquiſitioni fratres efficax nihil penitus reſponderunt. Illo vero perſeverante, ortum eſt per Auſtriam & Stiriam diſcidium grave ſatis, Nobilibus ſe variantibus; quibusdam dicentibus, Ottonem rationabiliter promoveri; aliis aſſerentibus, terrarum & fratrum cohærentiam non competere ſequeſtrari in terra. Otto Reges Hungariæ & Boëmiæ adiit, conſilium & auxilium poſtulando. Rex autem Hungarorum fratribus ſcribit, ut Ottonem placatum faciant, ne majus periculum ſupercreſcat, gentemque multam in ejus adjutorium deſtinat. Rex vero Boëmiæ in propria ſua perſona pro Ottonis complacentia ſe præſentat. Quibus Otto in occurſum properat, & civitates, caſtra, opida ex illa parte Danubii obſidet, & ad libitum ſuum firmat. Populus Regis Hungariæ abſcedens, Bohemorum gentem in terra graſſari permittens: quorum inſtantia loca munita pene omnia trans Danubium aquiſivit, & ſui Regis ditionibus devincivit. Hoc tempore manifeſtata eſt quædam hæreſis apud Coloniam Agrippinam, ubi viri & mulieres diverſi ſtatus in noctis medio in locum quendam ſubterraneum, quod templum dicebant, convenerunt. Et quidam, Waltherus nomine, Dæmonialis Sacerdos Miſſæ officium celebrare viſus eſt, & poſt elevationem ſermone habito, extinctis luminibus, quilibet ſibi proximam cognoſcebat: & poſt epulis delitioſiſſime vacantes, choreas ducebant, & gaudia maxima peragebant, dicentes, hunc ſtatum ſtatui Paradiſi & primis parentibus ante lapſum eſſe conformem. Idem autem, qui erroris caput extitit, ſe Chriſtum dixit, pulcram quandam & nobilem domicellam Mariam aſſeruit; & ſic ſacramenta fidei, ſinceritatis ſcilicet & veritatis azyma, fermentavit. Matrimonium cum perſonis quantumcunque proximis licitum, Chriſtum non de Virgine natum, nihil eſſe jejunium, Deum non eſſe natum neque paſſum turpiter diſputavit, & multa fidei ſacratiſſimæ contraria grunniebat. Degradatus, damnatus usque ad uſtionem non reſipuit, mentitus eſt etiam, die ſe tertia ſurrecturum. Hujus voti plures compotes, experientes falſas inſanias & errores, ad Dominum ſunt converſi, converſionis atque reſipiſcentiæ ſigna juxta Patrum ſanctiones crucis ſignaculum in ſuis veſtibus præferebant. Hæc Hæreſis Adamiana dici poteſt, cujus Iſidorus fecit mentionem in libro Ethimologiarum, dicens: Adamiani vocati ſunt, quia Adæ imitantur nuditatem, unde nudi erant, & nudi inter ſe mares & fœminæ conveniunt.

Fuit etiam hoc tempore in multis locis circa metas Auſtriæ & Boëmiæ zizania multiplex in medio tritici ſeminata, & pulcritudo agrorum Eccleſiæ defœdata: qui ſub terra in ſpecubus ſe dicunt non peccare, nec abſolutione egere, eo quod Dominus Petro dixerit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, & ſolveris* &c.; Deum trinum A Patris, Filii & Spiritus Sancti Perſonas immateriales viſibili, ſenili, juvenili & columbina ſpecie demonſtrantes; diverſos & mirabiles errores debachantes; Miſſarum ſolemnia officia & elemoſinas pro purgatione & exemptione animarum pro nihilo reputantes. Ex quibus maxima multitudo utriusque ſexus incendio perierunt, & ſemen ſuæ malitiæ in ſulcis velut abſconditum in perverſorum cordibus reliquerunt, quæ juxta ſententiam Domini ſinuntur creſcere usque ad meſſem, id eſt, ſæculi conſummationem; *oportet enim hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*, ut Apoſtolus Paulus dicit. Dux autem Otto, diſpenſatione habita ſuper cognatione carnali inter ſe & conſortem (quia ei in tertia conſanguinitatis linea cohærebat) Monaſterium fundare diſpoſuit. Et cum eodem anno filius ei primogenitus, Fridricus ſcilicet, in die beatæ ſcholaſticæ natus eſſet, Abbates & Patres Ciſtercienſis Ordinis de Sancta Cruce & alios perquirens, in loco apto ſuper Murczam fluvium in Stiria, montibus, vallibus, rivis, pratis, paſcuis & nemoribus decorato, ſuum propoſitum eſt exorſus, ipſum locum initiatum in laudem Beatæ Virginis Novum Montem cenſuit appellandum: quem diverſis prædiis pro ſuſtentaculo victualium in temporalibus, & magnis libertatibus & ad cultum Dei variis ornatibus communivit. Quæ fuerant ſua, obtulit, quæ aliorum, recompenſa digni pretii commutavit: muſſitantibus pluribus, quod diſtraheret quædam ad commune bonum pertinentia, & ſuæ fundationi præpararet; ſpecialiter autem tamen quodam Wernhardo, cujus area ipſa fuit. Commutationem talem fecit, ſicut David dixit ad Ornam [1] Zebuſeum: *Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino*, ita ut quantum valet argenti accipias. Et ſic Princeps pro temporalibus æterna comparavit, & cor ſuum in theſauros cœlicos collocavit: quia optima eſt commutatio, pro illo etiam omnia relinquere, quo habito omnia poſſidentur, ſicut Proſper dicit:

Non mirabor opes, nullos ſcrutabor honores:
Pauperiem Chriſto divite non timeo.

De Introitu Ludwici in Italiam, & ibi geſtis: & de reconciliatione Ducum Auſtriæ cum Rege Bohemiæ.

Cap. VII. MCCCXXVIII.

Ludwicus per vallem Tridentinam Italiam introivit, & dum Hainrici Ducis Karinthiæ terminos, ſcilicet Comitatum Tyrolis ſubintraſſet, ſibi ac ſuis hæredibus utriusque ſexus Karinthiam & Comitatum Tyrolis litteris Regalibus, poſtea Imperialibus dicitur confirmaſſe. Venit antea Veronam, deinde Mediolanum: ubi in die Sancto Pentecoſtes corona ferrea coronatur, & pertranſiens Liguriam & Montem Pardonis, ſine offendiculo venit Pyſas. Pyſani autem reſiſtentes primo, ei introitum denegabant. Deinde cum exercitum contra eos ordinaſſet, menſe Octobris ſe ſubmiſerunt: quos in deditionem ſuam acceptos, poſtea confovit gratia ſpeciali.

[1] *leg.* Areuna Jebuſæum.

MCCCXXVIII. anno ſupradicto.
In die Sancto Epiphaniæ a Romanis accepit coronam Imperialem, dicentibus, hoc bene licere, quia Papa non adeſſet. Coronavit autem eum Præfectus Urbis, qui hoc ex jure dicitur habere, ut Imperiale diadema Papæ manibus ſubminiſtret, & exhibeat, dum illud Imperatoris capiti ſupponit. Eodem anno menſe Maji per aliquos de Clero intrudi fecit in Papatum fratrem Petrum de Corbario, de Ordine Fratrum Minorum, qui vocatus eſt a ſuis Nicolaus V., & idolum in domo Dei, & monſtrum in beati Petri Kathedra collocavit. Populus & Clerus Romanus quaſi a tirſta[1] percuſſus, oculos habens, & non videns, illi genuflexiones & pedum oſcula, ſicut & ipſius Imperatoris populus, exhibebat. Peperit autem Imperatrix illo tempore filium, quem pro gloria Urbis Romanum, quaſi insigniorem cæteris, appellabant. Conflans autem exercitum contra Rupertum Regem, ab urbe ſe movit, & cum in hoc nihil proficeret, juxta Lucanum: *Qui terret, plus ipſe timet; mos iſte Tyrannis convenit*, quinta die menſis Auguſti rediit, & Papam ſuum inſtituit, ut curiam ordinaret, & alia quæ ad ſuum officium pertinent, reſtauraret. Qui mox ſex Cardinales inſtituit, & tam ſuam, quam aliorum conſcientias non modicum onuſtavit. Hoc anno Ottoni Duci Auſtriæ ſecundus filius natus eſt, ſuper quo non modicum gaudium Auſtralibus eſt exortum. Romani tædiati in otio Ludwici, ſibi cœperunt palam & publice rebellare: milites etiam nobiles, quos ſecum traxerat, ſtipendiis ſuis protractis, non modicum conturbabat, & contra plurimos concitabat. Quidam etiam ab eo ſe ſubduxerant, & pro ſuis ſudoroſis ſervitiis opponebant; & propter hoc & alia de exitu ſuo in Alamanniam cogitabat. Habitoque conſilio ab urbe cum ſuo Papa egreditur, venit Byterbium: ubi ad eum plurimi venientes caput ſuum atque illius Antipapæ oleo vanæ & ſeductivæ complacentiæ liniebant, & ſe ad quælibet dignitatum officia ingerebant. Stephanus autem de Columna, & Berchtoldus de Urſinis, mox dum ab urbe ſe movit, Romam venerunt, & a populo magnifice ſunt ſuſcepti: quia fuerant adverſarii Ludwici. Hoc tempore moritur Galeates Pyſis, & Caſtrucius Lucæ: & recepit Ludwicus civitates Caſtrucii, Pyſas, Lucam & Piſtorium in deditionem.

Hoc anno Paduani, agente Marſilio de Carraria, officiales duos Karinthianos licentiaverunt, & ſe cum civitate tam grandi de Veronona tradiderunt. Fridricus Rex cogitans periculoſum eſſe patriæ, litigia gerere; concordiam cum Ottone fratre & Johanne Rege Bohemiæ meditatur, & indicta die conveniunt. Rex Bohemorum in occurſum Fridrico, detracto capucio, ut reverentiam faceret, venienti proceſſit: Fridricus, lento pileo ad modicum elevato, obviationis vicem rependere videbatur. Quo facto Rex Johannes arbitrans ſe contemptum, placiti diem ſolvit, dicens, ſe Imperatoris filium & Regem: neſciens, quis eorum alteri eſſet præferendus. Interea ſecundario conveniunt, ubi Dux Otto manifeſte in faciem Regi dixit, dum tergiverſando durius ſe haberet, & aquiſitis tenacius inhæreret: Si noſtra ſic ambitis, promiſſa veſtra ter, Rex Bohemiæ, ter oblivionis obprobrio maculatis. Tandem ei ad ſtipendiorum recompenſam maxima ſumma pecuniæ contaxatur: & reſtitutis pluribus, quæ aquiſierat, & in manibus habuerat, in amicitia mutua ſunt firmati, cœperuntque ipſe & Fridricus ſe diligere, & familiaria colloquia commiſcere. Populus terræ lætatur, & gaudio inenarrabili gratulatur, quia auferebatur ab eis jugum & oppreſſio Bohemorum, & indicebatur in reliquum proprio-rum obſecutio Dominorum, juxta id Boëtii:

Reditu proprio ſingula gaudent,
Repetuntque ſuos quæque recurſus.

[1] *f.* a thyrſo.

De Obitu Fridrici Regis, & aliarum perſonarum de Domo Auſtriæ.

Cap. VIII. MCCCXXIX.

Dux Otto concors cum fratribus, ad loca Reni ſuperiora proficiſcitur. Nam Milites & Nobiles ac Civiles illius terræ deſiderabant, ut haberent poſt Leupoldum ſubductum qui eis præeſſet, & cauſis eorum ac neceſſitatibus provideret, & ne etiam inſoleſcere inciperet ipſa terra. Et veniens ibidem diverſa ſolatia habuit. Filium ſororis ſuæ Rudolfum Lothoringiæ Ducem in civitate, quæ ad Sanctum Theodatum dicitur, eſt affatus, & cum jocundis colloquiis ab invicem diſceſſerunt. Fridricus Rex ſe contulit ad montana, cum eſſet infirmus, ut in caſtro, quod Guetenſtain dicitur: tam de corporis dolore, quam de cura terrarum reciperet levitatem. Hoc anno Terviſini oppreſſi a Cane de Verona, & a Duce Karinthiæ Hainrico, qui tutor fuerat Johannis Comitis Goriciæ, ſubſidium non habentes, conſilio advocati Terviſini, prædicti ſe Canis manibus ſubmiſerunt. Qui poſt triduum receptionis civitatis in tantum eſt gaudium reſolutus, ut (ſicut ei fatatum fuerat a quodam, ut dicitur, Mathematico) adhuc vita eximeretur: Alberto & Maſtino conſanguineis ſuis ad omne dominium ſuum introgreſſum apprehendentibus. Hoc tempore Johannes Rex Bohemiæ contra Lituanos profectionem fecit, & habito congreſſu cum eis, fortiſſimus eorum proſternitur: cujus longitudinis menſuram pro miraculo transmiſit, ita ut exceſſiva magnitudo corporis ſui viſa plurimos traheret in ſtuporem. Hoc anno in vigilia Matthiæ Apoſtoli Guta Comitiſſa de Ottingen, ſoror Ducum Auſtriæ, Wiennæ moritur, & corpus in Campum-Regis transfertur: unum filium reliquit, juvenem ſpecioſum. Fridricus autem Rex percuſſus morbo apoplexiæ, ut quidam dicunt, alii autem eum diſſenteriam habuiſſe ajunt. Cœpit autem vehementer deficere, & invaleſcentibus morbis anno Domini MCCCXXX. in Octava Epiphaniæ tranſiit, & diſpoſuit teſtamento glorioſo per Eccleſias & Monaſteria, & in loco fundationis ſuæ Mawrbach, Carthuſienſis Ordinis, regali cultu & ſolemnibus exequiis ſepelitur. Fertur etiam, quod a quadam nobili muliere quoddam confectum cibarium ſumpſerit, quo

ipſe

ipſe Rex in favorem ſui mariti moreretur: in A morbum impetiginoſum corporis eſt mutatum, mortis materiam ſecum ducens. Quod factum in ipſo marito morte acerbiſſima eſt punitum, ſalvata conjuge, quæ fuit imprægnata. Eodem anno in Annunciatione Beatæ Virginis obiit Domina Duciſſa Elizabeth, conſors Ducis Ottonis: quæ (ſicut fertur) cum Alberto Duce & quibusdam puellis in quodam obſonio venefico & lætali ſumpſerit cibum mortis. Dux vero Albertus, membrorum compage contracta, ad opera militaria impotens quoad manuum & pedum virtutem, ſella geſtatoria mira præditus ſapientia & induſtria circumfertur, nec minus efficaciter res diſpoſuit, quia Salomon dicit: *Melior eſt ſapientia, quam arma bellica.* Et Tullius: *Parum proſunt arma foris, niſi conſilium fuerit domi.* Et licet caſus iſte terram concuſſerit, Dux tamen iſte Regibus & cunctis adverſariis ſæpius viriliter reſtitit, & Deo cooperante terras egregie ſuas defenſavit. Duciſſa vero defuncta ad Monaſterium Novi-Montis transfertur, ibique ſolemniter tumulatur. Cujus morte, & fratris infirmitate Dux Otto comperta, ineffabiliter doluit: & peractis exequiis cum recommendatione dilectæ conſortis ſuæ, fletu terſo, ad familiarium & amicorum conſilium cœpit de conjuge cogitare. Fratre etiam perſuaſo, miſſum eſt in Siciliam, ut nepotem[1] ſuam, filiam Petri Siculorum Regis; cujus mater ex Ottone Duce Karinthiæ, avunculo ſuo, fuit progenita, duceret. Sed quia convenientiam non habuit, ſic permanſit. Miſſum eſt etiam in Kracoviam, ut Lothonis Regis natam, Reginæ Hungariæ ſororem, acciperet. Sed nec hoc adeo indiſpoſitum[3] fuerat, & ſimiliter conquievit. Interea contingit Bohemos & Auſtrales in metis graviter diſſentire, & nunc his, nunc aliis fortunam adeſſe, & abeſſe; & tamen in alterutrum res arte ſatis & hoſtiliter agerentur. Noviſſime Bohemorum Nobiles potiores capiuntur, & ad Ducis Alberti præſentiam adducuntur: prius etenim Auſtrales nonnulli Bohemis ſub ſimili deveniebant ſorte, datis ante treugis ad eundum & redeundum. Bohemi nuntiant Regi ſuo, utile eſſe, ut cum Ducibus Auſtriæ amicitia & concordia tractaretur; alias iſtas terras, tam Regnum quam Ducatum non poſſe aliqualiter quietari: & ſi apte fieri poſſet, hoc ipſum per aliquod matrimoniale connubium firmaretur. Et tractatum eſt inter Ottonem Ducem, & Johannis Regis Bohemorum filiam, Annam nomine, conjugium; adhuc juvenculam, quod poſtea feliciter eſt confirmatum. Hoc anno in die beatæ Margarethæ tranſiit Elizabeth, relicta Regis Fridrici, & apud Fratres Minores in Wienna ſub marmoreo ſarcofago prope Blankam, Rudolfi Regis Bohemorum relictam, Francorum Regis filiam, tumulatur. O quam luctuoſa mors juvenum Principum! nam mors juvenum acerbior eſt, quam ſenum, ut dicit Tullius, exemplificans de pomis, quæ immatura, difficile avelluntur, matura per ſe cadunt. Veruntamen hunc finem omnes lugubrem expectamus, quia *omnes morimur, & ſicut aquæ dilabuntur in terram*, ſicut ad David dixit illa mulier Thecuites. Et Horatius dicit: *Mors ultima linea rerum.*

De Reditu Ludwici, & reconciliatione ejus cum Ottone Duce Auſtriæ. MCCCXXX.

Ludwicus vicariatum Mediolanenſem Atzoni Vicecomiti, & Vicariatum Lucæ cuidam Franciſco potenti contulit, & in Alamanniam eſt reverſus, habuitque ſecum Legiſtas, qui ſua opera fovebant, contra Papam ſcribentes, ipſum (ut dicitur) hæreticum appellantes. Papa de exitu ſuo gaudens, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi* inſtituit, proceſſus novos contra eum fieri procuravit, quibus conceſſionem Marchionatus Brandenburgenſis quaſi non licitam implicavit: quos in multis partibus plures receperunt, audire plurimi contempſerunt. Abbas Otto S. Lamperti de Karinthia de curia exiens, gratiam Papæ promeruit, ut publicaret, promiſit. Quod & fecit in quibusdam locis in Alamannia, cum timore maximo & tremore. Sed & Ulricus Lector Auguſtinenſis in ambone Moguntiæ idem fecit, & Papa Epiſcopatum propter obedientiam ſibi contulit Curienſem. Hoc factum in Teutonia tribulationes & anguſtias graviſſimas generavit. nam Præſules, Religioſi, Prælati, Monaſteria, Nobiles, cives ſe varie diſpoſuerunt; quidam timore Dei poſpoſito Ludwici potentiam metuentes, Divinum Officium nullatenus obmiſerunt; quidam loca ſua & Monaſteria reliquerunt, & ad exilium & nemora ſe transtulerunt. Antipapa cernens ſe derelictum atque deſolatum, in Pyſanorum territorio morabatur: & incidit ei conſilium bonum, ut ab errore viæ ſuæ ſuam & aliorum animas liberaret, veniens verbulo Pſalmiſtæ ſumpto: *Erravi ſicut ovis, quæ periit* &c. Summi Præſulis pedibus ſe ſubjecit. Quem admiſſum ad gratiam Pontifex in Conſiſtorio ſermone habito de verbis Apoſtoli: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ipſum ad Epiſcopatus apicem decreverat exaltare, niſi quod Cardinales perſuaſerunt (ut fertur) ne tam leviter tanta noxa ſolveretur, & amplius in Eccleſia non exurgeret tantum nefas, artius caſtigandum, non pro hoc piaculo ſublimandum, & ſic ſublatus non comparuit; nihilominus ſine afflictione cum neceſſariis ſufficienter & honorifice conſervatur. Igitur Ottone Duce moram in ſuperioribus trahente, civitas Columbaria Nobilem de Alſtat graviter rerum ſuarum direptionibus moleſtabat, in cujus favorem Dux exercitum conflat validum, & civitatem obſidione firmiſſima circumvallabat, & adeo anguſtavit, ut Ludwici ſuffragium imploraret. Qui collectis copiis in Ottonis oppoſitum caſtra locat. Cui cum ex æquo in prælium non poſſet occurrere, paucis de negotio eſt tractatum, quemadmodum Otto propenſus adeſſet; niſi quod quidam de conſiliariis ei ingeſſit, ut durum[2] exhiberet, ne Ludwicus robur Auſtralium Ducum in morte quorundam fratrum crederet immoratum: nec magni æſtimare triginta millia marcarum, quæ Ludwicus ſpoponderat, cum ſe pet

[1] *ſupple* quod. [2] *l.* neptem. [3] *f.* diſpoſitum.
[4] *ſupp.* de. [1] *l.* dilabimur. [2] *ſupp.* ſe.

eadem de preſſuris ſuis nondum ex integro relevaret: inſuper & robur verecundius ſibi ſuccreſceret, ſi pro tanti honoris faſtigio manus & cor vili pecunia macularet. Contigit ſub his fluctibus Regem Bohemiæ advenire, qui ire diſpoſuit ad montana, & alloqui Hainricum Ducem Karinthiæ pro pactis nuptiis filii ſui Johannis, & filiæ illius Margarethæ, quæ jam pubeſcerat, confirmandis. Et inveſtigata origine diſcidii, ambos breviter alloquens, inter eos amicitiam ſtabiliyit: ita ut Ludwicus expenſas Ottonis habitas, & in ſervitio Imperii in reliquum habendas, viginti marcarum millibus reſarciret, pro quibus ſibi quatuor electas civitates cum inſtrumentis impignoravit; & ſic ab invicem eſt diſceſſum.

Circa hoc tempus quidam Nobilis, Theutonicæ nationis ex Karinthia, de partibus transmarinis, ubi diu exulaverat, rediens dixit, ſe in ulteriore Oriente vidiſſe arbores excellentis altitudinis anno triceſimo tantum fructificantes, quæ protulerunt poma pulcherrima & groſſa jocondiſſimi ſaporis & odoris, quæ ſecta per medium, oſtenderunt in ſe effigiem imaginis Crucifixi. Quod omnino creditur, de plantario ligni Crucis Dominicæ pro teſtimonio fidei procedere, ut in gentibus cognoſcatur primæ prævaricationis piaculum, & noſtræ ſalvationis remedium. Ludwicus occaſione cujusdam viſionis (ut aſſeruit) Monaſterium, novæ conſuetudinis & hactenus inauditæ, fundare cœpit, quod Etal, id eſt, Vallis legis, dicitur, Nigros Monachos ibi locans, milites emeritos cum uxoribus ad Defenſionem Monaſterii ordinans, res Monaſteriorum aliorum abſtractas huic adjecit. Potuit tamen eum inſtruere ad hoc factum ſine ſcientia zelus Dei: nec enim decet militem ad prælium accedere cum uxore, ſicut beatus Martinus dixiſſe legitur cuidam militi, qui ſuam conjugem ſecum in Monaſterio vivere, & ſervire Domino poſtulavit. Rex Bohemorum habens ſecum Comites de Liningen, Gemini-Pontis, Saræ-Pontis & Demandis cum aliis viris ſpectabilibus, venit ad Hainricum Ducem Karinthiæ: conveneruntque in hoc, ut altero eorum non exiſtente, alter tutelam gereret puerorum. Et receptis pactis & datis pro ſuo filio, & muneribus hinc & inde pluribus diſtributis, exactis gaudiis & ſolatiis quoad feſta ſæcularia, tacitis cauſis ſui itineris venit Tridentum. Ubi dum exiſteret, Veronenſes ei duos pulchros dextrarios direxerunt. Brixientes, quibus Veronenſes infeſti fuerant, ad eum ſuos nuntios direxerunt, &, ut in eorum ſuccurſum veniat, petiverunt. Fridricus etiam Purgravius venit ad eum, ſciſcitans ex parte Ludwici cauſam viæ. Qui reſpondit, ſe nihil contra Imperium velle intendere, ſed habere propoſitum, corpus patris & matris viſitare: & ſi facultas adeſſet congruæ opportunitatis, in Alamanniam transportare. Pyſas, quæ ſibi introitum negaverunt, ipſe in alium transformatus, clam intraſſe dicitur & exiſſe. Interea Regi in Tridento ſuæ conſortis Dominæ Reginæ obitus nunciatur, ſuper quam ſolemnes exequias diſpoſuit per ſingulas Eccleſias celebrari: & miſſis hinc inde nuntiis, & reſponſionibus expectatis, usque ad Natales Domini manſit ibi. Otto, diſpoſitis rebus circa Renum, in Auſtriam rediens, a Ludwico ſuſcepit feoda terrarum ſuarum, cum LXXX. vexillis (ut dicitur,) aſſiſtentibus ſibi multis Comitibus & Nobilibus, in Auguſta; & ſic veniens ad fratrem, quæ geſſerat, intimavit. Placuitque Nobilibus Auſtriæ & Stiriæ, quod nulla ardua ſine fratris amminiculo contractaret: quia licet corpore habilior haberetur, ille tamen vivacitate ſenſuum ſagaciorem ſe ad omnia demonſtravit. Poſt hæc Otto ſtructuram ſuæ Fundationis, & locum ſepulturæ conjugis inviſere voluit. Viſoque tumulo exclamavit, & immaturam mortem ſuæ dilectiſſimæ conthoralis dolentiſſime deploravit; & ordinans ibi diverſa pro remedio uxoris & indigentia ſtructuræ, Wiennam rediens, viæ comitibus exhibens in exteriori apparentia animum valde mæſtum, juxta quod Horatius: *Triſtia mæſtum, vultum verba decent.* Et Anshelmus ait:

Hic dolet exilium, mortem dolet alter amici,
Huic cara orbato conjuge flere libet.

De Ingreſſu & Regreſſu Johannis Regis Bohemiæ in Lombardiam, & amicitia ejus cum Ducibus Auſtralibus. Cap. X. MCCCXXXI.

Johannes Rex Bohemorum venit Brixiam, ſtatimque omnia caſtra, quæ Veronenſes tenuerant, obtulerunt: qui mox in eminentiori loco turrim fortiſſimam ad civitatis præſidium ordinans, ſuos in ea milites collocavit. Super quo Veronenſes moti, ad Ludwici notitiam in Alamanniam deduxerunt. Qui miſit virum nobilem de Neyffen, ad Regis intentum iterum indagandum. Qui pallians quod mente conditum gerebat, dicens ut ante, nihil contra Imperium ſe acturum; ſed de omnibus oblatis aquiſitis & aquirendis ſe pro conſervatione fidei Imperio pariturum. Pergamenſes, Cremonenſes, Papienſes audientes, quod pacificus fuerit ingreſſus ſuus, & ad pacem reformationemque intentio ſua verſaretur; in deditionem ei ſe voluntarie obtulerunt: quos ſtatim reintegravit, omnibus expulſis, vel exterius habitantibus ad ſua domicilia revocatis, partibus amicabiliter concordatis. Deinde Parmenſes, Reginenſes & Mutinenſes, & Lucani ſe dederunt ſub certis conditionibus atque pactis, ſed nullos ibi reduxit; ſicque placido modo & ſine ſtrepitu in brevi magnum dominium aquiſivit. Sed ut ampliori potentia potiri poſſet, exiit in Franciam, ut exercitum conflaret, & apprehenſa ſolidaret, & alia quæ poſſet, ſuis deditionibus manciparet. Filium autem ſuum Karolum Marchionem reliquit in Parma, commendans eum potentioribus, quorum conſilio res ageret, & nihil temere inchoaret. Contigit interea, Menfridum de Modina cum ſua parte graviſſimas contra Ferrarienſes ferre molitiones. Karolus autem Modienſium auxiliarius & tutator, contracta clara multitudine pugnatorum, Ferrarienſibus, quibus pro tunc Bononienſes & Veronenſes faverant, bellum offert: in quo adeo ſtrenue ſe habebat, ut fugatis, proſtratis, captivatis pluribus, in vigilia beatæ Katherinæ, decus glorioſæ victoriæ

ctoriæ reportaret, & sui nominis titulus ad regiones exteras, commendantibus eum omnibus, pervolaret, sicut de Cæsare ad hoc Juvenalis dicit & Ovidius:

Ultor adest, primisque ... profitetur in annis,
Bellaque non puero tractat agenda puer.

Brixienses autem tale aliquid flagitii perpetrarunt. Nam partis contrariæ quidam audientes Regem abiisse, suos, quos reliquit, amoventes, fortiores effecti, civitatem Veronensibus reddiderunt: quibus promissum est (ut dicitur) diebus quatuor continuis in partem adversam ad crudelitatis suæ libitum desævire. Deinde Pergamenses Atzoni Vicecomiti se dederunt, Regis Bohemiæ Vicarium abire velociter compellentes. Post hæc Papienses rebellaverunt, & auxilio Atzonis circa Castrum Papiæ, quod adhuc ab hominibus Regis tenebatur, obsidionem validam posuerunt. Sed Regis filius Karolus non modicum [1] artabatur gravissime.

MCCCXXXII. Rex in Francia, his auditis, cum provincialibus Francigenis & Teutonicis Papiam venit. Et [2] obsidione castri exercitum amovisset, Papiam non habere valens, Bononiam vadit: & cum Berchardo [3] Legato Cardinale Ostiense faciens confœderationem, Parmam rediit. Ibique sumpta pecunia pro ipsius civitatis commenda, sentiens se nihil in aliis proficere, cum filio in Alamanniam revertitur, transitum faciens per Veronam, quem sibi Veronenses hilariter concesserunt. Quo reverso in Alamanniam, instabat tempus, ut captivi Boemi redirent ad locum condictum juxta pacta. Nihilominus mittitur filia sua cum apparatu solemni in Austriam, &, procurata jam dispensatione super consanguinitate inter eam & Ducem Ottonem, festivales nuptiæ celebrantur. Dux autem fertur ei non conjacuisse ad tempus aliquod; vel quia adhuc tenella fuit; vel ut de casibus Boemorum & Australium aura serenior redderetur. Hoc anno moritur Paganus Patriarcha vacavitque Sedes per biennium: constituit quoque Papa procuratores, ad neglectum Curiæ debitum exigendum. Hoc anno Dux Albertus Ordinis Carthusiensis Monasterium cœpit fundare, quod Kemnik, alio nomine Thronus S. Mariæ, appellatur, in optimo solo terræ Australis positum, de die in diem spiritualibus & temporalibus proficiens incrementis.

MCCCXXXIII. Venit Johannes Rex Bohemiæ in Austriam, & quia jam dudum consorte caruit, inter eum & Elizabeth, Fridrici Regis filiam, conjugium est tractatum. Et ex utraque parte consensu concurrente, puella speciosa, Deo & hominibus placibilis, ei desponsatur: pactisque firmatis, captivi liberi dimittuntur, terrarum gaudium adaugetur, dicentibus omnibus, quod nullus Sathan in reliquum consurgeret inter eos. Sed nescio quis doli artifex lolium in hoc triticum seminavit. Nam ad agendas nuptias cum induciarum tempora vicinius appropinquarent, Rex asserens [4] se maleficiatum, & ad amplexus conjugii impotentem. Cumque exponeret se ad remedia perquirenda, ad hoc obprobrium amnovendum, fama defectus hujus longius & latius crebrescebat. Novissime tamen (quo animo, ignorare me fateor, quia *Cor Regum inscrutabile est*, ut dicit Salomon) connubium habuit retrocessum; de quo multi multa sensere. Duxitque postea aliam de Domo Regum Franciæ, filiam Ludwici, qui fuit filius Ludwici, fratris Regis Philippi & Karoli, cujus filiam Karolus filius suus jam habuit in matrimonio sibi junctam. Fertur hanc in dilectione habuisse speciali: quia ei jocalia pretiosa, ad opera militaria necessaria, & ad tornetas direxerit, ejusque amicitiam fuerit sic venata, quod illectus extitit & abstractus. Cum autem eam Pragæ coronasset, ipsa odibilis Bohemorum Nobilibus est effecta, & ideo mox ad Comitatum Luczelburgensem rediit, in regno cum sua conjuge Marchione Karolo remanente. Affinavit se tamen alibi cum Ducibus; quia unus filiorum suorum ex hac ultima conjuge Ducissæ Lothoringiæ, sororis eorum, filiam duxit; & sic juxta Ovidium:

Mille animos excipe mille modis.

MCCCXXXIV. Mense Julii Berchardus [1] de Sancto Genesio Vasconicæ gentis, efficitur Patriarcha: & in eodem anno in festo SS. Simonis & Judæ Aquilegiam applicuit. Hic similis factus est leoni in operibus suis; alter Machabæus castra Ecclesiæ non solum materiali, sed & spiritali gladio protegebat contra Rytzardum de Camino, contra exercitum Venetorum, contra Johannem Comitem Goriciæ pugnavit: dimicantibusque suis ipse oravit, & prævaluit, Moysen secundum se exhibens: quo in cœlum manus extendente Amalech succubuit, Israel triumphavit. Qui in suburbio civitatis Uttinensis oves vagas per devexa carnalis lasciviæ discurrentes collegit, caulamque claustralis habitaculi construens includit, necessaria disposuit; Divinoque cultui mancipavit, & psalmis canticisque spiritalibus, ac devotis operibus manuum instrui procuravit, juxta id beati Jacobi: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum.* Hoc anno Bononienses rebellaverunt legato, & egredi artaverunt qui tractatum habuit cum Florentinis, & susceptus est ab eis. Postea per portum Pisanum venit ad curiam, querulans calumniam sibi factam. Processus autem graves fiunt contra Bononienses, & studium penitus disturbat; studentibus ad propria vel alias declinantibus, Doctoribus obmutescentibus, Papa & Cardinalibus ultra modum sævientibus. Hoc anno moritur Johannes Papa. Hic ante mortem revocavit errorem de animabus palam hoc modo. *Johannes Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ne super his, quæ de animabus purgatis, separatis a corporibus, an circa resumptionem corporum. Divinam essentiam illa visione, videlicet quam vocat Apostolus* facialem, *videant, tam per nos, quam per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando & allegando Sacram Scripturam, ac Ori-*

1 *ita Cod. MS.* 2 *supp.* cum ab. 3 *al.* Bertrando.
4 *pro* asseruit.

1 *al.* Bertrandus

ginalia & dicta Sanctorum, vel alias recitando A *sæpius dicta sunt aliter, quam per nos dicta & intellecta fuerunt; & intelligantur & dicantur, auribus valeant Fidelium inculcari; ecce quod nostram intentionem, quam cum sancta Ecclesia Katholica circa hoc habemus, & habuimus, serie præsentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus, sunt in Cælo, Cælorum regno, & in paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum sunt congregatæ, & vident Deum ac Divinam essentiam facie ad faciem, clare in quantum status & conditio compatitur animæ separatæ. Si verò alia, vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, vel scripta fuerunt, quoquomodo illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus, recitando vel conferendo, dicta facie[1] scripturæ & sanctorum, & nolumus esse dicta, prædicata, &* B *scripta. Insuper siqua sermocinando, conferendo, dogmatizando, seu alias quovis modo diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, quæ fidem concernunt Katholicam, & Sacram Scripturam, aut bonos mores, & in quantum sunt consona fidei Katholicæ, & determinationi Sacræ Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus. Alias tunc illa habemus, & habere volumus pro non dictis, scriptis, ea, quæ recitamus expresse, dicta, & prædicata, & scripta, & per nos de quacunque materia, ubicunque & in quocunque loco, & in quocunque statu, quem habemus & habuimus, determinationi Ecclesiæ ac successorum nostrorum relinquimus. Nulli ergo, &c. Datum Avione III. Non. Decembris, Pontificatus nostri anno XIX.* In eodem Adventu Domini moriebatur ipse Papa Johannes, & statim in vigilia beati Thomæ Apostoli C eligebatur Benedictus Papa.

Benedictus XII. ab inclusis Cardinalibus Avione est electus, anno Domini MCCCXXXIV. in vigilia beati Thomæ Apostoli, & statim sequenti die, hoc est, in die S. Thomæ Apostoli, tenuit consistorium, in quo plura puncta statuit & decrevit: videlicet, quod non vult toto tempore suo Romanam Ecclesiam, vel aliquam aliam, contra aliquem hominem materialem gladium exercere, movere, vel facere guerras, sed curare de pace. Item non vult Marscalcum curiæ ultra sex menses in suo manere officio, ne duratione multa propter divitias in superbiam extollatur. Item non vult, quod aliquis, & præcipue Religiosus, pro aliquo beneficio impetrando ad curiam debeat venire, sed post dispositionem & ordinationem expectent & sustineant in manibus Prælatorum suorum. Item non vult Religiosorum . . .[2] & fugas ad Curiam venire, sed suorum Prælatorum correctionibus dimittere. Item vult elemosinam mensæ Papalis restitui pauperibus, quæ ante per familiares diripiebatur, de qua possunt centum personæ refici multum laute. Item quemlibet arrestatum hominem in curia solvit. Item omnibus Prælatis in Curia pro quibuscunque negotiis existentibus generalem dedit licentiam recedendi, & quemlibet vult in suo beneficio residere. Item omnibus Clericis in Curia infirmatis, vel de cætero infirmandis, dedit liberam facultatem condendi testamenta, ne bona ab eis relicta indebite per aliquem occupentur. Item vult, quod nomen *Gelfi* & *Gibelini* sint anathema, nec ab aliquo nominentur, cum non sint pacis, sed discordiæ incitamenta. Item vult, quod omnes sui Capellani Horas Canonicas dicant cum nota, & quod omnes simul dormiant in uno dormitorio, ac etiam comedant coram eo, nec habebunt reditus alios, quam victum Papalis mensæ, & vestitum, & si aliqui Capellani aliquibus aliis indigent, possunt a Domino Papa requirere, & non aliunde. Hic Papa Benedictus antequam in Papatum eligeretur, fuit Cardinalis, & vocabatur Dominus Jacobus de Forverio, [1] & erat de Ordine Cisterciensi. Item in crastino beati Thomæ Apostoli iterum tenuit consistorium, & permisit primo Religiosos ad se venire, Prælatos illorum quatuor Mendicantium continuum . . .[2] in quo Consistorio inter alias collationes & propositiones beatum Dominicum summe commendavit, quod non solum caput esset Prædicatorum; verum etiam omnium Ordinum seminantium Verbum Dei. Item in eodem consistorio ipse Papa restituit Ecclesiis Kathedralibus electiones Archiepiscoporum & Episcoporum. Item misit ipse Papa centum millia florenorum Romam pro reparatione Ecclesiæ S. Johannis in Latriano & palatii. Hic Apostolicus multociens direxit litteras & nuntios Ludwico Babaro, ipsum ammonendo, ut relinqueret illos, qui dudum ab Ecclesia sunt excommunicati, & pro hæreticis condemnati, & qui ipsum quotidie faciunt & informant errare, & rebellare Sanctæ Matri Ecclesiæ Katholicæ. Sed nunquam voluit eos relinquere, sed magis ipsorum erroribus credidit, quam omnibus aliis fidelibus Katholicis. Hic Papa permisit omnes Prælatos per se beneficia sita . . .[3] conferre, nullum aggravando nec per primos proventus Ecclesiarum in primo anno promotionis, nec per decimas Ecclesiarum; sed pacem dilexit in omni loco, & concordavit omnes discordantes, in quantum potuit. Hic Vir (ut dicitur) in Theologicis valde eruditus facultatibus, duri cordis vel justi Zeli fuit. Regem Franciæ a se sine petitionum suarum effectu, scilicet Decimarum Ecclesiasticarum, dimmisit, plurimum sibi & Ecclesiæ indignantem. Ludwicus ad partes Reni properat, quomodo novi Pontificis gratiam, venari possit, a Magnatibus scisciatur. Consilio itaque concordi mittitur Vir prudens de Rechperg & Ordinis Cruciferorum, de Nellenburg provincialis cum Ulrico de Augusta eximio Decretista, qui etiam inter eum & Regem Franciæ unacum Alberto de Hohenburg, Ludwici Cancellario, concordiæ materiam conseruit; sed ea veste qua ingrediebantur, usque hodie ineffaciter sunt egressi. Rex Johannes Bohemorum pergens Parisius, ubi Franci, Angli, Britones, Vascones, Theutonici, & de diversis partibus milites ludum instituunt tornetarum, acerrime se invicem contendentes, plagis gravibus receptis, plures solamina Medi-

[1] *isa Cod. MS.* [2] *desunt hic quædam in Cod. MS.*

[1] *al.* de Saverduno. [2] *desunt hic quædam in MS.* [3] *desunt hic aliqua in Cod. MS.*

corum

corum quæſierunt, ita ut ludus pene ad plenum actum bellicum fuerit provocatus, juxta Horatium, qui dicit:

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

INCIPIT LIBER SEXTUS
DE
MORTE HAINRICI DUCIS KARINTHIÆ, ET DUCES AUSTRIÆ TERRAM OBTINUERUNT.

Cap. I. MCCCXXXV.

HAinricus Dux Karinthiæ Dominica, qua canitur *Judica me Deus*, in Caſtro Tyrolis, tempore Miſſæ in Capella beati Pancratii, preſſus colera circa præcordia ſuffocatur, & in Eccleſia beati Johannis ſub caſtro tumulatur. Fertur, quod poſt laxationem coleræ reſpiraverit, & alta voce clamaverit de ſepulcro. Tranſacto biennio ad Monaſterium Stæmſenſe transfertur, quod pater ejus glorioſe fundavit, ipſeque multipliciter locupletavit, ibique a Brixinenſe Matthæo ſolemniter cum ſuis patribus ſepelitur. Hic Ordinis Carthuſienſis Monaſterium fundavit in montibus, quod Senhals, alio nomine Vallis omnium Sanctorum Angelorum, dicitur. Hujus tempore Principis in montanis ſuæ ditionis, gens gnana in cavernis montium habitavit, cum hominib9 veſcebantur, ludebant, bibebant, choreas ducebant, ſed inviſibiliter. Litteras ſcribebant, Rempublicam inter ſe gerebant, legem habentes & Principem, fidem Katholicam profitentes, domicilia hominum latenter intrantes, hominibus conſedentes & arridentes. Et ne credatur faſcinatio, quod dicitur, ab Epiſcopo Matthæo Brixinenſe prædicto Viro venerabili, & a pluribus utriusque ſexus fide dignis perſonis, qui experientiam cum eis habebant, horum omnium .. [1] mihi veriſſime ſunt relata. Principe ſubducto, nihil de eis amplius eſt auditum. Dicitur, quod gemmas geſtent, quæ eos reddunt inviſibiles: quia deformitatem & parvitatem corporum erubeſcunt. Filia Hainrici & gener ſuus, Bohemorum Regis filius, de conſilio Nobilium mittunt ad ſuum tutorem, ſcilicet Regem Bohemiæ, conſulendum: Qui Pariſius propter plagas exceptas debilis eſt repertus, & corpore nihil potens; promiſit nihilominus ſe venturum recuperatis viribus, & caſis terris fideliter ſe intenturum.

Interea Duces Auſtriæ Ludwicum Imperatorem accerſiunt, & in civitate Lyntza ſuper littus Danubii colloquia miſcentes, Karinthiam petunt, ratione ſanguinis materni, quæ filia Meinhardi Ducis Karinthiæ fuerat: Carniolam aſſerentes ad ſe legitime devolutam, quam Duces Karinthiæ a ſuis progenitoribus jam longo tempore vadis nomine poſſidebant. Ludwicus autem eorum potentiam ſibi arbitrans neceſſariam, adjudicavit fieri poſtulata: & III. Non. Maji Duces ſolemniter indutus Imperialibus, Comitibus vexilla terrarum præferentibus, ſignis radiantibus, Nobilibus ac Militibus hinc inde curſitantibus, inveſtivit. Miſerant enim Duces nobilem ac magnificum Virum de Pfannberg, & Ulricum de Walſee Stirienſem Capitaneum, Karinthiam apprehendere, & armis bellicis coartare. Carniola vero ſciens, de cujus ditione eſſet, abſque ſtrepitu omnis reſiſtentiæ veris Dominis ſe devovit. Karinthiani induciarum tempus poſcentes, ſi ſub medio, qui eos exſolveret, non veniret, ad Ducum ſe placitum inclinarent. Rex autem Bohemiæ moram faciens, & Tyrolenſes quid ageretur in Karinthia neſcientes, Johannem Abbatem de Victoria ad Duces Auſtriæ dirigunt: pupillatum ſuum atque patris obitum querulantes, eorum ſe patrocinio & defenſionis adjutorio commendantes. Qui dum, præſente Viro prudente & fideli Ottone de Lyechtenſtain, in facie Principum ſibi commiſſa in integrum peroraſſet; Albertus Dux reſpondit, ſe dolere, & totam progeniem de morte avunculi, eo quod Senior ſtirpis eorum fuerit, & filiam ſuam, ſi ſuis intenderet conſiliis, ſe affectuoſe & fideliter in omnibus tuturum: Sed Karinthiam manu Imperii jam ſuſceptam nolle dimmittere, nec Carniolam, quam ſuo jure cepiſſet, obligationis ſuo tempore jam elapſo, ad præſens etiam non poſſe aliud reſpondere. Abbas autem ad Imperatorem accedens, memoriam faciens avunculi ſui & fidelium obſequiorum ſuorum, filiam cum terra ſibi quanta potuit facetia commendavit. Cujus reſponſio nil vigoris habuit, niſi quod ait, ſe velle clementer intendere ſuper eo. Et ecce! Dux Babariæ Hainricus, gener Regis Bohemiæ Johannis, & Karolus Marchio filius ejus per Danubii alveum venientes, injuſte & enormiter agi cum pueris Ducis Karinthiæ declamantes: qui & ipſi inelicaciter abſceſſerunt. Poſt hæc Præpoſitus Wiſſegradenſis, poſtea Epiſcopus Olmunczenſis, cum Boemis Nobilibus mittitur ad Duces, nomine Regis ſui Karinthiam repoſcens, vi magis quam juſtitia pueris innocentibus ſubreptam involutis ſcientiis ſylogizans. Duces breviter reſponderunt, ſe potius omnia ſua ad libram caſuum atque ad periculum poſituros, quam Karinthiam reddituros.

Interim Karinthianorum induciæ ad exitum dilabuntur, nullusque fuit, qui ſubveniret. Dux Otto veniens, Nobilium & Civilium recipit Sacramenta, maxime quia Imperator ſcripſerat, terram ad Imperium devolutam, eamque ſuis avunculis Ducibus contuliſſe, & omnes eis in reliquum .. demandavit: quæ litteræ publice recitatæ, omnem terræ populum conſtrinxerunt. Abbas Victorienſis reverſus, quæ egerat, viderat, audierat, Tyrolenſibus nuntiavit. Otto Dux primo ſuo introitu Chunradum de Awffenſtain, virum exercitatum & potentem, ab officio Capitaneatus, & alios officiales amovit: Ulricum Comitem de Pfannberg, Marſcalcum Auſtriæ, in locum ſuum ſubſtituens. Car-

[1] *deſt quid in Cod. MS.*

Carniolam pergit; ibi Fridricum libertinum, Capitaneum, quem Hainricus Dux pridem ibi instituerat, confirmavit: utrumque, ut terræ atque populis commissis judicio & justitia communi & debita moderatione prospicerent, stricte & firmiter hortabatur. Utrique id Claudiani dicere videbatur:

. . . . . Tu consule cunctis,
Nec tua te moveant, sed publica vota....

Et idem id Poëticum:

Insani Sapiens nomen ferat: æquus iniqui.
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.

Eodem anno, in die S. Andreæ Apostoli, circa horam Vesperarum, in Valle sub alpibus, dictis Slein, equitantibus aliquibus de Knutelfeld, & aliquibus pastoribus existentibus in montibus, ibidem visa sunt hæc signa in Cœlo. Verus sol habuit ex utraque parte duos Soles, æquales in luce & magnitudine, & circulus circumdedit omnes soles, habens infra apertionem, & de medio circuli crux dependens erat, per apertionem habens similitudinem T, latitudinem unius scamni, longitudinem quinque cubitorum, colorem in medio album habens, ex utraque parte rubeum, & quatuor lineæ, habentes colorem Iris, tangentes circulum, in medio istarum linearum quiddam nimis lucidum, habens similitudinem magnæ navis. Et evanescentibus istis, in nocte apparuit in cœlo via lucida ab oriente usque in occidentem, perseverans usque ad ortum diei. Sequenti die venerunt isti in Runam ad Religiosos, qui ipsis hoc crediderunt: quia eorum aliquos cognoverunt ita discretos & veraces, quod non mentirentur.

Determinatio Papæ de statu animarum post mortem. Cap. II. anno supradicto.

Benedictus Papa apud pontem Sorgiæ accersiens Magistros, Theologos & Doctores, opinionem de statu animarum, & de visione Dei, de miserorum & damnatorum pœnis, ac de aliis quibusdam articulis, diffinivit, quæ determinatio taliter se habet.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in operibus suis, qui Sacrosanctam Romanam Katholicam & Apostolicam Ecclesiam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut præcipuam in Ecclesiarum omnium caput erexit & verticem, dicente Domino ad Petrum: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *sua miseratione non deserit, sed per beatos Apostolos suos, præcipue singularios ejusdem Ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit, quatenus, iisdem Rectoribus gubernata insuperabilis maneat, fundata super firmam petram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obediant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub ejusdem disciplina & correctione consistant, ne in illis aliquid dogmatizetur improvidum, inseratur in cautum in fide, temerarium ingeratur; sicque decliment homines a malo, & faciant bonum, & ambulent per vias rectas, & ad meliores per sancta desideria proficiscantur, sperent justorum propinquas æternæ vitæ retributiones, timeant malorum Inferni perpetuas calamitates. nam scriptum est:* Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. *Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, pœnis etiam adjectis, prout expedire viderit, prorsus evellat. Pro qua, ut in seipsa subsisteret, alios reformaret, Passionis suæ tempore Salvator noster Christus Jesus Patrem exorasse perhibetur, dicens:* Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Sane dudum felicis recordationis Johannis Papæ XXII. prædecessoris nostri [1], inter nonnullos, etiam in Theologica facultate Magistros, super visione animarum justorum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserint; vel si fuerit purgabile, & erat ex toto purgatum, an Divinam essentiam ante suorum corporum resumptionem & judicium generale [2], & super nonnullis aliis orta materia quæstionis; ipsorum, aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imaginationes de visione divinæ essentiæ ab animabus hujusmodi diversa & diversimode ostendere nitebantur, prout ex scriptis & dictis ipsorum noscitur apparere. Sub reliquis vero suis concertationibus, quas hic brevitatis causa obmittimus (quia infra ex nostris determinationibus apparebunt) inter se etiam dissidebant. Cumque idem prædecessor, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem hujusmodi decisionum se pararet, in suo consistorio publice, tam coram fratribus suis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus), quam Magistris & Prælatis in Theologia, qui multi aderant tunc præsentes, injungendo districtius & mandando, ut super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, de libertate unusquisque diceret quod sentiret; tamen quisque morte præventus, sicut Domino placuit, perficere id nequivit. Defuncto itaque Prædecessore præfato, Nos divina dignatione ad apicem summi Apostolatus sumpti diligentius attendentes, quanta ex præmissis eorum concertationibus non solitis animarum imminerent pericula, quantaque possent exinde scandala suboriri, ut ipsarum veritas pateat, & veritatis soliditas innotescat; habita prius de supradictis sollicita examinatione & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, ac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate Apostolica diffinimus, quod secundum Dei ordinationem animæ Sanctorum hominum, qui de hoc mundo ante Domini nostri Jesu Christi Passionem decesserunt, nec non Sanctorum Apostolorum, martyrum, Confessorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum: vel si tunc fuit, aut erit, purgabile aliquid in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ: atque animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum & baptizandorum, cum fuerint baptizati ante usum liberi arbitrii, & decedentium post mortem suam, mox & purgationem præfatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resumptionem corporum suorum, & Judicium generale, post Ascensionem Salvatoris*

[1] *Supp.* tempore. [2] *desit in Cod. videant, aut simile quid.*

Domini

Domini noſtri Jeſu Chriſti in cœlum, fuerunt, ſunt, & erunt in regno cœlorum, cœlo & paradiſo cœleſti, cum Chriſto Angelorum conſortio aggregatæ: ac poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti Paſſionem & Mortem viderunt, vident, & videbunt Divinam eſſentiam, viſione intuitiva & etiam faciali, nulla mediante creatura, in ratione objecti viſi ſe habente; ſed Divina eſſentia immediate ſe nude, clare & aperte ſe eis oſtendente: quodque ſic videntes eadem Divina eſſentia perfruantur, nec non quod ex tali viſione & fruitione eorum animæ, quæ jam deceſſerunt, ſint vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & etiam illorum, qui poſtea decedunt, cum eisdem videbunt Divinam eſſentiam, ipſaque fruentur ante judicium generale. Atque hujusmodi Divinæ eſſentiæ viſio ejusque fruitio actus fidei & ſpei in eis evacuant, prout fides & ſpes proprie Theologicæ ſunt virtutes: quodque poſtquam inchoata fuit, vel erit talis intuitiva & facialis viſio & fruitio, in eisdem eadem viſio & fruitio ſine aliqua interciſione ſeu evacuatione prædictæ viſionis & fruitionis continuata exiſtet, & continuabitur usque ad finale judicium, & ex tunc in ſempiternum. Diffinimus inſuper, quod ſecundum communem Dei ordinationem animæ deſcendentium in actuali mortali peccato poſt mortem ſuam mox ad inferna deſcendant, ubi panis infernalibus cruciantur: & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus apparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum: decernentes prædictas noſtras diffinitiones ſeu determinationes, & ipſarum ſingulas ab omnibus fidelibus eſſe tenendas. Quicunque autem deinceps prædictarum noſtrarum diffinitionum ſeu determinationum, aut ſingularum ipſarum, contrarium ſcienter & pertinaciter tenere & aſſerere, prædicare & docere, aut defendere, verbo vel ſcripto, præſumpſerit, contra eum ſicut contra hæreticum modo debito procedatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſuram. Datum Avinione, III. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno II.

Eodém anno terra Karinthia collata eſt Alberto & Ottoni Ducibus Auſtriæ, in Lyncza civitate, ab Imperatore Ludwico, qui non gratiam Domini Johannis Papæ....[1]

De Inthronizatione Ottonis Ducis in Ducatum Karinthiæ, & profectione ejus contra Johannem Regem Bohemiæ. Cap. III.

MCCCXXXV.

Dux Otto ut fluctuationes Karinthianorum diſſolveret, qui dicunt nullum Principem terræ ſuæ rite poſſe concedere feoda, vel judicia exercere, niſi in eo priſcarum conſuetudinum lex ſervetur, ut ſcilicet ſuper Sedem ſuam ſolemniter collocetur; venit ergo Karinthiam, & in Eccleſia Solienſi a Laurentio Præſule Gurcenſi, præſentibus Hainrico Laventino Pontifice, Præpoſitis, Abbatibus & Prælatis, in die Proceſſi & Martiniani benedicitur. Populus gratulatur, cum cerneret, modum provinciæ ſuæ recenſeri; Clerici & Religioſi murmurant, quia ad hujus feſti gaudia contra jus & fas ad expenſas jumentis & pecunia talliantur. Multa tamen in hujus feſti obſervatione ſunt improvide prætermiſſa: quia oblivioni tradita, & ideo, quia ab intronizatione Ducis Meinhardi, avi hujus Ottonis, anni LVI. circiter computantur. Auſtrales, qui ſecum venerant, videntes ſuum Principem ſic circumagi, mirabantur, & ſecum proceſſum novæ ſuperſtitionis hujus velut ridiculum atque colludium in Auſtriam reportabant. Quibus peractis Dux ad fratrem Albertum reverſus, in Karinthia votivam obedientiam, & exhibitam ſibi reverentiam cum gaudio reportavit. Hoc tempore quidam zelans noſtri Salvatoris injuriam Crucifixi ſurrexit, dictus Rex Armleder, Alſaticus, circa littora Reni & confinia conflata maxima multitudine ſe comitante, ex opidis & munitionibus atque villis Judaicæ plebis inæſtimabilem ſtragem fecit. Quidam Miles Arnoldus pari ductus Zelo, per Orientalem Franciam idem fecit. Hic, quia pro ſtipendio Imperialis obſequii Judæos & Chriſtianos arreſtavit, capitur, & capite ſpoliatur, & in natali ſolo ſepultus juxta opidum Kulhaim, territorii Moguntini. Tumulus ejus pro merito fidei pluribus miraculis dicitur coruſcaſſe. Hoc anno Johannes Rex Bohemiæ viribus corporis reſtitutus, geſtá Karinthianorum audiens, per Thuringiam ac aliarum viarum diverticula Bohemiam introivit: & mittit Epiſcopum Olmunczenſem & Ducem Saxoniæ, petens, a Ducibus leges juſtitiæ obſervari; ablata reſtituere, ſe potius velle gladium intra vaginam permittere ſoporare, quam ad prælium denudare, hoc inconveniens non poſſe diſſimulare, alioquin contra ſe bellum noſcerent præparandum. Duces reſponderunt concluſionie breviloqua: ſe bellum potius ſuſcepturos, quam Karinthiam dimmilturos. Rex Reges Hungariæ & Kracoviæ alloquitur, Miſnenſes, Saxones advocat, cum ſua gente exercitum grandem conflat; Ducibus bellum pandit. Duces Imperatorem advocant. Qui Wiennam veniens honorifice quidem ſuſcipitur, ſed organa Divinæ laudis undique mutuerunt, auxillum promittit; ne timeant Duces hortatur; & ſic ad ſolum Babaricum eſt reverſus. Interea Rex Auſtriam invadit, per incendia & rapinas villas, opida, Eccleſias, Monaſteria diſſipat & angariat, nulli parcit. Duces cum Auſtralibus, Stirienſibus, Karinthianis & Carniolanis phalingas inſtruunt: cum quibus Otto Caſtra ex oppoſito Regis collocat, Imperatoris ſuccurſum præſtolans. Quem dum diu fruſtra per aliquot dies expectarent, Regis Bohemorum potentia Ungarorum irruentium impetu adaugetur: & viſum eſt quibusdam, juſti belli ordinem non ſervari, ſed Ottonis periculum clanculo pertractari. Quod dum Duci ſuggeſtum eſſet, declinationis[2] conceptæ contra ſe malivolentiæ, paucis conſciis, animo diſponebat. Et dum elevarentur ad arma, ut ſonus erat multitudinis atque caſtrorum quaſi volentium jam pugnare, clamore invaleſcente;

[1] *deſunt hic aliqua in Cod. MS.* [2] *ita Cod. MS.*

[2] *l.* declinationem.

Dux Wiennam properat, & poſt eum tota militia, admirans quid fieret, anhelavit. Quidam tamen lente Ducem ſequentes, ut adverſarios experirentur, & neminem videntes, poſt alios properabant. Albertus Dux ingemiſcens, & tam fratrem, quam ſecum exiſtentes aſpere corripuit, dicens, ſuæ lineæ nunquam tale aliquid contigiſſe. Quaſi cum Joſue diceret: *Quid dicam mi Domine Deus*, videns Iſrael hoſtibus ſuis terga vertentem? Nec tamen mirandum, ſi hoc fieret vigente cauſa & diſpenſative: nam David, qui nunquam prælio ſuccubuit, dum Saul ſatellites ſuos miſit, ut eum occiderent, aufugit. Mandavit enim ei Michol uxor ſua: niſi ſalvaveris te nocte hac, cras morieris; & depoſuit eum per feneſtram, & abiens eſt ſalvatus. Sic (ut fertur) Dux extitit præmunitus, quatenus mortis decipulam declinaret. Scribit etiam Valerius, Julium Cæſarem in prælio Britannico rebus bene geſtis vulneratum & confixum multis jaculis, per natandi diffugium evaſiſſe. Unde Lucanus dicit de eo:

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

De ſecundaria expeditione contra eundem Regem, & ibi geſtis. Cap. IV. MCCCXXXVI.

Tempeſtas gravior oritur. Nam Johannes Rex non ſolum domeſticos milites, quos habuit, reſervavit, ſed & conductivos ab exteris partibus ad præſidia per circuitum deputavit, quosdam ſecum eſſe conſtituit, ſicque eventum rei non improvide expectavit; ut ſi neceſſe fieret, ad manus haberentur, & ne majoris periculi diſpendio quærerentur. Duces, quamvis ſuorum [1] ad ſua domicilia redire permiſerint, non tamen minus angebantur, quomodo vicem in Regem Boemiæ retorquerent. Rex cognito quod exercitum diſtraxiſſent, caput erigit, iterum cuneos inſtruit, nec otiari ſævitiam ſuam ſinit. Duces Imperatoris accipiunt ambaſſatam (admirantes [2], quod contra ſtatutum & extra placitos dies Otto Dux egreſſus fuerat ad bellandum) cominus ſe paratum nunc ſuccurrere & adeſſe. Qui ſe exhilerati, militiam cultam conflant ad abigendum Regem. Iterum Otto vadit, Alberto ex latere comitante, ne diſſolveretur negotium ſicut prius. Quibus Imperator habens ſecum Ulricum de Wirtenberg, & Willhelmum Comitem Juliacenſem, qui ſororem Imperatoris habuit, ſe circa civitatem, quæ Lannidaw dicitur, coaptavit. Rex Johannes cum Hainrico Duce Babariæ, genero ſuo, locum ſequeſtrum petiit, videns ſe copiis hoſtilibus imparem fore, foſſis & paludibus ſe munivit, & aggeres inacceſſibiles hoſti fecit. Et dum ei importune inſiſterent, & ad prælium provocarent, nec proficerent; Imperator Comitem in gradum altiorem ſublimavit, ampliorique magnificentia decoravit, nomen Comitatus ad Marchionatus cultum & titulum transformavit: quem Dux Otto ſibi in familiaritatem militaris contubernii conbinavit, galeæque ſuæ decus, quod pinnam ſive zimeram vel glareotam dicunt, in bellis, tornetis & haſtiludiis utendum, contradidit, coronam ſcilicet aureæ reſplendentiæ galeæ circumductam, & e medio pavonicorum ſpeculorum relucentium faſciculum exurgentem. Imperator quaſi ſub velamine in Hainricum Ducem, Regis Bohemorum generum, vindictam retorſit, terram ſuam attrivit graviter: quem & pridem obſidione civitatis, quæ Straubingen dicitur, irritavit. Et Regi nunc cum effectu amplius inſiſtere non valens, tempus non habens, munitiones quasdam in valle Anaſi, atque circa fluenta Danubii a Ducibus pro viciſſitudine ſtipendii poſtulavit. Qui abnuunt poſtulata, dicentes, ſe nullatenus provinciam hactenus integram velle ſaltem lacinia una detruncare; ſe alias ad ejus placita promeritis promptos eſſe, ſicque ſuperiorem Noricam repetivit. Marchio quoque Juliacenſis, & Ulricus de Wirtenberg dicentes ſe contra Regem Bohemorum non veniſſe, pariter abſceſſerunt. Interea Rex Bohemiæ concordiam optans cum Ducibus Auſtriæ, Lynczam, deinde liberam civitatem veniens: ubi ex utraque parte cauſarum obſtacula objiciuntur, & ſolvuntur. Et difficultatibus pluribus interjectis, Johanna Duciſſa, Alberti conſors, nunc Regem, nunc Ducem blanditiis liniens & amplexans, bonum ſemen amicitiæ & concordiæ ſeminavit: quæ in cordibus Principum pullulans fructificavit adeo gratam meſſem, ita ut Johanni Regi recompenſa fieret pecuniaria de expenſis, & nulla in reliquum contra Duces quæſtio de repetitione Karinthiæ moveretur. Porro Johannis Regis filius caſtrum Chunradi de Auuenſtain hæreditarium, in diſtrictu poſitum Tyrolenſi, ſubvertit usque ad fundum, imputans ei deſidiam, quod terræ Capitaneus armis terram minime defendiſſet. Hoc anno ſacerdos quidam, Hainricus nomine, ſæculi actibus nimis intentus, ſub caſtro Tyrolis ſuper fluvium Athaſim graviſſime infirmatus, vidit apertis oculis quadam nocte circa ſtratum ſuum terribiles viſiones. Primo, ex utraque parte audivit ranas ſine intermiſſione loquaciter garrulantes; poſtea Mauros quosdam ſtatura pigmeorum, ore hiante ſe curvis oculis intuentes; deinde armatos milites, ut exurgeret, & armis ſe induereet, & cum eis pergeret, exclamantes; poſtremo puellas choreas ducentes, & lectum ſuum circumgyrantes reſpicit, patremque ſuum, olim Hainrici Ducis Karinthiæ Cancellarium, dolenter ſe reſpicientem & dicentem: ſibi hanc viam ſæcularis lætitiæ, per quam & ipſe ambulaverat, declinandam. Et dum chorus iſte pariter a tripudiis ſuis non deſiſteret, januam quidam aperuit, quomodo valeat, perquiſivit (ſtatimque chorus, ipſo cernente, per oſtium eſt egreſſus) Reſpondit, ſe per noctem totam in ſupradictis viſionibus guttas ſanguinis exſudaſſe, expoſitisque omnibus, mane confeſſus, & Sacramentis Eccleſiæ munitus, vitam hanc acerbo tranſitu commutavit. Albertus Dux ad Papam pro ſui & fratris devotatione virum nobilem de Eberſtorf, & poſtea Epiſcopum Gurcenſem Laurentium deſtinavit. Primus rediens nil profecit; alter in curia tranſiit ex hac vita: cui ſucceſſit Chunradus Abbas Salmenſis, per Summum Pontificem deſtinatus. Hoc anno inchoata

[1] *leg.* ſuos. [2] *l.* admirantis.

choata est guerra inter Venetos & Veronenses (qui pro tunc multorum districtuum dominio potiebantur) pro quodam jure Salinali: in qua apud vicum Benivolum de stipendiariis Venetorum, propter infectionem aëris, periit nobilium & militum maxima multitudo. Et dum a Veronensibus fortuna vultum verteret, & Veneris jocundius arrideret; Marsilius de Karraria Paduanus Albertum de Verona, de se & nihil aliud suspicantem; dum in deductione aleæ mutuo confederent, procurata traditione capit: & direptis bonis, in suo palatio repertis, & stipendiariis distributis, ipse cum populo civitatem conservans, Dominus proclamatur, & Albertum Venetis consignavit. Qui data civitate Tervisina Venetis, & aliis quibusdam castellis Florentinis, qui in his casibus cum Venetis convenerant, se exemit. Deinde Veronensium gloria & potentia decrevit, Marsilio proditionis atque traditionis pretium secum ad tumulum deferente. Et dum Imperator Veronensibus succurrere decrevisset, per terram Comitatus Tyrolensis eidem transitus denegatur. Propter quod non modicum Johanni Bohemorum Regis filio indignatur: persuasu enim Nobilium terræ dicitur hoc fecisse, ut occasio daretur Ludwico contra eum, eo quod Ludwicum occulte plus diligerent, ipsum minus propter animi feritatem. Fuit tamen inter Imperatorem, & Regem Bohemiæ pro rei convenientia tractatus, ut fieret permutatio de Marchionatu Brandenburgensi ad Comitatum Tyrolensem. Sed filius & nurus Regis omnino obstitere, & Nobilium inductione admittere noluerunt. Porro idem Johannes cum Karolo Marchione fratre ejus, & Nobilibus illius provinciæ, in Corpore Christi pariter juraverunt, nullatenus desistere, nisi Karinthiam requirant: pacta placitaque patris eorum habita cum Ducibus Austriæ nihil esse, & non potuisse fieri affirmantes. Quam sæpe etenim introire Karinthiam convenerunt, sed clausuræ Comitum Goriciæ laborantibus obstiterunt [1]. Duces etiam Austriæ minas hujusmodi contemnentes, contra adversariorum præsumptionem se Virgilianis versibus munierunt, qui in persona magna sibi præsupponentium dicit:

Grandia sæpe quibus mandavimus ordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles nascuntur avenæ.

Et Horatius dicit:

Credita non semper sulci cum fœnore reddunt:
Nec semper dubias adspirat aura rates.

Unum valde Notabile.

Notandum, quod post mortem Alberti Regis Romanorum in Austria & in Stiria, & etiam in aliis terris, plures adinventiones & novitates in farciendo vestes surrexerunt. Alii in tunicis sinistram manicam de alio panno ferebant; alii ipsam sinistram manicam in tantum ampliabant, ut amplitudo excederet longitudinem ipsius tunicæ; alii ambas manicas in tantum ampliabant; alii sinistram manicam ornabant diversimode, vel cum fericis, vel cum argento; alii cannas argenteas in fericis dependebant per totam illam manicam; alii laminam de alieno panno cum litteris argenteis vel fericis in pectore deferebant; alii in sinistra parte pectoris imagines deferebant; alii circulis fericeis circa pectus per totum se circumcingebant. In tantum etiam artabant fere omnes tunicas, ut aliqui nisi per adjutorium aliorum, aliqui per nodulos, per brachia a manibus usque ad humeros, & per pectus, & per totum ventrem inhærentes tunicas ingredi vel egredi valuerunt. Ampliabant etiam tunc capicia, id est foramina, per quæ caput vestem egreditur, ut in hominibus istis humeri, scapulæ, pectora in maxima parte appărerent. Tunc etiam de alienis pannis magnificabant fimbrias tunicarum, & ornabant, ut quondam fatuis contingebat. Interdum incisuras in finibus vestium faciebant, & pro fimbriis portabant. Capuciis etiam omnes incœperunt uti, tam rustici, Judæi, pastores. Cessavit etiam tunc usus mitrarum virilium, per quas inter laicos plures Christianus agnoscebatur a Judæo. De Coma etiam vel valde parum, vel omnino ut Judæi; vel Ungari comam dividebant. Cingulos etiam mutabant. Nam vel zonam, vel sic munitissimas corrigias deferebant, & valde profunde, videlicet nisi super bracile deferebant. Tunc etiam pallia in tantum curtabant, quod aliquibus vix posteriora tangebant. Incœpit etiam in fericis tunc varietas a famulis & clientibus usa, contra Militum antiquam consuetudinem. In superioribus tunicis etiam acurtabant manicas, ut super brachia vix ad cubitum attingebant; sub cubito vero longum quid ut vexillum dependebat.

De Cometa, quæ apparuit. De Elizabeth & Anna, filiabus Regis Fridrici. Cap. V.

MCCCXXXVI. supra dicto.

Visa est Cometa per tres menses & amplius, a tempore Junii, tractu caudæ longissimæ resplendere, quam dicunt Astrologi signum eventuum lamentabilium esse, & sic dictam secundum Isidorum, quod comas luminis de se fundat. Et addit: Dum hoc genus apparuerit sideris, aut pestilentiam, aut famem, aut bella significat. Cometæ latine dicuntur *crinitæ*, quia in modum criniüm flammas spargunt. Non enim est stella, ut in Naturalibus scribitur, quia non est in firmamento cum cæteris stellis, neque motu, neque situ; sed est ignis conglomeratus, & accensus in aëre, ad signandum aliquid apparatus, sicut consequens magnorum & tristium eventuum experientia comprobavit. Hoc anno pridie Kal. Octobris ex hac vita [1] Katherina Leupoldi Ducis relicta, & in Campo-Regis sepelitur. Hoc tempore infirmabatur gravissima infirmitate, qua & mortua est, Fridrici Regis filia Elizabeth. Quæ dum Regi Serviæ diceretur copulanda, in tantum abhorruit hominis scismatici fidem erroneam, ut quottidianis gemitibus Deum exoraret, jejuniis corpus affligeret, suam semper Domino pudicitiam & mortem potius, quam nuptum hujusmodi exoptaret. Rex autem Bohemorum venit Wiennam, filiam suam Ottonis consortem visitare, &

[1] *Hic locus clarius se habetur in Chronico Johannis Abbatis de Victoria:* Quod licet attentaverint; clausuræ Comitum Goriciæ pro parte Ducum introitum vetaverunt.

[1] *supp.* migravit.

inter se, & Duces de novo factam amicitiam solatiis roborare. Quem Dux Otto, gener suus, ad puellam per manum traxerat decumbentem, quæ verecundo atque puellari modo ad se assandam copiam ei dedit; extitit nihilominus in cordis sui radice fixum, quod ei olim desponsata fuerat, & ab ea propter labem impotentiæ, quam allegaverat, separatus, & aliam superduxit. Visa puella Rex ingemuit, quod suffuso vultu lacrimis, suspiria alta trahens egreditur, suorum conscientia excessuum stimulatus. Languor denique dum remedium non haberet, quæstio convertitur, ubi convenientius debeat tumulari? Quibusdam dicentibus, circa matrem; quæ, ut dictum est, in Mawrbach Monasterio, quod pater suus Rex fundavit, postulat sepeliri. Quod Dux Albertus processionis magnis exequiis fieri procuravit. Transiit x. Kal. Novembris. Hujus morte terra quasi solis speculo spoliata, caligine justitiæ [1] involvitur, curia & civitas, omnisque nobilitas lamentum induit & mœrorem. Dicitur etiam cum Deo familiare solatium habuisse, orationes in tabulis frequenter scripsisse, Christum sibi sponsum specialiter elegisse. Ulricus Comes de Pfannberg eam præconiis multarum laudum extulit, dicens, in ejus subductione omnium Nobilium gaudium siluisse. Venientes quoque ad curiam Nobiles per officia salutationis cum reverentia suscepit, nullum pauperem despexit, nullo fastu præeminentiæ se pedissequis vel sodalibus dicitur præstitisse. Post hæc soror ejus Anna Johanni Comiti Goriciæ nupsit, qui quoad sanguinem maternum de Ducibus Bavariæ traxit ortum; quorum Wiennæ festivæ nuptiæ celebrantur. Quibus non diu simul habitantibus, juvenis moritur, juvencula viduatur. Castra Comitatus in Marchia & Karinthia ratione dotalicii materteræ suæ a Ducibus arrestantur, quousque successores Albertus, Meinhardus, Hainricus, Alberti Comitis filii, cum Principibus conformantur. Porro Anna viduata, de comparis sui transitu amarissimo doloris aculeo sauciata, in corporis incidit languorem, adeo invalescentem, ut virescentes artus quasi aridi contractu manuum atque pedum ad suum officium rigescerent, & inutiles viderentur. Sed Deus, qui mœrentes erigit sospitate, qui vulnerat, & medetur, pectori infirmantis misericorditer instillavit, ut votum ingrediendi Religionem conciperet; a quo divelli non potuit nec precibus, nec consiliis familiarium amicorum. Præsentibus igitur & præclaris turbis Nobilium adhortata, nec tum a proposito suo mota, intra mœnia urbis Wiennensis se Divino servitio sub regula S. Claræ devotissime mancipavit: sufficientibus ei pro vitæ sustentamento proventibus deputatis, secum pariter cum suis pluribus sodalibus subeuntibus idem jugum. Sicque spretis hujus mundi deliramentis, Claustri eligit clausuram, ubi se tanquam in cubiculum cum sponso includens, velo sacro suscepto de manibus Chunradi Venerabilis Gurcensis Episcopi, dicere videbatur illud Salomonis in Canticis: *Dilectus meus loquitur mihi, & ego illi.* Et item: *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Cogitans etiam, quod Anshelmus dicit:

Res hujus mundi sunt instabiles velut hora.
Pro nihilo debent reputari cuncta decora.

[1] *l.* tristitiæ.

De Profectione Alberti Ducis ad loca sancta, & de reditu ejus in Austriam. Cap. VI.

MCCCXXXVII.

Albertus Dux superiores disposuit invisere regiones, & dum civitates atque munitiones suæ ditionis lustrasset, ac pro necessitate causarum per providentiam ordinasset, & cum sorore Agnete dulcia colloquia & terræ negotia disputasset; cum familiaribus bruno fuscoque [1] induitur, Basilicam Beatæ Virginis Aquisgrani concipit visitare. Et dum sub habitu humilitatis clam procedere conaretur, ne agnosceretur, latere non potuit; sed a civitatibus undique suscipitur, & honorifice pertractatur: mirantibus universis, quid portenderet ingressus suus ad illas partes, donec factum palam est, quod ad immolandum Domino venerit, & offerendum suæ Genitrici dulcissimæ vota sua. Insistens itaque devotioni & orationi, se cum omnibus terrarum, atque suarum causarum oppressionibus Beatæ Virgini commendavit: & sicut effectus consequens probavit, pro prolis dono suppliciter interpellans, obtulit Glorioſæ Virgini aureum calicem, magni ponderis, pretiosæ æstimationis, a Domina Agnete sorore sua, Regina quondam Ungarorum, sibi datum. Expletis ibi muniis suæ devotionis, venit in Coloniam Agrippinam (quæ trium Regum, Christum in cunabulis ab Oriente quærentium, corporibus est insignis) eorundem se patrocinio studiosissime commendavit: datis ibi largis elemosinis, & ad honorem trium Regum, templique & Ecclesiæ illius decorem xeniis pretiosis. Civium ad eum confluxit honorabilis multitudo, qui replicantes antiqua tam avi, quam patris, quondam Romanorum Regum, beneficia civitati liberaliter condonata, se ad ejus placita post salutationis festiva gaudia paratis animis obtulerunt. Et cum magnifice honorarent; scimus, inquiunt, quod magnis opibus abundatis; sed non est, quod nostrum [2] facietis, quam in Sanctorum Reliquiis, quibus locum istum cognoscimus Divinitus decoratum. Igitur cives ad diversa loca mittentes, votivis & modestis precibus thesaurum Reliquiarum sibi gravissimum [3], de diversis Sanctorum corporibus, Ecclesiarum & Monasteriorum archivis & conservatoriis obtulerunt, & cum gaudio dimiserunt. Præsul urbis Walramus, Wilhelmi Marchionis Juliacensis frater, obviam ei processit, & jocunde susceptum per suos districtus perduxit, & affluenter per omnem sufficientiam provisis necessariis procuravit. Rediens autem ad Alsatiam ad sororem suam, dispositis rebus, relicto ibi Fridrico Ducis Ottonis filio, & Militibus recommisso, & Nicolao de Egenspurg viro morali Plebano in Marpurga Styriæ ad instructionem litteralis scientiæ tradito, reditum parat in Austriam, & Imperatorem alloquitur in Augusta: ubi Johannes Purgravius de

[1] *deest* habitu. [2] *supp.* magni [3] *l.* gratissimum.

Num-

Nurnberg de Ducatu Karinthiæ inſtantiam ei facit, contradicens hoſtiliter per Imperatorem, & poſtea per ſeipſum. Dux reſpondit, ſe nihil, quod ſui ſit juris, habere, nec ſe alicujus conſcium eſſe, ſed temere inclamatum. Qui poſtea veniens in Auſtriam, Ducis gratia non quæſita, ſolatia exercuit haſtiludii militaris: & dum ab Ulrico Comite de Oettingen ſuper temeritate arguereturr, in ſeipſum reverſus abſtractionem animi recognovit, ſine offenſa ad propria rediit, & quaſſatio hujusmodi conquievit. Redeunte Duce in Wiennam civitatem, de theſauro ſancto Reliquiarum civitas jocundatur, proceſſiones fiunt, cum immenſis laudibus ſuſcipitur, theſaurus dividitur, & in capella caſtri pars maxima collocatur, & ad locum fundationis ſuæ, & ad alia pia loca diſtribuitur, in quo Principis devotio plurimum augmentatur. Deinde Dux reficiens laſſa membra, communem ſe omnibus exhibebat, nihil propter corporis invalitudinem negligebat, pauperum & divitum æque commodis intendebat, ſenibus, juvenibus placere ſatagebat, damna omnium præcavebat. Verſus Horatii in pectore jugiter revolvebat, qui dicit: *Idquod*

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque,
Æque neglectum pueris, ſenibuſque nocebit.

De Locuſtis, & Interfectione Judæorum, & quibusdam aliis. Cap. VII. MCCCXXXVIII.

Albertus Dux audiens, Johannem Bohemorum Regis filium, qui Tyrolenſem tenuit Comitatum, ut Karinthiam invaderet, machinari, & quod non modicam ſpem haberet, ſibi in terra caſtra aliqua reſervanda; pervenit etenim ad clauſuras Comitum Goriciæ, ubi ſuis proceſſus intercluditur per reſiſtentiam Clauſurarum: & rediens, incendio diſtrictus illius angustias demolitur. Albertus autem Karinthiam ingrediens, cujus aures hac procella ſæpius ſunt concuſſæ, quaſi ſol diſſipans ac ſcindens condenſam nebulam, ſua præſentia diſſolvit turbinis hujus ventum: & alloquens Patriarcham Berchrandum de pluribus in Villaco, dum ad plenum convenire nequirent propter difficultatem cauſarum, cum treugis usque ad tempus ſtatutum ab invicem diſceſſerunt. Et luſtrata Karinthia atque diſpoſita, tranſiit Carniolam, eamque ſimiliter ordinat, per Stiriam Auſtriam iter flectit. Patriarchæ autem ad propria revertenti, per Ventzonum tranſitus denegatur. Qui mox inſtructus de jure ſuo & Eccleſia, occupat opidum & obtinet, quod anno Domini 1288. Gwilhelmus quidam in manibus Domini Raymundi Patriarchæ cum aliis feodis ab Eccleſia dependentibus reſignavit: qui de eisdem Meinhardum Ducem tantum pro vitæ ſuæ tempore, recepto (ut dicitur) fidelitatis juramento, inveſtivit. Filii autem ejus prædicta poſſidentes, quousque nunc poſt tranſitum omni Karinthia etiam ad Duces Auſtriæ translata, prædictum opidum artatum Patriarcha incœpit poſſidere, ſuper quod jus ſuum usque hodie quærere non deſiſtunt. Eodem anno ex partibus Orientis multitudo locuſtarum erupit, & per Hungariam, Poloniam, Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, Stiriam, Karinthiam, Carniolam, Sweviam, Babariam, Lombardiam, Forum-Julii & montana usque ad littus Reni omnia terræ virentia, tempore Julii & Auguſti, dente ſæviſſimo usque ad totius abſumptionis ſtipendium [1] devoravit. Populus perterritus letanias & ſupplicationes faciebat, ad ſidera manus extendebat. Et (mirum dictu!) ut caſtrorum acies diſtinctis ordinibus per aëra ferebantur; & terræ incumbentes caſtra manſionibus metabantur. Duces exercitum cum paucis itinere unius diei præibant, quaſi loca apta multitudini prævisuri. Circa horam nonam, ubi Duces venerant, inſidebant: nec a loco occupato movebantur, quousque altera die ſol ſuum ortum repræſentaret, & gravitas corporis humoroſa per pluviam & per rorem eſſet ſolari radio leviata: & tunc per turmas ſuas proficiſcebantur, ut in parvis animalibus diſciplinam ceteres militarem. Segetibus veſcebantur, & maxime illis, quæ adhuc in campis reperiebantur, fœnum, gramina, milium, & quidquid talium fuerat, penitus abſumebant. Tardius namque in Karinthiam venerunt, quia alibi paſtus ſufficientiam habuerant, avena, quæ nondum falcata erat, vorabatur. Quatuor alas habebant, ducentes [2] armatos ad inſtar gemmarum lucentium, quæ induviis fœminarum intextæ, gemmæ ſplendidæ & nobiles putabantur. Semen in ſulcis terræ & ceſpitibus reliquerunt, ſed non diſparuerunt, donec brumalis temporis ſtrictitudinem perſenſerunt. In quibusdam partibus tum ingroſſata eſſet ſoboles, vel adhuc gracilis, ut ſe groſſitudine vel teneritate elevare non poſſet; in foveis incendio & fuſtium percuſſionibus eſt deleta. In quibusdam locis dum non haberent paſtum, redire unde venerant videbantur, vel ad talia loca ſe vertebant. In Babaria quidam villani veniebant, ut omnes pullos conducerent, qui eas deglutirent: dantes uni vel pluribus ova provenientia ex gallinis, ut ad hoc opus efficacem diligentiam adhiberent. Quod licet riſu dignum ſit, tamen fructum non modicum ruricolis aſſerebat. Per tres annos continuos de ſuis latebris exierunt, & circa eandem partem anni juxta magis & minus terræ germina vaſtaverunt, quarto anno a rapacibus avibus, ciconiis, cornicibus, ſturnis, & ab aliis ingluvioſis devorantur, in reliquum non venerunt. Hæc fuit octava plaga Ægypti olim, qua & noſter Deus hujus mundi obtenebrati vitia creditur correxiſſe. De quibus decem plagis metrificator egregius ita dicit:

Prima, rubens unda, ranarum plaga ſecunda,
Inde culex triſtis, poſt muſca nocivior iſtis.
Quinta pecus ſtravit, veſicam ſexta creavit.
Inde ſubit grando, poſt brucus dente nefando.
Nona tegit ſolem, primam necat ultima prolem.

Hoc anno tranſiit ex mundo Venerabilis Archiepiſcopus Salczburgenſis Fridricus, qui, dum a Papa Johanne ſtatutum proceſſiſſet contra perſonas regularem profeſſionem non habentes, Conventum puellarum in ſuburbio Civitatis

[1] an diſpendium? [2] f. arma.

Fryſacenſis, quæ ab Eccleſia Mauricii *Mauriciana* vocabantur, ad profeſſionem Canonicalis Regulæ beati Auguſtini tranſtulit, novum Monaſterium conſtruxit, proventum adjecit, ſub titulo nominis beatæ Mariæ Magdalenæ ſtructuram novam de cætero appellavit. Cui ſucceſſit Hainricus Eccleſiæ ipſius Canonicus, Vir in Diſciplinis liberalibus eruditus. Hoc etiam anno fuit perſecutio Judæorum in diverſis partibus, in Auſtria, Babaria, Karinthia & in Reno, ac in aliis Teutoniæ finibus circumquaque: theſauris, bonis, litteris eorum ſpoliati, ſubmerſi, exuſti, præcipitati, eviſcerati miſere perierunt. In pluribus locis terrarum Principes eos quantum poterant defenderunt. Chriſtus enim ſuam cauſam vindicavit: quia in opido Auſtriæ, quod Prukka [1] dicitur, & in civitate Karinthiæ, quæ Wolfsperg vocatur, Corpus Domini eis traditum usque ad veri ſanguinis ſtillamina perfixerunt, & candelis appoſitis aduſſerunt: Chriſtianæ fidei conſtantiam adaugentes, æternum ſibi obprobrium adjecerunt, & innumeris miraculis in Sacramento radiantibus, verbum illud maledictionis ſuæ primæ, ſcilicet: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, ſuper ſe iterum nova retentia texuerunt. Quæ maledictio multis & innumerabilibus cladibus a tempore mortis Chriſti quaſi ad perpetuæ rei memoriam ſuper eos multipliciter legitur cumulata, quas Joſephus & alii plures innumerabiles & inexplicabiles deſcripſerunt, juxta Virgilium, qui dicit:

Non mihi ſi linguæ centum, ſi corpora centum,
Ferrea vox omnes ſcelerum deprendere cauſas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Sed infelix ille populus, ſui delicti conſcius, Ovidii verſus dicere poteſt:

Multa miſer timeo, quia feci multa proterve,
Exemplisque metu terreor ipſe meis.

Et item:

Tot mala ſunt [2] paſſus, quot in æthere ſidera lucent,
Parvaque quot terræ corpora pulvis habet.

Eodem etiam anno obiit Dominus Hainricus Epiſcopus Laventinus, Cancellarius Domini Alberti Ducis Auſtriæ, in Neunkirchen apud Novam Civitatem: & poſt expirationem ſuam ſtatim omnes amici & famuli ſui diſceſſerunt ab eo, & acceperunt omnia bona ſua, equos & Clenodia, & alias res quas ſecum habuerat, & eum ſolum mortuum ibi miſerunt [3], & tantum non habuit, quod eum ſepeliſſent circa S. Andream in Lavental, ubi acceptavit ſepeliri. Hoc dictum fuit civibus Novæ civitatis, venerunt in Newnkirchen, & acceperunt corpus ejus, & duxerunt ad civitatem, & honorabiliter cum pecunia civium in parochia ſepelierunt, ubi nunc eſt ſepultus. Tunc Dux Albertus & Dux Otto omnia bona ejusdem Epiſcopi, quæ habebat Wiennæ, inter ſe diviſerunt, ſicut ſcriptum per Prophetam: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea* &c.

De cauſa Regis Angliæ contra Regem Franciæ ventilata coram Imperatore, & Privilegio Karinthianorum. Cap. VIII. MCCCXXXVIII.

Edwardus Rex Angliæ venit ad Imperatorem Ludwicum in civitatem, quæ Confluentia dicitur, ditionis & territorii Treverenſis: & ſedente Imperatore pro tribunali, contra Regem Franciæ, præſentibus Moguntino, Treverenſi Epiſcopis, Ducibus Palatinis, ac infinitis Imperii Magnatibus, incipit actionem, repetens Ducatum Northmanniæ & Aquitanniæ, Comitatum Andengavenſem & Coronam regni Franciæ ſibi, & ſororis [1] ſuæ filio Imperatoris volens defendens [2], Judicem juſtitiæ interpellans, judicium ſibi fieri petens a malæ fidei poſſeſſore. Olim etenim inter horum regnorum Reges etiam de Comitatu Pictaviæ, tempore Cæleſtini III. quæſtio vertebatur, ut in Epiſtola ad Fridricum Primum Hainricus Rex Angliæ Ducem Northmanniæ & Aquitanniæ, & Comitem Andengavenſem legitur ſe ſcripſiſſe, dum inter eos pacis & amoris fœdera tractarentur. Huic igitur Edwardo cum a Principibus communi omnium ſententia juſtitia acclamaretur, & hæreditas patrum adjudicaretur; Rex datis & promiſſis magnis ſtipendiis, ipſum Imperatorem, qui ſororem ſuæ conſortis habuit conthoralem, & potiores Regni, Epiſcopos, Duces, Marchiones, Nobiles conſcribi fecit in ſuum auxilium: & ut parati eſſent, ſtatuit eis tempus. Quibusdam tamen ex eis cum Rege Franciæ jam conſtrictis viſum fuit, ut, quocunque prærirent ſigna Imperialia, ſequerentur ſine ſuæ fidei corruptela. Imperator expectans donationem, inſtante expeditione ſe non movit, licet omnium deſideria ejus præſentiam ſuſtinerent: notam ex hoc maximi dedecoris incurrens, quousque Regis litteræ per civitates & in auribus Principum excuſarent, quia pecuniam præfixo termino promiſſo [3] non recepit. Fertur etiam, quod Rex Franciæ & Regina, Imperatricis matertera, occultis litteris & ſponſione Papalis gratiæ ab hoc facto retraxerint. Ludwicum. Rex nihilominus apud Durdwicum [4] civitatem Hollandriæ manens, exercitum inſtruit, & in Pykardorum partibus contra Regem Franciæ ſe componit, abundans plus fortitudine, quam multitudine ex Alamannia pugnatorum: quem licet Franci numero excederent, non tamen eſt ad prælium deventum. Regi [5] Angliæ provinciam illam incendiis & rapinis devaſtavit, propter hyemis vero imminentiam utrique ad ſua domicilia rediere. Hæc cauſa multorum Regum continens æſtus, etiam ſuper maria ad navalia prælia ſe [6] commovit: ubi nunc pro hac, nunc pro illa parte, periclitatis rebus & hominibus, dubio turbine partes ſibi obviæ ſunt concuſſæ. Elandrenſibus, Brabantinis, Selandenſibus pro Rege Angliæ laborantibus cum virtute, communis etiam concio populorum omnium Regi Angliæ favorabilis exiſtebat. Cardinales a latere Summi Pontificis directi pro concordia, inefficaciter ſunt reverſi: Rege Angliæ durius reſpondente, non aliud ſe niſi juſtitiam a Papa vel Imperatore, tam nunc, quam a longo tempore, exegiſſe. Poſt hæc Rex Angliæ filiam ſuam, quam Imperatrix in ſuam Curiam ſuſceperat ad educandum, & (ſicut fertur) maritandum, ad propria reaſſumpſit: & uterque Regum ad ſu-

[1] *leg.* Pulka [2] *l.* ſum [3] *l.* dimiſerunt

[1] *ſupple* uxoris [2] *l.* defendere [3] *f.* promiſſam [4] *f.* Dordracum [5] *f.* Rex [6] *pro* illos

turum

turum eventum prælii attractione militum, & distributione munerum se disposuit.

Hoc anno III. Non. Septembris Anna Bohemorum Regis filia, Ducis Ottonis Austriæ consors altera, sine prole transiit ex hoc mundo: quæ in Monasterio Novi-Montis cum maximo dolore Ducum & Nobilium, gemituque totius populi, sepelitur. Hoc anno XVIII. Kal. Octobris Ministeriales Karinthiæ communi decreto ad Albertum Ducem in civitatem Stiriæ, quæ Graecz dicitur, accesserunt, dicentes, quod abolitis antiquis terræ suæ juribus, & in transactæ oblivionis caliginem emigratis, vivendi forma sub certis legibus indigerent, potentes novis sanctionibus & punctis super diversis casibus, & terræ populum communiri. Dux, sub quibus vivere legibus decrevissent, & institutionem morum agere, scisciatur, ut esset populus unus, & ne pro disparitate usuum seditio vel aversionum gravitas oriretur. Ac alii certos articulos expresserunt de feodalibus & propriis, ac aliis diversis specificatis, in reliquis non expressis Intra-Stirienſium, & judicia, quæ a priscis Ducibus & Marchionibus processerant, elegerunt; sive sit casus mortis, sive multatio pecuniaria, vel mutilatio, vel cujuscunque generis transgressio, sive pœna. Judiciale decretum diffinitur materna lingua lucide & expresse, super quibus privilegium accipiunt, & ad aures [1] proprios revertuntur, proferentes illud in publicum. Deinde ad castri fortissimi conservatorium, quod Osterwicz dicitur, in terræ meditullio, recondunt, unanimiter promittentes, se in judiciis & tractatibus ejus continentiam servaturos, & secundum id se in posterum habituros, sicut dicit Virgilius:

. . Est legum servanda suprema voluntas:
Quod mandat fieri [2] jubet, parere necesse est.

De Morte Ducis Ottonis, & visione præcedenti.
Cap. IX. MCCCXXXIX.

Dux Otto a civitate Graecz Stiriæ debilis in Austriam est perlatus, qui [3] motu atque concussione corporis & frigore in lectica, qua vehebatur, dolor dialiter augebatur. Igitur morte prævalente ad prælium mortis Sacramentorum susceptione devota, Confessione, & glorioſi testamenti dispositione fideliter se armavit; executores nobilem Virum de Pfannberg Ulricum, & Ulricum de Pergaw cum constrictione fidei deputavit. Et confortatus in Spiritu libertatis atque securitate conscientiæ ulterius se non diligere vitam istam, nec velle de cætero superesse, voce libera testabatur: & commendatis duobus filiis Fridrico & Leupoldo, totaque terra, populis & familiaribus fratri suo, IV. Kal. Martii transiit, & apud Fratres Augustinenses Wiennæ solemnibus exequiis tumulatur. Deinde non post longum temporis interstitium Religiosus quidam, Ordinis Karthusiensis, visionem sibi divinitus ostensam detulit ad Albertum: quia judicavit purgationi competere omnino, si sine mora ad locum suæ fundationis transportaretur, scilicet ad Monasterium Novi-Montis. Quod & factum est, cum devoto, qui ad hoc requiritur, apparatu. Nec prætereundum puto, quod quidam de familia Ducis hujus Notarius Nicolaus, postea Padensis Ecclesiæ prope Argoviam Pastor, intelligentis ac perspicacis ingenii, somnium præsagum futurorum præviderit. Videbat in amæno viridario, quod est ante castrum Ducalis mansionis Wiennæ, arbores sex procera altitudine elevatas: ex quibus quinque viresçentes duo Angeli præcincti, alacres ad laborem, habentes securium armamenta in manibus, celeriter præciderunt, & de terræ superficie ejecerunt. Et cum sextam accederent extirpandam, parumper deliberantes mutuo loquebantur, quod eam relinquerent; ut, si floresceret, & fructum faceret, videretur (erat enim aliquantulum arida in ramusculis & deflexa,) & abeuntes eam persistere in sua valitudine permiserunt. O, inquit ad socios sui contubernii, timeo Dominum nostrum Ducem Ottonem ex hoc sæculo breviter transiturum, disserens somnium, quod videbat. Quicunque ejus conjecturam subsannaverit; subsannet Joseph cum Daniele, qui Regum casus & eventus iterum lucide hujusmodi visionibus præsagientibus dissolverunt. Rex Albertus sex filios habuit; quinque in florida juventute de terra viventium sunt abscisſi velut arbores viresçentes; Albertus sextus superstes, cujus tempora prolonget gratia Salvatoris, præstitutum sibi terminum præstolavit: qui sicut arbor, cujus radicis semen in terra fuerat ab Angelis, qui curam hominum gerunt, derelictum, fructum attulit expectatum. Affectus enim suus, quem effudit, dum Sanctorum limina visitaret, coram Altissimo, in affectum [4] desiderabilem est productus. In capite enim Kalendarum Novembrium Ducissa Johanna peperit ei filium, qui tanquam alter Samuel a Domino postulatus; Rudolfus vocitatus, nomen priscorum Regum & Ducum hujus germinis est sortitus. Huic facto consonat prophetia Ezechielis, qui dicit: *Ego Dominus siccavi lignum viride, & frondescere feci lignum aridum.* Pro tribus his juvenibus Ducibus tota ditio gratulatur exultans, quod hæredes habere meruit naturales, in quibus omnium eorum Principatuum spes dependet; ad quos Virgilii versus mitto, qui dicit:

Vivite felices, si quid mea carmina possunt;
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Hoc anno apud Frankenfurt, in festo Palmarum, Imperator Comitem Gelriæ, Virum divitem & potentem, honoris Ducalis titulo decoravit: qui Regis Angliæ sororem habuit, & in Regno clarus clarior est effectus, ut hæredes ejus sanguini jam præclaro propinqui & ipsi clarescerent in sæculi dignitate. Eodem tempore Johannes Rex Bohemiæ ibidem ab Imperatore feoda sua suscepit, qui invicem compactam amicitiam in posterum sæpius suscitaverunt. Eodem anno Albertus Dux colloquium habuit cum Imperatore prope Hallis, territorii Salczburgensis, in quo inter alia Dux Hainrico Præsuli de Curia noviter jam reverso, qui Imperatori parere in susceptione suorum regalium & in aliis recusavit, standi in pace & sine offensa inducias non sine difficultate ad biennium impetravit,

[1] *l.* lares [2] *supp.* que [3] *f.* cujus [4] *l.* effectum

vit. Qui gratulabundus gratiam hanc suscepit, & versum Lucani dicere videbatur:

Pars mihi pacis erat, dextram tetigisse tyranni.

De Fridrico filio Ottonis, & quibusdam prœliis, & Incidentibus illius temporis. Cap. X. Anno Domini supradicto.

Fridricus Dux, Ottonis filius, in superioribus partibus in castro Lenczenburg constitutus, provide se gerebat, gratum se & placabilem omnibus exhibebat. Contigit ipso inscio quoddam disturbium exurgere, durum nimis. Nam Comes Nydowiæ, Vir potens, ad civitatis dispendium frumentum & alia in via regia deprædatur, confidens Ducis patrocinio se tuendum. Cives suum obprobrium circum positis civitatibus, postulantes suffragium, querulantur: similiter Comes proximis & amicis ut assistant, precibus insistebat; sicque spolia & abductiones & gwerra sævissima excitatur. Dux coacto exercitu nobilium, præclaroque agmine militari ad assistendum causæ Nobilium se disponit. Cives non ignave, sed viriliter se opponunt: & Duce propter ætatis teneritudinem prælium non intrante, IX. Kal. Julii prælium ex utraque parte est commissum. Plures vulnerati, captivati, prostrati ex utraque parte; tam diu & adeo se alacriter mutuis percussionibus concidere, donec civibus sors saveret, & victoria arrideret. Cecidit Comes de Nydowe, Comes Subaudiæ, Viri spectabiles de Eurstenberg: qui fugæ præsidio poterant se salvare, sed elegerunt potius periclitari, quam nomen gloriæ suæ denigrare. Ex hoc furor circumquaque Nobilium & Principum contra cives validissime sæviebat. Qui licet de montium clausuris & circumseptionibus considerent, occisorum tamen amicos non modicum metuebant; factæ tamen treugæ pacis, quousque ad concordiam res veniret. Hoc anno Hainricus Dux Inferioris Babariæ, gener Regis Bohemorum, moritur. Et non longe post unico filio suo Johanne, quem reliquit, & Consorte, Regis Bohemorum filia, sublatis, Ludwicus terram apprehendit: in qua filii fratris sui Rudolfi Palatini, & filii Ottonis Ducis Austriæ ex matris suæ sponsalibus, quæ Soror defuncti fuerat, jus legaliter & portionem debitam exigebant. Imperator se ratione sanguinis & Imperialis juris omnibus propinquiorem astruens, terram sibi quodamodo coactive; receptis Sacramentis Nobilium, conservavit: glorians, se solum jam subintrasse totius Babariæ Principatum, a longo tempore in partes plurimas subdivisum; patrueles enim ejus paternam adhuc in latere possident portionem.

MCCCXL. Rudolfus quidam Presbyter calicem cum Sanguine Christi apud Salczburgam in majori Ecclesia de altari sumens, diffundit, quod prius fecerat Hallis in Ecclesia beati Zenonis. Qui captus, & postea productus, dixit: Judæum & paganum sine baptismo posse salvari; & in altari non esse verum Christi Corpus; & Dæmones posse redire ad pristinam dignitatem, quia solo peccaverunt cogitatu. Cum nollet respicere, per Hainricum Episcopum Salczburgensem, Magistro Ruthmaro, Sekoviense Præsule, Chunrado Chymense, & aliis Prælatis præsentibus, degradatus, sæculari potestati traditur, & crematur. Hoc anno etiam Fridricus Dux juvenis in Austriam revertitur, & lateri Alberti patrui cum fratre Leupoldo adhærens, in gymnasio bonorum actuum desudans, verbis & factis terræ Nobilibus se coaptat. Hoc anno Rex Ruthenorum moritur, & Rex Krakoviæ ratione consortis, quæ filia Regis Livoniæ fuerat, terram apprehendere festinavit, & abductis inde spoliis pluribus, quibusdam civitatibus deprædatis, ad propria est reversus. Rex Tartarorum hoc audiens, regnum asserit esse suum, tanquam sibi & suis progenitoribus censuale; cum infinita multitudine Tartarorum ad metas Kracoviæ venit, & depopulatis atque vastatis finibus illis, compulit Regem Krucoviæ: metuentes auxilium Ungarorum & Teutonicorum, ut abigerentur, ne ulterius diffunderentur, nuntiis & litteris implorare. Novissime tamen angariati per prohibitionem obsistentium fluviorum interpositorum, ac armatorum occurrentium, ad propria redierunt. Hoc anno Rex Franciæ, & Angliæ ex partibus Pykardorum conveniunt. Tornacum civitas a Rege Angliæ obsidetur, sed instante hyeme cum treugis ab invicem discesserunt. Imperator Regem Angliæ Vicariatu quarumdam civitatum Imperii in partibus inferioribus spoliavit, quas sibi pridem in defensionis auxilium commendavit: & ideo, quia Rex eum, eo quod in subsidium ejus non venerat, ut promisit, civitatibus & Principibus detulerit. Nam juxta Salomonem: *Occasionem quærit, qui vult recedere ab amico.* Hoc anno Reges Castellæ & Aragoniæ contra Sarracenos, scilicet regnum Granatorum, cum infinita multitudine se parabant. In die Sanctorum [1] Communione Sacra de manu Papæ percepta, ejusque benedictione firmati, abeuntes res egerunt: & prostratis innumeris viris & mulieribus, quæ cum viris ad prælium venerant, cum gaudio redierunt. Rex Castellæ vexillum suæ victoriæ, sub quo triumphavit, Summo Pontifici destinavit. Qui solemni voce: *Vexilla Regis prodeunt*, decantavit; fecit quoque Sermonem de Libro Judicum, ubi de victoria Barach & Debboræ, & morte Syzaræ agitur, dicens: *Sic pereant inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita vivant.* Milites Kalatraviæ, de professione Cisterciensis Ordinis, ibi mirabiliter & glorioſe pugnaverunt, & inæstimabilem multitudinem populi barbarici prostraverunt. Fertur, quod inter Christianos & Barbaros stagnum latum, sive quoddam brachium maris, fuerit, quod Dominus ad Christianorum preces siccavit, ut possent in prælium convenire. Quidam magni Sarracenorum Principis filius cum pluribus captus, dum fidem Christi blasphemaret, occiditur: de quo gloriabantur, quod in hortum Machmeti introductus, melle, lacte, balsamo & deliciis inæstimabilibus perfruatur; & sic pater & mater consolabantur, & alii ad prælium sub spe harum deliciarum alacrius armabantur.

Hoc etiam anno Fridricus libertinus de Swenck ab Imperatore in Civitate Monacensi

[1] *deest quid in Cod.*

Comi-

Comitis nomen accepit, seque de Cyleya nuncupavit: qui locus olim, Arcturi Regis tempore, dicitur in exercitiis militaribus claruisse, quem Rex Rugorum Odovacer olim pergens in Italiam, cum multis aliis civitatibus creditur destruxisse, cujus ruina & collapsio usque hodie demonstratur. Hoc etiam anno Patriarcha Berchrandus cum Comitibus Goriciæ bellum gessit, habens secum Karolum Marchionem & Johannem fratrem ejus, Regis Bohemorum filios. Patriarcha animo bene fidens, qui [1] prius in causa Ecclesiæ contra Venetorum exercitum, & contra Ritzardum de Camino, & contra Johannem Comitem Goriciæ res prospere gessit, & eximie triumphavit; lætanter & ad ista per omnia se habebat. Et dum protraheretur negotium in quorundam castrorum obsidione, & succursus Comitum non adesset, ad castrum Goriciæ properat: ubi suburbio devastato in nocte Natalis Domini, Patriarcha in castris tam armis sæpius materialibus, quam in sacris induviis Missæ nocturnalis officium, subministrante sibi Swiberto, Abbate Mosnacensi Ordinis S. Benedicti, vestito similiter armis utriusque generis, celebravit. Fuit hoc tempore in Karinthia quædam gyrovaga mulier, nomine Katherina, quæ arte prætigiosa, virtute (ut fertur) quarundam radicum, in latere stigmata manibus & pedibus demonstravit: nobiles in castro fœminas, & simplices in civitatibus & in villis decipiens, ut a pluribus sanguis ex artubus ejus ubertim effluere videretur. Sed cum in patrocinio fraudis & doli deprehenderetur, quia in latebris vacabat deliciis, dicens, sibi cœlitus missum cibum, personasque Religiosas semper vitavit: quia *qui male agit, odit lucem;* postremo aufugit, nec in his districtibus imago postea apparuit illius bestiæ Anti-Christi. Eodem etiam anno in terra Stiriæ, inter Lewben & Prukkam in montanis, in vigilia S. Lamperti Martyris in autumno, cecidit grando tam magna, quod apparuit in montibus sicut nix, & in crastino S. Lamperti adhuc bene videbatur de planitie.

MCCCXLI. Johannes Bohemiæ Regis filius de Comitatu expellitur Tyrolensi, Nobilibus terræ pertractantibus. Hoc cum Imperatore (cujus consiliarii huc ad provinciam venientes [2]) cum uxore sua, filia Hainrici Ducis Karinthiæ, cum secretariis quibusdam clam mittentibus ac scribentibus litteras, præluserunt: ex quibus tamen aliquos inturravit; aliquos rerum direptione, & munitionum dissipatione acriter castigavit. Ipse vero vasis suis argenteis ac aliis jocalibus pro expensarum viatico obligatis, ad Patriarcham Berchrandum in Forum Julii commigravit, a quo honorifice suscipitur & tractatur. Papa autem Benedictus ipsi Patriarchæ remissionem fecit, ut discerneret factum partibus convocatis, & per diffinitivam sententiam terminaret: quia casus dissolutionem matrimonii tangere videbatur. Cui mandato Margaretha, conjunx Johannis, parere recusavit. Quapropter processus contra eam & terram Papales per Patriarchæ nuntios publicantur. Hoc anno filia Regis Bohemiæ Casmaro [1] Lothonis Regis Kracoviæ filio, desponsata ut eam duceret, cum venisset, moritur. Et mox ad hortatum Regis filiam Lantgravii Hazziæ duxit, in civitate Posna ipsa per Sliimensem Archiepiscopum coronatur, & nuptias celebravit: in qua solemnitate expensarum distributorum munerum, vestium, gemmarum, argenti & auri pretium non poterat æstimari. Hoc etiam anno Reges Castellæ & Arrogoniæ accensi zelo fidei & devotionis, coadunatis multis nobilium atque militum turmis, de diversis mundi partibus contra Sarracenos exercitum grandem inducentes: quia regna illa quodamodo se contingunt, & sunt quasi clavi in oculis eorum, necesse habent, quotidie contra hostium Christi incursus & discrimina propria vigilare, & non solum fidei pietate, sed armorum alacritate frequenter & vivaciter decertare: ubi quoque rebus bene gestis redeunt, atque ad imminentia prælia iterum se disponunt, juxta quod Prosper dicit:

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt:
Et cum quo certet mens pia, semper habet.

De Casu Johannis filii Regis Bohemiæ cum uxore sua, & Inthronizatione Alberti, & quibusdam aliis. Cap. XI. MCCCXLII.

Imperator Ludwicus, quæ in cordis affectu congessit de Dominio Tyrolensi, cæpit effectu operis ebullire. Nam Johanne filio Bohemorum Regis de partibus Athasis eliminato, fama pererebuit, quod causa fuerit impotentia coeundi, ipsaque sua conjunx Margaretha, cupiens esse mater, hoc sæpius familiaribus patefecerit, quod hæredem ardenter desideravit, quod per ejus consortium penitus fieri desperavit. Ferebatur a pluribus, quod hoc olim per Beatricem, Hainrici Ducis Karinthiæ tertiam uxorem, latenter fuerit procuratum; per artem maleficii præcavere volentem, ne ex his soboles nasceretur, & ipsa, quæ fructum non habuit, dotaliciis frustraretur. Imperator audiens, quod est gestum, filium suum Ludwicum Marchionem de Brandenburg, cujus uxor, filia Regis Daciæ, jam dudum decesserat, stimulat, ut consortem Johannis ducat, terramque inclytam, apprehenderet. Qui dum reniteretur totis viribus, & horreret, sermo patris prævaluit: & assumpto secum quodam suæ partis Episcopo intruso Frisingensi, ut divortium celebraret, iter capiunt ad montana. Et dum ad clivum montis cujusdam perveniissent, intrusus ille dum descenderet equo sedens, casum faciens expiravit. Nihilominus Ecclesiastici juris formula postergata, inter Ludwicum & Margaretham nuptiæ celebrantur. Quæ concepit, sed prævaricatio in primogenito est multata: quia natus celeriter est sublatus. Imperator castrum Tyrolis ingressus armis munivit, exultans animo, altisonis vocibus cantica lætitiæ cecinit, loci amœnitate & possessione montium tantoque munimine ad introitum & exitum Italiæ delectatus. Quo recedente filius manens de singulis scrutabatur.

[1] *f.* quod. [2] *l.* veniebant.

[1] *l.* Calimiro.

Qui poſtea ſequens patrem, ait, terram ſe famoſam ſine fructu ſubintraſſe: quia Nobiles poſſeſſiones atque caſtra ad Principem ſpectantia poſſiderent. Pater ait, longam tunicam inferius præcindendam, & pallium amplum aliqua ſubtracta lacinia anguſtandum: innuens, potentes atque prædivites ſubprimendos. Unde mox quendam de potioribus, Volchmarum nomine, cum filiis ſuis cepit, & rebus ſublatis artiſſimæ cuſtodiæ mancipavit. Quibusdam, ut ferebatur, in eis judiciis corruptæ fidei deprehenſis, alii metuentes, cum proceſſus Papales terram concuterent, dicere videbantur: *Merito hæc patimur.* Monaſteriis tamen ſub hoc turbine vivere grave fuit.

Hoc tempore Venerabilis pater Berchrandus Patriarcha corpora Beatorum Cleri [1], qui tertius poſt beatum Marcum Aquilegienſem Eccleſiam gubernavit, & ſui Archidiaconi Titiani, cum quibus Felix, Lætus [2], Dionyſius paſſi leguntur ab Erronio [3] Præſide ſub Numeriano Principe, apud Aquilegiam devotione celebri tranſtulit, & ad locum eminentiorem Eccleſiæ venerabiliter elevavit. Corpora incorrupta totam Baſilicam, atque omnes qui aderant, mira ſuavitatis fragrantia reſperſerunt. Æſtimati ſunt autem mille & triginta annos vel circiter quieviſſe. Porro Johannes Rex Bohemiæ Albertum Ducem affatur, querulans filii ſui cauſam: & dum in conclavi hic pene cæcus, alter membrorum non compos, ſermocinium facerent [4]. Super quo finito colloquio, Rex ut exiret, parietem palpitavit, non valens oſtium reperire. Dux Regem de oſtio informans, cæcutienti non valuit ſubvenire; quousque utriusque jocundo ridiculo præ foribus reſidentes oſtium aperirent. Deinde ad Papam, ad Regem Franciæ, ad Principes, Nobiles & amicos deferens negotium ſuum, conſilium & auxilium deprecatur. Hoc anno tempore incipientis Aprilis, glaciebus undique diſſolutis, graminibus de terræ poris erumpentibus, inopinatum frigus aquarum conſtrictione, ventorum atque nivium denſitate hyems altera irruit, ita ut multos percuteret vis algoris: & dum glacies ſolveretur, & nivium congeries ſolaribus ignibus ſcinderetur, quaſi omnium fluminum magnorum totius Europæ & parvulorum incurrentium inundatio villas, homines, arbores, agros, prata radicitus evulſit, atque ad inferiores alveos deportavit, quaſi rediviva caſtigatione peccatorum hominum poſt primum humani generis, apertis cœli cataractis, ſecundus exilierit cataclysmus, & juxta Lucanum, *Deucalionæos ſudiſſet aquarius imbres.* Danubius, Renus & Mogus, qui Orientales Francos permeat, turres, muros fortiſſimos, pontes, domos, & mœnia & civitatum propugnacula abſtulerunt. Hoc anno, Maji tempore, Benedictus Papa moritur, & Clemens VI. eligitur. Qui prædeceſſoris ſui duritiam liberali munificentia piavit, gratias multas faciens advenientibus: & (ſicut fertur) impetrantes quoslibet admiſit, & miſericorditer exaudivit, Cardinales plures creavit, & de eis in Hiſpaniam, Tuſciam & Lombardiam Legatos aliquos deſtinavit.

Albertus Dux audiens, quod Ludwicus, Imperatoris filius, ſe Ducem Karinthiæ, Comitem Tyrolenſem & Goriciæ titularet, cogitavit, quod dicit Horatius: *Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet*, ne Karinthiam invaderet, occurrere ſatagebat. Unde diſpoſitis neceſſariis ſe & unum de fratruelibus ſublimare ſtatuit in ſolium Ducatus Karinthiæ, juxta conſuetudinem ante dictam. Et cum ad punctum fiendi negotium perveniſſet, ſeipſum ad thronum hujus gloriæ præcipit elevari: Chunrado Gurcenſi Præſule benedictiones ad hoc ſpectantes ſolemnizante Miſſæ tempore ſuper ipſum. Quæſtio autem non parva inter Milites eſt exorta, cur fratruelibus non indulſerit hunc honorem? Quidam ſenſerunt, quod proprium filium per hoc æque in Ducatu voluerit hæredare; alii vero diffinierunt, quod Nobiles terræ hoc egerint, ne conſtringerentur duplici juramento, ſi forte Principes diſſentirent, in conſervatione fidei alteri parti obnoxii haberentur; ſi vivens [1] penderent has habenas, ab eis difficilius agerentur, juxta Ovidium:

Arbor, quæ latam præbet ſpatiantibus umbram,
Quo primum poſita eſt tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus ſummus tellure revelli,
Nunc ſtat, in immenſum viribus aucta ſuis.

Hocanno Veronenſes Lucam Florentinis pro infinita pecunia vendiderunt, quam mox Pyſani, fulti adjutorio Teutonicorum, obſidentes fame vehementiſſima conſtrinxerunt. Cui dum Florentini innumerabili exercitu ſuccurrere vellent, territi confuſibiliter aufugerunt, & Pyſanis urbem, pecunia ſua perdita, reliquerunt. Hoc tempore in partibus Lombardorum, deficientibus ſtipendiis, quædam conglomeratio ſurrexit militantium de partibus Germanorum, quæ æſtimata eſt ad quatuor vel amplius millia armatorum, & eſt vocata *ſocietas coronata.* Campos tenebant, ſpolia circumquaque exercebant, timorem ſuum undique diffundebant, Principem ſtatuerunt, quem Ducem coronatæ ſocietatis unanimiter vocaverunt, eique obedientes in omnibus extiterunt. Hoc tempore moritur Karolus Rex Hungarorum, cujus exequias Papa cum Cardinalibus Avione, Dux Albertus cum militibus ſuis in Karinthia ſolemniter peregerunt. Filius ſuus Ludwicus mox patre ſubterrato, in Alba-Regali a Strigonienſi Epiſcopo coronatur. Imperatoris fama odoriſera pro re geſta in Johanne filio Regis Bohemiæ cæpit in naribus Principum fœtere, qui dixerunt, eum ab Imperio ob enormes exceſſus exfuſcatum, & regnum filio fratris feruntur obtuliſſe: qui patruum volens exacerbari, nec calumniari, dicitur renuiſſe. Mox tum Ludwicus Albertum de Hohenberg ſuum Cancellarium, nobilem virum de Randekch Præpoſitum Babenbergenſem (qui pridem miſſus ad Benedictum verbo Pſalmiſtæ: *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium*, fuerat, pro Ludwico affectuoſiſſime Papam monens) Provincialem Cruci-

[1] *leg.* Helari *ſeu* Hilarii. [2] *leg.* Largus. [3] *leg.* Beronio. [4] *deſunt hic quædam in Cod.*

[1] *f.* viventi. [2] *f.* nolens.

ſerum

ciferum de Nellenberg, & Magiſtrum Ulricum de Auguſta ad curiam deſtinavit: in quorum fulcitationem Rex Francorum ſuum Cancellarium, & Ulricum de Subaudia direxit, mandans eis, Papæ & Cardinalibus pro negotio inſiſtere diligenter. Qui circa finem menſis Novembris ſunt ingreſſi, & convenientes pariter quantum poterant rem tractabant.

Hoc anno Rex Caſtellæ, accepta a Papa ſubventione, 75. galeas Granatorum ſubmerſit, Dei præſentia magnifice delectatus. Rex Francorum & Anglorum conveniunt, ſicut prius: & Papa miſit duos Cardinales, qui nihil egerunt, niſi quod treugas ſtatuerant, & (ſicut fertur) omnem materiam litis arbitrandam de conſenſu partium Summo Pontifici & Cardinalibus detulerunt. Hoc tempore quidam Monachus Victorienſis vidit in ſomnis, quod flexis poplitibus confeſſionem faceret ſuarum culparum Virgini glorioſæ: quæ peracta confeſſione manum poſuit ſuper caput ejus, & abſolutionem dixit injungens pſalmum, *Benedicam Dominum in omni tempore* pro ſatisfactione dicendum, evigilansque hunc pſalmum crebrius in reliquum decantavit. Hoc anno, tempore Auguſti, peſtifer ventus oram Aquilegienſis portus afflavit, de ſpummis maris Adriatici procelloſis, qui in diſtrictus illius complexu plurimos in mortem ſtravit, plurimos in infirmitatibus diutius colligavit. Dux etiam Albertus graviſſime infirmatus, orationibus Religioſorum communibus Deus diſtulit mortem ejus, quamvis longe eſſet poſitus a ſpe vitæ, pro eo (ut creditur) quia terras ſuas a contagio excommunicationis ſagaciter conſervavit, qua propter Imperatoris exceſſus aliæ regiones tenebantur miſerabiliter implicatæ. Sed de Dei gratia in ſuarum terrarum gaudium convaleſcens, proſpiciens futura, ad Juvenum Ducum regimen & inſtructionem Comites de Schawenberg & de Pfannberg aliosque viros providos deputavit, ut biberent in pueritia, quod poſtea ructarent, juxta Horatium: *Intendant animum ſtudiis & rebus honeſtis. Nam pueri eſt ætas* (ut dicit Ovidius) *mollis & apta capi.*

De ſtatu Ludwici iterum, & finalis concluſio de diverſis. Cap. XII. & ultimum.

MCCCXLIII.

Nuncii Ludwici Imperatoris a curia ineffaciter revertuntur, negotium retroceſſum in Regem Franciæ contorquentes, qui dudum promiſerat, quod eum Sedis gratiæ reformaret: obſtitit etiam Regis Bohemorum inſtans querela, ſuum ac filii dedecus ulciſci per juſtitiam poſtulantis. Fertur nihilominus ſummus Pontifex terminum ſtatuiſſe, ut errorem recognoſceret, terram Tyrolenſem redderet, Imperium reſignaret; & hac via, & non alia, ſe gratiam inventurum. Qui reſpondit, Divinæ providentiæ ad omnem eventum ſe potius ſubmiſſurum. Papa Cancellarium ſuum Albertum de Hohenberg ſolum inter eos, qui miſſi fuerant, a Ludwico diſcedere perſuaſit, ſpondens, ſibi melius a Sedis gratia providendum. Pontifex denuo contra terram Tyrolenſem novos proceſſus condidit, & Patriarchæ publicandos demandavit. Similiter contra Ludwicum, ſi cœptis non deſiſteret, & monitis ſalutaribus non intenderet, per provincias locorum & Eccleſiarum principalium undique ſtatuit procedendum. Quod Albertus Dux in ſuis fieri diſtrictibus nullatenus dicitur admiſiſſe, quem Ludwicus miti quodam dialogo [1], quem Wilhelmus Okkam, Ordinis Minorum, Anglicæ nationis, de diverſis materiis & ſententiis ſub forma diſcipuli quærentis, & Magiſtri reſpondentis, edidit. Quem diviſit in tres partes; prima tractat de hæreticis; ſecunda de dogmatibus Johannis Papæ XXII; tertia de geſtis circa fidem altercantium orthodoxam: qui etiam regulis artis Loicæ ſubtiliſſima multorum ingenia occupavit. Hoc anno moritur Rupertus Rex Siciliæ, tempore Januarii, duas relinquens filias, quarum una nupſit Andreæ Hungarorum quondam Karoli Regis filio, quem poſt ſe regnaturum deſignavit; altera æque viro tradita nobili & potenti fuit, qui regnum ratione conjugii ſimiliter uſurpavit. Mater autem Andreæ transfretavit, actura, ut filio ſuo coronam apud regnicolas & apud ſummum [2] obtineret. Moritur & hoc tempore Petrus Rex Siciliæ, cui ſuccedit filius ſuus Senior, natus ex filia Ottonis Ducis Karinthiæ. Huic regno propter inhabitantes Principes, ſicut ab antiquo ex Fridrici & Menfridi temporibus; poſtquam Arrogonii idem regnum poſt Karolum Provincialem obtinuerunt, averſum Sedes Apoſtolica vultum gerit; ambo tamen Principes, unus in Sicilia, alter in Apulia & Kalabria, titulo regnorum Siciliæ & Jeruſalem perfunguntur. Ludwicus Hungarorum Rex cum Carolo Marchione, ſocero ſuo, ſolatium militaris exercitii in Bohemiam conduxit, in Teutonicorum & Bohemorum militia delectatus. Cui facto Fridricum Ducem Auſtriæ juvenem contigit intereſſe, Alberto patruo parumper gravate hoc ferente. Sed cum videret Juvenis animum ad opus virtutis & gloriam incitari, omnia impendia cum affluentia deſignavit: & dum cunctos in omni illo apparatu Dux præcelleret, ut ſibi ſingulare decus liberalis magnificentiæ acclamaretur; Albertus quod geſtum fuerat collaudavit, juxta verſiculos Ovidii, qui dicit:

Excitat auditor ſtudium, laudataque virtus
creſcit, & immenſum gloria pondus habet.

Hoc tempore familia Herquerni viſa eſt in Marchia Carniolæ pugnare per aëra armis igneis, intempeſtæ noctis tempore: & dum rei experientia quæreretur, inventum eſt, veteres mulieres plagatas & graviter vulneratas [3]. Quidam Sacerdos audiens & videns, perterritus vix ad vires corporis reſpiravit. Hoc anno, in vigilia S. Paſcæ, in territorio Spirenſi ſolitarius quidam, Ludwicus nomine, in nemore a Judæis eſt morte horribili interemptus. Nam ligatum ſuper ſcalas capite demmiſſo membra conſcindentes, per venas ſanguinem extrahentes, caput cerebro perforantes, mortuum relinquentes abierunt. Qui repertus, & ad Eccleſiam delatus, maximis cœpit miraculis coruſcare.

[1] *deeſt* ad id induxit, *aut hujusmodi.* [2] *ſupp.* Pontificem. [3] *deeſt* eſſe *aut ſimile quid.*

ſcare. Judæi nefandiſſimi capti & exuſti, ſubito A facinus ſunt profeſſi. Hoc tempore civitates Lombardiæ, agente Gwilhelmo Legato Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardinale, ad ſacramenta plenæ concordiæ convenerunt, & ut illam Societatem Coronatam diſſolverent, condixerunt. Primores etenim urbium in ſingulis vadis fluminum ineabilium, ne tranſirent vel evaderent, inſidias poſuerunt. Qui dum inopia victualium premerentur, ſe ad exitum paraverunt, & circa montem Pardonis eis obſiſtentem ruſticæ plebis infinitam multitudinem proſtraverunt, ſicque clauſuras oppoſitas evaſerunt; quidam vero aſſueti in partibus illis hinc inde in civitatibus ſe receperunt. Hoc tempore quædam puella Judaicæ gentis, circiter duodennis, in Stiria manens, vidit in ſomnis ſe cum Chriſtianis in quadam Eccleſia accedere ad altare; ut aſſumeret Corpus Chriſti. Quod dum Sacerdos manu retrahens denegaret; dicens, eam non habere ſignaculum fidei Chriſtianæ; expergefacta nutricem Chriſtianam, quæ in domo patris ejus lactavit pueros, conſulit. Quæ eam in Karinthiam clam abduxit, ubi in opido, quod Fryſacum dicitur, catechizatur, & magno cordis deſiderio baptizatur: Chriſtianis votivas ſolventibus Deo laudes. Hoc etiam anno, tempore Junii, Principibus Electoribus de Rege tractantibus, dum ſimul prope Confluentiam in pomærio Renſenſi conſiſterent; Ludwicus adveniens inopinate, eorum propoſitum faceta modeſtia interrupit, ſpondens, ſe Sanctæ Matris Eccleſiæ gratiam omni conamine quæſiturum, eorumque ſe nutibus atque B conſiliis ſubmiſſurum. Et rediens ad partes Noricas, cum Ratisponenſibus litis materiam exorditur: quæ licet graviter a primordiis texeretur, Deo tamen volente, ad tempus biennii eſt treugata. Ludwicus Hungarorum Rex præcipitis animi cum immenſo exercitu vadens ad partes Transſilvanas, amiſſis pluribus rediit fremens, & vindictam quotidie meditatur. In partibus ſuperioribus Karinthiæ hoc tempore quidam deſperatus per feneſtram Eccleſiæ cujusdam in imaginem Dulciſſimæ Mariæ Virginis telum torſit. Filius Matris injuriam non ferens, Presbytero cuidam rapto apparuit, & indignationem ſuam ſuper genus humanum effuſam quaſi jam ad perditionis barathrum declaravit. Beata Virgo, Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, precum ſuarum oppoſitione & Prolis amplexatione, quam nihil honorat negando Filius, inſtantiſſime Filii iram mitigavit. Presbyter reverſus ad ſeipſum, letanias & orationes populo perſuaſit & indixit. Et ipſe quidem poſt perceptionem Corporis Domini in miniſterio altaris calicem ſumens, quaſi tenerrimi agnelli ſanguinem reſpicit excreſcere; ita ut ex ore ejiceret, & horreret: qui usque hodie, in miraculum & fulcimentum Chriſtianæ fidei, viſus a pluribus conſervatur. Hoc tempore inter Bohemos & Auſtrales, in metis ſe contingentibus reſidentes, ſcilicet de Roſenberg, & de Walſee, grave diſturbium eſt exortum, quod nullatenus extinguendum ſine terrarum periculo videbatur. Sed Albertus alloquens Karolum Marchionem, breviter ad fœdera pacis negotium traxit: Sed & alias inter ſuos crebrius exuberantes ſpummas litium rigore, perſuaſione, patientia æqui moderaminis conſopivit, juxta Salomonem, qui dicit: *Omnes ſemitæ illius pacificæ.*

Renus inundans hoc tempore pontes & ædificia multa ſtravit. Imperator receptis Ambaſiatoribus Regis Franciæ, de obtentu gratiæ Sedis Apoſtolicæ ſpem concepit, quam ſicut anchoram firmam tenet: & miſſis ſuis nuntiis adhuc agentibus in curiam, relevationem tædii præſtolatur. Hoc anno, tempore Auguſti, moritur Venerabilis Hainricus Archiepiſcopus Salczpurgenſis, & eligitur Ortolfus Præpoſitus Eccleſiæ: qui usque hodie in Curia manens, confirmationis & aliorum beneficiorum B gratiam ſuſtinet & expectat. Hoc anno, menſe Octobris, Elizabeth, relicta quondam Hainrici Ducis Auſtriæ, moritur, & in Campo-Regis ſepelitur: exequiæ ejus Wiennæ ab Alberto Duce pie & ſolemniter celebrantur. Menſe Novembris adeo valida fulgura & tonitura mugierunt per Karinthiam, ita ut plura caſtra & caſtrorum turres atque mœnia incenderent, dejicerent, & vaſtarent. Igitur Ludwicus adhuc ſub fluctibus navigans procelloſis, bonæ tamen ſpei factus, quod ad portum ſuæ tranquillæ ſtationis ſua figatur anchora, confidit animo inconcuſſo, juxta Horatium [1], qui dicit:

Ego Virum vare ferar [2],
Magna aut parva ferar [3],
C *Unus & idem ſum,*
In proſperis ſcilicet & adverſis.

Albertus etiam, noſtrarum Dux terrarum, fratruele Fridrico ad ſuperiores partes expedito, informatore & Cancellario ſibi Ulrico Curienſi Præſule deputato, ſuisque terris regulatis, ad pacis commoda circumquaque [4]. Ego futura relinquens poſteris melius annotanda, finem faciam ſermonis, & ſiquidem bene, & ut hiſtoriæ competit, & ipſe velim. Si autem minus digne, concedendum eſt mihi ad laudem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, cui ſit honor, laus & gloria, & majeſtas per infinita Sæcula Sæculorum Amen.

MONITUM.

D *Huic Chronico continenter in eodem Codice Claustro-Neoburgenſi ſubjungitur trium inſequentium annorum (omiſſo tamen anno* MCCCXLIV *nro, qui ibi vacat) Continuatio. Annos duos priores Johannes Schanfeldarus Miles Latine, poſterierem Anonymus quidam Germanice conſcripſit, uterque temporum illorum æqualis. Ex quibus memorabile prælium Creſſacenſe, olim Francos inter & Anglos geſtum, nec non ea, quæ principatu Alberti II. Ducis per Auſtriam regiones, quæ finitimas memoratu digna contigere, egregie illuſtrantur. Ea vero totidem verbis ſic habent.*

[1] *ſcilicet Chronographus aut ejus exſcriptor, verſus iſtos Horatio ſimillimos: neque enim apud eundem extant.*
[2] *f. verear.* [3] *f. verear.* [4] *Deſi convertitur, uti bajunctis.*

Anno

Anno Domini Milleſimo Triceſimo Quadrageſimo Quinto.

Magiſter Stephanus Pariſienſis hæc ventura prædixit, quod Anno Domini MCCCXLVI. erunt hæc ſigna: videlicet quod lilium ignobiliori [1] parte mundi movebitur contra ſemen Leonis, & ſtabit in agro inter ſpinas regni ſui. Tunc filius hominis veniet, cujus regnum eſt terra lunæ, & cum magno exercitu transfretabit aquas, & ingreditur terram Leonis carentis auxilio, & beſtiæ regionis illius dentibus pellem ejus lacerabunt. Illo anno caſtra deſtruentur, & tremor magnus erit in mundo ex quadam parte Leonis, & erit bellum inter plures Reges. Illo anno erit ſanguinis effuſio, & perdet lilium coronam, cum qua filius hominis poſtea coronabitur, poſt quatuor annos ſequentes. Fient in mundo prælia multa inter fide carentes. Ali- B qua pars mundi deſtruetur. Caput mundi etiam ad terram erit declinatum, ſed filius hominis cum aquila prævalebit. Tunc erit pax in toto orbe terrarum, copia fructuum. Filius hominis accipiet ſignum, & transfretabit ad terram promiſſionis. Lilium eſt Rex Franciæ, Leo Comes Flandriæ, filius hominis Rex Angliæ, Aquila Cæſar; caput mundi Papa.

Anno Domini Milleſimo Triceſimo Quadrageſimo Sexto, Pontificatus Domini Clementis Papæ Sexti anno Quinto, menſe Auguſti, die Viceſimo Sexto.

Anno ſupra dicto factum eſt prælium inter duos Reges, ſcilicet inter Regem Angliæ, & Franciæ, juxta villam, quæ vocatur Kerly, juxta unam dictam S. Georii in Francia. Et duravit prælium ab hora veſperarum Sabbathi poſt Bartholomæi usque ad diem proximum ſequentem C ad horam nonam: in quo idem Dominus Rex Angliæ illuſtris victoriam Dei gratia obtinuit & triumphum. Iſti fuerunt Principes occiſi in exercitu Regis Franciæ per Dominum Regem Angliæ (qui Dominus Rex Angliæ niſi unum ſolum militem perdidit in exercitu ſuo.) quorum occiſorum nomina ſequuntur. Primo, Inclytus Dominus, Johannes Rex Bohemiæ Senior, qui erat totaliter cæcus, & Rex Majoritarum. Dux Lothoringiæ, filius Sororis Ducum Auſtriæ. Comes de Alychon, frater legitimus Regis Franciæ. Comes Flandriæ. Comes Namenſis. Dominus de Roſenberg, juvenis de Bohemia Miles. Dominus Hainricus Kling- D berg, juvenis & Miles. Comes de Arecourt. Comes de Boloys. Archiepiſcopus de Cheyns in Burgundia. Epiſcopus de Novoen, qui vocatur Nordovienſis. Comes de Tzalme. Comes de Tzanſoire. Comes de Monbrilliaerd. Comes de Grantpire, Magnus Prior Franciæ, cum duobus millibus equitibus. Abbas de Corbi cum quingentis equitibus. Vicecomes de Tronars. Dominus de Moreel. Dominus Jacobus de Bourboud. Dominus de Caen. Dominus de Tzamenaud, & quamplures alii nobiles & ignobiles, quorum non eſt numerus, ceciderunt in dicto prælio de exercitu, & de adjunctionibus Regis Franciæ, qui vix vivus effugit. Item Dominus Karolus Margravius Moraviæ, filius prædicti Regis Johannis Bohemiæ, qui erat electus in Regem Romanorum contra Ludwicum Imperatorem, ſcilicet ab Epiſcopo Treverenſi, ab Epiſcopo Colonienſi, & a Duce Saxoniæ, idem Karolus fuit in dicto prælio maxime vulneratus, quod vix evaſit.

Ego Johannes, dictus Schœnfelder, Miles hæc omnia prædicta nunciavi per latorem in Auſtriam: quia ego interfui in eodem prælio, in parte Regis Angliæ, & fui vulneratus in dextera parte meæ faciei, & adhuc longitudo quaſi unius digiti ſagittæ eſt in capite meo reſidens.

[1] *f.* in nobiliori

Anno Domini MCCCXLVII.

Des Pfinztags vor Sand Colmans tag ſtarb Chayſer Ludweich von Paieren, do er wold reiten an dem geyaid, do ſayg er von de'n Pferde nider, und ſtarb in des Babſtes ungenad. Do kriegte der Marchgraf von Marhern, Kunig Johannis Sun von Beham, umb das Reich; wan er etleich Walhern het, dye jn bey Kayſer Ludweigs lebentigen tzeiten erwelt heten. Vnd des ſelben jars wart der wein in allen Oſterreich ſo arg und ſo ſawer, daz ſey nyemant vil trincken mocht, und wart auch den lewten we in dem pauche: das leſen wart auch umb allir Heyligen tag mit groſſem ſuce. Ani Sand Paules tag vor Vaſnacht do kam ain Erdpidem in allen Landen, ſo groſſ. das man wolt, das von aneuang der Welt ſo groſſe Erdpidem nye geſchache. Doch beſünderleich ſo groſſ in Kernden und in Krain, alſo, das Villach dye Stat alle ze hawffen viel, daz lewt und ghet da verdarb, und dartzu ging manig perg nider, der groſſ waz, und ſpielt ſich daz erdreich, alſo daz nyemand kund wiſſen, ob ain grund da war: wan man warff mit einem ſtain, do das erdreich was zekloben. Dartzu vieln vil guter Veſten nider, Vederawe, Chellerberg, Holnburg, und ander Veſten vil, der man nicht nennen kan. Vnd der Oſſaer See der machat ſich auff, und tzukkat ain tail des pergs mit im hinin, der an dem See leit. Do ain Lantſtraſſ bey gye, und dye weil das geſchach, furn lewt mit wagen fur, dye wurden all verlorn. Vnd dieſelb Erdpidem werat von Sand Pauls tag unez gen Sunwenten, das man er wol empfand. Vnd furbaſſ geſchach das, daz ain waſſer, das haiß dye Geyl, daz rynt tzwiſchen tzwain pergen, und von der Erdpidem viel ain perg über den andern, über daz waſſer, aus dez piet von Ortenburg, in des piet von Pabenberg. Vnd daſſelb waſſer ſwellat ſich hinder ſich zo verr, daz zehen Dörffer lewt und guet verdurben. Do kam ain groſſer ſterb in Welliſchen landen, und in Puln. Do worden ſtet und Märkte öd von dem ſterben: und ze Venedig wart auch der ſterb ſo groſſ, das chain kaufman dahin derſt, und. fluhen all heraus; doch beliben der Teutſchen vil tod din. Das gie herauß untz gen Judenburg, und überall gen Kernden und Steier, und gen Oſterreich, das in dy lewt do zo hart vorchten, das man groſſe pet tet, und giengen auch dye lewt in der offen pueſſ überall.

Do taydingt der Märher, der da Kunig wolt ſein, mit Kunig Karl, mit Hertzog Albrechten von Oſterreich, und auch der Hertzogin ze Meurperg, daz geſchach zwiſchen Oſtern und Pfingſten. Vnd vertaydingten ſich da mit einander, daz Hertzog Albrecht ſeinew land von den Marchgrafen da entpfe-

je Sefeld. Do machat der von Märhern ainem Hof mit grosser schönhait, und gaben da yerewkind zusamen, also daz Hertzog Albrechts Sun Hertzog Rudolf nam dez Marchgrafen Tochter, und dye Hertzogin vnderwand sich da irrer Snuer, und fürt dye mit jr gen Wienn. Darnach nach Sand Jacobs tag chamen dye Heren alle zesamen gen Passaw, der Marchgraf von Märhern (der Kunig wolt sein) vnd der Pairn Marchgraf von Brandenburg, und Hertzog Albrecht von Österreich, dartzu manig Furst und Pischolf: vnd wolten da ain richtung gemacht haben czwischen den von Märhern, und dem von Pairn. Sy schieden aber do an alles end von einander. Do fyeng Hertzog Albrecht von Österreich seinem Kuchlmaister, der hieß Stibor, der in grassen genaden gegen der Herschafft was, und dem der Hertzog zu ainem armen Dienar wol trawet: dem gab er schult; er wolt im vergeben haben. Den furt man gen Kernden, do lag er von Ostern untz gen Sand Michels tag, daz er alle tag des todes muest zu im gewarten: wann man gab im nur wasser und prot ze essen. Do wart der Hertzog ynne, daz der Stibor vnschuldig was, und het das ain Pfaff von Swaben zewegen bracht mit falschen priefen. Den fye man darumb, und machat demselben Pfaffen ze Wienn an den Hochenmarkt hoch auf ainer Sewl ain Vogelhaus, und saczt in da ininn, dem versmit man in, darinn lag er wol fierzehen tag. Do nam man jn herauß, und vermawrt jn datz Sand Stepfan auf den Freithof: Do starb er auch kürczleich darnach in ainem stokch daselbs.

Do tycht at Hertzog Rudolf von Sachsen, und gye darauff, wie er den von Pairn Marchgrafen von Brandenburg mächt pringen von der March. Vnd daz was auch nahen geschehen, und gab für, ez wer Marchgraff Woldmer von Brandenburg ains und dreißig jar verlorn gewesen, und der war ains armen pilgreimsweyß alß lang vmbgangen, und czukkat ainem Mülner auf, und jach, er wär der recht Marchgraf Woldmer von Brandenburg. Denselben Münler het der von Sachsen manig jar vor haimlich innegehabt, und het jn mit massen und mit andern zaichen gemacht, so er pest chund; damit er wolt beweren, dazz der recht Marchgraff Woldmer sein solt. Daz erhall da, und in allen landen, es wär Marchgraff Woldmer widerkomen, und cherten vil purg und stet an dem Mülner. Welich an jn nicht keren wolten, dy halff jm der von Peham, und der von Sachsen twingen, also, das vnder den Märn dem von Pairn der March der mynder tail belaib, untz alß lang, daz man dez innewart, das er ain Mülner was, der Marchgraf Woldmer sein solt. Auch legt der Kunig von Dennmarch, der Römer Kayser Ludweichs Sun, der Kunig von Krakaw, der Hertzog von Stetein, und vil Hern von Polan dem von Pairn zu, mit den er seiner nöt vil überhant. Da wart auch offt gefochten, also daz etwan der Mülner der Marchgraf Woldmer sein solt, gesiget; ettzwen gesiget der von Pairn. Doch verlozt der von Pairn ainem streyt, des was der Romer sein pruder Haupman, der cham chawm daruon. Do wart Hertzog Rudolff von der Pfalcz gefangen, und an ainer achczig Man mit helmen, mit grossen Eren. Der warn vierczig helm von Polan: under den warn viereczehen Brüder und Vetern, die ainem helm fürten, und sint genant die Czedliczer, der Verlust nam der von Pairn grossen schaden, also, das etleich stet von jm kerten, die vor mit jm waren gewesen. Also werat der krieg untz in das drit jar, das der von Pairn die March nye gar gewan.

Do kam der Kunig von Vngern gen Stier zu ainem Hof, viereczehen tag nach Ostern, und daselbs verpran die Stat ze Steier gar ab. Vnd darnach viereczehen tag nach Pfingsten hiet derselb von Vngern ainem grossen Hof datz Wienn mit seinem guet, und machat da zu den Augustinern ain grosse czymer, und da was der Freithoff mit laub aller bedäkcht. Darunder tanczten dye Frawen, dye er alle von Lannd-Frawen geladen hiet, die waren all geklayded in grab und in plab. Do kam der Cardinal, Gwido genant, vor Pfingsten gen Wienn, der wart da empfangen mit grosser schonhait, und geherbergt inn dem Pfarhoff. Der fur gen Vngern und gen Peham, und belaib untz zu Weynachten in Dewtschen lannden, und fur da wider haim. Do cham ain grosser Erdpidem an vnser Frawen tag zu der Liechtmeß. Do wart der sterb in allem Österreich gar groß, und doch besunder datz Wienn, also, das man alle lewt, arm und reich, muest legen inn den Gotsakker ze Sand Cholman. Vnd sturben zo vil lewt, an einem tag czweliff hundert leich, die gelegt wurden inn den Gotsakker: und wurden daselbs Sechs grueb gegraben, untz auf das wasser, und man legt inn die ain grueb vierczig tausent leich, an die haimleich begraben wurden in den Klöstern und in andern Kirchen: wann der Hertzog flech aus der Stat gen Purchartsdorff, und verpot, daz man nyemand torft gelegen auff dye Freythöff über all inn der Stat. Vnd auch stuben vil lewt aus der Stat, der vil auf dem lannd sturben. Vnd auch hueb sich der sterb an den lewten also: An welchen lewten rote sprinkel oder swarcze erhubenn, dye sturben all an dem dritten tag: und auch ensprungen den lewten drueß under den üchsen, und ze den gemächten, die sturben nahent all an dem dritten tag. Welche lewt an den Druessen und an den sprekkln lebten über den dritten tag, der genaß offt ains. Vnd was auch der jammer so groß, das die lewt barfueß kirchferten gingen, und teten grosse pett. Das half alles nicht. Oder es werat der sterb von Ostern untz gen Sand Michels tag, und geschach offt, das etleich toten guet an den Vierden cham. Auch was manig haus datz Wienn, da Sybenczig Mensch ausstarben und mer, also, das manig haus öd stunt, das die lewt all tod daraus waren. Vnd vil gutes und Erb wart so gar Erblozz, das nyemand was, der sich sein vnderwünd: wann all lewt sprechen, sy hieten gar genueg, solten sy nur leben. Vnd wie groß der sterb was, so macht man vor ain Werhait nye erfarn, das an Gotsleichnam ye fier Menschen sturben; und doch der Lappfaffen so vil sturben, also, daz ze Sand Stepfan sturben vier und funfczig Pfaffen.

Vnd das der sterb so groß was, des aab man den Juden schelt. das die bieten puluer und gifft vernät in klainem sakleyn oder pälgleyn, und hetten die geworffen inn die prun, und das vand man inn manigen prun. Auch ward manig Kristen begriffen mit puluer und mit gifft, den dye Juden darumb gaben, das sy es trugen den Kristen zu. Die prant man darumb. Die verichen alle, daz yn die Juden darumb geben hetten. Darczu verderbat man in Oberlann-

kannden und in den Reichſteten vil Juden, dy vnbe-
twungen verlahen, das ſy dye prun hetten geſelſcht.
Auch gab man ainem Verſprechen, damit ſy ſich ret-
ten und bereden ſolten. So wurden aber mit frag
und mit Vrtail auß ir ſelber mund vberwunden,
daz ſy ſchuldig waren. Doch glaub mir, daz der
ſterb allermaiſt war von Gotes Czorn, und vonn ſei-
nem ſlag. Auch ſturben Münich und Nunnen vil
in den Klöſtern, alſo das groſſer mangel was an
Gotsdienſt; und datz Sand Claren ſtarb nur ain
Nun, dye was gar alt. Vnd wurden czu derſelben
czeit genuegſame jar, und doch was alles das tewer
dan ee: Vnd wurden Diener und Dienerin ſo
tewr, das man ie hart bekam: auch muest man ai-
nem ſniter geben ein weliſſ Pfenning, und ainem
Hawer czehen. Vnd deſelben Jars ſturben vil
ſwanger Frawen.

Ann Sand Michels abent do hueb ſich der peſel
aus von Stain und von Krembs, und auch der peſel
auſſerhalb der Stet auß den Dörffern, und kamen
mit gewalt gen Krembs, und griffen dye Juden an
gewältichleich, und ſluegen dye Juden alle ze tod, und
prachen ihr Herſer auff, und trugen aus alles das,
das ſy funden, alſo, daß ſy ausprachen eisnem tur
und gäter und ſtangenn aus den Venſtern. Do
czunten dye Juden ſich ſelb an und verprunnen, und
ir herſer verprunnen, das nur ain kriſtenhaws ver-
prann. Aber dy peſtenn Juden kamen auff dy pirg,
und genäſen laider. Des wart der Herczog ynn
A Dem was zo laid umb ſein Juden, und ſantt ſeinem
Hoffmaiſter und den Forſtmaiſter gen Krembs zu
den von Meyſſaw, der die weil dye Stat innhet.
Die beſambten ſich mit ainem groſſen Volkch, und
hueben all Dörffer auff, dy bey den Steten lagen,
und namen alles, dat ſy funden: zu Radendorff, zu
Weinczürl, zu Straſſing, zu Lenben. Awer Leub-
ſer dy ſatzten ſich wider, untz das ſye guetter tayding
bekamen. Vnd dy Stat ze Mawtern dy dingt ab
umb Sechshundert pfundt; do ezz der Piſchoff Got-
frid von Paſſaw mit tayding gegen dem Hertzogen
chawm zubracht. Vnd ſye auch dy Burger in payn-
den Steten all, und hyeß czween galgen auffmachen
czwiſchen payden Steten auff den ſandt: Da wur-
den drey arbaiter, dy getrew warn, an der hangen,
den Juden ze beſſerung. Vnd dy Burger ettleich
B furt man aus gen Rechperg und gen Stain in dy
turn, darinn manger toter lag: Dy andern dingten
ſich auß, yederman nach ſeiner Hab. Darzu ſlueg
der Hertzog auff dy gemain baider Stete vierhun-
dert pfunt zu beſſerung.

Ann dem Suntag vor Aller Heiligen tag gepot
der Hertzog allen Lanndherren vonn Oeſterreich und
Steier und Kernden, dye muesten da all Hertzog
Rudolffen ſwern. Deſelben Suntags weicht man
datz Sand Claren die Kirchen, und gab der Hertzog
ſein Tochter darinn an Aller Heiligen tag mit ſchon-
hait. An demſelben tag weicht man die Kirchen
datz den Auguſtinern.

ANONYMI COENOBITÆ ZWETLENSIS CHRONICON

AB

ANNO CHRISTI DCCCCXXVIII. AD MCCCLXXXVI.

NUNC PRIMUM PUBLICATUM EX CHARTACEO COD. MS. CLAUSTRO-NEOBURGENSI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. QUi Chronicon iſtud ſcriptum nobis reliquit Auctor, tametſi ſuum ubique nomen ſilentio prætereat; vitam tamen Monaſticam in Cœnobio Zwetlenſi, Ordinis Ciſtercienſis, profeſſum ſe fuiſſe non ſemel declarat. Argumento eſſe poſſunt ea, quæ ad annos 1353. 1357. 1360. & 1362. commemorat: ubi ſcilicet res laudati Monaſterii quam curate perſequitur. Apertius quidem ejus profeſſionem ex anno 1343. cognoſcas; ſed ea verba, quibus anni mox memorati geſta expreſſit, non hujus, quo de hic ſermo, ſed alterius potius Chronographi itidem Zwetlenſis ſunt, qui Chronicon Zwetlenſe *Recentius* a nobis ſuperius exhibitum perſcripſit. Confer, ſi lubet, utrumque hoc Chronicon ad prædictum annum Milleſimum trecenteſimum quadrageſimum tertium. Ejus ætatem intelligimus ex anno 1386. eadem qua cætera omnia manu in MS. Clauſtro-Neoburgenſi exarato, in quo & omne, quidquid hoc Chronici eſt, terminatur. Eo enim loco complures Nobiles, qui dicto anno 1386. cum Leupoldo Auſtriæ Duce prope Sempachium interempti ab Helvetiis fuere, enumerans, hæc ſubjungit: *Omnes Nobiles vel Milites, & plures alii, quos non novi, vel eorum nomina jam*

non

non recordor. Porro autem Auctorem hunc non pauca ex aliis Austriacis Chronographis, inprimis vero Clauſtro-Neoburgenſi, Paltramo ſeu Vatzone, Zwetlenſi *Recentiore* ejusque additamentis hauſiſſe, dubitaverit nemo, quis quis contentionem eorum quandam & comparationem fecerit. Neque tamen iſthæc omnia efficere potuerunt, quo eum minus in cæterorum Hiſtoriæ Auſtriacæ Scriptorum conſortium admitteremus. Affert enim permulta, maxime ab anno 1350. ad finem usque lucubrationis ſuæ, quæ vel penitus ab aliis prætermiſſa, vel certo paulo aliter, extremisque, ut dicitur, digitis attacta fuere.

II. Hoc Anonymi Zwetlenſis Opuſculum hiſtoricum, ipſiſſimum illud *Chronicon Zvvethalenſe* (ut quidem appellare viſum eſt VV. Cll. Petro Lambecio & Danieli Neſſelio) eſſe arbitramur, cujus exempla manuſcripta in binis Urbis Viennenſis Bibliothecis, Cæſarea videlicet, & Senatus Viennenſis adſervantur, quodque a laudato Daniele Neſſelio in Sciagraphia Magni Corporis hiſtorici inediti pag. 22. recenſetur. Nam idem fere utrobique initium eſt, & utrumque ad annum 1362 (is enim Ottoni ejus nominis II Abbati Zwetlenſi ſupremus fuit, teſte vulgato præſulum ejus loci Catalogo apud Jongelinum in Notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis; non vero annus 1361, ut perperam habet Apographum Clauſtro-Neoburgenſe) pertingit. Immo in exemplari manuſcripto, quo uſi ſumus, hoc opuſculum ad annum usque 1386, omiſſis annis intermediis, producitur: haud ſatis ſcio, uno eodemque, an diverſis Auctoribus, certe eadem ubique manus in eo apparet. Quibus vero verbis ſupra memorati duo Codices MSS. Viennenſes finiant, nobis incompertum; ſiquidem neutrum oculis noſtris perluſtravimus. Quod ſi etiam Anonymi iſtius Zwetlenſis Hiſtoria cum ea, quæ in prædictis Codicibus MSS. Viennenſibus extat, omnino conſentiat; nequaquam tamen genuinum *Chronicon Zvvetlenſe* videtur eſſe dicenda, ſed ad ſummum ejusdem *Continuatio*, ab anno ſcilicet 1350. ad 1362. Quantum enim diſcriminis inter utrumque intercedat, intelligi facile poteſt ex Chronico Zwetlenſi *Recentiore*, quod pro genuino merito habendum ſuo loco docuimus. Lege noſtras obſervationes prævias, quas mox citato Chronico præfiximus. Siquis tamen omnino velit, Chronographicam, quam hic damus, Collectionem, *Chronicon Zvvetlenſe* eſſe appellandam, cum hoc manus haud conſeremus: de rebus equidem, non de vocabulis diſſerere inſtituimus.

III. Codex manuſcriptus, ex quo ſubjectum Chronicon manu noſtra deſcripſimus, in recenſione MSS. Cod. Bibliothecæ Clauſtro-Neoburgenſis nobis occurrit, benigneque cum aliis pluribus a ſæpe jam laudato Admodum Reverendo Domino Eugenio Pirklbauer loci Bibliothecario communicatus nobiscum fuit. Is ſæculum decimum quintum non excedit, ab exſcriptore quodam imperito multis, maxime ad notas chronicas, mendis reſperſus & fædatus: quæ tamen aliis Vetuſtioribus Auſtriæ Scriptoribus adjuti, adjectis ad oram notulis, pro virili noſtra ſuſtulimus. Reliquorum vero perſanationem, quæ a nobis, plurium exemplorum MSS. ope deſtitutis, fieri non potuit, eorum diligentiæ ac judicio permiſimus, penes quos eadem adſervantur. Cæterum Anonymi noſtri Zwetlenſis Chronicon a capite usque ad calcem, uti quidem in apographo Clauſtro-Neoburgenſi extat, hujusmodi omnino eſt.

CRONICA

CHRONICA DUCUM AUSTRIÆ SEQUITUR.

LEopoldus Primus Marchio in Auſtria poſt A
Rugerum de Peklam [1] Anno Domini 928.
S. Udalricus Auguſtenſis Epiſcopus anno ætatis 83, Epiſcopatus vero 54. obiit.

Anno 983. Marchiam Auſtriæ tenuit Heinricus Secundus, filius Leupoldi. Heinricus Rex Italiam, Boheimiam, & Boleslaum Ducem Sclavorum cum tota gente ſua ſibi ſubjugavit Anno 1004.

Item 1007. Epiſcopatus in Babenberk ab Heinrico Rege conſtituitur.

De Sancto Cholomanno ſequitur.

Anno 1012. Beatus Cholomannus martirizatus eſt, & ſuſpenſus apud Stokcheraw, ſepultus in eodem loco Anno 1013: & Anno 1014. a Meingaudo [2] Haberſtatenſi Epiſcopo in Medlicum ducitur, ibique honorifice ſepelitur. B

Anno 1038. Sancta Chunigundis Regina, uxor Regis Heinrici, obiit. Chonradus Imperator obiit Anno 1093. & apud Spiram ſepelitur.

Anno 1042. Adalbertus Marchio Tertius in Auſtria, & filius ejus Leopoldus maximam partem exercitus Enonis [3] delevit.

Anno 1056. Idem Adalbertus obiit: & Ernſt filius ejus, Marchio Quartus, ſucceſſit.

Anno 1075. Ernſt Marchio occiſus eſt in Saxonia in bello: Leopoldus filius ejus, Marchio Quintus ſucceſſit.

Anno 1081. Bavari & Bohemi cum Marchione ad Maripergenſem [4] dimicaverunt, & vicerunt bellum.

Anno 1082. In monte Thoriticenſi [5] Monaſterium S. Mariæ a Venerabili Altmanno Patavienſi Epiſcopo conſecratur. C

Anno 1089. Conſtitutio Monachorum in Medlico, ſub Abbate Sigiboldo, in feſto S. Benedicti.

Anno 1096. Leopoldus Marchio obiit: & Leopoldus Pius ſucceſſit.

Anno 1100. Marchioniſſa relicti Leopoldi Jeroſolimam petiit.

Anno 1104. Leopoldus Marchio Auſtriæ accinctus eſt gladio.

Anno 1113. Claruit S. Bernhardus Clarevallenſis, qui etiam fuit ingreſſus Ciſtercienſium Ordinem cum ſociis fere triginta, fratribus & amicis.

Anno 1114. Fundari cœpit Baſilica in Newburga-Clauſtrali a Marchione Leopoldo; & ab uxore ſua Agnetha: etiam fundavit Sanctam Crucem, & perfecit Eccleſiam Medlicenſem, qui ex ſua conjuge Agnetha 18. liberos genuit; quorum ſeptem quidem tempore infantiæ de medio ſublati ſunt; undecim vero qui ſupervixerunt, ſex videlicet filii, & quinque filiæ, ad honores temporalium rerum non modicos fere omnes promoti ſunt. D

Anno 1118. Ungarii juxta Littam Teuthonicos vaſtaverunt.

Anno 1133. Eccliſis ſolis facta eſt, & tenebræ factæ ſunt IV. Non. Aug. hora IX. Item hoc anno Canonici Sæculares a loco Newburgenſi averſi ſunt, & Regulares B. Auguſtini ſunt ſubſtituti.

Anno 1136. Domus Sanctæ Crucis fundatur, & dedicatum eſt Clauſtrum Newpurgenſe a venerabilibus Patribus ac Dominis, ſcilicet Epiſcopis Chonrado Salczburgenſi, Reynando [1] Patavienſi, Romano Gurcenſi. Item eodem anno Leopoldus Marchio Auſtriæ; ejusdem Monaſterii Fundator, ex hoc mundo migravit: cui filius ejus [2] Heinricus, Marchio ſextus, ſucceſſit.

Anno 1142. Leopoldus Dux Bavariæ & Marchio Auſtriæ obiit.

Anno 1183. [3] Heinricus Dux Bavariæ & Marchio Auſtriæ, Auſtriam Ducatum facit, & eſt Primus Dux Auſtriæ, qui etiam Clauſtrum Scotorum in Wienna fundavit.

Item Anno 1179. Otthokerus, filius Otthokeri Marchionis Stiriæ, primo Stiriam Ducatum facit, mediante &c.

Item Anno 1157. Heinrico Duci Auſtriæ naſcitur filius, nomine Leopoldus.

Anno 1171. S. Thomas Cantuariorum Archiepiſcopus martyrio coronatus eſt.

Anno 1176. Dux Bohemiæ Auſtriam ingreditur, & totam terram usque ad Danubium & Marchiam fluvium incendio & rapina inhumane vaſtavit. Item etiam eodem anno filii Ducis Auſtriæ, videlicet Leopoldus & Heinricus Moraviam ingreſſi ſunt, omnia devaſtantes.

Anno 1177. Heinricus Dux Auſtriæ Wiennæ obiit, & in Monaſterio Scotorum, quod ipſe fundaverat, Sepelitur. Item Leopoldus, Secundus Dux, filius ſucceſſit.

Anno 1178. Leopoldus Dux Auſtriæ contracto exercitu Boheimiæ terminos ingreditur, ſingula enormiter vaſtans.

Anno 1181. Corpus Beati Virgilii Salczpurgenſis Epiſcopi multis miraculis claruit.

Anno Domini 1182. Leopoldus Dux Auſtriæ Jeruſalem ivit, & inde revertitur, afferens portionem Sanctæ Crucis ad menſuram virilis manus. Item eodem anno uxor Heinrici Ducis Auſtriæ moritur, Mater Leopoldi prædicti.

Anno 1187. Civitas Jeruſalem a paganis eſt expugnata VI. Non. Octob. Hoc etiam anno dedicatum eſt Monaſterium Sanctæ Crucis a Venerabili Domino Cardinali Theobaldo, Oſtienſis & Velletrenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & Sanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ tunc temporis Legato.

Anno 1188. Clauſtrum Scotorum Wiennæ a Venerabili Domino Wolfkero Patavienſi Epiſcopo conſecratur, in honore S. Mariæ & S. Gregorii Papæ.

Anno 1192. Ottakerus Dux Stiriæ obiit, cujus hæreditatem Dux Auſtriæ Leopoldus de manu Heinrici Imperatoris ſollenniter ſuſcepit. Item eodem anno Rex Angliæ ab Jeroſolimis rediens, ob contemptum in transmarinis

[1] *al.* Præclara, Pechlaren, & Ecchleren. [2] *ſuperam pro* Megingaudo Eyſtettenſi *ſeu* Aichſtadienſi. [3] *vitioſe pro* Ovonis, Abæ, ſeu Albuini. [4] *lg.* Mauriberch, Mawrperg, *forte lege* Meilperg. [5] *lg.* Gottwicenſi.

[1] *lg.* Reginmaro, *ſeu* Reimaro. [2] Liupoldus. [3] *lg.* 1156.

partibus sibi illatum; a Leopoldo Duce in oppido Wiennæ capitur: & anno Domini 1193. a Leopoldo Imperatoris in potestatem & captivitatem traditur. Item eodem anno Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ sequenti die Natalis Domini circa Castrum Græcz equo lapsus, 11. Kal. Jan. moritur, & in Domo S. Crucis sepelitur: cui filii sui Fridericus & Leopoldus in Ducatum utriusque Regionis succedunt, Fridericus in Austria, & Leopoldus in Stiria.

Anno Domini 1195. Fridericus Dux Austriæ, & multi Principes Theotonicorum cruces acceperunt.

Anno 1197. Dux Fridericus & alii Principes Jerusalem profecti sunt, & Fridericus Dux Austriæ.

Anno Domini 1198. peregre in Domino moritur: Cui sequenti anno Leopoldus Dux Stiriæ, frater ejus, successit. Qui Leopoldus Anno Domini 1200. in die Pentecostes multis Principibus & ambitione magna accinctus est gladio, præsente Conrado Maguntino Archiepiscopo, Eberhardo Salczburgensi Archiepiscopo. Item eodem anno pax inter Regem Ungariæ & Ducem Austriæ componitur.

Anno Domini 1202. Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ nuptias Wiennæ, multis Principibus ibidem convenientibus, pompositime celebravit, & Theodoram, neptem Regis Græcorum duxit uxorem.

Anno Domini 1203. Ottakerus Rex Bohemiæ terminos Regni Theutonicorum potenter introivit, & tandem in pace rediit.

Anno Domini 1206. Fundata est Domus in Campo-liliorum. Sequenti anno Leopoldo Duci nascitur filius nomine Leopoldus.

Anno 1210. Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ Zelo fidei accensus, cum pluribus Nobilibus terræ suæ in Newburga Signo S. Crucis insignitur, & ad terram S. Jacobi magno comitatu Anno Domini 1213. ad debellandum paganos transierat. Multi quoque Principes & aliorum fidelium in Hispaniis profecti, cum Sarracenis condicto die bellum inierunt. Sarraceni robustos & feroces animos nostrorum non ferentes, cum magno detrimento terga verterunt.

Anno Domini 1217. Rex Ungariæ Andreas, & Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ cum aliis quam plurimis ad Terram promissionis tendunt. Idem Dux Leopoldus transfretat mare [1] 42. diebus Deo protegente, quod antè valde inauditum fuit.

Anno 1218. Damiata Civitas Regalis in Ægypto sita, auctore Duce Leopoldo, instigante exercitum Christianorum, circumdatur. Pagani multas civitates timore perterriti vacuas derelinquunt, insuper castella plurima valde munita propria manu destruxerunt. Item eodem anno Otto Imperator, excommunicatus ab Innocentio Papa, obiit.

Anno 1219. Civitas Jerusalem ab ipsis paganis magna ex parte destruitur. Item Dux Leopoldus ad propriam terram glorioso revertitur. Item civitas Damiata nocte furtive ac miraculose a Christianis capitur, nemine eorum percunte.

Anno Domini 1222. sollennitas magna fit in Wienna auctore Duce Leopoldo, cujus etiam filia Duci Saxonum nuptiali thalamo est copulata. Item civitas quædam, nomine Brixia, funditus est submersa, & multi homines in ea perierunt. Item Romæ pluvia rubea pluit per diem integrum & noctem. Item prædicatores Crucis missi sunt in universum mundum. Item nix ningit in Stiria, quæ quidem versa est in sanguinem.

Anno Domini 1225. Heinricus Rex Romanorum, filius Friderici Imperatoris, duxit uxorem filiam Ducis Austriæ. Item Heinricus, filius Ducis Austriæ, duxit uxorem filiam Lantgravii Turingiæ: multi in ipsa sollennitate oppressi perierunt penes Civitatem Nurnberch.

Anno Domini 1226. Heinricus, filius Ducis Austriæ, de consilio & concilio quorundam iniquorum, opposuit se patri suo, atque Castrum Haymburkch præoccupat, matremque suam inde satis contumeliose ejiciens; quod tamen pater Castrum in brevi recepit. Deinde Idem filius patri suo multimodis insidiatus est, protegente tamen Deo evasit manus ejus. Item Fridericus, Ducis Austriæ filius, in Prawnberck [2] nuptias celebrat.

Anno 1228. Heinricus, idem Ducis Austriæ filius, obiit, [3] Leopoldo Duci Austriæ & Stiriæ insidias mortis parabat, quas tamen per gratiam Dei sine læsione evasit.

Anno Domini 1230. Bohemi Austriam rapina & incendio nullo resistente, vastaverunt.

Item piæ memoriæ Dux Leopoldus apud Sanctum Germanum in reversione moritur, moxque Ministeriales ejus omnes fere contra filium conjuraverunt: primo dolo privantes eum thesauro patris, ac postmodum totam fere Austriam incendio & rapina vastaverunt. Leopoldus prædictus Dux in monte Casino in Monasterio S. Benedicti a Cardinalibus sepelitur, & ossa ipsius delata in Claustrum suum, quod ipse construxerat, videlicet Lilgsfeld, sepulta sunt, in die S. Andreæ Apostoli, ab Archiepiscopo Salczpurgensi: & eodem die dictum Monasterium ab eodem Archiepiscopo consecratur. Cui filius ejus Fridericus successit, Quintus Dux Austriæ, & ulterius idem Dux Fridericus duxit uxorem filiam Ducis Meraniæ, post repudiationem sororis Reginæ Ungariæ. Item Rex Bohemiæ manu valida Austriam intrans, magnam partem terræ vastat incendiis & rapinis. Dissensio autem oritur inter Illustrem Ducem Austriæ & Stiriæ Fridericum, & Fratres de Chuuringe, Hadmarum videlicet & Fridericum. Item Hadmarus moritur, & in Claustro Zwetlensi Venerabili Patavienſi Episcopo Geghardo [4] sepelitur.

Anno Domini 1232. Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ apud Wiennam militavit, & accinctus est gladio apud Scotos a Gebhardo Episcopo Patavienſi.

Item Wichardus de Zebing Wiennæ decol-

[1] *al.* 16. diebus.

[2] *leg.* Prawnberck. [3] *desit forte* qui. [4] Gebhardo.

latur

latur ab Orphano, id est, von Wehing, in domo Semlzarii.

Anno Domini 1233. Ungarii intraverunt Stiriam, & rapina ac incendio vastaverunt eam. Stirienses vero congregati sine Rectore persecuti sunt eos; Ungari vero longius eos trahentes a finibus suis, insidias eis imponentes ante & retro ad ipsos accedebant; multi vero ex utraque parte mortui sunt, & multi vulneribus debilitati. Tandem Ungari victoria potiti, Nobiliores ex eis captivaverunt: in tanta multitudine vix quinquaginta fugerunt, reliqui omnes aut interierunt, aut captivi abducti sunt. Eodem tempore Sancta Elizabeth multis miraculis claruit. Item Episcopus Babenbergensis, & Dux Karinthiæ rapina & incendio se mutuo vastaverunt; sed in omnibus Episcopus semper superior extitit, castra & civitates combussit & destruxit. Postquam [1] Enkelbertus Venerabilis Babenbergensis Episcopus bellando vastat Karinthiam, ab Heinrico Winchenstain in dolo captivatur, & per Illustrem Ducem Austriæ Heinricum [2] liberatur. Item idem Dux Bohemiam exercitu magno congregato intrare volens, processit usque ad castrum Vettaw; quod licet omnibus inexpugnabile videretur, expugnat, & alia quædam castra post prædictam expugnationem sibi fuerunt tradita. Audiens itaque Rex Bohemiæ, quod tantam multitudinem exercitus haberet, & castrum prædictum expugnasset; secessit per silvam, licet proposuisset in campo occurrere præfato Duci. Item Rex Ungariæ circa Festum Omnium Sanctorum Austriam magno exercitu intravit, partem terræ incendio & rapinis vastavit, & usque ad Hosslein pervenit, & interfectis multis de exercitu suo, & Nobilibus quibusdam captivatis, ac civitate Tewen exusta & depopulata, ulterius procedere non valens pro concordia laborat: qua habita ad sua revertitur.

Anno 1234. Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ cum magno exercitu & forti intravit fines Bohemiæ, & Castrum nomine Vettaw, cepit. Cumque ulterius procedere vellet, nemine resistente, infirmatus est usque ad mortem; & sic Omnipotens Deus conatum ejus malum reconstrinxit. Item Andreas Rex Ungariæ cum Bela filio suo partem Austriæ vastavit. Anno 1234. Idem Dux & Theodora mater sua in Octavis Paschæ ad Festum Beatorum Philippi & Jacobi Apostolorum nuptias sollennes celebrant in campo juxta Stadalew [3] ubi Margravius de Meyssen sororem dicti Ducis, Constantiam nomine, duxit in uxorem, præsentibus Regibus Ungariæ & Bohemiæ, Archiepiscopo Salczpurgensi, & Episcopis Pataviensi & Babenbergensi, Saxoniæ & Karinthiæ Ducibus, & Lantgravio Thuringiæ, & aliis quamplurimis fide dignis mediantibus.

Anno 1235. Andreas Rex Ungariæ cum duobus filiis suis Bela & Cholomanno, congregato magno exercitu, ut dicebatur, ducentis millibus intravit fines Austriæ. Dux vero Austriæ contraveniens cum triginta millibus bene instructis, antequam ad rem venirent, exercitus Ducis fugam iniit cum Duce ipsorum, vix trecentis Viris eos persequentibus. Postea Rex vastat rapina & incendio circumquaque usque ad Wiennam, nemine resistente. Quod videns Dux, rogabat ea quæ pacis sunt. Tandem pace firmata, Dux cepit [1] Reges in convivium, & exercitus Regis remeavit ad propria.

Anno 1236. Rex Bohemiæ inter prædicta ex altera parte Danubii vastat Austriam rapina & incendio usque ad Stadalaw. Ubi dum moraretur, tanta inundatio pluviæ erupit fere per tres dies & noctes per Austriam & Ungariam, quod antea per multos annos non est visum, vel auditum. Item & Danubius ex abundantia aquarum terminos excedens, agros, villas & segetes vastans, homines quoque, qui in insulas confugerant cum jumentis suis & aliis rebus, extinxit. Item eodem anno Rex Ungariæ obiit.

Anno Domini 1237. Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ sæpe vocatus ad Curiam Imperatoris Friderici, & venire contemnens, tandem sententiam proscriptionis coram multis Principibus incurrit. Tandem propter contemptum & querimoniam multorum Prælatorum, Ecclesiarum & Principum, ac diversarum personarum Ecclesiastici ordinis ac potentiæ Sæcularis, postea misit Imperator nuntium suum in Austriam, & interdixit [2] gratiam suam, auxilium & consilium. Quem nuntium sui captivantes & male tractantes, tandem ad jussum Ducis est dimissus. Item idem Dux fecit omnia Claustra, quæ erant sub Principatu suo, uno die pariter irrupi [3]; & inquiri pecunias, proprias & alienas, & inventas diripuit. Insuper in toto Principatu suo recepit de uno manso sexaginta denarios. Initia dolorum fuerunt hæc, & causa dejectionis suæ. Postea propter multas insolentias & enormitates suas & Wiennenses, & aliæ civitates (præter Novam civitatem & Ministeriales) in utroque Principatu cœperunt se opponere ei. Deinde secutæ sunt rapinæ & incendia & irruptiones Claustrorum.

Anno Domini 1238. Venerunt Rex Bohemiæ & Dux Bavariæ ex latere sui Imperatoris Austriam; qui tamen nihil profecerunt, nisi quod terram rapina & incendio vastaverunt: hi terram & civitatem Wiennensem Burgravio de Nurnberck commendaverunt. Qui collectis [4] venit versus Novam Civitatem, locuturus Patriarchæ Aquilegiensi & Stiriensibus. In reversione autem secutus est Dux cum Comite de Rogen [5], & fugavit eos, cum haberent decem contra unum, cepitque duos Episcopos Pataviensem & Frisingensem, cæteri turpiter & vix evaserunt. Tandem Imperator per Longobardiam intravit Stiriam, & subjugavit Castra valde munita, & multa confregit, & uxorem Ducis abstulit; quod ei maximum dedecus fuit. Item eodem anno Cœnobium Prædicatorum Wiennæ consecratur.

Anno 1239. Imperator intravit Austriam, venitque cum multis Principibus Wiennam, ibique cum magno honore susceptus est: filius quoque ejus Chonradus venit per Danubium

[1] *al.* Ekkebertus. [2] *l.* Fridericum. [3] *al.* Stadlawe.

[1] *al.* recepit. [2] *deest* illi. [3] irrupi. [4] *deest* militibus, *aut simile quid.* [5] *l.* Pogen.

cum magno comitatu Principum, ibique per tres menſes latitantes, comedentes & bibentes quæ apud ipſos erant, & apud eos nihil aliud utilitatis operantes. Deinde Imperator relinquens Auſtriam, ingreſſus eſt Bavariam, & vices ſuas commiſit Epiſcopo Babenbergenſi, nomine Ekchelberto. [1] Poſt receſſum Imperatoris Dux in brevi quinque Caſtra vi obtinuit. Deinde Stirienſes conducti ab Imperatore, Auſtriam intraverunt cum exercitu ad conſervationem terræ, ſed magis venerunt ad deſolationem: quia in brevi, non nullis interfectis & captis, cum confuſione ad propria ſunt reverſi. Interim Epiſcopus Babenbergenſis Ekchelbertus, tunc temporis Capitaneus in Wienna, diem ultimum clauſit, & ſepultus eſt apud Scotos in Wienna in medio chori. Imperator cum magno exercitu intravit Longobardiam, ibique fere per duos annos cives ſibi rebelles impugnans, ſed non expugnans. Circa vindemiam, quæ ſatis ſterilis erat ipſo anno, venit Comes de Ebirſtain [2] cum aliis multis ex præcepto Imperatoris, cui Dux occurrit circa Tulnam cum ſuis. Cum tamen reſiſtere minime valeret, reverſus eſt ad Caſtra ſua. Qui Comes in Wienna manens ſine effectu: quia nulli committere ſe audebat propter infidelitatem, quæ tunc regnabat in terra. Eodem anno Rex Bohemiæ ſe oppoſuit Imperatori, cujus conſilio & auxilio Dux cottide creſcendo intolerabilis factus eſt hoſpitibus ſuis [3]: Civitates La & Ens, & multa Caſtra obtinuit. Imperator interim manens in Longobardia, multos ex Mediolanenſibus cepit & occidit; & [4] tamen poteſtate eorum ipſo carente. Similiter multos de Bononienſibus cepit & occidit, inſuper vineta & oliveta & fruteta [5] ſuccidens & vaſtans. Item eodem tempore idem Imperator a Domino Gregorio Papa Nono excommunicatur. Hoc anno Dux Auſtriæ cum ſibi adhærentibus magnam copiam frumenti & vini collegit, & reſiſtentes ſibi, in quantum potuit, debellat. Majores tamen tam in Auſtria, quam in Stiria Miniſteriales, ac Civitates fortiter reſiſtebant ei: quia fidei Ducis committere ſe non audebant.

Anno 1240. Civitas Wiennenſis ita cuſtodita eſt ab hominibus Ducis, ut vix parum aliquid deferretur ad manducandum & bibendum in ea manentibus. Et inde factum eſt, ut modius frumenti venderetur pro ſeptem talentis, & multi homines in terra præ fame interirent, & aliqui ad ſublevamen famis & inopiam (ut dicebatur) canes comedebant. Vinum etiam valde carum fuit in ipſa civitate & in tota terra, ut una urna venderetur in aliquibus locis pro duodecim Solidis. Item eodem anno Civitas Wiennenſis cum tota Auſtria reverſa eſt ad Dominum ſuum Ducem Auſtriæ Fridericum.

[1] Anno 1241. In Auſtria provincia & alibi viſum eſt, ut obſcuratus eſt ſol, & tenebræ factæ ſunt, ita ut ſtellæ viderentur in cœlo circa Feſtum Michaelis hora nona. Item eodem anno inter Regem Bohemiæ & Ducem Auſtriæ diſcordia non modica & intricata [1] eſt, & hæc fuit cauſa: Cum ipſe Dux fere eſſet excluſus a poteſtate Ducatus ſui, quæſivit auxilium & conſilium Regis, promittens ei totam terram ultra Danubium ſe daturum, ſi reſtitueretur honori ſuo. Quod ipſe Rex ſatis competenter [2] in quantum licuit & potuit, offenſam Imperatoris vilipendit, inſuper La Civitatem in ſua poteſtate habuit. Demum dum eſſet Dux reſtitutus honori ſuo per orationes Monachorum, Clericorum & mulierum (ut creditur) quos ante minus dilexerat; his peractis quæſivit Rex a Duce id, quod promiſerat. Sed ipſe diſſimulabat promiſſa perſolvere, propter quod ex utraque parte ſatis dira contentio exorta eſt per rapinam & incendium & devaſtationem. Sequenti enim anno Rex Bohemiæ manu valida intravit fines Auſtriæ ad depopulandam terram; ſed propter imminens frigus & clamorem pauperum reverſus eſt ad propria: cives etiam in La civitatem tradiderunt Domino Duci, Rege ignorante. Tandem controverſia illa ſic fuit terminata, ut traderetur filia Ducis Heinrici, fratris Friderici, filio Regis Bohemiæ in conjugium, quod & factum eſt.

Anno 1243. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ occurrit Regi Ungariæ apud Littam, ibique pacificati ſunt absque congreſſione: moxque cum eodem exercitu tranſivit Danubium, & intravit fines Moraviæ, ſtatimque Rex Bohemiæ inſperato occurrit cum multitudine magna. Quo comperto Dux fugam iniit, & dilapſus eſt exercitus ab ipſo. Eodem etiam anno Heinricus Rex Romanorum in captivitate patris ſui obiit, relictis duobus filiis. Multi Principes Alamanniæ oppoſuerunt ſe Imperatori, & filio ejus Chonrado Regi Romanorum propter excommunicationem, in qua jam diu duraverat.

Anno 1245. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ uxorem ſuam, filiam Ducis de Meran, repudiavit coram Eberhardo Salczpurgenſi & Epiſcopo Rudgero Patavienſi, & coram aliis multis litteratis & illitteratis. Item multæ civitates eodem anno igne domeſtico conſumptæ ſunt propter ſiccitatem & ſterilitatem, quæ hoc anno inhorruerunt. Anno ſequenti Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ accepit victoriam a Rege Bohemiæ, & captivat Ducem Ulricum Karinthiæ, & multos Nobiles prope Steutz in Stiria. Iniit & prælium cum Rege Ungarorum juxta Littam, & interfectus eſt in prælio XVI. Kal. Julii: & poſtmodum Auſtria orbata eſt proprio Principe & juſto hærede, ad manum Principum aliorum 65. annis in malo terræ & hominum tranſiit. Item die octava poſt hoc mater ſua Theodora, Ducilla Auſtriæ, obiit.

Anno 1247. Rex Bohemiæ miſit filium ſuum Ottakerum in Auſtriam: hic duxit Gerdrudim, filiam Ducis Heinrici de Medlico, in uxorem. Eodem anno S. Edmundus claruit virtutibus multis.

Anno 1248. Auſtria a Proceribus circumſe-

[1] *al.* Ekkeberto. [2] *al.* Eberſtein. [3] *l.* hoſtibus ſuis. [4] *Chronicon Clauſtro-Neoburgenſe aliter ſic habet:* & cum poteſtate eorum & Carruca. [5] *al.* ſiccta.

[1] *ſuppl.* exorta. [2] *videtur deeſſe* præſtans, *aut hujusmodi.*

den-

dentibus propriæ terræ diversis prœliis lacessi- A tur & vastatur. Anno sequenti Hermannus Marchio de Paden voluit esse Dux Austriæ, sed non valuit. Item eodem anno Fridericus Imperator obiit.

Anno 1250. Hermannus Marchio intravit Austriam auxilio Ducis Bavariæ, & duxit uxorem filiam Heinrici, qui fuit filius Ducis Leopoldi, qui sepultus est in Campo-liliorum. Anno sequenti Clerici Parisius a pastoribus interficiebantur. Item Ottakerus, filius Regis Bohemiæ, duxit uxorem Margaretam, quondam Romanorum Reginam, filiam Ducis Leopoldi, qui jacet in Campo-Liliorum. Item subjugavit sibi iste totam Austriam auxilio patris sui, & quorundam Nobilium de Austria.

Anno 1252. Ungari vastaverunt Austriam usque Tullnam rapina & incendio, nullo resistente; Infantes & mulieres ac viros in captivitate duxerunt; Claustra incendiis & rapina vastaverunt; Ecclesiam in Medlich incenderunt, quæ est in foro, in qua feruntur periisse 1500. homines. Item eodem tempore fregerunt Ecclesiam in Waltersdorff, quam dolo ceperant, & multos interfecerunt, nulli sexui parcentes. Eodem anno fames in tota Austria prævaluit, ita ut modius frumenti pro XI. talentis venderetur, & in aliquibus locis sola metreta pro tribus solidis, & multi homines perierunt fame. Sequenti anno Ducissa de Medlich, in contumeliam Ducissæ Austriæ, amitæ suæ, duxit maritum Regem Russiæ: qui relicta uxore rediit in terram suam. Obierunt eodem anno Rex Bohemiæ, & Otto Dux Bavariæ.

Anno 1254. Bela Rex Ungariæ, & Ottakerus C Dux Austriæ reconciliantur in Posonio post Festum Paschæ. Item Chonradus filius Imperatoris obiit. Item messis & vindemia satis mala. Eodem anno Ottakerus Dominus Bohemiæ & Dux Austriæ cum multo comitatu profectus est versus Prussiam circa Nativitatem Domini. Quibus superatis, & fidem Christi spondentibus, reversus est in terram suam. Eodem anno Idus Junii tempore vigiliarum, Sabbatho post Festum Trinitatis, facta est coruscatio magna. In Paumgartenperg horreum unum, & domus utensilium & vasorum ad vinum aptorum, & alia ejusdem generis armamenta fulmine repentino consumpta sunt. Item Ottakerus Dux Austriæ existens Rex Bohemiæ, assignat Belæ Regi Ungariæ Stiriam. Idem Nobiles quosdam in Austria captivat ob D eorum malitiam: ex quibus & decollat unum de Eckcherzaw, & alium nomine [1] Eberamum. Item magna sterilitas per plures terras fuit in vino & frumento.

Anno 1255. Innocentius Papa Quartus obiit, & Alexander Quartus successit. Palatinus Ludwicus, frater Ducis Bavariæ, interfecit uxorem suam, Dominam nobilem de Brabantia sequenti anno, nomine Mariam [2]. Iterum sequenti anno Canonici Salczpurgenses opposuerunt se Philippo Electo ejusdem Ecclesiæ, filio Ducis Karinthiæ, & Secovienſem Episcopum Dominum Ulricum postulaverunt.

[1] *al.* Eberanum. [2] *al.* Margaretam.

Anno 1258. In Secundis Vesperis Beatæ Affræ in nocte exusta est magna pars Wiennensis Civitatis, ut Ecclesia S. Stephani cum campanis, & domus Theutonicorum, & Beati Johannis in Karata [1] Karinthianorum, & Prædicatorum consumerentur igne. Sequenti anno Stephanus Juvenis Rex Ungariæ Karinthiam incendiis & homicidiis vastavit, & captivos multos in Ungariam secum deduxit.

Anno 1260. Factus est nocte terræ motus, & Tarthari multa mala in Prussia fecerunt. Contra quos congregati [2] Theutonici fratres, & in die S. Margarethæ plures quam centum laudabiliter occisi sunt: quia Tarthari ipsis cesserunt.

Eodem etiam anno in transmarinis partibus multi Tarthari occisi sunt. Item Ungari in Austria sibi occurrentes Nobiles occiderunt in pu- B gna, in die Sanctorum Johannis & Pauli. Et post Rex Ungariæ, & filius ejus Stephanus juxta fluvium Marchiam venerunt: Contra quem Ottakerus Dux Austriæ in die S. Margarethæ [3], cum pax quoque esset inter illos. Transivit exercitus Regis Ungariæ prædictum fluvium, & commisit prœlium. Tandem Rex Ungariæ & omnis ejus exercitus, relictis tentoriis suis, fugit; quæ omnia abstulit exercitus Austriæ. Eodem tempore & pax inter eos facta, & terra Stiriæ, quæ a Rege Ungariæ fuerat possessa, reddita est Duci Austriæ. Eodem tempore Rex Bohemiæ cum c. & + VIII. militibus tempore expeditionis juxta ripam Marchiam militat.

Anno 1261. Orta est publica pœnitentia per multas provincias, quæ pro magno habebatur miraculo. Nam multi homines, pauperes & C divites, Ministeriales, milites, rustici, senes & juvenes ibant nudi a cingulis & supra, [5] totum texerant cum lineo panno, portantes secum vexilla & ardentes candelas, & flagella in manibus: quibus se quidam percutiebant usque ad effusionem sanguinis, & cantabant devotos cantus, & ibant de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, de villa in villam, & de Ecclesia ad Ecclesiam. quod videntes multi, compuncti sunt, & flebant. Ponebant se etiam prostrati toto corpore ad terram nudi, vel in nivem, vel in pulverem. In hac pœnitentia comparuit quisque x x x. diebus, bis in die, mane scilicet & vespere. Eodem etiam anno facta est ecclipsis circa horam tertiam in octava Annunciationis Mariæ, quæ feria sexta habebatur. Alexander Papa obiit: Urbanus Quartus D successit, qui fuerat antea Patriarcha Jerosolimitanus. Item Ottakarus Rex Bohemiæ repudiavit uxorem suam Dominam Margaretham, filiam Leopoldi Ducis Austriæ, quæ prius fuerat uxor Regis Heinrici, qui erat filius Friderici Imperatoris: & duxit neptem Belæ Regis Ungariæ. Obiit Seyfridus Abbas S. Crucis, in octava S. Michaelis sexta feria. Item Ottakerus consecratus est in Regem, tempore Nativitatis Domini, in civitate Pragensi.

Anno 1262. Civitas Wiennensis pro majori

[1] *leg.* Strata, *seu via publica Karinthianorum vulgo hodie* die Kärner straß. [2] *supp.* sunt. [3] *deest* movit exercitum, *aut simile quid.* [4] *al.* XVIII. [5] *supple* & caput.

parte per incendium conſumpta eſt. Item etiam in Moravia in Civitatibus, oppidis & villis homines maximum damnum per incendium receperunt. Anno ſequenti Bertoldus Ordinis Fratrum Minorum venit in Auſtriam prædicando, & Moraviam, cujus ſermones quandoque ducenta millia hominum adibant: qui non niſi in campis & in inſulis ſupra eminentia propugnacula voluit tunc temporis ſermocinare.

Anno 1264. Fames maxima per totam Auſtriam fuit & Vngariam, Moraviam & Bohemiam, & cæteris quibusdam provinciis oriebatur, qualis ante raro viſa eſt, & duravit usque ad meſſem. Sequenti anno terræ motus factus eſt Wiennæ proxima die poſt Simonis & Judæ, in primo galli cantu.

Anno 1267. Magiſter Gerhardus, Plebanus Wiennenſis, conſtruxit Clauſtrum Monialium, Cœli Portam, Wiennæ, eodemque anno Venerabilis Petrus Patavienſis Epiſcopus prædictum Clauſtrum conſecrat. Sequenti anno civitas Marchekch ab Ottakero Rege Bohemiæ conſtruitur, ubi idem Rex aliquando glorioſam victoriam a Regibus Vngariæ acceperat.

Item Anno 1269. Chonradus, filius Chonradi Regis, nepos Imperatoris Friderici, & Fridericus filius Marchionis de Paden, pronepos Ducis Leopoldi Auſtriæ, a Karolo Neapolis capite ſunt truncati. Obiit etiam Clemens Papa, cujus lingua in agone ex ore cremando fumigavit.

Anno 1270. Gregorius Patriarcha Aquilegienſis obiit, & Philippus frater Ducis Karinthiæ poſtulatur. Item Vlricus Karinthiæ Dux in Sibidata obiit, & ibi ſepultus eſt: & Rex Ottakerus de terra Karinthiæ ſe intromiſit. Item Illuſtris Domina Agnes, pronepos [1] Leopoldi Ducis Auſtriæ, relicta Vlrici Ducis Karinthiæ, ad generis depreſſionem ab Ottakero Rege Bohemiæ cuidam Comiti Vlrico, dicto de [2] Honnburck, tradita eſt in uxorem. Eodem anno facta eſt eccliſis ſolis circa horam primam, Dominica proxima ante Annuntiationem Mariæ. Item Ottakerus Rex Bohemorum & Dux Auſtriæ habuit colloquium in inſula, ſita infra Prespurck & Potenburkch, cum Vngarorum Rege Stephano, perpetuam pacis concordiam & ſinceram amicitiam Sigillis & privilegiis ſub forma juramenti, coram Epiſcopis, Prælatis & Baronibus ex utraque parte aſſiſtentibus, totaliter confirmantes. Eodem anno Ottakarus manu valida Karinthiam intravit, & cum magna multitudine virorum armatorum civitatem Laibach, Lantſtraſſ, & adjacentes eisdem munitiones ſibi aſſignatas expugnavit. Interim Steiphanus Vngarorum Rex, violata pace, fraudulenter & manu valida intravit Auſtriam: & abductis, & interfectis viginti millibus virorum, mulierum & parvulorum, Vngariam eſt reverſus. Rex autem Bohemiæ præ nimiæ hyemis ſævitia nihil adhoc valens facere, diſtulit bellum usque ad Paſca. Interim quædam Nobilium ſocietas, quorum Capitaneus Seifridus, conſanguineus Orphanorum, volens per rapinam Vngariam intrare: & cum lacum congelatum incederent, glacie confracta, [1] equorum & virorum, qui erant noti Nobiles, quaſi quadraginta, aliorumque in numero trecenti ſunt ibidem ſubmerſi.

Igitur Anno 1271. Rex Bohemiæ, multis Principibus collectis in unum, & multitudine armatorum fere ad nonaginta millia, intravit Vngariam, ponte pulcherrimo per Danubium præparato: & primo ingreſſu Prespurck expugnavit, ac Wiennenſes cum mille quingentis equis prædicti caſtri fecit eſſe cuſtodes. Poſtea caſtrum S. Georgii, & aliud Pœſingæ & Piberspurck, civitatem quoque Tyernam expugnavit, & civitatem Imſenbuckch [2] cum caſtro totaliter devaſtat. Poſtmodum per pontem Danubium cum omnibus ſuis tranſiens, [3] Cherfullenburck & Wartt & Altenwurck expugnavit; ſicque valida manu in eisdem partibus Vngariæ per duos menſes manſit. Interea Stephanus Rex Vngariæ cum maxima Romanorum [4] & Vngarorum multitudine in oppoſitum Regi Bohemiæ venit, juxta aquam Rabnicz ſe locans, & nihil prævalens. Rex autem Bohemiæ cum propter famem cum tanta multitudine non poſſet ſtare, Wiennam ſe recepit; alii vero ad propria ſunt reverſi. Quod videns Rex Vngariæ, miſit triginta millia Comanorum in Marichvell & Moraviam: qui plurimam partem terræ per incendia & rapinas vaſtaverunt, & proh dolor! multi ſunt occiſi, captivati quoque, & in Vngariam abducti. Poſt hæc tamen pace Bohemiæ firmata, & per Epiſcopos & Comites Vngariæ apud Regem Bohemiæ impetrata, reddidit ei Rex Bohemiæ omnia, quæ per eum fuerant expugnata. Eodem etiam anno Gregorius Papa eſt electus. Item Chadoldus Wechingarius obiit. Item Gerhardus Plebanus Wiennenſis obiit.

Anno 1272. Stephanus Rex Vngariæ obiit, relinquens duos filios: & Senior, nomine Clan [5] decennis ei ſucceſſit. Poſt quidam Comes Ægidius, quem Rex ſupra modum diligebat, timens reginam & Vngaros, profugus venit ad Regem Bohemiæ unacum fratre ſuo. Hic de caſtro Prespurck & aliis quibusdam fraudulenter ac caſualiter tunc temporis ſe intromiſit, Regique Bohemiæ ſpopondit in omnibus ſervitorum. Quem Rex Bohemiæ benigne ſuſcipiens, & donat [6] plurima: nam tradidit civitates & caſtra ſibi, ſcilicet Laa, Newburckch, Stokcheraw, Greiczenſtain & alia quamplura, & duo millia marcarum ſolventium [7] annuatim. Inſuper in prompto dedit ei maximam pecuniam, & Caſtrum Presburck, & vino, tritico & avena optime præmunivit. Quod videns Heinricus Comes de Guzzinge (qui adhuc ſuperſtite Rege Vngariam exierat, Regi Bohemiæ adhærens, [8] per rapinas & incendia faciebat) ob invidiam

[1] *videtur addenda vox* præ, *& rurſum voci* Virorum, multitudine ac pondere, *ut ſit ſenſus:* glacie confracta præ equorum & virorum multitudine ac pondere.
[2] *al.* Myſenburg. [3] *al.* Cherfelburg. [4] *l.* Comanorum [5] *forte* Chun. *ſeu* Chuno, *quod cognomen Ladislao IV. Stephani iſtius filio, adhæſiſſe ſcribit Bonfinius.* [6] *ſupp.* ci [7] *leg.* ſolventia [8] *ſupple ex Chronico Anonymi Leobienſ.* Hungaris poſtea multa mala de Stiria

[1] *leg.* proneptis [2] *al.* Haynburg.

præ-

prædicti Comitis Ægidii, quem ex corde intimo odiebat, a Rege Bohemiæ discessit, in Vngariam rediit, & a Regina, & a cunctis Vngaris honorifice est receptus: ex cujus consilio & auxilio Rex de Mattsawe [1], frater Reginæ Bohemiæ, ab Vngaris est occisus. Propter quod homicidium Rex Bohemiæ nimium est turbatus, & universa mala utrobique oriuntur.

Nam sequenti anno Comani cum Vngaris Karinthiam infra unum mensem bis intraverunt, & omnia vastaverunt, & multos occiderunt, ac numero ad viginti millia hominum deduxerunt: insuper alii Moraviam intrantes, infinitos occiderunt, plurimosque deduxerunt. Eodem anno quædam Nobilium de Austria societas fere mille armati Castrum Rab expugnaverunt, & in eadem urbe Episcopus de Quinque Ecclesiis, qui Capitaneus ibidem robustus & valde animosus fuit, captus est, & alii Nobiles plures cum eo in Austriam, introducti. Comes Ægidius tandem sequenti anno confuse & pessime, cum a nullo læsus fuisset, in Vngariam reversus, Castrum Prespurck Vngaris & Comanis recommisit.

A morte Domini Friderici Secundi Imperatoris Romanorum usque 1275. & tempora Domini Gregorii Papæ Decimi, cujus monitis Rudolfus Comes de Habelspurck in Regem eligitur, Regnum & Imperium Romanum XXIII. annis Cæsare & advocato caruit. Sequenti anno Ottakarus Rex Bohemiæ, dum adhuc Rudolfo Electo Regi Romanorum esset contrarius, considerans futura; obsides terrarum Austriæ & Stiriæ, Karintliiæ & Karnioliæ a Ministerialibus & civibus exegit quamplurimos, & recepit.

Anno 1277. Principales venti conflando aquosum aërem, extra mare, & aliis fluminibus abundanter assidue ministrantibus, littora maris ad Quadraginta Stadia alicubi siccata sunt. Item prope Anconam lapis quidam immensus apparuit, qui hactenus non est visus. Sapientes itaque & Doctores stupefacti, insolitam animadvertentes siccitatem, vaticinantes, populo nimiam esse inundationem pluviarum. Eodem anno secunda Urbs Wiennæ apud portam Pibernis [2] constructur. Sequenti anno V. Kal. Aprilis platea Sinigerstraß domestico igne pro parte devastatur. Item XVI. Kal. Maji facta est ecclipsis quasi media nocte. Ignis quoque eadem nocte in domo Camerarii cœpit exire in Chunmarck [3], & magna pars civitatis Wiennæ exusta est, videlicet Altum forum ultra medium, Kie-Marck quoque penitus, & arena.

Post tredecim dies, videlicet pridie Kal. Maji, quæ est Vigilia Apostolorum Philippi & Jacobi, feria quinta, ante portam Scotorum Anno Domini 1279. non longe a fossato, sed in modum ictus mallei, exortus ignis in quadam curia, ubi lateres conficiuntur, ex improviso hominum proh dolor! Austro meridionali vento vehementer conflante. Et ecce! iterum & tertio civitas Wienna infra & extra muros, omnes portæ præter duas in Fisch-Marck & Karinthianorum, turres quoque in gyro singulæ, claustra denique Scotorum & Minorum, nec non & parochiales Ecclesiæ S. Stephani, S. Michaëlis, S. Petri, ad 150. hospitia circa novum forum remanentia, in favillas & cineres penitus sunt redacta. Testudines vero & structuræ lapideæ consumato igne pronæ quamplurimæ ceciderunt. Tale damnum honesta civitas a conditione sua non est hucusque præda vel incendio adeo consecuta mediante.

Potro Anno Domini 1280. [1] Ottakerus Rex Bohemiæ, cui dicta civitas rebus & personis, dignisque obsequiis per quinque lustra obedivit, hoc percepto compatiens [2]: namque de sua Regali gratia juxta Nobilium Sapientumque, Consiliariorum industriam prælibatam civitatem quasi ex novo conditam nititur sublimare. Ab omni namque exactionis gravamine mutarumque per lustrum, liberam penitus relaxat. Item artificialium hominum unanimitates, præter monetæ consortium, omnino deposuit; ut emendi & vendendi, tam in cibariis, quam in mercimonialibus, omnis homo per prædicta quinque spatia annorum liberam haberet facultatem. Item etiam sylvam in subsidium civibus libere tribuit, & nundinas uniius mensis spatii perenniter, prout civibus videbitur, fieri illic jussit.

Anno 1280. eodem ut supra; in mense Julio maxima Danubii inundatio multa ædificia circumquaque destruxit. Item IV. Non. Aug. tonitrua, grando, coruscationes & impetus pluviarum fuerunt in Austria, ita quod minimæ ripæ ex insperata velocitate accrescendo homines extinxerunt. Venti quoque nimium validi circa Lienveld supellectilia, veluti sunt dolia & scrinia, ultra montes ad quatuor stadia detulerunt. Item terræ motus factus est circa Novam civitatem XV. Kal. Junii. Item & ecce! mirum in modum ibidem quædam puella octo annorum concepit per servum decem annorum, & peperit; sed in partu moritur.

Anno 1282. Maxima hominum mortalitas fit per Bohemiam & Moraviam. Nam Pragæ & Brunnæ, & alibi, defuncti innumerabiles velut fœnum in curribus ad agros ducebantur: ibi in fossis profundis catervatim tempore hyemis & veris obstruuntur. Eodem anno Dominus Rudolfus Romanorum Rex apud Augustam filiis suis Alberto & Rudolfo terras Austriam & Stiriam, & Karinthiam, Portum Naonum [3] & Marchiam contulit mense Decembri.

Anno 1284 In Austria circa Spanberck in mense Maji facta sunt fulgura & tonitrua horribilia, coruscationes quoque, nec non & nubium diruptiones ac pluviæ ingentes, in tantum quod aquæ de vicinis montibus defluentes, in villis circum adjacentibus cooperiebant domos, & horrea submersa sunt. Et quidam hominum cum parvulis & mulieribus, jumentis & pecoribus evadentes, fugerunt ad montes, turres & ad Ecclesias: & postmodum multa hominum corpora in campis, & abruptis montium & petrarum, sub sabulo & arena mortua inventa sunt. Item (quod miserum erat videre spectaculum) pueros ad mamillas matrum pendentes, parvulos in cunis super undas fluentes: & non erat

[1] *al.* Marchsawe [2] *al.* Pybronis. [3] *al.* Kyen-Marckt.

[1] *leg.* 1276. [2] *ita Cod.* [3] *leg.* Naonis.

qui

qui adjuvaret. Anno ſequenti Eberhardus Ordinis Fratrum Auguſtinenſium floruit Generalis & ſollennis prædicator, ad cujus ſermonem plusquam centum millia hominum catervatim confluebant: qui poſtmodum a quadam ſorore toxicatus fuit veneno, & mortuus eſt, ſepultus in Eccleſia S. Stephani circa altare S. Johannis Evangeliſtæ.

Anno 1287. Albertus Dux Auſtriæ exercitum colligens, cum Stirienſibus & Auſtralibus Vngariam intravit, & obſedit Poſonium. Cives autem cum communi conſenſu civitatem tradiderunt ei; Caſtrum vero expugnat, & homines ſuos impoſuit. Eodem anno Rudolfus, Romanorum Regis filius, cum eundo Pragam vellet viſitare ſororem ſuam Bohemorum Reginam, mortuus eſt, iter non perficiendo.

Sequenti Anno 1289. inveniebantur in Auſtria in Nativitate, Circumciſione & Epiphania Domini violæ, & deinceps per totam Auſtriam arbores produxerunt flores in hortis & pomeriis ſicut in Majo menſe: & quod vidimus teſtamur, quia inſolitum prius fuerat. Illuſtriſſimus etiam Rudolfus Rex Romanorum, pater Ducis Auſtriæ, eo tempore mortuus eſt, in Spira ſepultus.

Anno 1292. Miniſteriales quidam Stiriæ potiores oppoſuerunt ſe, & conſpiraverunt contra Albertum Ducem Auſtriæ, invocato adverſario ejus Ottone Duce Bavariæ, cui promiſerant tradere terram illam, & recipere eum in Dominum. Qui collecto copioſo exercitu, unacum Chunrado Salczpurgenſi Archiepiſcopo Stiriam intraverunt, & multa mala fecerunt. Quibus Dux Auſtriæ occurrens, per vias graviſſimas nivium vix cum ſuis tranſiens: Cui ſexcenti ruſtici ſcopis & aliis inſtrumentis per nives & loca devia viam parabant. Qui cum veniſſet, turpiter & confuſe expulit Ducem Bavariæ, & fugavit cum fautoribus ſuis.

Tandem Anno ſequenti Dux Auſtriæ ſeductus eſt a Svevis, per litteras & nuntios ſollemnes vocatus & rogatus eſt aſcendere ad Regnum, ſpondentes ei Coronam Regni, ac ipſum eligere in Regem Romanorum. Qui cum ſollenniter aſcendiſſet, & Electores, Principes Regni die ſtatuta conveniſſent; uniformi conſilio & conſenſu Adolfum, filium ſororis Comitis Eberhardi de Cazenellebogen, elegerunt in Regem Romanorum; ſicque Dux Auſtriæ fruſtratus ſpe ſua. Tamen, exceptis ſex ſeptimanis, anno uno manſit ibi, cum diverſis diverſa exercens prælia: in quibus omnibus feliciter & proſpere ſuccedens, receptis a Rege Romanorum feodis ſuis, reverſus eſt cum triumpho ad Auſtriam. Procedente tempore ſupra dicti Stirienſes humiliati, recommiſerunt ſe gratiæ ſuæ, dantes ei munitiones ſuas, & recepit eos ad ſatisfactionem condignam.

Anno Domini 1295. Tanta inundatio aquarum Wiennæ facta eſt, ut fontem ante hoſpitale civium ſitum transcenderet, ita ut infirmi in lectulis vere vix effugere viderentur. Item rivus ad Sanctam Crucem per totum Clauſtrum & ante liberariam intravit. Item circa Nativitatem Beatæ Virginis tantus fuit ventus in Auſtria, ut crucem de ſiniſtra turri ad S. Stephanum in Wienna dejiceret. Sequenti anno terræ motus magnus factus eſt tribus vicibus, in die S. Cyriaci Martyris. Eodem anno Dux Auſtriæ & Stiriæ dedit Seniorem filiam ſuam Marchioni de Pranburck [1] in Grecz. Item mortuus eſt Meinhardus Dux Karinthiæ, ſocer Ducis Auſtriæ Alberti.

Anno Domini 1297. Albertus Dux Auſtriæ dolore oculorum nimium aggravatus, & aliis morbis accedentibus, in die S. Martini Wiennæ mortuus eſſe dicebatur; ſed per Dei gratiam precibus adjutus pauperum, in brevi reſtitutus eſt ſanitati. Cui Miniſteriales tam Auſtriæ, quam Stiriæ reſiſtentes, in Stochkcheraw & in Trebenſe ſimul convenerunt contra eum; ut niſi conſiliis eorum annueret, & Suevos, quos nimium dilexerat, de terra ejiceret, eum pro Domino habere nollent. Item perierunt poma, ita quod pro infirmis vix parva & corrupta invenirentur, duodecim pro octo denariis. Sequenti anno ante carniſprivium Andreas Rex Vngariæ in uxorem duxit ejusdem Ducis filiam cum maxima ſollennitate.

Anno 1299. Cum per totam Auſtriam, ſicut & prius Stiriæ terram, crederetur Dux mortuus; Archiepiſcopus Salczpurgenſis putans eſſe verum, per ſuum Vicedominum miſit armigeros ſuos centum equites, & duo millia peditum, qui reptabant in montibus & convallibus ſicut vulpes: qui combuſſerunt & deſtruxerunt Duci Auſtriæ duas patellas ſalis, & quandam parvam trialem civitatem Trohucawe [2] nomine, quam ibidem prædictus Dux conſtruxerat, & damnificavit eam ad æſtimationem annis ſingulis ad tria millia talentorum. Sed Domino cooperante, qui ſummus eſt medicus, cum convaluiſſet Dux a ſua gravi ægritudine & a toxico, quod ſumpſerat, a quo etiam fere paralyticus fuerat, non præſumens de fidelitate ſuorum Auſtralium, utpote qui ſæpe offenſus fuerat ab eis, impingentes ei, quod nihil daret eis, niſi Suevis ſuis, & quod omnes proventus terrarum ſuarum ad Sveviam transmitteret, & inde civitates & caſtra & poſſeſſiones comparet diverſas; & quod nobiles Dominas divites & viduas relictas de terra conjugio quandoque vi copularet Svevis ſuis; quod nec caſtra nec Clauſtra ædificaret in terra, ſicut fecerunt prædeceſſores ſui olim. Miſit ergo ad Sveviam Dux, & convocavit eos. Qui honeſte manu armata cum copioſo exercitu venerunt ei in auxilium, & multa mala fecerunt in terra, impugnantes illos & expugnantes, qui ſe ſibi oppoſuerunt. Et Dominum Liechtenſtainer de Walchenſtain, qui multa mala fecerat per rapinas in terra, obtentis omnibus quæ habebat, exterminaverunt de ea; alii vero ad concordiam reverſi ſunt. Poſtea cupiens vindicare damnum & injuriam a ſupra dicto Archiepiſcopo ſibi illatam, intravit Bavariam. Tranſiens per Stiriam, ab incolis montium multa pericula perpeſſus eſt, niſi quod Abbas Admundenſis in quantum poterat, ſubveniebat ei. Tandem pervenit ad quandam [3], Ratſtain nomine, & obſedit eam,

1. *forte* Brandenburg. 2 *al.* Trochnaw. 3 *ſupp.* civitatem.

& ja-

& jacuit ibi per longum tempus, ſed non profecit. Multis hominibus perditis, inde receſſit, volens venire in adjutorium genero ſuo Regi Vngariæ, qui tunc in obſidione quorundam Caſtrorum Comitis Yroani [1] jacebat. Et cum ei obtinuiſſet violenter tria caſtra, reverſi ſunt ad propria; Dux vero, aſſumptis Svevis ſuis, aſcendit Bavariam, cupiens confirmare pacem inter ſe & Ducem Bavariæ & Archiepiſcopum. Et ſic Suevi receſſerunt de terra, nunquam de cætero, ſi Deo placet, redituri.

Anno Domini 1300. Albertus Dux Auſtriæ expulit de terra & confinibus probum virum ac ſollemnem Miniſterialem Dominum de Sumawe [2], confractis caſtris, & deſtructis munitionibus ſuis: Qui tranſtulit ſe ad Regem Romanorum, & verbis ac conſiliis ſuis erga Regem, procurat præfato Duci multa mala. Eodem anno in æſtate multo plures in diverſis locis fulmine perierunt homines, quam multis annis prius auditum ſit, ita quod in meſſe in campo octo fulminati interierint. Tunc etiam circa Solſtitium impletum eſt, quod dicit Beatus Auguſtinus: *Impoſſibile eſt eum bene mori, qui male vixit.* Item: *Fine malo claudi ſemper mala vita meretur.* Nam filius cujusdam Vngari Yroani [3] Comitis, prædo peſſimus, ſicut multis annis extitit pater ejus, Divina ultione ictu fulminis extinctus eſt, & ſic Auſtriæ terra liberata eſt ab eo. Sequenti anno Albertus Rex Romanorum, collecto exercitu de Auſtria, Suevia, Alſatia & Franconia, Maguntinum Archiepiſcopum hoſtiliter invadit, duas civitates, Pingam & Penshaym cepit, & in parte deſtruxit. Item Domina Elizabeth Romanorum Regina cum filio ſuo Rudolfo Duce Auſtriæ, & uxore ſua Blanca Auſtriam intrat, & ſollemniter ab omnibus Dominis & civibus in Wienna recipitur, & plurimis muneribus honoratur.

Anno 1302. Andreas Rex Vngariæ mortuus eſt: poſt cujus mortem Marſchalcus Auſtriæ Hermannus de Landenberk, cooperante [4] Yroano Comite Vngaro, Caſtrum in monte S. Martini cepit, ac Budam pergens, relictam Reginam Domini Andreæ prædicti, filiam Alberti Romanorum Regis, in Wiennam honorifice reduxit.

Anno autem Domini 1305. Quidam Nobiliores Vngari cum civibus in Buda conſpirantes, filium Regis Bohemiæ in terram ac civitatem pro Rege ſibi eligentes introduxerunt. Contra quem filius Regis Siciliæ altera in parte Vngariam intravit, ac propter Vngarorum diſcordiam in utraque parte conſentientium, magna pars Vngariæ vaſtatur.

Anno ſequenti Dominus Nicolaus Oſtienſis Cardinalis Chorum Prædicatorum in Wienna in Octava S. Martini cum maxima ſollemnitate, concurrente nimia hominum multitudine, conſecravit.

Anno 1313. Obiit Venerandus Magiſter Otto, quondam Prothonotarius Alberti Ducis Auſtriæ, qui poſtea fuit Rex Romanorum factus. Item obiit Inclyta Domina Elizabeth Regina Romanorum eodem anno ante anniverſarium noſtræ Elizabeth. Item Dux Fridericus aſcendit in Sueviam pugnare pro Regno Romanorum.

Anno 1316. Apud Salczpurck obiit ſtrenuus ac Illuſtriſſimus Dux Leopoldus, filius Alberti Regis Romanorum, in media Quadrageſima.

Anno ſequenti Heinricus, frater ejus, volens ire in Grecz, feria tertia poſt Purificationem obiit apud Pulka in Stiria.

Iterum ſequenti anno in Vigilia S. Nicolai Wienna taliter, quod vix deterior [1] pars remanſit, exuſta eſt, igne exorto in Walich-ſtraſſ.

Anno iterum ſequenti ante Annunciationem feria ſecunda hora prandii ignis de coquina Plebani S. Stephani ortus, duravit per integrum diem, & exuſta fuit civitas ſecundario. Fuit enim maximus ventus, & Rex Fridericus erat præſens: nec potuit ignis compeſci, quin veniret ab alta ſtrata per Chol-Marck, & ad Eccleſiam S. Michaelis cum campanis, Preyden-ſtraſſ foſſatum usque in Roß-Marck, ſtratam Karinthianorum, & a porta Cimiterii usque ad Scholas, Singer-ſtraſſ, usque ad murum Ratt-ſtraſſ, & omnes vicos usque ad novum forum.

NOTANTUR NOMINA DEFUNCTORUM: QUÆDAM ALIA ETIAM ADJUNGUNTUR.

Anno Domini [2] 1301. In Diviſione Apoſtolorum obiit Sereniſſimus Dominus Rudolfus Romanorum Rex, in Spira ſepultus, qui fundavit Clauſtrum Monialium in Tulna Ordinis Prædicatorum, qui Comes de Habelſpurck prius erat. Eodem anno Johannes Rex Bohemiæ, & Karolus Rex Vngariæ congregati in unum, totam Auſtriam ex iſta parte Danubii vaſtaverunt poſt feſtum S. Cholomanni. Dux vero Albertus propter infirmitatem pugnare non valens, Ducem belli fecit, qui Regi Bohemiæ prope Laa occurrit, ac terga vertere compulit, ac civitatem Laa obſedit. In Vigilia autem S. Andreæ algor frigoris tantum invaluit, ut nec homines, nec equi in caſtris poſſent permanere, unde Noſtri ad propria [3] ſunt coacti. Tandem Rex Bohemiæ contentionem in terra ſuis Baronibus committens, Sueviam aſcendit. Qui ſe ad munitiones ſuas locantes; videlicet Laa & Puſoniam & Beytra, per totam hyemem Auſtriam rapinis & incendiis vaſtaverunt, nullo eis reſiſtente præter Comites de Hardeck, & Dominos de Meyſſaw; & durat contentio usque ad Quadrageſimam anni ſequentis. In Quadrageſima Bohemi ante Pulkam ad quadringentos ruſticos ceciderunt. Poſt iterum prope Laa intraverunt terram, quibus Dominus de Walſe cum Auſtralibus occurrit, plurimique in illa die cæſi ſunt, & de Bohemiis multi ceciderunt: ex quibus unus de Nobilioribus, & duo fratres de Lippa, ſcilicet Heinricus Ferreus, & frater ejus Johannes, ſunt detenti cum aliis omnibus, qui gladium evaſerunt, propter quorum captivitatem terra a præliis & rapinis requievit.

[1] *al.* Ywani *ſeu* Ybani. [2] *al.* Sumeraw [3] Ybani. [4] Ybano.

[1] *in margine Codicis alia manus tertia habet.* [2] *leg.* 1291. [3] *ſupple* redire

Anno 1308. In die Apoſtolorum Philippi & Jacobi occiſus eſt Sereniſſimus Dominus Albertus a patruele ſuo Duce Johanne, dicto Alant, qui erat filius prædicti Rudolfi Regis, & poſtea erat electus in Regem Romanorum, & fuit occiſus in Chunigesveld, ubi nunc poſitum eſt majus altare. Qui & in die occiſionis ſuæ reliquit duodecim liberos ſuperſtites, ſcilicet Dominum Fridericum, poſtea electum in Regem Romanorum; & Rudolfum, poſtea electum in Regem Bohemiæ; Illuſtresque Dominos Leopoldum, Heinricum, Albertum & Ottonem Duces Auſtriæ: nec non & præclaras Dominas, Agnetem Reginam Vngariæ, Elizabeth Duciſſam Lotharingiæ, Annam duciſſam Vratislaviæ, Katherinam Duciſſam Kalabriæ, Jeutam Comitiſſam de Ottinga. Regnat autem decem annis, & fundavit Cœnobium in Herwortſtain, ſepultus in Spira.

Anno 1314. In die Simonis & Judæ obiit Sereniſſima Domina Elizabeth Romanorum Regina, filia Domini Meynhardi Ducis Karinthiæ, relicta præfati Domini Alberti Regis, mater omnium liberorum præfatorum: quæ de voluntate & adjutorio liberorum prædictorum in loco occiſionis prædicti Regis fundat & dotat duo Monaſteria Fratrum Minorum & Sororum Ordinis S. Claræ, una cum choro & Eccleſia, & aliis ædificiis univerſis in Chunigesveld, ibidem ſepulta.

Anno 1307. In die S. Vdalrici obiit Sereniſſimus Dominus Rudolfus Rex Bohemiæ, filius Regis Alberti, ſepultus in Praga.

Anno 1326. Pridie Kal. Maji obiit Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ.

Sequenti anno in die S. Blaſii obiit & Heinricus Dux Auſtriæ & Stiriæ, ambo iſti in Chunigesveld ſepulti.

Iterum ſequenti poſt anno obiit Sereniſſimus Romanorum Rex Fridericus in Guetenſtain, in octava Epiphaniæ: qui quinque annis regnat, & Maurpach Monaſterium fundat, ibidem ſepultus.

II. Verum Gundelfingii testimonium non parum ambiguum facit Chronici hujusce Germanici apographum, quod in percelebri Sereniſſimi Ducis Gothani Friderici II. Bibliotheca adservatur, & in Catalogo Codicum manuscriptorum jam laudatæ Bibliothecæ, a V. Cl. Ernesto Salomone Cypriano anno 1714. typis evulgato, inter codices chartaceos in folio centesimus septuagesimus secundus recensetur. Hujus quippe apographi titulus non *Matthæi cujusdam*, ceu Germani Chronici Auctoris; sed *Gregorii Hagen* nomen diserte præfert. Subdubitare, fateor, cæpi, cum hæc in prædicto Catalogo legissem, extaretne Gregorii Hageni nomen in ipso MSto Gothano prima manu exaratum; an vero a Catalogi concinnatore aliunde fortassis docto, id eidem adpositum esset? Cumque scire magnopere cuperem, quæ sincera codicis istius inscriptio, ætas ac finis esset: præfatum Cyprianum litteris adire minime dubitavi, ab eoque multis contendere, ut me de his omnibus quam curatissime docere non gravaretur. Qui pro singulari sua erga studia nostra benevolentia & promptitudine, data haud multo post ad me humanissima juxta ac elegantissima Epistola, scrupulum omnem atque dubitationem exemit. Ejus verba, qua quidem rem nostram juvant, huc apponere visum est. *De Hageno*, inquit, *sic habe. Codex scriptus est circa annum* 1540, *hoc titulo, qui tamen a recentiore manu esse videri queat:* Diß Hochlöblichen Landtß Fursten und Erzherzogtum Osterreich Anfang, und Herkomen der Herrn, und Landtß Fursten Regierung biß auf Herzog Wilhelm und Herzog Albrechten, ist beschriben durch den Erbarn Gregorio Hagen, im jahr 1406. &c. Hæc in citata Epistola de apographi Gothani ætate & inscriptione. Vir humanissimus, qui & alia nonnulla, quæ locupletando Scriptorum Austriacorum Syntagmati deserviant, mecum promptissimo animo communicaturum se recepit. Ex quibus intelligimus, Chronici hujus Germanici Collectorem non *Matthæum*, ut Gundelfingius prodidit, sed *Gregorium Hagenum* esse adpellandum. Quod quidem a vero, propius abesset, si vel sæpe dictum Gothanæ Bibliothecæ apographum ipso Gundelfingio antiquius, vel certe titulus ei præfixus eadem, qua apographum ipsum, manu esset exaratus. Sed quoniam utrumque secus habet, & in aliis quinque ejusdem Chronici germanici manuscriptis exemplaribus; quorum duo in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca a Lambecio Comment. de eadem Biblioth. lib. 2. cap. 6. indicata; alterum apud RR. PP. Dominicanos Viennenses P. Bernardo fratri visum; reliqua duo in Manseensi & Rotensi Ordinis nostri Cœnobiis a nobis coram inspecta extant, certi Auctoris nomen ubique desideratur; Eruditorum judicio, utri potius, Matthæone scilicet cuidam, an Gregorio Hageno

hoc Opus adſcribendum ſit, permittere, quam temere de eo quidquam pronuntiare maluimus. Quo animo ipſam Hiſtoriam ſubjectam, ne ſine ullo Auctore nomine compareret, vel Matthæo, vel Gregorio Hageno tribuendum eſſe in ipſo Operis aditu innuimus. Sed de dubii iſtius Auctoris Nomine ſatis. Jam de ejusdem ætate, cæterisque ad eum pertinentibus videamus.

III. Cæterum quis demum eunque horum hiſtorici iſtius Commentarii conditor fuerit, eum poſt medium ſæculum Chriſti decimum quartum floruiſſe aperte cognoſcas ex Præfatione Chronico præmiſſa, ſub cujus finem de Rudolfo, Alberto & Leopoldo Auſtriæ Ducibus, & Alberti II. cognomento Contracti filiis, loquitur in hunc modum: **Daz Funft buch wird dem greiffen gleicht ..... wan darin beſchriben ſtet, wie Herzog Fridreich von Oeſterreich, Chunigk Albrecht Sun, auch cham zu der Hoch des Romiſchen Reichz, und von den wirdigen leben ſeines bruders Herzog Albrecht des Chrumppen, und von deſſelben Seligen Herzog Albrecht Sunnen, daz iſt, von Herzog Rudolfen, Herzog Albrechten, und Herzog Lewpolten, wy dieſelben zu diſen zeiten mit beſunder frumickhait und tugenden habent gezieret Oeſterreich.** Nec id obſcurius colligere licet ex ampla illa deſcriptione, qua res geſtas, virtutes, obitum denique & epitaphium Alberti Ducis Auſtriæ III, cognomine *cum trica*, qui ab anno 1365. ad annum usque 1395. Auſtriæ habenas ſapientiſſime moderatus eſt, ſcrupuloſe proſequitur. Ex qua præterea haud difficulter diſcimus, Auctorem noſtrum vel Civem Viennenſem, vel certe in hac urbe commoratum fuiſſe, cum in ſcribenda ſua Hiſtoria deſudaret. Nam Alberti mox memorati Ducis defuncti corpus ex arce Laxenburgenſi, quam ipſe primus extruxerat, Viennam allatum narrans, hæc ſubjungit: **Darnach ward er in Sand Stephans Kirchen hie zu Wienn getragen, und do bey ſeinen bruder Herzog Rudolfen Seligen begraben.** Quis porro Matthæus, vel Gregorius Hagenus fuerit, quid præterea memoria dignum egerit, aut ubi quandove vivere deſierit, nec ex ipſo Auctore, nec ex aliis Scriptoribus hactenus comperimus. Niſi forte nonnemo ſuſpicetur, eum in aula Rudolfi Ducis Auſtriæ IV, aut fratris ipſius & ſucceſſoris Alberti III muneris quidpiam geſſiſſe, propterea quod laudatos Auſtriæ Principes *Heros ſuos* appellet. Namque de compoſitione diuturnæ litis, quæ ob jus ſucceſſionis in Comitatum Tyrolenſem a Margaritha Maultaschia Rudolfo IV, Alberto III, & Leopoldo itidem III fratribus Auſtriacis & cognatis ſuis tranſcriptum, Bavaricos inter & mox dictos Auſtriacos Principes vertebatur, agens, ita ſcribit: **Die von Bayern zelten etleich zuſpruch auf dieſelbe herrſchafft** (puta Tyrolim & Atheſinam regionem) **und verſuchten in jr gewalt Sie zu bringen mit maniger beſchaidenhait, den all jr weg und ſuchung wiezigleich ward verſloſſen. Vnd darnach zu ainer beſſern ſicherhait habent jn fur all jr zuſprüch ain gelt Mein Herrn von Oſterreich auczgericht.** Verum hæc conjectura duntaxat eſt, ex qua nihil certi, quod ad Auctoris fortunam attinet, confici poteſt.

IV. Jam vero quod Chronicon ipſum ſpectat, incipit id ab orbe condito, finitque in anno Chriſti Milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo. Primam ejus partem, quæ de rebus a primis Mundi incunabulis quaquaverſum geſtis usque ad Origines Auſtriacas tractat, omnino reſecuimus: quod ea nota paſſim & pervulgata, nihilque ad Hiſtoriam noſtram facientia complectatur. Alteram itidem, quæ a fictitiis illis, ut diximus, noſtræ gentis primor-

primordiis usque ad principatum Adalberti sive Alberti tertii Marchionis Austriæ, qui ex veteri Chronico Mellicensi ab anno Christi 1018. ad 1056. rerum in Austria potitus est, porrigitur, penitus rejiciendam, atque adeo omni luce indignam existimavimus: quippe in qua tot fabulas & deliramenta legas quot verba. Quod tantum abest ut metuamus; ne ab eruditis hominibus crimini nobis detur, ut etiam gratiam ab iis nos inituros confidamus, ut qui bonis eorundem horulis provide consuluerimus. Verum ut ementitæ istius historiæ vel breve saltem specimen exhibeamus, ea tantum huc proferre juverit, quæ imperitissimus ejus fabricator de primo Austriæ Marchione, primoque terræ nostræ nomine ineptissime confinxit, ex quo cætera prudens quisque dijudicabit. Narrat ergo, aut potius somniat, Comitem quemdam Alligemorum, Alienigenarum seu Alligenorum, cui nomen Sathan fuerit, regionem transmarinam, terram Ammirationis dictam, incoluisse. Ejus temporibus, anno scilicet a Diluvio octingentesimo decimo, Virum militarem nomine Abrahamum de Theomanaria editum in lucem fuisse, qui Susannam, fœminam pari conditione, patre Domino Terremant in regno Sasamorum natam, anno post Diluvium octingentesimo vigesimo quarto matrimonio sibi copulaverit: Ex ea præter filiam Dencharim seu Dentarim nominatam geminos filios, Athaym seu Achaym & Ralym procreasse: Exorta subinde Abrahamum inter ejusque herum Sathanem simultate quasdam hujus possessiones ab illo per vim occupatas fuisse, eaque in longum inter utrumque protracta, ad extremum victum ab Sathane Abrahamum, pulsumque exterra Ammirationis fuga sibi consuluisse: Tum vero egestate coactum varias regiones percursasse, longosque post errores in terram quamdam Danubio adjacentem, cui multo ante Judæorum aliquis *Judeisaptæ* nomen indiderit, delatum, tandem in loco, quem *Auratym* appellari voluit, quique, (ut fabulatori nostro placet) hodiernum Stokerovium Austriæ Inferioris oppidum sit sedem suam collocasse: Ejus in terram hanc adventum anno post cataclysmum octingentesimo undesexagesimo, die duodecima mensis Junii evenisse: Ab Auratym ad finitimos usque populos regionem septuaginta milliarium Germanicorum obtinuisse, seque Marchionem Judeisaptæ, cui & certa insignia gentilitia primum invenerit, vocitasse. Postea vero eum terram Ammirationis repetisse, indeque Susanna conjuge una cum liberis in Judeisaptam translatis, ibi altera filia nomine Rebecca auctum, cum Judeisaptam annos triginta & quinque menses tenuisset, denique defunctum; & in urbe Auratym fuisse tumulatum. Hæc de primo Austriæ Marchione & vocabulo Matthæus, vel Gregorius Hagenus. Pergit deinde posterorum Abrahami istius nomina, resque ab illis gestas fusius referre, variaque, prorsusque ridicula, & antehac inaudita Austriæ vocabula, ab ipsis eidem imposita recensere, cujusmodi sunt illa: *Aratym, Saunitz* seu *Sauriz, Sannas, Pannans, Tantanio, Mittanans, Fannave, Avarata, Filan, Rarasina*, aliaque id genus plura, quæ homo insulsissimus incredibili fingendi libidine primum excogitavit.

V. Verum totam hanc Chronographi nostri Narrationem meriissimam esse fabulam, tum ex vetustioribus recentioribusque Geographis, ut qui nuspiam Austriam nostram *Judeisaptæ, Aratym* aut uno ex cæteris, quæ paulo ante enumeravimus, nomine designarunt; tum etiam ex omnium gentium (maxime vero nostratis) Historicis, Auctoris nostri ætate superioribus, manifestum efficitur, quippe quorum nemo unus de subdititio illo Abrahamo,

ejusve

ejusve in hanc regionem adventu, vel etiam ejusdem posteris usque ad Principum Babenbergensium tempora quidquam commemoravit. Nam tametsi paulo post Præfationem suam asserat Matthæus, vel Gregorius Hagenus, se historiam suam ex *Magno Austriæ Chronico* quanta potuisset brevitate excerpsisse; id tamen ut verum sit vehementissime veremur, imo falsum esse omnino persuasissimi sumus. Mirum enim, neque Scriptorum ulli, qui longe ante eum res Austriacas litteris mandarunt, *magnum hocce Chronicon Austriacum* visum unquam fuisse; aut si visum aliquando fuit, nullam vel verbulo uno ejusdem factam ab ipsis fuisse mentionem: neque (si quidem id unquam in rerum natura extitit) in tot Austriæ Bavariæque Bibliothecis, quarum angulos pæne omnes incredibili labore studioque perreptavimus, aut avtographum ipsum, aut certe ejus exemplar aliquod hodieque reperiri. Ut facile appareat, hoc fabularum plaustrum ex uno Matthæi istius (aut quisquis Chronici istius Auctor est) cerebro prodiisse: nec alio fine nescio quod *magnum Austriæ Chronicon*, quod præ oculis se habuisse splendide mentitur, ab illo citatum adductumque fuisse, quam ut veteris cujusdam Monumenti auctoritate apud indoctos nimiumque credulos lectores fidem aliquam insulsis suis narratiunculis conciliaret. Id quod fabulatoribus atque Impostoribus perquam familiare esse, nemo eruditorum est qui nesciat.

VI. Ex his palam fit, quam non immerito infelix hic nugator, quatenus quidem Origines Austriacas tractat, eruditissimi Æneæ Silvii judicio vapularit, quando in Historia sua Austriaca imperfecta (uti discimus ex Petro Lambecio Comment. de Bibliotheca Cæs. lib. 2. cap. 6. pag. 473. & seq.) his eum verbis perstrinxit: *Terram Austriam*, inquit, *qui primi coluerint quærenti mihi jam pridem, nihil oblatum est, quod dignum fide videretur. Venit autem in manus Historia, quam vocant Austrialem, sermone Theutonico edita, inepta mendaxque, & ab homine composita, in quo malignitatis an stultitiæ plus fuerit, non facile judices. Cum res legeris nulla ratione cohærentes, dices hominem nihil habuisse pensi, qui adeo manifesta mendacia fidem inventura putaverit. . . . . Noster asellus bipes neque tempora neque loca suo contexit ordine; finxit nesciens fingere. . . . . Narrat autem homo insulsus, fuisse trans mare in Terra Ammirationis Comitem Alienigenarum nomine Sathan, cui Abraham Theomanariensis servierit* &c. Non multo honorificentius de eodem sensit Johannes Cuspinianus, Imperatoris Maximiliani I. Historiographus, in Proœmio ad Duces Austriæ scribens in hunc modum: *Marchionatus Austriæ*, ait, *initium ad amussim nunc scribere perquam difficile est, ob ejus sæculi Scriptorum inopiam. Nec enim nugatori illi nugacissimo & simul perditissimo, qui Austriæ Chronica opus scribens, Judaisaptam in exordio appellat, aures sunt adhibendæ; in quo sunt tot nugæ, quot verba* &c. Plura hac de re videsis apud laudatum Lambecium loco supra memorato. Mirari subit, ineptissimas has ineptias apud sæculorum insequentium Scriptores aliquo in loco nihilominus fuisse, uti apud Heinricum Gundelfingium, Vitum Arenpeckium, Florum Chronicalium Austriæ compilatorem anonymum, Johannem Raschium aliosque, qui easdem velut pretiosa antiquitatis Austriacæ cimelia scriptis suis inseruere, quæ nunc tamen a Viris emunctæ naris justissima cum indignatione exploduntur, atque in anilibus fabellis, risu quam refutatione dignioribus, merito deputantur.

VII. Tertiam vero Chronici istius germanici partem, quæ scilicet ab Alberti id nominis I. Marchionis Austriaci principatu ad finem usque pertingit,

tingit, integram omnino retinuimus, dignamque duximus, quæ lucem publicam adſpiceret, utpote ex qua Johannem Cuſpinianum in concinnanda ſua *Auſtria* permulta fuiſſe mutuatum nobis indubitatum eſt. In hac tamen, etſi præter quosdam parachronismos pleraque veritati conſentiant, inſignia duo figmenta admiſcuit, hiſtoriographus noſter, quæ hic ſilentio præterire nefas putavimus. Primum eſt de fabuloſo illo Leopoldi *Pulchri* Marchionis Auſtriæ, & Alberti *Levis* fratrum ſtupro inceſto, quo alter alterius conjugem per vim polluerit. Alterum de rhenone bubulo neſcio quo, cujus ridiculo uſu Heinricus Dux Auſtriæ Primus Superiorem Auſtriam, terræque tractum urbi Chrembſenſi circumjectum a quodam Imperatore conſecutus fuerit. Prioris quidem intolerabilis commenti falſitatem denuo hoc loco commonſtrare haud vacat, ſiquidem id in Præfatione noſtra generali, qua primum Operis hujusce Tomum præmunivimus, a nobis præſtitum abunde jam fuerit; poſterioris vero in præſens penitus refellere operæ pretium viſum eſt, ne apud iniquos imperitosque rerum Judices fidem inveniat, quod apud Viros doctos vel retuliſſe, refutaſſe eſt.

VIII. Refert igitur Matthæus, vel Gregorius Hagenus noſter, Heinricum I. Auſtriæ Ducem, cum brumali tempore una cum Cæſare (cujus quidem nomen non exprimit, ad Florum Chronicalium Auſtriæ collector anonymus Conradum III. fuiſſe tradit) Neapoli ageret, quempiam e ſuis Viennam Auſtriæ miſiſſe, qui ad arcendam frigoris aſperitatem veſtem pelliceam e Lynce (Luxein Kürſen und Pelitz) ſibi indidem afferret: Hominem ineptum, mandato Principis non ſatis capto, pro pellibus Lynceis Luchſene, bubulas, Ochſene ex nomine Ducis a Viennenſibus civibus & pellionibus, ut probe in rhenonem aptarentur, poſtulaſſe: Attonitos eo nuntio cives, veritosque, quod res erat, ne homo Heinrici verba aliorſum, atque ille voluit, accepiſſet, ex eodem ſciſcitatos eſſe, ſatisne bene herum cepiſſet? Illo affirmante, cum bubulum corium Duci nimis incommodum graveque futurum civibus videretur; eos veſtes pelliceas ex mollioribus juvencæ exuviis confectas latori commiſiſſe, Heinrico Neapolim deferendas: Quibus allatis coramque inſpectis, Ducem hominis ſtoliditate vehementer commotum; Imperatorem contra, re intellecta, ceu feſtivo ludo mirifice recreatum fuiſſe, accerſitumque ad ſe Ducem rogaſſe, ut eum in morem, quem Viennenſes voluiſſent, pellitus luce quadam ac die feſtiva publice compareret: quod ſi faceret, ei ſe Auſtriam Superiorem ſimul & adjacentem Chremſio regionem jure beneficiario collaturum: Ita demum Heinricum Ducem, accepta impletaque conditione, terris jam memoratis auctum ab Imperatore donatumque fuiſſe. En hiſtoriolam e bello fabulatoris noſtri ingenio prognatam, quam poſtea Vitus Arenpeckius in Chronicon ſuum Auſtriacum, & Anonymus Mellicenſis in *Flores Chronicales Auſtriæ* ex Matthæo, vel Gregorio Hageno tranſtulerunt: eo tamen diſcrimine, quod Arenpeckius eam ab aliis Scriptoribus non de Heinrico Duce, ſed de Leopoldo *Virtuoſo*, ejus filio narrari ſcribat; Anonymus vero Mellicenſis eam dicto Heinrico præciſe attribuat.

IX. At vero quam puerile putidumque ſit hocce commentum, miſſis aliis argumentis, vel ex unico Friderici I. Imperatoris Diplomate, in Comitiis Ratisponenſibus anno Chriſti 1156. dato, manifeſtum eſt, quippe ex quo veram genuinamque cauſam & occaſionem, Auſtriæ Superioris Heinrico Duci Auſtriaco collatæ, condiſcimus. Cum enim Conradus eo nomine III. Ro-

manorum Imperator Heinricum Bavariæ Saxoniæque Ducem *Superbum* dictum, Principum quorumdam judicio, quod in Imperium perduellis esset, Herbipoli proscripsisset, ac demum proximis Domini Natalitiis in urbe Goslariensi utroque Ducatu exuisset; Bavariam Leopoldo fratri suo uterino, Leopoldi Pii seu Sancti Marchionis Austriæ filio; Saxoniam vero Alberto Marchioni Brandenburgico circa annum Christi 1139. concessit. Leopoldo tertio post anno, quam Bojorum populo imperitasset, extincto, Heinricus Austriæ Marchio, defuncti Leopoldi germanus frater, favente Conrado Imperatore, in Ducatu Bavariæ successit, cumque ad annum usque 1156. obtinuit. Quæ res maximas non in Bavaria solum, sed in omni etiam Imperio, dum Conradus eidem præfuit, tempestates turbasque dedit: Heinrico Leone Bavaro, Heinrici proscripti filio, paternam hæreditatem acerrime repetente; Heinrico vero Austrio in tuenda adeptæ semel provinciæ possessione animum penitus obfirmante. Authoritate tandem & opera Friderici Ahenobarbi, cui mors Conradi locum in Imperio fecerat, feliciter perfectum est, ut agitata diu multumque memoratos inter Principes controversia iis conditionibus ac legibus componeretur, quæ in Diplomate Friderici I. Imperatoris, quod in Chronico Austriaco & Bavarico Viti Arenpeckii, ac Speculo Fuggeriano integrum refertur, exprimuntur. Ejus verba, quatenus ad rem nostram faciunt, huc adscribere non pigebit. Sic autem habent:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Fridericus Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere ..... Noverint igitur omnes Christi Imperiique nostri fidelium præsens ætas, & futura posteritas, qualiter Nos, ejus cooperante gratia, a quo cœlitus pax missa est hominibus super terram, in generali nostra curia Ratisponæ, in Nativitate S. Mariæ celebrata, in præsentia multorum Religiosorum & Catholicorum, litem & controversiam, quæ inter charissimum nostrum patruum Heinricum Ducem Austriæ, & inter nepotem nostrum charissimum Heinricum Ducem Saxoniæ diu agitata extitit, super Ducatu Bavariæ, & super Marchia a superiore parte Anesi fluminis, terminavimus hoc modo: Quod Dux Austriæ resignavit Nobis Ducatum Bavariæ, & dictam Marchiam, quas tenebat. Qua resignatione facta, mox eundem Ducatum Bavariæ in beneficium contulimus Duci Saxoniæ. Prædictus vero Dux Saxoniæ cessit, & renuntiavit omni juri & actioni, quas habebat ad dictam Marchiam, cum omnibus suis juribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio & judicio Principum, Illustri VVladislao Duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam cæteri Principes approbabant, Marchionatum Austriæ, & dictam Marchiam super Anesum commutavimus in Ducatum, *ejusdemque Ducatum cum subscriptis juribus, privilegiis & gratiis omnibus, liberalitate Cæsarea contulimus Heinrico prædicto patruo nostro charissimo, ac Prænobili suæ uxori Theodoræ, & liberis eorundem, ob singularem favorem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Heinricum Austriæ Ducem, ejus conthoralem prænobilem Theodoram, & eorum successores, erga Terram Austriæ, quæ* CLYPEUS ET COR SACRI ROMANI IMPERII *esse dinoscitur, afficimur* &c. *Datum Ratisponæ* XV. *Cal. Octobris, Indictione* IV, *Anno Dominicæ Incarnationis* MCLVI *feliciter, anno regni ejus* V, *Imperii* II. Hactenus Diploma Friderici Imperatoris I. Eadem compendio tradit Otto Frisingensis lib. 2. de Gestis Friderici I. Imperatoris cap. 32, qui cum aliis plurimis dicto diplomati subscripsit. Ex his nemo non videt absurdissimæ illius fabulæ

bulæ vanitatem, quam ſupra ex Matthæo, ſive Gregorio Hageno, unico ejus auctore, retulimus: in qua convellenda longius fortaſſis, quam neceſſe erat, immorati ſumus.

X. De cætero chartaceum Codicem manuſcriptum, ex quo ſubjectum Germanicum Auſtriæ Chronicon manu noſtra primum exſcripſimus, Reverendiſſimi Domini Hieronymi Ubelpacher, Inclyti Collegii Tirnſteinenſis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Præpoſiti dignisſimi beneficio habuimus. Eum primus detexit R. P. Bernardus Pezius germanus, cum ejus loci Bibliothecam anno 1713, rigente hyeme, magno cum labore & fructu evolviſſet. Scriptus videtur poſt medium ſæculum decimum quintum, mendis haud paucis (quæ labes apographis plerisque, librariorum imperitia vel indiligentia, communis eſt) infectus. Extat (ut id hic quoque obiter in gratiam exterorum notemus) in eodem codice manuſcripto Chronicon univerſale & Alſaticum Jacobi de Kœnigshoven, a Johanne Schiltero primum anno 1698. vulgatum: additurque ſub ejus finem Epiſcoporum Conſtantienſium Catalogus, qui a Maxentio Antiſtite usque ad Ottonem Marchionem de Hochenberg pertingit. Habetur ibidem perbreve Chronicon germanicum urbis (ut videtur) Conſtantienſis in Suevia, ab anno Chriſti 1256. ad annum 1388, cujus tale initium: Anno Domini 1256. prediget bruder Perichtold ze Choſtenitz zum erſten. Finit his verbis: Anno Domini 1388. auf Sunibent tag vor der Chirigwey in der vierden ſtunde nach Mitten tag, und zu der dritten ſtunde nach Mitter Nacht verpran Choſtenitz, und Stachelhouen, und Auguſtiner Chloſter, und gloggen, und das darin was, und die Mordör-gaſſe die Vnder und dy ober, und die newe gaß üncz zu des Meyers hauſſe des Juden, biß zu den hauß ze der ſtral, und das guieß, und das Merck ſtat, biß an das chauf hauß bey der brukke. Sed de his ſatis ſuperque ſatis. Jam tandem Matthæi, vel Gregorii Hageni noſtri germanicum Auſtriæ Chronicon ante Lectorum oculos ſtatuendum.

GERMANICUM AUSTRIÆ CHRONICON.

PRÆFATIO AUCTORIS.

SEneca der Maiſter ſchreibt in dem Buch der vier Angl-tugent, ob du weyß wolſt ſein, ſo ſol weſen dein ſynne mit dreyn zeyten geordnet und gezyeret. Zum erſten mit rechter ordenung der gegewürtigen zeyt. Zu dem andern mal mit guter fürſichtigchait der künftigen zeyt, das du dich dauor behüteſt furſichtigleich, waz dir mag kunfftig ſchaden bringen: Wann der velt in alle ding vnſicherleich, der nicht der kunftigen zeyt vorgedenckt. Zu dem dritten mal mit guter gedechtnus der vergangen ding, an der leyt maiſtail vill weißhayt. Wann wer nichtz der vergangen ding gedencket, der verlewſt unnuzlich daz Leben, und wirt ain vergeſſener tor gehayſſen, und iſt beſſer zu dem Gemain nutz die lere auß den vergangenen Hiſtorien und Kroniken, wenn die lere der kunfftigen dingen auſſtern ſehen, oder yn andern ſachen. Vnd gar Nuczlich iſt dy erchantnuß der vergangen ding durch guter und haylwertiger ſchicknuß der gegenwürtigen, wan auß den vergangenen vil guter peyzachen werden genomen. Es iſt auch zu wiſſen, do der Menſch von Got durch der ſinden willen wort verſtoſſen, do huben an dy weiſen mit groſſen fleizz Got, den ſy hetten verloren, in allen Creaturen zu ſuchen: wan von Natur yeder Menſch begert volchomen zu ſein, und auch zu kommen. Etleich ſuchten Got mit Zalen, alß Aritmetici; etleich yn Maſſen alzo Geometræ; etleich in ſuſſen Gedon alz Muſici; etleich in der Vernunft als Lojici der Wahrheit; etleich in blüender red alz Rhetorici; etleich mit übung all Creatur zu nennen alz mit ordnung, alzo Grammatici; etleich ſind aufgeſtigen an der laytter der naturlichen vernunfte untz an dy lewf der planeten und Geſtieren alz Aſtronomi; etleich in der Vernunfte des rürenß und Verwandlung alz die Natürleich, Philoſophi; etleich in der Vernunfte der Völkomenhait alz Metaphyſici; etleich in der Begierd langens lebens alz Phyſici,

ſici; daz ſind dy Erczet; etleich ſind allain in A der erden beliben, die ir Vernunſt und ſynn allain zu irdiſchen dingen haben gebraucht, alz dy chinder diſer welt; etleich in gezierten beſchreibnuß diſer Hyſtorien und Croniken, alzo Marcus Varro; und Titus Livius, die zwen beſunderleich der Römer Kroniken mit worten uberfluzziger ſuzzickayt haben beſchriben. Doch beſunder Titus Livius iſt alz geſprech und weyſz geweſen, daz vil Volckhs auß frembden Landen gen Rom chomen iſt, zu allain zu ſehen. Wir leſen auch in den alten Hyſtorien, daz etleich weiſze leyth erlewcht haben die Lande, alz Pythagoras; etleich woren Landfarer durch der weyßhait willen, alz Plato. Nu mocht aner fragen, warumb Pla- B to und andere weize Hayden daß obriſt Gut, daz Got iſt, geſucht haben yn frembden Landen, ſeit ſy die warhait der weil in der Schrifft der Judiſchait möchten vinden, bey dem die weil waren weyſſagen, und die Pfaffen, und auch die haylwertig Schrifft der warhait? Daz iſt darumb geſchehen: Diſe waren Landfarer nicht allain durch willen der rechten warhait, ſondern auch durch rumes willen der Welt, alß nach vil Landfarer thun. Darumb worden ſy unwirdig der rechten warhait zu wiſſen.

Noch waz der weg zu ſuchen daz obriſt gut, daz Adam hett verloren, ettwe uil verborgen, C untz daz vnſer Haylant Jheſus Chriſtus cham in die welt, und von der hochgelobten Magd Marie, unſer trösterin, wort geporen, und auch die unraynikait der ſinde, die Adam mit ſeinen vngehorſam ym vnd all ſein nachchomen hat erworben. Derſelb Jheſus Chriſtus vnſer Haylant abwüſchtz mit ſeinen Roſenfarben Blute, und lernte an ſeinen heilligen ewangelio den rechten weg, daz Obriſt Gut zu ſuchen. An dem wege, alz hernach an diſer Croniken ſtet geſchriben, etleich Furſten von Oeſterreich geſtanden veſtigkleich, domit Sy daz Obriſt gut Got zu ſehen in der ewigkait habent funden. Die aber auß dem weg ſein getreten der Gerechtigkait, und D der lere des heilligen ewangelii, dy müſſen der ſuzzikait des obriſten Gutz ſicherleich gar emperen. Ich beger tailhaftig zu weſen all die, die in diſer Kroniken leſent, oder horen leſen, des tails der groſſen weyßhait, daz iſt die gedechtnuß der vergangen ſach: Wann ſelig iſt der, dem fremd ſcheden machent ſicher, und ſein Leben beſſert nach der beyzaichen der ſeligen und der Gerechten. Darumb zu Er, und zu Lob dem Durchlewchtigiſten, Hochgebornen Furſten Herzogen Albrecht, Herzog zu Oſterreich, zu Steyr ꝛc. der zu allen guten und chlugen ſachen beſunderleich iſt genaigt, alz ich daz von ſeinen erbern leben an dem funften buch diſer Croniken hab begriffen; hab ich ain durchpruch getan in den Kroniken der Hochgebornen Furſten meiner Gnediger Herrn der Herzogen zu Oeſterreich, zu Steyr ꝛc. vnd hab abgeſniten waz da ubriges iſt geweſen, und allain die ſtukche geſezt, dy do lernent die guten, ſtraffent die argen, und yn vill tugenden lere bringent. Ich hab underweiln die Wort uberſezt in diſer Kroniken darumb, daz ſy werd diſter paz geleſen fleizliglich, und gehort.

Von der tailung der bucher.

In dem Namen der Heiligen, und vngetailten Drivaltigchait hab ich nach fünf Synnen der Menſchen diſe Kroniken in fünf bücher getailt. Daz Erſt buch iſt dem Sehen gleichet: wann alz daz Geſicht verer greifft von der gegenwürtigchait, wenn die andere ſynnen der Menſchen; Alzo greifft daz erſte buch von der gegenwurtigchait aller Verreſt: wann darinn funf alt zeit begriffen ſind, dy vor Chriſti geburd vergangen ſein. Dy erſt zeit hub ſich an von der beſcheffnuß aller Creatur, und des erſten Menſchen Herrn Adams, und wert untz auf Herrn Nöen; die andere von Herrn Nöe untz auf Herrn Abraham; dy dritte von Herrn Abraham untz auf Chunigk Daviden; die vierd von Chunigk Daviden untz auf dye Vanckнuß der Iſrahelliſchen; die funfte von der Vanckнuzz untz dy gepurt vnſers Herrn. In dem buch auch begriffen iſt, waz merckleychz in der Weld in yeder zeyt iſt beſchehen, vnd ſein bey Namen beſchriben dy fürſten, dy vor Chriſti gepurd zu Oeſtereich ſein geweſen.

Daz andere buch wirt geleicht dem Hören: wann alz der Menſch verer mog gehören, wenn Schmeken, ader Köſten, ader greiffen; Alzo greifft daz ander buch nach dem erſten von der gegenwürtigkait aller Verriſt: wenn darinnen beſchriben ſtet, wie vnſer Herr Jheſus Chriſtus ſich hat durch des Menſchen willen gedemütigt, und von Maria der Hochgeboren Chunigin wort geporen, vnd wy Er dem Menſchen mit ſeinen Roſenvarben blute hat erlöſt, und wy Er geſezt hat Sannd Peter zu ainen vicari, dem Er auch, und allen ſeinen Nachkomen dem Gewalt hat gegeben auff dem Ertreych dy Menſchen zu binden, und zu entbinden. In dem buch auch begriffen ſind alle Pebſt und Chayſer untz auf Chayſer Fridreichen dem Erſten, und auf Pabſt Anaſtaſium den Vier-

ten,

ten, vnd waz zu ydes Pabsts ader Chayſers zeyt in der weld iſt merckleichs beſchehen, und auch von allen Fürſten, die geweſen ſind zu Oeſterreich nach Chriſti gepurt untz auff den Römiſchen Chunigk Rudolffen, des Geſchlechts von Habſpurg, der in ſein gewaltpracht hat mit Gerechtigkait Oeſterreich, vnd auch Steyr.

Daz dritt buch wirt gleicht dem Smecken: wann alz der Menſch verer mag ſmecken, wenn koſten, ader greiffen; Alzo greifft daz tritt buch nach dem erſten, und nach dem andern von der gegenwurtigchait aller verriſt: wann darin begriffen iſt von Chaiſer Fridreichen, und von ſeinen Leben, und wie nach ſeinen tod der Swartz Adler des Reichz weisloß flog, vnd daz er yn daz edl Neſt des roten Lewens cham geflogen, daz iſt, Graff Rudolff von Habſpurg, der zu des Römiſchen Reichs hoch und wirdigchait wart gefuret, vnd wie derſelb durchleuchtig und vnüberwunden Fürſt Chunigk Rudolff daz Reich weizleich vnd veſtigleich hat ausgericht, vnd von den Streit, den Er tet mit Chunigk Ottakern, damit Er behabt Oeſterreich und Steir, und von andern ſeinen Geverten und ſtreythen.

Daz vierd buch wirt dem Koſten gleicht: wan alz der verrer mag koſten, wenn greiffen; alz iſt yn dem buch dy Nahent beſchriben: wann darin beſchriben ſtet, wie Kunigk Rudolff ſeinen Sun Allbrechten macht zu Herren, und zu Hertzogen in Oeſterreich, vnd in Steyr, vnd von demſelben Herzog Albrechten erber gevertten und ſtreyten, und auch von ſeinen Erben, und wy Er auch wart zu der Hoch des Römiſchen Reichz gefuret.

Daz ſunft buch wirt dem Greiffen gleicht: wann alz der Menſch greiffe die gegenwurtige ſach; alzo begreiffet daz buch dy ſach und Hyſtorien, die in chuͤrzer friſt und gegenwurtigleich ſein geſchehen: wan darinn beſchriben ſtet, wie Herzog Fridreich von Oeſterreich, Chunigk Albrecht Sun, auch cham zu der hoch des Romiſchen Reichz, und von dem wirdigen leben ſeins bruders Herzog Allbrecht des Chrumppen, und von deſſelben ſeligen Herzog Allbrecht Sünnen, daz iſt, von Herzog Rudolffen, Herzog Allbrechten, und Herzog Lewpolten, wy dieſelben zu diſen zeiten mit beſunder frumickait vnd tugenden habent gezieret Oeſterreich. Auch ſtent in dem dritten, und in dem vierden, und in dem funften buch die Pebſte, dy do zu den zeyten geweſen ſind. Vnd wiewol dieſe Kronik an dem Getichte iſt ainwaltig, doch hab ich mir darumb offt ain ſuezzen ſchlaff abgebrochen.

Hye iſt vermerckt die auſzüg der Kroniken des Edelen Lands ze Oeſterreich: wie lang daz ſey, daz der erſt Menſch in diz Land cham.

Wie lang daz ſeye, daz der erſt Menſch cham in daz Land, Nachchomen untz auf die zeyt gehayſſen haben, vnd wie vill ir aller geweſen iſt, und wie manigen nammen daz Land zu Oeſterreich gehabt hat, und wie offt ſich des Landes Wappen vercheret habent zu Oeſterreich, und von wann der Fürſten weib geboren ſind, und waz wappen ir Vätter gefurt habent, und wo die alle begraben ſind, vnd daz iſt alles auzgezogen auz der Groſſen Kroniken ze Oeſterreich, zo man aller churzleycheſt getun möcht. Die Nachchomen und nachgeſchriben Namen all hat diz Lannd gehabt ze Oeſterreich, und vahent des Landes Namen alzo an: Judeisapta, Arratym, Sauniz, Sannas; Pannans, Tantanio, Mittanans, Fannave, Avarata, Filan, Raraſina, Corrodantia, Avara, Oſterland, Oeſterreich....

INCIPIT CHRONICON.

IN dem anvanckch Helyon, daz iſt Got, der Anvanck in der Ewigchait iſt an Ende, beſchüfe von Nichte Hymmel und Erde....

Nu ſagt diz buch fürbas aber von dem Edelen Land ze Oeſterreich, vnd von ſeiner Herſchafft.

Nu chum ich hinwider an daz Edel Land zu Oeſterreich. Es iſt zu wiſſen, ee Wienn gepawt iſt wurden, do waz Tuln die Haupt Stat in Oeſterreich: vnd do nu diſe Stat leyt, do waz ee ain Gaiadhoff, der noch hewt haiſt der Perckhoff; do lagen offt durch gelüſtes willen die Fürſten. Die Erſt Kirchen zu Wienn waz die Kirche zu Saund Ruprecht.

Die zwu und achczigiſt Herſchafft des Landes zu Oeſterreich.

Do Oeſterreich von Herzog Petern, und Herzog Hanſen gebrüdern ward ledig, darnach ward Oeſterreich wider zu ainer Margraffſchafft, vnd ward Albrecht Margraff zu Oeſterreich. Er waz weiſſe, Erber, und Mendleich, vnd waz Herr zu Oeſterreich Sechzehen jar. Er liez ainen Sun, der hiez Margraff Ernſt. Daz iſt beſchehen nach Chriſti gepurd tauſent vierzehen jar.

Die drey und achczigiſt Herſchafft des Landes zu Oeſterreich.

Ernſt ward Margraff zu Oeſterreich. Er waz Mild und Fraidig, und mit vil andern tugenden geziret. Er rait gen Sachſſen durch Ritterſchafft willen, do Er in ainen ſtreit ritterleich ward erſlagen: Den in ſeinen Land paide Man und Frawen durch ſeiner groſſen tugent willen ſere Chlagten. Margraff Ernſt liez zwen Sün, der ain hiez Lewpolt, und der ander Albrecht.

Die vier und achtzigist Herschafft des Landes zu Oesterreich.

Margraff Lewpolt und Albrecht wurden Herren zu Oesterreich nach Christi gepurd tausent zway und funfczig jar. Die tailten daz Land, und ainer saz auf der Vesten Perneck, der ander zu Garß auf der Burgk. Margraff Lewpolt waz an den Leib wol gestalt, und schön uberflüßigleichen an den sitten.[1] Ains tags daz geschach, do Er saz Fürstleich ze tische, kam für yn ain Fidler, denselben spilman der Edel Fürst Margraf Lewpolt hörtt sitaklich: Den Er nach tische miltiklich auch begabt. Derselb spilman cham gen Rom vor den Chaiser, und beym Margraffen Lewpolt von Oesterreich sere zu loben, und sagt, daz er ain elich Frawen nicht hett. Der Chaiser begert zusehen Margraf Lewpolten, und hiez berüffen ain grossen hoff gen Rom zu dem hoff komen. Vil Fürsten die herberg wurden ausgezaigt, yeden nach seiner wirdigchait; aber in des Chaisers hoff ward ain herberg Margraffen Lewpolten besunderlich ausgezaigt. Do der Chaiser ansichtick ward Margraffen Lewpolten von Oesterreich der ym mit seinen edlen geperd und an des leibes geradichait wol geuiel. Der Chaiser fürt yn zu seiner tochter, die vnsegleich schön waz. Der hett der Chaiser gelobt, daz er sy chainen man wolt geben, nur der jr besunderleich geuiel. Der Chaiser fragt sein tachter, ob Sy wolt haben zu Manne Margraffen Lewpolten? Die Edel Jungfraw gab darzu tugentlichen iren willen. Domit ward zu Rom ain grosse hochzeit begangen, mit tanczen, mit stechen, und andern grossen Frewden. Darnach vertigt der Chaiser sein tachter mit grosser und schöner vertigung, und auch reichtumb.

Margraff Lewpolt fürt die Frawen gen Oesterreich, und do er Sy pracht gen Gorz in sein burgk, do sant er umb sein bruder Margraff Albrechten, und wolt mit ym nu besunderleich haben frewd. Der Edel Margraff Lewpolt gedacht, wie Er seinen bruder möcht enpfahen wirdiglich. Zu vahen etleich wild, rait Er jegerlich aufs gaiaid. Jnder cham Margraff Albrecht, und do Er nicht vand sein bruder Margraff Lewpolten, durch kurzweil willen zu der zichtigen Edeln Frawen Er do gieng. Jn schündet der laidige veind, daz er mit begirde in der Frawen lieb inhiezigleich ward enzundet. Er gieng aus in daz müeshauß, und fraget sein diener rates, wie Er möcht der Frawen bekumen? Do antwort ym ain alter erber Mann: HErr, jr seyt in ewern synnen betrogen, und habt nicht gut vernunfft, daz jr Euch durch leibs gelustes willen in als gross scheden, sünd und schande gedencket zu stossen. Darnach rieten ym etlich jung vnuersucht rathgeben, und sprachen: Herr, wolt jr euer begird mit der Frawen volpringen, so well wir Euch trewlich verhütten. Der Jungen thoren rath geuiel Margraff Albrechten, und lag mit sünden gewaltiglich pey der Frawen. Die Fraw hub an czu chlagen und czu waynen pitterlich, und hett Sie allain nicht besorgt die ewig verdampnus, Sy hett sich mit iren aignen henden getötet. Margraff Albrecht merckt der Frawen groß laid und pitterchait, und rait mit grossen eylen hinhaim. Jn der zeit cham Margraff Lewpolt, und hett ain hirschen geuangen. Er fragt, warumb sein bruder alz snell hinhaim wer gerieten? und cham zu der Frawen, die vand er legund in ainen pette mit grossen herzen laid und smerczen. Er fragt Sie umb die sach ires laides. Die Fraw die sprach: Jch bin fürbaz nicht wirdig deines pettes: wan mich dein bruder Margraff Albrecht hat mit gewalt berawbt der plumen meiner Eren.

Margraff Lewpolt des herczleich ercham, und fragt, ob dise sach yemand mer west seines gesindes? Die Fraw sprach: Es wern in der burgk allain vier Juncffrawen, und vier Kamerer. Er hiez sy für sich kumen die Juncffrawen und Kamerer, und fragt, wie die sach hett verhandelt. Sy sprachen: sy westen nichtz anders, wann daz Margraff Albrecht wer allain gangen zu der Frawen; aber wie Er Sey betrübet hett, daz chunden sy nicht wissen. Margraff Lewpolt verpot yn pey dem leben, daz sie von der sachen nyemantz ichtz sagten; und tröst die Frawen, und hielt die sach mit sampt der Frawen gar weislich verporgen. Darnach über vier wochen beruft Margraf Albrecht sein Diener, die von der sach wol westen, und sprach: Jr getrewen, jr wist wol, was ich zu Gorz mit meines bruder weipp hab begangen. Jch hoff, Sy wurd mich fürbaz pulen, und lieb haben. Daz will Sy villeicht nicht thun, wann Sie mir darnach zu zaichen der lieb chainen potten hat gesendett: sunder ich besorg, daz Sy dy sach meinen bruder Margraff Lewpolten hat gesagt. Do sprach ain junger diener: Herr, gedencht Euch nicht darnach, daz Sy dy sach Ewern bruder Margraff Lewpolten, nach yemant tue vor schanden sagen. Jm riet ain alter weiser Ritter, daz Er sich von gröss wegen mit guter fürsichtigkait wol behüttet. Margraff Albrecht sand zu seinen bruder, und wolt seines herczens haimlichkait eruaren.

Margraff Lewpolt enpfieng gütlich den poten, und fragt yn, warumb sein bruder nicht zu ym wolt chumen? Daz öffent der pott seinen Herrn; domit bestetet der Jung Rattgeb seinen ratt. Aber der alt Ritter sprach, daz Margraff Lewpolt die sach hielt in haimlichait, durch der grösse willen der sach, und riet getreulich, daz sich der Herr wol hütet. Die sach gestund an alzo nahent ain jar. Jn der zeit nam Margraff Albrecht des Herzogen von Polan tachter, die ward gen Maurberg gefürt mit hochzeitlichen frewden, und die zwen vogt von Behem, und von Bayern chomen auch mit der frewt. Margraff Lewpolt zu der hochzeit von seinen bruder Margraff Albrechten ward geladen. Er verhieß ym zu kummen, und tet haimleichen potschafft zu seinen Sweher den Chaiser, und rufft yn an umb hilffe. Der Chaiser west nicht; um die sach, und sant ym zu hilffe zway hundert Ritter von den Reyne, und von Lamparten auch vil volkchs. Margraff Lewpolt besampt sich mit grossen her, und an dem veld nahent bey Mawrberg liez Er sein gezelte auf schlahen, vnd des andern tags, do sein bruder Margraff Albrecht rait auf daz veld durch khürczweil, Margraff Lewpolt legt sich zu der Frawen gewaltiglich, und galt seinen bruder an den meczen, darinn Er vormalen vndordenlich gelihen hett.

Do die sach Marggraff Albrechten word gesagt, Er besambt sich mit sein Sweher Herzogen von Polan, und mit andern gehilffen, und strayt mit seinen Bruder zu Velde. Aber Margraff Lewpolts Volkch waz berait fürsichtigleich zu dem streyt, do-

rumb

[1] *Anilem hanc fabellam solide refutavimus in Præfatione nostra generali, quam si lubet, consule.*

rumb Er geſigte. Doch ward in paiden tailen vil Volckhs erſlagen, alzo man ſaget, daz nuer ſiben Man, genent die Premmynger, pey dem leben ſein beliben, die darnach zugen gen Vngern. Daz iſt beſchehen nach Chriſti gepurd tauſent hundert vier jar. Darnach der Herzog von Polan riete Margraff Albrechten, ſeinen ayden, daz Er die ſach für den Chaiſer precht, und yn darumb anruft chleglich umb daz recht. Der Chaiſer lud mit ernſtlichen brieffen Margraffen Lewpolten, ſeinen Ayden. Margraff Lewpolt cham für den Chaiſer, und verantwurtt ſich gen Margraff Albrechten, ſeinen bruder. Der Chaiſer patt die Herrn, daz ſy die Brüder frewntlichen verainten. Sy namen ſprach lewt darüber. In der zeit fragt der Chaiſer um die ſach haimleichen ſeinen ayden. Er öffent ym von Wort zu End alle handlung der ſache. Do ſtraffet der Chaiſer, und ſprach: Vm die haimleich ſach ſolteſtu nicht rachung gethan haben ſo offenleich, domit offt ain Menſch iſt komen Jamerlich umb ſein Leben. Darum ward außgeſprochen von den ſpruchlewten: ſeit Margraff Albrechts rechtsſache und handlung wer haimlich, und Margraff Lewpolts wer offenlich; ſo ſolt Margraff Lewpolt die Herſchafft von ſeinen Bruder empfahen. Vnd daz geſchach alzo: wann Margraff Lewpolt cham knyund mit zwelff Baniern, und empfieng von ſeinen Bruder Oeſterreich. Vnd alzo ward die ſach zwiſchen den Brüdern do geendet. Margraff Lewpolt ſtarb nach Chriſti Gepurd tauſent hundert und zehen Jar.

Die fünf und Achczigiſt Herſchafft ditz land zu Oſterreich.

Margraff Lewpolt liez ain Sun, der hiez Lewpolt, Er ward der frumm Margraff Lewpolt genennet. Er nam ain Selige Gotvorchtige Frawen, die hiez Fraw Agneß, Chaiſer Hainreichs tachter. Er pawt daz Münſter und Probſtey des Ordens Sannd Auguſtins der Chorherrn zu Chloſter Newnburg, daz Er auch reichleich hat begabt nach Chriſti gepurd tauſent hundert und dreyzehen Jar. Darnach pawt Er aber ain Chloſter, daz haiſt daz Heilig Chrewtz Sand Bernharts Orden der Gräben Münche, daz Er auch ſtiffte gar reichleich nach Chriſti gepurd tauſent hundert funf und zwaynczig jar. Der frumm und andechtig Margraff Lewpolt hett mit ſeiner andechtigen Frawen Agneſen achczehen Erben, die alle vil gelückes gewunnen. Der ſturben Siben in der Jugent, nach beliben Sechß Sün, fünf töchter. Der ain Sun hiez Margraff Albrech, Er waz andechtig, und alles Geiſtlichs ordens ain Liebhaber, und der Chirchen. Der ander Sun Margraff Lewpolts hiez Hainreich, der lebt lenger, wan die andern brüder, und darnach Er ganz Oeſterreich ſelb beſaß. Der dritt Sün hiez Lewpolt, der ward darnach Herzog zu Bayern. Der vierde Sun hiez Otto, der durch Gotz willen ward ain Münich, und ward darnach Biſchollff zu Freyſingen. Den Sechſten Sun nam vnd Leben hab ich nicht funden geſchriben.

Die Sechs und Achczigiſt Herſchafft ditz Landes zu Oſterreich.

Hainreich ward Margraff und Herr zu Oeſterreich. Er prach zu wegen zu ſeinen zeiten, daz die Margraffſchafft zu Oeſterreich zu ainen Herzogtum iſt gemacht. Herzog Hainreich von Oeſterreich zu lob vnd zu Eren vnſer Frawen, der hochgelobten Chünigin, hat zu Wienn nach Chriſti gepurd tauſent hundert fünf und funfczig jar daz Münſter zu den Schotten gepawt, und die Abtey mit fürſtlichen gab erberleich do geſtifftet. Do der Chaiſer, Herzog Hainrich von Oeſterreich Sweher, ſtarb, ain andern Chaiſer die Kurfürſten do erwelten. All Fürſten für den Chaiſer do wurden geladen, dar cham auch Herzog Hainreich von Oeſterreich, und daz geſchach Winter zeit. Der ſant umb [1] Luxein Kürſen und pelicz gen Oeſterreich. Der pott vernam, Er hiet yn vmb Ochßein Kürſen geſendet. Der pott cham gen Wienn, und warb an die Burger und an die Chürßner ſein pottſchafft, deß die Burger verwundert, und ſprachen zu dem poten, daz er vielleicht nicht recht hiet vernomen des Herrn maynung. Der pot ſprach, Er hiet ſeines Herrn potſchafft wol aufgenomen. Die Burger gedachten, wie die Ochſen hewt zu ſwer wern zu tragen Herzog Hainreichen: und Liezen jm von Jungen Chw-hewten Chürſen und pelicz machen, die der pott Herzogen Hainreichen gen Napels pracht. Do die Chürſen und pelicz wurden herfür getragen, do began der Herr zu zürnen auf dem poten. Die ſache alle cham für den Chaiſer. Der Chaiſer des ſere lachte, und ſand umb Hertzog Hainreichen, und pat yn, daz Er dem pelicz und chürſen trug ains Veiertags, darum wolt Er ym daz Lendell bey der Enß und Cremß dan miltiglich verlichen. Mit dem ſchympfe alzo Hertzog Hainreich daz Lendell bey Enß und Cremß pracht gen Oeſterreich zu dem Lande.

Chunrad der Ander, der Erſt Herczog in Francken word Chaiſer nach Chriſti gepurd tauſent und fünf und zwanczig Jar. Er gepott ainen frid, den zu prach ain Graff Lewpolt genennet. Der floch vor Vorchten durch den Swartzen walt, dorin waz ain Mül gelegen. In der Müll cham deſſelben Fraw nider aines Chindes. Alldar cham der Chaiſer durch geiaid, darumb der Graff dann floch, und liez do ſein Weipp. Des nachſtes cham ain ſtyme zu dem Chaiſer, und ſprach: Daz chind, daz hie geboren iſt, daz wird dein ayden. Des erſchrack der Chaiſer, und ſand zwen Diener, die daz Chind in dem Land vnverzogenlich ſolten tötten. Do erbarmt daz Chind den Dienern, und ſeczten es auf ain ſtockh, und brachten den Chaiſer ain haſen herez, recht alz es des chindes wer geweſen. Darnach zog durch den walt Herzog Hainreich von Swaben. Er fand daz chind, und liez es an ſeines chindes ſtat ſchön zichen; daz in chrafft und gutten tugenden gor ſere wuchſe. Darnach ward ym Elich des Chaiſer tachter gegeben. Do ſein Sweher geſtarb, do beſſaß er nach ym die herſchafft, und liez an die ſtat, do er funden ward, ain ſchön Cloſter bawen, daz Yrsaya [2] iſt genant.

Hainrich der Milde word Chaiſer nach Chriſti geburd tauſend Newn und Virzig Jar. Er traib von ſeinen hoff die ſprecher, Geyger, und alle Spilllewt, und gab ſein Gut mildiglichen den armen lewten. Darnach cham Er gen Englheim, und nam Fraw Agneſen ſein weibe. In dem ſiebenzehenden Jare ſeines Reichs gab er hinwider, waz yn dawcht, daz er

[1] *Vide obſervat. præv. num. 8. & 9. in hoc Chronicon, ubi inſulſiſſimum hoc commentum copioſe refellimus.*

[2] Hirſaugia.

ymer

ymer hiett zu vnrecht genommen. Nach ym sein Sun Hainreich ward Chaiser.

Hainreich der Vierd word Chaiser, und Reicht nach Christi gepurd tausent sechs und sechzig Jar. Die Kurfürsten erwelten Herzog Hainreich von Sachsen gen Chunig Hainreichen, daz der Pabst alzo geschicket. Do ließ Chunig Hainreich ain Hoff beruffen gen Brixia, und macht zu Pabst Bischolff Guberten von Ravenn. In der Zeit Hertzog Gotfrid von Lutringen nam zu ym vier Edel Graffen, und zway hundert tausend Mann, und gewan vnder dem heiligen Chrewtz Antiochiam. Darnach, zog Chunig Hainreich, und wüstet ganz Swaben Land, und bawet ain Chloster Ezivelt genennet.

Hainreich der funfft Chaiser, Hainreichs Sun des Virden, besambt sich zu Weynachten von allen Dewtschen Landen mit alzo grossen Volckch, daz man in Dewtschen Landen nie alz vil volkchs bey einander hett gesehen. Da wern zwen und funfzig Fürsten von Germania. Dor chamen auch des Pabstes Boten, und bestetten den Pann, der langst ee waz gelegt auf sein Vater Chaiser Hainreichen, der do von der gemain der Christenhait wort geschaiden. Des erschrack Chaiser Hainreich der Vird, und gab auf seinen Sun Hainreichen des Reichs Cleinod: daz Chrewtz, Zepter, Sper, und Chron. do der Vatter entsetzet ward, vnd cham gen Cöllen auf dem Reine, daz Volkch nam yn auf alz ain Römischen Chunig. Er schraib dem Chunig von Franckreich, und auch andern Chunigen in der Christenhait, wie er von dem Reich gar trügenleichen wer entsetzt. Des ward Hainreich sein Sun gewar. Er besambt sich, und und streit krefftiglich mit dem Vater. Des Sünes Panyer nider gieng, und lag under des streytes. Darnach starb Hainreich der Vierd in Leodonio [1], und Hainreich sein Sun daz Reich do besaß fridsamleich. Darnach fur er gen Rom mit über grossen Volckch. Paschalis der Pabst gieng ym entgegen mit dem Heiligtumb, und den Chaiser Hainrich darnach ließ vahen. Die Römer besambten sich, und stritten auf der teiffer brucken mit dem Chaiser. Do wurden vil der Römer erslagen. Der Chaiser liez nyder brechen die Mawr und turne, und furt den Pabst Paschasium hin gefangen. Der Chaiser cham darnach gen Rom, und nam büsse über sein schuld offenlichen, und den Pabst gab er vil gutes. Darnach cham er gen Maintz, des Chunigs von Engelland tachter Frawen Mechtilden Er do nam. Alle Fürsten vorchten yn. Kalixtus der Pabst tet yn in den pann von ratt waen der Erzbischoff von Maintz, von Chöllen, und Cunrads von Jefonia. Do zug der Chaiser gen Rom, und macht Burdinum de Yspania zu Pabst. Die Römer stritten wider den Chaiser. Den gesigt der Chaiser an, und vieng die Römer, und liez Jr haben die maiste Menig, und liez abslahen manigen füez und hend. Darnach cham er gen Speyr, do nam er sein end. Die zeit waz zu Pariß Hugo de Sancto Victore. Die Kurfürsten ratten zu Römischen Kunig von Sachsen Lotharium, Sie erwelten yn, und zu Maintz warn sunderlich Hertzog Lewpolt von Oesterreich, der Graff von Flandern, vnd Hertzog Fridreich von Swaben.

Lotharius der Vierd ward Römischer Künig nach Christi geburd aydleff hundert siben und zwainczig jar. Er verdrucket gar Chaiser Hainreichs geslecht. Sich wertten Fridreich und Chunrad fursten in Swabenland gen den Chaiser. Darumb tett sy der Kalixtus in den pann. Herzog Chunrad zu Swaben ward zu Romischen Kunig erwelt, und zog uber daz gebierg gen Maylan gewaltiglich. Pabst Honorius yn entsetzet. Dornach starb Pabst Honorius. Nach ym ward in der Christenhait nach grösser Vrsal. In der zeit Kwren Rogerium seine frewnde, alzo daz Innocentius must entweichen. Er sant umb hilff zu Lothario, der cham krefftigleich ym do zu hilff. Darumb ward geschaiden Kunig Chunrad von dem Reiche. Er sazt yn in sand Peters Munster zu ainen Chaiser. Lotharius ward gekrönet. Er zog hin gen Germania, und cham gen Babenberg, und nam yn Gnad Herzog Fridreich, und sein bruder. Darnach twang Pulen Lotharius, und alle, die ym woren vngehorsam.

Drey siecht lampen sullen auch brünnen bey dem Lobsamen Fürsten begrebnus, daz sind drey tugent des spechunden oder gaistleichen lebens, an den der obgenant Fürst in disen Leben auch waz enzündet. Die Erst lampen ist der Gelauben, der do begreifft lang, tewff, und brait, und höch der ding, die daz auge nicht gesehen hat, daz or nicht gehortt hat vnd in daz hercz des Menschen nicht ist chomen. Daz der Fürst Christenleich gehabt hat, daz sicht man noch gleich an der hohen Schul, die Er Christenleichen gelauben hie zu Wienn hat gepflanczt. Auch schuff Er bey seinen Zeitten auszurewtten die Keczerhait, die da haisset Waldenses. Darumb hernach mer den hundert Keczer zu Steyr wurden verbrennet. Die ander Lampen ist die Hoffnung, und in der Hoffnung leben wir, daz wir nicht verzagen in disem trübsal. Der Edel Fürst hat allzeit die wort zu vnsern Herrn gesprochen: Du bist mein Hoffnung Herr von meiner Jugent. Die dritt Lampen ist die Lieb. Mit der Lieb der Mensch in Got, und Got in den Menschen: wan Got ist die Lieb. Der Edel Fürst hat hincz Got groß Lieb behabt, alz daz sein Leben wol weiset. Nu sullen leren all Christenleich Fürsten anzusehen den spigel des Edeln Fürsten Lebens, nach seinen tugenden und beyzaichen sich zu schicken. O Herr von Himmelreich: Geruch des Edeln Fürsten Sel zu seczen in daz Leben, do daz Leben ist an all tod, do die Jugent ist an alter, do daz liecht ist an all Vinsternus, do die frewd ist an all trübsal, do der frid ist an all Chrieg, do daz Reich ist an all Verwandlung: und geruch Im auf zu seczen die Chron, darnach Er hie auf Erde alz Ritterlich hat gestritten.

Von Herzog Wilhalm, und Herzog Albrechten, vnd von der Merfart Herzog Albrecht, des obgenanten Herzog Albrecht Sun.

Darnach huben an zu herschen hie in dem Lande Herzog Wilhalm, und Herzog Albrecht, Vettern. Nach Christi Geburt drewzehen hundert in dem acht und Newnczigisten Jare in dem Sumer nam Im Herzog Albrecht für ain Merfart des obgenanten Herzog Albrechts Sun, der auch zu allen Gotleichen sachen wol ist genaigt. Nu wider riett Im dieselben Vart vast sein Vetter Herzog Wilhalm, und Ir baider Rätte: wan die Vart gar sorgsam waz von des Waisants wegen des Türckischen Herrn, der dieweil für Constantinopel lag, und waz vormaln, daz ist in dem Jar, do man zalt nach Christi Geburd drewzehen hundert in dem sechs und Newnczigisten Jare umb Sand Michels tag, vor ainen Geflozi, daz do haisset Schiltaw [1], gen Kunig Sigmunden von Vngern ains grossen streittes obgelegen. Do ward der von Burgundien gefangen, der sich darnach umb ain Merckleich Summ Gelts von dem Hayden must lösen. Do wurden Namhaft und Mechtig Herrn, Ritter und Knecht erslagen und gefangen, des die Heilige Christenhait groß scheden hatt. Ich schrieb dovon yczund nicht mer. Den obgenanten Herzog Albrecht möcht nyemant behalten, und für über Mere zu dem Heiligen Grab gar seligleich. Doch ward gen Jerusalem vorhin verchundet, wie daz ain Mechtiger Fürst auf der Christenhait chunstig wer; Darumb die patron von dem Hayden wurden zu redt geseczt. Doch ward die sach weisleich übertragen, daz die Hayden nicht chunden auff ain rechts end chomen. Do belaib Herzog Albrecht bey dem Heiligen Grab die zeit, alz Gewonleich ist, und ward zu Ritter. Vnd an der widersart do alles sein Volck auf die Gallein cham, liez Er ain grosses Bannyer von Oesterreich aufwerffen, und trummeten posawn und pfeiffen. Do sahen erst die Hayden, daz sie waren überklüget. Do fur der Edel Fürst herwider, und cham gen Venedigen: Dem deten die Venediger groß zucht und Ere, vnd cham alzo wider zu Lande. Dem empfang man erberleich, alz billeich waz, mit heiligtumb und ander zierhait, und schanckchung.

[1] *al.* Schiltarn.

[a] *deest*, der merung willen, *ut supra*.

APPEN-

APPENDIX AD CHRONICON PROXIME PRÆCEDENS,

NUNC PRIMUM VULGATA EX CHARTACEO CODICE MS. BIBLIOTHECÆ RR. PP. DOMINICANORUM VIENNENSIUM IN AUSTRIA.

OBSERVATIO PRÆVIA.

QUam hic ſubjungimus Appendicem, RR. PP. Dominicanorum Viennenſium, qui abhinc triennium R. P. Bernardo Pezio germano aditum ad inſignem Cœnobii ſui Bibliothecam perbenigne conceſſerunt, humanitati debemus. Is, ut eſt omnis antiquitatis indagator ſtudioſiſſimus, viſis hic aliis compluribus codicibus manuſcriptis, incidit in Chronicon Matthæi, vel Gregorii Hageni proxime ante hæc a nobis exhibitum, ad cujus calcem annectitur hiſtorica, quam hoc loco repræſentamus, Appendix. Quæ cum res ad hiſtoriam noſtram potiſſimum pertinentes contineret, digna viſa eſt noſtro R. P. Philiberto Huebero alias a nobis laudato, quam ex integro deſcriberet, nobiscumque communicaret. Reddimus autem omnia ea fide & ordine, quo in prædicto codice manu ſcripto extabant, & ab Huebero noſtro, expreſſa fuerunt.

ANno Domini 1365. iſt geſtorben Hertzog Ruedolff an Suntag nach Sand Jacobs tag.

A. D. 1387. iſt geſtorben Hertzog Leupold ſein bruder am Montag nach Margarete.

A. D. 1395. iſt geſtorben Hertzog Albrecht ſein bruder an Sant Johans tag Enthaubtnuß.

A. D. 1392. Omnia vina in tota Auſtria ex frigore non ſolum hiemis, ſed etiam æſtatis perierunt, & quæ creverunt, ad maturitatem ex frigore autumni minime pervenerunt. Et fuerunt vina ita acra & acerba, quod nemo fuit homo unus in terra Auſtriæ, qui recordaretur, quod talia vina ibi creviſſent, & fuerunt ſpreta plus a pauperibus quam divitibus; dicitur *Ziernheld*.

Etiam eodem anno omnes fructus arborum ex ſupra dicta cauſa in tota terra totaliter perierunt, & non ſolum aliquarum arborum fructus, imo arbores aruerunt, ſicut arbores nucum & perſicorum, & aliæ plures.

A. D. 1383. Wenzelaus Rex Romanorum, nec non Bohemiæ, a ſuis propriis Dominis, videlicet a Domino de Roſenberg, de Michlsperg, de Novo Caſtro, & aliis Dominis regni propter ſuam crudelitatem & tyranniam, quam exercuit ſine juſtitia tam in religioſos viros, quam ſuos proprios Dominos, fuit captus, & ad Auſtriam ad caſtrum, quod vocatur Wilperch, ductus, & ibi diu ſub cuſtodia prædictorum Dominorum ſervatus, donec a fratre ſuo Johanne fuit liberatus.

A. D. 1383. Albertus Dux Auſtriæ ſexcentos cuſpides pro ſubſidio Dominorum de Roſenperg, & de Michlsperg, de Novo Caſtro ſubmiſit: & iſti deprædaverunt terram Bohemiæ pecoribus & aliis non una vice, de quali præda non prius recordabatur.

A. D. 1385. Illuſtriſſimus Princeps Albertus Dux Auſtriæ obiit in die Decollationis Johannis Baptiſtæ, cujus mortem tota terra Auſtriæ, imo alii Principes & Barones maxime deplanxerunt: quia fuit Princeps multum mitis & pacificus. Item mortuo Duce Alberto cœperunt ſimul regnare in Auſtria & filius ſuus Albertus, & avunculus ſuus Wilhelmus, & ille tanquam ſenior. Fuit magna lis inter iſtos duos avunculos, videlicet Albertum filium Alberti, & Wilhelmum: quia Albertus filius voluit regnare ſicut verus hæres patris & terræ, Wilhelmus, vero ſicut ſenior, ſecundum dignitatem terræ, & conſuetudinem ab Imperatoribus & Principibus privilegiatam, & ſic fuit magnum ſcisma ad præſens inter Dominos terræ & civi- B tates, antequam fuerunt ſimul concordati, quod deberent ſimul regnare in terra Auſtriæ, tempore ipſorum quo viverent, poſtmodum ſenior perpetue deberet regere terram, ſicut fuiſſet de antiqua conſuetudine terræ &c. factum eſt ut ſupra.

A. D. 1348. Fuit peſtilentia maxima, ita quod vix tertia pars hominum remanſit in orbe: & fuerunt pœnitentiarii publici, qui ſe verberarunt.

Item 1371. Vieng man die Juden.

A. D. 1380. in octava Aſcenſionis combuſtum C fuit forum in Emerſtorff a ſuperiori ad infra.

A. D. 1378. So habend dy Hertzogen di Landt miteinander getailt. Do geuiel Hertzog Leupolten Oſterreich; und Hertzog Albrechten Steyr, Kernden, Schwaben &c. Da giengen die Landherren der von Mevſſau und Liechtenſtain &c. und machten das weis, alſo das Hertzog Albrecht bey Oſterreich blaibe, und gab ſeinen bruder Hertzog Leupolten hundert tauſent gulden auf ſein tail, der Jhm geuallen

1 *leg.* 1395.

was &c. Das jar war saurer wein yberall in dem Land.

A. D. 1381. des jars was der sterben in den Land so groß, das man ze Wienn hat getait daß Sant Steffan funfzehen tausent Menschen. Des jar wurden die wein gar vnwürdig von des sterben wegen, das man ein yaß wein umb 12. ß. dl. gab, und die lon wurden gar groß, daz man nicht Leut gehaben möcht ze Wienn. Item Heüser und weingarten wurden ze Wienn nach den sterben gar wolfail, und yberall in den land.

Des jar kriegt Hertzog Albrecht mit dem Grauen von Schaumberkh, der nam den Chölnern 12. Sewm gwantzß, und andere habe wol auf 12. tausent pfunt, und raubt Land und wasser, das dem Land schaden bracht, und ließ kein wein auß den Land, das der wein so wolfail ward, das sein nyempt acht, und trug des andern jars chaum halben Vngelt in dem Land.

A. D. 1382. des Jar wurden die jungen von Tyrna gefangen daß Pehem, und wurden umbgeführt zwai jar von ainer Vest zu der andern. Aber daß sy gefangen wurden, das geschach von übertrauen, das sy zu wehr nicht komen: wann zwen knecht Gorig und der Smauß &c. die wurden wunt, und auch gefangen. Do die gefangene gen Wienn komen, do vie sy der Hertzog, und fürts hintz Greutschenstain, darüber das sy nicht leisten scholten gen Peheim zu iren Junkhhern; do lagenß ein ganzes jar. Do ward der ain vnsynigk, die andern sagt man ledig.

Item des jar do viel Bischoff Leupolt durch die Prugk ze Lokch, und starbe.

A. D. 1383. des Jar vieng Hertzog Albrecht Steuslon den Juden, und furt den gen Medlingk auf die Purkh, und muest derselb dem Hertzogen geben L. tausent pfunt pfening.

Des Jar schlueg man ein steür auf die wein in der statt Wienn, auf yegleich fuetter ain pfunt, und auf ain Dreiling 6. ß. dl. Auch yberhueb man nyemant, weder Pfaffen, Münich noch Nunen; Ritter noch Knecht, noch des Hertzogen Hoffgesind.

Des Jar sezt man ze Wien zwen Ritter in den Ratt zu Coster den Burgern, und die Eltisten wurden abgesetzt, und andere an di stat.

A. D. 1384. des Jar ward ein kalter winter, und ward gar warm in der Vasten, und belaib bey der wierm, also das der wein blühet umb Sant Philippi tag, und das Koren. Vnd des jar namen die wein ab, und wurden gar vnwürdig, und waren doch guet und beständig. Der Waitz was alß wolfail, das man ainen Mezen gab umb 10. dl. und den Habern umb 6. dl.

Des jar schwuren die Reichsstett ain bund wider alle Herren, und die Fürsten schwuren auch zsam, und die Stett namen Hertzog Leupolt zu einen Vogt.

Des jar ward Universitas ze Wienn. Principales fuerunt, Magister Heinricus de Hassia, Magister Heinricus de Oyta, Doctores S. Theologiæ eximii, qui propter scisma Papatus recesserunt a Parisius, & fuerunt vocati ad Wiennam per suasionem & consilium Domini Berchtoldi Frisingensis Episcopi, Cancellarii & supremi Consiliarii Domini Ducis Alberti &c.

A. D. 1385. des jar wurden wenig wein, und worden vnbestendig und wolfail. Des jar wolt kain Man Richter ze Wienn werden. Nu nahm der Hertzog ein Weber von Tuln, und macht den ze Richter daß Wienn, und hieß der Aechter.

Item des jar baiß des Kunigs hunt von Pehem den Chreyer daß Prag, das Er kaum genaß.

Item Hertzog Leupolt lag daß Schwaben 2. jar, und kam nie herab zu weib und Kindern.

Den Waitz gab man umb 10. dl. und den Habern umb 11. dl.

A. 1385. dem Herren von Sand Steffan ward ir gewalt genomen, also das man ledig Pfaffen ab dem Land nahm, alß von alter gewesen ist, darumb das sy Kirchen auf dem Landt selber heten.

Item der von Mailant ward gefangen von seinen Vetter, und 2. Sün mit jhm; Er lag todt in der Venckhnuß.

Item dy Venediger enthaupten den Besten, der daß Venedigen was, der hieß Pyro Justian, fuit traditor. Der von Padaw vie dem Patriarchen, und gewan Friaul, stett und Castell.

Der Graff von Cyli starb, und der Graff von Görz, und empfalhen Hertzog Leupolten sein Kinder und sein Land.

Item Marggraff Sigmund zogt gen Vngern mit gewalt, und nöth die Künigin, daß sy jne muest dye tochter geben do vor Sand Giligen tag: und auf Sant Merten tag floch der Sigmund auß den Land zu fuessen, und khom gen Preßpurg. Zu derselben zeit ward Hertzog Wilhalm gekrönet zu Krakau. Johannes Schwab starb vor Sant Merten tag.

Item die Künigin von Vngern lued den Karlar von Polan, und krönt denselben, der reguieret 39. tag: do ward Er gefangen und geschlagen, und ward gelegt in ein öde Kirchen an dem Veld, und nicht begraben. Darnach ward der Sigmund geladen hinwider gen Vngern.

1386. Hertzog Wilhalm ward von Krakau vertriben, und der Haiden von der Littau nam sein weib. Am Sontag *Esto mihi* kam Er gen Wienn.

Item der Hader legt sich dem von Schaumberkh dasselb vür Neuhauß am Eritag vor *Exurge*; und am Eritag *Oculi* gab der von Schaumberkh dasselb Neuhauß. Janusch Jon und der Wayden die viengen die alten Kunigin, und di Jungen des Sigmund weib, darzue den grossen Grauen und sein Vettern, den den Karluß erschlueg: und führet die 2. Kunigin mit ihm; und schlueg den grozzen Grauen und sein Vettern die haupp ab, und sant sie des Karluß hauß-frauen.

Der Sigmund zogt auf Janusch Jon mit vil Vngern und Pehem, di wurden all erschlagen, 500, und der Sigmund kam mit 10. personen daruon.

Hertzog Leupolt ward erschlagen bey Zürich von den Schweincjern in die translationis S. Nicolai, und ist begraben worden ze Künigsfeld. Item hundert und 24. Herren wurden mit ihm erschlagen, und der grossesten Haubtman zwen fluchen ab dem Veld. Ich tör[1] Jr nicht genennen; der ain führt ain krumpen weissen strich durch ein blabs feldt; der ander ain Schilt, der ist gevirtailt grün und gelb, die fluhen mit 400. Man. Daß Wienn hat man es[2] begangen Hertzog Leupolten am Montag, nach Sant Michels tag.

Item des jar gab man den wein ain Emer umb 8, und umb 6. dl. und ward aufgesatzt, das man nit grösser vaßl torft gen Wienn geführen, dan zu 8.

[1] leg. Dörff. [2] i. die Leich-besingnuß.

Emer:

Emer: an den Hoff auch ſol niemand ſchenkhen, wan der aigen rukh hiett.

A. 1388. Hertzog Albrecht raith gen Schwaben, und vnterwandt ſich aller Landt, die Hertzog Leupolt ließ, und all taiding was ab.

Item die von Bayeren lueden Hertzog Albrechten ze Vaſnacht zu einen Hoff, und hetten muth, wie ſy In vahen wolten. Des ward Er gewahrnt, und zoigt gen Wienn *Oculi.* in der Vaſten.

Die Hertzog von Bayeren viengen den Biſchoff von Salzburkh in gueten frid und gelait daß Ratenhaslau.

Hertzog Albrecht lag vor Paſſau von Sant Michelstag ünzt auf Sant Merten tag, durch der 2. Biſchoffen willen, die do kriegten miteinander. Der von Tyrna ſtarb vor Pfingſten am Hochenmarkht, alß Er von vnſer Frauen gieng, und ließ 7. Kinder.

A. 1389. des Jars ſchluegen die Prager all Juden ze todt, zu Oſterreich &c. Des Jar ward wenig wein, alß man das ye gedacht, und ward nye tewr von des Kriegs wegen gen Paſſau. Paul von Tyrna ſtarb an vnſer Frauen abend zu der Liechtmeß, den ſchlueg ain layter ze todt in den thurn daß Sant Steffan. Des Jar vor kriegten die von Tyrna mit Herren Pillung, des tochter Paul...het gehabt, alß man raitt, wol auf 20000. pfunt.

A. 1390. des Jars gewan Hertel des Kramer Sun von Welß, und der Hadrer dem von Schaumberkh Hochen-ſtauffen, und der Hertzog mueſt Ihm widergeben. Des Jars nam der Hertzog die groſſen Steur von Pfaffen und Layen, Summa hundert tauſent pfunt. Item des Jar ward das genadenreiche Jare, ut dicitur.

A. 1391. der Biſchoff von Paſſau kriegt mit der Statt, daß Er daß Sant Pölten mueſt beleiben und dörfft nach Paſſau nicht, und dieweil verderbt Er all ſein Leut.

Item Wolfhart Pobb was Richter ze Wienn, und hiett drey Vettern gebrieder, die viengen ain ſtudenten von Vngern, und der Richter ward flüchtig. Die fieng der Stuchs von Trautmanſtarff, Lorentzen des Pobb Vetter; und den Studenten vieng der Richter zu Greutſchenſtain, und bracht die gen Wienn. Lorentzen und 2. Knecht hieng man, do ſi den ſtudenten hielten bey alt Türnau, an Sant Petronellen tag.

1392. des Jar kriegt der von Vngern mit den Haiden, und hulfen Ihm die Herren von Englandt, der von Cili, und maniger Landtherr. Do ſi herhaim kamen, do ſtarb der von Cili, und ander Herrn und Knecht.

Item des Jar der Kunig von Vngern gab Hertzog Ernſten ſein Mum, und der Hoff und Zehrung war groß.

1393. Fuit annus Jubileus Pragæ.

1395. der Edl Furſt Hertzog Albrecht der Dritt an ſeiner beſten auffſteigenden würde und Mechtigkait und gewaltigkait in ſeinen Landen herrſchet, und Ihm groß ſach vorlagen; do ſtarb Er an Sant Auguſtin tag zu Lachſendorff [1]. Da führt man In gen Wienn, do gieng Im engegen Prieſterſchafft, Univerſitas, und die Meng der ſtatt, do ſach man die groſſe klag von den lieben Frauen und frummen Leuthen.

1396. der Hertzog von Artoyß und Conſtabl des

[1] *al.* Larenburg.

A Kunigs von Frankhenreich kam gen Wienn umb die Pfingſten mit gueter, köſtlicher, Ritterſchafft, darnach umb Johann Baptiſtæ tag kam des Hertzogen Sun von Burgundia, und die bed Fürſten hetten bey 4000. Ritter und Knecht gar köſtlich: den dy von Oſterreich vil Ehre und ſchonhait erputen. Di ſpeiſent ſich hie ze Wienn, und luden mer dan 70. groß Scheff mit wein und Meel, und Habern, und kamen gar glücklich in dy Türkkay für die ſtatt Schiltarn, und waren in vill ſcharmützel obgelegen den Türkken. Do beſampten ſich die Türkken, und entpüten den Kunig von Vngern, ſy wolten mit Im fechten. Der hett das für ein ſpot; alſo kamen die Türkken. Do beſtunden die Franzigenen und die Teutſche, die wurden all erſchlagen. Der Kunig und die Vngern fluchen, und trenkhten ſich ſelb in der Tonaw, und vielen über die Berg ze tod &c. Der Kunig, der Purggraff von Nurenberig, und der Graff von Cili kamen gen Conſtantinopl. Die vorgenanten Fürſten mit 600. beliben des Türkken gefangen. Der ließ alle tag der Ritter etlich viertaillen vor dem Herrn, alſo martert Er ſye, das Ihr gar wenig belaib. Das Vechten geſchach des Montag vor Micheliß. Die Marſtaller und bueben, die bey dem ſcheffen waren geweſen, der kam vil daruon, und komen all in közlem hungrig und nackhet gen Wienn: der gab man ieglichen 6. Ellen von der ſtatt, und gien bettlen &c.

1397. Dominica poſt Dorotheæ virginis obiit egregius Doctor, necnon venerabilis Magiſter Hainricus de Haſſia, dictus Langenſtain, S. Theologiæ Profeſſor eximius. Eodem anno, ſtatim poſt Paſcha, obiit Magiſter Hainricus de Oyta, conſodalis prædicti Magiſtri Hainrici de Haſſia, utique vir per omnia commendabilis.

Hannß von Liechtenſtain der gewaltig Hoffmaiſter, dauon vor vil geſagt iſt, ſtarb umb Sant Valentins tag nach Oſtern ze Veltzbergk.

A. 1404. iſt geſtorben Hertzog Albrecht ſein Sun an des Heilligen Creutz Erhöhung.

A. 1406. iſt geſtorben Hertzog Wilhalm ſein Vetter an tag der zwelff Poten Taylung.

A. 1411. iſt geſtorben Hertzog Leupolt ſein bruder an Sant Craſm tag.

A. 1424. iſt geſtorben Ertzhertzog Ernſt des Sambſtags vor Sant Veits tag.

A. 1431. An Sant Gregoren tag ſind die Juden in Oſterreich verbrant und vertriben worden.

A. 1433. iſt Kunig Sigmund von Vngarn, der Römiſch Kunig gekront worden an den heiligen Pfingſtag zu Rom des benanten Jars zu dem Kayſerthum von Pabſt Eugenio.

A. 1402. in dem Jare ze Oſtern war das greinen in Oſterreich von der ſach wegen, wenn der jung Markhgraff von Mehrern, und der Geuſchpitzer (alias dictus Dürteuffl) und dy von Vettau namen zu Ihn all diep und Rauber, und kriegten mit den alten Markhgraffen Procopio, und verderbten Mehrern gar mit raub und brant. Vnd daß hat vorher bey 10. Jaren gewehrt, und haben all ſtett, Märkht und Dorffer, die an die March ſtoſſen hie zu Oſterreich, verderbt 4. Jar nacheinander. Nu möchten die Behmen des nicht komen ſein: wenn all die Edelſolten ſein, Ritter, Knecht, Knappen, und etlich Herren Geſeſſen auf den Marchfeld, und herauf an Hauſrukh waren alle diepp und verräther, und hetten

gleichen tail mit dem Pehmen. Darumb ward das Greinen erfunden, und dy waren des Greinen Maister: Herr Vlreich Dachsperger Marchschalch in Osterreich, Fridreich von Walsee, Ott der Meyssauer, Hainrich Zelkinger, Albrecht Ottenstainer burger von Wien, und hetten 200. spieß, und 200. Schützen, und 50. wagen, dy antwerch, kazen und büchsen füren. Vnd die soldner richten all Herren und Edelleut von Land die ersten 2. Moneyd auß, und die andern 10. Moneyd gaben Pfaffen, Burger und Juden den sold summa 25000. libras. Das erst hauß das sy gewunen, daß war Hochenau, da hieng man der diepp 45. simul & semel. Der Knappen entrunen vil gen Mehrern, den brach man die heuser nider, vil wurden jhr erhangen, und wem man ehren wolt, den sannt man gen Wienn, die warff man bey der nacht in dy Tunau. Sie kamen gen Emerstorff feria 2. post festum Corporis Christi. Item feria 2. postea brach man das hauß ze Leyden dem Hansen Früzestorffer.

1404. Hertzog Albrecht zoch für Znaim des Sontags nach Petri und Pauli. Dy sach war, das der Wenzla war ein Kunig in Pöhaim, und war des nächsten Kayser Sun, und war auch Römisch Kunig, und hett regnieret auf die zeit mer dan 30. Jar. Der Wenzla ist der böseste Fürsten ainer, die seit neunn Zeiten ye gewesen sind: wan Er was ain versaumer der heiligen Kristenhait, und ain fueder aller Vntugent. Darumb die Kurfürsten an Rein erwellet Hertzogen Rueprechten von Haydelberg zu Römischen Kunig, des iezund 9. Jar sind. Der kriegt mit Kunig Wenzla von Böhaim, und ött Jhm das Land vor dem wald, das acht der trunkhen Wenzla nit, und tet nit darzue. Do rueffen die Herren und Landleut seinen bruder Sigmund von Vngern. Der kham gen Prag, und mach kein end an den Wenzla nit haben. Do vieng Er Jhn, und sein Vetter Procopium, und fürt sie gen Schaumberg, das der Graff von Cili und Marggraff Albrecht ... und furen all gen Wienn an Sant Larentzen abent.

1402. Der Sigmund empfalich sein bruder Wenzla Hertzogen Albrechten und Wilhalmen, dy hetten sein vast ain halb Jar in der Burgk ze Wienn. Darnach lassen sy Jhn lusum reitten in dy statt und auf das veld, und sollen all tag end zwischen den brüdern machen, und teten des nicht. Do gab Hertzog Wilhalm dem Kunig ain hauß am Kienmarkht, da het Er sein Behem inn, und spazieret all tag zu Jhn; also war Er zu Wienn ain Jar. Do brach Er durch ein boden in ein Marstall, und raitt selb fünfter gen Stadlau, und kham hin gen Vesperzeit. Do Er überfur, da wart sein Herr Hans von Liechtenstain mit 50. Schützen, und fürt Jhn gen Niklspurg, und schikht Jhn haim gen Prag. Darumb der Sigmund von Vngern widerpolt denn Hertzogen, und sampt sich mit 40000. Man, und wer gern in das Land zogen. Do macht Er nit vor kelten. Do ritten Hertzog Albrecht, Leupold, Er ist zu dem Kunig, und ward gefridt und taydingt, das sy Hertzogen von Oesterreich solten dem Kunig 6. Monath 600. spieß nachführen gen Pehem und Mehrern, und solten frid machen, und die Diepp vertreiben.

1493. Jar des Montags nach vnser liben Frauen der Schydung ist mit tod verschiden der Allerdurchleuchtigiste Furst und Herr Fridrich der Dritt des Namens Römischer Kayser &c. dessen Vatter gewesen ist Hertzog Ernst von Osterreich. Ist gestorben zu Linz in Land ob der Ennß; zu Wienn in Sant Steffans Kirchen begraben. Der obgemelt Kayser Fridrich hat Herrn Sigmunden und Herrn Hainrichen Gebrüedern den Prueschinkhen, Freyherren zu Stattenberg, Erb-Schenckhen in Osterreich, und Erb-Druchsessen in der Steur, umb ihre getreue namhaffte dienst willen, so sie Seiner Kayserlichen Mayestett in den Kriegen wider weyland Kunig Matthiaß von Vngern, auch das der obgemelt Herr Sigmund Prueschinkh mit seiner Kayserlichen Mayestett den Hertzog für Neuß an dem Rein wider Hertzog Karln von Burgundi, darnach den andern Herzog in Flandern zu erledigung Maximilian, den dy Flaming zu Bruk in Flandern gefangen hetten, alß Kayser Fridrich denselben sein Sun Kunig Maximilian auß der Flanderer gefangnüß gewaltiglich erlöst hat, viel Freyhait und grosse gnad gethan. Dan Herr Sigmund Prueschinkh &c. ist auch lange Zeit Seiner Kayserlichen Mayestet Hoff-Marschalch, Ratt und Camerer gewesen, und biß auf das end Kayser Fridrichs also verbliben.

VITI ARENPECKII,

E PRESBYTERO SÆCULARI COENOBII EBERSPERGENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI IN BAVARIA, PRIORIS,

CHRONICON AUSTRIACUM

A FABULOSIS NOSTRÆ GENTIS PRIMORDIIS USQUE AD TEMPORA FRIDERICI IMPERATORIS VULGO III. PRODUCTUM,

NUNC PRIMUM IN LUCEM DATUM EX CODICE, UT VIDETUR, AUTOGRAPHO.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. VIti Arenpeckii gente Bavari, quem recentiores rerum Boicarum Scriptores passim laudant & exscribunt, Duplex ad nos Chronicon pervenit; alterum Bavaricum; Austriacum alterum. Bavaricum, quod Is in Sixti Episcopi

ſcopi Friſingenſis nomine apparere voluit Calendis Januariis Anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi quinti, frater meus *Tom. III. Part. III. Noviſſimi ſui Anecdotorum Theſauri* publicæ luci nuper admodum commiſit, ubi & de aliis ejusdem Scriptoris lucubrationibus hiſtoricis plura obſervavit. Extat quoque in Auguſtiſſima Vindobonenſi Bibliotheca Bavariæ Chronicon quoddam, eodem Vito Arenpeckio Auctore, quod haud ſcimus an idem ſit cum eo, quod a fratre vulgatum memoravimus: cum id propius conſpicari nobis fas non fuerit. Certe aliam codex manuſcriptus Cæſareus, atque aliam is, quem penes ſe germanus habuit, Epiſtolam Dedicatoriam præfert. In priori enim Vitus Arenpeckius Opus ſuum Guilhelmo utriusque Bavariæ Duci nuncupat, *Monaſterii Eberſpergenſis Priorem immeritum* ibidem ſe appellans; in poſteriori vero Chronicon ſuum itidem Bavaricum Sixto Friſingenſi Antiſtiti dedicat, ſeque *Ejus Presbyterum Capellanum* vocat. Verum hæc penitiori mei fratris diſcuſſioni relicta ſunto. Nobis interim ſufficiat cauſam reddidiſſe, cur Arenpeckio *Prioris Eberſpergenſis* titulum adpoſuerimus, quem & V. Cl. Daniel Neſſelius eidem adſcripſit, ut ex ejus Magni Corporis hiſtorici Manuſcripti Sciagraphia edocemur. At vero Chronicon Auſtriacum, quod in præviis ad Vitam S. Cholomanni Martyris Obſervationibus, Collectionis iſtius Tomo altero nos edituros polliciti ſumus, mutato poſtea conſilio, hoc potius loco exhibere viſum eſt. Cujus rei cauſas Lector ex iis, quæ deinceps dicturi ſumus, pluribus intelliget. Porro etſi Chronicon hocce Auſtriacum, in cujus editionem non niſi unico exemplari, eoque multis in locis admodum flagitioſe ſcripto uti licuit, certi Auctoris nomine deſtitutum ſit; quin tamen Vitum Arenpeckium genuinum parentem agnoſcat, dubitare minime noſ ſinunt, quæ ad Annum quadringenteſimum quinquageſimum ſextum ſupra Milleſimum commemorat. *Anno Domini*, inquit 1456. *in menſe Junio Cometes ſuper hemiſphærium Viennenſe fere per integrum menſem apparuit, quem & EGO VITUS ARENPECK ibidem tunc ſtudio anhelans vidi* &c. Ex quibus manifeſtarium eſt, hanc Collectionem Chronographicam a nemine alio præterquam a Vito Arenpeckio ex variis Auctoribus fuiſſe conſarcinatam. Quoniam vero multis eam fabulis, falſisque nonnunquam narrationibus contaminavit, operæ pretium me facturum arbitror, ſi hic plura, quæ ad ampliorem rebus lucem fidemque conciliandam conferunt, obſervavero.

II. Ac inprimis quidem ea omnia, quæ a principio Chronici iſtius usque ad ætatem Leopoldi I. cognomento *Illuſtris* Marchionis Auſtriaci narrantur, deſumpta ſunt ex germanica Auſtriæ Hiſtoria Matthæi cujusdam, vel Gregorii Hageni, adeo ut fere nihil inter utrumque interſit, niſi quod Hagenus ſua ſermone patrio diffuſius, Arenpeckius vero latino contractius exponat; ut, collatis ad invicem utriusque ſcriptis, nullo negotio quisque deprehendet. Quæ, utpote plane fabuloſa, eoque vel relatu indigna æque ab hoc Arenpeckiano Chronico, ac in Hageniano fecimus, ex toto reſecuiſſemus, niſi mentem aliam nobis injeciſſet frater. Ajebat enim non penitus diſſimulandas eſſe, quas in domeſtica hiſtoria Majores noſtri commenti fuiſſent, fabulas: neque hominibus eruditis ſemper injucundum, Veterum quæcunque demum commenta pernoſcere: ita denique ſatis eorum deſiderio fieri, qui in cujusque gentis Hiſtoria ignorare nihil velint. Quibus quidem Germani mei monitis morem gerendum ratus, has, ut vides Lector, fabellas ex Vito Arenpeckio potius, quam ex Matthæo, vel Gregorio Hageno dedimus. Quod quidem non eo conſilio

factum a nobis putes, quasi cuiquam persuasum esse cupiamus, illas ex Viti Arenpeckii officina primum prodiisse (earum enim unum unicum inventorem Matthæum illum, aut certe Gregorium Hagenum fuisse, in prævviis ad Chronicon ipsius germanicum Observationibus supra notavimus;) sed ut ab Arenpeckio latine perscriptæ, ab exteris quoque, qui germanice non norunt, commode intelligerentur. Qua ratione satis nos apud illos excusatum iri confidimus, qui laudati Hageni Chronicon a nobis initio mutilatum editum fortasis quiritabuntur. Quod enim ex eo certis ex causis detrahendum censuimus, hic Lectori cumulate resarcivimus.

III. Porro integram illam historiam, qua genus resque gestas Principum Austriacorum, stirpis Babenbergensis, usque ad obitum Friderici *Bellicosi* ex ea familia ultimi exequitur Arenpeckius, ex Tabulis Claustro-Neoburgensibus a Johanne Sundheimio concinnatis contexuit. Quas lingua vernacula compositas tametsi jam alias exhibuerimus, tamen ab Arenpeckio qualicunque demum latinitate donatas hic denuo repræsentare placuit eorum causa, qui linguæ nostræ expertes sunt & imperiti. Neque Germanos nostros hæc relegisse pœnitebit, cum hic varia Diplomata Marchionibus Ducibusque nostris a Romanis Imperatoribus olim concessa, aliaque non pauca scitu digna invenire sit, quæ ab Arenpeckio aliunde huc comportata in prædictis Tabulis Claustro-Neoburgensibus desiderantur. Inter quæ & illud, quod Ernesto Austriæ Marchioni ab Heinrico IV. Imperatore sub annum Christi 1058 datum sit, exstat, insertis duobus privilegiis, quæ Julius Cæsar & Claudius Nero Romani Imperatores Austriæ contulerint: de quorum fide ac sinceritate Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontifex Romanus, in Historia Friderici Imperatoris vulgo Tertii pag. 173. & seqq. ita pronuntiavit: *Ante hos quoque Henricus Quartus Imperator, Henrici Tertii filius, Arnesto Austriæ Marchgravio, quem apud Saxones interisse retulimus, literas dedit, in quibus Julii Cæsaris, Claudiique Neronis privilegia in hanc ferme sententiam referuntur..... Verum confictа hæc falsaque esse comprobantur, & ab ingenio non tam erudito quam maligno excogitata, quæ reprobare in promptu est. Nam quis vel* feudum *vel* bannum *apud vetustissimos illos Cæsares nominari audivit? Romanis ea regio septentrionalis est, & apud Veteres non Austria dicta, sed vel Pannoniæ fuit vel Norici portio, ut ante relatum est. Ait insuper Henricus, privilegia Cæsarum lingua paganorum fuisse conscripta, quæ ipse in latinum sermonem verti jusserit. Bella procul dubio & credenda res: Romanorum Cæsarum epistolas Theotones Imperatores latinas fecisse. Tanquam latini barbare, Barbari vero latine loquantur. Quid, quod regni sui anno primus Julius id se privilegium concessisse affirmat? Cum palam sit, Julium Cæsarem nunquam regio nomine usum fuisse, quod erat invisum Romanis. Quibus ex rebus vel confictas esse literas Henrici crediderim, vel eum Principem Cancellarii sui levitate deceptum. Friderici vero, & cæteri, qui post eum imparavere, cum Austriæ libertatem tradunt, nullam prorsus harum literarum mentionem efficiunt.* Hæc de binis illis Julii & Neronis Rom. Impp. litteris Æneas Sylvius. Quarum alteras, scilicet a Claudio Nerone datas, mirum est ea fere forma & stylo, qui laudatorum Imperatorum ævo utcunque congruat, in Speculo Fuggeriano Sigismundi Birkenii inductas fuisse, quo nimirum (ut suspicari fas est) verisimiliores eæ redderentur Lectoribus. At multum admodum vereor, ut eo verborum schemate, quo illæ convestitæ a Birkenio producuntur, in veteribus membranis aut chartis exornatæ uspiam reperiantur. Certe vetus earundem apographum ante aliquot annos vi-

dimus

dimus in bibliotheca Lambacensi, quod ab Arenpeckiana lectione minimum demutat. De Leopoldi vero Pulchri, ejusque fratris Alberti cognomine Levis flagitio incesto, deque Rhenone bubulo Heinrici Ducis Austriæ I; vel (ut aliis placet) Leopoldi Virtuosi ejus filii, quibus geminis anilibus commentis ex Hageno mutuatis Arenpeckius hanc Chronici sui partem collutulavit, nihil porro hoc loco attinet dicere, quandoquidem ea jam alibi operosius fortassis, ac opus erat, falsi convicimus.

IV. Quod vero Arenpeckius noster ad annum Christi 1322, quo Fridericus Pulcher Romanorum Rex & Dux Austriæ à Ludovico Romanorum itidem Rege & Bavariæ Duce in prælio Amphingensi victus, captus datusque in custodiam arcis Traunitiensis fuit, insidias illas & terriculamenta, quibus malus genius Fridericum in custodia asservatum frequenter vexare, indeque eripere connisus fuerit, Elisabethæ ejus conjugis incantamentis effecta fuisse scribat; insignis est calumnia, quæ principi huic fœminæ per summam injuriam impingitur. Haud equidem me latet, Vitum Arenpeckium hæc non tam ex se quam ex Andrea Presbytero Ratisponensi, sæculi decimi quinti homine, protulisse, cujus fidem hic quoque, ut alibi non raro, temere nimis secutus est Arenpeckius. Is enim ad annum 1315. Chronici sui generalis, quod manu fere coæva in decumano Volumine chartaceo descriptum in bibliotheca antiquissimi Monseensis Ordinis nostri Cœnobii anno 1717. reperimus, & a Plurimum Reverendo ac Clarissimo D. P. Hermanno Sarstainer laudati Monasterii Priore merentissimo Mellicium nobis submissum præ manibus nunc habemus, eadem ad verbum commemorat, siniſtro falsoque vulgi rumore sine dubio deceptus. Præter hos duos antiquos Boicos Scriptores neminem unum hactenus videre licuit, qui Elisabethæ Friderici Pulchri uxori nefandum hocce facinus affinxerit. Verum de eo Veteres quique rerum Austriacarum Scriptores altum ubique silent. Imo vero quam sanctioribus longe modis Illa conjugis sui libertatem a cœlo quæsierit, docet nos Anonymus Leobiensis Auctor æqualis in Chronico suo a nobis superius prolato, ubi ad annum Christi 1324. rem disertis hisce verbis denarrat: *Consors Fridrici, filia Regis Arragoniæ, Elisabeth peregrinationes, jejunia, castigationes adeo sibi graves assumpsit, ut nimius fletus visum sibi ademerit.* Quid clarius ad demonstrandam Elisabethæ innocentiam afferri possit? Quod si verus est Albertus Argentinensis (neque enim desunt qui narratiunculam hanc commentis accenseant) Leopoldum Austriæ Ducem opera magi cujusdam, qui Fridericum fratrem custodia Traunitiensi septum in libertatem vindicaret, usum fuisse scribens; rectius fortassis id scelus infami illi Veneficio, quam Elisabethæ, piissimæ sane ac nobilissimæ fœminæ tribuetur. Quæ omnia firmo satis argumento esse possunt ac debent, eam a tantæ impietatis suspicione quam longissime abfuisse, utpote quam nonnisi leve incertumque vulgus, vel certe iniquorum hominum malevolentia in eam ex vano confinxerit.

V. Nec minor est injuria, qua Vitus Arenpeckius Johannam Ferretanam, Alberti Ducis Austriæ II. conjugem, afficit, dum ejus opera Ludovicum Bavarum veneno extinctum, tum in hac Austriaca, tum etiam in Bavarica sua Historia memoriæ prodidit. Andreas Presbyter Ratisponensis in Chronico suo generali, unde procul dubio hæc descripsit Arenpeckius, ex fama nescio unde manante, idem factum cuidam Austriæ Ducissæ attribuit, sed ejus nomen dissimulat, remque gestam cæteris copiosius ita refert: *Anno*

MCCCXLVII, inquit, *in die Gereonis Martyris & sociorum ejus Ludovicus Imperator obiit, sepultus in ecclesia parrochiali S. Mariæ, quæ est in Monaco. Dicitur quod dum ipse Ludovicus Imperator esset in venatione, quædam Ducissa Austriæ sibi potum in flascone porrexerit: & dum ille ob suspicionem bibere contemneret, illa prior bibit. Quod videns Imperator, & ignorans, quod calliditate quadam geminus potus sibi in eodem flascone offerretur, confidenter bibens lethale virus suscepit: & mox corruens de equo, in gremio cujusdam rustici mortuus est. Ipsa vero Ducissa statim, ut bibit Imperator, fugiens evasit.* Hactenus Andreas Presbyter. Vidimus etiam in Bibliotheca Weichen-Stephanensi (quod insigne Ordinis nostri Cœnobium est, in Bavaria extra muros Urbis Frisingensis situm) Chronicon pervetustum a variis, incertisque sæculi XII. XIII. & XIV. ut ex forma characterum facile apparebat, Auctoribus collectum, in quo de obitu laudati Ludovici Bavari sequentia notantur coæva manu adscripta: MCCCXLVII. *Ludvvicus Imperator, doxicatus a Ducissa Austriæ obiit feria V. Id. Octobris.* Eadem leguntur in Chronico Salisburgensi, quod integrum in hoc Opere primum publicavimus. Quin etiam quidam Hocsemius temporum horum æqualis (ut auctor est Johannes Adlzreitter Annalium Boicæ gentis P. 2. lib. 4. pag. 76. ubi eventum hunc dubitanti similis in medium affert) scribit Johannam Austriacam ejus sceleris rumori apud vulgus eo dedisse causam, quod cum alias curru vehi solita esset, a Ludovico discedens equo præcipitem fugam cepisset. Quam quidem peculiarem circumstantiam apud neminem alium me legere memini. Alii recentioris ævi Scriptores exteri (uti Johannes Nauclerus, Mutius, Johannes Trithemius, & Paulus Langius) commentitium istud Johannæ nostræ facinus ex incerta multitudinis fama ac suspicione magis, quam ex rei gestæ veritate commemorant, quemadmodum id videre est apud Georgium Herwartum in Apologetico pro Ludovico IV. Imp. P. 2. pag. 969. & 971, quo loco idem Auctor Johannam Austriam incerto crimine oneran, omniaque ex mera suspicione aut fama incerta a mox memoratis Scriptoribus referri profitetur. Singulorum verba ex laudato Herwarto heic adscribere juvat. Johannes Nauclerus, *Cum ex eodem*, inquit, *poculo Princeps Ludovicus a Ducissa Austriæ Johanna porrecto biberet, statim sensit se gravatum. Unde accepta occasione & exercitii gratia exivit venatum, paralysi dein percussus de equo in terram corruit, & mox expiravit. Quo mortuo fama volavit, quod de poculo intoxicatus esset, quod tamen non fuit clarum.* Mutius item: *Suspicio fuit, veneno necatum, quod tamen (quod sciam) nemo asseruit.* Et Trithemius in Hirsaugiensi Chronico: *Fuerunt qui dicerent, eum* (Ludovicum) *cujusdam Austriæ Ducissæ veneno periisse: quod verum sit nec ne, satis exploratum non habemus.* Idem in Sponheimensi: *Fama est, eum veneno periisse Ducissæ Austriæ. Certum quidem hoc tenemus, quod sumpto cum ea cibo in eadem mensa, statim male sentire cœpit, sperans que agitatione corporis* &c. Denique Paulus Langius in Chronico Citizensi: *Anno Domini* MCCCXLVII., *qui est primus Joannis Episcopi nostri, Luduicus Imperator in venatione cadens de equo mortuus est, & (ut scribunt multi) intoxicatus per Joannam uxorem Ducis Austriæ, quæ tum præsens erat.* Hæc de fama ac suspicione veneni, quod Johanna Austriaca Ludovico paraverit, Scriptores hactenus adducti.

VI. At vero quam subtesta in ea re Auctorum istorum fides sit, haud operose colligitur ex communi æqualique Scriptorum domesticorum, etiam synchronorum, quos vel hactenus in publicum emisimus, vel deinceps emisuri

ſuri ſumus, ſilentio; ut quorum ne unum quidem reperias, qui nefandum hujusmodi crimen a Johanna noſtra in Ludovicum Bavarum admiſſum vel verbo commemoret: quod omnes, ſiquidem ejus rei fama perlata ad illos fuiſſet, velut ex compoſito tacuiſſe, incredibile fuerit. Nec plura de eodem habent tum Bavaricæ, tum aliarum gentium, qui per eadem tempora floruerunt Hiſtorici permulti; e quorum numero ſunt Hainricus Rebdorfenſis, Villanus, Albertus Argentinas, & Anonymus quidam (teſte Herwarto) in Bibliotheca MS. Academiæ Ingolſtadienſis ſervatus. Ex quibus Albertus Argentinenſis, homo extraneus & æqualis, qui Johannam *in reditu ad Auſtriam Ludovicum Principem viſitaſſe, ab eoque honorifice receptam* diſerte teſtatur, nullius omnino veneni, quod Illa humaniſſimo ſuo hoſpiti redhibuerit, mentionem facit. Idem paulo infra Ludovici mortem, certo certius aliunde quam ex veneni hauſtu ſubortam, deſcribens, *Eodem anno*, inquit *Princeps Ludovicus in venatione urſi, in ſylvis juxta Monacum, paralyſi percuſſus, de equo corruens expiravit* &c. Nequaquam adeo pium & benignum in Johannam Auſtriam futurum fuiſſe Argentinatem credam, ut, ſi re vera Ludovici necis ream illam vel ex fama comperiſſet, id ejus amore aut reverentia taceret: qui tetrum Leopoldi Ducis Auſtriaci facinus, quo Friderici fratris eliberationem quæſierit, adeo minutatim denarravit. Quid, quod Johannes Aventinus ipſe gente Bojus, tametſi duobus ſæculis Argentinenſi poſterior, æque ſilentio ſuo a ſuſpicione tanti ſceleris Johannam abſolvit? Quando Annalium Bojorum lib. 7. ſub finem paginæ 787. & initium ſequentis, Ludovici interitum narrat in hæc verba: *Dum Imperator Ludovicus, quod ſenectus ipſa (quemadmodum vulgo dici ſolet) morbus ſit, valetudini ſuæ ſu Medicorum venatibus indulgendo conſulit, ac inter Monachium & Auguſtam Rhætiæ proxime Furſtenfeldium, & vicum Puech, ubi D. Edigna, quam accolæ furcis præficiunt, humata colitur, & ovilia ſunt in prato, venationi operam dat, & quod Auguſta puerum enixa foret, lætatur; quinto Idus Octobris circiter meridiem de equo lapſus, repentino atque inopinato fine (apoplexiam vocant) naturæ concedit.* Viden' Ludovicum Imperatorem non veneno a Johanna præbito, ſed apoplexia tactum e vivis exceſſiſſe? Sunt denique (ut ex Speculo Fuggeriano diſcere licet) qui Ludovicum a Margaritha Maultaschia, quidam etiam qui Conſiliis Caroli IV. Imperatoris veneno necatum velint. Quæ tam varia Scriptorum inter ſe diſſidentium narratio merito cordato cuique perſuadeat, incerta, atque adeo falſa & fictitia eſſe omnia, quæ quidam ex Bavaricis aliisque, quorum verba ſupra recitavimus, Auctoribus parum honorifice de Johanna Auſtriæ Ducissa litteris mandarunt: nihilque præter vaniſſimam ſuſpicionem rumoremque inaniſſimum ſubeſſe, qui, occaſione Johannæ ad Ludovicum divertentis accepta, inibi a quibusdam Principi fœminæ fortean iniquioribus ortus, indeque in credulam, neque tum Auſtriis ſatis amicam multitudinem ſparſus, ſubinde longius, ut fit, ad poſteritatem usque permanavit. Certe varias facti circumſtantias, quibus id quidem ab Hocſemio & Andrea Presbytero exponitur, probe expendenti & ad criticum unguem vocanti res hæc omnis fabulæ, quam hiſtoriæ ſimilior jure videbitur. Quas, ne longior ſim, accuratius hic diſcutere conſulto ſupersedeo, id alias, cum uſus venerit, præſtiturus. Ejusdem farinæ ſunt illa, quæ de Ottone Auſtriæ Duce, ejusque duobus filiis Leopoldo & Friderico, ceu veneno itidem a Johanna Auſtriaca ſublatis male narrat Arenpeckius. Quæ quantum a vero abhorreant, non ex Vetuſtioribus ſolum, verum etiam recentioribus rerum noſtrarum Scriptoribus, ut qui

nihil tale quidquam de ea scriptis suis unquam commiserint, intelligi potest.

VII. Neque minus erroris arguendus est Arenpeckius, cum ad annum 1322. asserit, Fridericum Pulchrum Imperatorem ea conditione a Ludovico Bavaro e captivitate fuisse dimissum, *ut de cætero* (verba sunt Arenpeckii) *nullus Ducum Austriæ pro adipiscendo Imperio contra Duces Bavariæ se opponat, recipiens super hoc in litteris abrenuntiationem.* Quem locum sic effert Johannes Aventinus Annalium Bojorum lib. 7. pag. 768. vet. editionis: *Fridericus liber dimissus regium nomen abjurat. Ut Ludovico gratificaretur, & ne victus beneficio videretur, nunquam Austriacos, Bojis candidatis Imperii, competitores fore dat fidem, tabulisque cavet.* Johannes Adlzreitter vero Annalium Boicæ gentis P. 2. lib. 1. pag. 25. in hunc modum: *Ut quicunque Austrius in petitione Imperatoriæ Dignitatis suffragiorum numero Bojcum quempiam æquaret, jure ei suo cederet.* Addunt mox memorati duo Scriptores, prædictas Friderici Austrii literas seu tabulas subinde a Ludovico Barbato Bavariæ Duce redditas fuisse Friderico Imperatori vulgo Tertio, *quo sibi* (ut ait Aventinus loco citato) *fidem ejus adversus Ludovicum Gibbosum filium suum sibi rebellantem oppignoraret.* Denique Andreas Presbyter in Chronico suo generali MS, cujus fidelia parietes suos hic quoque, ut alibi frequenter, dealbavit Arenpeckius, rem distinctius sic exponit: *Ludvvicus*, inquit, *Rex Romanorum sine omni pecuniarum, castrorum, civitatum ac terrarum exactione, more liberalis Principis, ipsum Fridericum pristinæ reddidit libertati, nihil aliud quam regni Romanorum ab eo, & suis successoribus Ducibus Austriæ, quotiescunque aliquis Ducum Bavariæ esset in electione Romanorum regni, accipiens in litteris abrenuntiationem.* At vero si hac conditione Fridericum liberum dimisit Ludovicus, ut recentiores Auctores hactenus recensiti contendunt, cur Scriptores Synchroni, allatis longe aliis, eam nusquam commemorant? Cur vel in ipso redintegratæ Ludovicum inter & Fridericum pacis ac amicitiæ Instrumento, quod ex archivo Bavarico primus integrum Georgius Herwartus in Apologia sua pro Ludovico IV. Imp. a pag. 328. ad pag. 333. publicavit, & in quo leges omnes initi inter utrumque fœderis singillatim percensentur, hæc una prætermittitur? Cur denique nemo unus Scriptorum Austriacorum (quos quidem ego viderim) eandem vel verbulo in scriptis suis expresit? Satis hinc, ut equidem arbitror, habebunt Viri docti, ut quantum hic fidei Arenpeckio aliisque tribuatur, facile pernoscant. Cæterum an Fridericus Austriacus omnibus conditionibus in prædicto Reconciliationis Instrumento contentis (quarum prima, eaque gravissima hæc est: *Dux Fridericus renuntiare debet clare & omnimode regno & omni juri, quod in illo habere posset: & debet litteras, quibus eligebatur, si electio vocari posset, & omnes alias litteras, quæ ipsum ad hoc juvare ac promovere possent, a quocunque hæ illi datæ, & in quacunque forma scriptæ sint, reddere Regi sine omni fraude & dolo* &c.) unquam reivera subscripserit, ii dijudicabunt, quos aliud quoddam initæ inter eosdem Augustos Principes concordiæ Diploma, quod ex avtographo tabularii Cæsarei Vindobonensis summa fide expressum V. Cl. Petrus Lambecius in Additamentis ad Sacri Itineris Cellensis Diarium a pag. 260. ad pag. 266. anno 1673. typis evulgavit, legere non pigebit. Ex eo enim alia omnia, immo Instrumento Bavarico e diametro, ut ajunt, opposita discere licebit: inprimis vero æquatum Imperii Jus inter Fridericum & Ludovicum, communicatum regium nomen, pactumque consortium Cæsareæ potestatis. Specimen laudati Diplomatis,

plomatis, prout Lambecius exhibet, fidei causa hic apponimus. Sic autem habet:

Wir Ludowich und Friderich von Gotß gnaden Romiſche Chunige, ze allen Zeiten Merer dez Riches, tuen chuont allen, die diſen brief ſehent oder horent leſen. ... Daz Wir daz Romiſche Riche, darzo Wir bede erwelt und geweihet ſein, mit allen ſeinen wirden, Eren, rechten, laeuten und guoten, und ſwaz ez hat, und darzo gehoert uber all die Wert, mit einander glich alß ein Perſone, einem nicht baz dann dem andern, ietwederm mer noch minre beſitzen, haben, pflegen und handeln ſullen. ... Wir ſullen auch gliche Ere haben ze ſtrazzen, ze Chirchen, und an aller ſtat, und Vnß bede Romiſche Chunige und Merer dez Riches, ſchriben und nennen. ... Aller der vorgeſchriben ſache ſeint gezeuge Grafe Bertolt von Hennemberg, Friderich Burgrafe von Nuremberg, bruoder Chuonrat von Gundelfingen Maiſter dez Deutſchen Ordens in Deutſchen Landen, Herman von Lichtemberg Cantzeler, Maiſter Vlrich der Wilde Oberſter Schriber vnſer Chunig Ludowiges, Dytrich von Pilichtorf, Hanß Truchtſaetze von Oyezzenhofen, Weignant von Traußnicht, bruoder Conrat Prior von Muenchen, und bruoder Goetfrit Prior zuo Mowerbach in Aller Heiligen Tal, vnſer beder Pichtiger, die alle do bei geweſen ſeint. Der brief iſt geben zuo Munchen an dem Pfinztag vor vnſer Vrowen tag alß ſie geborn wart, do man zalt von Criſts gebuert Dreutzzehen huondert Jar, darnach in dem finnf und zweinzigiſten Jare, in dem Eyliften Jare vnſers Riches. Huic Diplomati Annales quoque Furſtenfeldenſes, uti & Aulæ Regiæ adſtipulari fatetur ipſe Johannes Adlzreitter Annal. Boicæ gent. P. 2. lib. 1. pag. 25.

VIII. Quod porro ad ſæpe jam dictum annum 1322. memorat Arenpeckius, Fridericum Pulchrum in ultionem perfidiæ ſuæ cœlitus factam pediculis fuiſſe conſumptum, propterea quod contra fidem Ludovico Bavaro datam regium nomen & titulum uſurpare perrexerit, Andreæ Presbyteri, quem hic totidem pene verbis exſcripſit Arenpeckius, vaniſſimum figmentum eſt. Certe Fridericum, poſteaquam etiam e cuſtodia Trausnitienſi emiſſus a Ludovico fuit, *Nomen Regium* juſtiſſime retinuiſſe, abunde conſtat tum ex Diplomate Reconciliationis a Lambecio vulgato, tum etiam ex ipſiusmet Arenpeckii verbis. Is enim, ubi ad præcitatum annum conditionem illam, qua ſcilicet Ludovicus libertatem Fridericó dederit, expoſuit; tum paulo infra quaſi palinodiam canens hæc ſubjungit: *Sæpe dictus*, ait, *Fridericus fuit ſine omni exactione libertati ſuæ donatus; nulla autem (ut communiter narratur) ſuper regni Romani abrenuntiatione, aut ſuper promiſſa fidei cautione ab ipſo recepta, nullaque confirmatione.* Quod ſi, vel aſſentiente Arenpeckio, Fridericus libertati ſuæ redditus eſt, quin tamen Romano regno renuntiarit: jure igitur optimo *Regem* ſe nominavit & ſcripſit, nec propterea perfidiæ crimine ab Arenpeckio condemnandus erat, ob quod tam fæda miſerabilique morte divinitus puniretur. Cæterum etſi vel inter ipſos Veteres Scriptores Auſtriacos haud ſatis conveniat, quo morbi genere obierit Fridericus; nemo tamen illorum quidquam ea de re commemorat, quod Andreæ Ratisponenſis Presbyteri & Viti Arenpeckii teſtimoniis ſuffragetur. Miſſis aliis, qui de ejus obitu ſcripſere, unum Anonymum Leobienſem, temporum illorum æqualem, audire præſtat. Is itaque ad annum 1329. Chronici ſui rem his verbis exſequitur. *Fridericus autem Rex percuſſus morbo apoplexiæ (ut quidam dicunt) alii autem eum diſſenteriam habuiſſe ajunt. Cœpit autem vehementer deficere, & invaleſcentibus morbis anno Domini* MCCCXXX. *in*

Octava Epiphaniæ transiit, & disposuit testamento glorioso per Ecclesias & Monasteria, & in loco fundationis suæ Mavvrbach, Carthusiensis Ordinis, regali cultu & solemnibus exequiis sepelitur. Fertur etiam, quod a quadam nobili muliere quoddam confectum cibarium sumpserit, quo ipse Rex in favorem sui mariti moreretur: quod in morbum impetiginosum corporis est mutatum, mortis materiam secum ducens. Hæc de morte Friderici Pulchri Anonymus Leobiensis. Ex quibus Andream Presbyterum, ejusque exscriptorem Arenpeckium palam redarguas, qui Fridericum morbo pediculari divinitus immisso extinctum falso prodidere. Illud postremo observare libuit, Vitum Arenpeckium Historiam suam Austriacam rudi admodum Minerva conscripsisse. Qui si sub finem, ubi res a Ladislao Bohemiæ Rege, & Friderico Imperatore Tertio gestas persequitur, solito comptior elegantiorque appareat, Æsopi corniculam imitatus est, adoptatis integris ex Æneæ Sylvi Hist. Bohem. & Friderici III. sententiis & periodis. Hæc de Vito Arenpeckio longiuscule præfari, graves aliquot, quibus Historiam nostram Austriacam inquinavit, errores postulabant. Jam Chronicon ipsius, quod ex codice avtographo fideliter expressimus, in scenam producamus, eo primum operis hujusce Tomum bono cum Deo, quo & cœpimus, concluſuri.

VITI ARENPECKII CHRONICON AUSTRIACUM.

ANno post diluvium 810. in Theomanaria A natus est Abraham paganus militaris, cujus uxor, Susanna. Qui lite & paupertate a Domino suo Comite Sathan Alligenorum, trans mare in terra Ammirationis, venit in terram prope Danubium, quam longe antea quidam Judæus, qui tamen nunquam fuit in eadem terram nominabat *Judaisaptah*, & locum habitationis suæ nominavit *Auratim*; nunc vero dicitur *Stokaraw*; & nominavit se Marchionem Judaisaptæ. Venit autem in terram post diluvium annis 859, & 9. mensibus, 12. die Junii; habuit autem ab Auratim usque ad proximas habitationes vicinas 70 milliaria Teutonica. Quo facto rediit in terram Ammirationis, unde venerat, pro uxore sua & filiis suis duobus Athaim & Ralim & filia Dencarim; & reduxit eos cum bonis, quæ tenebat, in terram Judaisaptæ, post primum adventum ejus tribus annis. Et habuerunt ipse cum uxore sua Dominium 59 annis, & 5 mensibus; & ambo fuerunt sepulti in Auratim.

Post Athaim primogenitus ejus dominabatur 45 annis, & vocavit terram *Auratim* mutato nomine, & duxit Mannaym Comitissam Hungariæ filiam Rathan Comitis, & sunt ambo sepulti in Tullna, & reliquerunt filium, & tres filias. Senior earum Volym nupsit cuidam libero Bohe- C miæ Raban, qui dominabatur in Auratim 45 annis.

Postea Laptan dominabatur 56 annis, & mutavit nomen provinciæ; & vocavit ipsam *Sawritz*, & sepulti sunt in Tullna. Reliquerunt autem filium Aminad, qui duxit Hungaram, & dominabatur in Sauritz 52 annis, & reliquerunt filios duos, Pinian & Liptan.

Pinian dominabatur in Sauritz, & favore Principum obtinuit, ut Marchionatus factus est Ducatus, & mutavit nomen, & vocavit eam *Sannas*, & fuit Dominus 18 annis.

Post frater ejus Liptan Dux fuit in Sannas 14 diebus, & mortuus est.

Horum soror Synna nupsit cuidam Duci de Hungaria Saban, qui fuit Dux in Sannas 61 annis, & sepulti sunt in Caphanpheit, quod nunc dicitur Grewltzistain.

Horum filius Rathan nupsit cuidam Ducissæ Bohemiæ Sannæ, & fuit Dux in Sannas 65 annis & 7 mensibus; & sunt sepulti in Nusdorf. Reliquerunt autem duos filios, unum Rymmor, & alium Nero.

Rymmor successit in Ducatu mense cum dimidio: cui successit Nero, qui accepit uxorem de Karinthia, & fuit Dux 43 annis.

B. Antz filius eorum successit in Ducatu, mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam Pannans, & nupsit uni Ducissæ Bohemiæ, & rexit 57 annis, & uxor ejus post eum 9 annis vixit, & sunt sepulti in Neuburgo-forensi.

Filius eorum Nonas post obitum patris sui fuit Dux in Pannans 57 annis, & sepultus est in Nusdorff.

Eorum filia Synna nupsit cuidam Comiti Tanton in terra Pannans, qui factus est Dux in Pannans 40 annis, & sepulti sunt in Calenperg. Reliquerunt duos filios, Remior, qui statim moritur, & Thaton, qui factus Dux nupsit Ducissæ de Bohemia, & dominabatur 61 annis. C

Filia eorum Lannis nupsit Duci de Bohemia, qui dominabatur 59 annis.

Filius eorum Mannan nupsit cuidam Comitissæ Hungariæ, & fuit in Pannans 59 annis, & sunt sepulti in Neuburga-Clausstrali.

Namayn filius eorum duxit Ducissam de Hungaria, & fuit in Pannans 38 annis, & sunt ambo sepulti in colle apud S. Lazarum in campo.

Horum filia Zema nupsit Magair Duci de Hungaria, qui mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Tantonium*, & fuit Dux ibi 46 annis, &

sunt

sunt ambo sepulti in Wienna ante Werder-tor, scilicet apud piscatores.

Mannan filius eorum fuit Dux in Tantonio 55 annis.

Senna filia ejus nupsit Laptan Duci Hungariæ, qui Dux fuit in Tantonio 67 annis, & ambo sunt sepulti in Calvo monte.

Filius ejus Laman dominabatur 51 annis, ipse & uxor ejus sunt sepulti in Wienna ante portam mediam Pins.

Maran filius eorum Dux fuit 6 mensibus, & successit soror senior Senna, quæ duxit Ducem Bohemiæ Mannan. Hic rexit Tantonium 47 annis.

Horum filius Tanton accepit Ducissam Hungariæ Malan, & dominabatur 62 annis.

Sennam filius eorum successit tribus mensibus. Huic successit frater ejus Peyman 48 annis, sepultus est in loco, ubi nunc est Monasterium Neuburg.

Omnes Principes in terra a primo Abraha usque ad mortem Peyman una cum uxoribus suis fuerunt pagani cum toto suo populo, & adoraverunt idola. Reliquit autem Peyman tres filios, quorum medius Sennan Dux in Tantonio induxit ritum Judæorum, & nominavit se, *Sennan Judæus Dux in Tantonio*, & dominabatur uno anno.

Post eum ejus duo fratres Mannan & Saptan similiter facti Judæi diviserunt terram; & Mannan cessit pars infima; Saptan superior. Et dominabatur Saptan fratri suo & parti, quæ sibi cessit in Tantonio, & mutavit nomen ejus, & vocavit eam *Mittanans*, & duxit unam Ducissam Bohemiæ etiam Judæam, & dominabatur in Mittanans 61 annis, & sepulti sunt ante portam Stubarum.

Rippa ejus filius Judæus successit in Ducatu 57 annis, sepulti sunt in Tullna.

Eorum filia Rachaym duxit Salan Judæum Ducem Hungariæ, qui rexerunt 45 annis. Mortuo Salan Rachaym duxit Laptan Judæum Comitem de Bohemia: hic mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Fannave*. Fuit autem Dux in Fannave 17 annis: quibus mortuis sine hæredibus, non erat qui jure hæreditario succederet. Tunc erat in terra Hungariæ Alemanno Judæus Dux, hic cum exercitu suo venit, & obtinuit Ducatum Fannave, & Dux fuit 40 annis. Ipse cum uxore sua sunt sepulti apud Novam Civitatem. Junior filius eorum Halman obtinuit Ducatum in Hungaria; sed Senior Rantanais in Fannave. Hic mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Avarata*. Fuit autem Rantannais Dux in Avarata 57 annis, & duxit Saulym Ducissam de Bohemia, & sunt ambo sepulti in magna civitate Laureaco, quod nunc Anesum appellatur, ubi habebant residentiam cum curia.

Filia earum Lemia nupsit Rettan Duci Hungariæ, qui factus est Dux in Avarata 47 annis, & ambo sepulti sunt in Castro Gryffenstain.

Eorum filius Montan duxit Ducissam Bavariæ Sanna, & fuit dominus in Avarata 54 annis, & sunt ambo sepulti in Calvo monte.

Horum filia Semyn duxit Retan Ducem Hungariæ, qui fuit Dux in Avarata 34 annis, & sunt ambo sepulti Wiennæ ante portam Scotorum.

Attalon filius eorum duxit Ducissam Hungariæ, & successit 57 annis, & sunt sepulti in Laureaco.

Raban senior filius eorum fuit Dux in Avarata medio anno, & mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Fylan*: cujus frater Effra duxit Ducissam Hungariæ Sannaym etiam Judæam, & fuit Dux in Fylan 49 annis.

Eorum filius Nuban fuit Dux in Fylan 39 annis, cujus uxor Ducissa Hungariæ Judæa, & sunt sepulti in Tullna.

Rolant filius eorum successit 42 annis, cujus filia Sanna nupsit Duci Bohemiæ Reysar, qui rexit Fylan annis 53, & sunt ambo sepulti sub monte nivis.

Nathan filius eorum duxit Satyn Ducissam Hungariæ etiam Judæam, & mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Rarasina*, & fuit Dux 41 annis.

Horum filia Rachym duxit Ducem Bohemiæ, & fuit Dux in Rarasina 51 annis, & sunt ambo sepulti infra Nusdorff in loco, qui vocatur *in Sancto loco*, vel *in Sancta civitate*.

Filius eorum Saimeth duxit Ducissam Hungariæ Eyma, & fuit Dux in Rarasina 34 annis.

Rathan filia eorum duxit Ducem Bohemiæ Saptan, hic fuit Dux in Rarasina 42 annis.

Horum filia Senna duxit Ducem Bohemiæ Rolant, & fuit Dux in Rarasina 52 annis, & sunt ambo sepulti in Berichtoldstorff.

Filius eorum Tanner mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Corrodantium*, fuitque Dux 51 annis, & cum uxore sua est sepultus super Laureacum. Reliquerunt autem filium Montan, qui successit in Ducatu. Hujus tempore defecerunt Principes Judæorum in dominiis; ita Montan Dux Corrodantiæ factus est paganus, compulsus & coactus a paganis. Hungaria abnegavit fidem Hebraicam, & adoravit idola, & post huc usque nullus Judæus dominabatur in terra, & nominavit se Montan, *Paganus Dux Corrodantiæ*. Duxit autem paganam Ducissam Hungariæ Sygnam, & fuit Dux 45 annis.

Horum filius Mathan duxit paganam Ducissam Hungariæ Saliniam, & fuit Dux in Corrodantia 51 annis, & sunt ambo sepulti in magno castro Gryffenstain.

Filius eorum Salannata fuit Dux in Corrodantia 51 annis, duxit Ducissam Bohemiæ.

Rathan filius eorum successit 32 annis, uxor ejus, fuit Ducissa Bohemiæ, & sunt sepulti Wiennæ ante portam Karinthanorum.

Mortuis illis non fuit Princeps, qui jure hæreditario succederet in Ducatu. Tunc Romani quendam paganum de Hungaria Rolant instituerunt Ducem Corrodantiæ, habuit uxorem Ducissam Bohemiæ, & fuit Dux 51 annis.

Filius eorum Sathan duxit Ducissam Hungariæ, & vixit in Ducatu 51 annis, & sunt mortui sine hærede, & sepulti in Neuburg. Tunc terminabatur regnum Judæorum & paganorum in terra Corrodantiæ: nam postea Christiani rexerunt. Rexerunt pagani & Judæi secundum

calculum Cronicæ ante nativitatem Christi 1482 annis, post nativitatem vero Christi 384 annis.

Romani quendam nobilem Comitem Aman, consanguineum Sancti Alexii, occulte Christum colentem instituerunt Ducem Corrodantiæ: qui propter signa magna, quæ vidit apud Sanctum Alexium sub scala repertum, ad fidem Christi conversus fuit. Adduxerat secum uxorem suam, nomine Helenam, etiam occultam Christianam nobilem Comitissam de Roma. Hic mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Avara*, & scripsit se, *Aman Divina permissione Dux Avaræ*. Laboravit autem occulte ad convertendum populum ad fidem Christi, & sic in secreto magnam partem populi ad fidem Christi converterat, duravitque in Ducatu Avaræ 53 annis. Romani postquam cognoverant, ipsi miserunt pro eo, & ipsum martyrizaverunt cum populo suo fideli. In quinto autem anno post ipsum mortua fuit uxor ejus, & sunt ambo sepulti Romæ in Monasterio S. Petri retro altare S. Petri, & canonizati.

Joannes, Albertus & Theodoricus filii eorum diviserunt Ducatum in tres partes, & vocaverunt eam *Osterland*. Theodoricus habuit a Nova civitate usque in Posonium; Albertus ab Anesо usque in Scherding; Joannes ab Anesо usque in Novam civitatem. Hic mutavit clypeum, ferendo super galeam duas albas alas Angeli, in earum medio draconem aureum, & clypeum nigrum cum alba cruce. Duxit unam Comitissam de Roma Annam. Dux Joannes cum sua uxore Anna construxerunt ecclesiam Sancti Stephani Wiennæ, & regnavit 32 annis, & sepulti sunt in Neuburga, ubi nunc est Monasterium, quod tunc fuit parva ecclesia, & cessit Ducatus suus Alberto.

Ille mutavit nomen provinciæ, & vocavit eam *Osterreich*, & duxit Ducissam Bohemiæ Katherinam, & regnavit 31 annis, & sepulti sunt ambo in ecclesia S. Stephani, quorum filius Eberhardus successit. Duxit Ducissam Bavariæ Susannam, cum qua habuit duos filios, qui obierunt ante patrem, quorum morte Eberhardus tantum turbatus, quod nollet amplius vocari Dux, & fecit ex terra Marchionatum, & vocavit se Marchionem Austriæ, & Ducem Bavariæ ex parte uxoris, & regnavit 32 annis, & mortui sunt sine hærede.

Austria sic cessit Imperio. Unde Cæsar concessit eam Heinrico Duci Bohemiæ, qui regnavit 30 annis, & mortui sunt sine hærede ipse & uxor ejus. Cæsar igitur Heinricus contulit Austriam Ottoni de Hungaria. Hic Marchio Austriæ regnavit 18 annis, & sepultus est Pragæ apud Sanctum Johannem in ecclesia.

Horum filius Conradus Marchio Austriæ electus est in Regem, & fecit ex Marchionatu Austriæ Ducatum, & fuit Dux 15 annis, & reliquit tres filios, qui diviserunt terras.

Heinricus obtinuit Bohemiam, hic duxit filiam Regis Hungariæ Nicolai; Stephanus terram supra Anesum; Albertus partem Inferiorem, qui factus est dominus aliorum duorum, & mutavit arma, ferens super galeam albam aquilam alis nigris in sursum protensis, & clypeum cæruleum, in eo aquilam albam cum alis aureis extensis. Fuit Dux 51 annis, sepultus est cum uxore sua Salome Ducissa Bohemiæ in ecclesia S. Stephani.

Friderico filio eorum & Ludovico cessit Ducatus divisus; Ludovico quidem ab Anesо usque Neuburgam; sed Friderico alia pars, sic quod Ludovicus maneret Dominus Austriæ. Hic Ludovicus mutavit arma, ferendo super galeam auream aquilam alis in sursum porrectis, in clypeo vero rubeo aquilam bipartitam secundum longum deorsum; cujus medietas dextera est nigra, alba sinistra. Et rexit 32 annis, sepultus in ecclesia S. Stephani.

Filius eorum Joannes successit, mutavit arma; super galeam aquilam auream alis extensis directe, & in cæruleo clypeo aquilam auream, tenentem alam sinistram nigram, dexteram albam, regnavitque 51 annis.

Horum filius Hainricus successit 31 annis, habuit filium Joannem, qui sibi successit 29. annis.

Hujus filius Ludewicus duxit Elisabeth Ducissam de Hungaria, regnavit 42 annis, & sunt sepulti super Veronam in Lambardia.

Albertus filius eorum successit 28 annis, cujus uxor Ducissa Bohemiæ Susanna, sunt sepulti ad Sanctum Stephanum Wiennæ.

Horum filius Heinricus successit 28 annis, uxor ejus Margaretha Ducissa Hungariæ, sepulti sunt ad S. Stephanum Wiennæ. Reliquerunt duos filios, Petrum & Joannem, & unam filiam Elisabeth, & diviserunt Ducatum, quatuor annis & dimidio regnaverunt. Quibus successit Elisabeth, quæ post tres menses est mortua, & sunt sepulti in ecclesia S. Stephani, & Ducatus cessit Imperio. Antequam Wienna est condita, Tullna fuit capitalis civitas in Austria, & in loco, ubi Wienna nunc est, fuit olim curia venationis, ad quam sæpius gratia solatiorum venerunt Principes.

Hæc de vetustissimis hujus terræ Rectoribus, in quibus gestis nihil mihi variare licuit propter vetustatem, ne aliis locum detrahendi præberem. Nunc vero de mediis hujus provinciæ Illustribus Marchionibus ac Ducibus, ac eorundem origine, uxoribus & prole, ac bene gestis stylus vertendus est, & de quolibet in singulari, quantum dederit Altissimus, & ingenioli mei parvitas concesserit.

LEOPOLDUS Illustris, genere Dux Sueviæ, ex Alberti nobilissimi Comitis Babenbergensis sanguine ortus, defuncto Rudigero de Pechlarn Comite Orientali sine hærede, a Rege Romanorum Heinrico Duce Brunswicensi suo sororio Marchiam Orientalem in feodum accepit, Anno Christi 925, quam strenue multis annis rexit. Hic forte oppidum Melicum una cum castro dicto *Ferreo-Castro*, vi cepit, & potentissimum Dominum Gysonem ex eo expulit, & totam provinciam sibi usurpavit. Item in eodem Castro Melico 12. Canonicos Sæculares cum sufficienti provisione fundavit. Uxor ejus Domina Richarda, filia Ottonis Ducis Brunswicensis, soror erat Regis Heinrici Aucupis, cujus sororis Babæ filius fuit Albertus Comes

mes Babenbergenſis. Præfati autem Regis Heinrici filius fuit Otto Primus Magnus Imperator, cujus nemo eſt qui neſciat genus. Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, item Wilhelmus Archiepiſcopus Maguntinus, item Hugo Comes Pariſienſis, primus Rex Francorum, filius ſororis Ottonis Magni, item Rupertus Rex Franciæ, filius ejusdem Hugonis, item Conradus Dux Franconiæ, gener Ottonis Primi Imperatoris, item Papa Gregorius V. dicti Ducis Conradi filius, qui Beatus reputatur, & nepos Ottonis Primi Imperatoris, item Giſebertus Dux Lotoringiæ, ſororius ejusdem Ottonis, & multi alii Principes ex progenie dictæ Richardæ ſunt orti, per quos Catholica fides vehementer crevit, & aucta notabiliter eſt: quia Archiepiſcopatus, Epiſcopatus & Monaſteria quam plurima fundaverunt, & magnifice dotarunt, ac multis Apoſtolicis contra ſuos adverſarios fidelem aſſiſtentiam fecerunt. Et ſepulta eſt in Choro Monaſterii Mellicenſis in elevato ſepulchro cum marito ſuo Marchione Leopoldo, qui ex ea duos reliquit filios, Leopoldum [1] & Popponem.

Heinricus, dictus *Rebellis*, primogenitus Leopoldi, Secundus Marchio Auſtriæ cœpit poſt mortem patris, & rexit Marchiam Orientalem 40 vel quaſi 41 annis. Cum Curia ſua & aulicis in Melico habitavit. Imperio denique rebellis erat, quem Sanctus Heinricus Imperator ad obediendum ſibi & Imperio compulit [2].

Hujus temporibus anno Domini MXII. Sanctus Colomannus ex Scotia nobiliter ortus iter peregrinationis ad terreſtrem, amore cœleſtis, Hieruſalem arripiens, in Orientalem regionem Noricæ partis venit, tanquam ejusdem loci explorator comprehenſus a Judice, nuncupato vulgariter Wolkenſtorffer, multis ſuppliciis affectus, demum cum duobus latronibus eſt ſuſpenſus. Sancti itaque Viri corpuſculum unguibus cum barba cæſarieque creſcentibus per unum annum & dimidium incorruptum permanſit. Ipſa quoque torta, in qua pendebat, fronduit. Videntes igitur hæc & audientes incolæ regionis illius admirati ſunt valde, & obſtupuerunt, glorificantes Omnipotentis Dei clementiam, qui per famuli ſui merita hæc & alia plurima nova & inaudita noſtris ſæculis oſtendit miracula. Horum miraculorum cauſa Clerici cum multitudine populi adunati in quadam inſula juxta Danubium, ubi erat conſtructa baſilica, venerabile corpus honorifice humarunt, ſequentibus ſignis. His auditis miraculis, juſſu Marchionis Hainrici corpus, quod tantum temporis quieverat incorruptum in ſepulchro, ſicut in furca pependerat, per totum videlicet triennium, quarto anno cum Clero proceſſionaliter & populo in civitatem Medlicam eſt delatum, & in eccleſia S. Petri in Auſtrali abſide laudabiliter ſub patratione miraculorum innumerabilium eſt conditum anno Chriſti MXVI.

Præfatus itaque Marchio Heinricus immatura morte diem obivit anno Chriſti MXVII, ſepultus in Melico juxta patrem & matrem, relinquens duos filios, Albertum & Erneſtum ex uxore ſua Swenhilde, quæ una ſecum in Melico quieſcit, cujus genus tamen non invenitur in Cronicis.

Poppo Venerabilis Archiepiſcopus Trevirenſis, ſecundus filius Illuſtris Marchionis Leopoldi, quem Epiſcopatum pluribus annis bene rexerat. Temporibus Largi Imperatoris Heinrici III, hic Poppo per preces obtinuit, quod frater ſuus Marchio Heinricus corpus S. Colomanni Petro Hungarorum Regi miſerat. Sed tempore, quo ſacrum corpus in Hungaria permanſit, Hungari multas plagas ſuſtinuerunt, peſtilentiam, famem, nec pluviam habuerunt. Coacti igitur corpus S. Colomanni in Auſtriam remiſerunt, nihilominus caput ſuum ſervaverunt, quod usque in præſens in Alba Regali oſtenditur. Poppo Epiſcopus in Treveri ſepultus eſt, quem S. Heinricus Imperator Trevirenſibus præfecit.

Albertus *Victorioſus*, Heinrici Marchionis ſenior filius, Tertius Marchio Auſtriæ, poſt obitum genitoris mox Auſtriam regere cœpit; & 16 annis rexit. Hic una cum filio Leopoldo, *Forti Milite*, Pannoniam Superiorem Hungaris ereptam Romano Imperio adjecit, contra Abam Regem Hungariæ, qui eam vi gladii ſibi uſurpaverat: quam provinciam Imperator Heinricus III. dicto Marchioni Alberto & ſuis hæredibus in feodum perpetuum donavit. Hic Marchio Albertus bellum habuit cum Primo Andrea Rege Hungariæ, & ſemper victoriam obtinuit; ideo *Victorioſus* dictus fuit. Habitavit in Melico, ubi cum Senioribus ſuis ſepultus eſt [1], & partem Sanctæ Crucis [2] in Melicum attulit. Hujus uxor Adelhaidis, ſoror Petri Regis Hungariæ, diem obivit anno Domini 1071, ſepulta in Melico cum marito ſuo, qui reliquerunt duos filios, Leopoldum & Erneſtum.

Erneſtus Senior Dux Sueviæ, ſecundus filius Marchionis Heinrici Rebellis, frater Marchionis Alberti Victorioſi, Princeps probus omni venatione delectabatur. Una vice a quodam Comite Alberto in venatione ſagitta tactus occubuit, anno Chriſti MX, in ſuo Ducatu Sueviæ ſepultus. Huic nupta fuit Domina Giſela, de antiquo & glorioſo ſanguine Karolorum oriunda, cognata Domini Rudolfi Regis Burgundiæ, geminosque ex eo filios, Erneſtum & Hermannum ſuſcepit, quos ambos ſupervixit. Defuncto ſiquidem Duce Erneſto primo marito, domina Gyſela accepit Conradum Ducem Franconiæ, dictum *Salicum*, poſtea Imperatorem, qui ex ea filiam procreavit nomine Chunegundem, quæ fuit deſponſata Heinrico Pio Romanorum Regi, poſtea Imperatori orto ex Comite de Calve in Suevia. Præfata jam dicta virgo Chunegundis dum cum patre ſuo Conrado Imperatore, & matre Giſela Imperatrice cum multis aliis in Italiam pro Imperiali benedictione tranſiret, in reverſione obiit V. Nonas Martii ante celebrationem nuptiarum, cujus corpus in Franconiam deductum, ibi honorifice ſepulta eſt. Similiter obiit Hermannus Dux Sueviæ, frater ejus ex parte matris 1039, & Chuno Dux

[1] leg. Heinricum. [2] *in margine recens manus addit*, 1002.

[1] *in margine alia manus addit*, 1055. [2] *Hic rurſum alia manus in margine*, 1034.

Fran-

Franconiæ, avunculus Conradi Regis. Item Gisela Imperatrix sepulta est Spiræ cum Domino suo Imperatore Conrado.

Leopoldus, dictus *Fortis Miles*, Marchionis Alberti Victoriosi filius senior. Hic cum patre suo, ut supra dictum est, Marchiam Orientalem ab Hungaris eripuit, ac inter cætera virtutis suæ opera exercitum Hungarorum innumerabilem fines suos ex improviso vastantem subito correptis armis, quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum est, pæne funditus cum paucis delevit. Hic insuper Illustrissimus adolescens Leopoldus in Ingelhaim in nuptiis regiis Heinrici III. immatura morte omnium planctu rapitur, & a patruo suo Poppone Treverorum Archiepiscopo in urbe Trevirensi sepelitur anno 1043; mortuus est autem ante patrem sine liberis. Hujus uxor dicta erat Frowiza, quæ sepulta est in Melico apud Marchionem Albertum Victoriosum socerum ejus.

Ernestus, dictus *Strenuus*, Marchio, Alberti Victoriosi secundus filius, Dux Sueviæ & Quartus Marchio Austriæ, cœpit regere Marchiam anno Domini MLVI, mox post mortem patris, & bene rexit eam annis 19. Hic Ernestus meruit impetrare a patruo suo Rege Heinrico Quarto renovationem & confirmationem privilegiorum & chirographorum, olim a paganis Cæsaribus antecessoribus suis concessorum, cujus tenor sequitur, & est talis:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Hainricus Divina favente Clementia Rex Romanorum Augustus, quondam Domini Heinrici felicis memoriæ Imperatoris genitus. Ex quo decet Celsitudinem Imperialem magnificorum Virorum, & nobilissimorum Principum, etiam consideratione intercessorum eorundem, justas admittere petitiones; Nos præces præclarissimi & nobilissimi Principis Domini Ernesti Margraphii Austriæ, Sacri Romani Imperii Prioris, *& fidelissimi Principis, & generosissimæ Dominæ Dominæ Agnetis Romanorum Imperatricis, genitricis charissimæ, & competitricis ejusdem per preces admisimus exauditionem ejus, favorabiliter annuere volentes. Cum ipse Princeps dicti Imperii honores & dignitates & utilitates procuret, seu jugiter prosequatur, & nihilominus in instanti anno cum exercitibus suis bellatorie illas terras contra paganos obtinuit vicibus trinis, eosque exinde pepulit, cooperante Divino auxilio potenter. Cujus Principis preces hoc exigunt, quod Nos roboris firmitate perpetuemus concessiones sive privilegia suo nobili Marchionatui ab antiquis paganorum Imperatoribus concessa, quorum privilegiorum tenores sequuntur. Et primi privilegii tenor sic sonat.*

Nos [1] *Julius Imperator, Nos Cæsar & Cultor Deorum, Nos supremus terræ Imperialis Augustus, & sustentator orbis universi, plagæ Orientalis terræ, suisque incolis Romanam veniam, nostram pacem. Vobis mandamus per nostrum triumphum, quod illi præcelso Senatori nostro avunculo pareatis, quoniam Nos eidem, & suis hæredibus suæ domus descendentibus donavimus eam in feodatoriam possessionem perpetue tenendam, sibi & suis posteris in perpetuum relinquentes, quod nullam potestatem super eos statuere debemus, nec non ei, & dictis suis hæredibus & successoribus largimur omnes utilitates Orientalis terræ memoratæ. Insuper Nos eundem avunculum nostrum, & omnes ejus successores assumimus Consiliarium in secretissimum Consilium Romanum taliter, quod deinceps nullum perpetuum negotium sine causa fieri debeat sui sine scitu. Datum Romæ in Capitolio mundi die Veneris, regni nostri anno primo, & exactionis auri anno primo. Et secundi privilegii sic sonat tenor:*

Nos Nero amicus Deorum, & fidei eorum propagator, præceptor potestatis Romanæ, Imperator & Cæsar Augustus. Nos simus deliberati cum omni nostro Senatu, quod exemi debeat illa Terra Orientalis ante alias terras: quia ipsa & ejus habitatores ante omnes alios, qui Romano Imperio subditi sunt, laudabiliter eluceſcit. Ob hoc dicimus Nos illam eandem Terram in perpetuum quietam & absolutam omnis pensionis & census, qui jam impositus, vel erit in futurum, ab Imperiali potestate, aut a Nobis vel successoribus nostris, seu quibusvis aliis. Nos volumus etiam, quod eadem Terra in perpetuum libera perseveret. Etiam præcipimus Nos ex potestate Romana, quod cum nulla adversitate illa Terra supra nominata ab aliquo in aliquo molestetur. Siquis autem hoc faceret vel perpetraret, ille esse debet in banno Romani Imperii, & nunquem inde tempore aliquo exire. Actum apud Lateranum Martis illius magni Dei.

Quamobrem Nos prænominatus Heinricus intuiti sumus & rememorati, quod homines [1] *, qui in infidelitate persistunt, litteras dant aliis hominibus, qui illius fidei & incredulitatis sunt, inutiles & fructuosæ sint hominibus & gentibus, qui in Jesum Christum credunt, & terris eorundem; Nos illi generoso Principi prænominato Ernesto Margraphio Austriæ, & suis hæredibus, ac ipsi terræ Austriæ corroboravimus & fecimus innovari illas præscriptas litteras, quæ in lingua paganorum conscriptæ fuerant, & quas in latinum sermonem commutavimus & transtulimus, ita duntaxat, quod eædem litteræ prænominatæ Ernesto Margraphio, & terræ suæ Austriæ, ac suis posteris & successoribus honorem ac fructum apportent & inducant, ac si eidem id seu eadem a Divis & Christianissimis Imperatoribus data essent. Insuper intuiti sumus cum puro desiderio mentis nostræ, quod prænominatus Illustris Princeps Ernestus Margraphius Austriæ adeo bene meritus & dignus est, quod eidem ipsum Sanctum Imperium adjutoriosum esse debet: quia ipse situatus & constitutus est in uno fine Christianitatis, & omni tempore incitat & exercet opera Domini nostri Jesu. Damus & concedimus Nos eidem in adjutorium & subsidium illos Episcopatus cum omnibus bonis ipsorum, quæ hactenus a longævis temporibus cognominatæ sunt & fuerunt* [2], *Pataviam &*

[1] *De hoc, uti & proxime sequente Privilegio legesis Observ. præv. num. 3. in hoc Chronicon.*

[1] *locus hic corruptus sic videtur legendus:* quod litteræ, quas homines, qui in infidelitate persistunt, dant aliis hominibus, qui illius fidei & incredulitatis sunt, inutiles &c. [2] *Sigismundus Birkenius in editione* Speculi Gloriæ Domus Austriacæ *a Jacobo Fuggero concinnati, ubi idem Heinricianum Diploma recenset, pro* Pataviam *legit* Juvavia, *locumque integrum paulo aliter sic effert:* Damus & concedimus Nos eidem in adjutorium & subsidium illos Episcopatus cum omnibus bonis ipsorum, quæ hactenus a longævis temporibus cognominatæ sunt, & sunt JUVAVIA & LAUREACENSIS.

Laurea-

Laureacenſem, ita tamen, quod ille prænominatus Erneſtus Margraphius [1] *ac terræ Auſtriæ Advocati & Domini ſuper illos eſſe debeant. Inſuper concedimus & damus illam gratiam ſæpe nominato Erneſto* [2] *& ſuæ terræ Auſtriæ, quod ipſi gladium Judicii ipſorum; & Wanderium* [3] *ſive vexillum terræ publice ante Imperium & ante totum mundum & populum deferre debeant atque poſſint: quia ipſe & terra ſua ſæpius laudabiliter in Dei ſervitio emicuit, & apparuit glorioſe. Et ut hæc noſtra traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat ævo, hanc paginam inde confici, conſcribi, manuque propria, ut ſubtus videtur, corroborari, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus muniri. Datum III* [4] *Nonas Octobris, anno Dominicæ Incarnationis 1058, Indictione XI, anno autem ordinationis Domini Hainrici Quarti Regis quarto* [5] *regni vero ſecundo. Actum Durenpach* [6] *in Dei nomine feliciter Amen.*

Ecce in hoc privilegio Rex Heinricus nominat Erneſtum Marchionem, *Priorem Romani Imperii*, & creavit eum Advocatum Epiſcopatuum Laureacenſis & Patavienſis, & Dominum bonorum eorundem. Inſuper privilegiavit eum, ut gladium & vexillum ante Imperium & ante totum mundum deferre valeat, ut clare patet in præcedenti privilegio. Per etiam eodem anno paganos a ſua terra depulit, uti ſupra.

Hic Erneſtus ad auxiliandum conſanguineis ſuis in Saxonia in bello IV. Heinrici Imperatoris cum Saxonibus cecidit apud fluvium Unſtrut anno Chriſti 1075. Hic Marchio in Melicum attulit ferrum lanceæ S. Mauritii, in quo concluſa eſt pars Sanctæ Crucis, & picarium [7] S. Udalrici. Hujus uxor Mechildis ſepulta eſt in Melico cum marito, & reliquit duos filios, Leopoldum *Pulchrum* Marchionem, & Albertum *Levem* Lantgravium, & Juditham filiam, quæ in virginitate ſua cum planctu omnium diem obiit, ſepulta in Melico cum parentibus ejus.

Erneſtus *Junior* Dux Sueviæ, Erneſti Senioris Ducis Sueviæ primogenitus, Conrado Regi Romanorum Duci Franconiæ ſuo [8] privigno, cum Conrado Duce Wormatienſi patruo dicti Regis, & cum aliis multis Principibus & Dominis rebellavit anno Domini 1025, cum Rex Conradus Heinricum adoleſcentem adoptivum filium ſuum Regem poſt ſe deſignaſſet, & ad Italiam pro benedictione Imperiali ire decreviſſet. Interventu Giſelæ Reginæ matris ejus Erneſtus Dux in gratiam Regis Conradi venit, cui & fidelitatem, & ſecum iturum promiſit. Accepta itaque Imperiali coronatione Romæ Conradus Imperator cum transalpinaſſet, expertus eſt Ducem Erneſtum conſilio Comitis Werenheri rebellare, quare eum bannivit, & terram & aquas ſibi interdixit. Coactus igitur in ſylvis Sueviæ habitare, in quibus ipſe Dux & Werenherus Comes cum aliis multis a fidelibus Conradi Imperatoris occiduntur XV. Cal. Septembris anno Domini 1030. Poſt cujus deceſſum Hermannus frater ſuus ei in Ducatu Sueviæ ſucceſſit.

Hermannus, Erneſti Senioris Ducis Sueviæ ſecundus filius, fratri ſuo ſucceſſit in Ducatu Sueviæ, cum Conrado Imperatore privigno ejus, & Domina Giſela Imperatrice matre ſua Romam ivit cum aliis Principibus multis. In reverſione autem propter aëris infectionem dictus Hermannus diem obivit cum multis aliis, cujus corpus ex Italia in curru in Ducatum ſuum Sueviæ allatum ibidem honeſtam accepit ſepulturam, anno Domini 1039.

Lepoldus, dictus *Pulcher*, Strenui Marchionis Erneſti filius, V. Marchio Auſtriæ, anno Chriſti 1075 interfecto patre ejus illico Marchiam Orientalem regere cœpit, & laudabiliter 21 annis gubernavit. Sed quia valde decorus corpore, elegans & venuſtus erat, ideo *Pulcher Leopoldus* communiter dicebatur. Hic bellum cum Wratislao primo Rege Bohemiæ, & fratre ejus Cunrado Marchione Moraviæ, & Bavaris habuit; ſed magnum damnum in militibus & miniſterialibus ſuis prope Meilperg ſuſtinuit. Inſuper Imperatori Heinrico Quarto ſororio ſuo, cum Beato Altmanno Epiſcopo Patavienſi & aliis pluribus Principibus rebellavit. Denique cum Hungaris pugnavit. Leopoldus, prout dictum eſt, proceræ ſtaturæ, pulcher aſpectu, morigeratus fama placuit Cæſari. Tunc [9] enim quidam fidigina, quem largiter donabat Leopoldus, dum ante ſe cantaret, cantu ſuo coram Cæſare laudabat Leopoldum: ex quo Cæſar deſiderans eum videre, convocavit Curiam de diverſis Principibus. Leopoldo autem disponebatur habitatio in domo Cæſaris, aliis ſecundum dignitatem hoſpitiis hinc inde receptis. Placuit autem in oculis Cæſaris, ideo ſibi filiam in uxorem dedit mirabilis pulchritudinis, quam ad propria duxit. Itaque Leopoldus etiam nuptias ſingulares in domo cum fratre ſuo celebrare volebat. Vocato fratre, ivit venatum ad capiendum cervum. Interim Albertus veniens, amore captus eſt in ſponſa fratris, quam vi oppreſſit, & receſſit. Cogitabat Leopoldus vindictam recipere de fratre ſuo Alberto, ſed habuit rem ut potuit celatam, fingendo ſe nihil de ea ſcire. Dictum eſt autem, ut Dux Poloniæ filiam ſuam daret Alberto; ad nuptias cujus Leopoldus invitatus, poſtulatos a ſocero ſuo a Rheno habuit ſecum milites. Sic venit, & prope Marperg vi oppreſſit ſponſam manifeſte, & receſſit. Igitur ex utraque parte acies ad conflictum ordinabant, cum magna effuſione ſanguinis. Victor fuit Leopoldus. Deinde Cæſar faciens pacem (quia ille clam, alter aperte vitium intulit) dictavit, ut Leopoldus flexis genibus a fratre ſuo cum 12 vexillis acciperet feodum Auſtriæ. Sic ſedata fuit diſcordia. Hæc tamen relinquo propter honeſtatem mulierum judicio Lectorum.

Præfatus Marchio Leopoldus cum curia ſua in caſtro Gars habitavit, & loco Canonicorum in Melico Monachos Ordinis S. Benedicti poſuit, & obiit anno Chriſti 1096, ſepultus in Melico apud patrem ſuum Strenuum Erneſtum. Uxor vero ſua Domina Itha honeſtiſſima vidua, filia III. Heinrici Imperatoris Comitis de

[1] *idem Sig. Birkenius addit*, & ſui ſucceſſores. [2] *Addit Birken.* ſuisque poſteris. [3] *Birken.* Banderiam. [4] *Birken.* IV. [5] *Birken.* V. [6] *Birken.* Türrimbuche. [7] *al.* bicarium, *ſeu* picherium, *id eſt*, calicem *ſeu* menſuram potoriam, *vulgo* ein Becher. [8] *leg.* Vitrico. [9] *leg.* Vitrico. *Aliſurdiſſimi iſtius figmenti falſitatem refellam habes in Præfatione noſtra generali.*

Kalbe, ſoror Imperatoris Heinrici IV, poſt obitum mariti ſui cum Themone Archiepiſcopo Saltzburgenſi, Guelfone Noricorum Duce Comite in Altorff, aliisque Principibus pluribus anno Chriſti 1101 mare ad ſepulchrum Domini tranſivit cum honeſto comitatu. Quam unus de Principibus Saracenorum rapuit, & impuriſſimo matrimonio ſibi copulavit, ex eaque Sangrinum ſceleratiſſimum illum progenuit.

Reliquit autem ex marito ſuo Marchione Leopoldo duos filios, ſanctum Leopoldum, & Popponem; & ſex filias, quarum unam accepit Ottocarus Senior Marchio Styriæ, qui ex ea genuit Marchionem Styriæ Leopoldum: Qui Ottocarus maritus ſepultus eſt in Monaſterio Geſten fundatione ejus, & filius Leopoldus in Monaſterio Rein fundationis ſuæ.

Secunda filia nupta fuit Leotoldo[1] Marchioni Moraviæ, filio Conradi Ducis Bohemiæ, qui ex ea genuit Conradum Juniorem. Hic patri ſuo Leotoldo ſucceſſit in Marchionatu Moraviæ, qui captus fuit a patruo ſuo Boleslao Duce Bohemiæ, ductusque in caſtrum Fischerad[2], poſtea tamen ab eodem ſolutus eſt. Prædictus Marchio Conradus expulit Ducem Bohemiæ Wladislaum, poſtea Regem ſecundum, quem Suevus Conradus Rex in Ducatum reſtituit, & Conradus Marchionatum Moraviæ retinuit.

Tertia nata, dicta Helpirgis, deſponſata fuit Borſinoyo Duci Bohemiæ, Wladislai I. Regis filio anno 1100, & ſolemnes nuptiæ in oppido Naem in præſentia plurimorum Principum ſunt celebratæ; qui ex ea Jeronimum procreavit. Hic cum Lothario Imperatore in Italiam cum 300 equis ivit. Dictus Borſinoyus Dux erat ſimplex & probus Princeps, in 15 annis tribus vicibus a Bohemia pulſus per patruos ſuos, Ulricum, Leotoldum, Zwatopligum & Ottonem, omnes quatuor Marchiones Moraviæ, etiam per proprium fratrem Wladislaum Ducem Bohemiæ, in prædictis 15 annis per ſex annos in captivitate detentus, & per aliquot in Polonia in exilio fuit. Anno Chriſti 1124 Borſinoyus Dux in Hungaria in exilio mortuus eſt, cujus corpus in Pragam delatum, in crypta S. Martini in eccleſia S. Viti ſepelitur.

Item Leopoldus Pulcher vocavit ex Bavaria in Auſtriam Comitem Conradum, dictum *Piloſum*, vulgariter den Rauchen, & N. filiam ſuam, & Comitatum Peylſtain cum omnibus attinentiis ei pro dote dedit: qui obierunt ſine hæredibus, & Comitatus idem e converſo provinciæ Auſtriæ ceſſit.

Item alia filia, N. Sighardo Comiti, dicto Schärſach, copulavit, & dedit ei Comitatum Schala cum omnibus attinentiis; & habuerunt liberos & nepotes, quibus defunctis Comitatus Provinciæ adjicitur.

Item N. aliam filiam deſponſavit cuidam potenti Domino, & donavit ipſi Ibs & Polenpeugen, & cuncta ad hæc duo dominia pertinentia. Horum autem trium generationem & ſepulturam ſilet Cronica.

Albertus, dictus *Facilis*[3], Strenui Marchionis Erneſti ſecundus filius, ſuam partem Auſtriæ cœpit regere anno 1075, & nuncupatus fuit *Albertus Landgravius Auſtriæ*. Habitavit in caſtro Pernegk, non longe a Gars. Fortis & bellicoſus Princeps, frater Leopoldi Pulchri. Uxorem habuit filiam Ducis Poloniæ, & nullum liberum. Bellum cum fratre ſuo Leopoldo in Mortperg, modo Meilperg, cum multa ſtrage & ſanguinis effuſione ex utraque parte habuit. Demum per Cæſarem & Principes cauſa fuit concordata, ut ſupra habetur. Hujus Landgravii Alberti temporibus Beatus Altmannus Patavienſis Epiſcopus fundavit Monaſterium Kotwicenſe. Præfatus Albertus Landgravius ſepultus eſt in Cœnobio Sanctæ Crucis in Capitulo.

Sanctus Leopoldus Marchio Auſtriæ, Leopoldi Pulchri primogenitus, cœpit regere Marchiam Orientalem mox poſt obitum patris anno Chriſti 1096, & rexit feliciter annis 40, & fuit Sextus Auſtriæ Marchio, pater miſerorum & orphanorum atque Clericorum, pietate præditus ſuper omnes Principes, ita ut *Pius* pro cognomento ab omnibus vocaretur. Etſi in pueritia puériles annos ageret, mentis tamen ſenectutem ſemper gerere viſus eſt, primumque litteris ex more imbutus, adoleſcens factus ſuæ pietatis ac ſanctimoniæ ſemper publicum perhibuit teſtimonium, carens vitiis, quibus ætas illa maculari conſuevit. Verbum malum de ore ipſius nunquam auditum eſt, mentiri atque jurare lingua ejus prorſus ignoravit, animum ejus adverſus vitia erectum nunquam ſuperbia extulit, avaritia inflexit, aut ira in furorem præcipitavit; ſed in omni ejus opere & ſermone quieta mens & placida ſervata eſt, ita ut ſemper cogitationibus ſuis Dei præſentia occurriſſe videatur. Erga pauperes miſericors, eccleſias ſæpiſſime devote viſitans, Eccleſiaſticos & Religioſos in maxima reverentia proſequens, peregrinis adjutoria adminiſtrans, miſerabilibusque viduis ac pupillis ſæpe aſſiſtens, nunquam requiſitus in adjutorium oppreſſorum ſe retrahens; ita ut omnis populus illius bonitatem, vitæ ſanctimoniam, moresque caſtiſſimos admiraretur. Militari gladio anno Domini 1104 accinctus virilibus annis, dehinc ſubſecutis Diviniæ benedictioni inſerviens, ad matrimonii Sacramentum, quod ad humani generis propaginem ſuperna benedictione inſtitutum extitit, hoc modo convolavit, volens reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, obedientiam condignam ſervans: Dum enim Rex Heinricus V contra patrem ſuum Imperatorem Heinricum IV inſurrexiſſet ad bellum, & non longe a Ratiſpona in ripa Regni fluminis uterque conſedisſet exercitus, ac quibusdam in ipſo ſibi invicem occurrentibus occiſis, Heinricus Junior omnes vires patris in Duce Bohemiæ Borſinoy ac in Marchione Leopoldo, cujus ſororem præfatus Dux habebat, fore conſpiciens[1], ipſos multis modis, promiſſa ſorore ſua, quæ tunc nuper a Friderico Suevorum Duce viduata fuerat, ex quo duos filios Conradum & Fridericum genuerat, in uxorem Marchioni, inductos, ambobus ut patrem relinquerent perſuaſit. Quibus recedentibus, Imperator cedere compellitur, & exhinc vires ejus minui, Juniorisque creſcere cœperunt. Acta

anno

[1] al. Leutoldo. [2] f. Wiſcherhad. [3] al. levis.

[1] leg. conſpiceret.

anno Domini MCV. Marchio itaque Leopoldus Agnetem mulierem caſtiſſimam, & nobiliſſimam Heinrici IV. Romanorum Imperatoris filiam prænominatam Divino nutu ſibi ſacro matrimonio copulavit anno Domini 1106, ſervans continentiam laudabilemque caſtimoniam, ante oculos ſemper habens, Matrimonium magnum eſſe in Deo & Eccleſia Sacramentum, in quo fides thori conjugalis & proles verum teſtimonium Divini nutus perhibent. Perſeverantes etenim in eadem fide & caſtimonia usque ad extremum vitæ exitum, & ſicut in vita unus ſpiritus & una caro fuiſſe noſcuntur; ita & morientes alter ad latus alterius conſepeliri voluit.

Legitur namque de eo, quod cum ad honorem Dei & animarum ſalutem Eccleſiam conſtruere & dotare decreviſſet, & locum pro conſtruenda eccleſia Deo placitum ſcire ex aliquo Divino indicio affectaſſet; ſtatim ſub quieto & tranquillo aëre ſurgens ventus validus flameolum capiti præfatæ Agnetis avellens, in longinquum ſuo impetu deportavit. Deinde elapſis 9 annis Marchio prædictus venationis actum exercens, flameolum capiti ſuæ conjugis avulſum (ut prædictum) ſuper frutice Sambuci invenit integrum & illæſum. Quod ut bonorum credulus pro Divino indicio loci conſtruendæ eccleſiæ gratanter accepit, locumque pro ædificio eccleſiæ diſponi fecit. Cum autem ab eo tanquam a Fundatore a cunctis coram aſtantibus exigeretur, ut fundamento Neuburgenſis Baſilicæ primum lapidem poneret; ipſe, ut erat Vir piiſſimus, omnino contradixit, & hoc a Clerico debere fieri dignum & juſtum conſtantiſſime affirmavit. Itaque ipſo jubente & præſente, Otto primus ejusdem loci Præpoſitus anno Dominicæ Incarnationis 1114. II. Id. Junii primum lapidem impoſuit in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſæ Virginis Mariæ, & poſuit illuc Canonicos Sæculares.

Hic Leopoldus bellum habuit cum Rege Hungariæ Stephano II, & eum de Auſtria vi compulit, & laudabilem triumphum de Hungaris obtinuit. Deinde anno Chriſti 1125 [1] fundavit Monaſterium Sanctæ-Crucis in Valle nemoroſa, Ordinis Ciſtertienſis S. Bernhardi, in cujus Capitulo patruus ſuus Albertus *Facilis* eſt olim ſepultus.

Hic Leopoldus habitavit cum curia ſua in caſtro Kalnperg. Defuncto autem Imperatore Heinrico V, Electores hunc Leopoldum, Fridericum Ducem Sueviæ, Lotharium Ducem Saxoniæ, & Carolum Comitem Flandriæ in Regem deſignarunt; ſed electio Lotharii prævaluit, cum quo in Italiam ivit.

Cum autem Otto primo [2] Præpoſitus Collegii Neuburgenſis eccleſiæ diem obiviſſet, pius Marchio Sanctus Leopoldus filium ſuum Ottonem adhuc Scholarem dictæ Eccleſiæ præfecit Præpoſitum, ſubſtituens ei Vicarium, Opaldum nomine. Dum vero idem Otto ex Pariſius ſecundo reverteretur, in Cœnobio Morimundenſi Monachum ſe fieri fecit. Sanctus Marchio pater ejus, cum jam videret locum filii vacare, & Eccleſiam Neuburgenſem Proviſorem non habere; ſicut Vir providus & Deo devotus, mittens invitavit in domum ſuam Venerabiles Viros Archiepiſcopum Salzeburgenſem Conradum de Abenſperg, Reymarum Epiſcopum Patavienſem, Romanum Epiſcopum Gurcenſem, & alias quam plures religioſas perſonas. Horum ordinatiſſimum ad Dei voluntatem conſilium ſecutus, Canonicos Sæculares, qui ſibi videbantur negligenter & nimis remiſſe agere, decentiſſime commutavit in Regulares Beati Auguſtini viam regiam & optimam formam tenentes. Anno Incarnationis Domini 1130 [1] eundem locum eis perpetuo tenendum poteſtativa manu tradidit, Præpoſitum eis præponens, eorundem Venerabilium Virorum conſilio, Præpoſitum Chiemenſem Hartmannum nomine, Virum ſanctiſſimæ vitæ, Deo & hominibus acceptum; ſed poſt aliquot annos in Brixinenſem Epiſcopum aſſumptus eſt. Hic primus Præpoſitus Regularis conſtitutionem omnino congruam ſcripſit, & ſcriptam legendam & imitandam ſuis Canonicis Regularibus reliquit. Habet autem hoc initium; *Sub teſtimonio Chriſti, & Eccleſiæ* &c.

Anno ab Incarnatione Domini MCXXXI [2] Indictione XV, III. Cal. Octobris dedicata eſt Baſilica Neuburgenſis a Venerabili Conrado Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; cooperantibus ſanctæ Sedis Patavienſis & Gurcenſis Eccleſiarum Epiſcopis Reymaro & Romano, in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & præcipue in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum Spirituum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & quorum Reliquiæ ibi reconditæ ſunt. De veſtimento Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus virtutum patrocinio privilegiata & fundata eſt, de aliis Reliquiis ibi contentis, & de Indulgentiis eidem Eccleſiæ conceſſis brevitatis cauſa pertranſeo pro præſenti. Hoc itaque ſolemne Monaſterium Neuburgæ Clauſtralis Beatæ Mariæ Virginis ſub Ordine Canonicorum Regularium B. Auguſtini usque in hodierna tempora famoſum atque glorioſum ſuper cuncta illius patriæ Monaſteria in laudabili obſervantia perſeverat. Donavit ſiquidem illi magnam patrimonii ſui partem, cujus rei teſtimonium perhibent irrefragabiles litteræ authenticæ donationis illius, quarum tenor ſequitur in hæc verba:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Leopoldus nobilis Marchio Orientalis, Fundator Eccleſiæ Neuburgenſis. Quoniam negotiis ſæcularibus impediti Deo per nos ad ſummum placere nequimus, eos, quos illi placitos, & maxime mundialibus ſtudiis exemptos probamus, diligere, congregare, conſovere, ac modis omnibus eorum quieti providere debemus operam dare. Hoc enim modo fit, ut & præſentis vitæ nobis incolumitas, temporum tranquillitas, pacis & omnimodæ ſalutis proſperitas arrideat nobis, & quæ ipſis in futuro ſunt in cœlis repoſita, non usquequaque privabimur bonis. Igitur ego Leopoldus Marchio Orientalis cum nobiliſſima

[1] *leg.* 1136. [2] *leg.* primus.

[1] *leg.* 1133. [2] *leg.* MCXXXVI.

conjuge Agnete, cum unanimi omnium filiorum & filiarum, noſtrarum conſenſione, omnium quorumcunque mortalium ſopita contradictione, Sigefridum & Prunricum, qui tunc præſentes erant, cum omni familia & poſſeſſionibus, quas vel ipſi, vel alii fideles tradiderant, cum Davidica devotione in ſimplicitate cordis mei lætus univerſa Deo & Eccleſiæ Neuburgenſi (quam ipſe in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ fundavi) obtuli, ut fratribus ſub regula S. Auguſtini Chriſto ſervientibus in perpetuum deſerviant. In qua traditione ſemel, bis, terque omnibus libera data facultas eſt requirendi, ſiquid ſui quisquam juris recognoſceret in omnibus his, quæ oblata ſunt. Sed nec vir, nec mulier, qui, quid contradicerent, inveniri potuerunt. Proinde in conſecratione ejusdem Eccleſiæ Baſilicæ Domino Conrado Saltzeburgenſi Archiepiſcopo, & Regimaro Patavienſi noſtro Diœceſano, & Romano Gurcenſi Epiſcopo cum Clero & populo, qui ea die in infinitum confluxerant, notificavi, quod locum prædictum cum poſſeſſionibus ſuis Sancto Petro, & beato Innocentio Apoſtolico ipſe obtuleram per manum Wolframi nobilis viri de Pubenkirchen. Quo legato in Piſenſem Synodum veniente, & coram Epiſcopis quinquaginta ſex delegata delegante, beatus Apoſtolicus in liberam defenſionem prædictam Eccleſiam ſuſcepit, & omnium unanimi Epiſcoporum, qui tunc aderant, banno & ſubſcriptione confirmatum pro libertate loci ejusdem nobis remiſit privilegium, quod etiam coram frequentia totius populi recitari feci. Huic rei teſtificantur Comites, & quique Nobiles Orientalis Regionis, Ottakarus Marchio Styrenſis, Dietricus de Grifanſtaine, Conradus de Pilſenſtaine [1] Gebhardus de Pingen cum fratre Adelberto & filio Herimanno, Luitoldus de Plengen & filius ejus Luitoldus, Egkebertus de Putonen, Sigehardus & Gebehardus de Purckenſem [2] Comites, Adalramus cum fratre Adalberto de Pergen, Otto de Lengenpach & Hartuicus Haidenricus quoque fratres ejus, Waltherus de Sancto-Andrea cum fratribus ſuis Adelramo de Epinperge Hertnico de Rudinche, Erneſto de Trieſino, Otto & frater ejus Valchim de Machlande, Heinricus de Simaningen, Rudolphus de Pechae. His itaque geſtis in talem ſententiam prædicti Pontifices aſſurgunt, poſſeſſiones huic traditæ Eccleſiæ Apoſtolico privilegio communitæ ſunt. Dominus enim noſter Apoſtolicus omnem invaſorem & raptorem hujus ſubſtantiæ anathemate damnavit. Vos quoque pauperes Chriſti regulam S. Auguſtini absque proprietate ſequentes, quietos ad Dei laudes eſſe volumus: & ideo Domini Apoſtolici ſententiam ſectantes, & quod cœpit perficientes, omnem invaſorem & raptorem a domo Dei, quæ eſt Eccleſia ejus, perpetuo anathemate ſeparamus, qui de vita eorum demere quidquam vel mutare, aut ſubſtantias eorum invadere vel diripere præſumpſerit, a die, qua Ordo illorum in generali Synodo Apoſtolico privilegio munitus, & poſſeſſio auctoritate Summi Pontificis eſt defenſata. Ad confirmationem omnium, quæ vel dicta vel geſta ſunt in hoc ſolemni negotio, hanc chartam proprio placuit inſigniri ſigillo, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCXXXVI, Indictione XV. III. Kal. Octob. in Chriſto feliciter acta ſunt.

[1] *al.* Pilſteine. [2] *leg.* Purkhauſen.

Per quæ omnia ſatis evidenter apparet, Deum Altiſſimum magnam gloriam cum illo feciſſe, ut ſic merito inter Sanctos & Electos Dei debeat annumerari, ac publice venerari.

Pius itaque Marchio S. Leopoldus; & ejus devotiſſima uxor poſt eum vidua conſepeliri ſimul volebant, prius tamen ſolemni pœnitentia præmiſſa cum vera cordis contritione, oris confeſſione & operis ſatisfactione, & omnibus ſignis veræ pœnitentiæ in illis concurrentibus, pectoris ſcilicet tunſione, lacrymarum emiſſione; & Chriſti nominis aſſidua invocatione, extremam pariter ſacram unctionem & animæ commendationem ſalubriter ac devote conſecuti, more non ſolum cujusque chriſtianiſſimi atque fideliſſimi ſervi Dei, ſed etiam cujusque utique ſanctiſſimi atque beatiſſimi. In quorum cujuslibet obitus die eorum ſepulchra a circumvicinis populis ſingulis annis viſitari conſuevere, illisque per manus Canonicorum Regularium ejusdem Monaſterii Neuburgenſis, in quo conſepulti jacent, magnæ & laudabiles elemoſinæ ſingulis advenientibus diſtribui hilariter conſuevere, panis utique atque vini, nec non & carnium, ſi dies illa in diem, qua carnibus veſcimur, incidit. Mortuus eſt igitur pius Leopoldus currentibus annis Domini 1136, die 15. menſis Novembris. Qui ſicut cum cunctorum hominum in partibus converſantium gratia & benivolentia admirabili ſemper vixerit; ita moriens cunctos mœſtos non mediocriter dereliquit, perampliusque dolore non vulgari plurimoque luctu patria illa ſe deſolatam prorſus deputaſſet, niſi Miraculorum coruſcatio, & proles magnis virtutibus & gratiis illuſtrata illi ſucceſſit. Eſt autem Sanctorum Catalogo inſcriptus & canonizatus per Papam Innocentium Octavum anno ſalutis 1485. in feſto Epiphaniarum ſub Friderico III. Romanorum Imperatore &c. Romæ in publico Conſiſtorio, cujus feſtum celebratur 15. die Novembris.

Devotiſſima Domina Agnes, Pii Imperatoris Heinrici III. Comitis de Calve in Suevia neptis, Imperatoris Heinrici IV. filia, Heinrici V. ſoror, Friderici Ducis Sueviæ & Conradi Regis genitrix, ſoror Limpurgis Conjugis Marquardi Senioris Ducis Karinthiæ & Marchionis Styriæ, & Dominæ Sophiæ uxoris Salomonis Hungariæ Regis ſoror. Hæc Domina Agnes a patre ſuo Imperatore IV. fuit primum deſponſata Friderico de Hohenſtauffen, qui a ſocero ſuo fuit Dux Sueviæ creatus, & ex ea Fridericum Ducem Sueviæ, & Conradum Ducem Franconiæ poſtea Regem Romanorum procreavit, & mortuus eſt. Item Fridericus Dux Sueviæ, primogenitus Dominæ Agnetis, ex Juditha Duciſſa Bavariæ genuit Fridericum Ducem Sueviæ, poſtea Imperatorem, dictum Barbaroſſa; & Conradum Comitem Palatinum Rheni.

Item Conradus Rex ex Gertrude Comitiſſa de Sulzpach, ſecundo natus, Hainricum Regem Romanorum, & Fridericum Ducem Sueviæ genuit.

Item Imperator Fridericus I. Barbaroſſa, nepos Dominæ Agnetis, quinque filios habuit, Heinricum VI. Romanorum Imperatorem, Apuliæ,

Apuliæ, Siciliæ Regem, & Sueviæ Ducem; Fridericum Ducem Sueviæ; Ottonem Comitem Biſuntinum in alta Burgundia; Conradum, poſt mortem Friderici Ducem Sueviæ; & Philippum Romanorum Regem, poſt obitum Heinrici Imperatoris fratris, Ducem Sueviæ.

Item Heinricus VI. Imperator genuit Fridericum II. Imperatorem Romanorum, Hieruſalem, Apuliæ & Siciliæ Regem, Ducem Sueviæ, qui habuit octo filios, quatuor legitimos, & quatuor illegitimos. Heinricus primogenitus legitimus, Rex Romanorum, Dux Sueviæ. Secundus Eviſius alter legitimus filius, quem Conſtantia Arragonum Regis filia ſibi pepererat, a Bononienſibus, quorum infeſtabat agrum, occiſus eſt. Margaretha ejus uxor, filia Leopoldi Ducis Auſtriæ (quam demum Viduam Ottacarus Bohemus duxit) ex qua habuit Fridericum & Heinricum, qui in Apulia veneno perierat. Jordanus tertius legitimus obiit in juventute. Conradus Quartus filius legitimus, Romanorum, Jeruſalem, Apuliæ & Siciliæ Rex, Dux Sueviæ: ex uxore ſua Elizabeth filia Ottonis Ducis Bavariæ genuit Cunradum Ducem Sueviæ prædictorum regnorum hæredem, qui Apuliæ [1] 1269 decollatur a Carolo Comite Provinciæ, poſtea Rege Apuliæ & Siciliæ, fratre S. Ludovici Regis Franciæ, occaſione ſuorum regnorum hæreditariorum. Hic Conradus ultimus Dux Sueviæ, 18 annorum, ſepultus Apuliæ [2] apud albos fratres. Hæc de quatuor legitimis filiis Friderici II. ſequitur nunc de quatuor illegitimis. Quorum primus Fridericus Rex Tuſciæ, ſecundus Ecius Rex Lambardiæ, tertius Rex Hainricus Sardiniæ, quartus Manfredus Rex Siciliæ & Apuliæ ut curator.

Sane ſæpe dicta Domina Agnes poſt mortem Senioris Friderici Ducis Sueviæ de Hohenſtauffen a fratre ſuo Hainrico V. Imperatore fuit ſecundo deſponſata Sancto Leopoldo pio Marchioni Auſtriæ, duos de viginti ſibi liberos legitimos edidit, quorum ſeptem, duos mares, & quinque femellas tempore infantiæ quidem de medio ſublatos ſinus cœleſtis excepit, ſepultos in Capitulo Neuburgenſi. Undecim vero qui ſupervixerunt, videlicet ſex filii, & quinque filiæ ad honores temporalium rerum non modicos ſunt promoti. Item Heinricus III. avus, Heinricus IV. pater, Heinricus V. frater Imperatores Agnetis ſepulti ſunt Spiræ. Fundarunt in Suevia hæc Cœnobia, Ordinis S. Benedicti: Hirſau, Reichenpach & Zwifalten. Fridericus Dux Sueviæ Senior, Dominæ Agnetis primus conjunx, fundavit Monaſterium Loricenſe, Ord. S. Benedicti, ubi cum parentela ſepulturam habet; ſecundum Monaſterium, dictum Madelperg, Ordinis Præmonſtratenſis. Ipſa Domina Agnes feliciter defuncto Sancto Leopoldo ſecundo marito ejus aliquot annis ſupervixit, demum ſepulta in capitulo Neuburgenſi apud maritum, relinquens quinque filios, & quinque filias.

Quarum primogenita Berchta a genitore ſuo Heinrico Burggravio Ratisbonenſi fuit legitime deſponſata.

[1] *leg.* Neapoli. [2] Neapoli.

Secunda Agnes Boleslao Duci Poloniæ nupſit.

Tertiam Gertrudam Wladislaus Dux Bohemiæ ſibi copulavit, qui ob meritum uxoris, & nobilium parentum ejus, ac ſuorum ſtrenuorum militarium actuum ab Imperatore Friderico I. regio diademate coronatus fuit, & Ducatus Bohemiæ in regnum mutatus eſt. Wladislaus Rex cum in expugnatione Mediolanenſi egregiam operam navaſſet, Imperatori mirifice gratam; Leonem rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris inſigne regium accepiſſe [1], candelabrum quoque Salomonis ex Mediolano aſportatum in eccleſia S. Viti Pragenſi recondiſſe; pontem ſuper Multaviam, quo Vetus Praga minori jungeretur, magni operis ædificaſſe (quam Ratisbonenſi præferunt) in quatuor & viginti arcus. Præfata autem Gertruda ex Wladislao Rege tres filios peperit, Fridericum Ducem Bohemiæ, & Primislaum Regem Bohemiæ, ac Albertum Archiepiſcopum Salzburgenſem. Obiit 1199. Wladislaus autem Rex cum conjuge Gertruda ſunt ſepulti in Monaſterio Sion, quod fundarunt.

Quartam Eliſabeth Hermannus nobilis & dives Lantgravius de Saxonia duxit uxorem.

Jutha vero quinta filia, quæ *bonitas* vocabatur, nobili Marchioni Regengero de Monteferrato in Lambardia matrimonio juncta extitit. Hæc de filiabus S. Leopoldi.

Poppo Archiepiſcopus Treverenſis, filius Leopoldi Pulchri Marchionis Auſtriæ, & frater S. Leopoldi. Cum autem Pio Leopoldo ex Hungaria, Bohemia & Bavaria bella imminerent, & ab hoſtibus plura ſuſtineret damna in terra ſua; fratris ſui Popponis Archiepiſcopi auxilium petiit. A quo ſibi in auxilium ex territorio Treverorum miſſus eſt potens conſanguineus ſuus nobilis Azo, vir virtuoſus & animoſus, cum notabili militia. Qui in Auſtriam deſcendens, magnifice cum gaudio a Pio Leopoldo ſuſceptus, ac Marſallus eſt conſtitutus. Cum vero hoſtes ad damnificandum accederent, Azo Marſallus, & S. Leopoldus ſecum cum exiguo exercitu ingentem adverſariorum multitudinem ſtraverunt, quorum multi in fugam verſi in fluvio, dicto Marich, ſubmerſi ſunt, & Auſtria quiete pacificata eſt. Deinde ipſe Azo eſt a S. Leopoldo uxoratus, & hæreditarius Pincerna Auſtriæ conſtitutus, a quo plura genera Comitum, Nobilium & Baronum Auſtriæ deſcenderunt: de Kunring, de Suinneberg, de Valkenberg, de Puchperg, de Miſtlpach, Winkler, de Volkenſtorff, de Schönberg, de Starchkenperg, de Liechtenſtain, de Pottendarff, de Perchtoltsdarf, de Weittra, de Tirnſtain, de Walſee, de Krey, de Wittingau, de Kranichperg, de Capell, de Hochenperg, de Ottenſtain, de Velsperg, ac aliæ potentes genealogiæ, quarum plures defecerunt. Poppo ſiquidem Archiepiſcopus Treverenſis Epiſcopatum ſuum laudabiliter multis annis in bona pace rexit, ibidem ſepultus.

Albertus S. Leopoldi primogenitus, Vir utique timoratus, Deo & Eccleſiæ devotus, religio-

[1] *deeſt in MS.* fertur, *aut ſimile quid.*

nisque verus amator; qui anno Domini 1125 cum aliis 112 Nobilibus accinctus gladio, Neuburgensis Ecclesiæ, & omnium Claustrorum in Marchia existentium advocatia honestatus. Habuit insuper uxorem, filiam Ducis Almi, sororem Belæ cæci Regis Hungariæ, qui eam sibi desponsaverat. Porro cum Dux Boricius, II. Stephani Regis Hungariæ ex parte matris frater, insurgeret contra Belam cæcum Regem Hungariæ, Illustris Marchio Albertus cum sua militia ex Austria sororio suo Regi Belæ in auxilium venit. Cum vero dictus Boricius ex adverso in primo cumulo Teutonicos audiret, territus fugam iniit una cum Duce Poloniæ, qui sibi in subsidium venerat, & in fuga multi compressi & mactati sunt; & ita Rex Bela adjutorio Marchionis Alberti triumphavit. Hic Albertus Marchio paulo post mortem genitoris sui S. Leopoldi sine liberis diem obivit anno Domini 1136, sepultus in Capitulo Neuburgensi apud patrem & matrem suam Dominam Agnetem.

Heinricus, dictus vulgariter *Jochsamergoit*, S. Leopoldi pii Marchionis Austriæ secundus filius, a patre minus diligebatur, quam alii fratres: qui diutius omnibus vixit, & in excellentiores sæculares honores, quam alii fratres, ascendit. Et cœpit regere Marchiam Austriæ mox post obitum fratris sui Leopoldi Ducis Bavariæ anno Domini 1142, & rexit eam laudabiliter 35 annis, Princeps honestus & timoratus. Huic Conradus Rex, frater uterinus, post obitum fratris sui Leopoldi Ducis Ducatum Noricum concessit, quem consilio matris Ducis Heinrici filio jam abdicaverat. Rex itaque Saxoniam ingressus, pacemque cum Saxonibus faciens, Gertrudim, viduam Ducis Heinrici Superbi, filiam Lotharii Imperatoris Romanorum, Ducis Saxoniæ & Brunswicæ, ei in uxorem dedit, quæ in secundo post anno defuncta est, & non habuit hæredem ex isto Heinrico Duce conjuge suo secundo. Hic Heinricus, Austriæ Marchio octavus & ultimus, rexit eam sub Marchionatus titulo 14. annis; Conradumque ejus nominis Secundum [1] Regem Romanorum in Asiam cum expeditione pro tuitione Christianæ religionis in Terra Sancta, una cum Ludovico Rege Franciæ, Ottone Episcopo Frisingensi fratre ejus ex utroque parente, aliisque Principibus multis secutus est anno 1147, & in reversione in tertio anno Græciam applicuerunt, & Constantinopolim venerunt: ubi Domina Theodora cognata Emanuelis Imperatoris Græcorum per eum Hainrico Duci Bavariæ & Marchioni Austriæ in præsentia Regis Conradi fratris sui ex parte matris, multorumque Principum desponsata est anno Christi 1149. Qui ex ea genuit duos filios, Leopoldum Virtuosum, & Heinricum de Medling, & Agnetem: quæ a patre suo desponsata fuit Tertio Stephano Regi Hungariæ, quæ obiit sine liberis, sepulta Wiennæ apud parentes in Choro Scotorum. Sane post multas interlocutiones & Diætas Hainricus Bavariæ Dux Marchio Austriæ Ducatum Bavariæ, in quo annis 14 ducavit, Juniori Hainrico Duci Saxoniæ vero hæredi non longe a Ratispona resignavit. Quo-

[1] *leg.* tertium.

A circa idem Hainricus Junior sibi duos Comitatus in terra supra Anesum dimisit, & Fridericus Imperator in præsentia Wladislai Ducis Bohemiæ, aliorumque multorum spiritualium & sæcularium Sacri Imperii Principum pacem Australibus dedit, suppresso *Marchionatus* nomine, provinciam Austriæ ad Ducatus præeminentiam evexit, terramque ipsam magnis & singularibus honestavit privilegiis, quorum tenor sequitur, & est talis:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, nec ea, quæ legitime geruntur, ulla possint retractione convelli; tamen ne inde rei gestæ ulla B *possit esse dubietas, Imperialis debet intervenire auctoritas. Noverint igitur omnes Christi, Imperiique nostri fidelium præsens ætas, & futura posteritas, qualiter Nos ejus cooperante gratia, a quo cœlitus missa est hominibus pax* [2] *super terram, in humili nostra curia Ratisbonæ, in nativitate Sanctæ Mariæ celebrata, in præsentia multorum religiosorum & Catholicorum, litem & controversiam, quæ inter carissimum nostrum patruum Hainricum Ducem Austriæ, & inter nepotem nostrum carissimum Hainricum Ducem Saxoniæ diu agitata* [3] *super Ducatum Bavariæ, & super Marchiam a superiore parte Anesi fluminis, terminavimus hoc modo: Quod Dux Austriæ resignavit Ducatum Bavariæ & dictam Marchiam, quos tenebat. Qua resignatione facta, mox eundem Ducatum Bavariæ contulimus in beneficium Duci Saxoniæ. Prædictus vero Dux Saxoniæ* C *cessit & renuntiavit omni juri & actioni, quas habet ad dictam Marchiam, cum omnibus juribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui nostri carissimi aliquatenus minuatur, de consilio Principum, Illustri Wladislao Duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam cæteri Principes approbant, Marchionatum Austriæ, & dictam Marchiam super Anesum commutavimus in Ducatum; eundemque Ducatum cum supra dictis juribus, privilegiis & gratiis omnibus liberalitate Cæsarea contulimus prædicto Hainrico patruo nostro carissimo, ac prænobili suæ uxori Theodoræ, & liberis eorundem, ob singularem favorem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Hainricum Austriæ* [3] *ejusque conthoralem prænobilem Theodoram, & eorum successores, erga terram Austriæ, quæ* clypeus & cor sacri Imperii Romani esse dinoscitur, *afficimur. De* D *consilio & consensu Principum Imperii dictis conjugibus, eorum in eodem Ducatu Successoribus, nec non præfatæ terræ Austriæ subnotatas concessiones, constitutiones & indulta auctoritate Imperiali in jura plena & perpetua redactas, donavimus liberaliter vigore præsentium, & donamus. Primum quidem, quod Dux Austriæ quibusvis subsidiis seu servitiis non tenetur, nec esse debet obnoxius Sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui arbitrii faceret libertate, & excepto duntaxat, quo Imperium juvare tenebitur in Hungariam cum 12 viris armatis per mensem; verum in expensis propriis, in ejus rei evidentiam, ut Princeps Imperii esse dignoscatur:*

[2] *deest hæc vox pax in MS.* [3] *deest* est. [3] *supple* Ducem.

ſcatur: Nec pro conducendis feodis requirere ſeu accedere Imperium extra metas Auſtriæ; verum in terra Auſtriæ debent ſibi feoda ſua conferri per Imperium & locari. Quod ſi ſibi denegaretur ab Imperio, requirat & exigat litteratorie trina vice: quo facto juſte ſua poſſidebit feoda, ſine offenſa Imperii, ac ſi ea corporaliter conduxiſſet. Dux etiam Auſtriæ non tenetur aliquam Curiam accedere edictam per Imperium, ſeu quemvis alium, niſi ultro & de ſua fecerit voluntate. Imperium quoque nullum feodum habere debet in Ducatu Auſtriæ. Si vero Princeps aliquis, vel alterius ſtatus perſona nobilis vel ignobilis, cujuscunque conditionis exiſtat, haberet in dicto Ducatu poſſeſſiones ab ipſo jure feodali dependentes; has nulli locet, niſi eas prius conduxerit a Duce Auſtriæ memorato. Cujus contrarium ſi fecerit, eadem feoda ad Ducem Auſtriæ devoluta libere ſint tunc jure proprietatis & directi Dominii: Principibus Eccleſiaſticis & Monaſteriis exceptis in hoc caſu. Cuncta etiam ſæcularia judicia, bannum & ſylveſtrium & ferinarum, piſcinæ & nemora in Ducatu Auſtriæ debent jure feodali a Duce Auſtriæ dependere. Etiam debet Dux Auſtriæ de nullis oppoſitionibus, vel objectis quibuscunque, nec eorum [1] Imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam reſpondere, niſi id ſua propria voluerit facere voluntate: ſi voluerit unum locare, poterit de ſuis vaſallis ſeu homogiis [2], & coram illo ſecundum terminos præfixos parere poteſt & debet juſtitiæ complemento. Inſuper poteſt idem Dux Auſtriæ, quando impugnatus fuerit de aliquo duello, per unum idoneum non enormitatis macula retentum vices ſuas prorſum ſupplere: & Domino [3] ipſius eadem die ſeu Princeps ſeu alius quisquam pro alicujus nota infamiæ non poteſt impetere, nec debet impugnare. Præterea quodcunque Dux Auſtriæ in terris ſuis ſeu diſtrictibus fecerit vel ſtatuerit, hoc Imperator nequit, [4] alia potentia modis ſeu viis quibuscunque non debet in aliud quid quoquo modo in poſterum commutare. Et ſi (quod Deus avertat) Dux Auſtriæ ſine hærede filio decederet; jam [5] Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit, devolvitur. Inter Duces Auſtriæ, qui ſenior fuerit, Dominium Auſtriæ teneat, ad cujus etiam filiam ſeniorem Dominium jure hæreditario deducatur: ita tamen, quod ab ejusdem ſanguinis ſtipite non recedatur, nec Ducatus Auſtriæ ullo unquam tempore diviſionis alicujus recipiat ſectionem. Siquis in dicto Ducatu reſidens, vel in eo poſſeſſiones habeat [6] fecerit contra Ducem Auſtriæ occulte vel publice, eſt dicto Duci in rebus & corpore ſine gratia condemnatus. Imperium dicto Duci Auſtriæ contra omnes ſuos injuriatores debet auxiliari & ſuccurrere, quoad juſtitiam aſſequitur. Dux Auſtriæ, principali amictus veſte, ſuppoſito Ducatus pileo, circumdato ſerto pinneato, baculum habens in manibus, equo aſſidens, & inſuper more aliorum Principum Imperii, conducere feoda ſua ab Imperio debet. Et poteſt in terris ſuis omnibus tenere Judæos, & uſurarios publicos, quos vulgo vocant Gaverſtlun, ſine Imperii moleſtia & offenſa. Siquibus curiis Imperii Dux Auſtriæ præſens fuerit, unus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus. Et nihilominus in conſeſſu & inceſſu ad latus dextrum Imperii poſt Electores Principes obtineat locum primum. Dux Auſtriæ demandandi & deputandi terras ſuas, cuicunque voluerit, habere debet poteſtatem liberam, ſi (quod abſit) ſine hæredibus liberis decederet, nec in hoc per Imperium aliqualiter debet impediri. Præfatus quoque Ducatus Auſtriæ habere debet omnia & ſingula jura, privilegia & indulta, quæ obtinere reliqui Principatus Imperii dinoſcuntur. Volumus etiam quod ſi diſtrictus & ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint, ex hæreditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusvis aliis devolutionibus, ſucceſſionibus; præfata jura, privilegia & indulta ad augmentum dicti dominii Auſtriæ plenarie referantur. Et ut hæc noſtra Imperialis conſtitutio omni ævo firma & inconcuſſa permaneat, præſentes litteras ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri, adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt: Pilgerimus Patriarcha Aquilejæ, Eberhardus Salzeburgenſis Archiepiſcopus, Otto Friſingenſis, Conradus Patavienſis, Eberhardus Bambergenſis, Hartmannus Brixinenſis, Hartwicus Ratisbonenſis, N. Tridentinus Epiſcopi. Guelfo Dux, Conradus frater Imperatoris, Fridericus filius Regis Conradi, Hainricus Dux Carinthiæ, Marchio Engelhardus de Hyſtria, Marchio Adalbertus de Staden, Marchio Diepoldus, Hermannus Comes Palatinus de Rheno, Otto Comes Palatinus & frater ejus Fridericus, Eberhardus Comes de Sulzpach, Rudolphus Comes de Schweinhunt, Engelbertus Comes Halleniſis, Gebehardus de Purchhauſen, Comes N. Comes de Pilſtain, & alii multi. Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Et ego Reinaldus Cancellarius vice Arnolphi Maguntini Archiepiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi. Regnante Friderico Romanorum Imperatore ſemper Auguſto in Chriſto. Datum Ratisbonæ XV. Cal. Octobris, Indictione IV. anno Dominicæ Incarnationis MCLVI. feliciter; anno regni ejus V. Imperii II.

Ecce quam glorioſa præ aliis Imperii Principibus privilegia Illuſtris Dux Hainricus ſibi & ſucceſſoribus ſuis magnifice ab Imperatore Friderico invictiſſimo obtinuit. Inter quæ, ut in pileo Ducali ſertum ferat, & feoda in terra ſua equeſter accipiat. Alia patent ſufficienter in præſcripto privilegio. Hic Hainricus Dux Auſtriæ, dum Fridericus Imperator anno Domini 1158 ſecundam expeditionem in Italiam contra Mediolanenſes moveret, obſideret, & tandem 1162 eam caperet, ingens adjutorium contra hoſtes præbuit. Hainricus ipſe nobile Monaſterium apud Wiennam erexit, quod S. Mariæ Scotorum appellavit, Ordinis S. Benedicti, multaque bona illi conceſſit: in quo regularis obſervantia diu exacteque ſervata eſt, quoniam plures ibidem Monachi vitæ ſanctimonia claruerunt. Item ampliavit civitatem Favianam, quæ modo Wienna nuncupatur, & primum caſtrum ædificavit in curia, in loco ubi nunc Monaſterium B. Mariæ fratrum de Carmeli monte conſtitit, & ibidem habitavit, cæterasque civitates, oppida & caſtra Auſtriæ auxit, & in meliorem ſtatum reduxit. Item Cœnobio Sanctæ Crucis in Valle nemoroſa Munkendorff & Sigenfeld donavit, & quod genitor ſuus Divæ memo-

[1] *legendum videtur* coram. [2] *vitioſe pro* homoligiis, *ſeu* homologis, *id eſt*, Vaſallis, *vel etiam* Colonis. Vid. Gloſſarium Cl. Cangii col. 862. & ſeq. [3] *legendum videtur* Dominum. [4] *videtur deeſſe vox* aut. [5] *ſ.* idem. [6] *leg.* habens.

riæ S. Leopoldus ædificare cœpit, ipſe complevit. Item duo bella cum Secundo Geyſa Rege Hungariæ in campo apud fluvium Lutacha ſudavit. Item cum Guelfone Seniore in Bavaria pugnavit. Item cum Ottakaro Juniore Styriæ Marchione. Inſuper cum Sobieslao Duce Bohemiæ: Hungari etenim & Bohemi multa damna Auſtriæ incendiis & prædis temporibus hujus Hainrici Ducis intulerunt. Hic Dux Hainricus Jochſamergot cecidit de equo, poſt quem caſum in brevi annis plenus ad vitam aliam migravit feliciter anno Domini MCLXXVII, ſepultus Wiennæ in choro apud Scotos in ejus fundatione. Domina autem Theodora vidua ſua diem obivit anno Chriſti 1182, ſimiliter Domina Agnes filia eorum, ambæ ſepultæ ſunt apud dictum Ducem Heinricum felicis recordationis apud Scotos, & reliquerunt duos filios, Leopoldum & Heinricum, de quibus infra ſuo loco dicetur.

Leopoldus, dictus *Junior & Largus* S. Leopoldi Pii Marchionis filius tertius. Cumque plus amaretur a patre, præpoſitus fuit in regimine fratri ſuo Heinrico Jochſamergott. Cœpit regere Marchiam Auſtriæ anno Chriſti 1136, ſtatim poſt patris & fratris ſui Alberti obitum, Princeps animoſus, ſeptimus Marchio Orientalis, rexit Marchiam annis ſex. Anno Domini 1139 Conradus Rex Bavariam ingreſſus, fratri ſuo uterino Marchioni Leopoldo Ducatum Noricum conceſſit. Qui omnibus pæne Baronibus ad eundem Ducatum pertinentibus, amore ſeu terrore ad eum confluentibus, primo metropolim ac Sedem Ducatus Ratisponam ditioni ſuæ ſubdidit. Poſt collecto milite copioſo, ſuperiores partes Bavariæ tranſiens, in ipſo ejus termino juxta Lycum fluvium contra urbem Auguſtenſem negotia terræ per triduum tractans, ſtrenuum Judicis officium exercuit; ſed amiſſis aliquot de ſuis, feſtinanter revertitur. Dum vero anno MCXL. in Idibus Auguſti in obſidione caſtri Valaya duorum fratrum, qui ſoli ex Noricis Baronibus in parte expulſi Ducis Heinrici, dicti *Superbi*, ſteterant, incaute moraretur; ſuperveniens Guelfo frater ejusdem ex improviſu fortiſſime pugnando, cæſis ex utraque parte pluribus, multis captis, ipſum Ducem Leopoldum ignominioſe fugere coëgit. Ipſe enim Guelfo præfatum Ducatum jure hæreditatis ad ſe ſpectare proclamans, dum Juſtitiam apud Regem Conradum impetrare non poſſet, ad rebellionem ſe parat. Ob hoc Rex circa idem tempus caſtrum ejus Weinſperg obſedit, quem Guelfo collecto milite in die S. Thomæ Apoſtoli, dum incaute pugna aggredi attentat, amiſſis aliquot, multis captis, cum paucis fugit e prælio. Non multo poſt Leopoldo in urbe Ratisponа civilia jura diſponente, ex Palatini Comitis de Witteln ſpach Ottonis importunitate ſeditio oritur. Dux cum ſuis populo circumquaque concurrente, arma arripuit, ſuccenſisque aliquibus urbis vicis, civibus tam armorum quam incendii metu diſcurrentibus, periculum evadens urbe receſſit; ac vaſtatis in circuitu agris, ad tempus inde divertens, collecto milite non longe a civitate caſtra poſuit, tandemque terrore perculſos pecuniæ pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus a Guelfone ſibi apud Velaya caſtrum, quod modo Ahaimſtain nominatur, illatum ulciſci ſtatuens, armata manu ad Lycum usque progreditur: ibique deſtructis quorundam inimicorum munitionibus, cunctisque circumquaque vaſtatis, per fines Eccleſiæ Friſingenſis cum multo ejusdem Eccleſiæ detrimento revertitur.

Dictus Dux Leopoldus Monaſterium Gottuicenſe ſuis bonis locupletavit. Cœnobio Sanctæ Crucis Drumaw & Tallern cum vineis, pratis, ſylvis & piſcationibus donavit. Anno 1138 huic Leopoldo fuit deſponſata Maria filia Ducis Bohemiæ Sobieslai, filii Wladislai II. Regis Bohemorum, a patre ejus, quæ obiit ſine liberis. Poſt varios quippe bellorum curſus Dux Leopoldus victor evadens, Ratisponæ infirmatus, ductus in Cœnobium Inferius Altach, Patavienſis Diœceſis, anno Ducatus ſui quarto diem obivit anno Chriſti 1142. Cujus corpus in Auſtriam delatum, in Monaſterio Sanctæ Crucis, quod pater ejus conſtruxerat, in capitulo tumulatum fuit: eique in Marchia Orientali & Bavariæ Ducatu frater ejus Hainricus ſucceſſit, de quo ſupra dictum eſt.

Erneſtus, dictus *Adoleſcens*, S. Marchionis Leopoldi Pii quartus filius, pulcher ac ſpecioſus adoleſcens 18 annorum, cujus fama ad Rhenum usque volavit, omni venatione delectabatur. In flo rida juventute mortem cum vita commutavit, ſine uxore & liberis, ſepultus in capitulo Sanctæ Crucis apud fratrem ſuum Leopoldum Ducem.

Otto quintus filius S. Leopoldi Pii Marchionis, doctiſſimus, religioſus ac beatus Epiſcopus Friſingenſis, cui a pueritia ipſa ſemper religionis ſtudia placuerunt. Ut primum litteras edidicit latinas, Ottone primo Neuburgenſis Eccleſiæ Præpoſito defuncto, eidem Eccleſiæ in Præpoſitum præfectus. Mox dehinc in Pariſius miſſus apud celebrem illam ſcholam, & toto orbe famoſam liberales artes edocuit. Unde dum poſt aliquot annos rediret, Eccleſiam ſuam, videlicet Neuburgenſem veneratus, ei attulit pretioſiſſimas Reliquias, quas feſtiva populi & Cleri proceſſione Marchio pater ejus ſuſcipiens, venerabiliter ſuper aram S. Mariæ, ut curatiſſime ſervarentur, deportari fecit. Ut autem eidem Eccleſiæ perpetuo manerent, nomen Reliquiarum (ut dicitur) prodere noluit. Paucis vero diebus domi demoratus ad ſcholas rediit, de propria camera ex redditibus Eccleſiæ, cui præerat, datis, ſtudii cauſa ſtipendiis: ibi ipſam totius vitæ magiſtram ſectatus Philoſophiam, denique altiſſimæ Theologiæ ediſcendis arcanis totum ſe tradidit. Quibus in rebus cum reliquis ſui ævi doctiſſimis Viris præſtare videretur, dum ad propria redire parat, ad Ciſtercienſes Monachos ſe contulit in Cœnobio Morimundi, ubi pernoctaverat cum aliis quindecim electiſſimis Clericis, profeſſus regularem diſciplinam induit, ſtatimque eorum aſſequi magiſterium meruit, quorum ante diſcipulus fuerat. In Monaſterio Morimundenſi Abbas

¹ *leg.* didicit.

ordi-

ordinatur, reliqui vero omnes ſocii ſui in diverſas dignitates promoti ſunt, quorum unus, Fridericus nomine, in Abbatem Paumgartenpergenſem, & deiu in Hungaria in Epiſcopum electus fuerat. Quo audito S. Leopoldus pater ejus Eccleſiam Collegiatam Neuburgenſem in Regularem mutavit, ut ſupra habetur. In præfato Monaſterio ipſe Dominus Otto multa laudatiſſimæ ſuæ converſationis documenta relinquens, ad Eccleſiam Friſingenſem invitus vocatus, Pontificem clariſſimum geſſit, diſtracta prædia vendicavit, ædificia reſtituit, religionem, quæ pene perierat, in priorem erexit formam, tantaque illi Eccleſiæ bona contulit, ut fundator ejus magis quam inſtaurator putaretur.

Hic cum Rege Conrado Suevo, ejus nominis Secundo [1], in Græciam Syriamque profectus bellis omnibus interfuit, quæ cum Turcis Sarracenisque ſeu ſecunda ſeu adverſa geſta ſunt, conſilioque & armis rem Chriſtianam juvit. Vidit Jeroſolymam, & ſacram Domini tumbam Salvatoris, ipſeque in Jordane lavari meruit; neque in tot curis, totque laboribus ſtudia litterarum neglexit, in otio negotium, in negotio otium ſectatus. Hiſtoriam iamque ab ortu mundi usque in ſua tempora non inutilem deduxit, atque in octo digeſſit libros; quorum ſeptem magnam Germanicarum rerum notitiam reddunt; Octavus ſupernam Chriſti Civitatem pulchre peritèque figurat. Eccleſiarum cauſas, pupillos viduasque, & omne oppreſſorum hominum genus apud Imperiale tribunal tutatus eſt indefeſſe. Siquidem invictiſſimo Imperatore Friderico patrueli ſuo in Italicam expeditionem iter agente, cum & ipſe ſic neceſſarius & perutilis Imperii negotiis ire debuiſſet; nutu Divino contigit ipſum iter retractare, ut Vir religioſus inter manus fratrum orantium potius, quam inter ſtrepitus præliantium expiraus dicere poſſit; Domine ſuſcipe me, ut cum fratribus meis ſim, cum quibus &c. Benigne vero ab Imperatore dimiſſus, multis gemitibus commiſſam ſibi ſuæ benignitati commendavit Eccleſiam, ac quodam ſpiritu prophetico de fine ſuo præſcius, ne poſt mortem ſuam ipſam aliquo modo gravaret in libertate electionis (ut jam ſæpius in aliis Eccleſiis factum eſſe dicebatur) eam nullo modo privare poſtulavit, atque ſuper hoc fide accepta ad propriam ſedem rediit. Salutatis fraterna caritate mediaque intime fratribus, & valè dicto magna cordis contritione & lacrymarum effuſione multis adſtantibus & conuentibus, ſedem Friſingenſem deſeruit, occaſione viſitandi Ciſtertienſe Capitulum viam carpit, & jam dudum languore ac debilitate corporis invalidus laborioſo itinere, nihil tamen adhuc ſuis, qui ſecum erant, metuentibus, ad prænominatum Monaſterium Morimundenſe pervenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & jam de obitu ſuo nequaquam dubius, dum ſacro liquore (ſicut moris eſt) perunctus fuiſſet, & de omnibus rebus propriis laudabili teſtamento ordinaſſet; inter cætera ſe Catholicæ fidei aſſertorem juxta Sacræ Romanæ, immo Univerſalis Eccleſiæ regulam profeſſus eſt. Convocatis igitur ad ſe in cubiculum Monachis, plura de bono religionis, de immortalitate animæ, de pœna damnatorum, de gloria ſalvandorum graviter & ſapienter locutus eſt. In habitu Monachali, quem ſemper gerebat, deinde multa prius cordis contritione & humili confeſſione reatum ſuum cognoſcens, in tantum etiam ut de minimis petens veniam ſervorum ſuorum proſterneretur pedibus, ſumptis Sacroſanctis Myſteriis in medio multitudinis Sanctorum hominum, tam Epiſcoporum quam Abbatum una cum ipſo laudes canentium, atque de interitu tanti Viri miſerabili fletu condolentium, nec non & immoderata cordis contritione ſeu humilitatis exhibitione Divinitus illi inſpirata, cum non modica admiratione animadvertentium, Domino Spiritum reddidit. Cujus revera morte ſumma prudentia mentis, regalis forma corporis, tibi Friſingia, laus & gloria ſpecialis, totius Eccleſiæ ſpes maxima, & decus eximium, & quodcunque humana fragilitas novit eſſe jucundius, totum proh dolor! in momento evanuit. Felix utique, & pro meritis ſuis Divino munere donatus, ut antea raptus ſit, quam unicam dilectam ſuam Eccleſiam, cui intimo amore annexus fuerat, in fayillam & cinerem converſam vidiſſet & ſubverſam &c. Cum autem adhuc vivens locum ſepulturæ ſuæ fratribus digito demonſtraſſet, extra Eccleſiam in loco humili, ubi ſcilicet ab omnibus fratribus calcari debuiſſet; huic ejus ultimæ voluntati obviandum putabatur, & intra ſepta Eccleſiæ juxta majus altare honorifice tumulatus eſt, ejusque ſepulchrum a cunctis fidelibus honore & veneratione dignum habetur, cujus probatam vitam præceſſiſſe mira, quæ ad ipſius ſepulchrum (ut fratres aſſerunt) miracula, quæ Deus operatur, teſtantur.

Hic præclariſſimus Pontifex duo Monaſteria, Ordinis Præmonſtratenſis, in ſua Diœceſi fundavit. Unum, dictum Schefftlarn anno Chriſti 1140, ubi olim fuit Cœnobium S. Benedicti Ordinis, ſed per Hunnos, aut Arnoldum Impium in deſertum omnino redactum. Alterum prope Friſingam, Novacellam S. Petri anno 1141, anno 22 ab incœptione ejusdem Ordinis: in cujus Cœnobii capella S. Catharinæ S. Marinus Præſul, & ſuus Capellanus Declanus ſepulti requieſcunt, ad quorum tumbam Altiſſimus miracula in dies operari non ceſſat. Inſuper anno Chriſti 1142 Collegium Canonicorum Sæcularium S. Sixti in Slierſee fundavit, cui advocatum nobilem quendam Waldeker præpoſuit: ubi ſimiliter quondam Monaſterium ſub regula S. Benedicti floruit, per quinque fratres conſtructum, ſed per Arnoldum Ducem eccleſiarum deſtructorem, vel Hunnos ex integro deſolatum fuerat. Hic beatus Epiſcopus in ſua Diœceſi multas eccleſias propria manu conſecravit, inter quas baſilicam in Chemotn filialem, parochialem in Vilshaim in honore S. Mariæ Magdalenæ dedicavit 1142. Ragewinus autem Canonicus Friſingenſis, abbreviator & notarius ſuus, ſibique multum familiaris, qui morti ejus pretioſe interfuit, hoc epitaphium compoſuit, & tumulo ejus inſcribi fecit.

[1] *leg.* tertio.

[1] *al.* Radevicus.

Libram Phœbus subiit cum falcitenente,
Luci nox prævaluit die decrescente,
Vita minus habuit nocte prævalente,
Otto quando corruit, raptus heu repente.

Hic, si gradum consulis, Præsul dignitate.
Formam: decens, habilis, Juvenis ætate.
Genus: alta nobilis Regum majestate.
Mores: Commendabilis mira probitate.

Monachum se præbuit, si religionem.
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cujus meruit intercessionem,
Ejus ad quem genuit agat mentionem.

Cujus frequens otium in Philosophia,
Majus exercitium in Theologia,
Fœdus sibi mutuum cum Philologia,
Nunc sit ei speculum summa Theoria.

Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot privilegia dono speciali,
Jugi querimonia debes lamentari.

Cujus vitæ studio studium vigebat,
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio, nemo non videbat,
Fraus & cavillatio latens non latebat.

Hic sacrum Ecclesiæ sublimavit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum.
Hoc in ejus cinere totum est sepultum.
Talem nemo plangere potest satis multum.

Quis nunc tantam gloriam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos revocabit?
Heu qualem sententiam schola vento dabit!

Quid rerum compactio, sagax dum rimatur,
Mathesis abstractio quid, dum contemplatur?
Quid nisi hic privatio per hunc dum probatur?
Quid amborum actio, morte scire datur.

Cujus necem patria juste dedignata,
Clara dolens atria rectore privata,
De se bene meritum cernens in favilla,
Ivit in interitum pariter & illa.

Quidquid in orbe beat præclaros & meliores,
Præsulis Ottonis mire cumulavit honores.
Si proavi, vel avi probitas, sacer ordo, potestas
Deberent mortis furias cohibere molestas,
Non moriturus erat præclare præditus illis.
Heu talem communibus accessisse favillis!
Quam facunda Viri vox, qualis Philosophia,
Hortatu Regum docet edita Chronographia.
Luxit cum propria sedes comitata ruina.
Propitietur ei Deus, & pia Virgo Maria.

Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lacrymas, mœstum ducens chorum,
Ad preces continuas & lamenta quorum
Illum salvet, animas qui beat Justorum.

Obiit autem Otto Episcopus Frisingensis, dignissimus fidelissimusque interpres inter Sacerdotium & Imperium, anno Incarnationis Dominicæ 1158, x. Cal. Octob. in die S. Mauritii, A regnante Serenissimo Friderico anno Imperii ejus 3, regni 5.

Sextus vero filius S. Leopoldi, Conradus nomine, amator justitiæ, adultus factus Patavienſis Ecclesiæ Pontificatum adeptus, post mortem Reinberti, Clero & populo carus fuit, quem Episcopatum 16 annis feliciter rexit. Deinde mortuo Eberhardo Archiepiscopo Salzeburgensi, tempore Papæ Alexandri III, in Archiepiscopum Salzeburgensem promotus est anno Christi 1164. Sedit laudabiliter annis 4, ubi multas tribulationes propter præfatum Alexandrum III, quem colebat, ab Imperatore Friderico I. patruo suo, & Victore Antipapa, ac Rudperto Patavienſi Episcopo passus est. Sed ipse, ut verus Dei athleta, se murum pro Ecclesia Dei posuit, & vero Papæ Alexandro constanter adhæsit; immo etiam B stabilitate sua totam Austriam ad idem verum caput traxit, & indubitatum Papam. In his tribulationibus & adversitatibus ab Imperatore illatis, transtulit se in Monasterium Admontense in Eni [1] valle, cui multa bona fecit: ibi infirmatus, Domino nostro Jesu Christo illum vocante, de medio est sublatus, & in eodem Cœnobio Admontensi in pace est sepultus anno Christi 1168.

Leopoldus *Virtuosus*, orthodoxus ac bellicosus Princeps, dictus *Pater patriæ*, primogenitus Ducis Heinrici Jochsamergott, cœpit Ducatum Austriæ regere defuncto patre anno Christi 1177, Secundus Dux Austriæ, amator spiritualium hominum. Hic Leopoldus præsens fuit, quando Papa Alexander III. & Imperator Fridericus reconciliati sunt apud Venetias anno C Domini 1178, IX. Cal. Aug. Hic Dux Leopoldus anno Christi MCLXXXI. transiens mare, ex terra sancta magnam partem Sanctæ Crucis quasi palmæ virilis in longitudine secum attulit, quæ usque hodie in Monasterio Sanctæ-Crucis ostenditur. Item cum Imperatore Friderico I, Philippo Rege Francorum, & Richardo Rege Angliæ, aliisque pluribus Principibus in Terram promissionis pro fide Christi transiit anno Domini 1189; ubi ob sua egregia ibidem viriliter cum effusione sanguinis in propria persona facta, nova arma rubei coloris cum albo in medio posito per transversum, quinque aureis aquilis mutatis, ab eodem Friderico Imperatore honoratus est, in perpetuum suæ invictæ strenuitatis signum. Hunc glorioſum Clypeum D Domus Austriæ super galeam coronam auream cum magno manipulo pennarum pavonum contra infideles pugnando obtinuit cruce signatus, quoniam ex mandato Cæsaris Friderici pannerium Austriæ præcessit pannerio Regis Angliæ; quod Regem angustiabat, ideo vexillum Austriæ oppressit. Tacuit autem Leopoldus, quia ea die pugnandum fuit, & etiam Christiani postea obtinuerunt victoriam sub vexillo Austriæ, quod in maxima necessitate contra hostes Christi erigebatur. Fuit autem Rex Angliæ Richardus homo ferocissimus, favorabilis, gloriæ cupidus, pecuniæ liberalis, quem ipsi Sarraceni & populus Christianus, ac alii timuerunt. Anno Christi 1193 rediens ab expeditione

[1] *leg.* Anes.

Hie-

Hierosolymitana; veniens Austriam, Wiennæ A capitur pro opprobrio, quod Duci Leopoldo in Terra Sancta cum suppressione vexilli Austriæ intulerat. Coactus fuit ampliare muros civitatis Wiennensis, & fossatum; & Aneſium, Haimburgam, & Novam Civitatem innovare suis propriis expensis: insuper dare Imperatori Heinrico VI. centum millia, & Duci Leopoldo quinquaginta millia florenorum pro sua liberatione. Qui liberatus in patriam propriam devenit, ibique postmodum a quodam milite fuit occisus.

Hic Dux Leopoldus civitatem Wiennensem ampliavit, & civibus ibidem bona fecit. Insuper quia Sobieslaus Dux Bohemiæ sæpe damna Austriæ intulerat, idcirco hic Leopoldus Dux exercitum movit in Moraviam, & apud civitatem Olmuncensem & Brunnam longe lateque terram devastavit. Denique patruum suum Fridericum Ducem Bohemiæ, Wladislai Secundi Regis Bohemiæ filium, per dictum Ducem Sobieslaum e regno pulsum, in Ducatum Bohemiæ restituit. Item anno Domini 1174 Dux Leopoldus, & frater suus Dux Hainricus de Medling senior accincti sunt gladiis militaribus Pentecoste. Et eodem die Duci Leopoldo desponsata fuit domina Helena, filia Secundi Geysæ Regis Hungariæ, Belæ III. soror, quæ tamen in juventute sibi promissa fuerat: ex qua genuit duos filios & unam filiam; Fridericum & Leopoldum & Chunegundam, quæ desponsata fuit Ottacaro Juniori Duci Styriæ a patre suo, qui ei aliquot districtus ut a Wilhalmspurg usque ad Piesting, Hertzogenburg pro dote donavit. Mortua ipsa sine liberis, Ottacarus efficitur leprosus, sic Comitatum suum ordinavit, & vendidit socero suo Duci Leopoldo ita levi pretio, ut calculo forte Militaris quilibet colonus tribus obulis veniret, anno Domini 1192; & ita Leopoldus Dux Austriæ, factus est Dux Styriæ, primus hujus generis. Ducavit in Austria annis 16, in Styria in secundum annum. Feodalia Ducatus Austriæ ab Imperatore Friderico I. conduxit, sed Styriæ a filio ejusdem Imperatore Heinrico VI.

Hic Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ villas Nidernsulz & Paumgarten cum magna sylva Monasterio Sanctæ-Crucis donavit. Dotavit insuper Monasterium Gottwicense. Hic Virtuosus Dux volens jam tertia vice in Terram Sanctam trans mare pro Christi fide transire, apud castrum Grez cadens de equo crus fregit, ex quo sibi vesica infecta orta fuit, quamobrem pes sibi abscissus fuit. Deinde Monachalem habitum induens, ait: Utinam oves Sanctæ Crucis pascere deberem, cum ... & in habitu religioso spiritum Deo reddidit anno 1193, in Capitulo Cœnobii Sanctæ-Crucis sepultus. Domina Helena conjunx sua deinde diem obiyit anno Domini 1199, relinquens duos filios, Fridericum & Leopoldum.

Hic [1], vel secundum alios, pater ejus, cum Neapoli esset apud Cæsarem, tempore magni frigoris misit nuntium ad Wiennam, ut sibi apportaret vin Crezen alß Lurine Kursen; nuntius autem intellexit vin Drine. Sic nuntium cives Wiennæ, quod non bene intellexisset, arguebant. Ille se tuens, dixit se bene intellexisse. Sic cum pelles bovinæ vinis graves essent, de vaccinis perfecerunt, & nuntius apportavit. Visa re satisfactus fuit. Novitas pervenit ad aures Cæsaris, cui res ipsa magno gaudio fuit, & dixit Duci: quod si portaret Vestem in die festo, vellet sibi terram super Anasum, & Stain, & Crembs donare. Quod ita factum est. Hanc rem gestam diversi diversimode attribuunt, alii Duci Heinrico, qui tamen nunquam legitur fuisse in Apulia cum Cæsare (in latino & vulgari ita repperi), alii filio ejus Leopoldo huic, eo quod fuerit in Neapoli cum Cæsare Heinrico VI, qui sibi Styriam contulit. Idcirco hæc boni interpretis judicio relinquo.

Heinricus de Medling Senior, venerabilis, animosus Princeps, Heinrici dicti Jochsamergott primi Ducis Austriæ Secundus filius, Leopoldi Virtuosi frater. Habitavit in castro Medling, ideo dictus fuit Dux Hainricus de Medling. Possedit castra sub montanis, Neudarf, Medling, Salenau, Dreskürchen, Walterstorff & Keyserspérg. Insuper Otakerus Junior Dux Styriæ huic Duci Hainrico ordinavit, & donavit dominium Gumpoltzkirchen, quod sibi pro dote inter cætera pro conjuge sua per socerum suum Ducem Leopoldum assignatum fuit. Hic Dux Hainricus de Medling una cum fratre suo Leopoldo, ut supra dictum est, Miles creatus est anno Christi 1174 Pentecostes. Hic C Hainricus Dominia sua sub montanis cœpit regere anno Domini 1177, & bene ea 46 annis rexit.

Anno Domini 1176, tempore genitoris sui, hic Dux Hainricus una cum fratre suo Duce Leopoldo procinctum in Moraviam movet, & apud Olmuncensem & Brunnam terram longe lateque devastant: mox quoque Sobieslaus Dux Bohemiæ habens secum in exercitu Saxones, Polonos, Hungaros, Moravos & Bohemos, territorium late apud Zwetel incendiis & præda damnificavit. Hic Heinricus Dux vineas, villam Sulz, & aliquas hubas Cœnobio Sanctæ-Crucis donavit. Huic uxor erat Domina Reitza, filia Regis Bohemiæ, ex qua genuit Heinricum de Medling Juniorem. Et dictus Dux Senior Heinricus migravit ab hoc sæculo anno D Christi 1223, & Domina Reitza conjunx ejus uno in tumulo in Capitulo Sanctæ-Crucis sunt sepulti: reliquerunt filium Heinricum Juniorem.

Fridericus, dictus *Orthodoxus*, devotus, timoratus, elegans Princeps, Leopoldi Virtuosi Ducis Austriæ & Styriæ primogenitus, Liberalis Leopoldi Ducis Styriæ germanus, tertius Dux Austriæ, mox post obitum patris anno Domini 1193 cœpit regere Austriam, & laudabiliter 5 annis ducavit. Hujus tempore ingens fames erat, adeo ut homines & jumenta præ fame morerentur. Ea tempestate magna turma locustarum quatuor alas habentium, & volantium per Hungariam, Croatiam & Styriam, cuncta

[1] *Vid. Observ. Præv. in Chronicon Matthæi, vel Gregorii Hageni num. 8. & 9, ubi de puerili hac fabula pluribus a nobis actum.*

[1] *deest* urbem.

devaſtantium: & cum volabant, terram obumbrabant ut nebula ſpiſſa. Hic Fridericus villam Wetzldorf Monaſterio Sanctæ Crucis dedit. Anno 1195 hic Fridericus Dux Auſtriæ cum aliis multis Principibus ex Almannia in Hiſpaniam contra Sarracenos, qui ex Africa in Hiſpaniam venerant, pugnaturus ivit; ſed heu! in eodem bello multi Chriſtiani interierunt.

Anno Domini 1197, procurante Imperatore Heinrico VI, Fridericus Dux Auſtriæ præfatus cruce ſignatus, & multi Principes Spirituales & Sæculares mare tranſierunt, pro liberatione Sanctæ Civitatis Hieroſolymæ ac Sanctæ Terræ, quam Sarraceni ſuperioribus diebus Chriſtianis ademerunt; & ſecundo ejusdem expeditionis anno, videlicet Chriſti 1198, Chriſtianiſſimus Fridericus Auſtriæ Dux in eadem Sancta Terra Altiſſimo Spiritum reddidit. Eductus in Auſtriam, in Capitulo Sanctæ Crucis humatus, & ſine uxore & liberis diem obiit: cui frater ſuus Liberalis Leopoldus Dux Styriæ in Secundo anno in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit, de quo infra.

Leopoldus, dictus *Liberalis*, circumſpectus, devotus & pius Princeps, Virtuoſi Leopoldi Auſtriæ & Styriæ Ducis ſecundus filius, Orthodoxi Friderici Ducis Auſtriæ frater. Cœpit regere Ducatum Styriæ anno Chriſti 1193 ſtatim poſt mortem patris ſui Leopoldi Virtuoſi Ducis, & ſecundo anno poſt obitum fratris ſui Friderici in Auſtria cœpit ducare anno Domini 1199, Quartus Dux Auſtriæ, & Secundus Dux Styriæ, de eadem progenie. Eodem anno Emmericus Rex Hungariæ, filius Belæ III, armata manu Auſtriam intravit, & eam incendiis & præda multum contrivit.

Anno Domini 1200 in Pentecoſte hic Dux Leopoldus cum magna gloria in præſentia Conradi Archiepiſcopi Maguntini, Comitis Schyrenſis, & Eberhardi Archiepiſcopi Salzeburgenſis Miles creatus eſt. Eodem die pax fuit facta inter Emmericum Regem Hungariæ, & prædictum Ducem Leopoldum, & ibidem Rex Emmericus fratrem ſuum Andream Secundum in gratiam ſuam recepit, qui poſtea etiam fuit Rex Hungariæ, pater Sanctæ Elizabeth.

Eodem anno Monaſterium Scotorum Viennæ a Wolfkero Epiſcopo Patavienſi dedicatum eſt.

Anno Chriſti 1201. terræmotus magnus fuit.

Anno Domini 1203 Domina Theodora, cognata Alexii Imperatoris Græcorum, per eundem Alexium deſponſata fuit Duci Leopoldo, qui cum ea Viennæ ſolemnes nuptias celebravit: genuitque ex ea tres filios, Leopoldum, Hainricum & Fridericum; & quatuor filias, Margaretham, Agnetem, Conſtantiam & Gertrudem, de quibus infra.

Anno Chriſti 1205 dictus Imperator Alexius ab Imperio Græcorum expulſus eſt, & urbs Conſtantinopolitana capta: & Wandewinus[2] Comes Flandrenſis in Imperatorem Græcorum erectus, cui ſucceſſit frater ſuus Heinricus, poſt quem Petrus de Auſſerra. Eodem anno Duci Leopoldo ex Conſtantinopoli magna pars Sanctæ Crucis cum aliis ſanctis Reliquiis miſſa eſt.

Leopoldus hic communiter dictus eſt *Pater Clericorum*; quin immo Viennam valde dilexit, & ibidem habitavit; civibus etiam multa donavit & accommodavit: & e converſo cives eum vehementer ut fideles ſubditi amabant; idcirco eis multa privilegia præſtitit. Ipſe adjutorio fuit Dominæ Conſtantiæ filiæ Regis Arragoniæ, relictæ olim Emmerici Regis Hungariæ, ut pacifice cum bonis ſuis ex Hungaria in Arragoniam veniret. Quæ Conſtantia poſtea deſponſata fuit Romanorum Imperatori Friderico II, qui ex ea genuit Heinricum Regem Romanorum, cui conjuncta fuit Margaretha hujus Leopoldi Ducis filia, quæ ex eodem duos filios Fridericum & Heinricum peperit; qui ambo in Apulia tempore juventutis veneno perierunt. Item prædicto anno præfatus Dux Leopoldus cum magna militia venit in auxilium Philippo Regi Duci Sueviæ, dum Colonienſes obſideret, & ibidem egregia militaria facta perfecit, per quæ ingentem gloriam & laudem obtinuit.

Hic Dux Leopoldus conſtruxit Cœnobium, dictum *Campum-Liliorum*, ordinis Ciſtertienſis, cui Wilhamsburg, & vadum per fluvium Traisna & alia bona multa donavit. Ipſe inſuper ædificavit Novam Civitatem in Auſtria, & eidem Ducatui Linz, Wels, Wexenberg, Ormanshaim, Brein[1], Hartſtein cum omnibus attentiis comparavit.

Anno Domini 1208. Crucem ſuſcepit, & trans mare in Terram ſanctam tranſivit.

Anno Chriſti 1212 dictus Dux Leopoldus ad bellum compromiſſum in Galicia Hiſpaniæ cum Sarracenis, qui ex Africa venerant, committendum ivit: ubi pagani in fugam verſi, multi ex eis interfecti ſunt.

Anno Chriſti 1216 Leopoldus Dux cum multis militibus ac aliis in Monaſterio Neuburga-Clauſtrali crucem aſſumpſit, & cum Secundo Andrea Rege Hungariæ, patre S. Eliſabeth, aliisque pluribus Principibus mare transnatavit, & in 16 diebus usque ad civitatem Damiatam in Ægypto pervenerunt. Quod tamen raro evenit, ita tam brevi temporis ſpatio mare transnatare. Et obſederunt eam, quod tantum paganos terruit, quod plures ſua oppida & caſtra dimitterent, & prædicta civitas Damiata Divina gratia a Chriſtianis eſt capta anno Chriſti 1219.

Eodem anno Dux Leopoldus repatrians Viennam pervenit cum gaudio magno.

Anno Domini 1228 Heinricus Romanorum Rex, Secundus filius Imperatoris Friderici II, ſocero ſuo Leopoldo Duci Auſtriæ & Styriæ, cunctisque ſuis ſequacibus hanc largiter conceſſit dignitatem, ut in ſui Ducatus pileo regalis coronæ diadema ferre poſſit. Hæc & alia clarius in privilegio deſuper dato, cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Hainricus Dei gratia Romanorum Rex, & ſemper

[1] *al.* Glorioſus. [2] *leg.* Balduinus.

[1] *f.* Grein.

Auguſtus.

Augustus. Dignum est, & possibilibus rogatis A annuere. Regiam Majestatem omni tempore amuendo largissime subvenire, benigniter adimplere. Noverit igitur omnis Christi nostrique regni præsens ætas & posteritas successura, quod Nos Principum, quorum juris quemque Romanorum Regem est eligere, beneplacito, consilio & favore omnia jura, gratias & libertates, cunctasque bonas consuetudines nobilium terrarum Austriæ & Styriæ, & quæ hucusque ad Nos ab antiquis Romanorum Imperatoribus Regibusque plenarie devenerunt, de quibus etiam rite & rationabiliter noster & Sacri regni dilectus Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ, antiquorum Imperatorum Romanorumque Regum litteris, quas certitudinaliter læsione qualibet procul nota vidimus, pleniter Nos instruxit. Et cum Divina gratia, regia perfectissime fruimur potestate, procul dubio nostram regalem bene condecet largitatem ut nostros & sacri regni Principes eorumque terras juribus & gratiis sublevemus. Equibus specialiter & sucro regno fidelissimum, Summum nostrum Principem Leopoldum Ducem Austriæ & Styriæ, easque suas terras sequentibus juribus & gratiis, libertatibus volumus honorare. Primo, si aliquis alicui Ducum Austriæ & Styriæ, quacunque censeatur dignitate, suarum terrarum provincias, & alia cætera, quocunque nomine & nuncupatione censeantur, quæ a regali magnificentia, seu a Principibus Spiritualibus concessionis collationisve officio derivarentur, legare, dare, obligare, donare, vendere contingeret, eosdem venditores sive obligatores hujusmodi regalis nostra Majestas, nec aliquis hominum aliqualiter valeat impedire. Quod si aut venditio, aut obligatio, aut donatio, legatio evenire contingeret tam repente, quod regia Majestas, nec hujusmodi collatores possent aliquatenus requiri; Ducibus Austriæ & Styriæ prædictis in eorum juribus ob hoc nullum eveniat penitus detrimentum. Etiam gloriosus Princeps Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ coram nostræ Majestatis oculis, & Electorum Romani regni culminis inquisitione & sententia obtinuit præsolerter, secundum suarum antiquarum litterarum recitationem, ut omnia sua jura & feoda, cujuscunque conditionis sint, in equo residens recipiat, talibus collationibus præditatus. Præterea eidem Principi Illustrissimo Leopoldi Duci Austriæ & Styriæ, cunctisque suis sequacibus hanc largiter concedimus dignitatem, ut in sui principatus pileo nostræ regalis coronæ diadema solemnius ferre possit. Volentes largius, omnes suas terras seu ditiones, districtus, & cætera ad hujusmodi pertinentia, vel quæ in posterum poterint obtinere, habere [1] cuncta jura, libertates, gratias, bonasque consuetudines, quas Duces olim terrarum jam dictarum piæ recordationis in commendabilem ex antiquis consuetudinem perduxerunt, aut quæ recenter a nostræ manibus excellentiæ susceperunt, quibusvis impedimentis procul motis. Demum mandantes, & sub interminatione gratiæ nostræ districte præcipientes, ut nullus sit, qui ausu ductus temerario, strenuissimum Principem Leopoldum Ducem Austriæ & Styriæ præfatum, suosque sequaces audeat impedire, vel alicujus ingenii scrupulo molestare. Quod qui facere præsumpserit, offensam nostræ Majestatis se noverit incursurum. Ad quarum etiam gratiarum concessarum perhennem memoriam, eis litteram conscribere, & sigillo nostro jussimus insigniri. Testes sunt hi: Ludowicus Dux Bavariæ, Palatinus Comes Rheni, Ulricus & Ludowicus Comites de Fereno, Conradus Burgravius de Nurenberga, Fridericus de Druhendingen, Eberhardus Dapifer de Walmpurg, Conradus Pincerna de Winsteten, Conradus de Smideveld, aliique quam plures. Acta apud Ezlingen, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII, XII. Cal. Septemb. Indict. I.

[1] *Abest quidem hæc vox* habere *a MS, sed necessario videtur addenda.*

Hic Dux Leopoldus Cœnobio Geirach in Styria, Ordinis Carthusiensis, multa bona fecit.

Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ anno Domini 1236 perrexit in Apuliam una cum Perchtoldo Patriarcha Aquilejensi, Eberhardo Archiepiscopo Salzeburgensi, Sifrido Episcopo Ratisponensi, & Hermanno Duce Carinthiæ, aliisque Principibus ad concordandum & uniendum Papam Gregorium IX. & Imperatorem Fridericum II. Et cum Papa dedisset sibi plenariam auctoritatem, processit in Apuliam, ubi in civitate Sancti-Germani diem extremum feliciter clausit. Cujus intestina sepulta sunt in Monte Cassino Ordinis S. Benedicti, ossa vero reportata sunt in terram suam Austriæ, in Monasterium Campum-liliorum, quod ipse fundaverat, & in marmoreo elevato sepulchro illata. Et dictus Leopoldus pacifice in Styria 37, in Austria 31 annis ducavit. Conjunx autem sua Domina Theodora in choro Monasterii Neuburgensis requiescit. Reliquerunt tres filios, Leopoldum *Puerum*, Hainricum *Crudelem*, & Fridericum *Bellicosum*, de quibus infra dicetur; & quatuor filias.

Quarum prima Margaretha a patre suo fuit desponsata anno 1225 Heinrico Romanorum Regi, filio Imperatoris Friderici II, de consilio ejusdem Imperatoris, procurante Episcopo Ratisponensi Sifrido. Et nuptiæ regio more Nurenbergæ celebratæ sunt in festo Omnium Sanctorum, præsentibus pluribus regni Principibus, ubi propter frequentiam populi 40 Nobiles, Prælati & Clerici oppressi sunt.

Anno Domini 1226. Domina Margaretha Regina Aquisgrani coronatur, sed maritus ejus Rex Heinricus antea fuit coronatus 1223.

Anno Christi 1237. Fridericus Imperator proprium filium suum primogenitum Heinricum Regem Romanorum in Apuliam in exilium deducens, ubi etiam vitam in brevi carceris squalore finivit: & duo ejus filii ex Regina Margaretha, Fridericus & Hainricus, in diebus juventutis suæ in Apulia a patruo suo Manfredo veneno extincti sunt.

Anno Christi 1254. Regina Margaretha secundo desponsata est per Provinciales Austriæ Ottackero Marchioni Moraviæ, postea Regi Bohemiæ, & regales nuptiæ in oppido Haimburga solemniter celebratæ sunt. Qui tamen eam anno Domini 1261 repudiavit, & ea vivente Chunigundem, filiam Rostislai Ducis Moskaviæ, in uxorem duxit, & anno Christi 1272 Rex Ottakerus in oppido Krembs subordinavit, ut Domina Margaretha intoxicaretur. Quæ non

habuit cum eo liberos, & ſepulta eſt in choro Cœnobii Campi liliorum (cui multa bona fecit) quod pater ejus fundavit.

Agnes, ſecunda filia, a genitore ſuo Leopoldo Duce fuit deſponſata cuidam Duci Saxoniæ.

Conſtantia, filia Ducis Leopoldi & Dominæ Theodoræ, fuit deſponſata a Duce Friderico Bellicoſo, fratre ſuo, Heinrico Marchioni Miſnenſi 1232, qui ex ea genuit Theodoricum & Albertum. Quorum unus debuit ſucceſſiſſe in Ducatu Auſtriæ, poſt obitum Ducis Friderici patrui eorum; ſed Wenzeslaus Rex Bohemiæ una cum filio ejus Ottacaro hoc impedivit.

Gertrudis, quarta filia, fuit conjuncta Lantgravio Thuringiæ.

Henricus de Medling Junior, ſpecioſus Princeps, Hainrici de Medling unicus natus, venationibus, delectabatur. Habitavit cum curia ſua in Caſtro Medling, poſſedit dominia ſubmontanis cum ſuis attinentiis, quæ genitor ſuus habuit. Et cœpit eadem Dominia & bona regere defuncto patre anno 1224, ac laudabiliter rexit. Obiit ſine liberis, ſepultus in Neuburga Clauſtrali.

Leopoldus dictus *Puer*, pulcher Juvenis 9 annorum, primogenitus Leopoldi Ducis Auſtriæ & Styriæ. Natus fuit anno 1207, in die annunciationis Mariæ Virginis. Puer Scholas viſitavit in Neuburga Clauſtrali, ibidem quadam vice per pædagogum ſuum in pomerium inductus, ibi ex incuria ejus pædagogi arborem cini... aſcendit, de qua incaute cadens mortem excepit anno Domini 1216, ſepultus in Neuburga-Clauſtrali. Super quo genitor ſuus propter ejus juventutem multum lamentabatur, & fecit ei ibidem ſolemnes exequias peragi.

Hainricus *Crudelis*, homo furibundus, Leopoldi Ducis Auſtriæ & Styriæ ſecundus filius. Habitavit in Caſtro Medling, & dictus fuit Dux Hainricus de Medling. Poſſedit bona & dominia ſubter montana cum ſuis attinentiis, quæ olim Heinricus de Medling Senior, & Heinricus de Medling Junior, patrui ſui, poſſederant, & cœpit eadem gubernare, adhuc vivente genitore ſuo.

Anno Chriſti 1225. Domina Richarda, ſoror Ludovici Lantgravii Thuringiæ, mariti S. Elizabeth, per eundem fratrem ſuum fuit deſponſata Duci Heinrico, & ſolemnes nuptiæ cum ingenti gaudio, haſtiludio, & aliis ludis militaribus Nurenbergæ factæ ſunt, in præſentia multorum Principum, cum lætitia & tripudio univerſorum: quia eadem die Hainricus Rex Romanorum cum ſua ſponſa Margaretha, ſorore dicti Ducis Heinrici de Medling ſponſi, in eodem loco regaliter celebravit.

Anno Domini 1226. Dux Hainricus de Medling inſurrexit contra patrem ſuum Leopoldum Ducem, conſilio iniquorum. Clam ademit ſibi oppidum & Caſtrum Haimburgam, & Dominam Theodoram genitricem ſuam cum ſuis virginibus irreverenter e caſtro eodem expulit, & Dux Leopoldus genitor ejus idem caſtrum in brevi recuperavit. Deinceps idem Heinricus ſæpe multumque vitæ & bonis patris ac matris inſidiabatur; ſed Altiſſimus in omnibus viis eos cuſtodivit ab eo. Petrus de Vineis in Epiſtolis ſuis de malitia dicti Ducis Heinrici mentionem facit. Similiter quædam Cronicarum Annalia idem movent.

Anno Chriſti 1227. Dux Hainricus Crudelis de Medling tribus annis ante patrem ſuum mortuus eſt, in Neuburga-Clauſtrali humatus: & poſt mortem ejus, & filiæ ſuæ Gertrudis, dominia, quæ ſub montibus poſſederat, iterum provinciæ Auſtriæ ceſſerunt. Domina Richarda uxor ejus, dicta *Lantgravia de Walterstarff*, ſepulta eſt in Cœnobio Sanctæ-Crucis apud Dominam Gertrudem de Brunſvica uxorem Friderici Ducis Bellicoſi, dicti Ducis Heinrici fratris, in uno tumulo. Hic Dux Heinricus de Medling ex uxore ſua Richarda unicam hæreditariam filiam reliquit, nomine Gertrudem, animoſam, imperterritam: quæ deſponſata fuit propter bonum pacis Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæ, a patruo ſuo Duce Friderico Bellicoſo, Wladislao Marchioni Moraviæ. Hic Wladislaus poſt mortem Ducis Friderici, occaſione uxoris ſuæ, Ducatum Auſtriæ obtinuit, ſed in brevi ſine liberis defunctus eſt. Poſt cujus obitum Dominam Gertrudem viduam duxit Hermannus Comes Badenſis, qui Wiennam & quædam oppida in Auſtria poſſederat, & ſimiliter non diu ſupervixit, ſepultus in Neuburga-Clauſtrali. Reliquit filium Fridericum, qui in Apulia decollatus eſt 1269, & unam filiam Agnetem, ibidem ſepultus.

Poſt mortem Ducis Hermanni dicta Domina Gertrudis tertio deſponſata eſt Romano Regi Ruſſiæ, qui dimiſit eam imprægnatam, tranſiens in Ruſſiam; deinceps ipſa nunquam eum vidit, ex quo peperit filiam, nomine Mariam. Hæc Domina Gertrudis multa mala perpeſſa eſt a Rege Ottakaro, qui Auſtriam uſurpavit, & perrexit in Miſnam ad cognatam ſuam Conſtantiam, ibidem ſepulta in Monaſterio quodam Monialium.

Agnes, filia Hermanni Ducis Auſtriæ & Comitis Badenſis, & Dominæ Gertrudis de Medling uxoris ſuæ deſponſata fuit Udalrico Duci Carinthiæ, cum quo non habuit liberos. Poſt cujus mortem per Regem Ottakarum, Ducem Auſtriæ, fuit coacta ad ducendum Ulricum Comitem de Hewnburgk, ex quo genuit filios & filias: ex quibus deſcenderunt Ulricus Comes de Pfannberg, Fridericus liber de Cilia, poſtea Comes de Cilia, & plures aliæ potentes progenies.

Maria nata Romani Regis Ruſſiæ, & Dominæ Gertrudis de Medling conjugis ſuæ, per eandem Dominam Gertrudem genitricem ſuam matrimonialiter conjuncta eſt Duci Stephano de Agram in Schlavonia, Capitaneo V. Stephani Regis Hungariæ in Marchia Styriæ.

Fridericus, dictus *Bellicoſus*, animoſus Princeps, Liberalis Leopoldi Ducis Auſtriæ & Styriæ tertius natus, cui deſponſata fuit anno Domini 1226 Gertrudis filia Ducis Brunſwicenſis, cognata Dominæ Reginæ Gertrudis Hungariæ, matris S. Elizabeth, cum qua ſolemnes nuptias in civitate Brunſvica multis Principibus præſentibus magnifice celebravit.

Anno

1 leg. avunculi.

Anno Chriſti 1229 Dux Fridericus cum conſenſu patris ſui Leopoldi Ducis uxorem ſuam Gertrudem repudiavit, & non genuit liberos ex ea, & poſtea humata eſt ad Sanctam-Crucem.

Eodem anno duxit ſecundam uxorem Agnetem, filiam Ottonis Ducis Meraniæ, conſentiente genitore ſuo, quod tamen fuit inconveniens propter conſanguinitatem.

Dux Fridericus Auſtriam & Styriam cœpit regere mox poſt obitum patris ſui Ducis Leopoldi, anno Chriſti 1230, & fuit quintus & ultimus Dux Auſtriæ, & tertius Styriæ, de hac genealogia. Et primo anno ſui regiminis inſurrexerunt in eum Miniſteriales ſui, & privaverunt ipſum theſauro patris ſui, deinde Auſtriam incendiis & præda vaſtaverunt, demum per eum humiliati ſunt, & coacti ad dandum obſides.

Anno Chriſti 1231. rebellarunt Duci Friderico Hadamarus & Hainricus fratres de Kuenring, ſed Hadmarus obiit eodem anno, humatus in Cœnobio Zwetlenſi eorum fundatione. At Hainricus oppida Stain & Krembs incendio conſumpſit, & vocati *Canes* ob eorum malitiam.

Anno primo regiminis Ducis Friderici Wenceslaus, communiter dictus Primislaus, Rex Bohemiæ cum magno exercitu Auſtriam intravit, & eam præda & incendio vaſtavit.

Anno Chriſti 1232. Purificationis Mariæ Fridericus Dux cum ducentis Nobilibus in Monaſterio Scotorum Wiennæ, in præſentia Gebhardi Epiſcopi Patavienſis, & aliorum multorum ex Auſtria Nobilium, Miles creatur, qui cunctos Commilites ſuos ſcharlato cum albo in medio & ſubductura de vario veſtivit, & equis ac aliis clenodiis militaribus veſtivit. Hic fuit primus Princeps, qui ſteuram a civibus Wiennenſibus, conſilio Wolfgeri de Parau, accepit. Hic Dux Fridericus ad Auſtriam & Styriam Carniolam obtinuit.

Anno Chriſti 1233 poſt octavas Johannis Baptiſtæ cum ingenti exercitu Fridericus Dux Moraviam intravit, & in brevi caſtrum Wettau vi cepit, quod etiam ſui inexpugnabile æſtimabant; poſt cujus captionem multa caſtra in Moravia ſe ei dederunt. Quo audito Wenceslaus Bohemiæ Rex, volens illi in campo armate occurrere, mutato propoſito per ſylvam Hercyniam rediit.

Eodem anno, circa Omnium Sanctorum feſtum, Andreas II. Rex Hungariæ, pater S. Elizabeth, contra Ducem Fridericum in Auſtriam ingenti potentia aſcendit usque Höflein apud Brukgam ſuper Luttacha, & terram incendiis & præda vaſtavit; ſed multi ex ſuis interfecti, & Nobiles capti ſunt. Caſtrum Teben cum foro igne combuſſit, & ultra procedere noluit: ideo de pace tractatum eſt, quam Dux admiſit. Paulo poſt Rex Auſtriam egrediens, in via apud Novam Civitatem pervenit ad Ducem, qui eum in pace cum honore ſuſcepit, ibidemque perfecta pax inter eos firmata eſt. Quo facto Rex Andreas in regnum ſuum Ducem Fridericum invitavit, qui ambo in bona Societate cum magna militia in Hungariam deſcenderunt: ubi Dux a Rege magnifice ingenti gaudio ſuſceptus, regalibusque magnificentiis plurimum honoratus, deinde Dux cum magna lætitia iterum in Auſtriam reverſus eſt. Poſtea Hungari confinia Styriæ invadentes, incendiis & præda devaſtantes. Quocirca Styrienſes coadunati, ſine Capitaneo hoſtes inſequentes; Hungari autem fugam ſimulantes, eos ante & retro circumdederunt. Ibi interfecti multi ſunt ex utraque parte, Hungari vero victoriam obtinuerunt: Stirienſibus captis, aut interfectis, ſex quinquaginta evadentibus.

Anno Domini 1234. Dux Fridericus iterato Moraviam ingenti forti exercitu intravit, & caſtrum Vettau ſecundarie cepit, & volens ultra vaſtando terram procedere, incidit in mortalem infirmitatem; & ita Altiſſimus ſuam malam voluntatem impedivit.

Præfato anno deſponſavit Dux Fridericus Conſtantiam ſororem ſuam Heinrico Margravio Miſnenſi apud Stadlau circa Philippi & Jacobi, in præſentia Dominæ Theodoræ matris ſuæ, Domini Andreæ II. Regis Hungariæ & Belæ filii, Wenceslai Regis Bohemiæ, Eberhardi Archiepiſcopi Salzeburgenſis, Gebhardi Patavienſis, Ecberti Bambergenſis, Conradi Friſingenſis & Secovienſis Epiſcoporum, Wladislai Marchionis Moraviæ, Ulrici Ducis Carinthiæ, Ducis Saxoniæ, & Lantgravii Thuringiæ, & aliorum multorum Nobilium; ibi ludi militares cum magna lætitia ſunt peracti.

Anno Domini 1235. Andreas Rex Hungariæ una cum Bela & Colomanno filiis ſuis cum inæſtimabili grandi expeditione Auſtriam intravit, cui Dux Fridericus cum minori impari exercitu occurrit, & antequam uterque exercitus conveniret, Dux ipſe cum ſuis abivit. Deinceps Hungari ex utroque latere præda, homicidiis, incendiis terram usque Wiennam devaſtabant, quibus nemo reſiſtentiam fecit. Quo viſo Dux Fridericus cogitavit quæ pacis ſunt. Quam cum impetravit, Reges in domum ſuam invitavit, & eis magnos exhibuit honores, ſed majoris eorum exercitus pars repatriavit.

Eo anno Wenceslaus Bohemiæ Rex trans Danubium in magna potentia Auſtriam præda & incendiis usque Stadlau vaſtavit. Et eo ibi cum exercitu commorante, tribus diebus & tribus noctibus ſine intermiſſione pluit, & factum eſt diluvium magnum; quin immo Danubius in tantum excrevit, ut hortos, campos, prata, agros, ſata & ſegetes perderet, ita ut homines cum jumentis in inſulas fugerent, homines cum animalibus perierunt. Idcirco dictus Rex Wenceslaus coactus fuit campum exire.

Sæpe dictus Dux Fridericus in amorem cujusdam civiſſæ Wiennenſis, vulgariter dictæ die Schön Braunhild, vehementer exarſit: idcirco ſub pœna amicitiæ ſuæ omnibus civibus Wiennenſibus mandavit, ut quando audirent ſonum buccinæ, cum uxoribus & filiabus ad Curiam ejus venirent. Itaque cives cum conjugibus & filiabus ſuis ornate venerunt. Prima autem chorea peracta, ipſe Dux dictam Brunhildem in cubiculum ſuum introduxit, & carnaliter vi cognovit. Quo facto cives inito

consilio

x *leg.* donavit, *aut hujusmodi.*

consilio quatuor honestos ad Ducem miserunt, dicentes, ut quam citius pro hac confusione civitatem exiret. Itaque eodem die per murum emissus, illico ivit equo in castrum suum Starhenperg.

Anno Domini 1240. Duci Friderico ex Hungaria, Bohemia & Bavaria diffidationes venerunt, quos tres nuntios omnes parvipendit.

Eodem anno circa S. Martini festum percepit idem Dux, qualiter Wenceslaus Rex Bohemiæ cum mille equitibus, & Udalricus Dux Carinthiæ cum ducentis in Austria apud oppidum Laa castra metati sint. Quocirca idem Dux Fridericus in oppidum suum Laa cum 72 equis transtulit se; & misit undique pro populo suo. Ejus Capitanei erant duo fratres, Bernhardus & Hainricus, dicti *Preysl:* & Bohemiæ Regis Capitanei fuerunt Seifridus & Cadoldus fratres, nuncupati Waisen. Itaque Fridericus Dux bello victoriam obtinuit, & Bohemorum ac Carinthianorum multi interfecti sunt; & Fridericus sua manu Ducem Carinthiæ cepit, & duos nobiles cum eo: Bohemorum siquidem & Carinthianorum super ducentos, ac magna pecunia exonerati sunt. Hoc prælium inter Stetz & Laa factum est.

Hic Dux Fridericus una die omnia Monasteria in Austria deprædari permisit, & prædam ac singula bona eis rapta suis famulis divisit. Insuper a singulis hubis sive feodis in terra sua 60 denarios accepit. Hic Princeps cum Tartaris in Hungaria ad villam Pesth viriliter congressum habuit, & quosdam in fuga mactavit.

Prædicto anno Fridericus Imperator II. 1240 Friderico Duci Austriæ misit nuntium, ut coram eo personaliter compareret. Qui litteras sprevit, & legatum vilipendit; timuit enim querelas illorum, quos injuste offendit, ac bonis privavit.

Domina Theodora, cognata Alexii Imperatoris Græcorum, ob penuriam victus, & timorem, ne filius ejus Dux Fridericus eam incarceraret, fugit in Bohemiam ad Regem Wenceslaum: de quo mentionem in epistolis suis Petrus de Vineis facit.

Cum autem Fridericus Imperator dictum Ducem Fridericum frequenter ad curiam suam evocasset, & ad personaliter comparendum citasset, & ipse mandata Imperialia & nuntios sprevisset, & parvipenderet; demum Imperator in publico consistorio Augustæ 1236, consilio Principum, dicto Friderico Ducatus suos & omnia bona ob contumaciam per sententiam abjudicavit. Dehinc legatum sibi misit, qui hanc sententiam, & suæ gratiæ, auxilii & consilii ac favoris abjurationem ei intimaret: quem nuntium captivavit, & multis contumeliis affectum dimisit. Quibus peractis, abibant ab ejus obedientia Wiennenses, & aliæ civitates & oppida, similiter Ministeriales Austriæ, Styriæ & Carniolæ, mittentes pro Imperatore. At Fridericus Imperator cum Wenceslao Rege Bohemiæ, & cum multis Principibus Wiennam applicuit, qui cum magno honore & triumpho susceptus est. Venerat insuper Conradus Romanorum Rex filius ejus, Otto Dux Bavariæ, & multi Principes, in aquis Danubii Wiennam, & hyemabant ibi tribus mensibus. Ex hoc mundanarum rerum eventu Fridericus olim Dux ab Imperatore & suis usque in quartum annum expulsus, & omnibus suis bonis & dignitatibus privatus fuit, demptis Castro Medling & Nova Civitate, in quam se recepit, cum castro Starchenberg. At Imperator ex Wienna Imperialem civitatem fecit, & dedit eis pro armis auream aquilam cum uno capite in nigro clypeo, quo usque hodie utuntur. Exiens autem Wienna, ibi reliquit Capitaneum Ekhardum [1] Episcopum Babenbergensem: quo mortuo, Conradus Frisingensis & Rudigerus Patavienſis Episcopi cum multis aliis nobilibus, quos Fridericus Imperator..... Tunc dictus Fridericus olim Dux terrore Imperialis fortitudinis non concussus, cum paucis qui sibi adhæserant, in oppido, quod dicitur Nova-Civitas, se recepit, & exinde pro sua defensione prout poterat exercendo..... Igitur Imperator cernens, quod Fridericus Dux parvipenderet illata, nec curaret gratiam Imperii requirere; recessit ab Austria, relinquens ibi Capitaneos Ekbertum Babenbergensem Episcopum, ac de Hennberg, de Eberstain, & de Nurenberg Comites, ad celebrandum diem Resurrectionis Ratisponæ. Ekbertus autem prædictus erat avunculus Belæ Regis Hungariæ, frater Berchtoldi Patriarchæ Aquilejensis, filius Berchtoldi Ducis Meraniæ, Marchionis Istriæ, vir bellicosus & magnanimus; & ob hoc prædictus Fridericus Imperator fuendam terram Australem sibi specialiter commendavit. Quo eodem anno defuncto, & Imperatore se ad Apuliam transferente, præfatus Dux animosior effectus Albertum Comitem de Pogen sibi associavit, & in auxilium vocavit; sicque cum ipso Comite egressus muros Novæ Civitatis, in campo, qui dicitur Stainfeld, pugnam iniit cum Wiennensibus, & Capitaneis eorum, reportans victoriam glorioſam. Capti sunt namque in eo bello Rudigerus Patavienſis & Conradus Frisingensis Episcopi, & multi ex Nobilibus, quos ad tuitionem terræ Fridericus Imperator reliquerat.

Dux itaque Fridericus prosperatus his successibus, recedente de partibus illis Cæsaris militia, auxilio Wenceslai Regis Bohemiæ, & prædicti Comitis Alberti de Pogen ex Bavaria, civitatem Wiennensem obsidione cinxit, & in tantum per abstractionem advectionis victualium angustiavit & afflixit, ut multi præ fame in ea morerentur: & (ut dicitur) homines canes manducabant, & muta frumenti dabatur pro septem libris denariorum gravis monetæ, & urna vini pro duodecim solidis denariorum ejusdem monetæ. Demum Wiennenses se dederunt, & tota Austria, & receperunt Ducem Fridericum iterum in Dominum & Principem eorum: similiter & Styria, & Carniola; & ita Dux Fridericus quarto anno ex Imperiali civitate Wiennensi Principis iterato civitatem fecit.

Noviſſime cum Imperatore fuit concordatus, qui eum ad se in Italiam ad Veronam, vulgariter Dietrichs-Bern, evocavit, quo in salvo con-

[1] *leg.* Ekbertum *ut infra.*

ductu

ductu cum ducentis equitibus, ſcharlatto cum albo in medio veſtitis, pervenit. Quem Imperator amicabiliter ſuſcipiens, ac magnos honores ſibi exhibuit, & ad tabulam invitavit. Quo nolente venire, inhibuit Cæſar, nequis ſibi ligna venderet; ipſe vero cum nucibus fecit eſcas ſibi præparari. Tunc perfecte ſunt concordati. At Imperator ei duodecim mulas, quæ tunc raræ fuerunt in noſtra terra, & duodecim paganos earum cuſtodes [1], & eum cum magno honore dimiſit. Et cum apud Veronam ſuper lapideum pontem ſuper fluvium Atheſim tranſiret, quidam Itali ſuos in ponte invaſerunt. Qui ſe viriliter defendentes, ultra centum Italorum ſubmerſerunt, & interfecerunt, & Duci duntaxat unus famulus occiſus fuit. Hanc ſeditionem inter Ducem Fridericum & Veronenſes ocyus Imperatoris Capitaneus ſedavit, & Dux Fridericus cum lætitia in Auſtriam deſcendit. Et acceptа Wienna, cives magno favore proſequebatur, & eos ſincere dilexit, ac duodecim eorum filios in ſuam curiam aſſumpſit, quos ſecum in Bohemiam duxit, quando cognatam ſuam Gertrudem de Medling, filiam fratris ſui, Wladislao Marchioni Moraviæ deſponſavit: per quod bellum inter Wenceslaum Regem Bohemiæ, patrem dicti Wladislai, ex una; & præfatum Ducem Fridericum ex altera parte concordatum fuit.

Anno Domini 1243. Dux Fridericus divortiatus fuit a ſua ſecunda uxore Agnete, filia Ottonis Ducis Meraniæ, propter conſanguinitatem, præſentibus Eberhardo Archiepiſcopo Salzeburgenſi, Rudigero Epiſcopo Patavienſi, & Doctoribus ac aliis multis. Item Imperator Fridericus II. dotavit & honoravit Fridericum Ducem Auſtriæ cum cruce Imperiali ſuper pileo Ducali, cujus privilegii tenor ſequitur, & eſt talis:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus Divina favente gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Principum noſtrorum petitionibus condeſcendere cogimur, quas niſi favorabiliter exaudiremus, obaudire quod juſte petitur, per injuriam videremur. Eapropter per præſens privilegium Princeps Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ, ac Dominus Carniolæ, dilectus Princeps & conſanguineus noſter, quoddam privilegium Divi Auguſti Imperatoris quondam Friderici, avi noſtri memoriæ colendæ, Heinrico Duci Auſtriæ proavo ſuo dudum indultum noſtro culmini præſentavit, ſupplicans attentius, ut ei illud innovare, & omnia quæ continentur in eo, confirmare de noſtra gratia dignaremur, cujus tenor per omnia talis eſt:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus Dei favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Quanquam rerum commutatio ex ipſa corporali inſtitutione poſſit firma conſiſtere: nec ea quæ legitime geruntur, ulla poſſint retractione convelli, ne inde rei geſtæ ulla poſſit eſſe dubietas, Imperialis debet intervenire authoritas. Noverit igitur omnis Chriſti Imperiique noſtri fidelium præſens ætas, & futura poſteritas &c. Et ego Reinaldus Cancellarius vice Arnolphi Maguntini Archiepiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi, regnante Friderico Romanorum Imperatore ſemper Auguſto in Chriſto. Datum Ratiſponæ XV. Cal. Octobris, Indictione IV. Anno Dominicæ Incarnationis MCLVI. feliciter, Anno regni ejus V. Imperii II.

Nos itaque, qui fidem & obſequia noſtrorum Principum non patimur irremunerata tranſire, attendentes fidem piam, & devotionem ſinceram, quam prædictus Dux ad Majeſtatis noſtræ perſonam & Sacrum Imperium habet: pro gratis quoque ſervitiis, quæ Nobis & Imperio exhibuit hactenus fideliter & devote, & quæ exhibere poterit in antea gratiora, ipſius ſupplicationibus favorabiliter inclinati, ſupra ſcriptum privilegium Divi Auguſti avi noſtri prædicti, huic noſtro privilegio de verbo ad verbum inſeruimus, omnia quæ continentur in eo, de Imperialis præeminentiæ noſtræ gratia confirmantes. Igitur competit etiam noſtro Imperiali Imperio, Illuſtri Principi noſtro perdilecto Friderico, ſpeciali gratia gratiando. Quapropter concedimus & damus etiam Illuſtri Principi Duci Auſtriæ hæc ſubſcripta, ad habendum pro jure hæreditario plenarie, ut nullus ſuorum feodalium, aut ſuarum terrarum inhabitantium, ſive poſſidentium, nulli alteri obediat, excepto etiam ſibimetipſo Friderico Principi Duci Auſtriæ, aut ſuas vices ſive poteſtatem ſupplentibus. Concedimus noſtro Illuſtri Principi Duci Auſtriæ crucem noſtri diadematis, ſuo Principali pileo ſufferendam. Volumus etiam, ut dilectus noſter Dux omnia ſua feodalia ſive jura liberaliter ſuſcipiat, datione ſine omni. Igitur jura omnia præſcripta Illuſtris Dux Auſtriæ rite & liberaliter tenere debet in omnibus ſuis terris: quas jam poſſidet, & in futurum poſſidebit. Statuimus igitur, & Imperiali ſanximus edicto, quatenus nullus Rex, Marchio, Princeps, nullus Prælatus, nulla perſona alta ſive humilis, Eccleſiaſtica ſive mundana, præſentis renovationis & confirmationis noſtræ tenorem venire præſumat. Quod ſi præſumpſerit, indignationem noſtri culminis, & pœnam mille librarum auri ſe noverit incurriſſe: quarum medietas Cameræ, reliqua vero parti paſſæ injurias applicetur. Ad hujus igitur renovationis & confirmationis noſtræ futuram memoriam & robur perpetuo valiturum, præſens privilegium fieri, & bulla aurea typario noſtræ Majeſtatis impreſſa, juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt, Conradus Friſingenſis Epiſcopus, Hainricus Bambergenſis Epiſcopus, Fridericus ... Illuſtris Regis Caſtellæ, Rudolphus nobilis Comes de Habſpurg, Ludovicus Comes de Helffenſtain, & alii quamplures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXLV. menſe Junio, III. Indictione, Imperante Domino noſtro Friderico Glorioſiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Rege, Romani Imperii ejus anno viceſimo quinto, Hieruſalem viceſimo primo, Regni quadrageſimo ſeptimo. Datum Veronæ, anno, menſe, indictione præſcriptis, Amen.

Imperator autem Fridericus primus dedit Hainrico primo Duci Auſtriæ ſertum pintatum [1] circumdatum pileo Ducali. Hainricus vero ſextus Romanorum Rex, Friderici ſecundi filius, adhuc vivente patre, Leopoldo Duci Auſtriæ duos Imperiales arcus ſuper pileo fe-

[1] *deeſt in MS.* donavit.

[1] *leg.* pinneatum, *ſeu rectius* pinnatum.

rendo concessit. Quæ omnia patent in præscriptis eorum privilegiis, in quibus præ cunctis aliis Ducibus seu Principibus excellentissime sunt dotati, ac exaltati. Item Dux Fridericus cœnobio Sanctæ-Crucis multa bona fecit, insuper Wulzendorf cum XIII. hubis ei donavit. Item Fridericus Dux cum Rege Hungariæ Bela quarto duo campi bella sudavit, & in tertio ex Nova-civitate ad fluvium Leutacha spatians, victorioſe pugnans cum Hungaris & Cumanis, adversa pars vincitur & fugatur: in qua victoria dubium est, utrum ab amicis vel inimicis circa oculum cuspide vulneratus, de equo cadens oppressus occubuit, feria sexta ante Viti, anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, ad Sanctam-Crucem humatus est. Domina Theodora octava die præ tristitia mortua est. Videns igitur Bela Rex Hungariæ orbatas hæredibus terras, scilicet Austriæ & Stiriæ sibi attrahere cupiens, multa millia hominum per Paganos & Cumanos in captivitatem abduxit, multos occidit & utriusque terræ Marchias inhabitabiles fecit. In prædicto Duce Friderico hoc præclarum genus, quantum ad sexum virilem, Austriæ Principum defecit, ex nobilissimis Francorum comitibus originem trahens, idcirco miseræ Provinciæ pericula multa & devastationes sequuntur.

Wladislaus Marchio Moraviæ, natus Regis Bohemiæ Wenceslai, occasione uxoris suæ Dominæ Gertrudis de Medling Ducatum Austriæ sibi subjugavit, sed in brevi sine liberis defunctus est. Post obitum Wladislai Ducis Austriæ, Hermannus Marchio de Baden, natus ex Rinegarde sorore Dominæ Agnetis Ducissæ Bavariæ, auxilio Ottonis Ducis Bavariæ, prædictam Dominam Gertrudem relictam Ducis Wladislai in uxorem duxit, Ducatum obtinuit, Wiennæ habitavit. Ex qua genuit filium nomine Fridericum, qui in Apulia decollatus est 1269, & filiam nomine Agnetem, quæ Ulrico Duci Karinthiæ copulata est, de qua supra dictum est. Sane Hermannus Dux impotens tantam malitiam hominum, quæ jam nimis invaluerat, morte etiam præpeditus, compescere non valebat, moritur IV Non. Octobris anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo sepultus in Neuburga Claustrali.

Imperator itaque Fridericus secundus Austriam sibi usurpare volens, illuc miserat quemdam Dominum de Aquis, ut usque ad adventum suum reservaret, deinde constituit ibi capitaneum Meinhardum Comitem Tyrolis, sed Imperator obiit MCCL. Post obitum Hermanni Ducis Austriæ, Domina Gertrudis relicta sua in contemptum Dominæ Margarethæ cognatæ suæ, præsumens Auxilio Belæ Regis Hungariæ totam Austriam subjugare, tertium maritum duxit Romanum Regem Russiæ, qui dimisit eam imprægnatam transiens in terram suam, nec est reversus. Ex quo filiam Mariam peperit, de qua supra. Postea multa mala perpessa est ab Ottocaro Marchione Moraviæ, qui eam ab Austria & Styria pepulit. Quæ ivit in Missnam ad Constantiam cognatam suam, ubi in quodam monasterio Monialium obiit, & sepulta est. Item Otto Dux Bavariæ mittens Ludovicum filium suum in Austriam cum exercitu, qui sibi opida Linz & Anasum cum magna parte illius Provinciæ subjugavit 1250. Demum Barones & Prælati Ducatus Austriæ statuta diæta in opido Krembs, elegerunt solennem legationem ad mittendum in Missnam pro Marchione. Legati erant.....de Liechtnstain.... Schenck de Hauspach, Abbas Scotorum, & Præpositus Neuburgensis. Qui, cum Pragam venissent, magnifice suscepti sunt a Wenceslao Rege Bohemiæ, sed ulterius procedendi in Missnam eis salvum conductum denegat; quinimo eos intime deprecando hortabatur, ut filium suum Othokarum Marchionem Moraviæ in Ducem Austriæ acciperent: qui quasi coacti, quantum in ipsis fuit, precibus ejus consenserunt propter pacem conservandam, quibus Rex filium præsentat. Margareta soror dicti Ducis Friderici, quæ olim nupserat Hainrico Regi Romanorum Friderici secundi filio, eoque vita functo in patriam redierat, hæreditatem accepit. Eadem jam anus Othokarum sibi virum ascivit, qui non tam conjugis ætatem, quam dotem animo volvens, sterile matrimonium contraxit, & Principatum nobilem consecutus, more humano, quanto [1] possedit, tanto majora concupivit. Et Regales nuptiæ in opido Haimburga solenniter celebratæ sunt 1254, & Ducatum Austriæ magnis difficultatibus obtinuit. Item Primislão tertio Rege Bohemiæ (coronato a Philippo) filio Wladislai secundi Regis, vita functo duo fuerunt filii, Wenceslaus & Othokarus. Wenceslaus [2] regnum Bohemiæ cessit, Othokaro Marchionatus Moraviæ. Fuit autem Wenceslaus unioculus, & sine liberis decedens. Regnum Othokaro reliquit 1254, qui & alio nomine Primislaus appellatus est, inter Bohemiæ Reges quintus, belli appetens, & magnorum operum effector, cui nec animus in rebus arduis nec consilium defuit. Regnum, quod a fratre susceperat, ex mari Baltheo in Mediterraneum sinum ad Danubium usque protensum extendit. Item Styrienses ad Bavariam pro Domino miserunt. Bela tamen Rex Hungariæ Petoviam civitatem jam cum magna parte Ducatus Styriæ occupaverat, & jam quasi per biennium Austriam, Styriam & Moraviam vastaverat: nec desiit lædere easdem terras, donec conventione inter Reges facta, Ducatus Styriæ sibi cum distinctis terminis assignaretur, Othokaro Ducatum Austriæ retinente, & bona pax exinde in illis terris facta est. Ipse autem Othokarus in tribus Principatibus, scilicet Bohemia, Moravia & Austria tanquam Princeps omni probitate præclarus optimam pacem fecit, vadensque in hyeme subsequenti cruce signatus in Prussiam (quam veteres Vlinrigiam vocavere) superatis Tartaris urbem condidit, quam Kunispergium, id est Montem-Regium vocant, & magnam partem ipsius terræ cultui subdidit Christiano.

Rex Hungariæ filium suum in Graz locavit,

[1] *videtur deesse* plura. [2] *l.* Wenzeslao.

qui

qui more patriæ ſuæ vixit, quod Barones Ducatus ſuſtinere non volebant, Othokarum invitarunt pro Domino, Hungarum expulerunt.

Anno Domini 1257. Othokarus Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, juvenis ætate, audacia perſuaſus, ac ſua iniqua rabie concitatus, ſine provida deliberatione conſilii, quæ bellicis in rebus ſumme neceſſaria eſt, cum expeditione armatorum per Patavienſem civitatem terram Bavariæ hoſtiliter eſt ingreſſus, jactans ſe tanquam divitiis & potentia prædictum velle ac poſſe contra omnium voluntatem, ad ignominiam Hainrici Ducis Bavariæ, & terræ ſuæ, ante muros civitatis vel caſtri Landshut potenter opera militiæ exercere. Nam tunc ibi dictus Hainricus cum Domina Elizabeth uxore ſua, filia Quarti Belæ Regis Hungariæ, fratris S. Elizabeth, morabatur. Sed cum per pagum, qui dicitur Chuntzingen, ubi olim civitas, Quinciana dicta, conſtructa erat, ſed per Hunos dudum ex integro everſa, per vallem Vilſæ fluminis incendio vaſtando plurimas villas & Eccleſias, usque juxta caſtrum Frawnhofen perveniſſet; ecce memoratus Dominus Hainricus Dux licet vix quinque dies ante introitum prædicti Regis in Bavariam talium inimicitiarum litteras recepiſſet, celeri volatu nuntiorum & literarum circumquaque currentium, convocatisque ſuis hominibus & amicis, tanquam animoſus Princeps, qui de ſua juſtitia & Dei miſericordia confidebat, cum exercitu valido equeſtrium & pedeſtrium ad campos contra ſuos audacter egreditur inimicos. Jam etiam ſupervenerat cum paucis Ludovicus Dux Comes Palatinus frater ſuus de partibus Rheni velociter evocatus, in cujus abſentia præfatus Rex ſperabat ſe ſui propoſiti deſiderium adipiſci. Itaque præfatus Rex cernens animoſitatem Ducum, & Bavaricæ gentis, timuit congredi cum illis, & in feſto ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quod tunc in ſexta feria occurrebat, treugis per illum diem petitis & impetratis in nocte ac ſubſequenti ſabbatho fugit cum omnibus ſuis verſus Muldorf. Ubi dum vexilla victricia nobilium Ducum dorſa fugientium ſequerentur, pons ibi per Oenum fluvium trajectus ſtrepitus tot hominum & equorum certatim & impetuoſe tranſire volentium ferre non valens, ſub hoſtibus ruit, & ſic plurimi ſunt ſubmerſi. Videbantur ibi electi milites in equis & armis natantes, quorum aliqui fluvium tranſierunt, aliqui adverſæ partis litori viciniores, ſe [1] potius captivitati dare quam morti, per lanceas & ſagittas littus tangere prohibentur: ſed & hi qui remanſerant circa flumen, receperunt ſe in ſuburbio ſub turri quadam, fugere non valentes, qui omnes cum equis optimis per indignationem ſubitam Domini Ludowici Ducis incendio ſunt cremati. Tunc itaque in aqua & igne quaſi quadringenti homines perierunt, reliqui vero omnes præter Regem, qui cum nobilibus tranſierat, in prædicto opido ſunt incluſi, obſeſſi & capti. Inter obſeſſos autem hi fuerunt nobiles: ex Bohemia Wocho de Roſenberg, A Zimlo de Leuchtenburg, Wichardus de Tyrnach, Schazla de Fridlam, Wilhalmus de Cordebrat, Ibis de Schechnum, Peneis de Valchenſtain, Purcharchus de Clingenwerch, Ulricus Pincerna de Ellnpogn, Jenczo Purchgravius de Grecio, Zinil frater Wochonis, Haur cognatus Wochonis, Dlehonil de Nabzdan, Styporius dictus caput, Ulricus de Roſental. Ex Auſtria vero Albero & Hainricus de Chuenring, Ulricus de Lobenſtain, Ulricus de Capella, Ludwicus & Albertus Zellkingarii, Sighardus dictus Piber: qui omnes nona die ab obſidione eorum, per clementiam Ducum prædictorum, ſub quadam forma compoſitionis cum equis ac rebus, quas tunc habebant, ad propria ſunt dimiſſi.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſexageſimo Othokarus Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, dolens, quod aliquando coactus eſſet a Bela Rege Hungariæ relinquere ſibi Ducatum Styriæ; congregato valido exercitu centum millium equitum (inter quos habuiſſe dicitur ſex millia equorum ferro opertorum) caſtra metatus eſt circa fluvium Marchia: ubi cum Steffanus Junior Rex Hungariæ una cum patre & Alpra Duce Cumanorum, habens in exercitu ſuo diverſarum orientalium nationum & Paganorum circa ducenta & quadraginta millia hominum equitum, ex altera parte fluminis ſibi occurreret, cum exercitu ſuo tranſitum ei fluminis impedivit. Tandem poſt plures dies Ottocarus Rex Bohemiæ pro commodo equorum & hominum volens ad ſuperiores partes fluminis ſe transferre, Steffanus Rex putans ipſum velle fugere; inſecutus eſt eum, & congreſſione facta apud villam, quæ Chreſſenprunne dicitur, in confiniis regnorum, feria 2. 3. Idus Julii, in die ſanctæ Margarethæ Virginis, æſtu maximo exiſtente, & ex colluſione equorum & armorum tantus pulvis de ſubtus exortus, ut media & clara die vix homo hominem cognoſcere potuiſſet: tandem victi ſunt Hungari, Rege ipſorum Steffano graviter vulnerato, terga vertentes. Cum cedentes fugam feſtinarent, in quodam flumine profundo, quem tranſire debuerant, præter alios plurimos occiſos circa quatuordecim millia hominum ſubmerſi ſunt. Ex parte autem Othocari multi ferro, & ſub armis calore nimio perierunt. Othocarus itaque Rex obtenta tali victoria, progreſſus cum exercitu ſuo in Hungariam devaſtando usque ad Puſonium. Sed poſt paucos dies Rex Hungariæ per legatos pacem quærit, & ſub quadam forma compoſitionis recedit; Ducatu Styriæ cum civitate Pettovia, quam adhuc Hungari tenebant, plenarie reſtitutis, & in futurum amicitiam matrimonio mediante confirmaverunt, & Epiſcopum Olmuncenſem Capitaneum Styriæ præfecit. Eidem etiam Othocaro Regi Bohemiæ prius, videlicet in feſto ſanctorum Joannis & Pauli, triſtem ſe obtulerat fortuna. Nam cum decem vel plura millia hoſtium inſultum facerent in Auſtriam circa opidum, quod Stenz vocant; duo fratres ſanguine nobiliſſimi, juvenes electi, Otto videlicet Comes de Haydekke [1], & Conradus Comes de Plain, ac

[1] *videtur deeſſe* parati, *aut ſimile quid.*

[1] *l.* Hardekke.

cum ipsis Chrafto de Sleuntz, Chadoldus dictus, Aorphanus cum quadringentis viris incaute eis occurrerunt: quibus fere omnibus occisis, pauciſſimi evaſerunt. In morte quoque prædictorum Comitum ipso die deperiit ſucceſſio illius nobiliſſimæ progeniei de Plain: quia ſine hæredibus deceſſerunt.

1261 Diſpoſitione diaboli ſuæ uxori [1] cœpit eſſe invidus [2], petivit Papam, ut aliam poſſit ducere, quod noluit Papa: poſuit eam in Krembs ſatis miſere, ibi poſtea eam intoxicavit.

Item 1263 Othocarus Rex copulavit filiam ſororis ſuæ; videlicet filiam Ottonis Marchionis Brandenburgenſis, Belæ juniori Hungariæ Duci. Rex Hungarorum obſedit Wiennam cum CXXX. equitibus, cui Domina Gertrudis de Medling jura ſua in Ducatu Auſtriæ clam reſignavit tempore obſidionis. Qui ei Romanum, Regem Ruſſiæ in maritum dedit, ut ſupra, quam Othocarus ex Auſtria exire cogit.

Anno Chriſti 1261 Principes convenerunt ad faciendam concordiam inter Othocarum Regem Bohemiæ &c. & Regem Hungariæ, dederunt quamdam amicam Othocari filio Regis Hungariæ Steffano in uxorem. Convenerunt itaque in Wienna cum ſponſa Bela Rex Hungariæ cum ſuis duobus filiis, Bela & Steffano, & Rex Maſchoviæ, qui habebat filiam Regis Belæ, & tres Reges ex Servia & 50. Duces potentes. Volebat Rex Othocarus Wiennæ hoſpitibus ſolatia & honores impendere. Propter hoc ut Domini ſui de Auſtria feoda acciperent, & homagia facerent; ſane Hungari putabant contra eos aliquid diſponi, infecto negotio clam ad propria redierunt. Quod ægre tulit Othocarus, quod ſibi non confidebant, & ſponſam conſanguineam ſuam eis ad Puſonium miſit. Sed quantum aucta Othocari potentia eſt, tantum etiam inſolentia crevit, qui vivente legitima uxore Margaritha, quæ ſibi tantum Ducatum adjecerat, alteram ſuperduxit, ſine judicio Eccleſiæ, Chunigundam Regis Maſchoviæ filiam, neptem Belæ Regis Hungariæ, & una cum ipſa in ſequenti feſto natalis Domini Regali diademate coronatur a Wernhero Archi-Epiſcopo Maguntinenſi.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto Othocarus Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Styriæ &c. inimicitias jam dudum contra Ludovicum & Hainricum Duces Bavariæ conceptas [3], totis viribus in arma ſe convertit, adſciſcens ſibi Salzeburgenſem, Patavienſem, Ratisponenſem civitates cum munitionibus eorum: ex quibus facta ſunt in Bavaria multa incendia, occiſiones hominum, & rapinæ. Ipſe quoque Othocarus in menſe Auguſto cum multis millibus armatorum verſus Chamb Bavariam intravit, Rengſtauff, Nittau, & plura caſtra deſtruxit, in quibus per incendium & jacula ſagittarum magna periit hominum multitudo, & morante ipſo per biduum Ratisponæ, & exercitu penuriam victualium patiente, per Egram revertitur in Bohemiam. Recedente ergo ipſo Rege de Bavaria, Hainricus Dux miſſo exercitu ultra fluvium Ilciainenſem, opidum in Velden, & alias munitiones cum tota Provincia ibidem incendio devaſtavit. Subſequenter 3. Kal. Novemb. Dux Hainricus per portam quandam civitatis Patavienſis, procuratione ſive traditione quorundam, per adulterinas claves obtinuit novum forum cum aliquibus domibus, & etiam cellario Canonicorum, ac magnam partem civitatis exuſſit, aliquibus civibus ibidem interfectis; totamque civitatem cepiſſet, ſi ſui non fuiſſent propter invaſionem rapinæ & noctis tenebras hinc & inde diſperſi.

Anno Chriſti 1267. Domnus Guido Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, VI. Idus Maji apud Wiennam Concilium celebravit, cui interfuerunt, Johannes Pragenſis, Petrus Patavienſis, Conradus Friſingenſis, Leo Ratisponenſis, Bruno Brixinenſis, Amulbertus [1] Laventinus Epiſcopi, & alii quamplures Diœceſani Prælati, Archi-Diaconi, & Decani.

Othocarus Rex Bohemiæ & Hainricus Dux Bavariæ rurſus per pacis oſculum ad concordiam redierunt, cui Papa advocatiam Salzeburgenſis Archi-Epiſcopatus commiſit. Item hic Othocarus multas advocatias in Auſtria, & alia plura bona Conrado Epiſcopo Friſingenſi donavit, ſicut in privilegiis habentur. Item Othocarus Rex Belam Regem Hungariæ eſt aggreſſus in campo, dicto March-feld, & obtinuit victoriam, auxiliante ſibi Ulrico Duce Karinthiæ, & fratre ſuo Philippo electo Saltzeburgenſis Eccleſiæ, & in ſignum victoriæ condita eſt civitas in eodem loco, quæ dicitur *Marcheck*.

Item 1269. Gregorius Patriarcha Aquilejenſis obiit, in cujus locum eligitur Philippus quondam Salzeburgenſis electus, frater Ulrici Ducis Karinthiæ. Qui Udalricus cum virili ſobole careret, accepta ex Othokaro pecunia, Karinthiam illi, Carniolam, Marchiam Schlavonicam, & portum Naonis tradidit. Veronenſes exinde, Feltrenſes, Tarviſii, & multi ex Foro-Julii ultro ſeſe ei ſubmiſerunt. Quo Ulrico poſt in brevi eodem anno ſine hæredibus defuncto, memoratus Philippus eundem Ducatum tanquam verus hæres ipſius attrahere attentabat; ſed per Othocari Regis potentiam impeditur, qui 1270. terram Karinthiæ forti manu pertranſiit, & ſibi uſurpavit: quinimo & Pettoviam vi in deditionem accepit, ſed dum rediret, in loco Seranig obſervavit eum Steffanus Rex Hungariæ ſororius ſuus, quocirca coactus fuit per Campum-liliorum exire.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo Othocarus Bohemiæ Rex, congregato valido exercitu, infra Octavas S. Paſchæ invaſit Hungaros: devictisque munitiſſimis caſtris, ſcilicet Puſonio, Altenburg, Tirna, & caſtro Sancti Georgii, Eiſenburg, Odenburg, & aliis pluribus munitionibus captis & devictis, circa feſtum Pentecoſtes propter conſumptionem victualium reverti cogitur in Bohemiam, exercitu relaxato, ut eum cognata ſua rogaverat. Tunc Othocarus Baronibus Auſtriæ & Styriæ caſtra & alia, quæ eis abſtulerat, reſtituit, ut ei auxilio forent. Steffanus autem Rex Hungariæ, miſſis in Moraviam & Auſtriam Hunga-

[1] *ſupple* Rex Othocarus. [2] *f.* infidus. [3] *Sic MS. pro* inimicitiis conceptis.

[1] *al.* Amalricus.

ris

ris & Cumanis, per incendia, rapinas, & multas ſtrages hominum plurima mala geſſit. Tunc circa ſolſtitium æſtivale, per Epiſcopos & Religioſos viros Deum timentes, ad inopinatam pacem & ſubitam pacis concordiam redierunt.

Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Steffanus Rex Hungariæ circa Kal. Auguſti moritur, cui primogenitus Ladislaus ſuccedit. Eodem anno poſt mortem prædicti Regis Steffani Comes Hainricus de Suſſingen, qui ab eodem Rege de Hungaria ejectus fuerat, & receptus a Rege Bohemiæ filiam Domini Zinglonis de Luchtenberg duxerat in uxorem, dimiſſa eadem uxore, ad Hungaros eſt reverſus, & reconciliatus Domino Ladislao Regi. Accidit ut cum Domino Bela Duce de Marſawe avunculo Regis prædicti, & conſobrino Regis Bohemiæ, idem Comes in verba contumeliæ prorumpens, occaſione præſumptæ proditionis contra ſupradictum Dominum Ladislaum, ipſum Ducem Belam in inſula apud Budam miſerabili nece proſterneret, ut membra ipſius in fruſta conciſa materteræ ſuæ, ſcilicet Dominæ filiæ Domini Steffani Regis, in monaſterio ibidem conſtitutæ, colligerent, & cum planctu & dolore maximo ſepelirent. Ob quam cauſam Rex Bohemiæ cum maximo furore commotus, initam cum Regno Hungariæ concordiam, & ad magnam utriusque partis inſtantiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmatam reſcindens, nec pacem, nec treugas ſolemnibus Nuntiis Hungarorum poſtulantibus voluit indulgere; ſed in confinibus juſſit eos invadi, & ſtatuit cum magno exercitu ipſum Regnum ſe hoſtiliter ingreſſurum. Unde ſequenti anno Hungari & Cumani prævenientes, prædicti Regis Bohemiæ quasdam civitates Auſtriæ, Styriæ, & Moraviæ cum magna ſtrage hominum utriusque ſexus intraverunt.

1273. Rex Othocarus & Hainricus Dux Bavariæ ad plenam concordiam redierunt, Rege Bohemiæ de caſtro in Scherding, & quibusdam juribus, quæ pertinebant ad Ducem Hainricum, refutationem faciente. Ipſi etiam contra omnem hominem hujus mundi jurarunt mutuo ſe juvare. Othocarus Baronum caſtra deſtruxit, & eorum cognatas mulieres nobiles oppreſſit, & multa mala in terris ſibi ſubjectis commiſit. Othocarus ſæpe dictus, vocatus per Principes Electores ad Regnum contempſit, palam inter ſuos jactitans, pluris Bohemiæ Regem, quam Romanum Imperatorem eſſe. Ducavit 26. annis in Auſtria.

Anno ſalutis M C C L X X I I I. Rudolfus Habſpurgi Comes, qui Magiſter curiæ Othocari fuiſſet [1]. non minus belli, quam domi clarus, Chriſtianæ reipublicæ præfectus eſt. Qui cum Nurembergæ, deinde Herbipoli diætas Principibus ſtatuiſſet, demum Auguſtæ, & omnes ſibi obtemperarent; ſolus Othocarus renuit.

Anno Chriſti 1275. Rex Rudolfus Comitem Zolrenſem filium ſororis ſuæ Principem creavit, & eidem Burckgravionatum Nurembergenſem tunc vacantem conceſſit, & eum miſit ad Othocarum Legatum, Auſtriam, Styriam & Carinthiam, ceterasque vicinas Italiæ Provincias, tanquam juris Imperii repetit: quando nec Auſtria muliebre [1] feodum eſſet, nec Carinthiam injuſſu Cæſaris Ulricus venumdare potuiſſet. Renuit Othocarus, & Cæſari qui aliquando ſibi ſerviviſſet, impacao animo reſpondit.

Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto Rudolfus Rex expeditionem movit verſus Auſtriam cum exercitu non tantum numeroſo quantum valido: euntibus ſecum in exercitu Maguntinenſi, & Engilberto Colonienſi Archi-Epiſcopis, Herbipolenſi, Leone Ratisponenſi, Petro Patavienſi Epiſcopis, Ludovico Comite Palatino Rheni, & fratre ſuo Hainrico Duce Bavariæ, & aliis nobilibus multis de Rheno, Franconia, & Suevia. Habuit quoque naves caſtellatas, quibus meatus Danubii obſtructos infringere conabatur; ſed mediante magiſtralium virorum conſilio, ſine omni ſtrepitu belli ipſi meatus in Straubing & Pataviæ pateſiunt. Et ſic Rex Rudolfus Auſtriam deſcendit, deſtructaque multa parte terræ circa Anaſum, multi homines perierunt, & civitates & caſtra ſe ſuo Dominio ſubdiderunt: & cum Tulnam veniret, ex clauſtro ibidem monaſterium fecit, & Wiennam obſidione cinxit. Civibus autem reſiſtentibus, multa eorum pomœria ac vineæ ſunt ſucciſa ac vaſtata; nec tamen per violentiam cepit, ſed intervenientibus amicis, ea lege reconciliati ſunt, ut Auſtria Cæſari cederet: exin datis acceptisque filiabus affinitas utrinque jungeretur, Provinciæ, de quibus lis eſſet, dotales fierent. Adeptus Auſtriam Rudolfus, Othocarum in verba ſua jurare more majorum expoſcit. Id ſuperbo Regi gravius viſum, tanquam ex Domino ſervus fieret. Exoriuntur novæ lites, bellum indicitur, cumque jam duo exercitus ad mille paſſus alter alteri proximus conveniſſent, veritus Othocarus Rudolfi potentiam, injuſtamque belli cauſam animo volvens; legatos mittit, qui ſe juraturum dicant, ſi modo intra tentorium Regale honoris ſui cauſa fieri Rudolfus velit. Accipit conditionem Cæſar potius, quam belli fortunam experiatur. Suggeſtum in tentorio ſublime paratur, ibique aureum ſolium eminentiori loco erigitur. Rudolfus diademate & Imperialibus inſignibus conſpicuus, conſidentibus Electoribus Imperii, cæteris Baronibus circumſtantibus, in die S. Elizabeth advenientem Regem ſedens expectat. Ille cum paucis Regni optimatibus ingreſſus, conſcenſo ſuggeſto, ad pedes Cæſaris genua flectit, proinde ex veteri conſuetudine admotis ſacro-ſanctis jurejurando ſe adegit. Interea tentorium arte compoſitum, a ſummo usque deorſum in quatuor proſciſſum partes decidit, Regemque ut erat in alto loco ad Cæſaris genua ſupplex, videndum exercitibus præbuit. Stabant circumquaque armatæ acies, rei exitum ſpectantes. Sed quam læti Theutones, glorioſum Regem ſuum videntes, tantum indigna-

[1] f. fuerat.

[1] *Immo vero Auſtriam ſeudum eſſe* muliebre, *ut hic vocat Arenpeckius, conſtat ex Diplomate, quod ea de re Fridericus Imperator I. Heinrico Duci Auſtriæ I. conceſſit, & ſupra jam a nobis exhibitum fuit.*

bundi Bohemi, quod Rex eorum humiliari magis, quam prælium experiri voluiſſet. Stupefactus ea re Othocarus; quamvis dolo magis, quam caſu cecidiſſe tentorium ignoraret; ſubricendum tamen in præſentia cenſuit, petitaque a Cæſare venia, plenus irarum domum rediit. Quem, tametſi ſua ſponte fureret, magis tamen ac magis uxor incendit, quæ cognito rerum ſucceſſu, advenientem Regem hiſce verbis allocuta fertur: Hæccine nobis ſpolia, hanc belli adoriam domum refers? Dediti omnes hodie tua opera veluti mancipia, veluti pecudes ſumus, Regina Provinciarum Bohemia tributaria facta. Cum te olim ſuperaſſe prælio Tartaros, exuiſſe caſtris Hungaros, Styriam armis ademptam eſſe, Italiam cum exercitu penetraſſe audiveram; felicem me, quæ tali nupſiſſem viro; patrem, qui me Regi magnanimo tradidiſſet, ſapientem æſtimabam: neque Reginam eſſe ullam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc falſa omnia experior. Nam quæ mulier me infelicior? quis te virorum omnium ignavior? Auſtriam Provinciarum nobiliſſimam, tot urbibus, tot Proceribus inſignem, nulla neceſſitate coactus ex manibus tradidiſti; Styriam, Carinthiam, & quas poſſidebas in Italia, civitates turpi metu reliquiſti; cum Comite Habſpurgenſi infimi generis affinitatem contraxiſti; poſtremo ei, qui ſatelles tuus quondam fuerat, jurejurando exhibito te ſubmiſiſti, & ſervus ſervi factus, tuam ſimiliter & majorum tuorum gloriam obfuſcaſti. En virum, qui magnitudine animi renuiſſe Imperium videri vult! Laudarem, ſi te illi non ſubjeciſſes. Age, ſi tibi animus virilis deeſt, neque gladios intueri potes, ſine me Regem eſſe, experiar profecto, Bohemis, an Teutonibus Imperium debeatur. Sunt Poloni, ſunt Saxones, ac Francones, qui noſtra ſigna ſequuntur, ſunt Sleſitæ, Moravique, & verebimur belli tentare fortunam? Utinam aut tibi meus animus fuerit, aut mihi obedientia, quam te habere animadverto; ſentiret profecto Rudolfus, neque vires adverſus Dominos valere, neque dolos. Othokarus (qui cum uxoris charitate teneretur, eamque verum locutam animadverteret, ſimulque animi magnitudine irrogatam contumeliam ferre non poſſet: Cui rebellantibus plurimis Bohemis nobilibus Othokarus reconciliatur, Domino Brunone Olmucenſi Epiſcopo mediante, redditis obſidibus & captivis filiis Magnatum & Nobilium, quos ante ingreſſum Regis Rudolfi in Auſtriam ab ipſis vi extorſerat, & in Bohemiam abduxerat) Othokarus itaque gravi ferens corde ſe Auſtriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam &c. ſine opere bellico reſignaſſe, & feodalia recepiſſe; Principes, & alios ſubjectos Romani Imperii in diverſis mundi partibus ad conſpirationem ſollicitat, & pecunia plurimi corrumpuntur: quorum alii ſe Regi Romanorum publice objiciunt, alii occultis inſidiis fidem frangunt. Accerſitis autem Regni Primoribus, collectisque novis copiis de terris ſuis, ſcilicet Bohemia & Moravia, & etiam de aliis terris, Polonia, Pomerania, Sleſia, Luſonia [1], Saxonia & Miſna, cum Duce de Glokau, Duce Branſianiæ, Duce Poloniæ, Duce de Kaleis, de Syras, & de Pomerania, Comite Miſniæ, Rege Ruſiæ &c. Rudolfo, qui dolo ſecum egiſſet, feodalia reſignat, bellum indicit. Neque ille certamen detrectat. Othokarus ſiquidem caſtra metatus eſt ſuper flumen March in campo, qui dicitur Marchfeld, prope Ciſtersdorf. Et cum cogitaret cum Rudolfo congredi, ecce multi nobiles de parte adverſa ipſum nuntiis ſuis & litteris præmunierunt, dicentes, quod in congreſſione nobiles ſui ipſum eſſent proditialiter in manus hoſtium tradituri. Quod cognoſcens idem Rex Bohemiæ, nobiles ſuos ad ſe in ſuum convocavit tentorium, & ſe eis inermem omnimode præſentavit dicens: Ecce inermis in conſpectu veſtro ſto, & licet de veſtra fidelitate non diffidam, tamen ſi cuiquam contra me proditionis, vel iniquæ factionis eſſet voluntas, melius eſſet, quod me nunc ſolum occideret, quam quod cras in bello mecum multa millia hominum moriantur. Sed ipſi nobiles multis juramentis ſe ſibi fideliter aſſiſtere promiſerunt.

At Rudolfus Rex electum exercitum adunavit, conjunctis ſibi Ladislao Quarto Hungarorum, & Cumanorum Regibus, & advolantibus ſibi nobilibus de Styria, Carinthia, Bavaria, Rheno, Franconia, & Suevia, Rudolfo Archi-Epiſcopo Salzburgenſi, Burckgravio Nurembergenſi, Comitibus de Altenloch, & Halnberg, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & militibus multis de partibus ſuperioribus. Sane Rex Bohemiæ cuidam ſtrenuo militi promiſit multa ſe daturum, ſi Rudolfum, vel ſaltem ejus equum in congreſſu occideret. Qui miles hac promiſſione accepta, cuneum fortiſſimorum militum penetrans, ipſum Regem Romanorum vehementi ictu in terram proſtravit, & equum ejus occidit; ſed nobiles, qui latus ejus ſtipaverant, eundem militem captivarunt, & Regem in equo alio locaverunt. Sed ecce mirabilem prædicti Regis clementiam! qui eundem militem captivum præſentatum, abire illæſum permiſit, dicens, quod reipublicæ damnum eſſet, ſi miles adeo fortis & ſtrenuus deperiret. Conveniunt ambo Reges cum exercitibus ſuis in campis Auſtriæ trans Danubium apud Weidenpach, feria ſexta ante Bartholomæi, quæ fuit 13. Kal. Septembris. Othocarus diviſit populum in ſex cumulos, Rudolfus in quatuor, cum quo fuit Ladislaus Rex Hungariæ. Primus cumulus Teutonicorum fuerunt Auſtrales, contra cumulum, in quo fuit Othocarus, habens coopertos equos quaſi mille. Hi cum aciebus ſuis quaſi ad unam horam pugnabant, ſic quod neutra pars poterat aliam infringere; Auſtrales tamen rumpunt aciem Bohemorum. Rudolfus venit ad Othocarum, a quo, vel a ſupradicto milite maximis ictibus percuſſus de equo cecidit, & ſtatim a ſuis, qui ſibi pro cuſtodibus deputati ſunt, levatus eſt ſuper equum. Commiſſum eſt atrox prælium, diuque Marte dubio pugnatum. Sed quia Othocarus nobiles, & populum Bohemiæ, Moraviæ, Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, qui ante tempora prædicti Regis rapinis & ſpoliis aſſueti fuerant,

[1] *f.* Luſatia.

rant, ipſe multa auſteritate, & ſine perſonarum acceptione in ſeveritate juſtitiæ compeſcuit, ita magnum judicaverat ſicut parvum; ob hoc eum prædicti nobiles ſui latenter odio habuerunt, maxime Bohemi. Poſt venit alius cumulus Teutonicorum, qui diviſit Bohemos hinc inde, ex quibus territi Bohemi, cum multitudine ac robore Suevi animati, quibus Rudolfus maxime fidebat, ordine & arte eſſent ſuperiores; cecidere quam plurimi ex utraque parte, major tamen ſtrages Bohemorum edita. Othokarus autem habebat Milotum Capitaneum cum cumulo alio adhuc quieto, qui Milotus videns neceſſitatem Domini ſui adeſſe, cogitavit mala, quæ perpeſſus eſt ab eo: quia fratrem ejus detentum ab eo in vinculis interfecit, etiam cum exercitu ſuo receſſit, ac ipſum Regem hoſtibus expoſitum dimiſit. Quod cum ipſe Rex aſpiceret ſe ſuorum adjutorio privatum, cum illis paucis, qui mori pro Domino & patria elegerant, in turmas hoſtium proſiliit: & multa ſtrage ab eo facta, dum fortiter pugnat, ad extremum inter confertiſſimas hoſtium acies occiditur, & cum eo quaſi XIV. millia pugnatorum, & multi capti, multa etiam arma & bona eis ablata fuerunt. Ferunt Styrienſes duos domi [1] nobiles, quorum frater ab Othokaro per injuriam extinctus fuiſſet, eum toto prælio quæſitum cum certis indiciis cognoviſſent, in ultionem fraternæ cædis obtruncaſſe. Corpus ejus omnibus ſpoliatum, in Laa allatum, permittente Rudolfo, in Znaimam Bohemiæ [2], inde in Pragam translatum regio honore ſepultum. Prælium ipſa die Beati Ruffi peractum anno ab incarnatione Verbi 1278. A populatione Bohemiæ Rudolfum abſtinuiſſe [3] quæ genero deberetur.

Anno Chriſti MLXXX. Rex Rudolfus in tota Auſtria & Styria, obtenta plenaria obedientia cum homagio & juramento de fidelitate, Viennam revertitur. Cum autem in Auſtria per quatuor continuos annos moratus fuiſſet, Sueviam revertitur, relinquens in Auſtria pro proviſore ſuum primogenitum Albertum Comitem Habſpurgi, & in Styria quemdam de Liechtnſtain pro Capitaneo.

Rudolfi genitor fuit Albertus Comes Habſpurgi, Lantgravius ſuperioris Alſatiæ, Dominus Schaffenburgenſis, & civitatis Argentinenſis, quam etiam contra Dominos Heinricum de Feringen & Berchtoldum de Decke Epiſcopos Argentinenſes multis victoriis obtinuit. Quo defuncto, ipſe Rudolfus filius prædicta dominia una cum civitate Argentinenſi viriliter poſſedit, probus, fortunatus, pacificus, & juſtus fuit, XIV. bella proſpere ſudavit, ab infantia armis nutritus. Eo electo [4] Marchioni Badenſi multas civitates una cum comitatu Kyburgæ abſtulit. Duas inſuper uxores habuit. Prima, Anna Comitiſſa de Hayrloch & Hochenberg, obiit Viennæ, funus defertur in Baſileam: nam omnium Reginarum coronatarum in Aquisgrano, ſepultura eſt in Baſilea. Deinde duxit aliam Pytriz [1] de Italia, quam Fridericus de Leiningen Epiſcopus Spirenſis levans de curru contra ſuam voluntatem oſculatus eſt, quod Regi conqueſta eſt; ideo oportuit Epiſcopum vitare Almaniam, quam diu Rex vixit. Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens in palatio Aquenſi, ad quod jam pridem inthronizatus a Principibus fuerat, duas ſuas filias; Mathildim Ludovico Comiti Palatino Rheni; alteram Duci Saxoniæ deſponſavit. Tertia, nomine Guta, pro pacis conſervatione Wenceslao Regi Bohemiæ filio Othokari fuit copulata, qui ex ea genuit Wenceslaum, qui ſibi in Regno ſucceſſit; Jutham uxorem Gentilis de Urſinis; Annam Duciſſam Karinthiæ, & Elizabet Reginam Bohemiæ. Defuncta Domina Guta, Rex Wenceslaus duxit Elizabeth, quæ poſt ejus mortem relicta Rudolfo filio Alberti Regis in matrimonium tradita eſt. Sane Rudolfus Rex tres filios habuit, Albertum, de quo infra, Rudolfum & Hartmannum Comitem Habſpurgi, qui cum aliis XIV. apud Reinau in Rheno ſubmerſus eſt anno Chriſti 1280. Rudolfo filio Regis Rudolfi, Agnes ſoror ſexti Regis Bohemiæ Wenceslai, filia Othokari, nupſit ([2] Poſt hujus, patrui ſui, mortem Rudolfus in octavum Regem Bohemiæ eſt electus, ſed non coronatus, victus ab Hainrico Duce Carinthiæ: qui Pragæ moriens 1308, ibi defunctus jacet) & ex ea natus eſt Johannes, qui Albertum Regem circa flumen Rhenum, non longe ab opido Schaffhuſn, dum ſimul amice iter agerent, ſua manu interfecit; deinde pœnitentia ductus Clementem V. Pontificem Maximum, qui ſibi purgationem indulgeret, apud Avinionem adiit. Pontifex Cæſaris occiſionem ab Imperatore judicandam ait. Venit igitur Piſas, ubi cum Cæſar Hainricus VII. ejus nominis Imperator conſidebat, a quo juſſus religionem ingredi Eremitarum Sancti Auguſtini, in eaque perpetuo pœnitere, non recuſavit: mortuus eſt in eadem urbe, & in æde ſui Ordinis ſepultus.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto Rex Rudolfus curiam Auguſtæ celebravit, & in die Nativitatis Domini, filium ſuum primogenitum Albertum Comitem Habſpurgi Ducem creavit, & dedit ei in feodum Auſtriam ac Styriam, ac Meinhardum Comitem Goriciæ & Tyrolis Ducem Carinthiæ fecit: præſentibus Rudolfo Archi-Epiſcopo Salzeburgenſi, Hainrico Ratisponenſi, Wernhardo Patavienſi, N. Baſilienſi, & N. Eiſtettenſi Epiſcopis, Ludovico & Hainrico Ducibus Bavariæ, & aliis viris illuſtribus & Comitibus, ac Nobilibus multis. Ubi in Epiphania Domini Rudolfus Rex reformavit amicitiam inter Rudolfum Archi-Epiſcopum Salzeburgenſem, & Hainricum Ducem Bavariæ Inferioris, facta compromiſſione in honorabiles viros ſex ſuper quæſtionibus, ſi quas inter ſe habuerint decidendas.

[1] *f.* Dominos. [2] *leg.* Moraviæ. [3] *ſupple* ferunt, *aut ſimile quid.* [4] *ſic MS. pro* Is electus, *ſcilicet in Rom. Imperatorem.*

[1] *ita vitioſe MS. al.* Agnetem *filiam Ottonis Burgundiæ Comitis.* [2] *Ita quidem locum hunc in Cod. MS. ſiede depravatum emendavimus, is enim ibidem verbotenus ſic habebat.* Hic poſt mortem nepotis ſui Rudolfi Octavi Regis Bohemiæ eſt electus in Regem, ſed non Coronatus *&c. ut in Cod. MS.*

dendas. Postquam regnavit annis XVIII. venit Franckfordiam, & voluit filium suum Albertum Ducem Austriæ, Regem fecisse; Electores noluerunt. Deinde ivit Argentinam, ubi octo dies mansit: valedicens Spiram transiens, ubi anno Domini 1291. in die divisionis Apostolorum obiit, & sepultus fuit.

Albertus Austriæ Dux primus de genere Habspurgico, cujus consiliarii fuerunt N. de Meysen, N. de Puchaim, N. Drugsas de Lempach hospites: Comes de Ladenberg, de Walsee, insuper Germani & patrui sui V. ex Suevia venientes, in Austria habitationes aquisierunt. Ea tempestate Hungari Styriam impugnabant, quibus Capitaneus Abbas Admontensis occurrens, ab eis stragem hominum accepit. At Ladislaus Rex Hungariæ Alberto Duci Austriæ auctoritatem vindicandi se in adversariis concessit. Quocirca Albertus exercitum 1500. pugnatorum cum Episcopis Patavienſi & Pabenbergensi versus Hungariam movit & castra & munitiones hostium destruxit, & Altenburg cepit. Tunc Provinciales sui subditi petierunt, ut possint domi redire ad vindemias: quibus peractis iterato Dux contra hostes processit 1293. Comes de Teifers accepta ab Hungaris occulte pecunia, campo cessit, idcirco male habitus fuit; sed quia bursam suam replevit, ea causa potentia Principis Sueviam redire cogitur.

Item 1293. Cum Albertus Dux Austriæ cum Conrado Salzburgensi Archi-Episcopo discordaret, & ex utraque parte sibi damna gravia intulissent; idem Archi-Episcopus confœderavit sibi Ottonem Ducem Bavariæ, & una cum prædicto Duce Carinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod possit terram Styriæ obtinere; sed tandem eos redire densitas nivium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archi-Episcopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cujus liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata: pro qua reformatione Hainricus Ratisponensis Episcopus una cum Ludovico Duce Bavariæ Inferioris sollicite laboravit. Qua concordia vix ad tres annos vel paulo plus durante, Dux Austriæ obsedit opidum Rastat ad duos menses & modicum amplius, a qua obsidione tandem propter inopiam victualium, quæ per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse: quia & Dux Otto cum exercitu usque in Salzeburgam processerat contra ipsum. Ex hinc Rex Hungariæ has terras potenter forti manu intravit, & incendio ac præda dire eas vastavit. Facta est itaque pax, ut Albertus Dux castra, quæ in Hungaria ceperat, dimitteret; tunc Rex & Dux societatem jurarunt.

Dux Albertus in bello contra Hungaros pecuniis exhaustus in Styriam se recepit, at Barones petierunt, ut antiquas consuetudines & eorum privilegia confirmaret, ac eos in suum consilium reciperet. Quod cum eis denegaretur, sine licentia recedentes Archi-Episcopum Salzeburgem contra Ducem provocaverunt, & in Bavariam ad Ducem Hainricum pro Domino miserunt, qui veniens civitates & opida Pruggam usque in deditionem accepit. At Dux Albertus in Austria collectis viribus usque ad Semering processit, quo comperto Bavariæ Dux retrocessit, & Albertus castra & opida reaccepit. Quidam Barones e campo Ducis Bavariæ defecerunt, qui capti, coacti sunt sua castra Duci Alberto assignare.

Anno 1292. Albertus Dux Austriæ per Electores vocatus, qui cum sexcentis militibus uno colore vestitis in Rhenum ascendit, sperificatus [1] in Regem eligendus; sed Gebehardus Archi-Episcopus Maguntinus astutia vota Electorum attrahens, quemdam patruum suum Adolfum Comitem a Nassaw elegit. Quare Albertus parvipendens in Austriam rediit. Deinde Wiennenses dissidentes rebellabant Duci, eo quod antiqua eorum privilegia observare renuit. Tunc quidam ex communitate in auli cos ejus surrexerunt, ita ut in calvum montem secedere cogeretur: Wiennenses Barones, & alia opida ad rebellandum incitant. At Dux omnia strata & vias observabat, ne quid Wiennensibus adduceretur. Quam ob rem communitas senatum coëgit ad quærendam Ducis gratiam, qui in castro Kalnberg Ducem cum suis privilegiis accessit, & quæ sibi displicuerunt delevit, & in conspectu eorum combussit. Deinceps Barones diætam in Stoharaw habuerunt, & quatuor ex eis ad Ducem miserunt, ut antiquas eorum consuetudines servaret, & hospites dimitteret abire. Qui respondens ait, ad supplicationes placita facere, sed coactione nihil. Item quadam domo Wiennæ Dux Wiennæ intoxicatus fuit, unde Medici eruerunt sibi unum oculum, & per foramen ejus venenum exire compulerunt.

Adolfus Rex Romanorum gratiam & favorem Principum, qui eum elegerunt, amisit, & præcipue Gebhardi Archi-Episcopi Maguntini, qui suscitavit contra Regem, Albertum Ducem Austriæ, Albertum Comitem de Hayrloch, & Comites de Lingen, de Zwainbrikke, ac Ochsnstain, qui omnes conspiraverunt in mortem Regis: ea de causa nullus eorum, bonam mortem adeptus est.

Anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo octavo Electores Principes miserunt ad Ducem Albertum, inimicum Adolfi Regis, ut ad eos Maguntiam veniret; ut Regem ibi deponerent, & eum eligerent. Congregati igitur Electores omnes cum multis Principibus aliis, demptis Archi-Episcopo Treverensi, & Rudolfo Comite Palatino &c: & quantum in eis fuit, privaverunt Adolfum regno, & Albertum Ducem Austriæ & Styriæ elegerunt, ac sibi juraverunt. Idcirco dictus Dux Albertus filius quondam Rudolfi Regis Romanorum, circa mediam quadragesimam cum favore Ottonis Ducis Bavariæ Inferioris Bavariam pertransivit cum exercitu, in Monasterio Weichenstephanensi cum sex millibus pugnatorum pernoctavit, habens secum paucos Australes cum Hungaris & Bohemis, ad partes Rheni veniens in vigilia sancti Johannis Baptistæ, una cum Gebehardo Archi-Episcopo Maguntinensi, Argentinensi, & Constantiensi Episcopis, ac quibusdam nobi-

[1] *ita MS.*

libus

libus majorem fortitudinem collegit contra Regem. Quo comperto, Adolfus Rex similiter grandem exercitum collegit. Albertus Dux Rhenum transiit; at Rex Adolfus Rudolfi Comitis Palatini, & Ottonis prædicti Ducum Bavariæ, ac quarundam civitatum Imperii, puta Spiræ, Wormaciæ auxiliis juvabatur. Eidem Duci Austriæ, qui jam nomen Regis assumpserat, post multos circuitus hinc inde habitos, in loco qui dicitur Hasnhubel [1] non expectans auxilium suorum Principum, cum propera festinatione, quæ in rebus bellicis, & magnis exercitibus non expedit, animosus & furibundus occurrit. Dux primum fugam simulans, deinde in eum copioso exercitu exiliens. Bellantes igitur acerrime quasi mediam diem, & prædictis Ducibus Bavariæ in prima acie dimicantibus, per novum bellandi genus per gladios præacutos omnes eorum dextrarii sunt occisi, adeo ut ipsi Duces Bavariæ una cum multis suis nobilibus equis privati, adhuc virtute animi non fracti, super interfectorum hominum & equorum stantes cadavera longo tempore dimicarent: propter occisorum enim equorum aggerem hostes equites eos occidere non valebant, quia & ipsi vice versa equos per stragem similem perdiderunt. Prima igitur acie dimicante, ipse Adolphus Rex volens cum sua turma ei succurrere, & præcedendo suam aciem, in qua Rex peritissimus erat, ordinando, equo suo cadente ex infortunio, ante ingressum ad bellum cecidit, & ab eodem equo gravissime est concussus, adeo, ut dum a suis restitueretur equo, minime sui compos esset. Et sic amens ad bellum veniens, quia & galeam præ debilitate ferre non potuit, hostibus se minus caute exposuit, cum aliis multis ex utraque parte subito est occisus: & sero nudus, ut ex utero matris exivit, qui mane potens Rex erat, in campo sub monte, qui dicitur Tursperg, duo milliaria distante a Wormacia, in confinio agri Spirensis juxta castrum, quod Ponlat dicitur, oppressus potius quam superatus in die sanctorum Processi & Martiniani, anno quo supra 1298, sepultus in Monasterio Rosen [2]. Et Albertus Dux Austriæ victoriam obtinuit. Verum cum in prima electione non omnes Electores consensissent, jus electionis in manus eorum resignans, ne de violentia regni usurpatione notaretur; iterato Electores communi voto Cæsarem declararunt, & postea Aquisgrani a Wicboldo Colonienſi Archi-Episcopo coronam regni accepit, Vir utique bello & armis strenuus. Fuit autem Albertus rusticanus in persona, distortum vultum habens, propter liberos avarus, & monoculus: qui suscepto regno, a Bonifacio Octavo confirmationem expostulavit, quam obtinere non potuit, eo quod Dominum suum Regem Adolfum occidisset, & monoculus esset. Verum cum inter Philippum Francorum Regem & Bonifacium ipsum postmodum suborta fuisset dissensio, non solum Albertum confirmavit, sed etiam regnum Franciæ sibi subjecit.

Anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono in festo S. Martini Albertus Rex curiam apud Nuremberg solennem celebravit cum

[1] *leg.* Hasnbuhel. [2] *leg.* Rosendal *seu* Rosen-Thal.

A Principibus; & Gebehardus Maguntinensis, Wicboldus Colonienſis, Trevirensis, & Conradus Salzeburgensis Archi-Episcopi, Wenceslaus Rex Bohemiæ & Poloniæ, Rudolfus Comes Palatinus Rheni, & alii Principes ac nobiles multi cum prædictis aderant: ibique Rex Albertus Elizabeth uxorem suam, filiam Meinhardi Ducis Karinthiæ, Reginam per Wicboldum Archi-Episcopum Colonienſem solenniter coronari procuravit; & Rudolfum suum primogenitum Ducem Austriæ deputavit, & ibi leges edixit.

Sed quia sæpe jam numero mentio facta est de Meinhardo Duce Karinthiæ, idcirco non indigne ejus genus & prolem huic opusculo hoc ordine inserere curavi. Avus ejus Albertus Comes nobilissimus fuit. Genitor ipsius Albertus Comes Goriciæ & Tyrolis, obiit 1253. in die Mariæ Magdalenæ; in fundatione filii in Monasterio Stambs est honorifice humatus, de Tyroli translatus. Hic Meinhardus Comes Tyrolis & Goriciæ duxit Dominam Elizabeth, filiam Ottonis Ducis Bavariæ, Reginam Romanorum, Hierusalem & Siciliæ, 1259. in Octava S. Michaelis apud Monacum nuptiis celebratis, quæ dudum 1246. fuit desponsata filio Imperatoris Friderici secundi Conrado Regi Siciliæ & Hierusalem, qui ex ea genuit Conradum Regem Siciliæ, ultimum Ducem Sueviæ: qui Conradus primus, maritus ejus, obiit 1254. in vigilia Ascensionis in Fungia. Anno Christi 1273. Claustrum in Stambs constructum est a prædicto Comite Meinhardo, & ab Elizabeth conthorali sua, quæ peperit ex eo Elizabeth, Ottonem, Albertum, Ludovicum, & Hainricum, & obiit prædicto anno in die S. Dyonisii in dicto monasterio sepulta, quod consecratum est a v11. Episcopis 1284. Nonis Septemb. & eodem die Pater, avus Fundatoris, & ex eorum progenie duodecim corpora apud Tyrol exhumata, illuc devecta in choro ex utroque latere requiescunt.

Anno Christi 1286. ipsa die Nativitatis Domini supradictus Comes Meinhardus creatus est Dux Karinthiæ in Augusta a Rudolfo Rege Romanorum. Hic secundum consuetudinem antiquam accepit in Carinthia ab uno rustico, cujus genus ad hoc deputatum est, sedenti super lapidea sede in campo Zolfeld, dominium. Anno 1295. in vigilia omnium sanctorum obiit sæpe dictus Meinhardus Dux Karinthiæ, Comes Tyrolis & Goriciæ, Aquilegiensis, Tridentinæ & Brixinensis Ecclesiarum advocatus, sepultus in Stambs, Domina Elizabeth filia Meinhardi sponsata fuit primogenito Regis Rudolfi Alberto Comiti Habspurgi, dein Duci Austriæ, novissime Regi Romanorum, quæ obiit vidua 1313. v. Kal. Novemb. relinquens decem liberos.

Anno Domini 1292. in die S. Georgii Martyris obiit Albertus illustris Dux Karinthiæ, filius Meinhardi. Anno Christi 1305. in die S. Mauritii obiit Dux Ludovicus, filius Meinhardi, sepulti ambo in Stambs. Anno Domini 1310. in die S. Urbani Papæ obiit illustris Dux Otto, primogenitus Meinhardi, ibidem humatus. Hainricus Dux Karinthiæ, Comes Tyrolis & Goriciæ, natus Ducis Meinhardi, cui Anna natu

[1] *ita MS.*

major soror Wenceslai Bohemorum Regis septimi nupsit: qui eodem Rege 1306. occiso, Pragam venerat, hunc Bohemi Regem sibi elegerunt. Id ægre ferens Albertus Rex, qui repente coactis copiis Bohemiam ingressus Hainricum regno deturbat, Rudolfumque filium suum primogenitum, Ducem Austriæ, Regem constituit: Elizabeth, senioris Wenceslai Regis sexti relicta, in matrimonium ei tradita, quo regnum ejus solidius esset. Qui cum magna Bohemorum spe regnare cæpisset, subitaneo morbo correptus, primo regni sui anno absque liberis decessit. Post cujus obitum dissidentes inter se Bohemi, alii Fridericum Rudolfi fratrem, filium Alberti Regis; alii Hainricum, quem dejecerant, petierunt. Vicit Hainrici factio, trucidatis alterius partis auctoribus. Et quamvis Albertus Cæsar cum magnis copiis Bohemiam ingressus, regionem longe lateque afflixerit; Hainricum tamen Regno dejicere non potuit, prius a nepote occisus, ut infra jam dicetur, quam meditata in Bohemis exequeretur.

Successit illi in regno Romano Hainricus Septimus Comes Luzelburgensis, consilio & armis Vir potens. Hic Elizabeth, alteram Wenceslai sororem octo & decem annos natam, clam jussam ad se venire apud Spiram Galliæ civitatem Johanni filio suo quatuor annis juniori matrimonio conjunxit: comparato exercitu ex Franconibus & Bavaris, Duce Petro Archi-Episcopo Maguntino cum filio in Bohemiam eandem misit. Pugnatum est in Bohemia pluribus locis, cum alii Bohemorum Johannem regnare cuperent, alii Heinrico studerent, qui jam cum tribus Cæsarum filiis de regni possessione contendisset. Obsessa est denique Praga Regni caput, diuque oppugnata, cum Hainricus & Marchio Missnensis haud pigre mœnia tuerentur; ad extremum tamen opidanorum proditione Johanni tradita 1309. hostis in arcem se recepit, nec multis post diebus Hainricus in Carinthiam profugit. Ex eo tempore usque ad obitum Sigismundi Imperatoris, Bohemia in potestate Luzelburgensium ferme 126. annis fuit. Ea tempestate Conradus Archi-Episcopus Juvaviensis, & Dominus Leotoldus de Walse Baro Australis intraverunt terram Karinthiæ cum magno exercitu, & ipsam pene totam desolaverunt, & hoc factum fuit in beneplacitum Johannis Regis Bohemiæ, cum iste Hainricus in præjudicium dicti Johannis tali se titulo prænotaret. Hic Hainricus de cætero in provincia Athesina in castro Tyrolis habitavit, & post obitum bonæ memoriæ Imperatoris Hainrici septimi Fridericum Ducem Austriæ elegit.

Anno Domini 1313. Nonis Septemb. obiit Domina Anna Regina Bohemiæ, prima conthoralis Regis Hainrici, in Cœnobio Stambs sepulta. Anno Christi 1320. in die Agapiti Martyris obiit Domina Adelheidis Ducissa de Brunsuica, secunda conthoralis præfati Regis Hainrici, ibidem sepulta. Anno Domini 1331. in prævigilia S. Thomæ Apostoli obiit Domina Beatrix Comitissa de Subaudia, tertia uxor sæpe dicti Regis Hainrici hæc ibidem humata.

Anno Domini 1330 in die S. Ambrosi obiit Illustrissimus Hainricus Rex Bohemiæ & Poloniæ, Dux Karinthiæ, Comes Tyrolis & Goriciæ, capellam S. Johannis Baptistæ in Monasterio Stambs de novo construens, juxta magnificentiam regiam dotavit, ibidem sepultus requiescit. Hic plura Monasteria in Bavaria pro remedio animæ suæ privilegiavit, ut sine telonio de terra sua Athesi vina avehere possint libere. Reliquit filium Leopoldum, alias Meinhardum, qui hæreditatem Patris non diu pacifice possedit; & filiam Margaretham, dictam Maultasch quam accipiens in uxorem Judocus, alias Johannes, filius Johannis Regis Bohemiæ, comitatum Tyrolis possedit, de qua infra dicetur.

Albertus.

Albertus.

Meinhardus Elizabeth Anna

Elizabeth, Otto, Albertus, Ludovicus, Hainricus, Adelheidis, Beatrix

Leopoldus, Margaretha.

Nimirum ad historiam Ducum Austriæ, unde parumper digressus fueram, revertor. Albertus igitur Rex Marchionatum Missnensem, quem Adolfus Rex olim puro argento emerat, & Imperio incorporaverat, totaliter perdidit, nec Imperium auxit, sed diminuit, diversa opida, villas & castra Imperii obligans vel vendens, tantum suis liberis emens, imo quasi vi Nobilibus sua abstulit, ut liberos suos ditaret. Cum eodem tempore quidam Electores Imperii, præcipue Ecclesiastici, Maguntinensis, Coloniensis & Treverensis Archi-Episcopi ob diversa discidia in Albertum Regem varias conjurationes ac simultates attentarunt, dicentes Adolfum Dominum suum in bello peremisse; ideo eum Regia dignitate indignum censebant. Quam ob rem cæteri Principes primarii in Regno Germaniæ Rudolfum Comitem Palatinum Rheni judicem statuerunt, ut deinceps futuris temporibus sua industria hoc officium perage-re deberet, ex qua consuetudine Reges Romanorum moverentur, ne aliquod malum vituperatione dignum in Regno molirentur, ac indigni Imperio judicarentur. Dicti itaque Principes Regi se opposuerunt. Rex autem valenter se defendens, multa damna intulit, sicut in castris Werd, Stauff & Pingen evidenter ostenditur. Item 1302. Pingen manu forti obsedit. Item 1303. Albertus Rex congregatione habita apud Nuremberg, cum multorum auxilio contra Regem Wenceslaum Bohemiam ingressus, ubi dum opidum Cuttam, quam obsederat, expugnare non posset, parum ibi proficiens ad propria est reversus. Multi autem nobiles, & alii eorum, qui secum ierant, ibi manendo & redeundo

redeundo propter aquarum infectionem (ut dicebatur) & corruptionem aëris, quam ibi fustinuerant; sunt defuncti.

1305. Wenceslaus Rex Bohemiæ moritur, cui filius suus Wenceslaus succeſſit. Eodem anno Rex Albertus iterum iturus ad Bohemiam circa Nüremberg exercitum congregavit, ubi cum audiſſet de morte Wenceslai Regis, Wenceslao filio ejus quærente ea quæ pacis sunt, sicut Pater suus ei commiſerat; prædictus Albertus versus Sueviam, expugnaturus Comitem de Wirtemberg cum exercitu dirigit greſſum suum.

1306. Wenceslaus Bohemiæ Rex ſeptimus anno Regni sui primo in Olmunz occiditur. Eoque anno Rex Albertus habita congregatione circa Nuremberg, iterum veniens in Bohemiam filium ſuum primogenitum Rudolfum Ducem Auſtriæ, coronatum per Archi-Epiſcopum Maguntinum, Regem Bohemiæ fecit. Qui vix medium annum regnum tenuit; in obſidione cujusdam caſtri infirmitate correptus, vel (ut alii dicebant) veneno, immatura morte interiit. Idem Rudolfus melior inter lupos communiter dicebatur.

1307. Hainricus Dux Karinthiæ prædictus in Regem Bohemiæ eligitur. Item Rex Romanorum Albertus cum Exercitu magno tranſivit in terram Miſsnenſium, & Bohemiam, & ibi multa vaſtavit incendiis & rapinis, poſtea divertit Auſtriam, & pertranſivit Bavariam, invito Domino Steffano Duce, incendiis plurimis circa Landshutam commiſſis. Huic Alberto frater Rudolfus erat, cui Wenceslai Regis Bohemiæ ſoror nomine Agnes nupſit, qui Pragæ moriens ibi ſepultus jacet: ex ea natus eſt Johannes qui paternæ hæreditatis diviſionem ab Alberto patruo petiit, qui ei ſertum viride in opprobrium miſit. Denique cum Romanum Imperium decem annis curſu proſpero gubernaſſet, & multa ſtrenue geſſiſſet, ambitione nimia corruptus; cum jam tertio ſe contra Bohemiam [1], manu hoſtili & valida cum infinita exercitus multitudine (ut cogitaverat) intraturus, & Rhenum fluvium tranſiſſet; morte inopinata eſt præventus. Nam prædictus Dux Johannes cum tranſiſſet fluvium, qui vocatur Ruſe, circa Reinfelden, non longe ab opido Pruck, dum ſimul amice iter agerent; fortis & imperterritus, ſed ſine armis cum quibusdam ſuis complicibus præfatum Albertum Regem patruum ſuum propria manu interfecit juxta civitatem Baden, quem eodem die habuit commenſalem, anno Domini 1308. in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi. In quo loco Monaſterium ædificatum eſt, & dictum Kunigsfelden, & in loco homicidii ſummum altare eſt conſtructum, ubi per multos annos ſepultus fuit, poſtea corpus ſuum in Spiram ductum fuit. Occiſores tamen ſui fuerunt exulati, & in corporibus & in rebus ad nihilum redacti per filios & conſanguineos Regis. Nam & idem Johannes apud Piſas in Longobardia in Monaſterio Eremitarum ſancti Auguſtini pœnitentiam usque ad finem vitæ peregit, ut ſuperius habetur. Ferunt quidam, cum prædicto die 1. Maji Rex Albertus cum Principibus & Nobilibus Miſſam compararans audiret, venit vir canus griſeis veſtitus ruſticana perſona, & dixit ad ſacerdotem: Mementote animæ Regis Alberti; quæ verba etiam ſecundo repetivit, audiente hæc Rege & circumſtantibus cunctis. Rex ſubriſit, putans quod ex ejus amore hoc faceret, qui eodem die, ut jam dictum eſt, interfectus fuit. At ille quæritur, & minime invenitur, inde dubitatur, an homo vel ſpiritus fuerit.

Rex Albertus Dux Auſtriæ primus ex Habſpurgenſibus, ex uxore ſua Domina Elizabeth Regina 19. liberos genuit, cujus primogenitus Rudolfus Rex in Bohemia primo regni ſui anno ante patrem obierat, ut ſuperius habetur. Reliquit adhuc decem pueros, 5. filios, & 5. filias, videlicet Fridericum, Leopoldum, Albertum, Hainricum, & Ottonem: Agnetem Reginam Hungariæ, uxorem Regis Andreæ; Elizabeth Ducissam Lotharingiæ, obiit 1352. in Kunigsfelden ſepulta; Anſiam Ducissam Poloniæ; Guttam Comitiſſam Oettingenſem; & Katarinam Ducissam Calabriæ. Item vidua Regis Alberti Elizabeth Regina, & Domina Agnes Regina Hungariæ, eorum filia, fundarunt duo Monaſteria in Kunigsfelden in loco occiſionis dicti Alberti Regis, unum Minorum, alterum ſanctæ Claræ: & Andreas Rex Hungariæ, nepos Andreæ Regis ſecundi dictus *Venetus*, cum conjuge ſua dicta Agnete, quæ obiit 1364. ibidem ſepulti fuerunt. Anno Domini 1313. x. Kalend. Novemb. obiit Sereniſſima Regina Domina Elizabeth, relicta Domini Alberti Regis Romanorum, genitrix liberorum omnium decem prædictorum, filia Illuſtriſſimi Principis Meinhardi Ducis Karinthiæ, Wiennæ [1] ſepulta ad Carmelitas.

Fridericus Dux Auſtriæ, ſecundus filius Alberti Regis, tutelam Ducatus Bavariæ Inferioris aſſectans, per quosdam Barones allectus ſuis mandavit, ut armata manu Bavariam Inferiorem invadentes occuparent. Ipſe vero collecta militia Suevorum, parabat in ſuccurſum ſuorum Auſtralium obviare; at illi conſcendentes ab Auſtriæ finibus, juncta ſibi Bavarorum caterva non modica, Mosburgam applicuerunt. Quod ubi comperit inclytus Ludovicus Dux Bavariæ ſuperioris, omnibus modis feſtinabat anticipare conflictum, & adunatis equitibus juxta præfatum Mosburgenſe caſtrum, in villa Gamelstorff hoſtes audacia ſua ad pugnam provocavit. Alterutrum igitur congreſſum per totam diem ſub ancipiti victoria fortiter dimicarunt, ſole ad occaſum tendente laceſſitis hoſtibus, Duci Ludovico triumphus acclamatur, anno Chriſti 1313. in die S. Theodori.

Defuncto in Italia Imperatore Hainrico VII. de Luzelburga anno Domini 1314. 22. Auguſti, Electores convenientes, duos in controverſia ad Imperium eligentes inter ſe conſobrinos, Ludovicum Ducem Bavariæ, & Fridericum Ducem Auſtriæ. Cujus Electores erant Heinricus Archi-Epiſcopus Colonienſis (quem ſibi

[1] *deeſt in MS.* armaſſet, *aut hujusmodi quid.*

[1] *leg.* in Campo-regio *vulgo* Kunigsfeld, *fundationis ſuæ loco, ut inter omnes conſtat.*

muneribus & donis allexit, & inſuper ſui ſanguinis nobilitatem degenerando, filiam [1] præfati Archi-Epiſcopi Colonienſis Fratri ſuo Duci Hainrico matrimonialiter copulavit,) Rudolfus Comes Palatinus Rheni; Dux Saxoniæ, & Hainricus Dux Karinthiæ Comesque Tirolenſis, qui ſe Regem Bohemiæ aſſeruit: alii autem Ludovicum. Hæc electio facta eſt in Franckfordia in die Lucæ Evangeliſtæ anno Domini 1314. Hic Fridericus Dux cum exercitu ſuo ultra flumen Mogum caſtra metatus eſt, ubi Leopoldus Dux Auſtriæ frater ejus cum ingenti exercitu ad eum venit, poſtea ab Heinrico Colonienſi Bunnæ in Regem conſecratur: cui Rudolfus Comes Palatinus Rheni frater Regis Ludovici, magnum exercitum miſit, & frater ſuus Dux Leopoldus omnes villas apud Spiram combuſſit. Eodem anno fames magna erat. Elapſis itaque aliquibus temporibus, Fridericus Rex civitatem Eſslingen obſedit, quia Ludovicum recepit, ſed in vanum laborans de ea receſſit. Sequenti denique anno, Fridericus congregato Exercitu de ſua potentia confidens, & de Ludovici impotentia præſumens; iterato dictum opidum Eſslingen obſidione cinxit. Verum Rex Ludovicus, coadjuvantibus Baldewino Archi-Epiſcopo Trevirenſi, Johanne Rege Bohemiæ, & Heinrico Duce Bavariæ grandi cum exercitu ei occurrens; ſibi potenter reſtitit. Accidit quadam die, ut exercitus utriusque Regis conflictum prope fluvium Necarum facerent, ubi ex utraque parte multi Nobiles capti & interfecti fuere, nullus tamen victor evaſit: & quia æſtas calida plurimum erat, & cibus carus, in utraque parte conſiliati ſunt Principes, ut abiret quilibet in viam ſuam; & ita ſecerunt. Uterque nimirum ſe Regem Romanorum ſcribebat, idcirco quotidianis ſe præliis perſequentes, in metis incendia & rapinas exercebant.

Anno Chriſti 1320. Fridericus bellicoſus & durus ex Auſtria per opidum Muldorf cum exercitu forti & copioſo, maxime Hungarorum Bavariam intravit, cui Ludovicus Rex ibidem quodamodo coactus occurrit, & juxta Muldorf contra eum caſtra metatus eſt tanquam viriliter pugnaturus: & dum diu invicem more bellantium colluderent, quadam vice conſerta pugna ſatis dura, Bavari in fugam verſi terga dederunt. At Auſtrales fortiter inſtantes totum Ludovici exercitum diſſipaverunt, fugando, mactando, captivando atque diripiendo, ita ut etiam Rex Ludovicus vix effugeret, ne comprehenderetur. Quidam dixerunt, iſtam fugam perpetratam a Baronibus Ludovici corruptis pecunia & muneribus, ac infideliter pugnantibus. Quod Duces Auſtriæ videntes, rem juxta votum progredi, cœperunt latius cum exercitu ſuo univerſo ſe extendere ac pervagari usque ad Iſaram flumen, & quidquid in medio erat villarum & opidorum, incendio & rapinis devaſtare usque ad Danubium. Cum autem prope Ratisponam veniſſent, petierunt a civibus, ut ſibi per eos tranſitus pateret ad Rheni fluenta tendentibus. Quod cum quibusdam placeret, aliis non; quidam præpotens inter alios, dictus Gumpertus, aſſeruit dicens: Non puto eſſe faciendum. Igitur accepta repulſa, omnibus itineri ſuo adjacentibus incenſis ac devaſtatis; ad Auſtriam ſunt reverſi ſine omni moleſtatione, Ratisponenſibus multa damna & pericula inferentes: nam & veſtuaria eorum, quæ Wiennæ habebant, cum aliis mercanciis miſerabiliter ſpoliaverunt.

Anno Domini 1322. hoc eſt octavo anno, a quo Dux Auſtriæ Fridericus, & Dux Bavariæ Ludovicus uno die in Romanorum Reges fuerant electi, venit Fridericus Dux Auſtriæ quarta vice cum fratre ſuo Duce Hainrico in Bavariam cum exercitu copioſo & forti adjunctis ſibi Hungaris, Bulgaris atque Sclavis, una cum Archi-Epiſcopo Salzeburgenſi Friderico, & Epiſcopo Patavienſi Alberto, & caſtra metatus eſt iterum prope Muldorf in campo lato. Et dum præſumptuoſe ibi tentoria fixiſſet, expectans & alium fratrem ſuum Leopoldum, cum exercitu etiam grandi venire debente a partibus Sueviæ, ſuperioris Alſatiæ videlicet, & lacus [2] Bodonici in vigilia Michaelis. Cui Ludovicus Rex habens in comitatu ſuo Dominum Johannem Regem Boheimiæ, & patruelem ſuum Hainricum Ducem inferioris Bavariæ, Fridericum Purgravium Nurnbergenſem, & alios multos coadjutores occurrit inter Muldorf & Ottingen in campo, vulgariter auf der Wehemwißen. Igitur die ſtatuto inter eos commiſſum eſt bellum duriſſimum a mane usque ad meridiem, & ceciderunt ex utraque parte multa millia hominum. Sed Hungaris in ſua parte deficientibus, & jam in fugam verſis, cœpit exercitus Ducum Bavariæ prævalere: captoque Friderico & fratre ejus Hainrico, multis nobilibus Auſtriæ, Styriæ ac Karinthiæ interfectis atque captis; Ludovicus Rex, ac ejus patruelis Dux Hainricus, cum adjutoribus cruentam victoriam aſportarunt. Dedit autem Ludovicus Johanni Regi Boheimiæ Hainricum Ducem Auſtriæ pecuniis exonerandum, ſed Fridericum ſub forti cuſtodia in caſtro Trauſnitz tenuit per plures annos captivatum, cum reverentia tamen, ut decebat Principem, atque cum illo mille quadringenti nobiles capti ſunt. Leopoldus veniebat in auxilium Friderici cum mille quingentis bellatoribus bene armatis, ſed cum appropinquaſſet ad quindecim milliaria, audivit rem geſtam, & ultra non progreſſus eſt: quia nimis confidit Fridericus in ſua potentia, contemnens vires hoſtium, ex ſui exercitus inordinatione devictus eſt & captus. Porro Ludovicus Rex tanquam ad mortem iturus teſtamentum ordinavit, & in remedium animæ ſuæ Monaſterio Furſtenfeld dominium inſignis caſtri Wildenrod cum omnibus ejus appendiciis donavit: quibus geſtis mox in hoſtium procedit occurſum. Quos ut reperit prope Muldorf circumquaque diffuſos, primum aggreditur cum exercitu ſuo Barbaros

[1] *leg.* neptem, *ſcilicet filiam Comitis cujusdam Virnenbergenſis, fratris Heinrici Archiepiſcopi Colonienſis. Vid. M. Alberti Argentinenſis Chronicon editum ab Urſtiſio Part. alt. pag.* 119.

[2] *al.* Podamici.

&

& Hungaros, ex quibus dum in die Beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani numerosam multitudinem straviſſet; die ſequenti in profesto S. Michaëlis aciebus ex utraque diſpoſitis & ordinatis, contra Hainricum Ducem Auſtriæ Rex Bohemiæ Johannes ob honorem inclyti Martyris Wenceslai, cujus ea die ſolemnitas agitur, in prima acie congreditur, ſed ſuperatur, quousque Bavarorum invicta fortitudo ſuccurreret; pereunti. Confluentibus autem catervatim ad pugnam exercitibus, atrociter & multo ſanguine fuſo pugnatum eſt, donec Auſtrales videntes animoſitatem Bavarorum fugæ præſidium ſumerent; paucis autem fuga turpiter elapſis, reliqui omnes captivantur. Cum autem Fridericus captivus appropinquaret ad caſtrum Trauſnitz, quo ducebatur, dixit: Quod nomen eſt hujus caſtri? Weigel Vicedominus, cui commiſſus erat, reſpondit; *Trauſnitz.* Ad quod Dux: Es haiſt pillich Trauſnitz, wan ich ſein nicht entrawt hette, das ich in ſolicher maß ſolt her gefurt werden.

Dum igitur aliquamdiu, quaſi per trienuium cum dimidio, in eodem caſtro eſſet detentus, plurimas hoſtis antiqui humani generis inſidias pertulit, qui eum de vinculis nitebatur liberare: agente hoc (ut dicebatur) per incantationes uxore ſua, propter quod ferreæ cruces in feneſtris omnibus, præfati caſtri, prout hodie apparent, factæ ſunt. Tandem benignitate Ludovici dimiſſus ſine pecuniarum, caſtrorum, civitatum, munitionum, ac terrarum exactione; ea conditione [2], ut de cætero nullus Ducum Auſtriæ pro adipiſcendo Imperio contra Duces Bavariæ ſe opponat, recipiens ſuper hoc in litteris abrenuntiationem: & in ſignum & robur tantæ amicitiæ inter eos contractæ, ſimul Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerunt; & Fridericus obedientiam & ſubſidium contra omnes rebelles Imperii usque ad mortem juravit. Quo facto per omnia in præſentia multorum Principum ſolemniſſimæ curationes in Monaco habitæ, magno cum honore ipſe Auguſtus Fridericum Ducem miſit in Auſtriam ad lares proprias iterum viſendas. Ipſe autem Fridericus in Auſtriam reverſus, promiſſionis, quam Sacramenti Corporis Chriſti ſumptione fecerat, immemor Regem ſe adhuc nominabat, & ſcribebat. Unde & poſt aliquot annos dignam perfidiæ ſuæ mercedem, cœleſti vindicta in ipſum ſæviente, recipiens, dicitur [3] a pediculis corroſus & occiſus anno Domini 1330, ſepultus in Murbaco, quod fundavit, in octava Epiphaniæ. legitur alibi, quod poſt ſuam liberationem multum fuerat Deo devotus: fuit enim jam ſenex, & quotidie ad decrepitam tendebat ætatem. Fundavit enim plura Monaſteria in ſuo Ducatu, videlicet Cœnobium Carthuſienſium in ſylva Wiennenſium ſitum, quod dicitur Murbacum; aliud intra civitatem ſeu opidum Regale Wiennenſe ad latus caſtri, ſeu domus hæreditariæ Ducum Auſtriæ, quod voluit donaviſſe Ciſtercienſibus, ſed volente Deo datum eſt Eremitis fratribus Ordinis S. Auguſtini. Nam quidam Venerabilis frater dicti Ordinis, vocatus Conradus, prædicator famoſus extitit, per hæc tempora Sereniſſimi Principis Ludovici Confeſſor, & inter curiales prædicti Principis bene famatus atque notus, qui ſua probitate ac diligentia in tantum egit demulcendo eloquiis charitatis & pacis corda utriusque Principis, ut prædictam concordiam, & futuram inter eos ac illorum ſemen perpetuam inirent pacem: quæ ex Dei gratia inviolabilis jam centum ſeptuaginta pene duravit annis. Quo facto per omnia, ut ſupra eſt expreſſum, Nobilis Princeps Auſtriæ Fridericus conſiderans dicti Fratris Conradi zelum & probitatem, & quia vir erat conſcientiæ bonæ ac nitentis famæ, de aſſenſu & plena voluntate Domini Ludovici Regis illum ſecum cum decem & octo Fratribus ejusdem Ordinis devexit Wiennam, magno affectu ipſos pertractans & gratia. Appropinquante autem Principe terminis patriæ, & ſpecialiter urbi ſeu opido ditionis ſuæ Wiennenſi, lætitia & gaudio inenarrabilibus omnis homo exultavit, atque tripudio ineffabili ſuſceptus eſt a cunctis. Deinde infra paucorum dierum ſpatium ſæpe dicto Fratri Conrado una cum ſuis in perpetuum Ordini Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, qui antea velut eremitarium quoddam habuerant extra mœnia opidi Wiennenſis, dictum *ad S. Johannem* Jn Werd, ſuam novam & egregiam, ut hodie cernitur, fundationem vere Ducalem in die Beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, præſentibus fratribus ſuis A. [1] & O, Comitibusque & Baronibus cum curiali militia, plebeis etiam ac civibus pluribus veluti ad pium ſpectaculum convenientibus, & devoti Ducis Deo gratam & ſuis famulis profuturam largam donationem conſpicientibus, locum amplum, & ad ſuæ curiæ murale & hortum tendentem ſeu porrectum cum cœnobio aſſignavit, donavit, ac confirmavit in perpetuum, conſenſu & aſſenſu fratrum ſuorum, qui præſentes aderant: cunctis Deum collaudantibus, & ejus Sanctos, quorum orationibus indubie ſæpe dictus Dux Fridericus fuit ſine omni exactione libertati ſuæ donatus; nulla [2] autem (ut communiter narratur) ſuper Regni Romani abrenuntiatione, aut ſuper promiſſa fidei cautione ab ipſo recepta, nullaque confirmatione. Hæc & alia Cœnobia dicitur idem Princeps fundaſſe, & divinum cultum in multis locis auxiſſe: nec pacem promiſſam idem Dux Fridericus poſtea rupit, etſi Regem Romanorum ſe ſcripſit, non tamen Imperatorem. Ipſe quoque Fridericus Dux Auſtriæ primus cupiens fieri, & multis ſuperior videri, factus eſt multorum inferior, dominio, rebus, & corpore: nam quatuor manu armata aſcendit ad partes Sueviæ & Bavariæ, in quibus expeditionibus quantum pecuniæ expenderit, quis facile explicet? & indubie tellus Auſtriæ illud damnum tulit. Dein captus & cuſtodiæ adductis, nunquid patria ſuit privata rectore ac Domino, & ipſemet ſe ipſo? quia ejus contrarius Ludovicus potuiſſet ipſum vita privaſſe. Nihil ex illo dominio & appetitu regni detulit,

[1] *Legeſis obſerv. præv. in hoc Chronicon. num. 4.* [2] *Vid. obſerv. præv. in hoc Chronicon num. 7. & 8.* [3] *Conſule obſerv. præv. num. 8.*

[1] Alberto & Ottone. [2] *Vid. obſerv. præv. num. 8.*

detulit, niſi nomen inane. Hujus electi Regis Friderici Ducis Auſtriæ conjunx nata fuit de Arragonia, ex qua Ducem Fridericum genuit, qui moriens ſepultus eſt in Kunigsfelden.

Leopoldus Dux Auſtriæ, tertius filius Alberti Regis, Argentinam venit, ubi morbo correptus, & demum phreneticus abſque omnibus ſacramentis diem obivit anno Domini 1326. ultima die februarii, ſepultus in Kunigsfelden, una cum conthorali de Subaudia, & filia Katherina de Küſſin etiam ibidem ſepulta.

Hainricus Dux Auſtriæ, quintus natus Regis Alberti, in bello apud Emphing prope Muldorf captus eſt, & Johanni Regi Bohemiæ traditus, ut ſupra habetur. Obiit 1333, ſepultus in Kunigsfelden cum ſua uxore genita de Brandenburg; aliis de Wirtenberg, vel ſecundum alios, filia Hainrici Archi-Epiſcopi Colonienſis, ut ſupra dictum eſt.

Otto Dux Auſtriæ, ſextus filius Alberti Regis, duas uxores habuit. Prima Domina Elizabeth, filia Steffani Ducis Bavariæ Inferioris; ſecunda nata Regis Bohemiæ fuit. Fundavit Monaſterium Newnburg [2], ubi ſepultus eſt, non longe a Prücklenſi [3], ubi Plebanus in Kallenperg humatus eſt; & obiit anno Chriſti 1340, vel 1350. Hic quemdam militem in ſua curia habuit, dictum Neithardum Fux, ex Franckonia, omnibus joculationibus & ſolatiis imbutum, qui & Wiennæ quieſcit. Hic Otto duos filios genuit, Leopoldum & Fridericum, & ſecundum quosdam hic Fridericus Dux primus fuit, qui Wiennæ ſepultus eſt.

Albertus illuſtris Dux Auſtriæ, quartus filius Regis Alberti, paralyticus fuit, ideo vulgo vocabatur der krump Herzog, diem obivit anno Domini 1358. [4] decimo Kalend. Julii, relinquens ſex liberos, quatuor filios, & duas filias: Rudolfum, Fridericum, Albertum, & Leopoldum: Dominam Katherinam Monialem in Monaſterio S. Claræ Wiennæ; & Dominam Margaretham Marchioniſſam Brandenburgenſem, uxorem Meinhardi Ducis Bavariæ, Comitisque Tyrolis. Hujus Alberti uxor erat Johanna Comitiſſa Pherretenſis, quæ ſeptem annis ante eum mortua eſt, ſepulti in Gemnico, quod fundavit. Hæc eſt illa Duciſſa Johanna, quæ Ludovicum Imperatorem in Monaſterio Undensdorff eam humaniſſime tractantem poculo [5] venenoſo interfecit. Quæ etiam Ottonem Ducem Auſtriæ, germanum mariti ſui, ac duos ejusdem filios Leopoldum & Fridericum veneno dicitur extinxiſſe. Item Albertus Monaſterium S. Hieronymi fundaſſe fertur. Mortuo hoc Alberto, ſucceſſit ſenior filius ejus Rudolfus in regimine Ducatuum & provinciarum.

Rudolfus Dux Auſtriæ & Styriæ &c. primogenitus Ducis Alberti, neposque Alberti Regis Romanorum, ex Eccleſia S. Steffani Wiennæ Collegium fecit, & Præpoſituram ibi inſtituit. Hic etiam Rudolfus ſtudium generale Wiennæ incepit. Defuncto denique 1361. Marchione Ludovico Duce Bavariæ, Comite Tyrolis, & filio ejus Meinhardo 1363, quorum uterque, ut dicitur tam pater, quam filius, per ipſam Dominam Margaretham Maultaſch veneno extinctus eſt (ſic dicta, eo quod magnum os haberet, & maxillas dependentes; ſicque turpis habebatur in facie, quamvis eſſet turpis) itaque de novo ſola tenuit, poſſedit ac rexit provinciam Atheſinam, & dominia ad comitatum Tyrolenſem ſpectantia; triſtis tamen, hæſitans & ambigua plurimum in ſe ipſa, quid vel quomodo de dominio illo agere deberet. Nam tunc Dux Bavariæ Steffanus pro ſe & fratribus ſuis ex una, & Rudolfus Dux Auſtriæ partibus ex altera pariter deſiderabant, ut ipſa illum Comitatum eis vivens reſignaret. Igitur non multo poſt mariti ſui Ludovici Marchionis, & filii ejus Meinhardi dormitionem inſinuavit per litteras Duci Bavariæ Steffano ſeniori, germano Ludovici Marchionis, quatenus illico veniret ad eam, quia Comitatum illum ſibi reſignare vellet, atque in poſſeſſionem realem locare. Qui litteris illis lectis, ſuo communi proverbio dixit vulgariter: durch den lieben GOtt, Nos promiſimus aliquibus Duciſſis, Comitiſſis, aliisque quamplurimis generoſis Dominabus, & nunc diſpoſiti & parati ſumus venire ad curiam nobilium in Heidelbergam, ideo jam ſcribere volumus Dominæ Marchioniſſæ noſtræ perdilectæ cognatæ, quatenus usque ad noſtram reverſionem factum ſuſpendat nos expectando, nullique alteri Comitatum reſignet, donec in propria ibidem conſtituti fuerimus perſona; ſicque dictus Dux Steffanus maluit plus pro ſua voluptate ad illam curiam feſtinare, quam pro utilitate ſua & domus Bavariæ prædictam Dominam viſitare. Porro ſenior Dux Auſtriæ Rudolfus diligentior erat in facto, ipſam Dominam per ſe accedendo, ſedule ſollicitando, fortiſſimis atque dulciſſimis ſupplicationibus, perſuaſionibus, promiſſis, variisque blanditiis eam alliciendo atque inducendo, quousque ipſam, ipſiusque animum & affectum prorſum mutavit & devicit. Itaque ſibi Comitatum ac dominium realiter reſignavit 1364. circa feſtum Nativitatis Mariæ. Quo audito, Dux Steffanus armatorum exercitum ſubito per Bavariam congregari fecit, cum quo usque ad Stertzingen venit. Supervenerunt Auſtrales cum majori exercitu per Comitatum Goriciæ, quod audientes Bavari retrorſum diverterunt, eo quod inferiores Auſtralibus eſſent. Eodem anno Steffanus & Steffanus, ac Fridericus Duces Bavariæ opidum Muldorf obſident, quia Archi-Epiſcopus Salzeburgenſis Ortolfus Rudolfo Duci Auſtriæ adhærebat, Rudolfus autem prædictam civitatem defenſurus, cum magno exercitu armatorum in Bavariam usque ad Ried aſcendit. Quod Duces Bavariæ audientes, relicta obſidione, Principibus Auſtriæ occurrunt, cum eis pugnaturi. Interea Duces Auſtriæ cum audiſſent Bavaros a Muldorf receſsiſſe, non expectatis Bavaris in Auſtriam ſunt reverſi, quod & Duces Bavariæ videntes, ſimiliter ad propria redierunt, Muldorf amplius non impugnantes. Tandem per placita quædam Comitatus Tyrolis in manibus Ducum Auſtriæ permanſit, usque in hodier-

[1] *leg.* nepte, *ut ſupra a nobis obſervatum.* [2] *leg.* Neuberg. [3] *ita MS.* [4] *leg.* XIII. Kal. Auguſti. [5] *Videſis obſerv. prav. in hoc Chron. num. 5. & 6.*

hodiernum diem, & caſtrum & opidum Ratenberg, Kizpuchl & Kueffſtain in poteſtatem Ducum Bavariæ devenerunt. Præfatus Rudolfus Dux Auſtriæ Dominam Katherinam, filiam Domini Karoli quarti Romanorum Imperatoris, Regis Bohemiæ, habuit conſortem, & ſine liberis deceſſit in Mediolano 1365. Wiennæ ſepultus, cui frater ſuus Fridericus Dux ſucceſſit.

Fridericus Dux Auſtriæ, ſecundus Alberti Ducis filius, neposque Regis Alberti, ſucceſſit fratri ſuo Rudolfo in regimine ad unum annum, & mortuus eſt 1366. ſine filiis, ſed filia Elizabeth, quæ obiit anno Chriſti 1409. in die S. Innocentum, neptis ſerenisſimi Principis Ruperti Regis Romanorum, Comitis Palatini &c. Eodem anno, die tertia ſequenti, in die S. Sylveſtri obiit Domina Elizabeth conthoralis præfati Ducis Friderici, filiaque excellentisſimi Regis Ruperti prænominati, quæ in Cœnobio Stainbs una cum filia prætacta honorifice eſt ſepulta. Huic Duci Friderico frater ejus ſenior ſucceſſit, ſcilicet Albertus: erat enim conſuetudo, quod ſenior dominaretur.

Albertus Dux, tertius filius Alberti Ducis, nepoſque Regis Alberti, rexit liberaliter Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Sueviam, Alſatiam, & Tyrolim. Tamen poſt fratres diviſerunt ſic, quod Albertus habuit Auſtriam, quia ſolum habuit unum filium, Leopoldus vero quia plures habuit filios, alias provinčias omnes poſſedit. Hic Albertus duxit filiam Imperatoris Karoli quarti Regis Bohemiæ, qua ſine liberis mortua, duxit Beatricem filiam Purgravii Nurnbergenſis, ex qua filium, Albertum nomine, genuit. Facta itaque diviſione provinciarum ab illis duobus fratribus, Albertus qui rexit Auſtriam, cogitavit, ut Chriſti religionem augmentaret, ſuaſione ſuorum Univerſitatem ſtudii generalis Wiennæ fundavit, & Papæ Urbani ſexti confirmatione roboravit 1374. adduxitque doctisſimos Sacræ Theologiæ Doctores, Magiſtrum Hainricum de Haſſia, Magiſtrum Hainricum Oytta. Hic Dux Albertus obſidione circumvallavit caſtrum [1] Schomberg, quia ibi Comes Hainricus propter ſuam culpam meruit, inferendo damna in Auſtriam deſcendentibus, mala tributa accepit. Hic Albertus multos hæreticos Waldenſium plus quam centum fecit comburi in civitate Stira. Obiit anno Domini 1396. proxima Dominica ante feſtum S. Auguſtini, Wiennæ ſepultus in Eccleſia S. Steffani, cui in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit ejus unicus filius Albertus. De Erneſto occiſo, fratre hujus Alberti, & ejus ſobole, dicetur infra poſt Regem Ladislaum.

Albertus Dux Auſtriæ, filius unicus Ducis Alberti, nepotis Regis Alberti, virtutibus & moribus patrem ſuum religioſe vivendo inſequebatur. Diſpoſuit ſe ad iter ultra mare, ſed amicus ejus Wilhalmus, & amborum conſiliarii valde diſſuaſerunt propter pericula, eó quod Waiſant Dominus Turcorum tunc Conſtantinopolim obſidebat, & idem Turcus ante anno Domini 1396. circa feſtum Michaelis ante caſtrum Schiltaw contra Sigismundum Regem Hungariæ magnam belli victoriam obtinuit, ibique Johannes Dux Burgundiæ captus notabili pecunia ſeſe liberavit. Non tamen poterat his ſuaſionibus terreri, ſed venit in Hieruſalem, & factus eſt Miles, & reveniendo in Galilæa extendit bannerium Auſtriæ, & tubis cecinit, quod ſatis turbavit Paganos, quod adventum Principis non cognoverant. Veniendo Venetias magni ſunt ei honores exhibiti, & bona fortuna revenit ad propria. Hujus uxor fuit Domina Johanna, filia ſenioris Alberti Ducis Bavariæ, Comitis Palatini Rheni, Comitis Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, & Domini Friſiæ; ex qua genuit Albertum Ducem, poſtea Regem Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. & Margaretham, quam duxit Hainricus Dux Bavariæ in Landshuta. Obiit Newburgæ, quando venit ab expeditione Znaimæ, anno Domini 1404. ſepultus Wiennæ ad S. Steffanum.

Albertus quintus Dux Auſtriæ, unicus natus Ducis Alberti, qui trans mare fuit, & Dominæ Johannæ Ducillæ Bavariæ, poſt obitum patris ducare cœpit. Item 1421. dum per Electores cæterosque Principes prima expeditio ad delendos hæreticos in Bohemiam fieret cum Branda legato, ipſe Sigismundus Rex Romanorum & Hungarorum unicam filiam ſuam Elizabeth huic Duci Alberto in matrimonio copulat, & pro dote filiæ Marchionatum Moraviæ dedit, & jure hæreditario eum & poſteros ſuos illo inveſtivit.

Item 1431. Jordanis Cardinalis legatus, & Principes Almaniæ exercitum in Bohemiam movent, in vigilia Aſſumptionis Mariæ prope Tauſt, fuga facta, Bohemi prædam magnam uſurpant. Albertus autem Dux Auſtriæ, qui in tertia expeditione in campum non venit, in hac quarta expeditione contra perfidiſſimos hæreticos in campo viriliter permanſit, & quamplurima glorioſe peregit. Erat namque Vir Deo devotus, bonus & rectus, juſtus, ac in cunctis agendis timens Deum, cum quo a cunabulis crevit humilitas & miſeratio, Zelo fidei tractus pene viginti annis continuis litibus & guerris inſiſtens, cum ſuis terris nobilibus & ignobilibus contra perfidos & malignos Huſſitas pugnans multos conflictus habuit, & quaſi infinitam pecuniam in ſtipendia erogavit, & ingentem theſaurum; usque etiam ad impignorationem omnium bonorum patriæ. Quare absque dubio merito apud Deum gloriam ſempiternam & præclaram laudem, perpetuamque in ſæculis bonam promeruit famam. Et licet illam iniquam ſectam ex toto vel in toto extirpare nequierit, ſemper tritico creſcente cum zizania, & e contrario; in veræ fidei exaltationem, id quod potuit, fecit, pro fide Catholica & Apoſtolica amplianda, quam illi infideliſſimi non ſolum in Bohemia & Moravia, ſed etiam in diverſis prope terris & vicinis deprimebant, & omnem cultum Chriſtianæ religionis evertebant. Quod ſi Imperator Sigismundus ſocer ejus, & alii Principes Imperii & Nationis Germanicæ, præter Fridericum Marchionem Miſnenſem, tantum feciſſent ut ipſe; hodie illius ſectæ memoria de medio penitus ſublata eſſet.

[1] al. Schaumburg.

Iſte

Iſte devotus Princeps ab infantia ſua Deum timens, cum ſuis Baronibus ac militibus & terræ ſuæ incolis multa pro Chriſti fide habuit prælia in Bohemia & Moravia, in qua & ipſe tunc Marchio erat: fueruntque illi etiam ſtipendiarii de Styria & Carinthia atque Carniola viri nobiles, & in bellicis rebus ſtrenui & experti, inter quos præcipui tunc nominati habebantur, Leopoldus Baro de Krey, & Barones de Rechperck ambo Karinthiani, & Baro Ekardus de Stubenperg Styrienſis, ſed & Dominus Wilhelmus Ebſer Miles & curialis Alberti Ducis. Iſti Viri & athletæ ſtrenuiſſimi nominati in omni exercitu Principis Auſtriæ illis temporibus extiterunt, & miranda cum Bohemis, qui tunc *Huſſite* communiter dicebantur, egerunt, in factis armorum notabiles victorias cum Dei adjutorio ſæpiſſime effecerunt. de quibus per ſingula narranda brevis non ſufficeret hora.

Anno Domini 1437. die nona menſis Decembris Sigismundo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Raviæ, Serviæ, Galiciæ, Lodameriæ, Comaviæ, Bulgariæque Rege, & Lucemburgenſi hærede defuncto; Albertus Dux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, Vir quidem optimus, & omni virtute decoratus, Princeps religioſus, & qui liberalitate ſimul juſtitiaque præſtaret, in bellis audax, manu promptus, Hungariam introductus eſt, primaque novi tunc ſubſequentis die anni, Dominicæ ſcilicet Circumciſionis celebri in feſto, Domini autem 1438. anno, apud Albam Regalem cum ſua conjuge Elizabeth ſummo conſenſu & applauſu populi, gloriæ cum pompa feliciter extitit coronatus. Sequenti itaque quadrageſima Rex Albertus magnus & potens Princeps cum maximo apparatu & comitiva Ducum, Comitum, Baronum, Militum, & aliorum nobilium ex Hungaria aſcendit, & venit Wiennam ſabbatho ante Palmarum quaſi hora completorii. Cui occurrit omnis civitas cum plauſu & lætitia cordis, cum velis & trophæis crucis Chriſti, & Eccleſiæ ſanctis Reliquiis & choreis, decentiſſimo apparatu; tamen ibi non fiebat jubilus aliquis tubarum aut aliorum inſtrumentorum muſicalium, ex quo erat in quadrageſima, & tempore quo rationabiliter lætitiæ cantica ſubticentur. Attamen indubie omne gaudium ab intus fuit in cordis ſecreto, quia omnis homo tam de incolis, quam forenſibus eum cordialiter diligebat, præter Huſſitas ſolos, qui etiam proſcripti erant. Ipſe autem Princeps devotus & pius in ipſis honoribus ſibi exhibitis humilem verbo & facto ſe exhibuit, & quaſi indignum judicavit. Inter hæc Electores Imperii, Theodericus Maguntinenſis, Theodericus Colonienſis, Rabanus Treverenſis Archi-Epiſcopi, Otto Comes Palatinus Dux Bavariæ & tutor Ludovici Comitis Palatini Rheni, Fridericus Dux Saxoniæ, & Fridericus Marchio Brandenburgenſis apud Frankfordiam convenientes, ejus felicitatem admirati, vigeſima die Martii concorditer Albertum Regem Hungariæ Ducem Auſtriæ, in Regem Romanorum elegerunt. At illi acceptare Imperium injuſſu Baronum Hungariæ haud quaquam licebat, id enim eis promiſerat; cum ſe Regem accepere. Vocati Primores regni negabant ex uſu eſſe Hungariæ Regi, Teutonicis cæterisque gentibus imperare. Dum Sigismundus Romanæ rei conſulturus, Italiam, Germaniam, cæterasque provincias peragraſſet, Hungariam Turcorum direptioni patuiſſe, atque ob eam cauſam jurejurando Albertum obligarunt, ne ſuo injuſſu Imperium acceptaret. Vocati tamen ad Regem, qui tunc Wiennæ fuit, multa in utramque partem dicta, poſtremo victi precibus, præcipue Friderici Ducis Auſtriæ tunc adoleſcentis, aſſenſum dedere. Imperium ſumma congratulatione Germanorum ab Alberto ſuſceptum fuit, & quia erat juſtitiarius bonus & rectus, omnis homo in judicio pendens, cauſas habens in omni terra iſtorum Regnorum ampliſſimorum, ad hunc tanquam ad fontem juſtitiæ feſtinavit, ſperans circa eum invenire juſtitiam. Cum autem indubie cor haberet fervens juſtitia & æquitate, fortuna non dedit tantum tempus vitæ, ut bona utilia & neceſſaria reipublicæ, quæ pro utroque Chriſtianitatis ſtatu in corde excogitaverat, ad finem optatum deduceret, & omnibus petentibus juſtitiam adminiſtraret. Cujus quidem rei evidentia circa ſtatum ſpiritualium primo dinoſcitur, quando ſuffultus ſacri concilii Baſilienſis auctoritate, omnium Monaſteriorum utriusque ſexus in ſuo Ducatu debitam fieri reformationem ſubordinavit, in Dei laudem & Eccleſiæ ſanctæ ſublevamen, animarum ſalutem, & laicorum exemplarem ædificationem. Et ut hoc fieret accomodatius, & firmius perſiſteret, de bonis ſuis non tantum ſemel, bis, ter, ſed ſeptimatim ſtipendium Dei ſervis & famulabus in tyrocinio Chriſti militantibus erogari ordinavit & mandavit, præſertim Monaſteriis Ordinis mendicantium Wiennæ utriusque ſexus reformatis. Quare non incongrue ſibi congruebat, ut diceretur verus Auguſtus. Qui Dei cultum ſic glorioſe auxit in ſuo ſingulari dominio: Quid credis ipſum[1] feciſſe, ſi vita comes foret, in ſuo univerſali dominio? Ut verus Auguſtus, res, corpus & vitam pro augmento fidei Catholicæ impendiſſet. Et quamvis ſæpe dictus Princeps Albertus Bohemis eſſet exoſus propter hæreſim, Barones tamen, & præcipui viri nobiles & militares, regnique Bohemiæ defenſores, cum ipſis adjunctis Ducibus Sleſiæ, & communitatibus ejusdem ſive civitatum, & communitas Lauſatiæ (qui omnes ad coronam Regni Bohemiæ jurati pertinent) dictum Albertum poſtulaverunt, & in Regem Bohemiæ pridie Nonas Maji deſignarunt, quaſi hæreditarium etiam jus ad hoc habentem, ex quo filiam Regis Bohemiæ & Imperatoris Romanorum Sigismundi haberet in uxorem. Quod tamen Regnum Bohemiæ ipſe invitus ſuſcepit, execrans erroris blaſphemiam, qui jam nimis excreverat & invaluerat: quem, niſi Deo miraculoſe annuente, impoſſibile erat in toto evellere & extirpare. Fuit tamen ei maxima ſpes in Dominum Deum, æſtimans, ne forte quia ſicut per ipſum bellantem & durum correctorem multi de illa Secta fuerunt extincti & propulſi; ita quoque nunc ipſo exiſtente

[1] *leg.* facturum fuiſſe.

existente pio Domino ac rectore, per ejus pietatem & mansuetudinem multi eorum moti efficerentur Deo devoti, abnegata hæresi & exclusoomni errore. Præsertim etiam, quia illi Hussitæ ad Concilium, quod tunc in Basilea vigebat, denuo bona fiducia venerant, & pacifice ibi in factis suis, id est sumptione Sacramenti Eucharistiæ, declarationem sumpserant, videlicet quod inter ipsos, qui jam dudum hoc Sacramentum sub duplici specie sumpserant, si vellent, adhuc jure possent, ex quo in primitiva Ecclesia, & postea per ccc. annos ille modus viguit; licet postea Ecclesia rationabiliter illud mutaverit. Illi vero, qui nondum usi sunt, non nisi in una specie sumerent, ut Italici, Gallici & Germani, immo omnes Christi fideles hodie faciunt per orbem terrarum; pueris autem, nec rationeutentibus omnino non dari debere. In illis autem compactatis promiserunt Bohemi, quod bona ecclesiarum indubie successive restituerentur, & quod Sacerdotes & Clerici atque Religiosi, qui dispersi in nationes erant, confiderer & secure properarent, & ad sua loca, plebanias aut Monasteria securi revenirent, specialiter tamen ad Pragam & alias civitates dicti regni. Quod & factum fuit. Nam plurimi Sacerdotes sæculares Pragam applicuerunt, & etiam Religiosi Monasteria & ecclesias suas desolatas iterum inhabitare cœperunt, in notabili tamen paupertate primum victitantes & miseria: indubie eo, quod sæculares, personæ adhuc illorum bona possidebant, nec libenter de manibus suis resignabant, licet illi de parte illorum missi ad Concilium Basileæ hoc promisissent fide data, sicuti & in compactatis fuerat expressum. His igitur ac similibus piis ex causis, ut vera religio Christiana resloreret in Bohemia, ipse Rex Albertus illud regnum acceptavit: atque ipso anno, quo Rex Romanorum fuerat electus, petenti Pragam frequens populus occurrit, atque ut hostium victori congratulabantur, tertio Kalendas Julii in eadem urbe metropoli regni, in monte Sancti Wenceslai sollemni pompa unctus coronam accepit, cunctis gratulantibus, & maximum diem festum agentibus. Ipsa denique ille omnium bonorum inimicus Diabolus etiam cum suis satellitibus perversis Hussitis affuit, licet non in civitate, sed ante, non faciens festum, sed subordinans luctum. Siquidem ribaldi illi de secta Rokezani, quia facere despectum alium nequibant, novam per antiphrasim illi in novum suum regnum propinam offerentes, vaccas & bestias pascuales ante Civitatem Pragensem cœperunt abigere & rapere. Quod cum innotuisset clientulis Regis, plus ob despectum corrigendum, quam vaccas reducendas, armati exierunt, & illos perversos ribaldos & latrones vacuos pepulerunt, plurimos interficientes & capientes; nihilominus & eorum plurimi graviter fuerunt percussi & vulnerati. Sicque impletum est illud proverbium Salomonis: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Illi autem licet & Polonicales manus habuerint in auxilium, cum tamen campestrem Regis expeditionem ipsorum vires pari-

A tate potentiaque eminere adverterent, intra mœnia civitatis Thabor denominatæ se recepe-
runt: est enim civitas hæc in Bohemia caput & nutrix Hussitarum, per ipsos dudum nova mu-
rorum ædificatione, in loco naturaliter forti condita. Albertus Rex quadrato agmine in conspectum hostis advolat. Quo intra castra se continente, & ipse castra sua e regione Tha-
bor ad jactum lapidis tormentalis metatus est. Pugnatum singulis diebus in campo, qui medius inter bina castra jacebat. Nunquam totis viri-
bus in fortunam belli ventum. Erant in castris Alberti Christophorus Bajoariæ Princeps (qui
B postea regno Daciæ potitus est), Fridericus Saxoniæ Dux, & Albertus Marchio Brandenburgensis, cujus nomen ab eo tempore cultum magnumque fuit. Triginta milia militum Alberto parebant, Polonis XIV. milia, quorum castris juncta civitas magno adjumento erat. Tormenta quoque ænea in utrisque castris plurima, majora apud Albertum fuere. Ex quibus uni, quod erat maximum, ignem admoveri jussit, cujus lapis emissus miræ magnitudinis cum præter opi-
C nionem in castris hostium cecidisset, multos mortales interemit. Vidisses passim corpora sine capite jacentia, capita quoque, pedes membraque sine corpore in cruore fluitare, jumenta humi procumbere mortua; neque enim primo ictu duntaxat, sed multiplici saltu pluribus in lo-
cis decidens saxum stragem fecit. Quare consternati Poloni relictis castris intra urbem se recepere. Georgius Poggiebracius per idem tempus cum Thaboritas peteret, in alam quandam Alberti equitum forte incidens, commisso
D prælio, hostem prostravit, atque hinc primum homini nomen datum. Complevit hæc dimicatio menses tres. Albertus vero cum expugnari Thaboritæ aliter quam fame nequirent, soluta obsidione Pragam rediit. Poloni exhausti argento, amissis equis, pedibus in patriam abiere. Fridericus Saxonum Princeps, dimisso Rege, domum rediens hostium insidias incidit, sed nihil improvisa re motus, ordinata raptim acie, ea constantia, ea fortitudine pugnam iniit, ut pene victus captusque victores vicerit, cæsisque quampluribus captos abduxit. Nobilisque illa expeditio illustrium Ducum, Comitum, aliorumque potentum Nobilium in evertendam Hussitarum vim & pravitatem conflatam, vireque & armis admodum potens dissoluta ipsis Hussitis locum cessit, animumque & spem majorem, quam prius erat, dedit.

Albertus autem, relicto qui regnum gubernaret Ulrico Comite Ciliæ, per Sleſiam Gorlicium venit; Wratislavienſibus vero (ea est civitas nobilis ac præpotens & Slesitarum caput) Albertum Marchionem Brandenburgensem petentibus belliducem dedit, qui Poloniam sæpe infesto exercitu petens longe lateque prædas egit. Non multis post diebus actum de concordia. Rudericus Burgensis Episcopus, natione Hispanus, doctrina ac virtute præstans, arbiter litis ex Basilienſi Concilio missus Albertum convenit. Disceptatum est inter Legatos

1 *deest* die.

2 *leg.* Viribusque.

partium. Non convenientibus, induciæ belli dictæ, conventus in alium diem apud Wratislaviam ſtatutus. Eo veniens Albertus, ex gradu forte prolapſus graviter læſus, pluribus diebus ægrotus decubuit. Exin claudus effectus, infecta pace, per Moraviam in Auſtriam rediit. Interea Comes Ulricus, qui Bohemiæ præerat, inter Barones de vendicando ſibi regno agere cæpit. Albertus cognito ejus ſtudio, properatim ſtipendia ſubtraxit. Ille materia adempta, qua Bohemorum animos ſibi conciliabat, ex provincia diceſſit, nec ultra remiſſus eſt. Regni cura Mainardo, & Ulrico Roſenſi commiſſa.

Per idem tempus Deſpotus Serviæ, quam Raſciam vocant, cum Sacerdotibus & Nobilibus in Hungariam profugerat, Thurcorum impetus veritus: uno tamen relicto filio, qui caſtellum Sinderoviam in ripa Danubii ſitum, & a Thurcis obſeſſum tueretur. Et (ut dicebatur) territorium in omnibus bonis abraſerunt velut locuſtæ, igne, ferro & captivitate abducentes ultra LXXII. milia animarum Chriſtianorum utriusque ſexus captivos in terras ſuas, nemine repugnante aut prohibente. Illæ enim civitates muratæ & circumfoſſæ cum difficultate etiam ſeipſas ſalvabant. His auditis, & vere lacrimabiliter relatis in conſpectu magnifici Regis Alberti, ſuſpirans de profundo pectoris dixit ad præſentes qui aderant: En propter Deum dicite, quid aggredi hodie, id eſt, hoc tempore, debemus; quia in omni parte incredulis & malis circumdati ſumus, neſcientes ubi primam manum defenſatricem pupillorum ac mœſtorum opponamus. Et ait; Oportet tamen ſemel mori, & Deo debitum exſolvere, & tunc erit finis præſentis miſeriæ. Hæc autem dixit magna ex compaſſione omnium miſerorum & pauperum in ſuis regnis commorantium.

Igitur Princeps iſte fideliſſimus in Domo Domini, qui etiam ſe totiens oppoſuit murum pro domo Iſraël, fiduciam gerens in Deum, manum ſuam miſit ad fortia, propoſuit publicó certamine & ſub forma belli cum Amirate Turcorum Principe congredi. Unde & una tota æſtate machinas, currus, bombardas, & omnem apparatum ad bellandum requiſitum fecit præparare & ordinare, ad ſuas & Domus Auſtriæ expenſas: quem etiam apparatum belli in Hungariam per Danubium fecit deferri, quem Auſtria usque hodie nondum verſa vice recepit, licet conſteterit ultra quinquaginta milia florenorum Ungarilium. At Albertus ab Hungaris invitatus, obſeſſis opem laturus, Budam petiit. Interea Georgius Polocius Strigonienſis Pontifex diem obiit.

Poſt hæc, anno Regis Alberti Secundo, ingens exuberavit fama, quod Amirates Thurcorum Cæſar magnam ſuæ gentis vim moviſſet, regnumque Hungariæ invadere conaretur. Propter quod Rex Albertus ſui regni procerum celebrata congregatione unacum eisdem concluſit, hoſtem non debere ſpectare regni ad penetralia, ſed eſſe illi in forti brachio obviandum. Commota igitur totius regni Hungariæ militari virtute, magnum congregavit exercitum, & in loco, vulgaris appellatione Tyddenrew vocato, ſua tentoria locavit. Cæſar vero Turcorum Regem in regni defenſionem ſufficientibus militum armorumve præſidiis feſtinare audiens, expugnato caſtello Zendrew, & omni pene Raſciano agro ſuæ potentiæ ſubjecto, frameam & omne ſuum robur in Græcos convertit. Hungari vero ex longa campeſtralis hoſpitii mora tædio affecti, maxime cum multi ex illis ſanguinis fluxu gravarentur, luppo juxta antiquam ipſorum conſuetudinem proclamato, invito Rege ſparſim & confuſe relictis regiis caſtris, recedentes abierunt. Rex autem Albertus veniens ad Budam, infirmitate præventus eſt. Cum igitur diſſenteria laboraret, ſentiensque periculum Wiennam repetere ſtatuit: ſive moriturus inter ſuos, ſive quod aërem, in quo fuerat nutritus, conferre aliquid ad ſanitatem ſperabat. Iter ingreſſus cum jam Strigonium præteriſſet, ſuæ minime parcens debilitati, & in itinere magis ac magis morbo affectus, relicta uxore prægnante, obſignatoque teſtamento, in villa Nesmel vi. Kal. Novembris, poſtquam annum unum, & menſes novem, dieſque octo & viginti in Hungaria regnaſſet, vita functus. Vir utique Virtuoſus, pacificus, caſtus, Princeps liberalitate ac fortitudine clarus, qui cæteris rebus longe religionis ſtudium antepoſuit, fautor Cleri ac Studentium per omnia Chriſtianiſſimus, favoreque omnium abundabat, & adeo pius, ut tota plebs diceret, quod mundus ejus præſidentia non eſſet dignus. Erat Rex Albertus homo competentis proceritatis, faciei plus ad nigredinem quam albedinem tendentis, mitium morum, & petitioni ſuorum flexibilis. Nervoſum & validum corpus, facies ejus terrifica, more gentis eraſa barba, ſuperius labrum [1] intonſum, veſtem haud ſplendidam baltheus auro gravis cinxit, nec unquam lateri defuit enſis. In Alba-Regali ſepultus, hoc habens epitaphium:

Anno Domini MCCCCXXXIX. in vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ obiit Sereniſſimus Princeps Albertus Quintus, Romanorum, Hungarorum & Bohemiæ Rex glorioſiſſimus, Dux Auſtriæ, Styriæ &c. fideliſſimus Marchio Moraviæ &c.

Albertus prædictus antequam regnaret, in Judæos deſæviens, eos omnes in ſua ditione occidi juſſit, qui nollent ad Chriſtum verum & ſingularem Deum converti. Multi metu Baptiſmum ſuſcepere, ex quibus unum Fridericus antequam imperaret, in cubiculum accepit, eumque cum eſſet ſibi coætaneus, dilexit. Is poſt aliquot annos pœnitentia ductus, ad Judaicam fidem ſeſe reverti ſtatuiſſe dicit. Fridericus contra ſuadet, ne vitæ viam deſerat. Cumque verba ſua nihil proficerent, Theologos ex Wiennenſi ſchola accerſit, qui juvenem inſtruant: addit preces, addit lacrimas, promittit, minatur. Poſtremo ut fruſtra ſeſe niti cognovit, invitus juvenem in judicium requiſitum tradidit. Ille ad ſupplicium ductus, nullis obſtrictus vinculis (ſic enim petierat) ut pyram ardentem vidit, Hebraicum carmen incipiens, in medias flammas intrepidus ſe conjecit, atque ibi cantans exuſtus eſt.

[1] *l.* labium.

Prædicta Domina Regina Elizabet ex Alberto marito quatuor liberos procreavit; Georgium, qui in pueritia obiit; Elizabet, quam Wilhelmus Saxoniæ Dux, Lantgravius Thuringiæ, uxorem duxit, quæ obiit sine liberis; & Annam, quæ Casimiro Regi Poloniæ desponsata fuit: qui magnifica gaudens prole, quinque filios & quinque filias ex ea progenuit, adhuc superstites. Hedwigem Ducillam Bavariæ, quæ ex Duce Georgio duas suscepit filias, Margaretam Monialem in Hohenaw, & Elizabet L. N. Marchionissam Brandenburgensem: quæ genuit filios & filias; & adhuc alias tres Virgines. Item Wladislaum Regem Hungariæ & Bohemiæ, Virum utique virtuosissimum; Albertum, qui defuncto genitore paterno potitus est regno; Fridericum Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum per Poloniam &c. Archiepiscopum in Tartaria; & Episcopum Cracovien-sem; dignissimum; Sigismundum quoque & Christophorum Duces Littoviæ ac Albæ-Russiæ, Viros utique præclarissimos, atque omni laude dignissimos. Ac demum Ladislaum Regem, de quo infra.

Præfatum autem bellum cum Turcis quidam Scriptor Almanus in hunc prosequitur modum. Dum enim belli tempus statutum appropinquaret, descendit Rex Albertus cum notabili exercitu Australium, Stirien-sium, Bohemorum, Slesitarum & Moravorum ad partes Hungariæ: ubi & Hungarorum magna etiam multitudo præparata adventum præstolabatur Regis sui. Igitur die tertia vel quarta ante statutum promissum diem belli voluit Rex, ut recenseretur exercitus suus a Capitaneis, & ut omnes essent in talem armati & omnino præparati diem præfixum. Reperit se Rex in tentoriis vix cum sex milibus, qui putabat se habere ultra triginta quatuor expeditorum; quia fere omnes Hungari clandestine fugerant, & ita volebant Regem suum in manus hostium tradere. Quod tamen Altissimus prohibuit, cui Princeps iste illæsam & firmam fidem semper tenuit. Consilio igitur suorum per invias & paludes ad loca tutiora retrocessit, non audens tute cum exiguo populo centum milia & amplius aggredi; nec Deum voluit tentare, quem non dubitabat posse salvare tam in paucis, quam in multis. Sed infirmatus ipse Rex, sive (ut alii asserunt) intoxicatus, infra dies paucos spiritum suum Dominatori reddidit universæ carnis. Narratum etiam postmodum fuit, quod quidam ex Hungaris potiores benivolentiam & gratiam Regis, Turcorum captare volentes, scripserunt ei, quia ipsos oportuit adesse congregationi sui Regis, ut pugnent contra ipsum; quod tamen inviti facerent, sed potius vellent in pace esse ipsius boni amici. Quare scire deberet sua Majestas, quod, si vellet, absque armis & bello ipsi velint tradere suum Regem in manus ejus. Quod ille audiens, rescripsit eis, quod nollet hoc modo fidem frangere: condixerat enim, se velle legitime cum eo pugnare, & non traditorie. Et credendum, quod hoc tantum facinus non horruit conscientia æquitatis; sed fortassis pertimuit dolum Hungarorum, ratiocinando, quia si proprio Domino infideles existerent, qui bonum ipsorum promovere intendebat: quid sibi facerent Principi alieno, & infideli seu pagano? Sed quidquid sit de illo, hoc verum est, quod Hungari (ut supra dictum est) clam a suis tentoriis aufugerant, qui multi erant numero; unde necesse fuit, ut Princeps fidelis cum caris amicis contra tantam multitudinem cum patientia ante ictum belli terga daret. Mortuus est igitur prædictus insignis ac nobilis Princeps, Ducatus Austriæ gloria, & Decus gentis suæ. Hujus Regis nefaria mors (ut multi asserunt) procreata [1] fuit factione seu dispositione Venetorum, qui etiam illud venenum subtile præparaverunt, & per manus fallacium Medicorum illi nobili Principi subordinaverunt in potu misceri: quia dictus Rex illos odio habens propter injurias pluribus Nobilibus & magnis Viris illatas, immo & Ecclesiis & libertatibus Ecclesiasticis, ut hodie claret. In cujus facti evidentiam sellam pretiosam cum diversis muneribus in principio regni sui honorabiliter præsentantes obtulerunt. Qui renuit, dicens: Dicite Dominis vestris, postquam bona Ecclesiarum, quæ injustissime tenent, Ecclesiæ reddiderint, & Domino Apostolico, ut decet, illarum investituram reliquerint, nobis quoque ut Regi Romanorum terras & dominia, quæ in feodum sunt Imperii, reddiderint; tunc absque omni munere habebunt indubie utilem & favorosum amicum. Quod illi dure accipientes dixerunt, nil se in mandatis a suo Dominio super hac re habere; sed tantum a glorioissimo Principe suarum exemptionum ulteriorem approbationem seu confirmationem expetere venisse; & præsenti munere ejus magnificum favorem captare voluisse; sicque vacui a gratia tanti pii Principis ad propria redierunt. Hæc hactenus.

Inclitæ indolis speciosissimus adolescens Ladislaus, Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Raviæ, Galitiæ, Ladomeriæ, Comaviæ & Bulgariæ, Dux Austriæ, Sleſiæ, Lucemburgæ, Stiriæ, Karinthiæ & Carniolæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Moraviæ, Burgoviæ & Lusatiæ, Comes Halberspurgæ [2] & Tyrolis, Pherretis, Kyburgæ & Chiny, & Dominus Marchiæ Sclavonicæ, & Portus Naonis; Divi Caroli Quarti Romanorum Imperatoris Bohemiæ Regis pronepos, & Serenissimi Sigismundi similiter Romanorum Imperatoris ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis nepos, & Illustrissimi Alberti Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Austriæque Ducis ex Diva Elizabet sua conthorali, prædicti Sigismundi filia, posthumus regio castro Kamaron Hungariæ, VIII. Kali Martii, in die Cathedræ S. Petri, ortus anno Domini MCCCCXL. Cum autem quidam potentes ex Hungaris Wladislaum magnum Ducem Lithuoniæ, fratrem Casimiri Regis Poloniæ, introducerent in regnum Hungariæ &c. in celebri festo Pentecostes; Regina Elizabet sua Baronum cum parte Albam-Regalem petiit, filiumque suum, nomine Ladislaum, qui nondum quatuor menses compleverat, multis tonantem [3] vagitibus in Regem fecit inungi pariter

[1] *f.* procurata. [2] *leg.* Habspurgi. [3] *ita MS. f.* conantem.

& coronari. Cantabat Clerus conſuetas laudes, & Regina aſſiduas fundebat lacrimas, nec minus Baronum cætus illi aſſiſtens, Reginales fletus viſceribus compaſſionis recipiens lacrimabatur. Interfuit hujus Infantuli Coronationi Vir præclarus Dominus Dionyſius de Zeech Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, qui & puerulum ipſum, ſuæ dignitatis officio exigente, inunxit, ac illi ſacrum diadema impoſuit. Erant etiam ibidem Matthias Veſprinienſis, & Benedictus Jaurienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Ulricus Comes Ciliæ, & idem proximus Reginæ affinis, qui pro puero coronato ad inſtar aliorum Regum Hungariæ tempore coronationis pro obſervanda ſuæ plebis libertate ſacramentum præſtantium, reale præſtitit juramentum &c. Poſtquam igitur talis coronationis peracta eſt ſollemnitas, Regina Elizabet ad Wyſegradam arcem [1], cujus claves & conſervatio tunc Ladislao de Gara Bano credita erant. Eſt enim Caſtrum hoc natura loci tutum, altoque in monte ſecus decurſum Danubii, delectabiliquè aſpectu, digna murorum arte erectum: ea propter veteres quondam Hungariæ Reges hanc arcem pro tuta coronæ conſervatione elegere. Ad hanc arcem poſtquam Regina intravit, in repoſitione coronæ ipſius Barones ſibi circumſtantes fefellit: ſimulavit enim ſe illam ſuum in locum reponere, fœminea tamen quadam aſtutia eandem ſurripiens clam erga ſe occultavit, anuique cuſtodiendam tradit, & per Barones ipſos antiqua tanti theſauri conſervatoria, ſuis vacua conſervare ſolitis rebus, ſigillare fecit. Divertit tandem Regina abhinc ſimul cum filio & corona ad Fridericum Romanorum Regem (patruus enim puero erat,) & utrumque, tum filium pro educatione, tum coronam pro conſervatione illi dedit. His habitis, Regina Elizabet a Rege Romanorum rediens ſub cuſtodia fautorum ſuorum per civitates & caſtra, quæ ad illam recto erant corde, ferebatur; multam tamen non tantum a Rege alienigena & ſua gente, quantum a ſuis terrigenis perſecutionem patiebatur. Ipſa denique Elizabet intoxicata (ut dicebatur) per Regem Wladislaum in maſtrutis martaris [2], anno Domini MCCCCXLII. feria quarta ante S. Thomæ Apoſtoli in Poſonio moritur.

Cum anno Chriſti MCCCCXLIV. in profeſto S. Martini Epiſcopi, Wladislaus anno regni ſui quarto, in bello Turcorum cecidiſſet cum Juliano S. Angeli Cardinale Legato Epiſcopo Agrienſi & Segienſi; Ladislaus communi procerum conſenſu Rex deſignatur. Volvebatur Milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus quintus annus Domini, cum in feſto Pentecoſtes, in generali Conventione regnicolarum Hungariæ, communi voto interim, donec Rex Ladislaus puellus ſuæ ætatis quintum agens annum, mentem ad conſilia, manumque ad arma extendere valeret, ejusdem regni in protectorem ſeu Gubernatorem Johannes Huniades Wayvoda eſt electus.

Interea Domini Hungariæ pertriſte ferebant, quod ſacrum diadema, quo Reges Hungariæ coronari ſolent, puerulumque Regem, qui jure naturæ illis dominari debebat, Rex Romanorum Fridericus detinebat: timebant enim, ne puer aliena enutritus in terra, a moribus & labio Hungarorum alter fieret. Conventum eſt igitur, ut repeteretur, aut iretur in ultionem. Et dum Rex Romanorum petitis non flectitur, ingentibus damnis pulſatur. Nam Dominus Gubernator, ſecundo officii ſui anno, pluribus armatorum agminibus compoſitis, omnem Carinthiæ & Carniolæ agrum, & magnam partem Stiriæ crudeli cum ſeveritate pervagatus eſt, res in prædam, homines in captivitatem, civitatesque ac oppida & villas ardentes in flammas redigendo. Cum tandem ipſum Romanorum Regem ſuarum provinciarum depopulatione moveri vidit minime, multarum rerum & captivorum congerie onuſtus, felix rediit.

Rege Romanorum Friderico adhuc exiſtente tutore Regis Ladislai pariter & rectore Auſtriæ Johannes Huniades Gubernator Hungariæ aſcendit verſus Novam-Civitatem, exercens rapinas & prædas cum violentiis circumquaque, licet non haberet adeo validum exercitum; attamen reputabatur habere duodecim milia hominum. Rex autem Wiennæ exiſtens, quaſi nihil curabat. Civitates vero & omnes patriæ gentes, & qui continue ab hoſtium incurſibus vaſtabantur, murmurabant adverſus patrem-familias, id eſt Regem, clamabantque lamentabiliter, & non erat qui aſpiceret: & multæ diſſenſiones, vituperationes, maledictiones & rixæ hinc inde fiebant, eo quod nihil faciebat ad hujusmodi patriæ devaſtationem. Et videbatur multis, quod eſſet diſſimulatio doloſa ex parte Cæſaris, quia ſub tali prætextu intendebat ſibi ſubditos humiliare, præſertim Auſtrales, qui videbantur ſibi non velle parere in conſuetis exactionibus & gravaminibus: ſimiliter & Wiennenſes, qui tunc opulentiſſimi, abundantes & præpotentes erant, a quibus etiam quotidie aurum & argentum fraudulenter extorquere cupiebat. Cauſa autem Hungarorum fuit, injuſta ſacræ coronæ detentio, quam olim Sancto Stephano Regi Angelus de cœlo mirabiliter attulit: quam etiam poſt 1464. Regi Matthiæ pro centum milibus florenorum Hungaricis reſignavit.

Igitur poſt ſpatium trium menſium, deſtructa Auſtria hinc inde quaſi per duodecim miliaria, Fridericus Rex murmure & indignatione totius patriæ motus, congregari fecit exercitum; imo ipſi Nobilesmet & Veterani milites tantis deſpectibus, ſimulationeque ſeu negligentia Cæſaris & ſuorum Conſulum commoti, cœperunt ſe ipſos provocare & animare contra ipſos tales inermes & nudos Hungaros, ac ad bellandum tunc plurimum inertes, patria pellendos & confuſe fugandos. Congregato igitur notabili exercitu, bene armato & ad bellandum

[1] *deeſt in MS.* ſe contulit. [2] *Id eſt.* (*ut ego interpretor*) in Veſtibus aut pellibus marturum ſive martium, *quæ ferè ſunt exiguæ ex genere muſtellarum, quarum pelles habentur in pretio. Unde* Veſtis vel pellis marturina, marterina mardarinave, *ſeu denique* mardirina. *Vide Gloſſarium Cangianum pag.* 520. *verbo* Martures.

dum per omnia disposito, Cæsar ipse velut alter Sardanapalus in medio fœminarum filantium sedens, herbas autumnales evellens, & plantulas ob imminentem hyemem cooperiens, de factis armorum belli & tuitionis patriæ parum curabat. Unde nihil actum est boni aut utile, sed tantum quædam similitudo, delusio simplicium, labor & occupatio supervacua, & pecuniarum dilapidatio, & patriæ annihilatio. Tunc primum Austria cœpit ruinam sentire. Igitur quarta die mensis Decembris exercitus Ducatus Austriæ Wiennæ exivit contra Hungaros, & venit ad montis Wiennensium supercilium, quod per medium distat miliare: & quia erant nebulæ (ut dicebatur) circumquaque, & nullum hostium videre poterant, regressi sunt in civitatem; sicque inutiliter terminata est omnis expeditio. Porro hostes cesserunt, & in paludibus se tutaverunt; audita tamen fama Australium ad bellum prodire nolentium, versa vice die sequenti circumierunt illa montana inclyta & opulenta vinetis, opida scilicet & villas divitiis vini referta. Cumque parati essent cuncti hostes, ut ad suas Sedes reverterentur; succenderunt circum circa illud territorium simul & semel prope initium noctis plus quam quadringentis ignibus: ubi æstimatur, Austriam damnificatam fuisse in decem mille milibus Ducatorum. Acta sunt hæc anno Domini MCCCCXLVII.

Anno autem sequenti moti sunt quidam Castellani, opponere se Cæsari, & Ducatum Austriæ spoliis & rapinis infestare. Quorum unus fuit dictus Pangracius de Galicz castro Hungarico circa flumen Marcha in confinio Hungariæ & Moraviæ, quod apud vulgus dicitur an der March: ubi est circumquaque opulentum & bonum ac pingue territorium usque ad Wiennam, frumento, vino & croco & aliis vitæ necessariis maxima ubertate refertum; licet domibus ac ædificiis satis nudum propter guerras veteres ac devastationes ejus posteris temporibus per Bohemos & Hussitas actas. Nam a quinquaginta annis usque ad hæc tempora non fuit certa pax, nec transivit annus sine interruptione [1] hostium cum spoliis & incendiis. Ille igitur nequam latro, & iniquus depopulator ac oppressor pauperum Pangracius supradictus, cum suis complicibus quotidie excrescebat & multiplicabatur, per illud territorium habens plus quam undecim miliaria per longum & latum, quod in rebus mobilibus depopulatus est; imo in tantum prævaluit cum adhærentibus eidem, ut in jus & feodum illud assumeret, cogens omnes fidelitatem jurare, vectigales & censuales esse non semel in anno, sed singulis anni quatuor temporibus. Cujus facti & jurisdictionis registra fecit fieri, & non solum pauperes coëgit homagium & fidelitatem jurare, sed etiam Nobiles in castris & opidis habitantes. quod inauditum est in omne tempus, quo Ducatus Austriæ Principem habuit. Et duravit illud violentum Dominium istorum ribaldorum pene septem annis.

[1] *leg.* irruptione.

At cum Fridericus Imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiam petere statuisset, rursus Bohemi, Hungari & Australes legationibus seorsim missis Cæsarem fatigavere, Ladislaum reposcentes. Postulata omnibus negata sunt. Bohemos tamen, quos ferocius agere verebatur, per legatos suos ad patientiam usque ad suum reditum mitigavit, qui & se missuros juvenes, ex nobilitate sua, qui Cæsarem Italiam petentem sequantur, eique inservirent, ajebant. Fridericus postquam quieturos Bohemos intellexit, quorum motus inprimis verebatur, reclamantibus Hungaris & Australibus, assumpto secum Ladislao Rege, Italiam ingressus Augustalem coronam a Nicolao V. P. M. Romæ accepit.

Australes interea, suasore Ulrico Eyczinger, sumptis armis Præsides provinciæ a Friderico institutos vi pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summam rerum Eyczingero committunt, incentoremque novitatum, alterum, Ulricum Ciliæ Comitem in societatem accipiunt, auxilia ex vicinis gentibus accersiunt. Fuit autem inter alia causa movens, & satis apparens notabilis, quia Cæsar secum duxerat dictum Juvenem ad partes tam remotas, suspicantes, quod dolose hoc egerat, per hujusmodi labores viarum aërisque continuam transmutationem in periculum vitæ deducendo, & sic quodam modo absque gladio & veneno necando; ut illustris Austria & Wienna uxori suæ, prout antea præscripserat, in dotem remaneret. Unde & multimode variisque viis attentarunt, quomodo illum puerulum de ejus manibus qualicunque modo eruerent: nam ante egressum Cæsaris suum nativum Dominum petierunt sibi dari. At ille indicans puerum esse nimis juvenem ad regendum, eorum petitionem exaudire noluit, quod illis plurimum displicuit, & exin indurati ex magna parte fuerunt contra Cæsarem & suos. Quare, Imperatore existente in Neapoli, Wiennenses, conscia illorum liga miserunt nuntios, litteras & munera ad Magistrum Caspitz Romam, qui in tutela habebat Ladislaum puerum etiam tunc, quamvis Imperator commendaverit eum Papæ Nicolao specialiter usque ad revisum. Institerunt igitur illi conspiratores litteris, promissis & muneribus apud dictum Magistrum & pædagogum Ladislai, in magna summa florenorum illi, se subscribentes, si annuerit voluntati eorum, & illum Juvenem ad manus eorum traderet. Excæcatus ergo iste infelix munere, promisit Regem in manus eorum tradere, & feciſſet, nisi illa conspiratio detecta, & Domino Apostolico nota facta fuisset. Unde & illi compererunt negotium discoopertum; Magister Caspitz & quidam Nobilis mox auffugerunt, & in Veronam venerunt, quos Papa per suos insecutus capi mandavit, & Imperatori præsentari. Exterritus autem fuerat nimis Papa Nicolaus de illius pueri abductione, tum ex amore, tum ex timore Cæsaris. Fuerunt enim ferventissimi amici Imperator & Papa, ad cujus fideles manus Ladislaum commendavit, & Papa velut maximum apud se reconditum thesaurum puerulum

luim ipſum habebat. Qui ſi ablatus fuiſſet, poterat Imperator ſuſpicari, quod Dominus Papa hoc ſtudioſe vel malitioſe feciſſet, ſibique in deſpectum & inimicis ſuis in favorem: & inimicitia maxima fuiſſet orta, & plura damna Eccleſiæ Romanæ inde ſecuta. Prædicti itaque Viri ſcelerati, & per Paduam usque in Venetias adducti, & Imperatore adveniente ſuo Marſallo præſentati: quos Imperator ſecum in Stiriam deduxit, & longo carceris ergaſtulo incarceratos poſt annos octo impune & libere abire permiſit.

Audientes Auſtrales Imperatorem Stiriam applicuiſſe, mox ſolemni legatione ad illum miſſa, ut Regem Ladislaum reddat, aut bellum expectet. Quo petita negante, illi in furorem verſi, diffidato primum Cæſare, cum omnibus ſuis manu armata & forti, die 19 menſis Auguſti, impatientes infeſtis ſignis Novam Civitatem petunt. Committitur primo adventu atrox pro portis prælium, nullus ſagittis modus, cadunt ſine numero tela, bombardæ ſtragem horrendam hoſtium edunt. Mirabile viſu! diſjecta paſſim membra equorum atque hominum cernere, cruorem late fundentem aſpicere. Qua denſiſſima fuit unus perfregit aciem lapis emiſſus, idem alius atque alius fecit, proſtratis quæcunque occurrere inermibus atque armatis. Nec tamen intermiſſa pugna. Conglobati hoſtes magis ac magis inſiſtere, ubi res gladio geri cœpit, ac vir virum manu prehendit, equus equum impulit. Pugnatum eſt aliquamdiu æquo Marte. Poſtremo Cæſarianorum acies non tam virtute quam multitudine ſuperata terga dedit, atque in urbem trepide ſe recepit. Unius militis Andreæ Poumkircher, poſtea a Cæſare ad baronatum ſubvecti audacia civitatem tutata eſt. Qui, ne victores cum victis uno agmine irrumperent, tam diu pro porta ſolus impetum tenuit, donec converſi fugientes globo facto ex loco difficili, hoſte repulſo, januam clauſere. Firmata eſt deinde obſidio, & oppugnata machinis mœnia. Ex Bohemis ſolus Hainricus Roſenſis cum ducentis equitibus, peditibus ferme octingentis in caſtris fuit, Hungari nondum venerant, Auſtrales circiter duodecim millia militum expeditos in armis habuere, aduſtionibus etiam, ſagittis ac bombardis fortiter aggredientes. Et jam in proximo erat, ut ſcalis & machinis adhibitis muros aſcendere attentarent. Georgius Poggiebracius Cæſari, cujus erat amicus, opem laturus, 16000 militum congregaverat. Sed audita concordia, in agrum regulorum Roſenſium exercitum duxit, villasque late populatus eſt. Imperator enim interventu Sigismundi Archiepiſcopi Salzeburgenſis, Caroliquè Marchionis Badenſis, Johannis Friſingenſis, ac Friderici Ratiſponenſis Epiſcoporum, Ladislaum e manu ſua dedit, educens in propria perſona illum Juvenem tredecim annorum vel quaſi certis conditionibus & clauſulis præſentavit, & ſingulariter in tutelam Ulrici Comitis Ciliæ, qui tunc una cum dicto Ulrico Eyczinger Capitaneus totius erat exercitus, & pueri avunculus & affinis, pridie Kal. Septembris, & decenti apparatu, exultante populo Wiennam pretioſum Illuſtris Domus Auſtriæ Ducale palatium ingreditur.

Multi ad illum confluebant tum de ſuis, tum de alienis regnis Nobiles. Cum enim tam excellentibus tamque potentibus eſſet natus deparentibus, magnum in hominem illum evadere ſpectabant. Conventum igitur fuit, ut & Dominus Gubernator Hungariæ, regnique Domini & Magnates cuncti ad exhibendos puero Regi condignos honores, fidelitatisque homagium præſtandum illuc irent. Nec dilatum extitit, quin omnis Dominorum Hungariæ pulchritudo in Wiennenſem civitatem convoluta eſt: ubi & Dominus Gubernator onus ſui officii, quod jam octo per annos felici geſtamine direxerat, ſponte exuit, 1452 inſtante Domini anno, & regnum Hungariæ ſanguinolentis ſuis ſuorumque laboribus, omni induſtria, ſollicitudine & bellicis artibus reſervatum Regi Ladislao reſtituit. Propter quod ipſe Rex Ladislaus ipſum Dominum Gubernatorem in magno foro apud Carmelitas, regali quoque in habitu, & Majeſtatis ſuæ in throno ſedens, aſſiſtentibus ſibi Ludovico Bavariæ, Wilhelmo Saxoniæ Ducibus, Albertoque Marchione Brandenburgenſi, Carolo Badenſi, aliisque quampluribus Comitibus & Dominis, ac regnorum Prælatis & Baronibus, magna cum ſolemnitate in Comitem perpetuum Biztricenſem ſublimavit. Armorum quoque inſigniis, puta corvo, geſtamini annuli de colore flaveo in clypeo depicto, quæ ipſe Dominus Comes usque tunc geſtaverat, alia clara inſignia, rubeum ſcilicet leonem, coronam unguibus rapere volentem, albo in ſcuto deſcriptum ſuperaddidit. Peractis tandem magno cum gaudio cunctis ipſius ſublimationis cærimoniis, idem Rex Ladislaus eundem Dominum Comitem multis muneribus & donariis regali largitate honoratum una cum cæteris Dominis, Prælatis & Baronibus, ac fratre Johanne de Capiſtrano poſt pauços dies remiſit in Hungariam.

Poſtquam dies affuit cum Imperatore conſtituta, auditis partibus, infectis rebus conventus diſſolutus eſt. Poſtremo, Nicolaus Cardinalis S. Petri ab Auſtralibus rejectus eſt. Promiſerat Ulricus & Hungaris & Bohemis, Regem ad eos propediem venturum. Hungaris primum ſatisfacere ſtatuit, diem illis apud Poſonium conſtituit. Conveniunt frequentes Hungari Regis ætatis 13, Dominicæ autem Incarnationis 1453 anno. Eisdem vero diebus Dominus Johannes, Comes Biztricenſis partes regni inferiores luſtrabat; ſciebat enim plurimos Dominos de Hungaria, & maxime Comitem Ulricum non recta ad ipſum eſſe voluntate. Salvi tandem conductus ſub ſecuritate ſacræ Quadrageſimæ dielus & alii Viri potentes cum eo pariter ad Regem venerunt. Res ibi pro voluntate Hunniadis ordinantur. Tandem recedendi licentia obtenta ad Themeswar deſcendit, ulterius regnum ingredi nec Regi, nec Comiti viſum. Fit reditus in Wiennam. Bohemis dies inſtituitur, qua Regem coronandum Pragæ ſuſcipiant. Erat inter Bohemos Johannes Smyricheus, homo nobilis, & facundiæ gratia inter primos

primos constitutus. Is postquam Regem Bohemiam ingressurum cognovit, litteras hujusmodi ad eum dedit:

Johannes Smyricheus Ladislao Regi salutem. Venturum te quamprimum in regnum tuum probo, si modo imperaturus veneris, non pariturus. Inermem impotentemque intrare non laudo, si non bicipitem mater peperit; ut ex duobus capitibus unum Wiennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale. Epistola Comiti reddita est. Qui cognito tenore, Georgio eam remisit. Ille accersito Procerum consilio, inter quos Johannes non in postremis erat, litterarum sensum, suppresso scribentis nomine, recitat: quid mereatur scriptor, percunctatur. Dignum morte primi judicant: nec Johannes suo loco sententiam dicere jussus adversari audet: proditorem & ipsum patriæ, afficiendumque summo supplicio censet, qui ea scripsit. Profertur mox epistola ejus manu conscripta, & impressum annuli signum recognoscitur. Damnatur ore suo, comprehenditur, duarum horarum tempus datur, in quo, si velit, & animæ suæ saluti, & domesticis rebus consulat. Nec diutius vitæ dimissus, gladio percutitur. Sic vir magis eloquens quam cautus, dum alienam servare vitam studet, perdidit suam.

Convocantur apud Novum tritici Burgum pro veteri consuetudine quatuor Ordines, Sacerdotes, Barones, Nobiles, Civitates pro Steura Regi danda, ut coronam regni Bohemiæ cum honore suscipere possit. Ibi Eyczingerius, qui pridem a Comite suspectus, extra Regis gratiam ejectus; cum aliis Australibus contra Comitem conspirat. Steura promittitur, Eyczingerius solus Regi omnium ore loquitur, Comitem ejicere persuadet. Fit reditus in Wiennam. Postera die congregatis armatis in Castrum, ipse Comes Ciliæ administrationis suæ honore privatus, & confuso similis cum quatuor tantum Comitibus ex aula discedens, in patriam suam concessit. Albertus Marchio Brandenburgensis, ne populares saxa in eum jacerent, ad portam usque tutum iter fugienti præbuit. Latius hæc prosequitur Æneas in Chronica Bohemorum cap. 61. Inconstantis fortunæ singulare documentum! Nam qui paulo ante tutor Regis, & Secundum in Austria caput erat, in quem omnium oculi respiciebant, unico Regis verbo potestate privatus, inops consilii & animo confusus abiit.

Rex paulo post magnificentissimis apparatibus Brunnam, insignem Moraviæ juxta celebre B. Margaretæ Virginis applicans arcem, istic elegantis residentiæ Marchionalis, & pronam gentis Moraviæ subjectionem apprehendit.

Deinde Bohemiam petiit, & Pragam sublimis regni Bohemiæ famosam urbem proficiscitur, summos consecutus honores VIII. Kal. Novembr. more, suorum prædecessorum ejusdem regni diadema suscipiens festo SS. Simonis & Judæ Apostolorum. Mansit ibi non parvo tempore Ladislaus, nec unquam hæreticorum ecclesias quamvis rogatus intravit, nec sacris eorum interfuit. Ob quam rem cupientem in Austriam reverti Regem nullus hæreticorum est adversatus. Prius tamen quam rediret, Wratislaviam, Sereni Ducatus Slesiæ Civitatem capitalem, venerandi Nicolai Episcopi solemnitate intravit, cujus terrigenæ plurimi præstantes Dominum ipsorum naturalem eum recognoscunt; debitis sibi muniis & obsequiis ultro se offerentes. Reversus Wiennam cum honore suscipitur.

Comes Ciliæ, dum hæc aguntur, fractus animo, & omni spe reliqua destitutus Imperatoris gratiam quærit, non invenit. A Venetis censum stipendialem petit, & non accipit. Postquam foris nullum exilii sui præsidium reperit, per amicos reconciliari Ladislao quærit. Comes post annum itaque per amicos clam Regi conciliatur, reversusque Wiennam magno & splendido apparatu, mille ducens equites expeditos in armis adit. Venienti Rex obviam extra urbem factus est. Mira rerum mutatio! Qui paulo ante mœstus in exilium ierat, in triumphantis modum revertitur. Eyczingerius, qui culmen potentiæ consecutus eum dejecerat, quod in alium statuit, in seipso pati cogitur. Intrante namque urbem Comite, ipse cum amicis egreditur, spontaneum exilium eligens, illorum adulatione pulsus, quorum avaritiæ ac rapinæ obsistebat. De dolo Comitis Ciliæ Johannem Huniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amovere, habetur in Historia Bohemiæ cap. 64.

Anno Christi 1455. Despotes Serviæ Wiennam venit, & Ladislaum Regem supplex cum muneribus adiit, quærens contra Turcos refugium, postea in patriam rediit.

Multa ante hæc inter Hungaros & Regem agitata sunt, & cum ipso Johanne pactiones habitæ. Deinde Rex ipse Budam profectus. Ea tempestate Papa Calixtus III. cognita Machumetis, Turcorum Imperatoris voluntate, Hungariam sibi armis subjicere cupientis, Johannem Cardinalem S. Angeli cum legatione in Germaniam ad prædicandum crucem contra Turcos misit. Machumetes autem Constantinopolitana victoria superbus, congregatis ingentibus copiis in Thracia, per [1] Triballos in Hungariam properans, centum quinquaginta millia pugnatorum ducere ferebatur, tantoque tumens exercitu nihil dubitare, quin devicta Hungaria, Illyricos penetraret sinus. Verum parva urbs tantos ejus conatus retinuit, *Thaurinum* appellavere Majores, nostra ætas *aliam* vocat *Albam*, ad confluentes Danubii Saviquesitam. Hanc primum oppugnare statuit propter opportunitatem transeundi fluminis. Johannes Capistranus Hungaros in arma concitabat. Qui ubi appropinquare Turcos accepit, nihil moratus in Albam se contulit cum cruce signatis. Johannes quoque Huniades, contractis raptim copiis, eo profectus est, Cardinalis Budæ remansit. Rex ubi Turcos advenisse cognovit mox juvenis Princeps intime expavit, & Comes Ulricus, qui suis Regem consiliis dirigebat, non minus turbatus est. Non igitur regni de tutela tractarunt, & nec ad obviandum hosti arma pararunt; sed veluti rumorum ignari, ne-

[1] *MS. perperam* Tribulos. [2] *ita MS.*

que

que ſatis tutam Budæ moram arbitrati, unius noctis ſub tenebris ſub ſpecie venationis urbem egreſſi, in Wiennenſem civitatem via immorata ſe contulerunt.

Comperto Regem advenire accepto regno, cunctus Clerus cum Reliquiis, Studentes proceſſionaliter, cives omnes cum populo, artifices ſinguli cum candelis & victricibus ſignis extra urbem obviam venere, Principem ſuum cum gloria & lætitia ſuſcipere. Erant nimirum tunc Wiennæ perſonaliter conſtituti Nuntii ſolemnes Caroli Regis Francorum pro filia ſua Magdalena Ladislao tradenda, in quorum conſpectu præfata ſplendida ſuſceptio peracta eſt.

Anno Domini 1456 in menſe Junio Cometes caudatus ſuper hemiſphærium Wiennenſe fere per integrum menſem apparuit, quem & ego VITUS ARNPECKCH ibidem tunc ſtudio anhelans vidi. Eadem æſtate præfatus Cæſar Thurcorum horrendo & multiplici bellico cum apparatu caſtrum Nandoralbenſe prædictum terribili obſidione circumquaque adorſus eſt. Innumerabilium ergo cernebantur altis caſtri de mœniis culmina tentoriorum, longe lateque circumjacentes campi per planities extenſorum. Hoſtis vero multitudinem viſu comprehendere poterat nemo. Multas præterea naves maximarum navium adinſtar fabricatas ipſe Cæſar adduxerat, & his quidem Danubii & Savi flumina ſecus idem caſtrum decurrentia adeo munierat, ut ad ferendam caſtro eidem opem navali officio uti valebat nemo. Ingenia quidem ac machinas, & tormenta tot & tanta in quantitate, qualia & quanta in nullius caſtri deſtructionem aliquando comportata fuiſſe credi poſſint, juxta caſtrum Trwſowez Comira agilitate conflata (propter ſui enim magnitudinem longinquis de partibus apportari nequiviſſent) maximis cum laboribus advexerat. Quæ tandem ea parte caſtri, qua campum reſpicit, appoſita, alia ex illis ſolidos caſtri ejusdem quatiebant muros; alia vero altum in aërem lampades magnitudinis modii excutiebant: & ſiquidem deorſum caſtri intra muros formidoloſo impetu cadentes, omne viveins quod attingebant, ad inſtar fulminis ſubita morte extinguebant. Tonabant igitur diu noctuque crebrius excuſſæ machinæ, & terribiles earum tonitus usque ad civitatem Zegedienſem, & alias circumquaque plusquam ad Hungarica-lia 24. milliaria audiebantur. Nichiloininus continua ſuccenſio machinarum fumum eructans aſſiduum, nobilem ſolis jubare rutilante aërem denſa nubium caligine obumbrabat, advolantesque auræ ſulphureo miſcebantur fœtore: & nec fervidus æſtatis dies, neque noctis obſcura caligo obſidentibus & obſeſſis quieti erat, ut non omne tempus funebra decertatione expenderetur. Ruebant tanto ex impulſu nobilium turrium culmina, diſſipabantur parietes, & alta mœnia hominem caſtrumve tutantia humo tenus ſternebantur. Quid amplius dici poteſt, niſi quod obſeſſi intima mortis formidine percuſſi, diem tantum expectabant extremum. Cunctas regni per partes tam acerbæ, tamque potentis obſidionis fama ferebatur. Hungariæ tamen Domini quadam deſidia quaſi gravi ſomno laborantes perituræ arci armorum auxilium ferebant minime. Adiit tandem hoc tremendæ obſidionis genus Vir innatæ virtutis & militiæ Dominus Comes Biztricenſis, modico ad decertandum cum tanto hoſte ſtipatus milite. Confluunt plurimæ per dictum fratrem Johannem de Capiſtrano cruce ſignatæ Hungariæ gentes, pro Chriſti nomine pugnaturæ, & de partibus Polonicalibus Cruciferi quaſi trecenti venere. Quapropter ipſe Dominus Comes, quamvis cura gubernaminis exutus fuerit, tamen aſſueta in illo agente ſtrenuitatis virtute, ſuſtinere non voluit, quin & hoſtem adoriretur. Viam ergo quæſivit, qua hoſtium naves a decurſu fluminum prædictorum removere, obſidioneque laborantibus armorum præſidium ferre poſſet. Conquiſitis tandem navibus, illas militibus armatis, & Cruce ſignata gente oneravit, tandem per flumen Danubii hoſtiles contra naves miſit, propter quod uterque hoſtis navali jungitur certamine. Ingens exuberat in Thurcis clamor, & Hungari quoque vocibus altis Dominum Jeſum pro auxilio invocabant. Via igitur ad fugam utrique hoſti dempta, acerrimum committitur prælium. Feruntur hinc inde altas Danubii per aquas, & multi ex illis mortalibus ſauciati vulneribus cadentes ibant in profundum, tantique ſanguinis ex effuſione clara Danubialis aqua immenſæ cædis cruenta oſtendebat veſtigia, & recentibus pugili de utroque piſcibus eſcæ parabantur. Tandem longum belli poſt laborem vicerunt Hungari, acriusque irruentes in Thurcos, naves eorum ferreis junctas catenis diſſecantes, vehementes ſuccenderunt in flammas. Dominus vero Comes navali in certamine gloriam victoriæ adeptus mox caſtrum adiit, & Capitaneos illius jam mente conſternatos, & præter mortem nullam aliam ſortem expectantes conſolatus eſt. Quid, inquit, territi eſtis? an ſolum nunc vidiſtis Thurcos? hi ſunt illi, quos ſæpius fugavimus, nosque interdum fugimus ante illos. Cur illorum aſpectus, quos multotiens vidiſtis, vos turbat? Nonne arma & vires illorum experti eſtis? Confidamus igitur filioli in Chriſto, pro cujus nomine crebrius noſtrum fudimus ſanguinem, & cum illius noſtroque hoſte eo fortius decertemus. Nonne Chriſtus mortuus eſt pro nobis? & nos quoque moriamur pro illo. Timidus, ut noſcitis, eſt hoſtis, ſique Deus nobiscum fuerit, de facili conteri poteſt. Nam & terga vertere conſuevit, & illum in fuga labi, fugientesque in patriam reverti non pudet. Quid amplius eſt differendum, cum hæc & Vos tentaſtis meo ſub ductu, longa belli tædia ferentes. Poſt hæc itaque, & horum plurima verba, perque ſuam præſentiam Dominus Comes non modica illos animoſitate reſtituit. Firmavit inſuper caſtrum novo milite, Cruce quoque ſignatam gentem plurimam in illud introduxit: & cum popularis eſſent conditionis, armaque vertere foret ignara, Dominus Comes & illos in quantum potuit bello adaptavit.

Audierat ante hæc Cæſar Thurcorum præfatus, quod genitor ſuus Amirates dum viveret,

ſub

ſub eodem caſtro Nandoralbenſi ſeptem menſium conſumpſiſſet obſidionem, & eodem potiri valuiſſet minime, ac absque victoria cum dedecore de ſub illo receſſiſſet. Quapropter idem Cæſar Thurcorum, aſtantibus ſibi ſui exercitus ductoribus, ipſum genitorem ſuum vituperamine non modico affecit, ſeque idem caſtrum dies per quindecim expugnare poſſe dixit. Quem cum Wayvoda Natoliæ, ſuorum ſupremus Wayvodarum, ſic ſe jactantem audivit, impetrata prius loquendi licentia, ad verba illius ita reſpondit: Maxime Cæſar, jocundum aliquid veſtræ dignitatis in præſentia me dicere expediret; timeo tamen, ne in poſterum rei exitus me veſtram apud Clementiam redarguat. Hoc tamen ſcire debemus, Hungaros ipſorum caſtra gravius cedere, quam Græcos. Cum igitur jam nobilium culmina turrium dejecta, mœniaque in magna parte humotenus proſtrata jacerent, ac valla & foſſæ caſtri repletæ, & terræ adæquatæ eſſent, ita ut hoſtis irruptioni nil penitus obſtaret, & præſcriptus decimus quintus dies præfatæ obſidionis eluxiſſet; mox Cæſar ipſe, adhuc rutilante aurora, cunctam gentis ſuæ multitudinem pulſantium tympanorum tubarumque hinc inde reſonantium in voce commovit, furioſoque in impetu idem caſtrum aggreſſus, ac cruentam per cædem illius penetravit in medium. Hungari vero licet tanto cum hoſte ipſos congredi impar fuerit, viribus tamen ſe defendebant totis, auxiliumque Domini Jeſu ſæpius acclamantes hoſtium in ruinam acriter inſiſtebant. Inſtauratur ergo mortale bellum, & caſtri decertatur in plateis. Cadunt hinc inde multorum cadavera interfectorum, multo ex clamore ac innumerabilium enſium ex tinnitu ingens in aëre confuſio reboabat, & ſæpius utrique hoſtes, tum iſte, tum ille dare terga coguntur. Aderat & frater Johannes de Capiſtrano. Hic velut in extaſi poſitus, & cæteri fratres cum illo humo tenus provoluti, levata ad ſummum auxilium mente, manibusque & oculis in cælum defixis, gemebundi orabant. Dominus vero Comes Wiztricenſis hic minis, hic ut pugnarent inſtabat monitis. Michael Zilagy Capitaneus, & Ladislaus de Kambſa, Juvenes militari virtute præſtantes, & acies armatorum, quos Dominus Comes adduxerat cum illis, nec non & agmina cruce ſignatorum dirutis ſtantis Caſtri in parietibus, atrociter pugnabant. Jam Thurci ſæpius de caſtro expulſi, & rurſus dirum per certamen in illud ingreſſi Hungaris potentiores erant. Jam plurimæ domus in Caſtro ſuccenſæ vehementes eructabant flammas; jam Cæſaris vexilla in ſignum victoriæ plurima caſtri in mœniis elevata tenebantur; jam Hungari omni ſpe reſiſtentiæ deſtituti retrocedere, ſi quo erat, cogebantur: crudeſcebat enim unicuique imminentis mortis aſpectus. Tandem cum fugam ſalutis ſibi opem ferre poſſe nullam, ſed diſcriminis ſolam mortem eſſe redemptricem conſpexerunt; rurſus nomine Domini Jeſu altis vocibus invocato, armis coaptatis & clypeis junctis, fortiori ut poterant cum impetu irruerunt in hoſtem. Funebre igitur renovatur certamen. Multi hinc inde ſanguinem ſimul & animam fundunt. Nec abeſt auxilium Dei: nam mox cuncta Turcorum agmina tam fortem, tamque animoſum Hungarorum per impetum turbata, verſa in fugam. Hungari ergo animoſitate reſumpta, & quaſi novo potentiæ ſpiritu cælitus adjuti, in ore gladii perſecuti ſunt illos tam diu, donec cunctæ machinæ, cæteraque tormenta per illos caſtri ad ruinam adhibita, ſuorum ſunt nudata cuſtodiis. Propter quod Hungari omnes, quas Turci conſtituerant munitiones, igne ſuccenderunt. Nec ergo diei durante luce ceſſatum eſt a prælio, ſed illud, quod prius caſtri artis in plateis agebatur, lato poſtea in campo interim, donec nox ſuperveniens utrumque hoſtem ſua disjunxit caligine, multa cum ſeveritate extitit continuatum. Capiſtranus ex turri clamitans, Chriſtianos hortari, vexillum crucis oſtendere, opem de cœlo promittere, Dei præſentiam implorare.

Qualiter autem Cæſar ipſe profundis ejusdem noctis ſub tenebris, caſtro ſub eodem fuga lapſus ſit, pro comperto habet dicere nemo. Ad laudem tamen Dei, & Cæſaris confuſionem ſufficit, ut cunctis bellicis ſpoliatus apparatibus, omnibusque machinis, & cæteris tormentorum generibus, quas & quæ illac advexerat, relictis, immenſam ſuæ gentis poſt cædem propriam in patriam rediit: ſed & imposterum hujus caſtri memoriam per quempiam ſui in præſentia facere, gratum fuit nunquam. Quidam tamen de ejusdem Cæſaris fuga ita dixere, quod videlicet ipſe Cæſar, fervente atrociori bello, dum ſuos ad certamen cogeret, ſagitta in pectore fuiſſet vulneratus, cecidiſſetque mox ſemivivus; at ſui eum rapientes inter manus ſua ad tentoria detuliſſent. Ubi autem ad noctem ventum fuiſſet, Turci territi fugam iniiſſent, Cæſaremque ſecum deferentes, ne idem ex itineris laboribus magis gravaretur, ex alia parte caſtri eorum, *Sarno* vocati, condeſcendiſſent. Cumque ibi Cæſar ipſe ad ſe rediiſſet, ac ubi jam eſſent, interrogaſſet, illi quoque eidem locum denotaſſent; dixiſſet Cæſar: Et cur aut qualiter ad hunc locum devenimus? Devicti ſumus, inquiunt, per Hungaros, & Natoliæ Wayvoda, & quaſi omnes tui exercitus ductores interfecti ſunt: nos quoque magnam accepimus ſtragem, ac quod majus eſt, tuam Serenitatem potius mori quam vivere ſuſpicabamur. Fugimus ergo hunc usque ad locum. Et rurſus, ſi etiam machinæ & cætera ingenia ibidem derelicta eſſent, Cæſar requiſivit. Illi quidem omnia ibidem remanſiſſe dum reſpondiſſent, Cæſar ipſe mox intima cordis amaritudine exacerbatus dixiſſet: Afferte mihi venenum ut guſtem, & moriar potius, quam cum dedecore meum revertar in regnum. Tali igitur exitu Cæſar Turcorum ſub caſtro Nandoralbenſi prælia-tus eſt, & qui tumida mente ſuperboque oculo ſolus cuncto terrarum orbi dominari volebat, judicio Divino ruſticanam per manum, quæ potius ſarculum quam arma tractavit, devictus eſt: & qui multarum tubarum multorumque tympanorum in ſono admodum lætus venerat, triſtis

1 *f.* cernebantur.

triſtis noctis ſub ſilentio turpiter fugit. Acta ſunt hæc in die Mariæ Magdalenæ, anno Domini 1456.

Poſt hæc Dominus Comes Biztricenſis ægrotavit, paucisque diebus ipſa ægritudine laborans; tandem in oppidum Zemplen delatus, in recommendatione præfati fratris Johannis de Capiſtrano Viri Dei, ſuo Salvatori ſuum reſtituit Spiritum: cujus tandem corpus ubere ſuorum in fletu ad Albam Tranſylvanienſem delatum, honorifice extitit tumulatum. Poſt diſceſſum ipſius Domini Comitis, frater Johannes de Capiſtrano non multos ſub Sole dies duxit, migrans ad Chriſtum. Cujus corpuſculum in clauſtro fratrum Minorum de Obſervantia in oppido Wylak fundato, conditum claret miraculis.

Ladislaus dum Cæſarem fugatum, Dominum Comitem vero vita exceſſiſſe audivit, mox ſuadente Ciliæ Comite, in Hungariam redire ſtatuit. In autumno itaque Rex & Comes Ciliæ Ulricus populari Alamanica gente ſtipendiaria plurima ſtipati, me vidente, ex Wiennenſi littore prope turrim rubeam navali officio alta Danubii ſulcantes, venerunt in Hungariam. Et primo Budenſis caſtri atriis dies per aliquot inhabitatis, tandem ad oppidum Futhack deſcenderunt, ubi regio ex edicto Nobilium totius regni congregatio extitit celebrata. Placuit poſthæc Regi Ladislao caſtro in Nandoralbenſi potentiæ Cæſaris Turcorum conſpicere veſtigia. Pariter ergo Rex ac Comites Ulricus & Ladislaus illac tranſierunt, ſtipendiarii quoque cuncti, qui ex Almania venerant, navigio ſecuti ſunt illos. Ibi die lunæ poſt Martini, Comes Ladislaus Huniadis [1] ſummo mane hoſpitium Comiti Ulrico aſſignatum, pariterque & ipſum Comitem pro habendo (ut fertur) mutuo colloquio adiit; primum verbis minacibus, tandem ambo radiantibus decertantes armis, alter in alterius cruore enſes madidarunt. Dum autem ante oſtium adſtantium ipſius Comitis Ladislai fidelium aures intrinſeci rumor belli delatus eſt, intardi diſſoluto domus oſtio, mox eductis enſibus irruerunt in Comitem Ulricum, ſe ſuarum virium omni cum virtute defendentem: ſtraveruntque illum frameæ ictu in pede graviter vulneratum, & tandem poſtratum ibidem decollarunt. Quantus autem Regem Baronesque regni, & Almannos Regi annexos ibidem concuſſit timor, quantave formidine intima ipſorum trepidarunt viſcera, dum enſes nudos, ſanguine tinctos humano caſtri per plateas radiare viderunt, ipſi ſenſere: omnes enim idem poculum, quod Comes Ulricus bibit, ſe bibere cogitabant. Nec morati, ea novitate Regem perculſum adeuntes, occiſum regni hoſtem dicere, digna meritis præmia reddita, Regi nihil timendum eſſe, cuncta ejus imperio parere, nunc regnum ejus incipere, prius apud Comitem fuiſſe. Rex quamvis vehementer commotus erat tam atroci facinore, ſupra tamen, quam ferebat ejus ætas, dolorem compreſſit, amicis circumſtantibus dicentibus: Ferendum eſt, quidquid vitari non poteſt: ademptam Comitis vitam reddere non poſſumus. Juſſitque defuncti cadaver plauſtro impoſitum Ciliam deferri, atque in ſepulcro majorum condi.

Ipſe autem Rex Caſtro Nandoralbenſi relicto, comitante Ladislao cum cæteris regni primoribus Budam repetere ſtatuit. Inter equitandum ad opidum Huniadum, Temeswar denominatum, pervenit: ibi Comes Matthias, & conjunx Hunniadis Elizabet, ob mortem mariti lugubri veſte induta cum puellis venere in occurſum. Inducto ergo illo ſublimia caſtri ejusdem in palatia, excellenti illum, ut regiam decebat dignitatem, hoſpitio tractavere. Ubi & ipſe Rex Ladislaus, ſui regni Baronibus ad utrumque latus ſuum ſtantibus, Comiti Ladislao proſtrato temeritatem, quam in occidendo Comite Ulrico, ejusdem Regis conſanguineo, commiſerat, indulſit, & ambos Comites lugubri veſtimento, quod paternæ mortis in memoriam deferebant, exui juſſit, & eosdem una cum matre propria ſua pro perſona purpureas tunicas auro diſtinctas amicire fecit, & dono dedit. Puellas quoque ſua dignitate donatas mutare habitum increpavit, totumque diem lætitiæ dari; convivia demum ſplendide apparata, inter epulas & vina ſaltatum cantatumque, quaſi celebres nuptiæ per luſum & jocum actæ.

His blandimentis allecti Huniadis filii, nihil jam dudum ex cæde Comitis in caput ſuum poſſe verti confidebant. Itaque poſito metu Regem usque ad Budam ſecuti ſunt, aulamque inprimis æſtimati cultique frequentabant. Verum amici Comitis, ac æmuli olim Hunniadis Regis aures dietim pulſare, illuſtrem Principem avunculum regium ſine cauſa necatum conqueri, Majeſtatem graviſſime læſam dicere, inultum tam atrox ſcelus relinquendum non eſſe &c. Rex his & aliis pluribus verbis fictis motus. Feria 2 poſt Dominicam *Oculi* Comes Ladislaus regium ad colloquium vocatus, ibidem regia in domo extitit captivatus. Comes Matthias de his, quæ erga fratrem agebantur, inſcius; ſua puerili innocentia nullam ſibi opem ferente, in quadam domo, quæ ſibi pro hoſpitio caſtro in Budenſi deſignata erat, recluſus eſt; ambo tandem ſeorſum pervigili ſubjecti ſunt cuſtodiæ. Sequenti die Dominus Johannes Waradienſis Epiſcopus, Sebaſtianus de Rozgen, & Ladislaus de Kanyſa, nec non Caſpar Wowo de Gywrgii, Georgius quoque Modrar, uterque Paulus Horwach, ac quidam Almanus Frodnohar denominatus, Milites, & alii quidam, qui per quondam Dominum Comitem Johannem aut promoti, aut ab infantia educati erga Comites Ladislaum & Matthiam fideli familiaritate & amicitia ducebantur, captivitatis ſunt affecti calamitate. Dum tandem detentionis eorundem Comitum tertius dies veſperarum horam peregiſſet, Comes Ladislaus Judicis & Juratorum civium Budenſis civitatis ad manus, ut capitis plecteretur pœna, aſſignatus, ac ſub multorum cuſtodia armatorum ante caſtrum Budenſe in oppoſitum atrii, Fryspalotha denominati, deductus, ibidem decollatus eſt quatuor ictibus, 24. natus annos, egregio corpore adoleſcens, flavis de more crinibus ſuper humeros paſſis,

[1] *ſupple* filius.

paſſis, revinctisque poſt tergum manibus, talari atque aurea veſte indutus. Poſtquam autem decollatus eſt, mox atro involvitur tegumine, poſitusque in feretro ad eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ defertur, totamque per noctem vigiles per excubias cuſtoditur, ac tandem prima auroræ luce erumpente, in eccleſia Sanctiſſimi Corporis Chriſti omni exequiarum & ſepulturæ ſine honore tumulatur.

Epiſcopus Waradienſis, multum inſtante Cardinali S. Angeli, qui tum Legatum Apoſtolicum agebat, Dionyſio Epiſcopo Strigonienſi eidem quoque Cardinali, & pari legatione fruenti [1] ſecundum Canones judicandus traditur. De cæteris captivis ſuſpenſum judicium, qui tamen paulo poſt e carceribus evaſere. Rex Budæ non diu moratus in Auſtriam ſe recepit, Comitem quoq; Matthiam ſine aliquo vinculo, & Paulum Modrar multis ferramentis compeditum (locuples enim erat auro) uno & eodem in curru locatos ſecum abduxit. Cum per Strigonium iter faceret, vocatum ad ſe Johannem Waradinenſem Præſulem bono animo eſſe juſſit, his verbis uſus: Cum eſſem Budæ, feci quod voluere Barones: neque enim juris mei eram. Quod te cepi, illorum fuit: quod te ſupplicio culpaque libero, meum eſt. Spectata mihi tua virtus nihil de te ſiniſtrum credi ſinit. Abi, & quem geſſiſti hactenus Epiſcopatum gere.

Subortum eſt equidem mox in regno acre diſturbium, & ſine diſcretione ipſorum Comitum de ærumna gravis exigebatur pœna. Rex itaque multo ſtipatus milite, me conſpiciente, cum ingenti gloria Wiennenſem intravit in urbem. Placet legatos mittere, qui ſponſam petant. De loco nuptiis eligendo contentio oritur. Hungari Budam, Auſtrales Wiennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandam ajunt. Diu res trahitur, nutante Rege. Ob eam cauſam Georgius Poggiebracius cum octingentis expeditis equitibus in Auſtriam usque ad Danubium proficiſcitur, cujus factione ſolemnitas Pragæ deſtinata. Ordinatis Auſtriæ rebus, ingenti Rex apparatu Bohemiam petit. Intranti Pragam Rokezana cum ſacrilego Presbyterorum comitatu pompam deducens obviam venit, & habita oratione de fauſto felicique reditu congratulatus eſt. Vix admonente Poggiebracio Rex gratias egit, hæreticum ac peſtiferum curvis oculis Clerum inſpiciens. Ubi vero majoris eccleſiæ Sacerdotes ſacra ferentes occurrerant, Hos, inquit, Dei miniſtros agnoſco, atque ab equo proſiliens, conſalutatis omnibus ſacram Crucem oſculatus eſt: erant enim Romanæ fidei ſectatores, qui pro teſtamento Dei exilium longo tempore paſſi, Sigismundi tandem vocatione ſua loca recuperaverant. Hæc Ladislai pietas multorum offendit animos, qui Rokezanis ſtudebant ineptiis; ſuppreſſum tamen ac diſſimulatum odium.

Inde duæ legationes miſſæ; altera ad Imperatorem Fridericum, de pace actura, in qua princeps fuit Eyczingerius; altera ad Carolum Franciæ Regem, ejus filiam petitura. In hac primas partes geſſit Ulricus Patavienſium Præſes, moribus ac doctrina præditus, quem tradunt, 80. equos albicantes duxiſſe. In ea legatione ſeptingenti equites profecti ſunt. Quadrigæ auratæ, matronæ ac virgines ſplendido apparatu, quæ ſponſam ducerent: Veſtes præterea donaque tanto matrimonio miſſa. Tertia quoque legatio ad Calixtum Pontificem Maximum decreta erat, quæ controverſias de Religione dirimeret, regnumque Bohemorum Romanæ Eccleſiæ conjungeret. Super his quarta cura Regis urgebat animum, comparandi contra Thurcos validi exercitus, qui tandem noſtra ætate ſcelerata Machometis ſuperſtitio pelli ab Europa poſſet. Jam de concordiæformula cum Friderico convenerat. Inſtruebantur regiæ nuptiæ maximo ſumptu, ſplendidiſſimo apparatu. Imperator & Auguſta vocati, ambæ Regis ſorores cum viris eam celebritatem acceſſuræ ferebantur. Saxoniæ, Bavariæ, Sleſiæ, Franconiæ, Rheni Principes, multi quoque ex Gallia reguli venturos ſe promiſerant, non ſolum nuptias ornaturos ſua præſentia; verum etiam de tuenda Republica Chriſtiana contra Turcos acturos. Sed hos tantos cogitatus, has pulcherrimas inſtitutiones, tantum rerum ordinem immatura mors ac repentina Regis interrupit.

Ladislaus igitur x. Kal. Decembris, hora circiter 12. noctis ægrotare cœpit. Sederat in judicio Rex, neque de more ſuo indutus prodierat, linea tantum indumenta ſuſceperat, & deſuper Perſicum habitum, quam vocant Schubam. Triſtem vultum notavere omnes, id ſignum præſagientis ægritudinem animi judicatum. Dimiſſo tribunali cœnavit, inter purpuratos compoſito & gravi ſermone uſus. Poſt multam noctem in cubiculum ductus oblatas rapulas, quæ apud Bohemos dulciſſimæ ſunt, avide comedit, ſiceramque bibit, ſermones haudquaquam triſtes inter cubicularios miſcuit. Priusquam lecto decumberet, orationem de more ad Superos habuit. Qua finita gravatum ſe dixit, & ſtomachum vehementer dolere. Cui unus ex cubicularijs, natione Bohemus, Aſcende, inquit, ſtratum, dolorem ſomnus excludet. Paruit Rex, quieti ſe tradidit. Cumque ad horam dormiviſſet, vocato iterum cubicularo, vim doloris, qui ſenſim creſceret, intolerabilem eſſe ait. Ille nihil ſomno melius affirmat. Regi nulla quies dabatur; ne tamen cubicularijs moleſtus eſſet, dolorem in diem tacitus pertulit. Tum Medici accerſiti, quod ſuarum partium erat, deſperata ſalute fecerunt. Georgius & ipſe vocatus. Ad quem Rex: Tua mihi Georgi, jam pridem cognita fides, ſpectataque virtus eſt. Mihi moriendum eſt, regnum in tua manu erit. Duo a te peto; alterum ut provinciales juſte regas, pupillis, viduis imbecillisque rectum judicium patrociniumque ne ſubtrahas; alterum, ut qui ſecuti ſunt ex Auſtria cæterisque provinciis, in patriam ſuam inviolatos remittas. Hoc mihi ſupremum beneficium ne deneges. Tum Rex apprehenſa manu, Eia, inquit, promitte quod cupio. Si feceris quæ jubeo, Deum propitium tibi reddam. Neque enim ita vixi, ut Cœlum mihi denegari putem, pro cœleſtibus terrena relinquo, tu

[1] *f.* fungenti.

cave poſtulatis adverſari. Deditque fidem, facturum quod Rex imperaſſet. Finito ſermone, intromiſſis Sacerdotibus, de curatione animæ actum, Chriſtiano more Sacramenta exhibita. Rex ornamenta ſua Pragenſi eccleſiæ legavit, juſſitque crines in auri modum fulgentes, ne qua ſupereſſet vanitas, amputari. Id miniſtri neglexere. Ubi anima ægra amplius dimorari non potuit, ſacram candelam petiit, eamque manu prehendit: & intuens Salvatoris imaginem crucifixi, Orationem Dominicam dicere orſus ad finem usque perduxit. Pronuntiatisque verbis ultimis, *ſed libera nos a malo*, nihil amplius locutus, mortalis vitæ lumen reliquit. Ladislaus nobiliſſimus adoleſcens, duodeviginti natus annos, intra ſex & triginta horas poſtquam ægrotare cœpit, extinctus eſt, in die S. Clementis, anno Chriſti 1457. Mortem ejus alii morbo, alii veneno imputavere. Medici Teutones, quorum potiſſima corporis cura fuit, in Auſtriam reverſi palam dixere, quamprimum ægrotare Rex cœpiſſet, ſe vocatos manifeſta mortis & veneni ſigna comprehendiſſe: neque auſos in aliena terra manifeſtare quæ viderant: timuiſſe potentiam eorum, quorum ſcelere Rex periiſſet: Regi clam aperuiſſe omnia: reſpondiſſe illum, non ignorare toxicum datum: ſilentium imperaſſe, ne regiæ morti ſuam adjicerent. Regni Proceres extincto Rege in magno mœrore fuere, & publicus toto regno luctus, qui ad VII. Kal. Decembris continuatus eſt. Tunc regia pompa peractis exequiis, defuncti corpus in ſinu proavi ſui Divi Caroli Romanorum Imperatoris ſepultum. Circumvectio per urbem, more Majorum neglecta.

Matthias Hunniadis filius ex Wienna ductus, qua die Rex obiit, Pragam applicuit, atque in poteſtate Georgii factus eſt: nec diu poſtea Rex Hungariæ deſignatus, magnis ſponſionibus dimiſſus e carcere volavit ad regnum. Advenæ, qui Ladislaum ſecuti fuerant, ſuam quisque domum petiere. Quique apices *A. D. C. J. P.* quos indubie ſpirante Paraclito elegerat, ipſemet detexit: *Amo Deum, Clerum, Juſtitiam, Pacem.*

Defuncto itaque Ladislao Rege ſereniſſimo, Ducatus Auſtriæ Leopoldi Senioris, fratris proavi ſui Auſtriæ olim Ducis Tertii Alberti, nepotibus ceſſit. De quo Leopoldo, & ejus prole ac geſtis hoc loco nunc ſecundum ordinem dicendum eſt.

Leopoldus Dux, cui in diviſione cum fratre Alberto Tertio Duce Auſtriæ, Stiria, Carinthia, Carniola, Alſatia, Tyrolis & Burgovia ceſſit, Viridim, filiam Barnabovis Principis Mediolani, uxorem duxit: ex qua Wihelmum, Leopoldum, Erneſtum & Fridericum filios, & Elizabet filiam genuit. Hujus temporibus anno Chriſti 1381. Communitas ruſticorum in villa dicta *Suitâ*, ſita in montanis ultra Alſatiam verſus Lombardiam ſeu Subaudiam, cum ſuis adhærentibus hinc inde in eisdem montanis per longum paſſum conjunctis opidis, videlicet Bern in Nuchtland, & Luceria, ac ad Heremitas Beatæ Mariæ, iſti conglobati & concordati ſimul jugum ſubjectionis dominii Ducum Auſtriæ penitus tunc abjecerunt; immo diffidarunt (ut quidam dicunt) Duces Auſtriæ. Porro iſta apoſtaſia ſeu rebellio ſumpſit initium ex malo regimine officialium Ducum, immo negligentia & inadvertentia Principum, qui non proſpiciunt per ſe, quid terris, quid populis ſuis opus foret, aut ubi ſit defectus in utilitatibus Reipublicæ neceſſariis, ſine quibus etiam Respublica non poteſt creſcere aut ſubſiſtere. Quandoquidem dum Principes nimis bene, & plus quam oportet credunt ſuis Caſtellanis, Præfectis, Judicibus, & aliis quibuscunque Officialibus contra pauperes vel communitates opidorum & villarum, committentes ſibi ſubditos ad regendum: qui poſtquam habuerint dominium; aſperiores ſunt pauperibus quam ipſemet Dominus. Non paſcunt, ſed tantum continue absque Domini juſſu & utilitate tondunt; immo usque ad vivam carnem & oſſa corrodunt: unde generatur impatientia, inde murmur, contradictio, inobedientia & rebellio. Et poſtquam pauperes fidem habent de bonitate Principis, aut piam querimoniam Principi offerre volunt; iſti Officiales, aut quilibet eorum apud Principes habet ſuum advocatum vel duos, vel diligunt munera & retributiones, odium, injuſtitiam, & pauperes impediunt quantum valent, ne ad præſentiam Principis pauperes cum ſuis querimoniis attingant: & ſic remanebunt ſine conſolatione, in inobedientia & rebellione, poſtquam occulte radices longas acquirunt, & plerumque in publicum pullulant, ut hic contigit, ut communiter narratur.

Fuit enim ille Princeps Leopoldus Senior Dux Auſtriæ, pronepos Regis Rudolphi, pius & mitis, & quaſi inſtinctu naturæ propheta ſibi ipſi mali futuri, non ſemel dixerat ſuis aſtantibus, antequam hæc diſſenſio fieret: Eja! propter pium Deum admittatis pauperes noſtros venire coram nobis, ut ſuos proponant defectus. Illis vero ſuperbis & arrogantibus alia & alia inferentibus, & illos oppreſſores pauperum continue & fortiter excuſantibus dixiſſe fertur Principem: Vos Deum, vos Deum! aliquando ducetis nos & vos in inconveniens & damnum, de quo una nobiscum lugebitis. Itaque non multo poſt iſta rebellio & conjuratio ruſticorum ſeu communitatis, hodie dictorum *Suitenſium*, ſecuta fuit. Unde in principio quidam ſatellitum Ducis ſatis, ut audiebantur verba, vidébantur audaces conſuluerunt Duci Leopoldo, ut mitteret centum vel ducentos equeſtres ibidem, ut rebelles compeſceret, & ut officiales Domini Ducis regerent, ut conſueverant. Qui cum veniſſent illac, & verba dura in illos ſubmitterent; illi conglobati omnes in ore gladii occiderunt. Quod factum Nobiles plus propter ſe & ſuos amicos, qui perierant, peſſime actum hinc inde fabulantes, & magnum tanto Principi fore vituperium talem violentiam non vindicare; inſtiterunt itaque plurimum, ut Dux contra ipſos exacerbatus eis in ſimili violentia occurreret. Poſtquam autem multis vicibus hujuscemodi vindictæ faciendæ unum medium invenirent, ait ſuis dictus Princeps: Conſuli-

ſulibus: Omne illud, quod in hoc facto audetis A conſulari, ſcitote, quia usque ad mortem proſequemur etiam in propria perſona. Tunc illi atroci & feroci animo dixerunt: Congreget Veſtra Magnificentia omnem Nobilitatem, quæ in dominiis veſtris degit: ſed & de aliis Principatibus auxiliarios indubie plurimos inveniemus, ut hos protervos ruſticos edomemus.

Audito itaque conſilio ſuorum, quia non eſſet aliud in facto, niſi ut gladio Suitenſes reducerentur ſub dominio antiquo, ex quo non ſemel (ut indubie creditur) pius Princeps manſuete & pie illos requiſierit, cum non vellent pacifice, ſaltim ſubjicerentur gladio cædente; magnum igitur, fortem & electum exercitum congregari fecit, non ſolum in ſuis dominiis, B ſed & de Brabantia, Hollandia, Lothoringia, Rheno, Suevia ac Bavaria maximam & fortem Nobilitatem ſuo ſtipendio adduxit. Et congregatis ſuis in campis circa Baſileam, cum jamdudum ſeos juxta morem diffidaſſet, minime ſunt egreſſi ad pugnam; ſed in abditis & ſpeluncis, ac petris montium ſe tutati ſunt, dicentes: quia ſi vult nobiscum pugnare, veniat ad nos. Ingreſſus igitur intra ipſorum clauſuras forti potentia, volens opidum Sempach vi & ſturma reaccipere, vel ſaltem ſegetes ibidem deſtruere. In eodem etiam opido plures Suitenſes pro cuſtodia poſiti erant. Quocirca cives de Luceria, Suita, Ura & Underwalden cum duobus millibus peditum armatorum illac venerunt, feria 2. poſt S. Udalrici. Cum hoſtis C hoſtem conſpexiſſet, illi acies ſuas ordinarunt. Dux vero & ſui fervidi ad pugnandum, deſcendentes de equis, ut pedeſtres pugnarent, commiſerunt equos ſuos clientulis ſuis, & ſine ordinatione in hoſtes irruerunt: plures etiam Juvenes nobiles ibidem militiam ſua audacia aquirere optabant. Commiſſum eſt itaque bellum acerrimum, & diu ex utraque parte fortiter eſt pugnatum in plano campo ante Sempach, in magno fervore æſtus diei. Videntes itaque hi, qui in montibus expectabant exitum, quia ſui jam pæne deficerent; miſerunt in fundis lapides contra populum Ducis quaſi imbrem de cœlo & hoc modo magnum damnum, tam in hominibus quam in jumentis, id eſt equis fecerunt. Sed & ſemitas evadendi cunctis ingreſſis D præcluſerunt, & magnos poſtea de alto moventes ac volventes lapides, & ſaxa ingentia; ſicque talibus armis in decuplo plures interemerunt, quam lanceis aut gladio. Audiens itaque Dux, qui longe aberat, quia ſui nimia cæde mactarentur, & jam omnes pæne corruiſſent, dixit: Sit nobis Deus propitius, quia hodie non abſcedemus, ſed aut vincemus, aut cum noſtris fidelibus Baronibus & Militibus moriemur. Ingravatum eſt igitur bellum. Sed quia æſtus maximus ejusdem diei, & labor in armis fecit Nobiles deficere ..... Quod videntes illi, qui adhuc in equis erant (inter hos fuit Comes ...) & clientuli, qui equos ſuorum Dominorum conſervabant, ſimul fugam inierunt. Prædicti itaque egregii & ſtrenui Milites coangustati undique bello, egreſſi ad ſuos clientulos pro equis ſuis clamabant, dicentes vulgariter: Roß her, Hengſt her, volentes vitam redimere fuga. Sed cum equos invenire poterant minime, ab hoſtibus mactantur. Nullus in ea pugna captivabatur, ſed omnes interficiebantur. Terminatum eſt igitur crudele & funeſtum bellum ipſo die lunæ, VII. Id. Julii, anno Chriſti 1386. cæſis ducentis ex Suitenſibus, ex parte Ducis 400. de potioribus, quorum nomina ſunt hæc:

Leopoldus Senior Dux Auſtriæ, Stiriæ &c. Johannes Comes de Ochſenſtain, Præpoſitus Argentinenſis, & Landgravius in Alſatia dicti Ducis. Otto Marchio de Hochberg. Johannes Comes de Furſtenberg. Duo Comites de Tierſtain. Johannes Dominus in Haſenburg. Fridericus de Munſterol. Niger Comes Zolrenſis. Waltherus de Decke. Waltherus de Geroltzegk. Martinus de Randegk. Otto de Walburg. Duo de Greyffenſtain. Duo de Stauffen. N. de Singnaw. Albertus de Rechberg Miles. Ulricus de Gerberg. Duo de Klingen. Duo de Anderlaw. Tres de Ratzenhauſen. Tres de Werenfels. Tres de Rotberg. Merlinus de Schlasjangen. Duo de Hadeſtat. Duo Snebelini de Freyburg. Duo Waldner. Johannes de Schönaw, & gener ejus. Johannes de Grünenberg. N. de Landesberg. Otto Truchſas de Walpurg Miles. Bruno Guſſen Miles. Gotfridus Mullners Miles. Albertus de Mulinen Miles. Rudolfus de Hunenburg Miles. Albertus de Lichtenſtain Miles. Johannes de Randegk Miles. Hainricus de Schellenberg Miles. Hermannus Guſſen. Rudolfus de Vemach. Ulricus de Tierberg. Johannes Felix. Johannes Hilwars. Item Milites ex Atheſi. Fridericus de Greyffenſtain Miles. Wilhelmus de End Miles. Petrus de Annèberg Miles. Petrus de Slandersperg Miles. Hilprandus de Weyſſenpach Miles. Nicolaus Götz Miles. Hainricus Käls Miles. Petrus de Mörsperg Miles. Fridricus Tarrays. Conradus Hofmen. Nicolaus Hawiſer, Otto filius ejus.

Item finito bello Suitenſes dederunt pacem ad interfectos ſepeliendum, ſed propter æſtum maximum tunc temporis cadavera virorum & equorum vehementer fœtebant. Quamobrem difficulter corpus Ducis repertum eſt, quod cum aliis ſexaginta in Monaſterio Kunigfelden ſepelitur. Aliorum denique Nobilium ſexaginta vel quaſi ad proprias ſuorum Majorum ſepulturas ſunt devecta corpora. Poſtea magna fovea in campo belli facta eſt, in qua reliqua corpora humata ſimul ſunt. Deinceps ſuper ea parva Capella conſtructa fuit. Ferunt quidam tantam Nobilium multitudinem interemptam, ut pluribus de poſt annis quaſi vacuæ viſæ ſunt curiæ Principum nobilibus & inclytis Viris, & (ut illi volunt) ex utraque parte die illa interfecta ſunt plus quam 60000. hominum, quod tamen vix credo. Dicunt quidam (& credibile eſt) quod illi ruſtici ſeu communitas non intendebant mortem Principis: & ſi in bello fuiſſet cognitus, erat apud eos diffinitum, ne interficeretur. quod pie credendum eſt propter Viri bonitatem, qui nemini quærebat

obesse, sed quantum in se erat, omnibus prodesse.

Hujus Principis memoria diebus lunæ in prædicto Monasterio Kunigfelden his vulgaribus verbis habetur: Mementote propter Deum nostri gratiosi Domini Ducis Leopoldi, apud Sempach in sua, pro suis, & a suis occisi, hic sepulti.

Hic Dux Leopoldus valde odivit Pythones & Pythonissas, & multos comburi fecit. Huic consensu Regis Hungariæ Ludovici & Venetorum sese donabant Frigulienses [1]. Hic venit cum magno exercitu ante Tervisium, & intromissus est, & accepit terram. Franciscus autem Paduanus Senior venit in obsidionem Tervisii, & ibi fixit turres & propugnacula: ad quem compellendum Leopoldus, posito in civitate Capitaneo, exivit de civitate. Sic Franciscus recessit. Leopoldus ivit in Athesim pro populo. Franciscus revenit in obsidionem. Leopoldus retrocessit ad eum propellendum. Sic iterum recessit, & ita totiens reiteravit, quod multis suis consumptis modicum divitiarum habuit. Sic civitatem Tervisium Francisco vendidit, & Marchiam, duasque civitates Voltros [2] & Sibidat [3] eidem locavit.

Sæpedictus Senior Dux Leopoldus quatuor reliquit filios; Wilhelmum, Leopoldum Crassum, Ernestum, & Fridericum; ac unam Domicellam Elizabet; quæ & ipsa obiit in Marckduring; & sepulta est Wiennæ anno Christi 1391, in die Johannis Baptistæ.

Wilhelmus, filius Leopoldi Ducis occisi, Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Obiit anno Christi 1394. pridie Idus Junii, sepultus Wiennæ ad S. Stephanum. Uxor filia Caroli Regis Apuliæ sine liberis.

Leopoldus, Junior natus Leopoldi Senioris occisi, conjugem habuit Ducissam Burgundiæ, patri successit in dominiis. Statuit genitorem vindicare, congregans grandem exercitum contra Suitenses; sed facta pace ad annum solvitur exercitus. Circa finem anni bellum cœptum est; at Suitenses oppidum Rottenberg ad fundum usque destruxerunt. Dux magnum habuit exercitum, & Strata Suitensibus ex eodem castro observabantur. Deinceps Dux Leopoldus Wiennam descendit ad patruum suum Ducem Albertum, mandans suis interim bellare cum Suitensibus. Deprædationes & conflictus, damnaque multa, ac terrarum devastationes per partes hinc inde fiebant. Sane Suitenses omnes Nobiles aut occiderunt, aut e terra fugarunt.

Anno Domini 1388. post Pascha Johannes Comes de Werdenberg, Conradus Comes de Tockenpurg, Johannes de Klingenperg, aliique quamplures Nobiles & oppidani ex dominiis Ducis coadunati, cum 3000. armatorum vel ultra in Vallem Glaris intrarunt, deprædantes, domos hinc inde. Interea Glarenses & Suitenses quasi mille conglobati obviaverunt dictis Nobilibus, conflictum cum eis sudantes: Nobiles enim pro præda in domibus dispersi erant. Quapropter victi sunt, & 1200. interfecti, & Glarenses & Suitenses obtinuerunt victoriam, 12. vexilla, & pro 1000. viris arma; & multos; eorum autem, ac sociorum suorum vix centum interfecti fuerunt. Postea Suitenses accesserunt ad oppidum Wesen, in quo multi Nobiles erant, qui oppidum per se incendentes recesserunt; venientes autem Suitenses multa arma & alia bona in igne invenerunt.

Statim de hinc cives de Birego [1], Luceria & Suitenses cum sociis castrum & oppidum Raprechtweiler fortiter obsederunt, & machinis & bombardis oppidanos & inhabitantes multum molestarunt, & ipsi e contra. Inde prima May hostes in terra & in aquis vi potenter aggressi castellum, & eorum sexaginta vel quasi per quandam fenestram in quoddam Cellarium clam intrarunt, volentes foramina per murum facere. Quo comperto, cives superiorem Cellarii parietem discooperuerunt, & lapidibus, bullienti aqua & igne aut eos effugarunt, aut mactarunt. Attamen oppugnatio seu sturma adhuc vehementer invaluit in utraque parte cum damno magno. Suitenses ibi ducenti cæsi, & trecenti vulnerati sunt, reliqui cum confusione & discrimine ingenti ad propria reverti coguntur. Deinde multi conflictus & deprædationes in utraque parte actæ sunt, demum treugæ ad septennium factæ fuerunt in Quadragesima, anno Christi 1389.

Hic Dux Leopoldus decollari fecit 36. cives Wiennenses, & obiit anno Domini 1411. in die S. Erasmi Martyris. Mortuo igitur Wilhelmo Duce, ac fratre ejus Leopoldo Juniore sine liberis, Ernestus & Fridericus fratres diviserunt terras. Ernesto cessit pars Inferior, scilicet Stiria, Carinthia & Carniola; Friderico pars superior, scilicet Tyrolis, Alsatia, Burgovia &c.

Fridericus Dux Austriæ Comesque Tyrolis, quartus filius Ducis Leopoldi occisi per Suitenses, fratri suo Leopoldo Juniori successit, qui & rexit Comitatum Tyrolensem, mediantibus Capitaneis. Fuit enim olim mos omnium Ducum Austriæ, qui etiam ut communiter plures erant numero (ut ipsorum insignia, & domus habitationum, seu Ducalium residentiarum Wiennæ hucusque testantur) & cuncti Wiennæ residebant, habentes singillatim Capitaneos in terris & dominiis suis: Senior tamen Domus Austriæ, cui in sorte divisionis obvenisset Ducatus Austriæ, residebat in Castro ut paterfamilias. Hoc ergo more antiquo iste Fridericus, frater Leopoldi & Ernesti, ut sui antecessores, pater videlicet & avus, quamvis ei in sorte divisionis obvenisset Alsatia & Suevia atque Comitatus Tyrolensis; habebat tamen suos Capitaneos & Officiales in singulis terris, castris & civitatibus: & nihil referebatur ad eum, nisi esset publica diffidatio, vel bellum imminens, aut hujusmodi grandia negotia.

His igitur temporibus degebat ille fortis athleta & Baro provinciæ Athesinæ præpotens Hainricus, Hainrici de Ratenberg filius, qui alio nomine communiter dicebatur Capitaneus de Chaltaren, ac Magister Curiæ 24. castra bona

[1] *leg.* Foro-Julienses. [2] *forte* Feltrium seu Feltriam, *vulgo* Feltre. [3] *al.* Cividat di Friuli, *seu* Cividal del Friuli, *latine* Forum-Julii.

[1] *legendum videtur* Turego, Turigo *seu* Tiguro.

cum

cum dominiis eorum habens infra limites ejusdem Comitatus, variosque census & redditus pro ipsis annuatim, cum aliis bonis ad ea pertinentibus, proventuum 20000. ducatorum singulis annis. Propter quæ bona in arrogantiam quandam fuit erectus contra Dominum suum Ducem Fridericum, quodammodo ipsum parvipendens, eique, ut decuit, non obsecundans. Dux itaque Fridericus hoc sciens tacebat atque dissimulabat: ascenderat enim vice quadam de Austria in Atheſinam provinciam, & plurimis diebus habitabat in Bozonio [1]. Contigit igitur die quadam Ducem egredi de ecclesia, paucos familiares seu nobiles habentem se sequentes; Hainricus vero Baro, cum sequendo Ducem de ecclesia ab alio latere plateæ incederet, multos nobiles & familiares habuit ipsum sequentes. Quod cum cerneret Princeps, festinus etiam accurrit, & ad instar aliorum cum spata tanquam & ipse ejus familiaris illum sequebatur. Alia quamplurima ridiculosa sibi & aliis ostentabat, ex quibus indubie odia & invidiæ dietim generabantur. Hunc ridiculosum nimirum actum Dux illi Hainrico ostendit, quod Hainricus ex hoc plurimum confusus tacere non potuit, sed dixit subsannative: Fridel, Fridel, wenn wiltu wizig werden? At Dux mox ei respondit: Wan du wirst zu ainen Narren, so will ich weiß werden. Volens innuere ac dicere: Postquam astute vita te privabo, & nullius reputationis inter homines te fecero, tunc prudens reputabor. Quod si vere factum est, lectoris judicio relinquo. Hoc unum verum est, quod sine gladio quodamodo & bello ipsum Hainricum in nihilum redegit, ut infra patebit.

Tandem dictus Hainricus videns se non habere Dominum gratiosum, aut forte magis contemnens ipsum habere in Dominum; venit in Monacum ad Duces Bavariæ, eosque instanter provocavit ac instigavit, quatenus lites moverent contra prædictum Ducem Fridericum pro Comitatu Tyrolis, dicens, quod de jure ad eos spectaret: in qua lite ipse Hainricus validum adjutorium se promittebat facturum. Hoc autem factum est anno Christi 1410.

Post festum igitur Beati Georgii Martyris Dux Stephanus de Ingolstad tunc Senior inter Duces Bavariæ, & duo Duces germani, scilicet Ernestus & Wilhelmus, filii Johannis Ducis de Monaco, ob prædictam causam sunt moti ad bellum pro Comitatu Tyrolensi, & ad hoc magnum & potentem exercitum tam de Nobilibus, quam de civibus mox congregarunt, atque in montana progressi usque in Ratenberg devenerunt. Dux Ernestus retrorsum rediit, timens oriri periculum in Monaco ex eorum absentia propter quoddam verbum, quod tunc vulgo insonuit. Alii vero duo, Stephanus & Wilhelmus cum supra dicto Barone Hainrico de Ratenberg una cum suis exercitibus ad pontem usque in Valers pervenerunt, cupientes ibidem ad Hallis & ultra progredi; sed ponte deposito & abjecto, ne ultra transirent, sunt prohibiti. Sicque versus Ratenberg redierunt, & castrum ibidem in via dictum Matczen quod Domini Udalrici de Frewntsperg erat tunc cum tribus turmis circumvallantes obsederunt, eo quod idem Baro & Miles cum Duce Friderico erat tunc confœderatus contra Duces Bavariæ: ibique septem septimanis in obsidione permanserunt, & cum bombardis & machinis aliquorsum murum demum hinc inde in pluribus locis perforaverunt, ita quod tam intra quam extra diversa tunc damna in corporibus & rebus reciperent. Veruntamen ille Baro de Frewntsperg in exercitu illo multos habuit cognatos atque amicos etiam potentes de Bavaria, qui occulte & tacite ipsum, sua atque suos fideliter foverunt & adjuverunt, plurimaque mala suis infligenda ibidem & circumquaque pulchre interceperunt.

Interea supervenit Dominus Georgius Episcopus Patavienſis, & quidam alii viri famosi, qui treugas & pacem inter prænominatos Duces Bavariæ & Austriæ, aliosque in lite illa irretitos fecerunt circa Assumptionis Beatæ Virginis festum, usque ad proximum & sequens festum S. Martini Episcopi ad duos annos futuram. Acta sunt hæc anno Domini 1410. & sic de casto Matczen abscesserunt.

Igitur circa festum S. Martini tunc proximum supra memoratus Baro Chaltarn [2] per Ducem Fridericum in prædictis treugis ac salvo conductu fuit in Insprucka captivatus, & ibi in artissimis vinculis atque custodiis detentus. Interrogante ipsum Duce, cur ipse solus in toto Comitatu Tyrolensi se sibi opposuerit; eoque respondente, quod solus & per se ac sine causa rationabili hoc non fecerit, sed ex quorundam aliorum Nobilium vicinorum persuasione & confœderatione, illis tunc Nobilibus nominatim expressis. Quibus mox ad se vocatis, & diligenter super hoc examinatis, illis tamen fortissime negantibus, Dux in tantum eos eumque induxit, irritavit & concitavit, quod idem Hainricus sponte & imperterritus ad duellum se dedit contra singulos negantes. De quo tunc satis Dux contentabatur, immo gaudebat.

Post hæc igitur die statuta unus inter alios, qui proditi erant, valde robustus & magnus nobilisque Vir, dictus cognomine Prandesser, cum prædicto Hainrico de Rattenberg vel Chaltaren primus duellum iniit; sed ab illo victus, prostratus atque occisus fuit. De quo cæteri, qui in causa ac fama contra Ducem malignantium suspecti habebantur, valde exterriti fuerunt. Ideoque ipsi & eorum amici inverunt & disposuerunt, ut ille Hainricus per intoxicationem extingueretur, dicentes, utique melius fore unum solum, quam omnes perire; sicque intoxicatus post parvum temporis spatium defunctus est. Unde & plurimorum judicio de ipso creditum fuit, malam mortem tunc meruisse, quia propriam matrem prius crudeliter occidit, ut de ipso fuit famatum. Mortuo autem Hainrico, Dux Fridericus mox, omnia castra, dominia, ac bona sua relicta sibi usurpavit, eaque in possessionem recepit absque

[1] *f.* Bolzano.

[2] *al.* Chaltaren; *ut supra.*

lite

lite & magno impedimento: tum quia in Comitatu Ducis omnia ſita erant, tum quia Hainricus hæredes & cognatos nullos habuit. Acta ſunt hæc anno Domini 1411.

Porro anno Chriſti 1412. in feſto S. Martini expirarunt treugæ inter Duces Stephanum Bavariæ, & Fridericum Auſtriæ, ideo Dux Stephanus quosdam nobiles miſit in Rattenberg ad muniendum & cuſtodiendum caſtrum, & terram ſuam: ſimiliter & Dux Fridericus fecit, clientes & ſtipendiarios conducens. Itaque Bavari primo intra limites Ducis Friderici ex alia parte Oeni, etiam ultra fluvium Hebach, armati tamen pauci iverunt, ſpoliaque & rapinas pauperum ruralium facere cœperunt. De quo alii ex adverſo irritati fuerunt ac concitati, ſimiliaque facere attentabant. Tunc etiam & ſæpius congreſſi verberibus & vulneribus inter ſe ſauciabant. Tunc etiam quædam deſerta caſtra prope Rattenberg ſita juſſit Dux Stephanus inſtaurari, & armigeros in eis locari: quæ etiam poſt modicum dominante Ludovico Seniore, dicti Ducis Stephani filio, ſunt iterum deſerta, cum præfectis illorum nil ſtipendii daret, ideo inde receſſerunt. Quorum unum fuit dictum Merrenſtain, & aliud Neydeck. Interea durante hac lite Dux Stephanus plurimos congregavit Barones, Milites ac Nobiles, aliosque ſatellites diverſos, equeſtris ordinis circiter trecentos, pedeſtres vero ruſticos & hujusmodi ſeptingentos, licet male ſatis armatos. Qui poſt feſtum Epiphaniæ profecti ſunt verſus Atheſim ex alia parte Oeni, ultraque fluvium Hebach, fugantes & repellentes omnes de foſſatis, vallationibusque & defenſaculis factis & erectis, ſicque quaſi imperterriti usque ad portam civitatis Hallis acceſſerunt. Nihil autem ibidem ille exercitus facere potuit mali vel damni, niſi quod quidam ex ipſis Cannas Salinarias foris civitatem ſecuerunt & ruperunt. Aliqui etiam rapinas & ſpolia diverſa ſibi acquiſierunt, nec non & exactiones quasdam in villis facientes, nonnullas quoque villas in toto cremantes, & domos ſingulares, poſt triduum ad Ducem Stephanum in Ratenberg ſunt reverſi. Quos videns multum eſt commotus, eo quod cum tam bono exercitu ultra progredi non tentaverant, & tam exiguum, immo nullius reputationis honorem acquiſierunt. Tandem iterum factæ ſunt treugæ & pax ad certos annos, inchoata tunc in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & firmata per Dominum Epiſcopum Auguſtenſem, & quosdam alios nobiles Viros: quæ etiam pax duravit usque ad obitum Ducis Stephani. Quo defuncto, filius ſuus Ludovicus, qui noviter de Francia venerat ad Concilium Conſtantienſe, hæreditavit, poſſedit atque rexit omnes terras, caſtra & alia, quæ pater ſuus poſſedit & reliquit: fuitque cum prædicto Auſtriæ Duce Friderico pro ſæpe memorata lite perfecte & plene concordatus; optimique amici facti ex poſt in omne tempus, quia & avunculi fuerunt.

In Concilio Conſtantienſi Sigismundus Rex Romanorum Fridericum Ducem Auſtriæ Tyrolisque Comitem cepit & vinculavit, eo quod Papam Johannem XXIII. clandeſtine fugientem a Concilio Conſtantienſi fovit & adjuvit, ut evadere poſſet, atque in ſuis caſtris & civitatibus hunc detinuit. Qua de re quasdam civitates & dominia perdidit in Alſatia, licet poſtea recuperaverit. Voluit etiam Dominus Rex hunc decollaſſe; ſed intervenientibus amicis & aliis Principibus, juſſus eſt tute in quodam fortiſſimo caſtro ſuper Rhenum ſervari, ut excogitaretur cautius, qua pœna plecteretur. Ubi tandem dato, & in antea promiſſo notabili pretio cuidam ſibi ſervienti ſeu ipſum cuſtodienti, cujus adjutorio poſtmodum evaſit, ſcilicet anno Domini 1416. Fuit autem per annum in cuſtodia, & liberatus mox cœpit eſſe in diſcordia cum ſuo fratre Duce Erneſto propter prædictam captivitatem: ſimiliter & populus, ipſorum in Atheſi, & in Valle Oeni, quia quidam adhærebant uni eorum, & quidam alteri. Sed Dux Bavariæ Ludovicus, & Eberhardus Archiepiſcopus Salzeburgenſis fecerunt concordiam inter ipſos in Rattenberg circa feſtum S. Michaëlis.

Hic Dux Fridericus Senior, eo quod multum avarus fuit (ut dicitur) inſtituit in Atheſi, & terminis ad ipſum Comitatum pertinentibus nova telonia, & plures actiones [1] ſingulares, quæ tam a nobilibus quam ignobilibus habere voluit: nam & Nobilibus etiam vi caſtra & dominia abſtulit. Patet, quia duobus fratribus Baronibus Atheſis, videlicet Udalrico & Wilhelmo de Starchenberck latenter & violenter, nulla legitima fretus cauſa, undecim bona caſtra ſita in dicto Comitatu, de quibus (ut dicitur) annuatim decem millia Ducatorum habuerunt [2]. Quorum unum dictum Greyffenſtain prope Bolzanum ipſe Dux plus quam per annum obſedit, ultimatim tamen dare oportuit illud propter peſtem in eo vigentem & continuo invaleſcentem. Alia autem caſtra, ut Chronburg cum cæteris per tradimenta & fallacias ſunt conquiſita, & in Ducis poteſtatem redacta anno Chriſti 1422.

Poſtquam igitur dictus Dux fuit a captivitate liberatus, tunc cœpit avaritia plus exæſtuare, & pecuniam ſitire velut hydropicus, qui quanto plus bibit, tanto amplius ſitit. Hujus dicti veritas patet: quia de hoc in Italia & in omni vicinatu publica fuit confabulatio & fama. Nam pro extorquenda pecunia a Venetis diffidabat eos, faciens claudere vias & ſtratas, ne cuiquam pateret ingreſſus ſeu egreſſus pro mercimoniis hinc inde deducendis, victualiumque, præſertim carnium caſtratorum, quæ in maxima copia Venetis adducuntur, & alia, ut ligna pro ædificiis ad magnum etiam tempus prohibens, ita ut quaſi coacti, carentes uſu talium, gratiam & favorem ipſius requirerent notabili ſumma ducatorum ad minus 20000. vel 30000. pro *bene veneritis*: & hoc pluries fecit in illorum annorum ſpatio, quibus a captivitate ſupervixit. His autem modis & verſutiis magnum congeſſit theſaurum pro filio ſuo Sigismundo, quem ei peperit no-

[1] *f.* exactiones. [2] *deeſſe videtur* ademit.

bilis

bilis ac devotiſſima ejus conjunx Domina Margareta [1] de Brunſwica.

Anno Domini 1409. in die SS. Innocentium obiit Elizabet filia Ducis Friderici Auſtriæ, neptis Sereniſſimi Principis Domini Ruperti Regis Romanorum, Comitis Palatini Rheni.

Eodem anno die 3. ſequenti, in die S. Silveſtri obiit Domina Elizabeth conthoralis præfati Domini Friderici Ducis, filiaque excellentiſſimi Regis Ruperti prænominati; quæ in Monaſterio Stambs una cum filia prædicta honorifice eſt ſepulta, prout ejus regiam decuit dignitatem.

Anno Domini 1426. in die S. Julianæ obiit Wolffgangus filius jam dicti Ducis Friderici, qui una cum Sorore ſua Margareta ſupra dicta in dicto Monaſterio Stambs ſunt ſepulti.

Anno Domini 1427. feria 6. ante Matthiæ Apoſtoli obiit Hedwigis ſimiliter filia Friderici Ducis, quæ una cum prædictis in Stambs honorifice eſt ſepulta.

Anno Domini 1432. in craſtino S. Laurentii obiit nobiliſſima Domina Anna de Brunſwica ſecunda conthoralis dicti Ducis Friderici, quæ in novo ſepulchro ibidem eſt ſepulta.

Anno Chriſti 1439. in Nativitate S. Johannis Baptiſtæ in Inſprucka diem clauſit extremum nobiliſſimus Princeps Fridericus Dux Auſtriæ Comesque Tyrolis, Vir ſpectabilis ac præclarus, humatus in dicto Monaſterio Stambs in novo ſepulchro. Quo defuncto ſupervenit in brevi Fridericus Junior Dux Auſtriæ, e proximo electus in Regem Romanorum, fratruelis ipſius Ducis Sigismundi; & abduxit ipſum puerum Sigismundum ſecum in Stiriam cum rebus & theſauris ſuis plurimis, tenuitque illum penes ſe annis aliquibus in tutela.

Anno Chriſti 1443. in provincia Atheſina & in Comitatu Tyrolenſi, cujus regimen administrabat Fridericus Rex Romanorum, Dux Auſtriæ &c. tam nobiles quam populares, intra & extra civitates, confœderati ac uniti fuerunt; immo concordarunt, ut ipſorum hæreditarium Dominum Ducem Sigismundum, filium quondam Friderici Senioris Ducis Auſtriæ, Stiriæ ac Comitis Tyrolis, evocarent ad Sedes paternas, & a dicto Friderico Rege, qui ipſum in cuſtodia & tutela aliquibus annis habuerat, poſtularent, ex quo jamdudum annos pubertatis attigerat. Auditis his Fridericus Rex turbatus omnia recuſavit. Ideoque audientes illi ſeveritatem Regis, & quod juſtis petitis annuere nollet, conglobati fortiter & animoſe, tam contra Regem quam fratrem ſuum Albertum erigere ſe cœperunt, & notabilem exercitum congregare. Et primo Tridentum, deinde aliqua caſtra obſidione ſatis dura cinxere; ſumptis armis Præfectos provinciæ, quos Cæſar inſtituerat, dejecerunt, & ad Regem vacuis manibus remiſerunt; officia patriæ, & ſingula ad rem publicam pertinentia per ſe pertractarunt; nec aliquem amodo ex parte Regis in Comitatu acceptare [2], quousque eorum Ducem & Dominum (ut tenebatur) eis præſentaret. Itaque anno ſequenti circa medium Quadrageſimæ populus ille Tyrolenſis communi conſilio primum obſederunt Tridentinum caſtrum ſive domum Epiſcopalem ſatis dure & acriter, bombardis & machinarum inſtrumentis impetentes illu cujus erant ſubditi in fide Cæſaris perſeverantes: ac demum obſederunt etiam civitatem; deſtructo Monaſterio Prædicatorum in parte circa pontem Atheſis, & pontem combuſſerunt, & aliud magnum Monaſterium ultra aquam ſitum ſive Abbatiam. Erant autem duo Militares intra Tridentinum caſtrum ex parte Regis, qui ut ſatisfacerent fidei ſuæ ſive juramento fidelitatis Regis, aliquo modo ſe ſimulabant defendere & vim vi repellere; ſed nihil erat in facto. Illi quoque deforis non nitebantur deſtruere civitatem aut arcem, ſed tantum in terrorem, ut civitas eis concors eſſet. Rex auditis deſtructionibus Monaſteriorum, & tanta populi furia miſeratus vel terrore perculſus, jubet civitatem & arcem reſerari, quod & poſtmodum pluribus pactis ſeu promiſſionibus in muris interpoſitis factum fuit. Nam anno Domini 1446. ipſe Fridericus Rex &c. Ducem Sigismundum aliquibus Nobilibus & Officialibus in Atheſim ad regendum populum & Comitatum ſuum Tyrolenſem præſentavit.

Sigismundus Dux Auſtriæ Comesque Tyrolis, filius Ducis Friderici Senioris, ex tutela Regis Friderici in Atheſim præſentatus, ut ſupra jam dictum eſt, cœpit regere Comitatum. Hujus temporibus anno Domini 1447. magna ſeditio ſeu diſcordia orta fuit inter cives in Hallis, ex quibus aliqui fuerunt capti, & de terra ſeu Comitatu expulſi; præſertim illi qui ſeditionem inceperunt. Eodem etiam anno in hebdomada ante Dominicam Palmarum eadem civitas Hallis fuit per ignem quaſi miraculoſe combuſta, & maxime deſolata per totum præter ſalinam, ubi perierunt, etiam plures homines. Hic Sigismundus Dominam Eleonoram, filiam Regis Scotiæ, in uxorem duxit. Item Wiennæ in magno foro apud Carmelitas Dux ipſe, & Ladislaus Huniades Comes Biſtrizenſis, acutis haſtis ſimul luſerunt, Duxque ipſe tunc cecidit me præſente, anno 1456.

Anno Domini 1460. Nicolaus titulo S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, & ex Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione Epiſcopus Brixinenſis, dum curæ dictæ ſive Eccleſiæ intenderet, & in caſtro Bruneck ſuæ Brixinenſis Diœceſis ad eccleſiam eandem pleno jure ſpectante reſideret; per Sigismundum Auſtriæ Ducem hoſtiliter primo per ſuos in aurora diei Paſchæ in dicto caſtro obſeſſus fuit: & caſtro ipſo pro eodem nomine ipſius Sigismundi recepto, idem Sigismundus die ſequenti præfatum Cardinalem, miſſis ad eum duobus tubicenis, ſuo & omnium ſuorum nomine publice diffidavit, atque cum magna armorum copia, bombardis & aliis bellicis inſtrumentis eundem Cardinalem tunc in arce dicti caſtri exiſtentem immaniter & hoſtiliter valde fuit perſecutus, quousque ipſius Cardinalis perſonam in ſuam redegit poteſtatem, & ſic diebus multis tenuit. Et infra dies illos quoddam caſtrum, nomine Tauffers, nec non & notabilem pecuniarum quantitatem

[1] *leg.* Anna *ut infra.* [2] *ſupple* voluerunt.

tem, obligationisque litteras plures ab eodem Cardinali & Capitulo Brixinenſi extorſit, ac damna multa ſibi & ſuis intulit, quæ ſumma 35000. florenorum tranſcendere dicebatur. Eapropter Papa Pius de his plenius informatus, habito ſuper eisdem maturo conſilio, cum ex ſuperabundanti & de mera gratia moniti fuiſſent, [1] ipſum Sigismundum & omnes complices ſuos omni honore & dignitate privavit, ac excommunicationis majoris ſententiam, juxta conſtitutionem felicis recordationis Bonifacii Octavi, quæ incipit: *Felicis contentas*, terras quoque per ipſum occupatas, & alias prædictas & poſſeſſas, quæcunque, ubicunque & in quibuscunque Diœceſibus conſiſtant, & omnia alia loca, ad quæ eos vel eorum aliquem declinare, & quamdiu moram trahere inibi contigerit, Eccleſiaſtico & ſtrictiſſimo interdicto fore ſuppoſita ſecundum Juris proceſſum declaravit. Acta ſunt hæc Senis, ubi tunc curia fuit propter Papæ præſentiam, anno Domini 1460. VI. Id. Auguſti. Poſt cujus ſiquidem ſententiæ promulgationem & publicationem multa pericula & damna plura Clero & populis, maxime in Bavaria, ſubſecuta fuerunt. Verum anno Domini 1464. cum jam præfatus Sigismundus cum ſuis adhærentibus excommunicationis ſententiam per quatuor annos cum maximo terræ ſuæ detrimento ſuſtinuiſſet, Pius ſummus Pontifex paulo ante mortem ſuam eum & ſibi adhærentes abſolvit, & plenarie reſtituit, exceptis Presbyteris, qui interdictum non ſervarunt. Quod cum cautela ſpeciali eſt omnibus Clericis pro futuro cavendum & notandum, ne alicui ſimile contingat.

Ea tempeſtate Sigismundus Dux tria bella (ſecundum quosdam per Cæſarem ſibi ſubordinata) cum Suitenſibus ſudavit. Coactus enim fuit per eos ad exiendum terram Atheſinam armata manu, ad defenſandum caſtra & alia ſua oppida, quæ ipſi Suitenſes nitebantur ſibi adimere. Quadam vice Imperator pro novo anno Sigismundo, ut ſit Archidux, privilegium miſit.

Item Comiti de Sunenburgk quoddam forte caſtrum vi belli recepit, & ſibi uſurpavit, pro quo tamen ſummam pecuniarum ſibi poſtea, ſuadentibus a micis, dedit.

Item cum colonis in valle, vulgariter **Engendein**, infeliciter pugnavit.

Item Comites, dictos vulgariter *de Paris*, impugnavit.

Anno Domini 1480. die 20. menſis Novembris Domina Eleonora filia Regis Scotiæ, prima conthoralis Ducis Sigismundi, obiit.

Anno Chriſti 1485. duxit in uxorem ... filiam Alberti Ducis Saxoniæ, & nuptiæ magno apparatu in Inſprucka celebratæ ſunt, præſentibus Johanne Archiepiſcopo Strigonienſi Adminiſtratore Saltzeburgenſi, ac Bartholomæo Epiſcopo civitatis Caſtelli Legato Sedis Apoſtolicæ, & Alberto Duce Bavariæ aliisque quam pluribus.

[1] *f.* monitus fuiſſet, *ſcilicet Sigismundus Dux.*

Anno Domini 1487. Illuſtriſſimus excelſusque Princeps Sigismundus Archidux Auſtriæ, Comesque Tyrolis adverſus magnificum & potentem Senatum Venetorum in Quadrageſima bellum ſuſcepit, eo quod generoſos Comites in Archi, adverſus quos Venetus ſua dimenſa potentia pro tempore ſæviit, terminos agrorum movendo, currus & equos abigendo, & reliqua. Pro hac familia ſua laceſſita Princeps Sigismundus inflammatus Venetum diffidavit, ac mercatores nercimonia agentes, maxime Venetos, in nundinis in Bozonio cepit.

Deinceps in die S. Georgii Martyris Gaudentius Comes Amaciæ bellidux generalis cum gentibus Principi ſubjectis, Norico admixto milite una cum proceribus Comitatus Tyrolis, nec non Suevorum ope, nobile caſtellum Roforedum dominio Venetorum ſubjectum forti cinxit obſidione. Dux caſtra, tentoria, papiliones, ſtativas aggeresque locat, fabricat, bombardas admovet, muros & arcem agitat, commeatum claudit. Miſeri incolæ repentina obſidione territi, reſumpto ſpiritu mens una omnibus patrios defendere muros, telis & ſaxis hoſtes profligant, aggreſſores propulſant; ſic turmam a turmatu lituo Dux revocat, ſaucios ungit, necatos in foſſa ſepelit hoſtes. Dux muros & arcem bombardis pervios facere decrevit viam latam, & tutum ſcalis aſcenſum; ſic altera jam vice prima, qua non ſucceſſit, via adoritur reliqua. Inſonat Germanus tuba, turma labori non detrahens, nec metu mortis fractus impigre hoſtis poſtes adoritur, muros & arcem tormentis bellicis, igne & ſulphure pervios patefactos ingredi nititur, & ſcalis appoſitis aſcendere tentat. Qua rara eſt acies, ex arce ſexaginta Viris munita, longa arcem defendere temporis mora moliuntur, ſaxa infeſta volvunt, ruunt hinc inde faucia corpora, ploratus & gemitus intra muros & extra. Partibus tandem ab inde afflictis graviter & attritis vulnere, cæde, fame, ſqualore, tabo, obſeſſi pacem precantur, inducias & treugas depoſcunt. Germanus pietate uſus & fide inducias præſtat. Venetias nuntius datur. Concione facta per Robertum belliducem, decernitur miſeris non eſſe ſubveniendum, nec aggrediendum eſſe cum Germano, qui tamen ſuo milite impar exercitui Italo extitit. Sic arx & opidum in ditionem Principis Germani devenit, captivis Principi præſentatis fides ſponſa obſervata eſt. Porro poſtquam arx & opidum ſe dedere, Robertus Sanſaverinas Vir inſignis, generalis Venetorum Capitaneus, Germanos in certamine ſingulari tentare gliſcens, filium præſtantiorem Antonium cum quovis ex agmine Germanorum in certamine ad duellum exitiale ſubeundum pro mille ducatis ſiſtere pollicetur. Quidam Johannes de Stirpe Dapiferorum Comes de Sunenburgk, pugil robuſtus & natu Suevus, ſe ſiſtit. Pacta fiunt & capitula de die, tempore locoque convenitur. Congreditur ab equis tritum in ſolum, & ad luctationem devenitur. Squalent calentia in ſolo pectora, nec alter alterum ſubjugare valet. Tandem Johannes meinor pugionis, quem palam in certa-

mine

mine penes ſe geſtabat, nec pacto contrarium extrahit, in nates Antonii torſit, fixit. Qui ſic fixus, ne Johannes Victor inclementius in eum ageret, & mortis evaderet ictum, captivum ſe dedit, mille ducatos ſolvit.

Itidem ante deditam arcem & oppidum belli dux annuit militi frumentatum ire. Qui ponte ultra Atheſim trajecto, & cuſtode tutato, decrevit a lacu Benaci exercitui Veneto, qui apud Seravallem caſtra metabatur, meatum claudere, & intercipere aditum. Venetus avizatus montem prior occupat. Interim Robertus exercitum ſolvit apud Seravallem, & Germanum inavizatum obruere tentans equite & pedite non pauco, Germanus cum paucis equitibus 150. ac 800. peditibus latentibus in inſidiis, nec præſentibus Venetum adoritur, vi maxima inſultans fundit extremos, metendo ſolus absque pedite milite deliteſcente, qui longe adhuc aberat. Audiens vero conflictum maturat, crudeli ardente prælio. Petrus Galbanus Paduanus in ore gladii cadit, Antonius Mariæ alacri & imperterrito vultu in Germanum inſultans capitur, & reliqui Veneti terga vertunt, profugus fugit Robertus a filio pater, Italica cohors anguſta in auguſto arcetur loco, per ſaxa & ſcopulos in gurgite Atheſis immergitur ingenti numero. Nobilis ex Germano mortem obit unus, & Stationarii milites pauci. Interea audientes quarta Julii armorum fragorem milites deliteſcentes, ex inſidiarum loco proſiliunt, & ad finem conflictus usque perveniunt. In quo certamine Robertus vix mortis contagium dicitur evaſiſſe, cæteris occiſis & ſubmerſis. Et tantum de primo prælio, in quo Germanus impar Italo, extitit triumphator ſpolia legendo.

Secundum bellum. Poſthac Gaudentius Roforedo in fidem recepto in arce & opido milite pauco cuſtode relicto, pontem trans Atheſim jactum demoliri jubet, exercitum, qui ultra 12000. nunquam extitit, emittit, caſtra diſſolvit, apud urbem Tridentinam Capitaneum Virum inſignem Fridericum de Capella Militem cum 300. equitibus & certo milite pedeſtri reliquit, pro urbis & terræ cuſtodia ſola. Ad vallem Auſugii burgum Delphani Theodoricum de Blumegka ſtrenuum virum cum pauco pedeſtri milite Capitaneum locat, disgregato exercitu Germano, & in Germaniam profecto, præcipue milite Ducum Bavariæ Alberti & Georgii. Subito aliæ gentes armiferæ ad Meraniam ſe conferunt peregrinæ ex Rhætia Curienſi, item totidem ex ora Rheni fluminis ad Inſpruckam. Venetus non quieſcens, cui ex clade de proximo accepta fervebat ſanguis & ira, dum hac non ſucceſſit via, cogitat alia Germanum profligare, ut terras ſuas occupare poſſit. Fabricat machinas, rates & pontes, ſpeculatores mittit, infirmiora terræ perluſtrare facit, quo facile hoſtis ſuperari valeat, flumina & arces viſendo.

Interea cis citraque montem Durani in Valle Indiciaria hoſtem Venetum aggreditur 10. Julii ſtrenuus Miles Nicolaus de Firmiano, & in ore gladii centum cadunt viri, reliqui in fugam verſi, domus ſuæ in prædam dantur. Deinde Princeps, proceres & provinciales ad Meraniam opidum primum habita concione & myſterio conſilii, dehinc Diæta ad Oeni Vallis opidum Hallis, milites peregrinos multo ære conductos, ære dato remittit. Item Capitaneum Tridenti ampliori milite munit.

Magnificus Senatus conſultus Venetorum concione habita in magna bregada, concludit Germanum magna & tumultuaria vi adoriri, pontem & ratem navicam ultra Atheſim trajectat, illam funе ad littora pendet, verſus Calianum in planitiem inter eum & rivulum aquæ vivæ caſtra locat, non longe a caſtro Petræ ſubter Biſenum, collem eminentiorem cuſtode & ſpeculatore munit, ſignum hoſte ſuperante dare præcipit. Nuntius Capitaneo Friderico illico datur, æſtuans labore, ſparſus pulvere, inquiens Venetum cum 10000. ultra Atheſim venturum hoſtem, & jam fere mediam totius exercitus partem trajectam, & quod majus, necatis cuſtodibus totis deſcendiſſe campis, prædæ gratia furentes & bachantes. Nondum finito verbo, venit vir armorum validus Michaletus ex Durani Valle Indiciaria, datus ſuper 300. robuſtis viris, quem Fridericus ante miſerat Tribunus. Interim cum milite ſuo in arma ſe parat poſt Michaletum maturando. Optimi cives Tridentini non tardantes, ſe mox in arma pariter parant, Capitaneum ſubſequuntur. Michaletus non expectato Capitaneo cohortem aggreditur hoſtilem, necat, perdit in ore gladii viros 200. circiter. Adeſt confeſtim cum ſuo aurato milite & ſtationariis paucis Capitaneus de fama. Adverſus eum gregata & ferrata equitum & peditum 4000. agmina, ipſe vero cum omni congregata cohorte præter cives Tridentinos, qui nondum venerant, abundabat 1000. viris. Territus, obrigeſcens, quid faceret prorſus dubius, hortatur milites: O Vos Socii, majora paſſi adverſus Ducem Belgarum Carolum, quem vice terna ad internecionem usque proſtravimus, terras ſuas in ditionem Germani redegimus; incumbite armis quisque ſuis. Hic non eſt locus refugii, aſylum nullum. Si terga vertimus, hoſtis dorſo hæret. Quanquam Venetus ſit in multitudine contra nos gravi, nos vero pauci; facile eſt concludere multos manibus paucorum. Sunt equidem per Illyricum ſuperique maris ſinum gentes pretio conductæ, & ex Æmilia, Liguria, Cis-alpina Gallia collectæ, ſub dira ſervitute conſtrictæ, quæ non ſolent pro dulci patria ſuisque Dominis ſe præcipitare, & corpora objicere. Altiſona voce ſubjungens: In Dei nomine petite hoſtem, nec ipſi parcite ab homine usque ad pecus. Vix ſermone finito, miſcentur equites, milites procaces in certamina rurſus concedunt, vibrantur gladii, haſtæ rumpuntur, criſtatæ Italorum galeæ labant, crudeſcit prælium, vociferantur hominum & beſtiarum animæ morituræ. Et erat hora diei apud nos poſt meridiem prima quaſi. Tabeſcunt præliantes labore nimio, ſubducit Dux

belli laſſos, quietos & inſaucios in locum ſuffi- A cere ſtudet. Fit mox ingens prælium, laſſa & fatiſcentia hinc inde quieſcunt corpora. Facta poſt non multa mora, ingruit alius horribilis conflictus. Germanus impar virtute in equos lanceas torquet, perfodit: equi torti & confoſſi ſpiculis corruunt ſub onere, quod geſtant. Humeſcit terra cruore fuſo, hinc inde ad horam fere tertiam poſt meridiem vel prope graviter afflicti & attriti quieſcere poſcunt. Qui paululum facta pauſa, ſpiritu reſumpto, Germanus anguſtus profugare non valens, neque præſumens, ſpuens in manus, ferro procuſo iterum foro ſe parat. Quos Dux belli ſic affatur: O Viros ineffabiles! O inclytos bellatores, quorum haſta nunquam eſt averſa, nec clypeus abiit retro, incumbite nunc armis. Suppetiæ Tridentinorum maturant ſuccurrere nobis afflictis. Conſulite rebus quisque ſuis, ne Ve- B netorum dominio & ſervituti, quod nec metas rerum, nec tempora ceſſura ſuo Imperio ponit, ſubjiciamur.

Eo ſermone conſummato, ſtatim conſeruntur manus. Fit atrox prælium, & tale, quod armorum fragore & colliſione ſylvæ remurmurant, reſonatque ex æthere echo clamantibus in cœlum animabus morituris. Properat Tridentina militum cohors, arma movet, ſpicula mittit, lanceas in hoſtem & cuſpides procuſas dirigit, nec caſſo vulnere fallit equites Italos, Germanum nimia multitudine ſuperantes. Tridentinus propulſat ad mortem usque. Collidunt ſe mutuo bellantes, & erat circiter horam prope ſextam. Sol ab hora prima certaminis totam per mediam diem grandi incanduit æſtu. Speculator deſuper, ſuperante Ger- C mano, & adventatu novorum recentium bellatorum pro ſanguine & vita certantium, declinare verſus pontem partem exercitus Veneti vident, ſignum dat. Incipit Italus circumſpicere, retroſpicere, proſpicere ad omnes orbis plagas, & per loca, quæ hoſtis occupaverat naturaque muniyit, diffugere nequiens, verſus pontem, quem longe ante Dux belli Germanus non improvide ſolvit hærentem funę, fugit mœſtus exercitus. Quem Germanus perſequitur manu forti. Ruunt ferratæ equitum & peditum cohortes, cadit irrevocabile vulgus, alter alterum ocyus in itinere verſus pontem prævenire nititur. Reſcientes pontem ruptum, ad fluminis littus contendunt, fugientes hoſtem a tergo gurgiti ſe credunt, ventrem in flumine purgant. Hi vero, qui ſca- D phas, lintres ſeu phaſellos ſibi conſciverant, ſalvis ad portum venere carmis, tabentes & tremulos artus in littore ponunt ſpem metumque inter dubii. Acta ſunt hæc in die S. Laurentii.

Mane Germanus dulcia ſpolia legens, Itala cadavera ad ſubmerſos una ſepelit, & ad raſtrum Veronæ in Atheſi prætenſum delegavit, ſuos in Caltina [1] tumulando. In prædicto agro Caliano Germanorum quingenti viri, Italorum vero millia multa [2]. Nolo redargui mendacii, & numerum deſignare certum: incertus eſt enim numerus. Quod miſſum vero Veronenſibus, qui Atheſi raſtrum prætendunt, ad quos corpora provoluta ſunt, dinumerare poterunt facile, committendum [1] duxi. Alii tamen putant, ultra ſeptem millia Italorum [2]. O crudele bellum! O res inter Chriſtianos Principes miſeranda! O mundi ſcelera! O homines, tantorum cauſa malorum! O inclyte Roberte, qui (ut ajunt) poſt multam militiam actam per tempora, cupieras Germanam militiam in ſuo ordine etiam agnoſcere! Agnoviſti, & interiiſti a tuo milite mercenario deſertus. O nobilis & ſuperinclyta natio Germanica, quæ hodie ſublimium & potentum colla calcaſti milite pauco, fide tamen.... O felix nimium dies iſta! feliciores milites, qui ſanguine ſuo noſtram patriam ab hoſte ſalvam peperere! Hoc ſatis, & tantum de ſecundo bello penes Calianum peracto, quo non majus æſtimandum eſt.

Bellum Tertium. Hora diei peracti belli tarda noctem verſus triumphat belli dux ſuo cum milite, ſpolia legere jubet neceſſariora, planitiem Martii victi campi (ut aſſolet) tutari mandat, Tridentum redit cruentis fatiſcens artubus, nocte illa dulci ſopore quieſcit. Orto lucis ſidere, ex Tridento excidit cum milite, victam tellurem & campum Martium (alias certaminis) circuit, exanimata corpora luſtrat, ſpolia ad currus, novem mille ducentos equos ſellatos in urbem vectare jubet, campum ſanguine profuſum & cadavere purgat. Quo facto cum milite victorioſo Tridentum, cuſtode campi relicto, redit exultans. Tanta a Deo præſtita victoria, quæ non ope humana, ſed Divina, nec arte magiſtra proventabat, crateres læti ſtatuunt, & vina coronant. Deinde ad corpus Ducis Roberti, quem abſtulit lethi atra dies, & merſit acerbo [3], inquirendum in gurgite mittitur, quod prope caſtrum Petræ in abyſſo reperitur. Extractum in urbem Tridentinam honorifice ſepulturæ traditur, cujus anima requieſcat in pace. Illum boni Ducis officium geſſiſſe non ambigitur, miles ſuus ſi ſtetiſſet, nec mors ſua ignominioſa dicenda eſt.

Magnificus Senatus Venetorum de tam inſperata clade in ſuos facta, ſtatuit circa alia loca Germanum perſequi. Et primo apud Scalas militem locat, Græculos, Araſios, Stradiotas armigeros milites emittit ad prædandum. Item ad Primerii diſtrictum, ad Cavarillas Brixinenſis diœceſis fines, poſtremo ad Cadobrium villam Ambetz (vulgariter Haiden) in valle Auſugii Yvan caſtrum pupillorum quondam Nicolai Trap oppugnatur obſidione forti. Venit falſus nuntius, hoſpes Hoſpitalioli dictæ vallis & pupillorum ſubditus, aſſerens falſo caſtrum Petræ expugnatum, Biſenum non poſſe ſubſiſtere. Caſtellanus credulus ſe dedit absque vi expulſiva; ſic non bellica [4], ſed proditione in Venetorum ditionem pervenit. Id tamen cui jure tribuatur, Sub Pa-

[1] *legi etiam poteſt* Calcina. [2] *deeſt in MS.* occubuerunt *aut hujusmodi quid.*

[1] *ſupple* iis, *ſcilicet* Veronenſibus.
[2] *ſupple* cecidiſſe. [3] *f.* averno.
[4] *videtur deeſſe* virtute.

pa ju-

pa judice Mars [1] eſt. Venetus fimbrias ſuas dilatare, & ſerpere pedetentim (ut ſolitus) molitur, pro dominio Delphani diſtrictus Burgum uno mane, Theodorico Capitaneo de Blumegka tum apud Tridentum agente, adoritur, tota cum cohorte Burgum cingens, aggerem demoliri ac valla nixus valida manu. Incolæ inſomnes duxerant per omnia noctes, ſcrutinio didicere horam, qua Venetus Burgum obruere ſtatuit. Sed patrios lares ab hoſte defendere conjurant, auxilio peditum paucorum freti excipiunt militem irruentem, & aggerem disjicere conantem necant, profligant ad internecionem usque, Græculum & Italum paſſim ab agro & Burgo nullo muro circumdato propellunt, cæde facta, in Capitaneum & militem evocatum, ac quosdam notabiles equites, quos morti deditos pro vivis commutari Græculi & Latini deſiderabant. Abnuit Germanus, memorabile hoc retinendo penes ſe. Hoc eſt bellum Tertium, quod per viam aggreſſionis Venetus inchoavit, profugus factus, amplius hauditurus.

Bellum Quartum. Deinde in vallem Primerii diſtrictus argenti plenam, quam Venetus ardebat, gentes mittit. Germanus in Valle Canalis rupes penes fluvium eminentes, ne Italus prior occupet, intercipit, baſtigiam ſtruit, munit, gentes locat. Italus circumvallat, oppugnat, evincit, quatuor illius interimit. Germanus collectis viribus ex Primerio, adunata potentia inter ſe, & accommodato milite per Principem, paucorum numero adoritur Italum in eo loco. Qui relicta baſtia terga vertit: quos in terga perſequitur, occidit, trucidat centum minus octo bellicoſos viros. Inde in vallem Egerden fugato, ex hinc omni populo ſpoliat, incendit villas numero octo, nemine defendente. Id eſt bellum quartum, in quo Germanus prævaluit contra & adverſus Italum, tropheo & triumpho potitus.

Bellum quintum. Non poſt multo tempore Venetus ad Cavarillas Brixinenſis Diœceſis contra diſtrictum Andracii Comitatus, Eccleſiæ Brixinenſis allodium, gentes locat, locum firmat aggere & vallo, bombardis, Sagittariis cuſpigerulis 2000. in multitudine fidens ſua illam villam venuſtam & pro tempore Eccleſiæ hominibus infeſtam ſperans contra hoſtem Germanum obtinere. Hi dum ignem mitterent in tecta Eccleſiæ Brixinenſis, aggregato milite 1200. incolis terræ ruſticis, pauco agente; in rebus militaribus experto adjuncto adoriuntur: & ſtrage facta 40. virorum viriliter ſe intra villæ ſepta defendentium, reliquæ gentes terga vertunt, adeo fugientes, quod oculum elaſorum præ formidine hoſtis ſublevaſſet nemo. Germanus ſpolia legit, partitur. Partione facta villam incendit, ultra progreſſus in ſylvis & ſaltibus, ſcrobibus & antris terræ condita bona quærit, invenit, abducit, lacrymantia commovet corda. Hoc non contentus valles ingreditur, non unam ad milliaria Itala 15. ultra concremat, exurit omnia quæ reperit, nemini parcendo. Hoc potitus triumpho ad propria regreditur loca graſſans. Illud eſt bellum quintum, quo Venetus cæſus, ſpoliatus fugatusque extitit, Germano ſuperante.

Sextum & ultimum bellum, quod Germanus libens evitaſſet propter vicinitatem utrimque multo ævo obſervatam in pace bona. Superſederat bachari adverſus villam Ambetz, quæ in continuo pro factione treugarum callide laborabant, & eo medio Græculos miſerunt in vallem Emenberg, milite exiſtente juxta Andracium: qui ignem fulminant, quosdam capite truncant, in ludibrium & ſcandalum teſtas occiſorum in ſuperis ſuis geſtant [1], ampullantes. Mox deſignatur Hainricus Horber militum tribunus & Capitaneus generalis. Is collectis gentibus ex incolis Eccleſiæ Brixinenſis & Comitatu Tauffers, equitibusque paulo minus ſeptuaginta... Qui hoſte ſciente & vidente, ad 5. milliaria Italica per alpem ligno præciſam gramiferam planam incedit luce meridiana, ita & tali ordine, quod hoſtis 5000. equitum & peditum ſtipatus Germanum facile dinumerare poterat. Inquit Capitaneus Venetorum, viſa tam parva multitudine hoſtis Germanici: O viri bellatores, omnium advenientium ex hoc hoſtili & inermi [2] corpora noſtra ſunt. Ecce quinque adverſus unum. Confortamini, ſinite neminem vivere, inſiſtite armis, hunc pontem tranſite, bombardis roboratum & munitum, hoſtis neceſſe eſt ibi profligabitur. Germanus non ignavus loco appropians, bombardas caute evitat, gurgitem vadabilem verſus lævam vadat, madeſcit, frigeſcit. Ex adverſo hoſtis non reſiſtit, meatum præſtat. Quo vadato in unum, Germanus ſe ſtipat, glomerat gelidus: quem ſtrathiotæ equites a tergo continuo infeſtant, & perſequuntur robore magno. Tranſita ripa, neceſſe habuit per manus aſcendere collem arduum verſus hoſtem, lapſilem & congelatum, in quo villa in alto poſita eſt. Dum aſcendere manibus & pedibus ſerpendo pedites molirentur, vallum & loci ſepta firma diſſipare; ex adverſo emittunt ad inſtar grandinis. Germanus bellicus antehac non inſuetus talia ferre, reſupine ſe tenet. Sic hoſtica caſſo vulnere volant, & priusquam arcus diſtenderent Itali baliſtarum; Germani Capitaneum occidunt ex blivio [3]. Exercitus horripilans totus, neſcius præ timore movere arma. Germanus acceſſit locum impetu & robore forti, diſſecat, vellit, lacerat, quos reperit necat. Vulgus fugit, equites pariter evacuat, totam inhabitantium villam deprædat, ſpolia legit, incendit, dolum dolo compenſat, ignem & tædas antea in tecta eccleſiæ immiſſos, in miſeram plebem pariter jactat. Armigeri & Græculi de prope tenentes luſtrant, ut viderent finem. O Venezia ubi tua opulenta gaza, mala merita milite tuo laſſo & profugo atque transfuga? Germanus tota nocte per itinera aſpera altasque alpes exercitum tra-

[1] *ſic MS.*

[1] *f.* ambulantes. [2] *deeſt forte* cumulo.
[3] *f.* blida *id eſt* machina bellica. *Vid. de hac voce* blida *Gloſſarium Cangianum.*

hens fame & labore deficiens, ſudans & algens extra villam ad pontem ultra ſe recipit, concrepante rogi immiſſi piramide victu revocat vires; quibus exempta fame in bona quiete bene refectus, cum ſpoliis ſine cæde a tot millibus conceſſit. Hoc eſt ſextum & ultimum bellum cum Veneto initum, & per Germanum nusquam recuſatum, ſemper exceptum, in quo Venetus fugatus eſt & exarſus. In his itaque bellis Italus corpore & rebus miſerabili ſtrage interiit, nullo unquam triumpho trophæoque potitus, fugam crebrius adornando. Germanus & lethi pœnas ſolvit, & ſuſtulit, ſed triumphi potitor.

Ad execrandas hujusmodi lites Romanus Epiſcopus beatiſſimus Dominus noſter Papa Innocentius poſt multam inſtantiam, ut a bellis deſiſteret, Principi factam, tandem comminatus eſt Brevia adverſus eum emittere; ſic Princeps conſentaneus factus. Sua Sanctitas Epiſcopum Terviſinum legatum deſignat. Imperialis Majeſtas, quæ poſt Archiducem Auſtriæ proximus hæres extat, videns in rem ſuam non agi, legatum Venetias mittit pariter & ſuum: coram quibus electi viri conterranei Atheſinæ provinciæ comparent Germani. Longa itaque concertatione a partibus coram legatis habita, cauſam belli uter jure dediſſet, alterque in alterum plus æquo ſæviiſſet; ea diſcuſſa, & mature hinc inde perpenſa, tandem (arbitrati averſa corda per decentia permollire) aviſatum fuit, & eſt ad infra ſcripta deventum per media per legatos ipſos. Qui ſcilicet ſuper actionibus & partium querelis capitulis factis, & a partibus acceptis, inflammata hinc inde pectora ardoremque litis extinguunt; ira & odio corda venenata deſecant; in pacis & tranquillitatis vincula amicitiamque veterem reducunt; compenſatione hinc inde ſtragis, cædis, ſpolii, ignis & tædæ facta; ſalvis mercatorum bonis per militem in tumultu ablatis: captivis etiam emiſſis; caſtris duobus ad judicium Marte ſuo dirimendis ad manus beatiſſimi Domini noſtri Papæ ſepoſitis. Partes pace fruuntur & potiuntur ſecunda, quam Deus ævo perpetuo conſervare dignetur, quæ facile non diſſolvatur.

Item ante hoc bellum, eodem vero anno Chriſti 1487. in novo anno Albertus Dux Bavariæ conjuncta ſibi matrimonialiter Kunigunde filia Friderici Imperatoris per Wilhelmum Epiſcopum Eyſtettenſem, qui & officium cecinit, ad conjugium ipſum effecit in eccleſia S. Stephani in Inſprucka, præſente & conſentiente Archiduce Auſtriæ Sigismundo patruo, una cum uxore ſua ex Saxonia, nuptias veloces celebravit. Deinceps feria 3. poſt Epiphaniarum feſtum dicta Domina Kunegundis ſic deſponſata, cui Albertus ſponſus ejus maritus, & Georgius Duces Bavariæ, Sixtus Friſingenſis Epiſcopus, ac Fridericus Comes de Oetting electus Patavienſis una cum aliis pluribus, ſuſcipiendo eam reverenter obviaverunt, civitatem Monacum intravit.

Item proceres & provinciales Comitatus Tyrolis ipſum Archiducem Sigismundum, eo quod nimis liberalis & largus foret, a proventuum & cenſuum provinciæ Atheſinæ ſublevatione amoverunt; ut ex hinc caſtra per eum impignorata redimerentur. Nihilominus curiam ſibi Ducalem tenuerunt, & ſeptimanatim pro balnealibus centum ducatos præſtiterunt. Sed quia hæc Ducibus Bavariæ Alberto & Georgio diſplicebant, per integrum annum de terris ſuis in Atheſin victualia invehere abnuerunt, ideo fames ibidem invaluit.

Item anno 1471. Sigismundus Dux Auſtriæ magno Principum Almaniæ conventui Ratisponæ interfuit.

Item 1475. Dum Carolus Dux Burgundiæ Nuſſiam obſideret, Archidux Auſtriæ ipſe Sigismundus Imperatori Friderico [1] patruo ſuo adjutorio fuit.

Eodem inſuper anno præfatus Sigismundus in propria perſona magnifice nuptiis Ducis Georgii in Landshut interfuit.

Item 1488. dum Fridericus Imperator expeditionem in Flandriam conta Brugenſes pro filii ſui Maximiliani Regis liberatione moveret, ſæpe dictus Sigismundus Archidux cum ſua militia copioſa ei aſſiſtentiam ingentem præbuit.

Cum ſupra dictum ſit de Ducis Leopoldi per Suitenſes occiſi filiis, primo, ſecundo & quarto, ac ejus prole, ut clarior ſervetur ordo, ſupereſt de ejus tertio nato hoc loco dicendum, cujus inclyta proles ſuperſtes hodie usque in tertiam generationem ſucceſſit.

Erneſtus Dux, tertius filius Ducis Leopoldi per Suitenſes occiſi, duas habuit uxores. Prima fuit Domina Margareta Duciſſa de Stettino, quæ obiit anno Domini 1422, ex qua filios & filias genuit. Secunda ejus conthoralis Zinburgenſis [2], Duciſſa de Maſovia, obit anno Chriſti 1429.

Anno Domini 1424. v. Id. Julii [3] diem obivit Illuſtriſſimus Princeps Dominus Erneſtus Archidux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. ſepultus in Runa. Cujus fuerunt filiæ hæ: Alexandria, Anna, Catherina, Margareta; [4] Rudolfus, Leopoldus, Erneſtus Dux, filius Erneſti Archiducis, obiit anno Domini 1432. in die S. Laurentii. De Alberto & Friderico jam infra dicetur.

Albertus Dux Auſtriæ Alſatiam poſſedit, Princeps humaniſſimus & maximæ liberalitatis, Dominam Mathildem relictam Ludovici Comitis de Wirtenberg, filiam Ludovici Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ (primogeniti Ruperti Regis Romanorum,) in uxorem duxit, quæ ex eo non habuit liberos: quæ poſt eundem maritum obiit, Heidelbergæ ſepulta. Cum Fridericus Romanorum Rex Romam pro Imperiali benedictione eundo Villacum ſe contuliſſet, ibi Dux Auſtriæ Albertus, germanus

[1] *Rectius alia manus in margine Codicis MS.* patrueli.
[2] *leg.* Cimburga. [3] *leg.* Junii.
[4] *ſupple* filii vero.

Cæſa-

Cæſaris; erat, qui ſplendidum ex Suevia Comitatum ad ſe vocaverat, videre coronationem cupidus & ipſe, quamvis Romæ in anno Jubilæo 1450. fuiſſet, rurſus Italiam ingredi, ac fraternæ coronationis adeſſe ſollemnibus voluit.

Ladislai Regis interitus magnarum rerum & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutarem exorientem ſpem prorſus abrupit. Auſtrales & a Cæſare, & Alberto fratre de tradenda gubernatione requiſiti, Provincialium conventum habuere, in quo Legati Cæſaris Seniori Auſtriæ Principi (ſi erat Imperator) deberi provinciam dixere. Albertus ſuo, & Sigismundi patruelis nomine regiæ partem hæreditatis expoſcens, ſuasque calamitates & inopias tanto ſanguini alienas referens, commiſerationem inducere conatus eſt. Conventus reſponſio fuit, facturos Provinciales quod Jus æquitasve dictaret, poſtquam fratres inter ſe conveniſſent. Interea Barones trans Danubium in Auſtria ad Moraviæ fluminis ripam munitum locum occupavere, & omnem circa regionem rapinis atque incendiis vaſtare cœperunt. Adverſus quos profectus Albertus latrones vi cœpit, interfectisque pugnando compluribus, 500. & 50. captivos abduxit, ex quibus 80. furca ſuſpendit. Quæ res magnum ei apud Auſtrales & nomen peperit & favorem. Ulricus vero Eyczingerus cum viſitato apud Novam civitatem Friderico Imperatore, cujus parti ſtudebat, Wiennam repetiſſet; vocatus ab Alberto, nihil mali ſuſpicans fidenter eum adiit: a quo mox captus in vincula conjectus eſt, & in privato carcere clauſus. Indigna res viſa civibus, murmurare, damnare omnes factum; nemo tamen auxilium miſero ferre voluit.

Imperator ſæpe rogatus Wiennam petere, aliquamdiu diſtulit, veritus, ne qua fraus ineſſet. Interim Sigismundus ex Atheſi Wiennam deſcendit, denique ad Novam civitatem profectus, Principatus inſignia ab Imperatore accipiens pro veteri conſuetudine in ejus verba juravit, in qua ſollennitate Albertus affuit. Qui paulo poſt cum Sigismundo Wiennam repetiit, & ambo adverſus Imperatorem conſpirantes Auſtriam ſibi ſubigere conati ſunt. Quorum ſtudia ſentiens Imperator, Wiennam petere ſtatuit, & accerſito Ludovico Bavariæ Duce, magni nominis Principe, eo ſe contulit, Imperatrice ſequente. Appropinquanti urbis populus obviam perrexit, Albertus vero & Sigismundus nobili comitatu extra urbem Imperatorem ſalutavere. Habebat Albertus tria circiter equitum millia in armis expedita, quæ non longe a Wienna in quodam tumulo Imperatori ſe oſtentarunt, magnumque metum venienti incuſſere. Suſpicionem auxit Albertus, qui ſæpe ad eos profectus, & ſeorſim locutus inſidias apparaſſe Cæſari videbatur. Ferunt ejus militiæ ducem Alberto dixiſſe: Facile, ſi libet, hodie te Wiennæ Dominum atque Auſtriæ facio. Nam quis prohibet, quo minus Fridericum Imperatorem ejusque Comites intercipiam? Innue tantum. Soluta deinceps hæreditatis quæſtio erit. Victori leges atque homines favent. Subdubitaſſe Albertum aliquantiſper, demumque reſpondiſſe: Poteram ignoſcere, ſi, quod ais, me ignorante feciſſes; at mandare turpia non poſſum.

Poſtquam introgreſſi urbem ſunt Albertus & Sigismundus, in domo, quæ Pragenſis appellatur, ſimul habitavere; Imperator privatas civium ædes incoluit, arx Provincialium nomine cuſtodiebatur. Conſpiravere Sigismundus & Albertus, eam nocte aggredi, irrumpere, armataque militum manu ingredi, jurejurando ſe obſtrinxerunt non redituros domum, niſi arcem intraſſent. Senſere cives, moxque arma ſumentes præſidium in arce majus collocavere. Inſtabat civile bellum & atrox pugna pro arce, nec dubium videbatur, quin magno ſuo malo Principes commiſſuri prælium eſſent. Stetit diu res in ancipiti; civibus tueri arcem ſtabile propoſitum erat; Ducibus qui in arcem intrare juraſſent, turpe videbatur, infecta re domum reverti, ac vim inferre plenum periculi erat. Poſtremo conventum eſt, ut ingreſſi Principes arcem, paululum immorati potato vino exirent, atque ita deluſa magis quam impleta religio eſt. Poſtridie arx conſenſu Provincialium in tres partes diviſa; duas accepere Albertus & Sigismundus, reliquam imperator. Delectique Provinciales ſunt, qui lites fraternas dirimant, & ſumma illis poteſtas data. Sed grave judicium contra potentes eſt. Nobilitas & eccleſiarum Principes Imperatori faventiores ſunt; plebeji Albertum præferunt, magno ſe judice quisque tuetur.

Multa ſunt in hoc Cæſare, quæ laudare poſſis: corpus egregium, & ſpecies Imperatore digna, animus ſedatus & tranquillus, ingenium perſpicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & otii. Singularem virtutem in quo homine diligit, dignam quoque præmio ducit, Ædificat ſplendide, hortos tamen & gemmas plus æquo admiratur & amat, & in rebus gerendis tardior ac remiſſior eſt. Tenacem plerique accuſaverunt, & ad rem minus [1] attentum. Id fecere proximi anteceſſores, Sigismundus & Albertus Cæſares, quorum prodigalitati cujusvis comparata liberalitas, videri avaritia poteſt. Cæterum Fridericus nec ſua profundit, nec aliena diripit, verbis factisve temperans. Albertus frater ejus longe diſſimilis: celer in aggrediendis rebus, belli & gloriæ appetens, periculi contemptor audax, laboris patiens, manu atque ingenio promptus, pecunias inter amicos partitur ac profundit, inter opes pauper, in paupertate dives, nullius rei magis quam famæ avarus.

Sane conventione inter partes facta, Imperatori Auſtria Inferior; Alberto ſuperior, id eſt provincia ſuper Anaſo, cujus metropolis eſt opidum Lintz; & Sigismundo Alſatia, quam Albertus reliquit, ceſſit. Item Albertus in Lintz malam & levem monetam cudit.

[1] *f.* nimis.

Alber-

Albertus Dux Auſtriæ diem obivit anno Domini 1463. feria 6. ante Thomæ Apoſtoli, in civitate Wiennenſi, ibidem honorifice ſepultus [1] ſecunda die Decembris.

Fridericus, ſenior Erneſti Ducis Auſtriæ filius, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux. Is poſtquam diſcretionis annos attigit, mox religionis induit zelum, cœpitque rebus omnibus Divini cultus augmentum præponere, quod ſibi & ſuæ naturæ bonitas & nobilitas ſanguinis ſuadebat. Nam Domus Auſtriæ Principes, inter quos plures Reges floruerunt, tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperarunt, cum Divino cultui bene & conſtanter famulati fuiſſent. Quorum veſtigia Fridericus ſecutus, defunctis parentibus quamprimum tutelam exivit, ut locum videret, in quo noſtra redemptio celebrata eſt, adhuc adoleſcens trans mare navigavit, ſacra viſens loca: ubi natus Salvator, præſentatus in templo, baptizatus & tentatus: ubi cœnavit, ubi judicatus, crucifixus & ſepultus, & unde cœlos aſcendit. Quid multa? oſculatus eſt terram, ubi fuerunt pedes ejus, qui nos redemit, felicemque reditum cum gloria habuit. Fuit enim Princeps catholicus & pius, ætate florida, quam ſapientia, gravitas & vitæ integritas comitabantur: corpore ſtrenuus, vegetusque & robuſtus, aptus & patiens ad labores, fortis conſtantisque animi, ſobrietatis cultor præcipuus, manſuetudine, religione, juſtitia & prudentia decoratus. Cum ea Domus, ex qua procreatus eſt, Regum ſedes, & Hungariæ & Bohemiæ aliquando Reges dedit: demum perſona propria, quæ corporis & animæ dotibus egregie pollet. Item natus eſt anno Chriſti 1415. in die S. Matthæi Apoſtoli, in conjunctione Jovis & Saturni, in ſigno cancri. *Hucuſque Vitus Arenpekius, Chronici iſtius Auctor: reliqua paucula, quæ in Cod. MS. ſubjunguntur, recentior alia manus attexuit. Sic autem porro habent.*

In Imperio ſucceſſit Alberto Cæſari. Obiit anno Chriſti 1493. Lintzii. Filius ejus Maximilianus, obiit 1519. Succedit nepos Carolus V. qui anno Chriſti 1532. celebrat Concilium Ratisponæ in Martio cum fratre Cæſare Vernando penultima Februarii advenit ætatis bisſextilis, quæ erat tum Mercurii dies. Cæſar pridie advenerat ex Vor [1] Monaſterio, & Archiepiſcopus Salburgenſis. Poſtea advenit Fridericus Comes Palatinus Dux Bojariæ, Epiſcopus Bambergenſis, Bathavenſis in Palmarum vigilia, & Dux Georgius Saxoniæ; ita nemo alius Princeps advenit. Ad *Quaſi modo geniti* primum indictum Concilium. Adventus Turci timetur in Germania & Italia. Vigilia Pentecoſtes advenere Ludovicus Palatinus Rheni, & Albertus Epiſcopus Moguntinus cum 400. fere equitibus.

[1] *ſupple* vigeſima.

[1] *an* Vormbacenſi?

APPEN-

APPENDIX.

CHRONICON LAUREACENSIUM ET PATAVIENSIUM PONTIFICUM,

AUCTORE

BERNARDO NORICO COENOBITA CREMIFANENSI,

ORD. S. BENEDICTI,

NUNC DEMUM PRODIT EX COD. MS. INCLYTÆ CANONIÆ WALDHUSIENSIS, ORD. S. AUGUSTINI, IN AUSTRIA SUPERIORE.

OBSERVATIO PRÆVIA.

POsteaquam primus hic Scriptorum Auſtriacorum Tomus feliciter ad finem perductus, ejusque potior pars ad Typographum Lipſienſem curata jam pridem fuerat; libuit una cum chariſſimo ſodali noſtro R. P. D. Benedicto Bonnethi Waldhuſium, quod nunquam antehac videramus, excurrere; non tam animi, quam librorum manu deſcriptorum, ſi qui forte iſthic delitescerent, perluſtrandorum cauſa. Quo cum ad III. Nonas Septembres anni ſuperioris delati eſſemus, Plurimum Reverendus ac Clariſſimus Dominus Joſephus Nagele loci Decanus, abſente tunc Reverendiſſimo Domino Præpoſito, omni nos humanitate & benevolentia complexus eſt, & ad evolvendos, quos unice quærebamus, veteres Bibliothecæ Codices libentiſſimo animo admiſit. Et vero bene volente Deo factum, ut in ipſo fere aditu eorum unus in manus veniret, ante annos amplius trecentos in charta exaratus, qui præter alia Opuſcula hiſtorica Chronicon quoque Laureacenſium & Patavienſium Antiſtitum continebat. Quod etſi neque nomen Auctoris, neque titulum ullum præferret; prælecto tamen lucubrationis initio ſtatim animadvertimus, hanc eſſe Laureacenſium & Patavienſium Præſulum Hiſtoriam a Bernardo Norico Monacho Cremifanenſi collectam, cujus archetypum in Bibliotheca Cremifanenſi nobis ante annos aliquot viſum quidem, ſed ad utendum minime conceſſum fuiſſe, in Obſervationibus prævis ad Breve Chronicon Laureacenſium & Patavienſium Pontificum pag. 5. memoravimus. Itaque cum laudati Domini Decani Waldhuſienſis humanitas nihil eorum, quibus ſtudia noſtra quoque modo juvari poſſent, nobis negaſſet; integrum Chronicon dies aliquot ibidem commorati exſcripſimus: domumque reverſi ad fidem manuſcripti codicis, quem idem Vir humaniſſimus rogatu noſtro Mellicium usque ſubmiſit, accurate diligenterque recenſuimus. Quoniam vero interea priorem Operis noſtri partem, in qua Res Laureacenſes ſimul & Patavienſes primum locum occupabant, typis jam deſcriptam Typographus remiſerat, viſum eſt ſubjectum Chronicon ſaltem in Appendicem, ne ſcilicet a primo Tomo penitus ſejungeretur, rejicere. Siquidem facile videbamus, ſæpe dictam Laureacenſem & Patavienſem Hiſtoriam, alioquin obſcuram ſatis & impeditam, ex eo non mediocriter illuſtrari, Annaliumque Patavienſium, aut aliorum iis fortaſſis longe vetuſtiorum, quæ in dictis duobus Eccleſiis Cathedralibus quondam haud dubie ſervabantur, Chronicorum jacturam utcunque reſarciri poſſe. Hujusmodi enim antiqua Monumenta quin Chronographus noſter viderit, eaque magnam partem tranſcripſerit, ambigere vix licet: cum in variis locis ad *vetuſtiſſima exemplaria*, itemque ad *ſcripturas authenticas*, ex quibus ſua deprompſerit, provocet. Quæ porro ætate Bernardus Noricus floruerit, quæve præterea ſcripta reliquerit, lege, ſi libet, Obſervationes

nes noſtras prævias ad ejusdem Auctoris Chronicon Auſtriacum, quas habes a pag. 688. ad pag. 690. Cæterum quæ de his Pontificibus commentatus eſt Bernardus Noricus noſter, ea ex codice Waldhuſienſi hunc in modum expreſsimus.

CUm Eccleſia Chrembsmunſtrenſis a Domino Taſſilone illuſtri Principe Bavariæ ſit fundata, & a ſuis ſucceſſoribus magnifice ſublimata, nec non a Venerabilibus Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Pontificibus gubernata; operæ pretium reor, de eorundem locorum Epiſcopis & Ducibus ac noſtræ Eccleſiæ Abbatibus, quod memoria dignum geſſerunt vel quæ ſuis temporibus a Romanis Pontificibus & Regibus ſunt patrata, prout noſtram provinciam aut Eccleſiam reſpiciunt, litteris commendare: ipſo ordine ut plenius valeo obſervato, quod me in prioribus memini promiſiſſe. Verum quia nihil in humanis adinventionibus perfectum eſſe poteſt, ſi quid minus fecero, aut ultra quam debeo, vel forſitan erravero (quod non ſpero) diligenti adhibita cautione, venia non negetur: cum a vetuſtiſſimis exemplaribus & diverſis collegerim, quæ ſcribere cogitavi, licèt ad omnia quæ volui exemplaria non potuerim pervenire, unde & ſpatia vacua reſervavi circa tempora ſingulorum. Omiſſo autem quo tempore provincia Wawariæ, vel Eccleſia Laureacenſis ſit exorta, aut per quem ad fidem ſpecialiter ſit converſa, dixiſſe ſufficiat, quod primo Sanctus Philippus Apoſtolus directus ab Apoſtolis in Scythia prædicavit. Scythia vero eſt provincia, vel potius regio Europæ ſecundum Iſidorum, cui conjunguntur Germania, quæ continet Noricum, ut alias plenius declaravi.

Item Sanctus Petrus Beatum Marcum Evangeliſtam in Aquilegiam deſtinavit gratia prædicandi, qui ibidem Sanctos Ermachoram & Fortunatum cum aliis plerisque convertit, Ermachora in Epiſcopum ordinato. Per hos ergo primos Verbi Dei Seminatores poterat dicta Eccleſia Laureacenſis, ſi tunc fundata erat, recipere Verbum Dei. Probatur: Circa annum Domini MCCC. tempore Rudolfi Regis, & Domini Bernhardi Epiſcopi Patavienſis, cum cives ejus Eccleſiam reformarent propter vetuſtatem ruinoſam, inventæ ſunt quædam imagines cum litteris ſculptis in lapidibus a parte Eccleſiæ Orientis, quæ videntur fundatores, vel cauſam fundationis cum tempore intimare, licet non ipſarum litterarum intellectus legentibus pateat manifeſte, has tamen non ab re hic volui exarare, ſicuti ibi vidi.

SEDICIVS SECVNDINVS VET. LEG. T. ALP. F. EIVLA SEVERIA CON. EIVS SIBI ET SECCIO SECVNDINO FIL. ET MARIIS MAXIMO ET SECUNDO NEPOTIBVS SVIS VIVI FECERVNT ANNO XXV.

Igitur, ut in quibusdam ſcriptis authenticis reperi manifeſte, anno ab Incarnatione Domini CCL. Philippus Imperator, qui primus Imperatorum fidem catholicam ſuſcepit, cum Philippo filio ſuo regnat. Iſte Cæſar ſuperioris, Inferioris Pannoniæ & Mœſiæ fuit, & quia jam prædeceſſor ſuus Gordianus Germanos devicerat, Laureacenſem civitatem vel Eccleſiam ante tempora ſua humilem opibus & honoribus exaltavit, ſuum illi patrimonium delegando. Qui poſtmodum cum Philippo filio ſuo Romam rediens, Quirinum alterum filium ibi, ut creditur, Epiſcopum dereliquit. Omnes autem theſauros ſuos Beato Sixto nomine Papæ ambo committentes, ab infidelibus per Decium ſunt occiſi, primo quidem Seniorem Philippum Veronæ, Juniorem vero Romæ, una tamen die, interfici idem juſſit. Deinde Sixtum cum ſociis ſuis, & ad ultimum Laurentium ac Ypolitum Chriſti Martyres conſecravit: quia didicit eos, theſauros Auguſtorum accepiſſe ad conſtruendas eccleſias, & fideles pauperes alendos, in quos ſummo conamine anhelabat.

Horum autem patrimonium taliter deſignatur in ſcripturis authenticis. Primo ab Oriente habet valvas vel foſſatum Sillarium, a mari Mediterraneo per Liburniam & Mœſiam usque ad mare Occeanum, quod per lacum Pelſchidis currit. Ab Occidente vero flumen Licoas, quod Germani Licum, id eſt Lech, vocant, & per Mœſias Occidentales Napam, Ekaram & Odritam flumina, quæ vulgariter Nab, Eger & Oder appellantur. A Meridie autem Liburniam, quam Drava flumen percurrit, a fonte Licoas usque valvas. Ab Aquilone quoque Wandalus, Pelſa & Tiza flumina concludunt. Infra hanc patriam Liburniam excolentes has civitates *Flamines* primitus dicti, poſt *Epiſcopi* nominati, omnes Protho-flamini, hoc eſt Archiepiſcopo Laureacenſi, ſubfuerunt, hæcque omnis regio dicitur fuiſſe patrimonium Auguſtorum.

Sane ipſa Metropolis Laureacus poſt ſui ſublimationem per multa tempora ſubjectas ſibi habuit plurimas civitates. Ab inferioribus partibus ſurſum habuit Betoviam, Celejam, Gradus-ſolium, Liburniam, Scibonam; per Pannoniam vero Rabam, Putiniam, Aſturiam, id eſt Wiennam Favianam; per Noricum autem Laureacum, ſcilicet ſeipſam, Valentiam, Pataviam, Frixiniam, Imbripolim, id eſt Ratiſponam; per Mœſias quoque Tyranam, Nitrabam, Seclaviam, Vetranam, Curiniam, Wiſſegradam & Herbipolim. Has, inquam, XXII. civitates Laureacum Metropolis antiquitus in ſua habuit ditione. Cui beatiſſimus Laurentius Levita Patronus eſt ab eisdem temporibus deputatus, qui fuit martyrio coronatus brevi tempore poſt Auguſtos.

Verum ante ejus martyrium, poſt Archiepiſcopos aliquantos, ſedit ibidem, ſcilicet apud Laureacum, Sanctus Eutherius Archiepiſcopus, qui Concilio interfuit Sardienſi ſub Stepha-

phano Papa anno Domini CCLXVIII. Hic Stephanus succeſſit Lucio, qui poſt Cornelium occiſum una cum Cypriano Kartaginenſi Epiſcopo, Valeriani & Gallieni temporibus, eſt occiſus. Poſt hunc enim, anno ſcilicet Domini CCLXXV, Sixtus Papa & Laurentius Diaconus cum aliis a Decio, quem Valerianus Cæſarem ſibi fecerat, ſunt martyrio coronati.

Anno Domini CCLXXXIV. ſedit ibi Maximilianus Archiepiſcopus, qui apud Celejam, unde fuerat oriundus, eſt occiſus ſub Numeriano Imperatore. Iſte Sanctus Martyr ſub Rudolfo Rege & Wernhardo Epiſcopo Patavienſi, ſcilicet anno Domini M CCC, cuidam viduæ eſt oſtenſus, & in domo fratrum Minorum translatus, ubi nunc miraculis multis claret.

Anno Domini CCLXXXVII. Florianus Tribunus militum per Aquilinum Præfectum apud Laureacum cum multis aliis martyrio coronatur, ſub Diocletiano Imperatore.

Item Sanctus Mauritius cum ſociis ſuis apud Rhodanum eſt occiſus, ſub collega Imperii Maximiano.

Item Sanctus Vincentius creditur tunc occiſus ſub Marcellino Papa, qui Primo territus pœna mortis Diis immolaverat, ſed pœnitens a prædicto Diocletiano eſt martyrizatus.

Item anno Domini CCCV. Sancta Katherina Regina apud Alexandriam eſt occiſa, ſub Maximo Herculio, vel Maxentio. Ante hæc tempora, ſcilicet anno CCXII. Tertullianus Doctor floruit. Item CCL. Origenes floruit ſub Philippo.

Anno CCCVIII. Sanctus Quirinus, filius Philippi Imperatoris, paſſus eſt.

Anno CCCXXII. celebratum eſt Concilium in Nicea ſub Julio Papa.

Anno CCCXXIII. Helena mater Conſtantini lignum ſanctæ Crucis invenit ſub Silveſtro Papa.

Anno CCCXXX. Alexandriæ Athanaſius & Antonius floruerunt.

Anno Domini CCCLVI. Julianus Apoſtata apud Rhenum Germanos vicit ſub Liberio Papa. His temporibus Liberius Papa a fide erravit: & Victorinus Orator, & Donatus Grammaticus floruerunt. Item oſſa S. Andreæ Apoſtoli, & Lucæ, & Timothei transferuntur.

Anno CCCLX. Sepulchrum S. Johannis Baptiſtæ violatur ſub Juliano. Et Hilarius Pictavis Epiſcopus floruit, & Julianus Divinitus perimitur, & Athanaricus Rex Gothorum perſequitur Chriſtianos. Item Gothi Arriani efficiuntur.

His temporibus, ſcilicet ab anno Domini CCCVIII. usque CCCC. non invenitur certus Princeps Bavarorum, vel Archiepiſcopus Laureaci, & populus cum omnibus rebus tranſiit in Neapolim.

Inter hæc anno CCCLXXXI. celebratur Synodus apud Conſtantinopolim CL. Patrum, ſub Damaſo Papa, & Gratiano Imperatore.

His temporibus multi Sancti Patres in diverſis mundi partibus floruerunt, Ambroſius, Auguſtinus, Martinus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Jeronimus, Didimus, Nicolaus, Epiphanius, Paphnutius, Moyſes, Ephrem, Paſtor & alii.

Circa annum Domini CCCC. parum plus vel minus ſedit apud Laureacum Sanctus Conſtantius Archiepiſcopus, & Sanctus Valentinus Epiſcopus, & Sanctus Severinus Confeſſor. De hoc legitur, quod ante Miſſam pſalterium peroravit, ut Cœleſtinus Papa inſtituit.

His temporibus Sanctus Martinus & Ambroſius obierunt ſub Archadio, & Sanctus Alexius ſub Innocentio Papa.

Item Sanctus Johannes Chryſoſtomus, Oroſius & Ruffinus Doctores floruerunt.

Item Gothi Italiam invadunt.

Circa annum Domini CCCXXX. celebrata eſt Synodus apud Conſtantinopolim ſub Siricio Papa CCCL. Patrum.

Item Wandali per Rhenum Gallias intrant.

Anno CCCCX. Gothi Romam irrumpunt ſub Honorio Imperatore.

Circa hæc tempora Patavia eſt deſtructa. Revelatio S. Michahelis facta eſt ſub Gelaſio Papa, & Archadio.

Anno CCCCXVIII. Synodus apud Kartaginem celebratur CCCXVII. Presbyterorum, ſub Zozimo Papa.

CCCCXXX. S. Auguſtinus moritur: & Wandali ſub Geiſerico Rege Affricam invaſerunt.

Sequenti anno Synodus in Epheſo celebratur CC. Epiſcoporum, ſub Cœleſtino.

CCCCL. Attila cum Hunis Aquilejam cepit, ſub Leone Papa.

CCCCLII. Celebrata eſt Synodus in Chalcedone DCXXX. Epiſcoporum, ſub Leone Papa.

CCCCLIV. Geiſericus Rex Vandalorum Romam vaſtavit, ſub Hilario Papa. His temporibus floruit S. Benedictus.

CCCCLXX. S. Remigius Remis Epiſcopus ordinatur ſub Symmacho Papa, qui Theodorum Archiepiſcopum Laureacenſem confirmavit.

His temporibus Clodoveus (qui & Ludwicus) Rex Francorum ad fidem Chriſti convertitur cum tribus millibus virorum, exceptis parvulis & mulieribus.

CCCCLXXV. Odoacer Rex Rugorum & Turcilingorum Romam obtinuit, ſub Simplicio Papa, & Zenone Imperatore. Iſte Simplicius conſtituit, ne quis inveſtituras accipiat a Laicis. His temporibus Clerici a Laicis premebantur.

CCCCLXXX. Zenon Imperator Theodoricum Regem Oſtro-Gothorum contra Odoacrum deſtinavit, quem etiam quater vicit: & ipſe Romæ ſedit, & Boëthium Conſulem Romanum in exilium miſit, qui multa præclara ſcripſit.

CCCCLXXXIV. Hunericus Rex Wandalorum Arrianus perſequitur Epiſcopos.

Anno Domini D. Sanctus Fulgentius Epiſcopus floruit.

Anno Domini DVIII. Gens noſtra, ſcilicet

licet Noricorum & Babarorum, quæ jam fere per CCL. annos exulaverat, resumptis viribus (quia Romani a diversis nationibus impugnabantur) statuentesque sibi Ducem nomine Theodonem, ad sedes proprias redierunt, & primo nobiles quondam civitates suas reformant, scilicet Laureacum & Pataviam, & in duas diœceses provinciam divisérunt, sed tamen Pataviensis subfuit Laureacensi.

Anno DXIX. Sanctissimus Benedictus migravit ad Dominum, sub Justino Seniore, & Hormisda Papa.

DXX. Romani iterum Babariam invaserunt, sed a Theodone victi apud Oetting prosternuntur pariter & fugantur, sub Johanne Papa I.

DXXII. Clodoveus Rex Francorum moritur, & Parisius sepelitur.

Item Theodoricus Rex Ostro-Gothorum subita morte periit, & in ollam Vulcani proicitur, ut S. Gregorius scribit.

DXXIII. Hildricus Rex Vandalorum Episcopos ab exilio revocavit.

Anno Domini DXXXII. Dionysius Abbas Romanus composuit magnum Cyclum, incipiens ab hoc anno sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore. His temporibus liberata est Roma a Gothis. Item V. Synodus Constantinopoli celebratur anno DXLIV.

Item S. Remigius moritur.

Item Arator librum suum Vigilio repræsentat, quem etiam approbat.

Item Theophilus in Sicilia Deum & Beatam Mariam abnegat.

Item S. Maurus in Galliam venit.

Item S. Rudbertus in Wormatia prædicat.

Anno DXXXII [1]. Theodo moritur, cui succeſſit Udo Dux.

DXLVII. Totila Rex Gothorum in Italia tyrannidem exercet.

DLXIV. S. Columbanus prædicat.

DLXV. Udo Dux moritur, & Theodoaldus succedit.

DLXVI. Narses Patricius Totilam occidit auxilio Theodoaldi.

DLXVIII. Narses offensus a Regina Longobardos vocavit, sub Pelagio Papa.

DLXIX. S. Vedastus moritur, sub Johanne Papa III.

Anno DLXXXVI. Richaredus frater Erminigildi cum Gothis convertitur, sub Gregorio Papa, & Mauritio Imperatore.

DXCI. S. Gregorius Papa eligitur.

DXCIV. Gregorius Synodum celebravit.

DXCVIII. Erchenfridus Episcopus sedit Pataviæ sub Gregorio Papa, forte ab eo missus, & ex hinc jam Babaris confortatis, & nationibus exteris debilitatis, cœpit Episcopatus dividi.

His temporibus S. Rudwertus a Theodone in Bawariam accersitur.

DCIV. S. Gregorius moritur.

DCXV. Vilo Romanus Laureaci sedit in Archiepiscopatu. Hujus tempore S. Rudwertus a Theodone ... construxit Ecclesiam Juvavensem; id est Salzpurgensem, & ibi sedit.

DCVIII. Bonifacius IV. Papa Festum omnium Sanctorum instituit.

DCXXIV. Erchenfridus Episcopus Pataviensis moritur, & Otacherus præficitur, sub Bonifacio Papa. Item Sancta Crux exaltatur.

DCLX. Vilo Archiepiscopus Laureacensis moritur quadragesimo quinto anno Pontificatus sui, & Bruno præficitur sub Theodoro Papa, qui Pœnitentialem edidit.

His temporibus S. Oswaldus Rex moritur.

Item Synodus Constantinopoli celebratur, sub Agathone.

Item Bruno Laureacensis Archiepiscopus, & Otacherus Ecclesiam Pataviensem simul rexit.

Item Theodorus Cantuariensis Episcopus Pœnitentialem edidit, jussu Vitaliani Papæ.

Item Beata Gerdrudis Virgo floruit, filia Pipini, neptis Angisi Majoris-domus.

His temporibus S. Willibrordus floruit.

Item S. Gallus floruit sub Sergio Papa.

Item Machimet hæresiarcha oritur.

DCXCIX. Theodorus Archiepiscopus Laureacensis & Patavienſis sedit XXIII. annis, huic Symmachus [1] Papa pallium destinavit.

His temporibus Synodus apud Aquilegiam celebratur, sub Sergio Papa.

Item facta est altera Apparitio S. Michahelis.

Item S. Kilianus cum Sociis suis occiditur.

Item S. Lambertus occiditur sub Leone Papa [2]. Item S. Othmarus floruit.

Item Sanctus Beda Presbyter floruit, & S. Pirminius Episcopus.

DCCXXII. Wivilo vel Vilo Archiepiscopus Laureacensis & Patavienſis sedit annis XXIII, quem instituit Papa Gregorius, ut in Decretali suo ad Utilonem Ducem Babariæ fatetur. Iste Vilo sedit sub Gregorio II, & Gregorio III, & Zacharia.

Sub istis temporibus Sanctus Bonifacius Maguntinensis [3] divisit provinciam Wabariæ, & Laureacensem Archiepiscopatum in quatuor diœceses vel parochias, auctoritate Gregorii Papæ, & assensu Utilonis Ducis, scilicet Saltzeburgensem, Frisingensem, Aistetensem. Item idem fundavit Episcopatum Herbipolensem, ubi antea fuerat finis Archiepiscopatus Laureacensis a Putinia sursum. Item Fuldense Monasterium. Item idem Pœnitentialem & leges Christianas per Gregorium Papam Babaris statuit.

Anno Domini DCCXLI. Utilo Dux Babariæ construxit Monasterium Altahense, sub Zacharia Papa.

Item natus est Tassilo.

Item idem Utilo pugnat cum Regibus Franciæ.

Item S. Benedictus Floriacum transfertur.

Item S. Burchardus in Herbipoli primus Episcopus ordinatur.

Item S. Willibaldus in Aichsteten primus Episcopus ordinatur.

[1] *ita MS.*

[1] *an* Sergius I.? [2] *leg.* Imperatore. [3] *ſupple* Archiepiscopus.

Item

Item S. Corbinianus in Freyſing.

Item Synodus Romæ celebratur ſub Gregorio III. contra Leonem Imperatorem, fere mille Epiſcoporum.

DCCXLV. Sedonius Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis XIII.

His temporibus Pippinus Taſſilonem poſt patrem ſuum Utilonem Ducem Babariæ fecit, quia Sororius ſuus fuit, ſub Leone Imperatore.

Item Caſſinenſes per Zachariam Papam corpus S. Benedicti repetunt a Pipino, quem Regem Franciæ eſſe juſſit, cum fuiſſet antea Majordomus, regni hæredibus ejectis.

Item S. Bonifacius Maguntinenſis Epiſcopus a Friſonibus martyrizatur.

DCCLV. Antelmus Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis X. ſub Stephano Papa.

Anno Domini DCCLXV. Wiſcarius Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annis IX. ſub Stephano Papa. Hujus tempore Utilo Dux Babariæ obiit.

Item translatum eſt Imperium a Romanis ad Francos in Karolum.

Item de decimis tunc Laicis eſt conceſſum.

Item Synodus celebratur.

DCCLXXV. Waldaricus Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit XXXI. annis. Hujus tempore Adrianus Papa inveſtituras Eccleſiarum & decimas Karolo indulſit, & ſuis Principibus.

Item idem Papa Taſſilonis filium baptizavit, ſcilicet Theodonem.

Item idem Taſſilo Dux Babariæ fundavit Monaſterium Chrembsmunſtrenſe, anno Domini DCCLXXII, anno Ducatas ſui XXX.

Item idem Papa ejusdem Eccleſiæ fundationem confirmavit.

Item prædictus Karolus, cum jam eſſet Imperator Auguſtus, Domus Chrembsmunſtrenſis prædia confirmavit.

Item idem Epiſcopus Waldaricus eandem Eccleſiam conſecravit, juncto ſibi Epiſcopo Juvavenſe Virgilio, & aliis Prælatis, ſub Fater Abbate.

DCCCV. Urolfus Archiepiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ſedit annum unum. Huic Eugenius Papa pallium confirmavit. Cum iſto Urolfo & ſucceſſorbus ſuis cœperunt Epiſcopi Juvavenſes contendere pro pallio. Item Epiſcopalis ſedes, quæ antea apud Laureacum potior fuerat, cœpit in Pataviam tranſire, poſtquam eam Taſſilo opibus & honoribus exaltavit.

Item his temporibus Karolus Imperator poſt Taſſilonem Ducem Præfecto cuidam, nomine Geroldo Wavariæ provinciam commendavit, per quem ejus terminos in Pannoniam usque Rabam fluvium dilatavit, ſub Leone Papa cæcato.

DCCCVII. Hatto Epiſcopus ſedit Pataviæ annis XI, pallium non curavit.

Item Karolus petivit ſibi cantores mitti a Stephano Papa III.

Item aſſumptus eſt cantus Gregorianus, Ambroſiano in Mediolanenſi tantum Diœceſi reſervato.

Item Leoni ſuos Clericos, ut cantum Gregorii diſcerent, deſtinavit Romam.

Item idem Leo Letanias inſtituit.

Anno DCCCXVIII. Rincharius Archiepiſcopus Patavienſis ſedit ut electus annis X. Iſte dum contenderet pro pallio, Salzpurgenſes ſubſtituunt ſibi Baturicum. Sed ipſe non cedens nec ſedi nec contentioni, cum pallio tandem triumphavit, Romæ per Paſchalem Papam ſolleniniter Archiepiſcopus ordinatus, ſedit poſtea ut Archiepiſcopus X. annis, tempore Ludwici Imperatoris.

Hoc tempore præfuit in Chrembsmunſter Abbas Sighardus.

Item Synodus celebratur de officio Monachorum.

Item Rincharius [1] Epiſcopus baptizat omnes Moravos.

DCCCXXXVIII. Rincharius obiit, & vacat ſedes plusquam annum propter contentionem pro pallio.

DCCCXL. Hærtwicus Archiepiſcopus ſedit Pataviæ & Laureaci XVI. annis. Iſte potens in opere & ſermone, Juvavenſem Eccleſiam humiliavit, & Patavienſem Eccleſiam & Capitulum rebus & honoribus exaltavit, ſub Lothario Imperatore.

His temporibus electus eſt in Romanum Pontificem quidam, qui dicebatur *os porci*; ſed mutatum eſt ſibi nomen, & dictus eſt Sergius II; & abhinc ſtatutum eſt, ut ſuis ſucceſſoribus nomina permutentur.

Hoc tempore S. Remigius transfertur ab Hinchmaro Epiſcopo, qui ejus Legendam compilavit.

Item corpus S. Martini honoratur.

DCCCLXVI. Ermmanricus [2] Epiſcopus ſedit Pataviæ IX. annis. Hic fuit natione Oſtro-Gothus, & delicatus, nihil clari operis geſſit, & pallio caruit.

His temporibus Huni Chriſtianos perſequuntur.

Item S. Othmarus transfertur.

DCCCLXXVI. Winchingus [3] Archiepiſcopus ſedit Pataviæ unum annum. Abhinc ſedes Laureacum cœpit humiliari. Oſtro-Gothus fuit, hic voluit in Seccovia metropolim facere.

DCCCLXXVIII. Engelmarus Archiepiſcopus ſedit Pataviæ annis XXII.

Circa hæc tempora, vel parum ante, Feſtum Omnium Sanctorum per totam Germaniam & Franciam eſt inſtitutum per Gregorium Papam, ſub Ludwico Pio, & Abbate Sighardo.

Item Romana ſedes multa adverſa patitur.

Item poſt hæc Leo Papa fecit collectas: *Deus cujus dextera, & Deus, qui beato Petro &c.*

Item Snelpero Abbas fuit.

Iſte Engelmarus Eccleſiam & Capitulum redditibus augmentavit.

[1] *MS. vitioſe* Reuharius. [2] *MS. perperam* Huricus.
[3] *al.* Wichinc & Wichingus.

Anno DCCCLXXXIX. Richarius Epiſcopus ſedit Pataviæ XII. annis. Hic per hos annos pro pallio contendit, & tandem obtinuit, & poſtea invenit Archiepiſcopi & pallii dignitatem. Sedit tribus annis ſub Benedicto Papa IV, & Arnulfo, ac ſuo filio Ludwico.

His temporibus inſtabilis & mala fuit ſedes: quia Apoſtolici breviter vixerunt, aut male, quidam etiam male intrarunt.

Item Ungari, ſive aliæ Pannoniæ nationes Babariam & Italiam, & etiam ipſam Romam diverſis vicibus populantur, & propterea poſt Snelperonem Abbatem videtur Eccleſia noſtra rectore caruiſſe, ſcilicet ab anno DCCCC. usque ad annum MXL.

Item Cluniacum conſtructum eſt.

DCCCCIV. Purchardus Epiſcopus ſedit Pataviæ XII. annis. Iſte deliciis vacans non curavit pallii dignitatem.

Ungari Babariam vaſtarunt: quia ſpecialem Principem eadem provincia non habebat, ſed ſubfuit Regibus Franciæ. Unde coactus Ludwicus Rex conſtituit Ducem Purchardum. Abhinc Imperium tranſiit in Italiam.

DCCCCXV. Cumpoldus Sedit Pataviæ annis XVI. Iſte etiam ſegnis fuit, & pallium non curavit.

DCCCCXXXI. Gerhardus Archiepiſcopus, ſedit Laureaci & Pataviæ XIV. annis. Iſte Vas virtutum erat, & pallium repetens, per Leonem Papam V. [1] pallio eſt donatus, quod eidem Agapitus Papa confirmavit, & Eccleſiam ac Capitulum bonis omnibus exaltans in pace quievit.

Notandum, quod cum duæ ſint provinciæ Noricæ regionis, Heroldo occidentalis, id eſt Pannonia; Gerhardo orientalis, id eſt Babaria, eſt commiſſa.

His temporibus accepit Ducatum Babariæ Dux Arnoldus, eccleſiarum invaſor, per Henricum Regem.

Item S. Udalricus Auguſtæ floruit.

Item Fridericus Epiſcopus Maguntinus perſequitur Monachos, ſub Henrico, & Johanne Papa.

DCCCCXLV. Adalbertus Archiepiſcopus ſedit Pataviæ annis XXV. Iſte nihil magnificum egit: quia Ungari provinciam vaſtarunt.

His temporibus bis celebratur Synodus, ſub Ottone Magno.

Item S. Wolfgangus floruit.

Item Imperium transfertur in Theutunicos.

DCCCCLXXI. Pilgrimus Archiepiſcopus Patavienſis ſedit annis XIX. Iſte fuit Vir magnificus, & Eccleſiam ſuam ſtrenue rexit. Quæ Babarii occupaverant & deſtruxerant, ingenio magno & auxilio Imperatorum revocavit. Capitulum quoque viriliter reformavit. Huic Benedictus Papa pallium dedit. Iſte contulit Eccleſiæ Chrembsmunſtrenſi prædia, quæ, ad eum devoluta fuerunt per Comites de Welſa & Lambach, ſcilicet Arnoldum & Wilhelmum, circa Trunam & Hausruck & Aſcha, Otachero Marchioni Stiriæ, filio Otacheri.

[1] *leg.* VII.

Hujus tempore Apoſtolici petiverunt inveſtituras Eccleſiarum, quas Adrianus Papa Karolo Magno contulerat; ſed reſiſtentibus Imperatoribus, diſſenſio propterea in Eccleſia eſt exorta.

Item in Altach ex Clericis Monachi fiunt.

DCCCCXCII. Chriſtianus Epiſcopus ſedit Pataviæ XXII. annis. Iſte nihil clari geſſit, & ſine pallio deceſſit. Hic uſurpavit cum Leupoldo Marchione, & Comitibus Berngero & Engelberto prædia Eccleſiæ in Chrembs munſter in Petenbach, ſed tandem reſtituit, quæ de manu Arnoldi prædicti Comitis ante eripuit. Hic etiam ſpecialem ſibi jurisdictionem in noſtra Eccleſia vendicavit, unde dicit in privilegio: *Chrembsmunſtrenſem Eccleſiam Sacræ Patavienſi Sedi jure legitimo pertinentem:* ideo ſcilicet, quia anteceſſor ejus decimas Eccleſiæ Chrembsmunſtrenſi dedit, ut pie creditur ab antiquis.

Hoc tempore S. Godtehardus Abbas floret, & Sanctus Cholomannus martyrizatur.

MXIII. Perngerus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis XXXIII. Hic Eccleſiam competenter rexit, poſſeſſiones per pecuniam Eccleſiæ comparavit, ſed pallium non curavit.

Sub Gerhardo Abbate Sanctus Cholomannus occiditur MXII.

Ab hoc Epiſcopo dedicata eſt eccleſia in Hag, anno Domini MXXXII.

MXLVI. Engelbertus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis XIX. Hic etiam ut anteceſſor ſuus Eccleſiam & Capitulum rebus & honoribus ſublimavit, & ſine pallio deceſſit. Iſte Chrembsmunſter Monaſterium conſecravit. Item Domum Sancti Floriani a Monachis habitatam Clericis mancipavit, ſub Heinrico ſecundo Rege.

Sanctus Adalbertus [1] Epiſcopus Herbipolenſis floruit, qui Lambacenſem Eccleſiam fundavit. Item Pabenberch conſtruitur. Item Notkerus Doctor floruit.

MLXV. Altmannus Epiſcopus Patavienſis ſedit XXXVI. [2] annis. Iſte Vir bonus & religioſus fuit, & dum Canonicis aliisque Clericis male viventibus reſiſteret, de Epiſcopatu dejectus, plurimis annis Romæ cum Papa Gregorio VII. fuit. In hujus dejectione Clerici præfecerunt ſibi quendam Hermannum, & poſt hunc Thiemonem, ſed neuter eorum fuit confirmatus. Sub hoc electo Heinricus III. Rex Imperator reſtituit Eccleſiæ Chrembsmunſtrenſi prædia in Petenbach, quæ Chriſtianus Epiſcopus contulerat duobus Comitibus ſub Altramo I. Abbate.

Altmannus vero Epiſcopatui divinitus reſtitutus multa bona in Diœceſi ordinavit, Monaſteria quædam conſtruxit, inter quæ Chötweich, & Sancti-Nicolai conſtruxit. Chrembsmunſter ſcilicet Monaſterium, & Domum Sancti-Floriani reformavit in Monaſtica diſciplina, anno Domini MLXXXII. Item noſtrum Monaſterium conſecravit, & Abbatem Dietricum inſtituit. Iſte eccleſiam Tudich, quam nunc ha-

[1] *al.* Adalbero. [2] *leg.* XXVI.

bet

bet Monaſterium Cluniacenſe, commutavit A Otachero Marchioni pro prædiis, in Hausruck, quæ eidem contulerat Pilgrimus Epiſcopus. Iſte pallium non curat, ſed ſedit in Laureacenſi Kathedra & infra: quia Patavienſem ſedem Thiemo occupavit Canonicus Wirtzpurgenſis.

Hujus tempore floruit in Altach Tyemo Monachus, deinde ad Sanctum-Petrum Abbas, poſtea Epiſcopus Salzburgenſis, ad ultimum trans mare factus Martyr, obiit Anno Domini MXCI [1].

MXCII. Udalricus Epiſcopus Patavienſis & Laureaci XXXII, vel forte non tot annis. Abhinc ceſſavit contentio pro pallio cum Salzpurgenſibus. Iſte uſurpavit prædia in Petenbach, & cum aliquanto tempore tenuiſſet reſtituit ea Domui Chrembsmunſter, ſub Alramo Abbate. Item conſecravit eccleſiam Chirichtarf, anno Domini MCXIX, Ordinationis ſuæ XXVII, quam Alramus conſtruxit. Item eccleſiam Chirichperch, quam idem Alramus conſtruxit, anno Domini MXCI, ordinationis ſuæ VII.

His temporibus cœpit Ordo Carthuſienſis, ſub Victore III. Papa. Item Ordo Ciſtercienſis ſub Urbano II. Item floruit S. Anshelmus Epiſcopus.

Idem Medlicum Monaſterium eſt conſtructum a Leupoldo Marchione.

Item Kalixtus Papa perfecit contentionem pro privilegio Laicorum de inveſtitura. Nam Heinricum IV. Regem ad hoc flexit, ut ſibi idem privilegium reſignaret.

Item Ordo Præmonſtratenſis ortus eſt ſub Paſchali Papa II, & Heinrico IV, Imperatore.

Item Gerſtenſe Monaſterium eſt conſtructum, videlicet recuperatum poſt collapſum ex vetuſtate.

MCXXXIV. Regmarus Epiſcopus ſedit Pataviæ in pallio XVII. annis. Hic dicitur fuiſſe deſtructor Eccleſiæ.

Bernhardus [2] Abbas Ciſtercio præfuit hujus tempore.

Anno Domini MCXXIII. Cœpit conſtrui Monaſterium in Glunich a Brunone nobili de Glunich, qui eandem fundationem dedit Ottoni Epiſcopo Babenbergenſi ſub Lothario Rege.

MCXL, vel XXXIX. Reginbertus Epiſcopus Patavienſis ſedit annis IX. Iſte cœpit reformare Eccleſiam Domus in Chrembsmunſter: quia confirmavit prædia & eccleſiam in monte Sancti Martini, & terminis diſtinxit, & conſecravit, ſub Udalrico I.

Hujus tempore Synodus Lateranis ſub Innocentio celebratur D. Epiſcoporum.

MCL. Chunradus Epiſcopus ſedit Pataviæ XVIII. annis, poſtea efficitur Epiſcopus Salzpurgenſis.

Hujus tempore facta eſt diſſenſio inter Fridericum Imperatorem & Adrianum Papam, ſub Chunrado Rege & Leupoldo II. Duce.

Item Concilium celebratur.

Hic conſecravit eccleſiam Viechtrawam, anno IX.

MCLIX. Rubertus Epiſcopus Pataviæ ſedit annum unum & tres menſes. Iſte ſchismaticus dicitur fuiſſe.

MCLX. Albo electus ſedit Pataviæ annos tres, ſed incriminatus amovetur.

Hujus tempore Fridericus Imperator Salzpurgenſem Epiſcopum Albertum pepulit in exilium, ſub Alexandro Papa III.

MCLXIV. Heinricus electus ſedit Pataviæ annum unum, & poſtea ceſſit propter ſchiſmatam inter Papam & Imperatorem, quam inter ſuos Clericos.

MCLXV. Diepoldus, frater dicti Heinrici, Epiſcopus ſedit Pataviæ annis XX. Huc ſubſtituuntur prædicti tres, ſcilicet Rubertus, Albo, & Heinricus, ſed ipſe prævaluit. Iſte dedit Domui Chrembsmunſter eccleſiam in Chirichperig, ſed intulit nobis poſtea multa mala per violentam intruſionem ad Abbatiam fratris ſui Manegoldi. Unde magna & diu perſeverans diſcordia inter fratres Monaſterii & Epiſcopum eſt exorta; & ad ſedem Apoſtolicam devoluta, ſub Lucio & Urbano III. Iſte etiam conſecravit eccleſiam Wartperch, anno Domini MCLXXXV.

MCLXXXI. Wolfgerus Epiſcopus Pataviæ ſedit annis XIV, poſtea transfertur in Aquilegiam. Iſte fuit in Divino eloquio eruditus. Hic dedit vel commutavit Monaſterium Chrembsmunſter eccleſiam in Vorichdorf, ſub Leupoldo Duce II. Item conſecravit Capellam S. Michaelis in Chirichperig.

MCC. Poppo Epiſcopus Patavienſis annum unum & ſex menſes,

MCCVI. Manegoldus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis IX. Iſte de Chrembsmunſter, ubi Abbas erat, eſt aſſumptus. Multa mala intulit Eccleſiæ Chrembsmunſtrenſi, tam in Abbatia quam in Epiſcopatu: quia Abbatiam cum Epiſcopatu tenuit (ut dicitur) fere tribus annis, & multas Sanctorum Reliquias ac privilegia multa aſportavit, prædia etiam plurima alienavit. Item Chirichperg reconſecravit, anno Domini....

Hujus tempore Synodus celebratur Romæ ſub Innocentio Papa III.

Anno MCCXVI. Ulricus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis VI, & forte plus. Hic dedit Monaſterio Chrembsmunſter eccleſiam Puechirichen, & remiſit ſteuram in Mautaren. Item dicit in privilegio eidem Monaſterio dato: *Hinc eſt, quod devotionem ac ſervitia, quæ Monaſterio Chrembsmunſter, quod etiam ſpeciali jure nobis, attinet &c.*

Hoc tempore ſedit Honorius III. Papa poſt Innocentium III [1]. Item cœpit Ordo Prædicatorum, quem idem Papa confirmavit. Item Fratrum Minorum.

MCCXXII. Gebhardus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis X, & menſibus x.

Hoc tempore floruit S. Elizabeth. Item fra-

[1] *puta* Altmannus Epiſcopus Patavienſis.
[2] *MS. vitioſe* Bertoldus.

[1] *MS. perperam* Alexandrum III.

ter

ter Reimundus compoſuit Decretales, ſub Gregorio X. Papa.

MCCXXXIII. Ruegerus [1] Epiſcopus ſedit Pataviæ XVIII. annis & ſex menſibus. Hic commutavit Monaſterium Chrembsmunſter eccleſiam Weizchirichen pro Albenburch. Idem dicit in privilegio: *Ideo cognoſcentes, quod eidem Eccleſiæ Chremsmunſtrenſi, eo quod de corpore Patavienſis Eccleſiæ creata eſſet, adeſſe teneremur in ſuis neceſſitatibus favorabiliter & ſpecialiter cum effectu &c.*

Hoc tempore Synodus apud Lugdunum celebratur per Innocentium Papam IV. B

Item octava Nativitatis S. Mariæ inſtituitur ſub Friderico II. Imperatore.

MCCL. Chunradus II. Dux Poloniæ electus ſedit Pataviæ annum unum, poſtmodum duxit uxorem.

MCCLI. Perichtoldus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis tribus & quatuor menſibus. Iſte fuit depoſitus per Apoſtolicum: quia cum eſſet reprehenſibilis vita ejus; offenſus erat Clericis, contra quos ita deſæviit, ut unum eorum faceret oculis erutis, naſo & auribus mutilare. Unde Canonici caput ejusdem Romam deferentes, cantabant lamentabiliter Reſponſorium, *Videns Jacob* &c. & ſubjungentes Verſum, *Vide, ſi tunica*, Apoſtolico oſtenderunt pro indicio violentiæ ipſum caput, & ſic depoſitus eſt. C

Item canonizantur Sanctus Eadmundus Confeſſor, item Sanctus Petrus Martyr, Ordinis Prædicatorum; per Innocentium Quartum.

MCCLV. Otto Epiſcopus ſedit Pataviæ annis IX. & menſibus IV. Iſte fuit Zelator Cleri & religionis, & plures Prælatos negligenter viventes depoſuit; inter quos etiam ceſſit Abbatiæ Abbas Ortolfus.

[1] *al.* Rudigerus.

Hujus tempore canonizatur Sancta Clara, Ordinis S. Damiani, ſub Alexandro Papa IV.

MCCLXIV. Petrus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis XIV. Iſte fuit doctus in Divinis & humanis ſcripturis, & bene rexit. Item in Chrembsmunſter tria altaria conſecravit.

MCCLXXIX. Weichardus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis II. menſibus X.

MCCLXXXII. Gotfridus Epiſcopus ſedit Pataviæ annis II. & menſibus IV. Iſte fuit multæ ſapientiæ & ſcientiæ, & bene rexit.

Item in Chrembsmunſter principale altare & chorum conſecravit.


Item conſpiratores in Altach in perpetuum exterminavit de Eccleſia, quorum amici Abbatem Wolchmarum occiderunt.

MCCLXXXIV. Wernhardus Epiſcopus ſedit Pataviæ usque ad annum MCCCXIII. Quo mortuo anno Pontificatus ſui XXX. vacavit Sedes fere VII. annis. Iſte mitis [1] ſibi, remiſſus ſuis fuit. Multa tamen clara geſſit; inter quæ Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis fundavit, ſcilicet Cellam Angelorum. Item chorum Eccleſiæ Patavienſis & cryptam decentiſſime renovavit. Iſte quoque eccleſiam Puechirchen Fratrum in Chrembsmunſter utilitatibus plenarie contulit iterato.

[1] *an* immitis?

MCCCXX. Dux Saxoniæ, nepos ſororius Alberti Regis, Albertus per Dominum Johannem Papam XXII. ex Laico factus eſt Epiſcopus Patavienſis, & eodem anno per ſingulos gradus Eccleſiaſticos aſcendens, in Sabbatho *Sitientes* Presbyter, anno Domini MCCCXXI. Saltzpurgæ, & ſequenti Dominica *Judica* Epiſcopus conſecratus, in Feſto S. Trinitatis primam Miſſam, præſentibus omnibus Prælatis ſuæ Diœceſis, ſolleminiter celebravit Wiennæ.

FINIS.



INDEX RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC TOMO I. CONTINENTVR.

D. litera maiuſcula Diſſertationem, §. Paragraphum Diſſertationis, numerus vulgaris Columnam, literæ minuſculæ adiectæ Segmentum Columnæ ſignificant.

A.

ABrahamus primus fictitius Auſtriæ Marchio. 1047. & ſeq. 1174. a.
Adalbero Epiſcopus Herbipolenſis. Lambacenſe Cœnobium condit. 119. b. 224. b.
Adalbertus ſeu Albertus Comes Babenbergenſis. eius parentes. D. V. §. 18. Quæ eius Coniux. ibid. §. 8. eius geſta. ibid. §. 10. 11. miſerandus exitus. ibid. §. 12. an fuerit Leopoldi *Illuſtris* primi Auſtriæ Marchionis pater. ibid. §. 8. Sepulturæ locus. ibid. §. 12.
Adalbertus, Adelbertus, Adilbertus, Albrechtus Albertusve Auſtriæ Marchio, dictus *Victorioſus*. Succedit Henrico patri. 292. a. 298. b. 1008. a. maximam partem exercitus Ovonis Reg. Hung. delet. 224. a. 341. a. 438. b. 552. c. Marchiam Orientalem, id eſt Auſtriam Hungaris eripit. 216. d. 684. b. cum Andrea Rege Hung. pacem facit. 224. c. 438. c. 553. a. portionem Dominicæ Crucis Cœnobio Mellicenſi donat. 292. a. 298. b. 1008. b. dies obitus eius. 306. c. 493. b. annus obitus eiusdem. 225. a. 341. b. 438. d. 553. b. ſepultus in Monaſterio Mellicenſi. 213. 1008. c. 1118. c.
Adalbertus ſeu Albertus, filius primogenitus S. Leopoldi Auſt. Marchionis. 299. d. 441. b. 1013. a. 1193. d. Belæ Cæco Hung. Reg. ſubſidio venit. 1013. a. b. 1194. a. obiit 441. b. 494. c. 1013. b. 1194. b.
Adalbertus ſeu Adelbertus Laureac. & Patauienſis Præſul. n. 12. 1305. c.
Adalramus ſeu Alrammus Archiep. Salisburgenſis. 9. 335. d. 336. a.
Adalwinus Epiſcopus Ratiſponenſis. 10.
Adamitæ hæretici. 927. c. d.
Adelhaidis ſeu Adelhaida, uxor Adalberti Auſt. March. *Victorioſi*. 226. a. 303. b. 439. b. 1031. b. 1181. c. tumulata in Cœnobio Mellicenſi. 213. 1031. b. 1181. c.
Adlwinus Archiep. Salisburg. ſuccedit Liuprammo. 336. b. Corpora. SS. Criſanti & Dariæ Roma Salisburgum attulit. ib. Obiit ib. c.
Admontenſe Monaſterium. quo anno, & a quo fundatum 341. d. 783. a. flammis abſumptum. 344. c. eius Abbas a S. P. infula donatus 354. a. a Bavaris expilatum. 1118. d.
Adolphus Naſſovius in Regem Rom. eligitur 243. d. 391. d. 471. d. 867. b. c. d. 1120. a. & ſeqq. 1121. a. 1231. a. in prælio cum Alberto Auſtriaco commiſſo occiditur. 224. b. 394. c. d. & 395. a. b. 474. a. 533. b. 723. c. d. 875. b. c. d. 876. a. & ſeqq. 1132. a. & ſeqq. 1231. c. d. 1232. a. & ſeqq.
Adulterarum pœnæ. 267. b. 274. b.
Agnes, filia Henrici IV. Imperatoris. uxor Friderici Ducis Sueviæ. 227. d. 554. b. 1012. a. 1191. c. d. eius ſecundæ cum S. Leopoldo Auſtriæ Marchione nuptiæ. 227. d. 440. c. 554. c. 776. b. 1192. c. flammeolum ab eius capite venti impetu abreptum, poſt novem annos ſuper ſambuci frutice integrum repertum. 616. c. dies obitus. 309. a. 494. b. locus ſepulturæ. 616. b. 1012. b. 1192. d.
Agnes, filia S. Leopoldi. Polezlao Duci Poloniæ nupta. 300. d. 443. b. 575. c. 1037. a.
Agnes, filia Henrici Ducis Auſtriæ I. Stephano III. Regi Hung. matrimonio iuncta. 446. b. 560. c. 1039. c. 1194. d. locus ſepulturæ. 1039. c. 1194. d.
Agnes, filia Leopoldi Ducis Auſt. vulgo *Glorioſa* ſeu *Liberalis*. Alberto Duci Saxoniæ in uxorem data. 238. a. 452. c. 1041. b. 1210. a.
Agnes, filia Ottonis Ducis Meraniæ. a Friderico *Bellicoſo* Auſt. Duce in uxorem ducta. 238. c.

454. a. 810. a. 1024. a. 1212. a. ab eodem repudiata. 357. d. 686. a. 818. c. 1028. a. 1216. c. Vlrico Carinthiæ Duci nupta. 686. a. 823. d.
Agnes, filia Hermanni de Baden Auſt. Ducis. nubit Vlrico Carinthiæ Duci. 464. a. 687. a. 827. b. 1218. c. ſecundæ eius nuptiæ cum Vlrico Comite de Haynburg ſeu Hewnburgk. 832. d. 1211. illuſtrium familiarum parens. ib.
Agnes, filia Ducis Burgundiæ. altera uxor Rudolphi I. Imp. 861. d. & 862. a. 1100. a. 1229. a.
Agnes, filia Rudolphi I. Imp. cuidam Saxoniæ Duci in matrimonium collocata. 1084. d.
Agnes, filia Alberti I. Imperatoris. nuptias celebrat cum Andrea III. Rege Hungariæ. 473. c. 868. d. 1137. d. mortuo marito Viennam reducitur. 474. d. in monaſterium Chunigsfeldenſe ſecedit. 1138. c. eius vita ibidem ſancte traducta. ibid. c. d. 1139. a. & ſeqq. ſepulturæ locus. 1140. a. 1237. b.
Agnes, filia Leopoldi I. Ducis Auſtriæ. Ducis Sileſiæ, aliis Poloniæ coniux. 926. d. 1130. b. quo anno obierit. ibid.
Albertus I. Archiepiſcopus Salisburgenſis. 336. c.
Albertus II. Archiep. Salisburg. 345. b.
Albertus vulgo *Levis*, Auſtriæ Marchio. an fuerit Leopoldi *Pulchri* Auſt. March. frater D. VI. §. 5. fabuloſum eius cum fratris coniuge flagitium. ibid. §. 3. 1011. b. c. 1057. a. b. 1185. c. d. 1187. a.
Albertus, Epiſcopus Friſingenſis. 346. b.
Albertus, Rudolphi I. Imp. pater. 1228. d.
Albertus, Rudolphi I. Imp. filius. 836. a. 1084. c. Auſtriæ gubernandæ a patre præficitur. 243. b. 382. c. 467. c. 854. d. Auſtriæ Ducatum iure beneficiario accipit. 382. c. 467. d. 857. c. 1095. b. 1229. c. lis eum inter & Hainricum Bavariæ Ducem exorta componitur. 862. c. 1096. d. & 1097. a. cum Ywano Hungariæ Comite præliatur. 469. d. 470. a. b. 862. c. 1099. a. & ſeqq. 1100. a. & ſeqq. 1101. 1102. 1103. cum Andrea Rege Hung. paciſcitur. 470. d. & 471. a. 868. d. 1111. c. d. eius cum Rudolpho Archiep. Salisburg. diſcidium. 243. c. 390. c. 469. c. d. 862. d. 989. b. c. 1100. d. 1101. a. b. c. 1106. d. 1107. 1108. nobiles quosdam Styriæ tumultuantes reprimit. 243. d. 471. c. 721. d. 722. a. 874. d. 875. a. 1116. d. 1117. 1118. 1119. Viennenſes, & Auſtriæ proceres in ordinem redigit. 473. c. 1125. b. c. d. 1126. 1127. 1128. Auſtriacorum adverſus eum querelæ. 887. b. d. 1127. c. veneno petitur. 1131. b. c. 1231. c. 868. b. ſpe regni fruſtratur. 471. d. 867. & 868. 988. c. d. 1120. a. & ſeqq. 1121. a. b. Tigurinos & Comitem Nellenburgicum bello petit. 868. a. 1121. b. c. in Rom. Regem eligitur. 244. b. 395. b. 533. b. 1132. d. cum Eliſabetha coniuge Aquisgrani coronatur. 877. a. Adolphum Naſſovium debellat. *Vid. in V. Adolfus Naſſovius.* 224. *b. & c.* eius cum Rege Franciæ colloquium. 474. b. Archiepiſcopum Moguntinum &c. hoſtiliter invadit 397. c. 474. c. 880. a. & ſeqq. Bonifacius VIII. eius electionem probat. 881. d. 882. a. Rudolphum filium in Regem Bohemiæ promovet. 884. d. 885. a. & ſeqq. res in Miſnia turbatas componit. 888. c. d. Henricum e Bohemia pellere fruſtra conatur. 478. c. d. 890. b. c. Carinthiam & Carniolam occupari iubet. ibid. d. bellum in Bohemos & Miſnenſes parans, a Johanne, fratris ſui filio nefarie perimitur. 244. c. 404. c. d. 479. & 480. 534. d. 727. b. 891. d. & 892. 893. 894. 992. a. 1134. a. b. c. 1236. c. d. 1237. a. eius ſoboles. 992. a. 1129. c. d. 1130. a. & ſeqq. 1131. a. 1137. b. c. d. 1138. 1139. 1140. 1141. a. 1237. b. c.
Albertus II, filius Alberti I. Imperatoris, *Contractus* ſeu *Sapiens* dictus. graves exactiones ſuis imponit. 246. d. 539. c. 542. 994. c. Johannem Regem Bohemiæ Auſtriam transdanubianam invadentem in fugam conjicit. 246. c. 487. c. Viri principes conſilia ab eo expetunt. 487. b. 543. b. cum Tigurinis infeliciter pugnat. 543. a. Hungaros cum Venetis componit. ibid. c. loca ſancta inviſit. 950. 951. Comites de Schaumberg & Pfannberg moderatores filiis ſuis conſtituit. 963. c. Carinthiam & Carniolam contra Bohemum fortiter tuetur. 944. c. turbas in Auſtriæ Bohemiæque confiniis excitatas ſedat. 966. a. Judæos a Chriſtianis ſpoliatos & violatos ſevere vindicat. 542. 971. 972. in iniquum delatorem graviſſime animadvertit. 969. b. Carthuſiam Gemnicenſem fundat. 935. c. obiit. 248. 1242. eius coniux & liberi. ibid. 1143. & 1144. a.
